PATROLOGIÆ
CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, ŒCONOMICA,

[OM]NIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS; COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA: ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.

EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR: CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM, PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

PATROLOGIÆ TOMUS LXXVIII.

SANCTI GREGORII MAGNI

TOMUS QUARTUS.

VENEUNT QUINQUE TOMI 35 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1852

SANCTI
GREGORII PAPÆ I
COGNOMENTO MAGNI,
OPERA OMNIA.

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, GALLICANOS, ANGLICANOS EMENDATA, AUCTA, ET ILLUSTRATA NOTIS.

STUDIO ET LABORE MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI, E CONGREGATIONE SANCTI MAURI.

EDITIO MEMORATISSIMA QUÆ PARISIIS PRODIIT ANNO DOMINI MDCCV, NUNC AUTEM ACCURATIOR ET AUCTIOR REVIVISCIT

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS QUARTUS,

VENEUNT QUINQUE TOMI 35 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1849

ELENCHUS OPERUM

QUÆ IN HOC TOMO LXXVIII CONTINENTUR.

Liber Sacramentorum cum variis præfationibus et supplementis. col. 9-637

Liber Antiphonarius. 641

Liber Responsalis. 723

APPENDIX.

Ordines Romani sexdecim, cum APPENDICE. 851

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.

EDITORIS PATROLOGIÆ MONITUM.

In admonitione brevi, tomo primo hujus editionis operum S. Gregorii magni (Patrologiæ LXXV) præposita, præfati sumus nonnulla jam excellentissimæ recensioni Benedictinæ a nobis addenda fore. In hoc tomo habentur illa additilia, nempe : primo, Benedictionale *quoddam beato Pontifici a Kollario in suis Vindobonensibus Analectis vindicatum;* secundo, *plures (quindecim scilicet)* Ordines Romanos *quos congregavit et elucidationibus illustravit in suo Museo Italico doctissimus Mabillonius.*

Benedictini voluminis prima medietas comprehendebat librum Sacramentorum *cum aliis documentis ad liturgiam spectantibus : secunda vero*, Commentaria *in varios Veteris Testamenti libros. Priorum servamus locum, minime vero posteriorum, qui opportunissime, ut censemus, cedent vicem rebus addendis. Istæ enim sic constituent, cum* libro Sacramentorum *et documentis hunc sequentibus, amplissimam et pretiosissimam collectionem monumentorum quibus servatur traditio sacrorum rituum pristinæ Ecclesiæ; Commentaria vero ipsa aptius locabuntur ante Paterii Compilationem, Scripturas quoque elucidantem, in tomo sequenti, vice Triplicis S. Gregorii Vitæ, quam, lectori consulentes, omnibus operibus sancti Patris præposuimus.*

Claudent volumen Pontificum Romanorum catalogi duo, quorum unus ex Corbeiensi manuscripto sexti sæculi primum editus fuit ab illustrissimo Mabillonio, alter ab Emm. Schelstrato, ex Vaticano codice beati Pontificis coævo.

PRÆFATIO IN LIBRUM SACRAMENTORUM.

I. Sacramentorum librum cæteris sancti Gregorii Magni operibus accensemus, non quod primus ipsius fuerit parens (superioribus enim Romanis pontificibus, maximeque Galasio I, debetur), sed quod summa cura meliorem in formam ipsum sanctus Doctor redegerit, ut docet Joannes Diaconus, lib. II, cap. 17. Joanni consentiunt Walafridus Strabo, de Officiis divinis, seu de Rebus Eccl., cap. 22, et alii qui de hoc argumento scripserunt plurimi, ut legere est in omnibus quæ libro Sacramentorum jam sæpius edito præfixæ sunt præfationibus : neque enim placet jam dicta iterare. Gelasianum Codicem primigenium Romæ publicavit primus, in rebus liturgicis versatissimus, Josephus Maria Thomasius, clericus regularis; Gelasiani vero Codicis a Gregoriano discrimen totum est in Orationum quas Collectas vocamus varietate ac numero, uti observat noster Mabillonius, de Liturgia Gallicana, lib. I, cap. 2, num. 5.

II. Porro cum ad librum Sacramentorum a sancto Gregorio collectum, correctum, ordinatum, auctum, novis typis edendum nos accingeremus, quem potissimum tot ex Codicibus aut editis aut manu exaratis, qui penes nos sunt plurimi, publicandum eligeremus, diu sollicite quæsitum a nobis et maturo consilio deliberatum.

1° Se offerebat is quem Angelus Rocca ex vetustissimo bibliothecæ Vaticanæ exemplari, ut in præfatione testatur, excudendum curavit, quique in collectione operum sancti Gregorii multoties est recusus. At de laudati Codicis antiquitate dubios nos fecit, quod observavit Hugo Menardus in præfatione sua, nostræ mox subjicienda. Ad Codicis etiam integritatem non pauca desiderari, omissasque fuisse præsertim Benedictiones, constat ex his quæ in festo sancti Pauli apostoli leguntur : *Præfatio et Benedictio quæ superius;* quod nimirum argumento est olim Benedictiones in libro Sacramentorum exstitisse, cum tamen in toto volumine ne unam quidem nunc legere liceat.

2° Jacobi Pamelii Editionem, tomo II Liturgicon Ecclesiæ Latinæ, plurimi factam a viris eruditis, intellexeramus tanquam fontibus propiorem, si additamenta parenthesibus vel uncinis inclusa omittantur : eam sic expurgatam aiunt convenire cum duobus vetustissimis Codicibus olim bibliothecæ Reginæ Sueciæ, scriptis sub Carolo Magno, vel Ludovico Pio ejus filio. Collata est hæc Pamelii Editio cum uno ex laudatis Codicibus, qui nunc in bibliotheca Vaticana numero 1275 asservatur; qua ex recensione nobis compertum est eum a Pamelii edito, etiam sepositis omnibus quæ intra parentheses includuntur, sæpe discrepare, non in verbis tantum, sed etiam in Collectis aliisque Orationibus, imo in officiis integris.

3° Sancti Eligii Codicem a nostro Hugone Menardo evulgatum, ac notis observationibusque illustratum, maxima apud eruditos auctoritate valere minime nos fugiebat. Et sane perpensis omnibus æquiori lance, nullum ipsi vel ob antiquitatem, vel ob integritatem, præferendum duximus, lecta quam Editioni suæ vir doctissimus præfixit præfatione. Ut autem hunc præ cæteris Codicem ederemus, id nos potissimum movit, quod nulli alteri aptari potuissent Menardianæ observationes et notæ, quas melioribus formis recudere, rei tum sacræ tum litterariæ non parum intererat. Ex tam copiosæ videlicet exquisitarum annotationum suppellectilis accessione, plurimum aut utilitatis aut voluptatis studiosum lectorem percepturum haud dubitamus. Ut autem facilius et expeditius inveniri possint (quandoquidem illas columnis pro more nostro subjicere integrum non erat, propter nimiam plurimarum prolixitatem), eas seorsim excusas numeris distinguendas censuimus; et in libro Sacramentorum singula, quæ iis notis illustrantur et ornantur, totidem numeris in margine scriptis indicavimus (1).

III. Quoniam vero post Hugonem Menardum multi de rebus liturgicis egregie scripserunt, in his eminentissimus cardinalis Joannes Bona, Josephus Maria Thomasius jam laudatus, Joannes Fronto sanctæ Genovefæ Parisiensis canonicus regularis, ex nostris Joannes Mabillonius, qui liturgiam veterem Gallicanam pene e tenebris eruit, et Edmundus Martene, qui de Ecclesiæ ritibus tria edidit volumina, in quibus quidquid præsertim ad sacramentorum administrationem pertinet diligenter fuseque pertractat, quæcunque ex

(1) In hac nostra editione numeri habentur inter parentheses textui insertas. EDIT.

eorum lucubrationibus colligere licuit a Menardo prætermissa, unde argumento proposito nonnihil lucis affulgere posset, ea in notulis ad columnarum calcem attextis observ re curavimus.

IV. Consuluimus etiam plurimos Codices manu tantum exaratos, de quibus perpauca hic attingemus et breviter delibabimus.

Codicis Reginæ Sueciæ ante annos octingentos descripti variantes lectiones omnes, collatione facta cum Pamelii Edito collegimus, unde utriusque discrimen in multis advertimus. Certe ipso in limine Codex ordinationes episcoporum, presbyterorum et diaconorum exhibet ante Natalis Christi vigiliam; quæ omnia desunt apud Pamelium, ut de cæteris taceamus. Exaratum fuisse pro Ecclesia, ubi celebris erat sancti Chlodoaldi memoria, et quidem in agro Parisiensi, inde conjicimus quod in oratione, *Libera nos, quæsumus*, quæ post *Pater noster* dicitur, recitatis nominibus sanctorum Apostolorum Petri et Pauli atque Andreæ, addatur : *nec non et beato Dionysio martyre tuo atque pontifice, cum sociis suis Rustico et Eleutherio*, *et beato Chlodoaldo*; hinc vix dubitamus olim hunc Codicem pertinuisse ad ecclesiam Novigenti, vulgo *Saint-Cloud*, prope Parisios.

Cum hoc regio Codice de antiquitate certare potest Calensis, seu Codex parthenonis beatæ Mariæ de Calis : hic ad nostram Editionem proprius accedit, at contractior est, et pauciora continet festa.

Superiores omnes ætate vincere videntur duo Theodericenses, seu monasterii sancti Theoderici non procul a Rhemis. Prior notatus 62, ob figuras quibus ornatur spectabilis, scriptus creditur octavo sæculo desinente, vel ineunte nono, quod in eo fiat mentio erutorum Leoni papæ III oculorum, tanquam facinoris non diu antea perpetrati. Sic enim legitur : *Benedictio ad signum faciendum*, etc. *Missa de inventione sancti Stephani*, *quando Romani propter invidiam tulerunt oculos domino Leoni papæ*. Sedit hic ab anno 795 ad 816. Vim autem passus ab æmulis creditur anno 799. Hoc in Codice præmittuntur ordinationes lectoris, etc., subdiaconi, diaconi, presbyteri, episcopi. Sequuntur benedictiones longe plures quam in vulgato Benedictionali, et in Editione Menardi. Post Orationem specialem exomologicam seu confessionem, et plurimas alias, subjicitur Missa *de Transfiguratione*. Succedunt *Præfatio*, *Communicantes*, etc. Postea legitur, *nono Kal. Januarii in vigilia de Natali Domini*, etc. Eodem in Codice ad marginem designantur quæ singulis in Missis cani debeant, ut in Antiphonario præscribitur : exempli gratia, pro prima Natalis Domini Missa assignatur *Antiph.* Dominus dixit ad me, *Psalm.* Quare fremuerunt, *Resp.* Tecum principium, *Vers.* Dixit Dominus, *Allel.* Dominus dixit ad me, *Offert.* Lætentur cœli, *Vers.* Cantate Domino, *Communio* In splendoribus.

Alter Codex Theodericensis, notatus 63, ejusdem fere videtur ætatis. Scriptus procul dubio fuit ad usum monasterii beatæ Mariæ Suessionensis; nam ibi legitur : *Memento, Domine... famularumque tuarum omnis congregationis beatæ Dei Genitricis Mariæ, sanctorumque confessorum Medardi et Eligii*. Tres in partes dividitur, quarum ultima Præfationes continet. In utroque Theod. plurimæ sunt Missæ, ut nunc dici solent, votivæ, quæ in Editis non exstant, ut *de Humilitate, de Misericordia, de Fide, Spe et Charitate*. Sex habentur Missæ pro Abbate vel Congregatione. In Ordine ad benedicendum abbatem, nihil de mitra, baculo pastorali, annulo; nihil denique legitur de pompa quæ hanc hodie benedictionem comitatur. Continuo sequitur Missa pro puero die oblationis suæ, scilicet juxta regulam sancti Benedicti, cætera omitto ut prolixiora. Ex his duobus Codicibus antiquitate spectatissimis liquet non semper pro recentioribus habendos hujusmodi sacros libros, qui ampliores sunt. Hos Codices describi jussit illustrissimus Ecclesiæ princeps Carolus Mauricius le Tellier, Rhemorum archiepiscopus et dux, atque ad nos transmittendos curavit, cui multa alia debemus.

Laudatis Codicibus ætate quidem inferior est Gemeticensis quo usi sumus, at elegantia et integritate nulli cedit. In ignoto Angliæ monasterio Benedictini ritus in honorem sanctæ Dei Genitricis, et sanctorum apostolorum Petri et Pauli constructo exaratus est anno millesimo, ut liquet ex festorum mobilium tabula; monasterio vero Gemeticensi dono datus a Roberto præfati cœnobii Anglicani prius abbate, tunc Londinensi episcopo, anno 1045, deinde Cantuariensi archiepiscopo, qui, sede sua pulsus, cum Roma, quo religionis causa perrexerat, reverteretur, Gemetici obiit die 26 Maii an. circiter 1052. Hoc in Codice plurima desunt quæ in Vulgatis legimus. Sane libri hujus Anglicani magna præ cæteris habenda ratio videtur, quia Ecclesia Anglicana ab ipso sancto Gregorio liturgiam statim sacrosque ritus accepit, cum tardius Ordo Romanus in omni Ecclesia Gallicana obtinuerit, hoc est Pipini et Caroli Magni temporibus.

Neque tamen omnes illius Codicis aut aliorum differentias exhibere integrum fuit; alioquin in immensum opus hoc excrevisset. Nam librum Sacramentorum suos in usus ita concinnarunt Occidentales Ecclesiæ, additis et detractis nonnullis, ut vix duo Codices antiqui prorsus similes reperiantur. Plura de hoc argumento suppeditavit noster Edmundus Martene, qui libro de antiquis Ecclesiæ Ritibus, tom. I, de administratione sacramenti Ecclesiæ, et incruenti sacrificii celebratione plurimos diversarum Ecclesiarum Ordines, seu Rituales libros exhibet.

V. Quo loco veteres librum Sacramentorum habuerint, patet ex eburneis, argenteis, imo etiam aureis tabulis quibus in nonnullis Ecclesiis vestiebatur. Flodoardus, lib. III Hist. Eccl. Rhem., cap. 9, scribit : *Librum quoque Sacramentorum sub eburneis tabulis auro præsignitis..... contulit*. Eum quasi memoriter addiscere tenebantur olim presbyteri, ut colligere licet ex Burchardo, lib. XIX, cap. 8. *Nunc ergo, o fratres, qui voluerit sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet ut discat ea quæ necessaria sunt....., id est Psalterium, Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum librum, etc.* Nec immerito sane, cum hoc ex libro tota fere Christianæ religionis ratio repetatur. Hinc qui pro fide contra hæreticos olim decertarunt, ex solemnibus precibus eo in Codice contentis argumenta deprompsere, puta in controversiis de Incarnatione contra Elipandum, de cultu ac usu imaginum, de Christi corpore in Eucharistia. Vide Menardi notas 251 et 257. Hæc Postcommunio : *Perficiant in nobis, quæsumus, Domine, tua sacramenta quod continent, etc.*, ut in Sabbato quatuor temporum Septembris, laudatur a Gratiano, de Consecrat., dist. 2, c. 34, et a Lanfranco, Guitmundo, et aliis realis præsentiæ aut impugnatoribus, aut defensoribus. Unde vero præsertim Augustinus contra Pelagianos divinæ gratiæ necessitatem tuetur, nisi ex Orationibus quibus ejusdem auxilium Ecclesia semper nobis adesse postulat?

Ut autem merito jure ordinem ritumque Romanum quem hic liber Sacramentorum exponit ubique tandem obtinuisse demonstretur, satis est illum conferre cum Missalibus Gothico, Francico, et veteri Gallicano quæ edidit Mabillonius, lib. III de Liturgia Gallicana, et cum Sacramentario Gallicano ejusdem Mabillonii opera edito Musei Italici tomo primo, II parte. In his enim sententiæ obscuræ et abjectæ, sermo barbarus, verba corruptissima, Deus bone! quam longe absunt a gravitate et majestate libri Sacramentorum Gregorio ascripti. Et hæc de ipso sufficiant; nunc vero de notis et observationibus in ipsum a Menardo lucubratis, hicque iterum editis breviter lector præmonendus.

VI. In iis laudat sæpe vir eruditus quasdam sancti Ignatii martyris epistolas, quæ nunc pro spuriis

habentur, qua in re communem suo ævo doctorum pene omnium sententiam secutus est; idem dicendum de supposititiis Romanorum pontificum epistolis decretalibus, ex quibus frequenter adducit testimonia vir multarum litterarum. Hæc autem mutare et corrigere non præsumpsimus; ubi vero manifesto errore præli potius quam scriptoris quædam laudata invenimus secus ac debuissent, ea emendare non dubitavimus. Sic pag. 104 legitur: *Ecce mersisti; venisti ad sacerdotem; tibi dixit? Deus, etc.*; quod sic restituimus: *Ergo mersisti..... quid tibi dixit? Deus.* pag. 105 prioris Editi habes, *de sancto Gelsino martyre*, legendum, *Gelasino*, uti nunc exstat in hac Editione. Pagina 115, apud Menardum sic profertur ille locus Deuteronomii vi, 4: *Audi, Israel, Dominus Deus tuus est.* Nunc autem, col. 363: *Audi, Israel, Dominus Deus unus est.* Theodulphi Aurelianensis episcopi libellus de Ordine baptismi in notis Menardi excusus, pag. 113 et seq., multis mendis scatet. Multo emendatior prodiit cura Jacobi Sirmondi, ex cujus recensione plurima errata correximus. Corrupta vero loca in quæ suas Menardus conjecturas proposuit, aut notas attexuit, relinquere intacta coacti sumus, ut Menardianam Editionem majori fide exprimeremus. Indulgendum autem viro docto qui in Codicem corruptum incidit; non raro tamen ex conjectura Menardus quæ corrupta sunt sanat, et genuinam lectionem, quam postea Sirmondus amplexus est, restituit.

Menardianis notis eas adjecimus quas Angelus Rocca, Camers, apostolici sacrarii præfectus, in librum Sacramentorum Edit. Vatic. scripsit. His succedunt Benedictiones episcopales quæ in Codice sancti Eligii desiderantur. Sequitur Gregorianus Antiphonarius, quæ in Missis canenda sunt exhibens. Tandem librum Responsalem seu Officialem, in quo cursus ecclesiasticus, tam pro nocturnis quam pro diurnis horis in ordinem digestus continetur, ex veteri Codice Compendiensi descriptum, subjunximus. Ita omnia fere quæ ad rem sacram pertinent hic collecta reperiuntur, excepto duntaxat Lectionario; quem addere non ausi sumus, tum quia eum sancto Gregorio nemo tribuit, sed potius Hieronymo et Damaso papæ; tum quia jam non semel excusus est, nimirum a Jacobo Pamelio, tom. II Liturgicon, et longe emendatior a viro clarissimo Stephano Baluzio. Cæterum hoc in Lectionario tantum indicantur lectiones, tum ex Apostolo (paucis tamen aliunde ex Veteri Testamento adductis) tum ex Evangelio; quæ fere omnes adhuc eædem in Missa recitantur. Quod vero spectat ad evangelicas, eas maxima ex parte suppeditant homiliæ in Evangelia, tomo primo.

VII. Quamvis ad Menardi laudem notæ ac observationes ab illo scriptæ in librum Sacramentorum satis esse videantur, de illo tamen ac de aliis ejusdem lucubrationibus paucis jam est dicendum.

Nicolaus Hugo Menardus Parisinus, anno 1585, honesto loco natus, a puerili ætate pietati simul ac litteris operam dedit. Memoria erat acri atque adeo tenaci, ut quæ semel legerat, nunquam oblivioni daret. Sicque Latine, Græce, ac Hebraice brevi facilique negotio doctus, ad sacrarum litterarum studium, totum se conferre constituit. Nec minus serio de vita sancte ac pie instituenda cogitans, cum adhuc adolescens regulæ sancti Benedicti sese (1) obstrinxisset in regali sancti Dionysii cœnobio, ut quæ Deo pollicitus fuerat facilius præstaret, annos jam natus 29, strictiori se observantiæ addixit in monasterio et congregatione sancti Vitoni apud Virodunum die quinta Augusti anno 1614. Inde Parisios missus, in collegio Cluniacensi rhetoricam multis annis docuit. Postea in monasterio sancti Germani a Pratis reliquum vitæ egit, sacris studiis observantiæque regulari liberrimo in otio totus incumbens. Temporis jacturam præ cæteris deflebat. Hinc recessus et solitudinis amantissimus paucis amicis contentus erat iisque selectis, quos inter principem locum obtinuit Jacobus Sirmondus e societate Jesu theologus, quo non alius fuit aut in litteras, aut in litteratos propensior. Talium censorum judicio et criterio quidquid elucubraret, permittere solitus erat vir summæ in primis modestiæ.

Prior ejus fetus fuit *Martyrologium Benedictinum* notis illustratum, de quo opere retractando et secundis curis edendo sollicitus erat, quando eum oppressit mors.

Concordiam Regularum auctore sancto Benedicto Anianæ abbate, ex Codice Floriacensi eruit, et notis observationibusque auctam publicavit Parisiis anno 1638.

Quatuor post annis *librum Sacramentorum* sancti Gregorii in lucem emisit, cum notis seorsim et animadversionibus amplissimis.

Anno sequenti, suam *de unico Dionysio Areopag. Athenarum et Parisior. episcopo diatribam* tacito suo nomine vulgavit *adversus Joannis Launoy discussionem Milletianæ responsionis.*

Anno 1645, prodiit in publicum opus ejus posthumum, scilicet *epistola sancti Barnabæ ex antiqua versione*, cum doctissimis notis, inquit Guillelmus Cave in Scriptorum ecclesiasticorum Historia litteraria.

Anno vitæ quinquagesimo nono morte pene repentina, et quidem ex animi voto, correptus est die 20 januarii, anno 1644, cum ex alvi doloribus paucis horis decubuisset.

(1) Monachum induit die Dominica 3 Februarii ann. 1608, et professionem emisit die 10 Septembris ann. 1612.

D. HUGONIS MENARDI EPISTOLA DEDICATORIA

AD EMINENTISSIMUM S. R. E. CARDINALEM ARMANDUM JOANNEM, DUCEM DE RICHELIEU, ET PAREM FRANCIÆ.

Satis implevit orbem Gregorius, cardinalis eminentissime, ut nemo nesciat magnitudinem illius, qui cum immensi ponderis dignitatem sustineret, et negotiorum turba circumfusus, vix ab iis explicare se posse videretur, tamen singulis occurrens, expedire difficilia, infesta eluctari, salutaria constituere non desinebat. Atque inter alia elucet quam vere Magnus assurrexerit in promovenda religionis disciplina, sacrorumque cultu atque usu, quæ nunquam aut ad majestatem augustius, aut ad sensum pietatis ingerendum convenientius, quam post illius singularem operam exsplenduerunt. Quo mentem ac sollicitudinem certe nihilo remissius appellebat, quam si unum id elaborandum sibi fuisset otioso de cæteris. Utque diligentiam hanc et sollicitudinem testentur præclarissima illius scripta, tamen hic Sacramentorum liber præsertim luculenta probatione demonstrat: qui cum nova quasi parturitione in publicum prodeat, meis utcunque lucubratiunculis illustratus, in cujus nominis luce nasci oportuit, nisi tui, cardinalis eminentissime, aut cujus nisi tui favoris auspicio? Si auctorem Gregorium specto, non potuit qui usquequaque Magnus est nisi ad illius purpuram venire qui inter cæteros Ecclesiæ principes eminet, neque clarissimum lumen nostri ordinis debuit, nisi ad illum deferri, cujus ope rursus ad novum reparationis diem evigilat. Quod si ad operis dignitatem animum converto, et hoc nomine tibi potissimum debetur; nam si Gregorius quanti faceret rem sacram, hoc suæ singularis providentiæ ac pietatis fetu, hoc, inquam, Sacramentorum libro

demonstravit, tu quanti rem eamdem æstimares, et propriis olim ingenii, doctrinæ et zeli monumentis editis similiter probasti. Si partem suæ magnitudinis Gregorius invenit in cultu divino et cæremoniis Christianam religionem illustrantibus, quas dignitate extulit, concinnitate decoravit, sanctione firmavit, tu ex eodem divino cultu non minimam partem splendoris ad purpuram tuam adjunxisti, cum et hostes illius non uno modo repressisti, et hierarchas doctrina et pietate præstantissimos tuo consilio in administrationem rei ecclesiasticæ promovisti, et in ipsis templorum operosissimis augustissimisque ædificiis memoriam tuam ad æternitatem commendasti. Denique si me ascetarum ultimum vel paulisper attendo, cum sim ejus congregationis alumnus quæ te suum instauratorem agnoscit, quæ sub auspiciis tuis nunquam non secundis nova quotidie incrementa suscipit, ac statum sub tua auctoritate hactenus tutum obtinuit, ex tua benevolentia florentem habet, ex tua felicitate propemodum beatum sperat. Cui laborem hunc qualemcunque meum deferam potiori jure quam tibi, cardinalis eminentissime, qui ad cæteras tuas laudes istud adjicis, ut quemadmodum Gregorio huic nostro nihil parvum, nihil indignum suis infulis videbatur, quod Christianæ pietati accederet, ita neque tua eminentia ea quæ vel minima censeri possunt, si de pietatis fonte proficiscuntur, respuis. Quare et hoc munus inter innumera quæ ad purpuram tuam deferuntur benevolus accipe, tanquam symbolum magnitudinis tuæ ex auctore Magno, zeli tui ex materia sua, gratitudinis vero congregationis Benedictinæ ex commentatore suo, eminentiæ tuæ, devotissimo Fr. HUGONE MENARD, *Benedictino.*

D. HUGONIS MENARDI PRÆFATIO.

AD LIBRUM SACRAMENTORUM.

Pignus æternæ salutis, et amoris sui perpetui, candide lector, corpus et sanguinem suum Christus jam jam moriturus suæ tradidit Ecclesiæ. Se totum quod erat dedit, ut cum toto sanguine totum in nos effunderet amorem. Nec satis duxit se in nostræ redemptionis pretium in ara crucis Patri suo omnipotenti offerre, nisi se quotidie ipse sacerdos et hostia per sacerdotum ministerium offerret, non quidem in uno terræ angulo, sed in universo terræ ambitu juxta Joelis prophetiam, cujus veritas et certitudo quotidiana patet experientia. Siquidem ex quo sacrificium istud institutum est, per universum orbem hæc hostia nunquam destitit immolari; et quamvis diverso ritu, res tamen ipsa ac veritas semper inconcussa permansit. Difficile est enim universum orbem in eosdem ritus et cæremonias conspirare, quamvis ipsa fides rituum diversitate labefactari non possit. Hæc tamen diversitas multis retro sæculis, multis in regionibus ac præsertim occiduis, quæ jam pridem Romanum celebrandæ Missæ ordinem amplexatæ sunt, videtur abrogata. Id olim fuerat in Hispania tentatum. Nam Profuturus Bracarensis pontifex rationem celebrandæ Missæ juxta Romanum ordinem a sede apostolica susceperat, et sub Lucretio ejus successore in concilio Bracarensi primo, quod anno Christi 561 juxta Garsiam, vel 563 juxta Baronium, habitum est, can. 22, decretum fuerat: *Ut eodem ordine Missæ celebrentur, Profuturus, quondam hujus metropolitanæ Ecclesiæ episcopus, ab ipsa apostolicæ sedis auctoritate scriptum suscepit.* Nimirum per totam Galliciam, cujus provinciæ hoc erat concilium: cui tamen postea constitutioni per Missam Mozarabum derogatum est, quæ fuit in usu per totam Hispaniam usque ad tempora Gregorii VII pontificis maximi, qui eam abrogavit, jussitque Hispanos ordinem sequi Missæ Romanæ; Gallia vero suum olim habuit Missæ celebrandæ ritum, donec illo Pipini regis diligentia antiquato, Missæ Romanæ suscepit ordinem, ut clarum est ex epistola Caroli Calvi imperatoris ad clerum Ravennatem: *Nam et usque ad tempora abavi nostri Pipini, Gallicanæ Ecclesiæ aliter quam Romana et Mediolanensis Ecclesia celebrabant.* Quod etiam postea cautum est lib. v Capitul. Caroli et Ludovici impp., cap. 219: *Ut unusquisque presbyter Missam ordine Romano cum sandaliis celebret.* Confirmatque Carolus Calvus, epist. citata: *sed nos sequendam ducimus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.* Et merito quidem, est enim Ecclesia Romana aliarum mater, quam omnes aliæ imitari debent eique subjici. Quamobrem cum Missæ Romanæ dignitatem attentius spectarem, in mentem subiit eam pro virili parte illustrare, maxime vero occasione nacta optimi atque vetustissimi libri Sacramentorum sancti Gregorii papæ, qui vulgo Missale sancti Eligii nuncupatur; insuper ad id impulsus amici cujusdam precibus, qui me obnixe rogavit ut hunc librum in lucem ederem, nec tantum thesaurum cum Christianæ religionis dispendio diutius latere sinerem. Hic igitur liber est bibliothecæ monasterii sancti Petri de Corbeia in extrema Picardia, quem vulgo ferunt fuisse olim sancti Eligii Noviomensis episcopi Missale. Nam in dorso ejusdem Codicis scriptum habetur in hunc modum: *Missale S. Eligii.* Sed illius fuisse pauca quædam quæ in eodem Codice reperiuntur, reclamare videntur, ut festa sancti Projecti, et sancti Leonis II, qui aliquot annis post obitum sancti Eligii floruerunt. Itaque arbitror librum quidem Sacramentorum sancti Gregorii papæ I olim sancto Eligio ab aliquo Romano pontifice fuisse transmissum, sed postea transcriptum, eique paucula quædam addita fuisse, et nomen sancti Eligii ob exemplar ex quo sumptum est retinuisse; aut certe dicendum est ideo librum hunc nuncupari sancti Eligii, quod olim ad monasterium sancti Eligii Noviomi situm pertinuerit, quod tamen, cum id penitus non constet, asserere non ausim. Quidquid sit, tamen certum est Codicem ms. esse vetustissimum. Illius characteres accedunt ad similitudinem alterius libri ms. Sacramentorum, quem olim scripsit quidam presbyter nomine Rodradus, qui vixit anno Domini 853, de quo infra; sed apparent vetustiores cum ipsa libri forma. Accedit ad commendandam illius vetustatem quod in eo pauciora festa sint quam in aliis Sacramentariis, et Ordinibus mss. quæ sunt penes nos, et in excusis ex Codice Vaticani. Nam processu temporis festa et solemnitates accrevisse nemo est qui ignoret. Hæc eadem hujus Codicis vetustas colligi potest ex antiquis scriptoribus. In hoc Codice sancti Eligii sunt quinque Dominicæ Adventus, et quæ remotior est a Natali Christi dicitur quinta, et quæ hanc sequitur appellatur quarta, et sic deinceps. At Amalarius Fortunatus, lib. III de Officiis Ecclesiasticis, cap. 40, testatur hanc esse Dominicarum Adventus rationem in antiquis Missalibus, ut in eis scriptum reperiatur: *Hebdomada quinta ante Natalem Domini.* In eodem Codice sancti Eligii scriptum est, *qui tecum vivit et regnat Deus*, atque hæc verborum series est antiquissimorum exemplarium, ut docet Micrologus, cap. 6, de observationibus ecclesiasticis: *Sciendum est autem in illa usitatissima conclusione, per Dominum nostrum, quod Romanus Ordo et antiquissima exemplaria exponunt, ubi dicitur, qui tecum vivit et regnat Deus*, etc.

Et sane quidam vir doctissimus, qui nuper Vaticanam et illustriores Romæ bibliothecas perlustravit, mihi testatus est se nullum ibi librum Sacramentorum sancti Gregorii vidisse, qui de antiquitate cum hoc sancti Eligii Missali certare possit. Apparet etiam hunc librum fuisse ante Caroli Magni scriptum imperium, cum in

illo nulla sit imperatoris mentio, quam tamen videre est in aliis libris Sacramentorum mss. qui sunt penes nos, de quibus statim agendum erit.

Libri auctoritatem et dignitatem hæc verba commendant : *Ex authentico libro bibliothecæ cubiculi scriptus.* Quæ etiam habentur in libro Sacramentorum ejusdem sancti Gregorii, qui sub Clemente VIII pontifice maximo ex bibliotheca Vaticana prælo subjectus est cura et studio R. et doctissimi P. Angeli a Rocca papæ sacristæ ; nam significant hunc Codicem exscriptum fuisse ex libro qui servabatur olim in aliquo cubiculo, seu secretario basilicæ sanctorum apostolorum Petri et Pauli cum aliis sacris libris, quibus Romanus pontifex ad divina utebatur officia.

Hunc igitur librum notis et observationibus illustravimus, ad quod præstandum hæc præcipua nobis fuerunt adminicula, et in primis optimi alii libri Sacramentorum mss. quorum primus est ex bibliotheca insignis monasterii sancti Remigii Rhemensis scriptus a quodam Lantberto sacerdote et solitario, jussu cujusdam Gaudelgaudi presbyteri, monachi, et decani, ut ipse Lantbertus in suo prologo docet, quem hic scripsissem, nisi crebra solœca, quibus scatet, obstitissent. Illi in nostris observationibus nomen Codicis Rhemensis attribuimus. In altera Codicis pagina e regione prologi apparet effigies ipsius Godelgaudi induti casula ad normam antiquam efficta, medio capite raso, mento orbiculariter attonso ac veluti raso, sinistra librum clausum tenente, cum hac circa caput inscriptione GAUDELGAUDUS PRESBYTER. In adversa pagina stat (1) effigies sancti Gregorii papæ cum casula et tonsura ejusdem formæ ac ipsius Gaudelgaudi, et dalmatica manicis longis, et latis satis juxta antiquam formam, et pallio archiepiscopali albo sine crucibus, sinistra tenens librum ; habetque hanc circa caput inscriptionem, CKC ΓΡΕΓΩΡΙΟϹ ΠΑΠΑ, id est, *Sanctus Gregorius Papa.* In sequenti pagina stat effigies sancti Remigii Rhemorum episcopi, eadem tonsura, pallio et habitu cum sancto Gregorio tenens etiam librum manu sinistra, cum hac circa caput inscriptione CKC PEMIΓΙΟϹ EPK. OPB. PEMP., id est, *Sanctus Remigius Episcopus urbis Rhemorum.* In fine prologi dicit se hoc opus incœpisse XI cal. April., indictione sexta, et colophonem imposuisse X cal. Aug., indictione octava, anno XXXI. REGNI DOMNI NRI. CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS FRANCORUM. Sed cum ejusmodi indictiones non possint convenire Carolo Calvo, et Carolo Simplici, puto librum hunc scriptum fuisse tempore Caroli Magni. Nam indictio sexta, qua hic liber incœptus est, incidit in annum tricesimum primum regni Caroli Magni, qui regnum iniit anno septingentesimo sexagesimo octavo, ut manifestum est ex Eginhardo, et ex ejusdem Caroli Vita apud Pithœum ; ita ut scriptor hujus libri videatur usus hyperbato, ut annus tricesimus primus Caroli Magni referendus sit ad indictionem sextam qua liber inchoatus, non ad octavam qua perfectus est. In fine hujus Codicis duæ sunt imagines habitu sacerdotali depictæ sine inscriptione, quæ videntur esse hujus Lantberti scriptoris, et sequens pagella litteris Græcis exarata est, non Græcum tamen, sed Latinum discursum complectens inconditum valde, et solœcis confertum. In ipsa narratione profitetur se esse scriptorem et pictorem hujus Codicis, incœpisse anno 29, et absolvisse 31 regni Caroli Francorum regis iisdem calendis ut supra, indictionibus suppressis ; postea agit de scribendi difficultate, tandem poscit lectoris preces. Ibi semper ponit litteram O pro V, ut supra in effigie sancti Remigii dixit, ORBIS, pro URBIS. Tandem in adversa pagina, quæ est ultima libri, hæc verba reperire est : *Liber S. Remigii Remorum Pontificis a fratribus ejusdem loci fruitur usque hodie. Hincmarus Abbas.*

Secundus Codex (2) ms. Rodradi presbyteri dicitur, qui fuit illius scriptor, bibliothecæ supra dicti monasterii sancti Petri de Corbeia. Floruit anno Christi 853, nam in sua præfatione dicit se fuisse ordinatum sacerdotem eodem anno ab Hilmerado episcopo. Hic autem Hilmeradus episcopus fuit Ambianensis, ut videre est in conciliis Turonensi IV, anno 849, Suessionensi II anno 853, et Vermeriensi eodem anno celebratis, quibus interfuit. Quæ ut clariora sint, producemus duas ejusdem Codicis præfatiunculas, priorem prosa, alteram metro in hunc modum :

Ego Rodradus misericordia Dei indigens, victus Hilmeradi antistitis jussionibus, vinctusque episcopalis auctoritatis excommunicationibus IIII. nonas Martiis Sacerdotalis ministerii trepidus suscepi officium, anno Incarnationis Dominicæ DCCCLIII. indictione I. Epacta VII. concurrente VII. termino Paschali. IIII. Kal. Apr. Quicumque hanc ordinationis meæ adnotatiunculam legeris, et per hunc codicem Dominici Corporis consecrationem recitaveris, tuis quæso precibus adjutus, dicatum Christo exhibere Sacerdotium, et supernæ visionis consequi bravium merear.

Altera præfatiuncula, quæ metrica est, ita se habet :

Hunc ego Hrodradus Sanctorum indignus alumnus
Composui librum Christi sub honore dicandum,
Officiis sacris agni dum victima digni
Religione pia sacram mactatur ad aram.
Qui licet indignus meritorum dote bonorum
Destituar, noxæ nimio sub pondere vilis,
Saltem hujus studii donet pietate placere
Altithrono Regi, ferimus quo judice cuncti
Pro merito nostro mercedis præmia dignæ.
Te quoque suppliciter, Christi benedicte Sacerdos,
Codicis istius frueris qui forsitan usu,
Inter sacrorum solemnia sis memor ipse
Posco mei, precibusque Deum mihi conciliato,
Obsequio cujus cœlestia munera libas.

Hic liber potissimum in duas partes dividitur. In prima continentur ea quæ ipse Rodradus existimat tantum fuisse a sancto Gregorio collecta, exceptis nonnullis quæ dicit se ad distinctionem virgulis jugulasse, in altera comprehendit ea quæ, a sancto Gregorio prætermissa, ait ipse Rodradus se ex iis quæ *a probatissimis et eruditissimis magna diligentia exarata sunt viris collegisse*, adjectis præfationibus et Benedictionibus episcopalibus ; necnon et illud quod in præfato opere beati Gregorii ad gradus inferiores in Ecclesia constituendos non habetur, ita enim ipse loquitur in sua præfatione post primam libri sui partem : *Huc usque præcedens Sacramentorum libellus a beato Gregorio constat esse editus, exceptis his quæ in eodem in quadragesima virgulis ante positis lectoris invenerit jugulata, solertia. Nam sicut quorumdam relatu didicimus, domnus apostolicus in eisdem diebus a stationibus penitus vacat, eo quod cæteris septimanæ feriis stationibus vacando fatigatur; eisdem requiescit diebus, ob id scilicet, ut tumultuatione populari carens, et eleemosynas pauperibus distribuere, et negotia exteriora liberius valeat disponere. Missam vero præstitutam in natale ejusdem beati Gregorii virgulis ante positis jugulatam a successoribus ejus causa amoris, imo venerationis suæ eidem operi non dubium est esse interpositam*, etc., ut apud Pamelium, qui eamdem præfationem refert sub nomine Grimoldi abbatis, etiam post priorem illam partem quam Rodradus dicit esse sancti Gregorii. Hanc præfationem excipit series capitulorum secundæ partis, quæ apud Pamelium eadem prorsus est, ita ut hic liber ita distributus duos sibi vendicet auctores, Rodradum sacerdotem, et Grimoldum abbatem. Nec tamen controversia magna est. Nam

(1) Has effigies habes col. 559. et 560. Gaudelgaudi vero effigiem exhibet Mabill. in Annal. Benedict, tom. II, pag. 153.

(2) Specimen scripturæ hujus codicis, vide lib. de Re diplom., p. 363, tom. II.

quamvis sit eadem utriusque libri methodus, et unus ab altero præfationem emendicarit, non minimum tamen intercedit inter utrumque discrimen. Primo, ut missas faciam Orationes seu Collectas in quibus aliquando Rodradi, et Grimoldi libri inter se dissident, in prima parte Rodradi Codicis exarata reperies quæ spectant ad superiores ordines constituendos, exceptis quibusdam rubricis, quorum nulla est mentio in toto Codice Grimoldi. Secundo in secunda parte Rodradi habentur ea omnia quæ spectant ad inferiores ordines conferendos cum eorum rubricis; sed nihil horum simile reperire est in Codice Grimoldi, etsi in ejus præfatione hæc verba legere sit : *Necnon et illud quod in præfato Codice beati Gregorii ad gradus inferiores in Ecclesia constituendos non habetur*. Tertio in Codice Rodradi, in Sabbato sancto describuntur ritus qui baptismum præcedunt, sed contractius quam in Codice Grimoldi, cæteris in secundam partem rejectis, quibusdam tamen sub finem prætermissis. Quarto sub finem primæ partis Codicis Rodradi continetur baptismus infirmorum, et nonnulla alia quæ in Codice Grimoldi abbatis desiderantur. Quinto Benedictiones episcopales in secunda parte Rodradi sunt fere in omnibus festis sanctorum; in Dominicis vero habentur duntaxat usque ad diem Pentecostes inclusive; at in Codice Grimoldi, in Dominicis exstant benedictiones episcopales usque ad Dominicam undecimam post Pentecosten inclusive; in solemnitatibus vero sanctorum pauciores, videlicet de sancta Cruce, in natali sancti Joannis Baptistæ, in natali apostolorum Petri et Pauli, in nativitate sanctæ Mariæ, in martyrio sancti Joannis Baptistæ, et in commemoratione omnium Sanctorum. Sexto, in secunda parte Rodradi habentur præfationes quæ absunt a Codice Grimoldi, etsi in sua præfatione illarum mentionem faciat. Pamelius tamen, qui primus hunc Grimoldi librum in lucem edidit, multas subjunxit præfationes ex libro Sacramentorum Alcuini. Tandem in Codice Rodradi secundæ parti subjiciuntur appendicis instar multæ Missæ cum apologiis, et ratione conferendi extremam unctionem, quæ neutiquam exstant in Codice Grimoldi. Ex his omnibus facile colligitur Rodradi librum alium esse a Grimoldi Codice, et hos auctores seorsim scripsisse, et collegisse suum Sacramentorum librum. Quis autem fuerit hic Grimoldus abbas non satis constat. In Vita sancti Notkeri Balbuli apud Henricium Canisium, tom. VI antiquæ lectionis, mentio fit Grimaldi cujusdam, qui fuit abbas canonicus celeberrimi cœnobii sancti Galli, et archicapellanus Ludovici Pii imperatoris, sed an hic idem sit cum Grimoldo quærendum est. Verum, ut ad eumdem Rodradi librum nostra revertatur oratio, si fidem habemus Micrologo, similem librum contexuisse videtur Magister Albinus, qui vulgo Alcuinus dicitur. Sic enim ait cap. 6, de Ecclesiasticis Observationibus : *Fecit tamen idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus. Nam Gregorianas Orationes in libris Sacramentorum collegisse asseritur paucis aliis adjectis, quas tamen sub obelo notandas esse indicavit; deinde alias Orationes, sive Præfationes, etsi non Gregorianas, ecclesiasticæ tamen celebritati idoneas collegit, sicut prologus testatur, quem post Gregorianas Orationes in medio ejusdem libri collocavit.* Quæ sane verba indicant Albinum scripsisse librum Sacramentorum similem Rodradi et Grimoldi Codicibus. Nam utriusque Codicis supra notata præfatio est in medio operis inter primam et secundam partem. Nec potest esse error librarii, ut vult Pamelius, qui scripserit *Albinus* pro *Grimoldus*. Nam cum videamus Rodradi librum diversum esse a Codice Grimoldi, fieri potest ut suum etiam Albinus concinnarit. Sed miror cur hæc distinctio, seu divisio officiorum et Missarum his auctoribus in mentem venerit, ut una pars, paucis quibusdam exceptis, videatur esse sancti Gregorii papæ, altera vero minime. Siquidem in Vita sancti Gregorii a Joanne Diacono scripta, cum agit de Sacramentorum libro collecto a sancto Gregorio, dicitur simpliciter : *Sed et Gelasinum Codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens in unius libelli volumine coarctavit.* Idem profert Walfridus Strabo, lib. de Rebus ecclesiasticis, cap. 22. Neque est simile vero Gelasianum Codicem, etsi in quibusdam correctione indigeret, fuisse adeo mutilum, ut Missas quæ per totius anni curriculum dicendæ erant non complecteretur. Quod etsi concederetur, non credibile est sanctum Gregorium, qui Gelasianum librum recensuit, nonnullis detractis, quibusdam vero aliis adjectis, librum Missarum quæ per totius anni circulum dicuntur, adeo mutilum reliquisse, ut major pars Dominicarum, seu Missarum quæ in Dominicis dici debeant, in eo desideretur. Nam juxta doctrinam supra citatorum scriptorum in hoc Gregorii Codice Missæ dominicales, quæ interjectæ sunt a Nativitate Domini usque ad Adventum, exceptis Septuagesimæ, Sexagesimæ, et Quinquagesimæ, Paschæ et illius octavæ, et Pentecostes, non sunt sancti Gregorii, quod dicere absurdum est. Nam incredibile est in illis Dominicis tempore Gelasii et sancti Gregorii nullas Missas celebrari solitas; quod si celebrarentur, detur ratio quare non essent in Codicibus Gelasii et sancti Gregorii descriptæ. Nostram opinionem confirmat inscriptio libri Sacramentorum tam in editis quam in Codicibus nostris manuscriptis, imo in ipsis Codicibus Rodradi, et Grimoldi, quæ est ejusmodi : *Incipit liber Sacramentorum de circulo anni expositus a sancto Gregorio papa, qualiter Missa Romana celebratur.* Cujus tituli veritas stare non potest cum adversariorum opinione, cum in eorum Codicibus major pars Missarum dominicalium desit. Nostram opinionem suadent Codices manuscripti sancti Eligii et Remensis, antiquiores ipsis Rodradi et Grimoldi voluminibus qui ejusmodi codicis Gregoriani separationem non admittunt. Confirmat Codex manuscriptus Ratoldi, abbatis, de quo statim agendum est, etsi posterior sit Codicibus Rodradi et forsan Grimoldi, qui ejusmodi divisionem non agnoscit, quemadmodum nec liber Sacramentorum tempore Clementis VIII, ex bibliotheca Vaticana editus.

Tertius liber (1) Sacramentorum manuscriptus quo usi sumus est etiam bibliothecæ Corbeiensis, quem nomine Ratoldi abbatis indigitamus, quod ejus jussu scriptus sit, ut clarum est ex calendario ejusdem libri, in quo Idibus Martiis hic distichus reperitur :

Abbatis domni stat mentio sancta Ratoldi
Istum qui fecit scribere quippe librum.

Ratoldus autem fuit abbas Corbeiensis vigesimus sextus, qui et mortem obiit anno Domini nongentesimo octogesimo sexto, Idibus Martiis, ex quo apparet hunc librum scriptum fuisse ante hunc annum. Hic Codex optimus est, et correctissimus, plures habet cæremonias, dies festos, Benedictiones episcopales, et Præfationes, quam alii, quia recentior est.

Ad hos Codices accessit liber manuscriptus bibliothecæ Tilianæ, qui est Ordo Romanus, cujus mihi copiam fecit vir clarissimus Joannes Tilius. Sunt tamen quædam in eo quæ in Ordine Romano non exstant; ut in Ordine Romano quædam reperire est quæ in hoc Codice Tiliano desiderantur. Hic liber initio caret, priore quaternione avulso. Videtur olim fuisse Ecclesiæ Sagiensis in Normannia sub metropoli Rothomagensi. Nam in eo Codice ubi agitur de ordinibus, hæc habentur : *Salariensis Ecclesia atque episcopalis auctoritas tibi concedunt, etc.* Salariensis enim Ecclesia et Sagiensis idem sunt, et Sagium dictum fuit etiam Salarium, ut clarum est ex Orderico Vitali, qui libro VIII Hist. eccl. Serlonem antea abbatem monasterii sancti Ebrulphi ubi nominavit episcopum Sagiensem, lib. XII ejusdem Historiæ in Epitaphio Rogeri, qui successit Serloni in abbatiam sancti Ebrulphi, ait:

(1) Specimen scripturæ hujus libri habes in lib. de Re Diplom., p. 367.

Præsule jam facto Serlone Salaribus, iste
Cœnobii sancti regimen suscepit Ebrulphi.

Et infra : *Eodem mense venerandus Serlo postquam Salariensem* XXXII *annis rexit Ecclesiam*, etc. Adde quod in hoc Codice Tiliano passim habetur celebris memoria sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, et in commemoratione Sanctorum, post Orationem Dominicam his verbis, *Atque Andrea*, subjungitur : *necnon beatis martyribus tuis Gervasio et Protasio.* Quod quidem factum est quod Ecclesia Sagiensis dedicata sit sub titulo sanctorum martyrum Gervasii et Protasii, ut planum est ex Orderico Vitali, libro citato, et Guillelmo Gemeticensi, lib. VII Histor., cap. 13 et 15. Sub finem hujus Codicis est successio Romanorum Pontificum, quæ desinit in Sergio tertio. Sequitur Chronicon ab ortu mundi in cujus fine hæc habentur : *Et a Carlo, et Carlomanno usque ad Carlum anni quatuor, et deinde domnus Carlus solus regnum suscepit, et Deo protegente gubernat, usque in præsentem annum feliciter, qui est regni ejus quadragesimus secundus. Sunt autem totius summæ ab origine mundi, usque ad præsentem annum* IVMDCCLXI. In eodem Codice series habetur regum Francorum, in cujus fine hæc scripta sunt : *Mortuo Roberto rege Henricus filius ejus, adhuc juvenculus, multas insidias et calamitates perpessus est a principibus regni ; auxilio Dei munitus, omnes inimicos suos subjugavit suæ servituti.* Ex quibus planum est hunc Codicem scriptum fuisse, Henrico illo, qui primus appellatur, in Francia regnante, qui regnum iniit anno Domini 1032, juxta Sigibertum in Chronico, quod etiam videtur forma characterum hujus libri suadere.

Usi etiam sumus ordine Romano vetustissimo manuscripto bibliothecæ Corbeiensis; sed quia magna ex parte lacer est, pauca ex illo haurire potuimus.

Non mihi etiam parum profuit Ordo quidam manuscriptus bibliothecæ monasterii sancti Germani a Pratis prope Lutetiam Parisiorum siti, in quo præsentem lucubratiunculam, Deo juvante, composui. Codex satis antiquus videtur, et scriptus ante quingentos annos : ad cujus calcem est ordo ungendi infirmi, sed scripturæ a toto opere discrepantis, nec adeo vetustæ, siquidem trecentos annos vix superare videtur, sequiturque usum extremæ unctionis recentiorem, habetque formam deprecatoriam, hodiernæque similem, non indicativam, quam vetustiores Codices manuscripti agnoscunt.

Insuper collectanea quædam misit ad me vir doctissimus Joannes le Prevost, canonicus et bibliothecarius insignis Ecclesiæ Rothomagensis, ex duobus antiquis Sacramentariis seu Pontificalibus manuscriptis, quæ in ejusdem Ecclesiæ secretario asservantur; quorum alterum videtur esse Anglicanum, ut ipse opinatur, idque patet ex sanctis Anglicanis, qui passim in hoc libro nominantur, et ex coronatione regum Angliæ, quæ in hoc Codice exstat. Alterum videtur fuisse olim Ecclesiæ Rhemensis, quia in litania coronationis regum, quæ illic habetur, hi sancti Ecclesiæ Rhemensis nominantur : Nicasius, Remigius, Sixtus, Sinicius, et Rigobertus.

Usus sum etiam Codice manuscripto mihi tradito ex bibliotheca monasterii sancti Remigii, Rhemis fundati, scripto circiter annum Christi millesimum, in quo præter alia multa quæ ad nostrum propositum minime spectant duo sunt ordines, alter ad dandam pœnitentiam, alter ad visitandum infirmum, qui mihi ad hæc duo sacramenta illustranda non mediocrem lucem attulerunt.

Non mihi etiam parum contulit opis Martyrologium sancti Hieronymi ms. ex bibliotheca Corbeiensi, quod quidem, ut libere dicam quid de eo sentiam, non videtur purum, cum in eo multa sanctorum, qui post sanctum Hieronymum vixerunt, nomina adjecta videantur ab ipso scriptore, qui sane fuit monachus Corbeiensis. Siquidem ibi notatur translatio sancti Præcordii, cujus corpus in dicto monasterio servatur, obitus Theofredi primi abbatis Corbeiensis, obitus Ratoldi abbatis ejusdem cœnobii, dedicatio ecclesiæ ejusdem loci, et nonnullorum sacellorum, quæ adhuc Corbeiæ visuntur. Codex tamen antiquus est, et videtur scriptus ante annos sexcentos. Huic accesserunt cætera quædam Martyrologia et Kalendaria manuscripta quæ nobis etiam in hoc opere præluxerunt.

Non est hic omittendus (1) Ordo Romanus jampridem typis mandatus, quem etiam diligenter contulimus cum Codice sancti Eligii. Honorius Augustodunensis, lib. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, Ordinis Romani auctorem facit Bernoldum quemdam Ecclesiæ Constantiensis presbyterum, qui floruit sub Henrico IV imperatore ; ita enim ait : *Bernoldus Constantiensis Ecclesiæ presbyter Ordinem Romanum sub quarto Henrico composuit.* Quod tamen non videtur usquequaque verum. Siquidem hic Ordo Romanus est antiquior ipso Bernoldo, et Henrico quarto imperatore. Etenim Ordo Romanus citatur in libro Sacramentorum manuscripto Ratoldi abbatis, de quo supra egimus, in feria quinta in Cœna Domini, ubi agitur de pœnitentium reconciliatione, in hæc verba : *Faciatque sermonem tam populis quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus.* Hic autem liber scriptus est ante annum 986 nondum nato Bernoldo. Mentionem etiam illius facit Isaac Lingonensis episcopus, can. 35, qui floruit tempore Caroli Calvi imperatoris, longe ante Bernoldum natum : *Et ibi*, inquit, *ab episcopo canonice et ordinabiliter, sicut in Sacramentario, et Romano Ordine continetur, reconcilientur.* Citatur etiam ab Amalario, qui floruit tempore Ludovici Pii imperatoris, lib. I de Officiis Eccles., cap. 12 : *Restat unum in Ordine Romano, ubi præcipitur adhuc ut a feria quinta, usque in Sabbato sancto nuda sint altaria.* Quod exstat in Ordine Romano, feria quinta in Cœna Domini : *A vespera autem hujus diei nuda sint altaria usque in mane Sabbati.* Quare non proprie dici potest hic Bernoldus auctor Ordinis Romani, sed tantum instaurator, qui illum recognovit quibusdam detractis et additis juxta usum quem in Ecclesia suo tempore videbat. Quod satis credibile est, cum ille Ordo Romanus, qui jampridem typis editus est, purus non sit, quia in multis ab antiquis Sacramentorum libris deficit. Imo ipse liber in ordine Sabbati sancti sub finem ordinationis Missæ citat Ordinem Romanum, et ab illius ritu recedit. *Deinde*, inquit, *dicit diaconus, Ite missa est, secundum Romanum Ordinem, sed usus Ecclesiæ non vult hoc propter Vesperos. In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante missam, neque post missam. Apud nos autem unus de schola, cui jussum fuerit, pro Antiphona incipit* Alleluia *ad Vesperam ; et dum communicaverint, cantatur pro vespera festinanter psalmus* Laudate Dominum, omnes gentes, *etc.*, secundum hodiernum usum, qui postea invaluit etiam in Ecclesia Romana.

Hunc etiam Codicem sancti Eligii diligenter contuli cum edito Sacramentorum libro qui tempore Clementis VIII exiit ex bibliotheca Vaticana; sed non minimum discrimen inter utrumque reperi, licet in multis conveniant. Nam Codex manuscriptus bibliothecæ Vaticanæ, unde editus transcriptus est, non videtur esse adeo antiquus, cum nonnulla complectatur quæ antiquitatem non redoleant, ut plurima festa quæ longo post tempore in usu fuere, nullasque in eo Benedictiones episcopales reperire est, quæ tamen adhuc usitatæ erant tempore Honorii Augustodunensis auctoris libri qui inscribitur *Gemma animæ*, in quo earum ratio et methodus describitur, qui vixit anno 1120, juxta Trithemium, imo adhuc in quibusdam Ecclesiis ce-

(1) De Ordine Romano lege commentarium prævium in ipsum D. Mabill. tom. II Musei Italici.

lebrantur. Quod tamen miror, quia in ejusmodi Edito ex Vaticano, in festo sancti Pauli scriptum habetur : *Præfatio et Benedictio quæ superius*, ut in Codice sancti Eligii. Unde fit ut credam Codicem illum manuscriptum descriptum quidem fuisse ex alio antiquissimo exemplari, sed quædam partim detracta fuisse, partim addita ab exscriptore, prout videbat ille usui temporis sui convenire. Qui expunxit festum sanctæ Mariæ ad Martyres, quod sua ætate abrogatum erat. Nam cum ipse ponat festum omnium Sanctorum, quod diu post festum sanctæ Mariæ ad Martyres institutum est, signum est eum non vixisse ante hujusmodi festi institutionem, sed post illius abrogationem, cum festum omnium Sanctorum duntaxat celebraretur, quod constat ex omnibus nostris Sacramentariis manuscriptis diu celebratum fuisse vigente adhuc festo sanctæ Mariæ ad Martyres. Quamvis autem quædam desint in Codice sancti Eligii, quæ habentur in excuso Sacramentario ex bibliotheca Vaticana, est tamen eo locupletior, ut dixi in libri programmate, longe enim plura quam ille continet et antiquioris notæ.

Præterea illa quæ in his tribus Sacramentariis manuscriptis Rodradi, Rhemensis et Ratoldi notatu digniora erant, maxime quoad Sacramentorum rationem et festorum celebritatem, in nostris observationibus annotavi, illustravi et explicavi, quæque rariora erant in Codice Tiliano in easdem transtuli diligenter cum Codice sancti Eligii collata. Quæ sunt in appendice, ex nostris observationibus detracta, ad libri calcem sub appendicis titulo rejeci, ne in illis veluti sepulta jacerent. Sic autem in his observationibus me gessi, ut illa quæ sunt hodierni usus, quantum in me situm fuit, ad antiquos Ecclesiæ ritus revocarem, ab eorum tamen mente alienus, qui omnes ecclesiasticas institutiones et ritus, atque etiam recentiores ad apostolorum tempora omnibus remis et velis, ut aiunt, referre contendunt, quo nihil absurdius esse semper judicavi. Nam ejusmodi homines antiquorum Patrum et conciliorum verbis ac sententiis vim inferre non dubitant, modo suis nugis in officina cerebri sui cusis colorem aliquem et fucum tribuere possint; non eorum mentem sequi, sed eam ad sincipitis sui nebulas pertrahere cupientes, non sine gravi antiquitatis ecclesiasticæ, et veritatis dispendio; non advertentes omnes traditiones ecclesiasticas non fuisse ubique temporum et locorum easdem : ac proinde omnia confundunt, et pessundant; et in hoc se belle putant Ecclesiæ auctoritati consulere, cum eam hac ratione scribendi penitus convellant. Nemo est enim adeo ab omni judicio aversus, qui nesciat concilia, episcopos, summos pontifices, quos Deus posuit mysteriorum suorum dispensatores, posse vetera quædam abrogare, et nova statuere, prout, sancti Spiritus impulsu ducti, ecclesiasticæ utilitati ac dignitati ea conducere providerint.

Tandem ritus et cæremonias utriusque Ecclesiæ, Latinæ et Græcæ, studiose inter se contuli, in quo convenirent ac discreparent, quantum in me fuit, diligentius annotavi.

Ne quis autem offendatur quod dixerim mundum plenum esse vagis sacerdotibus, profiteor id me non intelligere de honestis sacerdotibus, qui aut certas sedes habent, aut in Ecclesiis et parochiis resident, sed de his duntaxat qui per civitates vagantur, ἀπειρόκαλοι, sacerdotio prorsus indigni.

Neminem etiam lædere debet illud quod annotavi ad quemdam extremæ unctionis ritum, in quo, altero ungente, alter verba pronuntiat, cum dixi hoc favere eorum opinioni qui dicunt hunc valere baptismum, si uno infundente aquam, aut mergente, alter verba proferat. Non enim hoc ideo protuli, quasi in ea sim sententia, quam vulgo repudiari non ignoro.

Hæc te monitum volebam, candide lector. Si quid est in his meis lucubratiunculis quod tibi sapiat, utere libenter; si quid nævi ac maculæ repereris, æquus ac benevolus excusa.

DE LIBRO SACRAMENTORUM INSIGNE TESTIMONIUM.

(Ex Petri Lambecii tomo secundo bibliothecæ Cæsareæ, cap. 5, pag. 298, num. 14.)

Secundus augustissimæ bibliothecæ Cæsareæ Codex ad vitam et res gestas imperat. Caroli Magni pertinens est inter mss. Codices theologicos Latinos 360, et continet præcipue sancti Gregorii Magni papæ I librum Sacramentorum. Idcirco autem dixi eum codicem ad historiam vitæ Caroli Magni pertinere, quia hic est ille ipse quem summus pontifex Adrianus I Carolo Magno, ad petitionem ipsius, dono misit, ut videre est ex epistola 82 collectionis epistolarum veterum studio et cura ipsius Caroli Magni adornatæ; quippe ubi papa Adrianus istius Codicis mentionem facit his verbis : De sacramentario a sancto prædecessore nostro Deifluo Gregorio papa disposito, jampridem Paulus Grammaticus a nobis eum pro vobis petiit, et secundum sanctæ nostræ Ecclesiæ traditionem per Joannem monachum atque abbatem civitatis Ravennatium vestræ regali emisimus excellentiæ; quatenus optantes pro vestra regali invictissima excellentia eumdem Dei apostolum vestrumque protectorem, poscentes quæsumus ut semper ubique vos comitans victores super omnes barbaras nationes efficiat, et una cum domna spirituali filia nostra excellentissima regina, vestræque prosapiæ nobilissima prole, longiori ævo in hoc regnantes mundo, in vitam æternam cum sanctis omnibus regnare sine fine ejus interventionibus faciat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat. *Huc usque clausula epistolæ papæ Adriani I, in qua libri Sacramentorum sancti Gregorii Magni ad Carolum Magnum transmissi fit mentio. Titulus autem ejusdem libri in ipso Codice ms. ita se habet :*

IN NOMINE. DÑI.
INCIPIT. LIBER. SA
CRAMENTORUM. DE
CIRCULO. ANNI. EXPO
SITUS. A STO. GREGO
RIO. PAPA. ROMANO.
EDITUS. EX AUTHENTI
CO. LIBRO. BIBLIOTHECÆ.
CUBICULI. SCRIPTUS.

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

LIBER SACRAMENTORUM.

IN NOMINE DOMINI.

(1*) Hic liber (2) Sacramentorum [a] de circulo anni [b] expositus, a sancto Gregorio papa Romano editus, (3) ex authentico libro bibliothecæ [c] Cubiculi scriptus, qualiter (4) Missa Romana celebratur, hoc est :

1 *In primis* (5) *ad introitum Antiphona, qualis fuerit statutis temporibus, sive diebus festis, seu quotidianis.*

(6) *Deinde*, Kyrie eleison.

Item dicitur, (7) Gloria in excelsis Deo. (8) *Si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis.* (9) *A presbyteris autem minime dicitur, nisi solo in Pascha.* [d] *Quando vero litania agitur, neque* Gloria in excelsis Deo, *neque* Alleluia *canitur.*

(10) *Postmodum dicitur Oratio; deinde sequitur* (11) *Apostolus.*

(12) *Item Graduale, seu* Alleluia.

Postmodum legitur (13) *Evangelium, deinde* (14) *Offertorium, et dicitur Oratio super oblata.*

Qua completa, dicit sacerdos excelsa voce : Per omnia sæcula sæculorum. ℟ Amen. *Dicit :* Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. *Dicit :* (15) Sursum corda. ℟ (16) Habemus ad Dominum. *Dicit :* 2 (17) Gratias agamus Domino Deo nostro. ℟ Dignum (18) et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper (19) et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam (20) laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates : cœli, cœlorumque virtutes, ac beata seraphim socia exsultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes : (21) Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua, osanna in excelsis. (22) Benedictus, qui venit in nomine Domini, (23) Osanna in excelsis [e].

Te (24) igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, (25) supplices rogamus, et petimus, uti accepta habeas et benedicas (26) hæc [f] dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia (27) illibata : in primis (28) quæ tibi offerimus 3 pro (29) Ecclesia tua sancta catholica, quam (30) pacificare, custodire, (31) adunare, et regere digneris (32) toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro *Ill.*, et (33) rege nostro *Ill.*, (34) et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum *Ill.* et *Ill.*, et omnium (35) circumastantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio : (36) qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, et incolumitatis suæ, tibi reddunt (37) vota sua, æterno Deo, vivo et vero [g].

(38) Communicantes, et memoriam (39) venerantes, in primis gloriosæ semper virginis Mariæ genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi. Sed et beatorum apostolorum ac martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et (40) Taddei, Lini, Cleti, Clementis, (41) Syxti, Cornelii,

[a] Per sacramenta intelliguntur vel omnia novæ legis sacramenta ; quo sensu theologi *de Sacramentis* tractatum edunt ; vel tria potissimum sacramenta, quæ simul accipiebantur olim, scilicet baptismus, confirmatio, et Eucharistia ; de quibus scripti libri sex *de Sacramentis*, inter Ambrosii opera, tom. II novæ Edit. ; vel solum Eucharistiæ sacramentum, quod plurali numero, in singulis fere Missis designatur, tum propter duplicem panis et vini materiam, tum propter corpus et sanguinem Christi quæ continet. Vide notam 2 Menardi.

[b] In 2 Theod. et in Val. Cl. hic titulus legitur : *Incipit liber Sacramentorum de circulo anni a sancto Gregorio papa Romano editus.*

[c] Vide notam 3 Menardi, cui addere liceat quod legitur de sancto Leone I in Rom. Pontificali : *Hic etiam constituit et addidit super sepulcra apostolorum.... custodes qui dicuntur cubicularii.*

[d] Litania ad luctum pertinet. Hinc Gregorius arguit Joannem episc. Ravennatem, quod in litaniis, hoc est, *cineris et cilicii tempore*, pallium pompatice deferret. Vide lib. III, al. II, ind. 11, epist. olim 54, nunc 56. Eadem fuit ratio cur in litania ab hymno *Gloria in excelsis Deo* abstineretur, et ab *Alleluia*.

[e] In priori Theoder. ante *Te igitur*, etc., exstant plures Orationes : unam tantum retulimus post notam 23 Menardi.

[f] In Mss. Theoder. et Gemet. hoc modo tres signantur cruces, ad hæc verba : *hæc dona* † *hæc munera* † *hæc sancta* † *sacrificia illibata.*

[g] In 2 Theod. : *Memento.... omniumque propinquorum meorum, et quorum eleemosynas suscepimus, seu qui mihi confessi sunt, necnon et quorum nomina super sanctum altare tuum scripta habentur.*

* Numeris inter parentheses inclusis revocatur lector ad notas D. Hugonis Menardi ad calcem libri Sacramentorum amandatas. Edit.

Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, (42) Hilarii, Martini, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, et omnium sanctorum tuorum, (43) quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Christum Dominum nostrum.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias : (44) diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos (45) eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, (46) benedictam, (47) ascriptam, (48) ratam, (49) rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis cor†pus, et san†guis fiat dilectissimi filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi.

(50) Qui, pridie quam pateretur, (51) accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, (52) elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, bene†dixit, fregit, (53) dedit discipulis suis, dicens : Accipite, et manducate (54) ex hoc omnes : (55) Hoc EST ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo, postea quam cœnatum est, accipiens et (56) hunc (57) præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens, bene†dixit, (58) dedit discipulis suis, dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes : (59) HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, (60) MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.

(61) Unde et memores sumus, Domine, nos tui servi, sed et plebs tua sancta, Christi Filii tui Dei nostri, tam beatæ passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis. Offerimus præclaræ Majestati tuæ (62) de tuis donis, ac datis, (63) Hostiam †puram, Hostiam ✠† sanctam, Hostiam † (64) immaculatam, Panem † sanctum vitæ æternæ, et calicem † salutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, (65) sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit (66) summus sacerdos tuus Melchisedech [a] sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, (67) jube hæc perferri per manus angeli tui in (68) sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ, ut, quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui † corpus, et † sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti, et gratia repleamur. Per Christum Dominum nostrum.

(69) *Super diptycha.* — (70) Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum *Ill.* qui nos præcesserunt cum signo fidei, (71) et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et (72) omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. [b] Per eumdem.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis sanctis apostolis, et martyribus, (73) cum Joanne, (74) Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, (75) Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, (76) Agathe, [c] Lucia, (77) Agne, Cæcilia, Anastasia, (78) [d] et cum omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium, non æstimator (79) meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem hæc (80) omnia, Domine, semper bona creas, (81) sancti†ficas, (82) vivi†ficas, bene†dicis, et præstas nobis. Per [e] ip†sum, et cum † ipso, et in † ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. — (83) Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere :

(84) Pater noster, qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem. ℟ Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, et (85) beatis apostolis tuis, Petro, et Paulo, atque (86) Andrea, necnon et beato (87) Stephano protomartyre tuo, [f] et omnibus sanctis, da propitius pacem diebus nostris, ut, ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per Dominum.

℣ Pax Domini sit semper vobiscum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

(88) Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis [g].

[a] Ex lib. Pontific., in Vita sancti Leonis I, quæ tom. III Concil. inseritur, col. 1290 et seq., sanctus Leo *constituit ut intra actionem sacrificii diceretur, sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam.*

[b] In Cod. Pamel. et Reginæ Suec., *per Christum Dom. nost.*

[c] Pamel., *Agatha*, ut in aliis Editis.

[d] In Gemet. hic inseruntur nomina sanctarum Ætheldrythæ et Gertrudis.

[e] Cruces hic signatæ non videntur in Cod. Reg. Suec.

[f] In Cod. Reg. Suec. additur : *Necnon et beato Dionysio martyre tuo atque pontifice cum sociis suis Rustico et Eleutherio, et beato Clodoaldo confess. t., et omnibus*, etc. In Pamel. Cod. *cum beato Cyriaco Mart. t. et sancto Martino confess. t.* quæ in Cod. Reg. Suec. desiderantur. In 2 Theoder. inseruntur hic nomina sanctorum Quintini, Nicasii, Gregorii, Medardi et Eligii.

[g] Post *Agnus* in 1 Theod. sequuntur sex Orationes ex quibus secunda est : *Domine J. C. qui dixisti apostolis tuis, pacem relinquo vobis*, etc., quæ legitur in

* IX KALEND. JANUARII. — IN VIGILIA NATALIS DOMINI.

Ad (89) *Nonam*. — (90) Deus, qui nos Redemptionis nostræ annua exspectatione lætificas, (91) præsta ut Unigenitum tuum quem Redemptorem læti suscepimus, venientem quoque judicem securi videamus Dominum nostrum, Jesum Christum, Filium tuum, (92) qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti (93) per omnia sæcula sæculorum.

(94) *Super oblata*. — Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut, sicut adoranda Filii tui Natalia prævenimus, sic ejus munera capiamus sempiterna gaudentes. Per eumdem.

(95) *Præfatio* [b]. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Per Christum Dominum nostrum : cujus hodie faciem in confessione prævenimus, et voce supplici exoramus, ut superventuræ noctis officiis nos ita pervigiles reddat, ut sinceris mentibus ejus percipere mereamur Natale venturum, in quo invisibilis ex substantia tua visibilis per carnem apparuit in nostra ; tecumque unus non tempore genitus, non naturæ inferior, ad nos venit ex tempore natus. Per quem, etc.

(96) *Ad Complendum* [c]. — Da nobis, Domine, quæsumus, Unigeniti Filii tui recensita Nativitate respirare, cujus cœlesti mysterio pascimur et potamur (97). Per eumdem, etc.

Ad Vesperas. — Præsta, misericors Deus, ut ad suscipiendum Filii tui singulare Nativitatis mysterium, et mentes credentium præparentur, et non credentium corda subdantur. Per eumdem.

(98) IN VIGILIA DOMINI IN NOCTE.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da, quæsumus, ut cujus lucis mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Qui tecum vivit, etc.

6 [d] *Super oblata*.—Accepta sit tibi, Domine, quæsumus, hodiernæ festivitatis oblatio, ut, tua gratia largiente, per hæc sacrosancta commercia in illius inveniamur forma in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, [e] Per Christum Dominum nostrum. Cujus divinæ Nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo. Quem semper Filium, et ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus, et honore, majestate atque virtute æqualem tibi cum Spiritu sancto confitemur, et (99) in trino vocabulo unicam credimus Majestatem. Et ideo cum angelis, et archangelis, cum thronis, et dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus sine fine dicentes :

Te igitur, clementissime Pater, etc.

(100) *Benedictio*. — Omnipotens Deus, qui incarnatione Unigeniti sui mundi tenebras effugavit, et gloriosa nativitate hanc sacratissimam noctem irradiavit, effuget a vobis tenebras vitiorum, et irradiet corda vestra luce virtutum. Amen. Quique ejus sacratissimæ Nativitatis gaudium magnum pastoribus ab angelo voluit nuntiari, ipse super vos benedictionis suæ gratissimum imbrem infundat, atque ipso pastore vos ad æternorum gaudiorum pascua æterna perducat. Amen. Et qui per ejus incarnationem terrena cœlestibus sociavit, internæ pacis et bonæ voluntatis vos nectare repleat, et cœlestis militiæ consortes efficiat Amen. Quod ipse, etc [f].

Ad Complendum. — Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, ut qui Nativitatem Domini nostri Jesu Christi nos frequentare gaudemus, dignis conversationibus ad ejus mereamur pertinere consortium. Qui tecum vivit, etc.

Ad Matutinum. — Respice nos, misericors Deus, et mentibus clementer humanis, nascente Christo, summæ veritatis lumen ostende. Qui tecum vivit et regnat.

7 MISSA (101) IN MANE PRIMA NAT. DOM., SIVE SANCTÆ [g] ANASTASIÆ.

Da (102), quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eumdem.

hodiernis Missalibus. In C. Reg. Suec. ante *Agnus Dei* ponitur Benedictio episcoporum, *adesto suppl.*, ut in Pontific. Rom. postea Consecratio : *Deus bonorum omnium*. Deinde super oblata, *hæc hostia*, etc., ut in Pontif. Rom., Præfatio, *Hanc igitur*, etc. Ad complendum, *hæc nos communio*, etc. Hæc excipiunt ordinationes presbyteri et diaconi.

[a] Hi non consentiunt Mss., nisi in duabus prioribus Orationibus.

[b] Abest Præfatio Cod. Pamel. et Reg. Suec. In Gemet. assignatur Præfatio quæ in Edit. Vatic. et Gussanvil. ponitur pro tertia missa Natalis Domini.

[c] In Cod. Reg. Suec. et apud Pamel. legitur *post Communionem*. Sequitur apud Pamel. Oratio *super populum* quæ abest a Cod. Reg. Suec. sicut alia *ad Vesperos*.

[d] In C. Pamel., *secreta*, contradicente Cod. Reg. Suec.

[e] Apud Pamel., *quia per incarnati verbi mysterium*, etc., ut in Missalibus hodiernis. Consentiunt Cod. Reg. Suec., Gemet et Theoder. Post Præfat. Pamel. habet : *infra actionem Communicantes et noctem sacratis. celebr.*, ut in Missali. Favent Mss. Theoder. et Gemet. Abest hoc a Cod. Reg. Suec. Sic adeo discrepant Codices ab invicem, ut immensi prope laboris sit omnes variantes lectiones observare.

[f] Hæc Benedictio quæ hic non exstat in Ed. Vat. et aliis poster. est in Benedictionali a Lambecio edito, quod habes in Edit. Gussanvil. Ibidem reperiuntur omnes aliæ Benedictiones in Codice Menardino, Missarum officiis insertæ. Sic absolvitur apud Lambecium : *quod ipse præstare dignetur cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et pax Domini sit semper vobiscum.*

[g] Assignatur quoque statio, *ad sanctam Anastasiam* tum in plerisque Codd. tum in Kalend. Rom. In Cod. Reg. Suec. duæ sunt hujus missæ Præfationes, prior de sancta Anastasia, alia de Nativitate.

Alia. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Anastasiæ martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Super oblata. — Munera nostra, quæsumus, Domine, Nativitatis hodiernæ mysteriis apta proveniant, ut (103) sicut homo genitus idem refulsit Deus, sic nobis hæc terrena substantia conferat quod divinum est. Per eumdem.

Alia. — Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, et, beatæ Anastasiæ suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

(104) *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : quia nostri Salvatoris hodie lux vera processit, quæ clara nobis omnia et intellectu manifestavit, et visu. Et ideo cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cumque omni militia cœlestis exercitus, hymnum gloriæ tuæ canimus, sine fine dicentes.

Ad Complendum. — (105) Ejus nos, Domine, (106) sacramenti semper (107) natalis instauret, cujus (108) Nativitas singularis humanam repulit vetustatem. Qui tecum vivit.

Alia. — Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris ; ejus, quæsumus, semper interventione nos refove cujus solemnia celebramus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

VIII KAL. JANUARII [a]. — IN DIE NATALIS DOMINI.

(109) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti Filii tui nova per carnem Nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Qui tecum vivit.

Super oblata. — Oblata, Domine, munera nova Unigeniti tui Nativitate sanctifica, nosque a peccatorum nostrorum **8** maculis emunda. Per eumdem, etc.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis infulsit. Ut, dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc (110) invisibilium amore rapiamur. Et ideo cum angelis.

Te igitur, clementissime Pater, etc., *ut supra* [b].

Benedictio. — Benedicat vobis omnipotens Deus, vestramque ad superna excitet intentionem, qui hanc sacratissimam diem Nativitate Filii sui fecit esse solemnem. Amen. Et qui eum qui Panis est angelorum in præsepi Ecclesiæ cibum fecit esse fidelium animalium, ipse vos et in præsenti sæculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, et in futuro perducat ad satietatem æternorum præmiorum. Amen. (111) Quique ejus infantiam vilibus voluit indui pannis, ipse vos cœlestium vestimentorum induat ornamentis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Et pax Domini sit semper vobiscum.

Ad Complendum. — (112) Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut natus hodie Salvator mundi, sicut divinæ nobis generationis est auctor, ita et immortalitatis sit ipse largitor. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Aliæ Orationes. — Concede nobis, omnipotens Deus, ut Salutare tuum, nova cœlorum luce mirabile, quod ad salutem mundi hodierna festivitate processit, nostris semper innovandis cordibus oriatur. Qui tecum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem Verbi tui et partum beatæ Mariæ virginis consecrasti, da populis tuis in hac celebritate consortium ut, qui tua gratia sunt redempti, tua sint adoptione securi. Per eumdem.

Alia. — Fundamentum fidei nostræ Deus, (113) qui in mentibus sanctis, tanquam in excelsis montibus, æternitatis portas, justitia muniente, componis, concede nobis in te gloriose credere, tuumque Filium Dominum nostrum ad Redemptionem animarum hominem factum prædicabiliter confiteri. Qui tecum, etc.

Alia. — Largire, quæsumus, Domine, famulis tuis (114) fidei et securitatis augmentum, ut qui de Nativitate Filii tui Domini nostri gloriantur, et adversa mundi, te gubernante, non sentiant, et quæ temporaliter **9** celebrare desiderant, sine fine percipiant. Per.

Alia. — Deus, qui per beatæ Mariæ virginis partum sine humana concupiscentia procreatum, in Filii tui membra venientes (115) paternis fecisti præjudiciis non teneri, præsta, quæsumus, ut, (116) hujus creaturæ novitate suscepta, vetustatis antiquæ contagiis exuamur. Per eumdem.

Alia. — (117) Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem et mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis, quæsumus, ejus divinitatis esse consortes qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus, qui tecum vivit.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui in Filii tui Domini nostri Nativitate tribuisti totius religionis initium perfectionemque constare, da nobis, quæsumus, in ejus portione censeri, in quo totius salutis humanæ summa consistit. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Da, quæsumus, Domine, populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut qui Unigenitum tuum.

[a] In Kalend. Rom., sicut in Ed. Pamel. et plerisque Mss., legitur *ad sanctum Petrum*, ubi statio indicatur.

[b] Apud Pamelium post Præfationem habes, *infra act. Communicantes et diem sacratiss. celebr. quo B. M. intem. virginitas* (per errorem *nativitas*), etc., quæ leguntur in Ed. Vatic. et Gussanvil., necnon in Gemet. Abest a Cod. Reg. Suec.

in tua tecum gloria sempiternum, (118) in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitentur, et a præsentibus liberentur adversis et mansuris gaudiis inserantur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum.

VII KAL. JANUARII. — NATIVITAS SANCTI STEPHANI [a].

Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere, quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dom.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera pro tuorum commemoratione sanctorum, (119) ut sicut illos passio gloriosos, sic nos devotio reddat innocuos. Per Dominum [b].

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, beati Stephani levitæ simul et martyris natalitia recolentes: qui fidei, qui sacræ militiæ, qui dispensationis et castitatis egregiæ, qui prædicationis mirabilisque constantiæ, qui confessionis ac patientiæ nobis exempla veneranda proposuit. Et ideo Nativitatem Filii tui merito præ cæteris passionis suæ festivitate prosequitur, (120) cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit. (121) Per quem Majestatem, etc.

10 *Benedictio.* — Deus qui beatum Stephanum protomartyrem coronavit, et confessione fidei, et agone martyrii, mentes vestras circumdet, et in præsenti sæculo corona justitiæ, et in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen. Illius obtentu tribuat vobis Dei et proximi charitate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen. Quo ejus exemplo roborati, et intercessione muniti, ab eo quem ille a dextris Dei vidit stantem, mereamini benedici. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Ad Complendum. — Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria, et intercedente beato Stephano martyre tuo, sempiterna protectione confirment. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui primitias martyrum, in beati levitæ Stephani sanguine dedicasti, tribue, quæsumus, ut pro nobis intercessor existat, qui pro suis etiam persecutoribus exoravit. Per.

Alia. — Deus, qui nos Unigeniti tui clementer incarnatione redemisti, da nobis patrocinia tuorum continuata sanctorum, quibus capere valeamus salutaris mysterii portionem. Per eumdem.

Alia. — Gratias agimus, Domine, multiplicatis circa nos miserationibus tuis, qui et Filii tui Nativitate nos salvas, et beati martyris Stephani deprecatione sustentas. Per eumdem.

VI KAL. JANUARII [c]. — NATIVITAS SANCTI JOANNIS EVANGELISTÆ.

(122) Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut, beati Joannis evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per.

Super oblata. — Suscipe munera, Domine, quæ in ejus tibi solemnitate deferimus, cujus (123) nos confidimus patrocinio liberari. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, beati apostoli tui et evangelistæ Joannis veneranda natalitia recensentes: qui Domini nostri Jesu Christi Filii tui vocatione suscepta terrenum respuit patrem, ut posset invenire cœlestem, adeptus in regno cœlorum sedem apostolici culminis, qui tantum retia (124) carnalia contempserat genitoris; quique ab Unigenito tuo sic familiariter est dilectus, et immensæ gratiæ muneribus approbatus, ut eum **11** idem Dominus in cruce jam positus, (125) vicarium suæ matri Virgini filium subrogaret, quatenus beatæ Genitricis integritati probati dilectique discipuli virginitas deserviret. Nam et in cœnæ mysticæ sacrosancto convivio super ipsum vitæ fontem æternum, scilicet pectus recubuerat Salvatoris. De quo perenniter manantia cœlestis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis ac mysticis revelationibus est imbutus, ut omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspiceret, et evangelica voce proferret quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et ideo cum angelis.

Benedictio. — Omnipotens Deus dignetur vobis per intercessionem beati Joannis apostoli et evangelistæ benedicere, qui per eum arcana verbi sui voluit Ecclesiæ revelare. Amen. Concedat vobis ut quod ille Spiritus sancti munere afflatus vestris auribus infudit, ejusdem Spiritus dono capere mente valeatis. Amen. Quo ejus documento de divinitate nostri Redemptoris edocti, et amando quod tradidit, et exsequendo quod jussit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Jesus Christus Dominus noster repromisit. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Refecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices deprecamur, ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur et precibus. Per.

(126) *Ad Vesperos.* — Beati Joannis evangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, et veniam nobis tribue, et remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

(127) *Alia.* — Beati evangelistæ Joannis, Domine,

[a] Apud Pamelium, *martyris*, ut in Editis Vatic. et Gussanvil. Abest a Cod. Reg. Suec. et a Kalend. Rom., ubi nulla statio assignatur, sed pro Evangelio indicatur: *Dicebat Jesus turbis Judæorum*, usque, *benedictus qui venit in nom. Dom.* Matth. XXIII.

[b] Post hanc Orationem, apud Pamelium sequitur Oratio: *grata tibi sint*, etc., quæ desideratur in Cod. Reg. Suec. et abest ab Edit. Vatic., Gussanvil., etc.

[c] In Kalend. Rom. nulla fit mentio stationis. Evangelium idem notatur, quod in hodiernis Missalibus legimus. In Cod. Pamel. aliæ prorsus Orationes assignantur. In una præmittitur *ad sanctum Andream*. Aliquas ex illis habet Codex Reg. Suec., sed non omnes; imo tres priores desunt.

precibus adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet ejus nobis intercessione donetur. Per.

(128) *Alia.* — Sit, Domine, quæsumus, beatus Joannes evangelista nostræ fragilitatis adjutor, ut pro nobis tibi supplicans copiosius audiatur. Per.

Alia. — Deus qui per os beati apostoli tui Joannis Verbi tui nobis arcana reserasti, præsta, quæsumus, ut quod ille nostris auribus excellenter infudit intelligentiæ competentis eruditione capiamus. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam beati apostoli tui Joannis et evangelistæ festivitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, et amare quod credidit, et prædicare quod docuit. Per.

Alia. — Adsit Ecclesiæ tuæ, Domine, quæsumus, beatus **12** evangelista Joannes, ut cujus perpetuus doctor existit, semper esse non desinat suffragator. Per Dominum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam beatus evangelista Joannes asseruit, et convenienter intelligere valeamus, et veraciter profiteri. Per eumdem.

V KALEND. JANUARII. [a] NATALIS INNOCENTUM.

Deus, cujus hodierna die præconium innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per.

Super oblata. — Adesto, Domine, muneribus Innocentum festivitate sacrandis, et præsta, quæsumus, ut eorum sinceritatem possimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: (129) et in pretiosis mortibus parvulorum, quos propter nostri Redemptoris infantiam bestiali sævitia Herodes funestus occidit, immensa clementiæ tuæ dona prædicare, in quibus fulget sola magis gratia quam voluntas, (130) et clara est prius confessio quam loquela, (131) ante passio quam membra idonea passioni. Existunt testes Christi, qui ejus nondum fuerant agnitores. O infinita benignitas! o ineffabilis misericordia, quæ pro suo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, sed proprio cruore perfusis et salus regenerationis adhibetur, et imputatur corona martyrii. Et ideo cum angelis, etc.

Benedictio. — Omnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia infantium innocentium catervas Herodis funesti peremit sævitia, suæ vobis benedictionis tribuat dona gratissima. Amen. Et qui eis concessit ut unicum Filium ejus, Dominum nostrum, non loquendo, sed moriendo confiterentur, concedat vobis ut fidem veram, quam lingua vestra fatetur, etiam mores probi et vita inculpabilis fateantur. Amen. Quique eos primitivum fructum sanctæ suæ suscepit Ecclesiæ, cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æternæ patriæ. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad Complendum. — (132) Votiva, Domine, dona percepimus, quæ sanctorum nobis precibus, et præsentis, quæsumus, vitæ pariter et æternæ tribue conferre subsidium. Per.

13 *Alia.* — [b] Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosius operaris in minimis, da nobis, quæsumus, in eorum celebritate gaudere, qui Filio tuo Domino nostro testimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per eumdem, etc.

Alia. — Ipsi nobis, Domine, quæsumus, postulent mentium puritatem, quorum innocentiam hodie solemniter celebramus. Per.

Alia. — Adjuva nos, Domine, quæsumus, eorum deprecatione sanctorum, qui Filium tuum humana necdum voce profitentes cœlesti sunt pro ejus Nativitate gloria coronati. Per eumdem.

PRID. KALENDAS JANUARII. NATIVITAS SANCTI SILVESTRI [c] PAPÆ.

(133) *Eodem die sancti Fulgentii episcopi.*

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beati Silvestri confessoris tui, atque pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat, et salutem. Per.

Super oblata. — Sanctorum tuorum nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ et munera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut hodiernæ munus solemnitatis acceptum, intercedente beato Silvestro confessore tuo, et corporibus nostris salutem præstet et mentibus. Per Dominum.

Alia. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec eos ullis mentis et corporis patiaris subjacere periculis, quos beati Silvestri pontificis tui munit gloriosa confessio. Per.

KALENDIS JANUARII. (134) — IN OCTAVIS DOMINI [d].

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate

[a] Apud Pamel. Nat., *sanctorum Innocent.* Abest *sanctorum*, a Cod. Reg. Suec., a Kalend. Rom. et ab Edit. Vatic. et Gussanvil. In eodem Pamel. Cod. legitur *ad sanctum Paulum.* Siletur de statione in Kalend. Rom., ubi Evangelium idem quod in hodierna sanctorum Innocentium Missa designatur.

[b] Hæc oratio et ultima, *adjuva*, etc., deest in Cod. Reg. Suec.

[c] Abest *papæ*, a Cod. Pamel., exstat in Cod. Reg. Suec. In neutro legitur quod hic de sancto Fulgentio additum, uti nec in aliis Vulgatis. In kalend. Rom., ubi papæ titulus sancto Silvestro non datur, nullaque fit sancti Fulgentii memoria, præscribitur Evangel. *Dixit Jesus discipulis suis: Vigilate*, usque *super omnia bona sua constituet eum*, sine ulla statione.

[d] Licet hoc festum a Circumcisione nomen haud accipiat in Kalendar. Rom., cui consentiunt libri Sacramentorum Codices sive editi sive manu exarati, assignatur tamen Evangelium de Circumcisione, *postquam consummati sunt*, quod protrahitur, usque *et gloriam plebis tuæ Israel.* Nulla stationis fit mentio. In Editis tamen Pamelianis, consentiente Cod. Reg. Suec., legitur *ad sanctam Mariam ad Martyres.* In hoc Cod. desiderantur quatuor Orationes ultimæ apud Pamelium uncinis [ ] inclusæ; Præfatio et Benedictio quæ hic habentur, ubi Circumcisionis fit mentio, in Pamel. et Reg. Suec. Codicibus non leguntur. In Kalendar. Rom. eodem die notatur *natale sanctæ*

fecunda, humano generi præmia præstitisti, tribue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Alia. — Deus, qui nobis nati Salvatoris diem celebrare **14** conced s octavum, fac, quæsumus, nos ejus perpetua divinitate muniri cujus sumus carnali commercio reparati. Qui tecum vivit, etc.

Super oblata. — Præsta, quæsumus, Domine, ut per hæc munera, quæ Domini nostri Jesu Christi arcanæ Nativitatis mysterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam consequamur. Per eumdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus hodie Circumcisionis diem, et Nativitatis octavum celebrantes, tua, Domine, mirabilia veneramur. Quia, quæ peperit, et mater et virgo est; qui natus est et infans et Deus est. Et ideo cum angelis, etc.

Benedictio. — Omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ne legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem suscepit circumcisionem, spiritali circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, et suam in vos infundat benedictionem. Amen. Et qui legem per Moysen dedit, ut per Mediatorem nostrum benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum et faciat perseverare in novitate virtutum. Amen. Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc sæculo vivatis, et in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis. (135) Quatenus in octavo resurrectione renovati, jubilæi remissione ditati, (136) ad gaudia sine fine mansura perveniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad complendum. — Præsta, quæsumus, Domine, ut quod Salvatoris nostri iterata solemnitate percepimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam. Per eumdem.

Super populum. — Omnipotens sempiterne Deus, qui in unigenito tuo novam Creaturam nos tibi esse fecisti, custodi opera misericordiæ tuæ, et ab omnibus nos maculis vetustatis emunda, ut per auxilium gratiæ tuæ in (137) illius inveniamur forma, in quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit.

(138) [a] DOMINICA POST NATALEM DOMINI.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum.

Super oblata. — Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ **15** Majestatis munus oblatum, et gratiam nobis devotionis obtineat, et effectum beatæ perennitatis acquirat. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Qui peccato primi parentis hominem a salutis finibus exsulantem, pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocasti, mittendo nobis unigenitum Filium tuum Dominum et Salvatorem nostrum; per quem Majestatem tuam, etc.

Benedictio. — Deus, qui Unigenitum suum misit, ut mundum salvaret, ejusdem salutis vos participes efficiat, et in ea perseverabiles reddat. Amen. Iram quæ super infideles manet a vobis amoveat, et ab ea vos in perpetuum liberos efficiat. Amen. Spiritum Filii sui vobis attribuat, ejusque donis vos affatim exuberare concedat. Amen. Quod ipse præstare dignetur cujus regnum.

Ad Complendum. — Per hujus, Domine, operationem mysterii, et vitia nostra purgentur, et justa desideria compleantur. Per Dominum, etc.

Super populum. — Propitiare, misericors Deus, supplicationibus nostris, et populum tuum pervigili protectione custodi, ut qui Unigenitum tuum in carne nostri corporis Dominum natum esse fatetur, nulla possit diaboli falsitate corrumpi. Per eumdem.

NONIS JANUARII.— (139) IN VIGILIA [b] THEOPHANIÆ.

Ad Vesperes.—Corda nostra, quæsumus, Domine, venturæ festivitatis splendor illustret, quo mundi hujus tenebris carere valeamus, et perveniamus ad patriam claritatis æternæ. Per.

Super oblata. — Tribue, quæsumus, Domine, ut præsentibus illi immolemus sacrificiis, et sumamus quæ venturæ solemnitatis pia munera præloquuntur. Per, etc.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te laudare mirabilem Dominum in omnibus operibus tuis, quibus sacratissima regni tui mysteria revelasti. Hanc etenim festivitatem dominicæ apparitionis index stella præcessit, quæ natum in terra cœli Dominum magis stupentibus nuntiaret. Ut manifestandus mundo Deus et cœlesti denuntiaretur indicio, et temporaliter procreatus signorum temporalium ministerio panderetur. Et ideo, etc.

16 *Ad Complendum.*—Illumina, quæsumus, Domine, populum tuum, et splendore gratiæ tuæ cor ejus semper accende, ut, Salvatoris mundi stella famulante, manifestata Nativitas mentibus eorum et reveletur, semper et crescat. Per eumdem.

VIII IDUS JANUARII. — (140) IN [c] EPIPHANIA DOMINI.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus (141) stella duce revelasti, concede propitius ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam

---

Mariæ; quod optime convenit cum sancti Gregorii Antiphonario, ut a Pamelio exhibetur. Ea forte de causa etiam nunc festi Circumcisionis officium magna ex parte ad beatissimam Virginem pertinet.

[a] Hujus Dominicæ nihil exstat in Pamel. aut in Reg. Suec. Codicibus, præter Orationem, *omnipotens*, etc. In Cod. Gemet. Oratio est, *Deus qui sal. æt. beatæ Mariæ virg. f.*

[b] Sic appellatur Epiphaniæ festum a sancto Gregorio, hom. 38 in Evang.: *Veni; ut quia Natalem dominicum sine te feci, sanctam Theophaniam jam tecum faciam.*

[c] Hac die in Ed. Pamel. statio figitur *ad sanctum Petrum*; quod optime respondet titulo hom. 10 in

speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem, etc.

Super oblata. — Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, dona propitius intuere, quibus non jam aurum, thus et myrrha profertur, sed quos eisdem muneribus declaratur, immolatur et sumitur, Jesus Christus Dominus noster.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia cum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, (142) in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit. Et ideo cum angelis, etc.

Te igitur, clementissime Pater, etc.

Benedictio. — Deus, lumen verum, qui Unigenitum suum hodierna die stella duce gentibus voluit revelare, sua vos dignetur benedictione ditare. Amen. Quo exemplo (143) magorum mystica Domino Jesu Christo munera offerentes, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen. Deique vobis veram mentium innocentiam qui super Unigenitum suum Spiritum sanctum demonstrare voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exerceantur ad intelligenda divinæ legis arcana, qua in Cana Galilææ lympha est in vinum conversa. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quæ solemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia consequamur. Per.

Aliæ Orationes. — Omnipotens sempiterne Deus, fidelium splendor animarum, qui hanc solemnitatem electionis gentium (144) primitiis consecrasti, imple mundum gloria tua, et subditis tibi populis per luminis tui appare claritatem. Per.

17 *Alia.* — Deus, illuminator omnium gentium, da populis tuis perpetua pace gaudere, et illud lumen splendidum infunde cordibus nostris, quod trium magorum mentibus aspirasti. Per.

Alia. — Da nobis, quæsumus, Domine, digne celebrare mysterium, quod in nostri Salvatoris infantia miraculis coruscantibus declaratur, et corporalibus incrementis manifesta designatur humanitas. Per eumdem.

Alia.—Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Salvatoris mundi, stella duce, manifesta Nativitas mentibus nostris reveletur semper et crescat. Per eumdem.

Alia. — Illumina, quæsumus, Domine, populum tuum, et splendore gratiæ tuæ cor ejus semper accende, ut Salvatorem suum et incessanter agnoscat, et veraciter apprehendat. Per Dominum nostrum.

[a] DOMINICA I POST THEOPHANIAM.

Vota, quæsumus, Domine, supplicantis populi, cœlesti pietate prosequere, ut et quæ agenda sunt, videant; et ad implenda quæ viderint, convalescant. Per.

Super oblata. — Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet nos semper et muniat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Quia cum Unigenitus tuus in substantia nostræ mortalitatis apparuit, in novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit. Et ideo cum angelis.

Benedictio. — Deus, qui Filii sui temporalem pueritiam fecit esse mirabilem, spiritu prudentiæ corda vestra illustrare ac docere dignetur. Amen. Quique illum parentibus temporaliter subdi voluit, ipse vos humilitatis et pietatis muneribus miseratus informet. Amen. Et (145) qui eum sapientia, ætate, et gratia proficere tribuit, spiritalium vobis profectuum incrementa propitius largiatur. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per Dominum.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, familiam tuam, **18** et benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, et eruditionibus tuis semper multiplicetur et donis. Per.

(146) IN [b] OCTAVIS THEOPHANIÆ.

Deus cujus Unigenitus in substantia nostræ carnis apparuit, præsta, quæsumus, ut per eum, quem similem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur. Qui tecum vivit, etc.

Super oblata. —Hostias tibi, Domine, pro nati tui Filii apparitione deferimus, suppliciter exorantes, ut sicut ipse nostrorum auctor est munerum, ita ipse sit misericors et susceptor Jesus Christus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat Deus.

Ad Complendum. — Cœlesti lumine, quæsumus, Domine, semper et ubique nos præveni, ut mysterium, cujus nos participes esse voluisti, et puro cernamus intuitu, et digno percipiamus effectu. Per.

XIX KAL. FEBRUARII (147) NATALIS SANCTI FELICIS [c].

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum solemnia agimus, etiam actus imitemur. Per.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, pro commemoratione sancti Felicis (148) confessoris offeri-

Evang.: *Cum natus esset Jesus in Bethlehem*; ubi legitur habita in basil. sancti Petri. In Kalendario Rom. omittitur statio; assignaturque tantum Evangelium *Cum natus esset Jesus*, etc. In eodem Kalend. post festum Theophaniæ tres dies festi celebrantur; et in primo legitur statio ad sanctum Petrum ad Vincula.

[a] Vacat hæc Dominica in Cod. Pamel. In Ms. Reg. Succ. omnia desunt ab Idibus Januarii, usque ad XIX Kalend. Febr.

[b] Pro octava Epiph. nihil assignatur in Kalend. Rom.

[c] In Kalend. Rom. et in Cod. Reg. Suec. quem sequitur hic Pamel. additur *in Pincis*. Consule Bollandum, tom. I sanctorum Januarii; et Tillemontium, tom. IV Comment Eccles. Hujus sancti solemnitas notatur 14 Jan. in Kalend. Rom. et apud Pamel., at die 13 in Cod. Reg. Succ.

mus, suppliciter deprecantes, ut sicut illi tribuisti sacræ fidei largitatem, sic nobis indulgentiam largiaris et pacem. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et confessionem sancti Felicis memorabilem non tacere qui (149) nec hæreticis pravitatibus, nec sæculi blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari, sed inter utraque discrimina veritatis assertor, firmitatem tuæ fidei non reliquit. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut cujus solemnia (150) celebramus, ejus orationibus adjuvemur. Per Dominum.

[a] DOMINICA II POST THEOPHANIAM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris, supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per.

Alia. — Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et in tua misericordia confidentes, ab omni nos adversitate custodi. Per.

Super oblata. — Ut tibi grata sint, Domine, munera populi tui supplicantis, ab omni, quæsumus, eum contagione perversitatis emunda. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: semperque virtutes et laudes tuas labiis exsultationis effari, qui nobis ad relevandos istius vitæ labores diversa donorum tuorum solatia, et munerum salutarium gaudia contulisti, mittendo nobis Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio. — Deus qui sua mirabili potestate aquam vertit in vinum, vos a vetustate subtractos in beatæ vitæ transferat novitatem. Amen. Et qui nuptiis interesse voluit, ut earum sua præsentia comprobaret bonum, ipse vobis castitatis et sobrietatis perpetuæ conferat donum. Amen. Ipse vobis sanctarum intelligentiam Scripturarum tribuat spiritalem, qui aquas in vina vertendo hoc ipsum voluit designare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus.

Ad Complendum. — Augeatur in nobis, Domine, quæsumus, tuæ virtutis operatio, ut divinis vegetati sacramentis, ad eorum promissa capienda tuo munere præparemur. Per.

Super populum. — Auxiliare, Domine, populo tuo, ut sacræ devotionis proficiens incrementis, et tuo semper munere gubernetur, et ad redemptionis æternæ pertineat, te ducente, consortium. Per.

XVII KAL. FEBRUARII. — NATALIS [b] SANCTI MARCELLI PAPÆ.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut beati Marcelli martyris tui atque pontificis meritis adjuvemur, cujus passione lætamur. Per Dominum nostrum, etc.

Super oblata. — Suscipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata, et, beati Marcelli suffragantibus meritis, ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui glorificaris in tuorum confessione sanctorum, et **20** non solum excellentioribus præmiis martyrum tuorum merita gloriosa prosequeris, sed etiam sacra mysteria competentibus servitiis exsequentes, gaudium Domini sui tribuis benignus intrare. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Satiasti, Domine, familiam tuam muneribus sacris; semper ejus, quæsumus, interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per.

XV KAL. FEBRUARII. — NATALIS SANCTÆ PRISCÆ VIRGINIS.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Priscæ martyris tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per.

Super oblata. — Hostia, Domine, quæsumus, quam sanctorum tuorum natalitia recensentes offerimus, et vincula nostræ pravitatis absolvat, et tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut cujus solemnia celebramus, ejus orationibus adjuvemur. Per.

XIII KAL. FEBRUARII. — [c] NATALIS SANCTI (151) FABIANI.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, et (152) quos pondus propriæ actionis gravat, beati Fabiani martyris tui atque pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, beati Fabiani martyris tui dicatas meritis benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per Dominum.

Ad Complendum. — Refecti participatione muneris sacri, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus exsequimur cultum, sentiamus effectum. Per

EODEM DIE. — NATALIS SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS

Deus qui beatum Sebastianum martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti, ex ejus nobis imitatione tribue pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per

Super oblata. — Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio, et ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per.

21 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne

[a] Omittitur in C. Pamel. et Reg. Suec., necnon in Kalend. Rom., cujus loco occurrit: *Fer. IV post Theophania.*

[b] Apud Pamel. notatur die 18 Januar.; at in Cod. Reg. Suec. die 16 ejusdem mensis, consentiente Kal. Rom.

[c] In Kalend. Rom. festum sancti Sebastiani est ante festum sancti Fabiani; secus in Cod. Pamel. ac Reg. Suec. et in Vatic. Ed. atque aliis. Postea utraque solemnitas in unam coaluit.

Deus: quoniam martyris beati Sebastiani pro confessione nominis tui venerabilis sanguis effusus simul et tua mirabilia manifestat, quo perficis in infirmitate virtutem, et nostris studiis dat profectum, et infirmis apud te præstat auxilium. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sacro munere satiati, supplices te, Domine, deprecamur, ut quod debitæ servitutis celebramus officio, intercedente beato Sebastiano martyre tuo, salvationis tuæ sentiamus augmentum. Per Dominum nostrum.

XII KAL. FEBRUARII. — NATALIS SANCTÆ (153) [a] AGNETIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius ut qui beatæ Agnetis martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Super oblata. — Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe, et, intercedente beata Agnete martyre tua, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et (154) diem beatæ Agnetis martyrio consecratam solemniter recensere, quæ, terrenæ generositatis oblectamenta despiciens, cœlestem meruit dignitatem; societatis humanæ vota contemnens, æterni Regis est sociata consortio; et pretiosam mortem, sexus fragilitate calcata, pro Christi confessione suscipiens (155) simul est facta conformis et sempiternitatis ejus et gloriæ. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — [b] Sumentes, Domine, gaudia sempiterna de participatione sacramenti festivitatis sanctæ martyris Agnetis, suppliciter deprecamur, ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per.

XI KAL. FEBRUARII. — NATALIS SANCTI VINCENTII MARTYRIS.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Vincentii martyris tui intercessione liberemur. Per.

22 *Super oblata.* Hodiernum, Domine, sacrificium lætantes offerimus, quo beati Vincentii cœlestem victoriam recensentes, et tua magnalia prædicamus, et nos acquisisse gaudemus suffragia gloriosa. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: pro cujus nomine gloriosus levita Vincentius, et miles invictus, rabidi hostis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse ut resisteret, nesciens elatus esse (156) ut vinceret, in utroque, Domini ac Magistri sui vestigia sequens, qui humilitatis custodiendæ, et de hostibus triumphandi, suis sequenda exempla monstravit. Per quem.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Vincentio martyre tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per.

VIII KAL. FEBRUARII. — [c] CONVERSIO SANCTI PAULI.

(157) Deus qui universum mundum beati Pauli apostoli tui prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut qui ejus hodie Conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per.

Super oblata. — Apostoli tui Pauli precibus, Domine, plebis tuæ dona sanctifica, ut quæ tibi tuo grata sunt instituto, gratiora fiant patrocinio supplicantis. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut Ecclesiam tuam, beati Pauli apostoli tui prædicatione edoctam, nulla sinas fallacia violari; et sicut nihil in vera religione manere dinoscitur, (158) quod non ejus condierit disciplina, ita ad peragenda ea quæ docuit ejus obtentu fidelibus tribuatur efficacia, sentiatque credentium gentium multitudo eum pro se apud te intercessorem quem habere cognovit Magistrum atque doctorem. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio. — Deus qui gratia sua beatum Paulum ex persecutore fecit apostolum, ipse vobis compunctionis piæque conversionis spiritum dignetur impertire. Amen. Quique ei secretorum cœlestium mysteria dignatus est revelare, ipse vobis Scripturarum suarum abdita dignetur aperire. Amen. Et qui ei perseverantiam fidei, **23** constantiamque in persecutionibus inflexibilem dare dignatus est, eisdem vestram infirmitatem donis roborare atque munire dignetur. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Sanctifica nos, Domine, quæsumus, salutari mysterio; et pro nobis ejus non desit oratio, cujus nos donasti patrocinio gubernari. Per Dominum.

(159) EODEM DIE. — NATALIS [d] SANCTI PROJECTI MARTYRIS.

Martyris tui Projecti nos, quæsumus, Domine, interventio gloriosa commendet, ut quod nostris acti-

[a] In Cod. Reg. Suec., *sanctæ Agnæ.* In Kalend. Rom., *sanctæ Agnæ de passione.* Legitur etiam *Agnæ* in potioribus Mss. homil. in Evang., ubi undecima est de hac sancta virg. et mart.

[b] Hanc Orationem aliæ duæ sequuntur in Cod. Pamel. Tres absunt a Cod. Reg. Suec. Apud Pamelium uncinis clauduntur. Fere omnia quæ intra uncinos leguntur ibi non exstant in Cod. Reg. Suec.

[c] Kalend. Rom. et Cod. Reg. Suec. festum istud nesciunt. Ejus meminit Cod. Pamel., sed adhibita uncinorum nota. Ante ipsum in 1 Theoder. ponitur festum sanctorum Emerentianæ et Macarii martyrum. In Gemet. nullæ hic assignantur sanctorum festivitates.

[d] Vel *Prejecti*, ut exhibent Theod. Mss. Hujus martyris non meminere Kalendar. Rom. aut Cod.

bus non meremur, ejus precibus consequamur. Per Dominum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, propitius orationem nostram cum oblationibus hostiarum superimpositis, et martyris tui Projecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, et illam quæ in eo flagravit fortem dilectionem in nobis aspira benignus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam misericordiam deprecari ut mentibus nostris beati martyris tui Projecti (160) repetita solemnitate spiritalis lætitiæ tribuas jugiter suavitatem. (161) Concedasque nobis, ut, venerando passionis ejus triumphum, obtentu illius, et peccatorum remissionem, et sanctorum mereamur adipisci consortium. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Votiva, Domine, pro beati martyris tui Projecti passione dona percepimus: quæsumus, ut ejus precibus, et præsentis vitæ nobis pariter et æternæ tribuas conferre præsidium. Per.

V KAL. FEBRUARII. — NATALIS SANCTÆ AGNETIS.

De [a] *Nativitate* (162).

Deus, qui nos annua beatæ Agnetis martyris tuæ solemnitate lætificas, da, quæsumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per.

Super oblata.—Super has, quæsumus, Domine, hostias benedictio copiosa descendat, quæ et sanctificationem nobis clementer operetur, et de martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

24 *Præfatio.* —Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, beatæ Agnetis natalitia geminantes. Vere enim hujus honorandus est dies, quæ sic terrena generatione processit, ut ad divinitatis consortium perveniret. Per Christum.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta; præsta, quæsumus, ut et temporalis nobis vitæ remedia præbeant et æternæ. Per.

Super populum. — Adesto nobis, omnipotens Deus, beatæ Agnetis festa repetentibus, quam, hodiernæ festivitatis prolatam exortu, ineffabili munere sublevasti. Per.

IV NONAS FEBRUARII. — (163) PURIFICATIO [b] SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

(164) *Ad Collectam.* — (165) [c] Erudi, quæsumus, Domine, plebem tuam, et quæ extrinsecus annua tribuis devotione venerari, interius assequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

Ad Missam. — Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut Unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem Dominum.

Super oblata. — Exaudi, Domine, preces nostras; et, ut digna sint munera quæ oculis tuæ Majestatis offerimus, subsidium nobis tuæ pietatis impende. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia per incarnati Verbi mysterium nova mentis nostræ oculis lux tuæ claritatis effulsit, ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc invisibilium amore rapiamur. Et ideo cum angelis et archangelis.

Benedictio. — Omnipotens Deus qui Unigenitum suum hodierna die in assumpta carne in templo voluit præsentari, benedictionis suæ vos munere fultos bonis operibus faciat exornari. Amen. Et qui eum, ut legem adimpleret, (166) ministrum voluit effici legis, **25** mentes vestras instruat legis suæ spiritalibus documentis. Amen. Quo ei et pro turturibus castitatis seu charitatis munera offerre valeatis, et pro pullis columbarum Spiritus sancti donis exuberetis. Amen. Quod ipse.

Ad Complendum.— Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, intercedente beata semper virgine Maria, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per.

Alia.—Perfice in nobis, quæsumus, Domine, gratiam tuam, qui justi Simeonis exspectationem implesti, ut sicut ille mortem non vidit priusquam Christum Dominum videre mereretur, ita et nos vitam obtineamus æternam. Per.

NONIS FEBRUARII — NATALIS [d] SANCTÆ AGATHÆ MARTYRIS.

Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti,

Pamel. et Reg. Suec. In Edit. Vatic. et al. illius fit mentio.

[a] Ita in Kalend. Rom. Hoc festum in Cod. Pamel. notatur die 27 Januarii, et die 28, tum in Cod. Reg. Suec., tum in Kalend. Rom.

[b] In duobus Theoder., *Ypapanti*, quod in multis aliis Codicibus legitur. Abest a Kalend. Rom., ubi tantum habetur: *die* 2 (Februarii) *secundum Lucam. Postquam impl. c., usque*, gloriam plebis tuæ Israel.

[c] In Edit. Vatic. et Gussanvil. hæc Oratio adhuc pertinet ad officium sanctæ Agnetis; quod aliis Cod. tam Editis quam manu exaratis contrarium est. In Cod. Pamel. præfigitur: *oratio ad Collectam ad sanctum Adrianum.* Et post Orationem legitur: *ad missam ad sanctam Mar. Majorem.* Idem exstat in duobus Theod. et in Cod. Reg. Suec., nisi quod in isto, pro *ad missam*, habes *Missa.* In multis Cod., ut observat Pamel., est Benedictio cereorum. In Theod. notantur multæ Antiphonæ, præsertim *Adorna thal.*

[d] In officio sanctæ Agathæ multum discrepat Edit. Pamel. a Cod. Reg. Suec.

concede propitius ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera quæ in beatæ Agathæ martyris tuæ solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare. nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : pro cujus nomine (167) pœnarum mortisque contemptum in utroque sexu fidelium cunctis ætatibus contulisti, ut inter felicium martyrum palmas (168) Agathen quoque beatissimam virginem victrici patientia coronares. Quæ nec minis territa, nec suppliciis superata, de diaboli sævitia triumphavit, quia in tuæ Deitatis confessione permansit. Et ideo.

Ad Complendum. — Beatæ Agathæ martyris tuæ, Domine, precibus confidentes, quæsumus clementiam tuam, ut per ea quæ sumpsimus æterna remedia capiamus. Per.

Alia. — Indulgentiam nobis, Domine, beata Agathe martyr imploret, quæ tibi grata (169) semper exstitit et merito castitatis, et tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum.

DOMINICA III POST THEOPHANIAM.[a]

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram **26** propitius respice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ Majestatis extende. Per.

Super oblata. — (170) Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, et sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et te omni tempore collaudare et benedicere, quia in te vivimus, et movemur, et sumus. Et nullum tempus nullumque momentum est quod a beneficiis pietatis tuæ vacuum transigamus. Variis etenim solemnitatum causis, salutarium nobis operum tuorum et munerum memoria præsentis vitæ tempora exornat. Unde et nos vel innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni tempus agnoscentes, indefessas Majestati tuæ grates exsolvimus. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio. — Omnipotens Deus vos ab omnium peccatorum maculis emundet, qui leprosum supplicem tactu proprio dignatus est emundare. Amen. Quique centurionis servum non aspernatus est visitare, ipse cordium vestrorum hospitium dignetur misericorditer introire. Amen. Sicque vos fidei suæ plenitudine informet, ut cum sanctis suis in cœlorum regno accumbere concedat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Quos tantis, Domine largiris uti mysteriis, quæsumus ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per.

Super populum. — Adsit, Domine, quæsumus, propitiatio tua populo supplicanti, ut quod te inspirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat. Per Dominum nostrum.

DOMINICA IV POST THEOPHANIAM.

Deus qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis et corporis, ut ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante, vincamus. Per.

Super oblata. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus sacrificii munus oblatum fragilitatem nostram ab omni malo purget semper et muniat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, **27** nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui genus humanum pro prævaricatione sua in ipsius originis radice damnatum (171) per florem virginalis uteri reddere dignatus es absolutum, ut hominem, quem per Unigenitum creaveras, per Filium tuum Deum et hominem recreares; et diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, (172) conservata justitia, a Deo carne vinceretur assumpta. Per quem Majestatem tuam.

Benedictio. — Tentationum omnium a vobis Dominus pericula removeat, et perturbationum procellas miseratus excludat. Amen. Tentatoris fraudes atque molimina dissolvat, et vos adversus eum cautos atque invincibiles faciat. Amen. Continuæ pacis vobis munera tribuat, et vos in portu tranquillitatis ac securitatis propitiatus constituat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Munera tua nos, Deus, a delectationibus terrenis expediant, et cœlestibus semper instruant alimentis. Per.

DOMINICA V POST THEOPHANIAM.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut et delicta nostra miseratus absolvas, et nutantia corda tu dirigas. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et tibi hanc immolationis hostiam offerre, (173) quæ est salutifera et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum, quæ offertur a plurimis, (174) et unum Christi corpus sancti Spiritus infusione perficitur; singuli accipiunt Christum Dominum, et (175) in singulis portionibus totus est; nec (176) per singulos minuitur,

[a] In Cod. Reg. Suec. et in Edit. Pamel. omittitur hæc Dom. cum cæteris post Epiphaniam, quod mutilationis argumentum videtur. In Kalend. Rom., nulla Dominicarum facta mentione, assignantur decem hebdomadæ post Theophaniæ cum singulis Evangeliis; et intra illas hebdomadas multæ sæpe feriæ tanquam solemnes notantur, ut fer. 4, fer. 6, Sabbatum, in quibus etiam indicuntur Evangelia.

sed integrum se præbet in singulis. Propterea ipsi qui sumimus communionem hujus sancti panis et calicis, (177) unum Christi corpus efficimur. Per ipsius itaque Majestatem te supplices exoramus, ut nos ab omnibus emundes contagiis vetustatis, et in novitate vitæ perseverare concedas. Per Christum.

Benedictio. — Deus, qui bonum semen in sua Ecclesia serere consuevit, in vobis illud conservare atque multiplicare nunquam desistat. Amen. Zizaniorum superseminatorem a vobis procul repellat, et sui verbi pabulo vos indesinenter reficiat. Amen. Quo cum dies judicii advenerit, a reprobis separati, ad dexteram judicis sistamini, et in beatissimo ipsius regno collocemini. Amen. Quod ipse præstare.

28 *Ad Complendum.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per eumdem.

Super populum. — Ecclesiæ tuæ, Domine, voces placatus admitte, ut, destructis adversitatibus universis, secura tibi serviat libertate. Per.

DOMINICA VI POST THEOPHANIAM.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exsequamur et factis. Per.

Super oblata. — Hæc nos oblatio, Deus, mundet, quæsumus, et renovet et gubernet et protegat. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : ad cujus immensam pertinet gloriam, ut non solum mortalibus tua pietate succurreres, sed de ipsa etiam mortalitate nostra nobis remedium provideres, et perditos quosque unde perierant, inde salvares. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio. — Deus qui mare suis pedibus fecit esse calcabile, vobis quidquid est noxium ipse substernat. Amen. Contrarios immundorum spirituum motus compescat, et vos in sua pace confirmet. Amen. Crucis suæ navi inter mundi fluctus gubernet, et in littus beatæ perennitatis perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Cœlestibus, Domine, pasti deliciis, quæsumus ut semper eadem per quæ veraciter vivimus appetamus. Per.

Super populum. — Conserva populum tuum, Deus, et tuo nomini fac devotum, ut, divinis subjectus officiis, et temporalia viriliter et æterna dona percipiat. Per Dominum nostrum.

XVI KAL. MARTII. — (178) NATALIS SANCTI VALENTINI [a] MARTYRIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Valentini martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Oblatis, Domine, quæsumus, placare muneribus, **29** et, intercedente beato Valentino martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sit nobis, Domine, reparatio mentis et corporis cœleste mysterium, ut cujus exsequimur actionem, sentiamus effectum. Per.

XIII KAL. MARTII. — (179) [b] CATHEDRA SANCTI PETRI.

Deus qui beato apostolo tuo Petro, collatis clavibus regni cœlestis, animas ligandi atque solvendi (180) pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis et regnas.

Super oblata. — Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces et hostias beati Petri apostoli commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus nobis prosit ad veniam. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus ; et te laudare mirabilem Deum in sanctis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Unigeniti tui sacrum corpus exornas, et in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis, quam (181) in patriarchis fundasti, in prophetis præparasti, in apostolis condidisti. Ex quibus beatum Petrum apostolorum principem, ob confessionem Unigeniti Filii tui, per os ejusdem Verbi tui confirmatum, in fundamento domus tuæ, mutato nomine, cœlestium claustrorum præsulem custodemque fecisti, divino ei jure concesso, ut (182) quæ statuisset in terris, servarentur in cœlis. In cujus veneratione hodierna die Majestati tuæ hæc festa persolvimus, et gratiarum ac laudis Hostiam immolamus. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Lætificet nos, Domine, munus oblatum, ut sicut in apostolo tuo Petro te mirabilem prædicamus, sic per illum tuæ sumamus indulgentiæ largitatem. Per.

Super populum. — Benedic, quæsumus, Domine, plebem tuam ; et beati Petri apostoli tui precibus tribue consequi tuæ defensionis auxilium. Per.

VI KAL. MARTII. — [c] NATALIS (183) SANCTI MATTHIÆ APOSTOLI.

Deus, qui beatum Matthiam apostolorum tuorum collegio sociasti, tribue, quæsumus, ut ejus interventione, **30** tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum.

Super oblata. — Deus, qui proditoris apostatæ ruinam, ne apostolorum tuorum (184) numerus sacratus

[a] Abest *martyris* a Cod. Reg. Suec. In 1 Theoder. ante natalem sancti Valentini notatur VII Idus Febr. *Translatio sanctæ Helenæ reginæ* ; et IV Idus Febr.: *Natal. sanctæ Scholasticæ virg.* Post festum sancti Valentini ibidem additur : *Eodem die nat. sanctorum Vitalis, Feliculæ et Zenonis.*

[b] In Ed. Vatic. et Gussanvil. *Cathedra sancti Petri in Roma*, quod minime habent alii Codices editi aut mss. Recenter itaque additum suspicamur, *in Roma*, ad distinctionem alterius festi Cathedræ sancti Petri *Antiochiæ*, die 18 Januar., quod utrum antiquis cognitum. Consule observationem nostram ad notam 179. Kalend. Rom. Joan. Frontonis utrumque festum nescit, ut et Codex Reg. Suec.

[c] Omittitur hoc festum in Kalend. Rom. et in Cod. Reg. Suec. In 1 Theoder., immediate post nat. sancti Matth., sequitur festum sanctarum Perpetuæ et Felicitatis.

perfectione careret, beati Matthiæ electione suppleati, præsentia munera sanctifica, et per ea nos gratiæ tuæ virtute confirma. Per.

Præfatio. —Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et te laudare mirabilem Deum in beatis apostolis tuis, in quibus glorificatus es vehementer. Per quos Unigeniti tui sacrum corpus colligis, et in quibus Ecclesiæ tuæ fundamenta constituis. Unde poscimus clementiam tuam, piissime omnipotens Deus, ut intercessione beati apostoli tui Matthiæ, cujus passionis triumphum solenniter celebramus, mereamur a peccatorum nostrorum nexibus solvi, et æternæ vitæ felicitati reddi, atque sanctorum tuorum cœtibus connumerari. Per quem.

Benedictio. — Deus, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vobis dignetur, beati apostoli sui Matthiæ intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis, apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari et munerari exemplis et documentis. Amen. Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hæreditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut per hæc sancta, quæ sumpsimus, interveniente beato Matthia apostolo tuo, veniam consequamur et pacem. Per Dominum.

Super populum. — Percipiat, Domine, quæsumus, populus tuus, intercedente beato Matthia apostolo tuo, misericordiam, quam deposcit, et quam precatur humiliter, indulgentiam consequatur et pacem. Per Dominum.

IV IDUS MARTII. — NATALIS SANCTI GREGORII PAPÆ.

Concede, quæsumus, Domine, fidelibus tuis digne sancti Gregorii pontificis tui celebrare solemnia, ut ejus et hic experiantur auxilia, et æternis effectibus apprehendant. Per.

[a] *Super oblata.* — Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, sancti Gregorii prosequatur oratio, per quam nos et expiari facias, et defendi. Per.

31 *Præfatio.*—Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : quia sic tribuis Ecclesiam tuam sancti Gregorii pontificis tui commemoratione gaudere, ut eam illius et festivitate lætifices, et exemplo piæ conversationis exerceas, et verbo prædicationis erudias, grataque tibi supplicatione tuearis. Per.

Ad Complendum. — (185) Præstent nobis, quæsumus, Domine, tua sancta præsidium, quod, intervenientibus beati Gregorii meritis, ab omnibus nos absolvat peccatis. Per.

VIII KAL. APRILIS. — (186) [b] ANNUNTIATIO ANGELI AD BEATAM MARIAM.

Deus, qui in (187) beatæ Mariæ virginis utero Verbum tuum, angelo annuntiante, carnem suscipere voluisti, præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem.

Ad Missam. — Deus, qui hodierna die Verbum tuum in (188) beatæ Virginis alvo (189) incarnari voluisti, fac nos ita præsentem (190) solemnitatem peragere, ut tibi placere valeamus. Per eumdem.

Super oblata. — Altari tuo, Domine, superposita munera Spiritus sanctus assumat, qui hodie beatæ Mariæ viscera splendoribus suæ virtutis replevit. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : quem pro salute hominum nasciturum Gabriel archangelus nuntiavit, virgo Maria Spiritus sancti cooperatione concepit; ut quod angelica nuntiavit sublimitas, virginea crederet puritas, ineffabilis perficeret Deitas. Illius itaque optamus, te opitulante, cernere faciem sine confusione, cujus Incarnationis gaudemus solemnitate. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — In mentibus nostris, Domine, veræ fidei sacramenta confirma, ut qui conceptum de Virgine Deum verum et hominem confitemur, per ejus salutiferæ resurrectionis potentiam ad æternam mereamur pervenire lætitiam. Per.

Super populum. — Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis, **32** et beatæ Mariæ patrociniis confidentes a cunctis hostibus redde securos. Per.

Alia. — Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui coæternum tibi Filium hodie pro mundi salute secundum carnem Spiritu sancto concipiendum angelico ministerio beatæ Mariæ semper virgini declarasti, adesto propitius populo tuo, ut ad ejus Nativitatem, (191) pace concessa, liberioribus animis occurramus. Per eumdem.

Alia. — Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per beatæ Mariæ sacri uteri (192) divinæ gratiæ obumbrationem universum mundum illuminare dignatus es, et præsta ut quod nostris meritis non valemus obtinere, ejus adipisci præsidiis mereamur. Per Dominum nostrum.

[a] In Cod. Reg. Suec. legitur hæc Oratio : *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Gregorii prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta.* Sic legi quibusdam in Codicibus observat Pamelius.

[b] Observat Joan. Fronto, in notis ad Kalend. Rom., a Concilio Toletano x, an. 656, can. 1, cautum esse ut hoc festum octavo die ante Christi Nativitatem celebraretur, quod tempore Quadragesimæ, *nihil de sanctorum solemnitatibus... convenit celebrari.* Assignatur tamen hoc festum die 25 mensis Martii, in Kalend. Rom., in Cod. Reg. Suec. apud Pamel. et in omnibus ed. libris Sacramentorum.

Alia. — Beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ nos, Domine, quæsumus, merita consequantur, et tuam nobis indulgentiam semper implorent. Per.

Alia. — Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, et per intercessionem beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ auxilium nobis supernæ Virtutis impende. Per eumdem.

IN (193) SEPTUAGESIMA [a].

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, fragilitati nostræ sufficientiam competentem, ut suæ reparationis effectum, et pia conversatione recenseat, et cum exsultatione suscipiat.

Super oblata. — Concede nobis, misericors Deus, et digne tuis servire semper altaribus, et eorum perpetua participatione salvari. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia per ea quæ conspiciuntur instruimur quibus modis ad invisibilia tendere debeamus. Denique commonemur, anni ducente successu, de præteritis ad futura, de vetustate in novitatem vitæ transire, (194) ut, terrenis sustentationibus expediti, cœlestis doni capiamus desiderabilius ubertatem. Et (195) per eum cibum qui beneficiis prærogatur alternis **33** perveniamus ad victum sine fine mansurum, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio. — Omnipotens Deus ita stadium vestri cursus dirigere dignetur, ut bravium vos æternæ vitæ comprehendere faciat. Amen. Et ita vos abstinentiæ armis circumdet, ut nullis vitæ hujus oneribus a (196) perventione retardemini. Amen. Quique vos vineam suam vocare vobisque sanctos operarios mittere dignatus est, ipse vos sua gratia dignetur excolere, ut denario vitæ perennis munerare non abnuat. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Fideles tui, Deus, per tua dona firmentur, ut eadem et percipiendo requirant, et quærendo sine fine percipiant. Per.

Super populum. — Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

(197) IN SEXAGESIMA [b].

Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra actione confidimus, concede propitius ut contra adversa omnia Doctoris Gentium protectione muniamur. Per.

Super oblata. — Intende, quæsumus, Domine, Hostias familiæ tuæ, et quam sacri muneris facis esse participem, tribue (198) ad ejus plenitudinem pervenire. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui rationalem creaturam, ne, temporalibus dedita bonis, ad præmia sempiterna non tendat, ea dispensatione dignaris erudire, ut nec castigatione deficiat, nec prosperitatibus insolescat, sed hoc potius fiat ejus gloriosa devotio, quo nullis adversitatibus obruta superetur. Per Christum Dominum.

Benedictio. — Det vobis Dominus nosse mysteria regni Dei, qui jam dare dignatus est auditum verbi sui. Amen. Sicque mentes vestras seminis sui copia repleat, ut in vobis illud sibi placite fructificare concedat. Amen. Et ita vos ab omni tentatione muniat, quatenus (199) triceni, sexageni, atque centeni fructus pro suæ gratiæ distributione, magnificentia muneret. Amen. Quod ipse.

34 *Ad Complendum.* — (200) Adsit nobis, quæsumus, Domine, cibus sacer, potusque salutaris, qui et temporalem vitam muniat, et præstet æternam. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Tuere, quæsumus, Domine, plebem tuam, et sacram solemnitatem recolentem gratiæ cœlestis largitate prosequere, ut, visibilibus adjuta solatiis, ad invisibilia bona promptius incitetur. Per.

DOMINICA [c] IN QUINQUAGESIMA.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis absolutos ab omni nos adversitate custodi. Per.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, (201) et sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et (202) Majestatem tuam (203) [d] cernua devotione exorare, ut modulum terrenæ fragilitatis aspiciens, non in ira tua pro nostra pravitate nos arguas, sed immensa clementia purifices, erudias, consoleris.

[a] In Cod. Reg. Suec. et in 1 Theoder., *in Septuagesimo*. In utroque additur, *ad sanctum Laurentium*, et in Theoder. *foris murum*. In Cod. Pamel.: *Statio ad sanctum Laurentium*, sine ullo addito. Eadem assignatur in Kalend. Rom. cum Evang., quod etiam nunc legitur. Prima Oratio ubique est: *Preces populi tui*, ut in officio Septuagesimæ nunc etiam habetur.

[b] Apud Pamelium, consentientibus Mss. nostris, statio est *ad sanctum Paulum*. Ita etiam in Kalend. Rom., ubi Evangel. præscribitur, *Cum turba plurima*, etc., ut in hodiernis Missalibus. Porro quid intelligerent veteres per stationem docere videtur Tertullianus, lib. de Orat.: *Similiter*, inquit, *de stationum diebus, non putant plerique sacrificiorum Orationibus interveniendum, quod statio solvenda sit accepto corpore Domini.* Consule eruditorum notas ad hunc locum.

[c] Apud Pamel., et in Codicibus nostris Mss. additur, *ad sanctum Petrum*. Ita in Kalend. Rom., ubi Evangel. est, *Assumpsit J. duodecim*, ut hodie quoque legitur. Homil. 2 sancti Gregorii in idem Evangelium habita fuit Dominica Quinquagesimæ, in sancti Petri Basilica.

[d] Ita quoque in Cod. Gemet., et in duobus Theod. In Edit. Vatic. et Gussanvill. legitur *congrua*.

Qui cum sine te nihil possimus facere quod tibi sit placitum, tua nobis gratia sola præstabit ut salubri conversatione vivamus. Per Christum.

Benedictio. — Omnipotens Deus sua vos benedictione confirmet, et imminenti quadragesimali abstinentiæ aptos efficiat. Amen. Quique cæco supplicanti per divinitatis potentiam lumen restituit, cæcitatem vestri cordis clementissimus illuminator abstergat, et lucis suæ radiis mentes vestras benignus illustret. Amen. Quatenus, vitiorum sordibus emundati, et charitatis ardore solidati, cœlestem hæreditatem percipere valeatis illæsi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

[a] *Ad Complendum.* — Repleti sumus, Domine, donorum participatione cœlestium; præsta, quæsumus, ut eadem et sumamus jugiter, et incessabiliter ambiamus. Per.

Super populum. — De multitudine misericordiæ tuæ, Domine, populum tibi protege confitentem, et corporaliter gubernatum, piæ mentis affectu, tuis muneribus assequendis effice promptiorem. Per Dominum nostrum.

35 FERIA IV. — (204) CAPUT [b] JEJUNII.

(205) [c] *Ad Collectam.* — Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut contra spiritales nequitias pugnaturi continentiæ muniamur auxiliis. Per.

[d] *Ad Missam.* — Præsta, quæsumus, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia, et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. Per.

Super oblata. — Fac nos, Domine, quæsumus, his muneribus offerendis convenienter aptari, quibus ipsius venerabilis (206) sacramenti celebramus exordium. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris et præmia. — Per Christum.

Ad Complendum. — Percepta nobis, Domine, præbeant sacramenta (207) subsidium, ut et tibi grata sint nostra jejunia, et nobis proficiant ad medelam. Per.

[e] *Super populum.* — Inclinantes se, Domine, Majestati tuæ propitiatus intende, ut qui divino munere sunt refecti cœlestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum nostrum [e].

[f] FERIA V INTRA QUINQUAGESIMAM.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per.

Super oblata. — Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, ut et devotioni nostræ proficiant et saluti. Per Dominum.

Præfatio.—Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, **36** Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quoniam illa festa remeant quibus nostræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ subrogatur æternitas; et (208) de peccati pœna, peccata mundantur, mirisque modis conficitur de perditione salvatio, ut status conditionis humanæ, qui per felicitatis insolentiam venit ad tristitiam, humilis et modestus ad æterna gaudia redeat per mœrorem. Per Christum.

Ad Complendum — Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis et (209) sacramenti causa sit et salutis. Per.

Super populum. — Parce, Domine, parce populo tuo, ut, dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per.

FERIA VI INTRA QUINQUAGESIMAM.

Inchoata jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere, ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum.

Super oblata. — Sacrificium, Domine, (210) observantiæ paschalis quod offerimus, præsta, quæsumus, ut tibi et mentes nostras reddat acceptas, et continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem. Per Dominum.

Præfatio — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et majestatem tuam suppliciter deprecari, ut intelli-

[a] In Cod. Reg. Suec. Oratio, *ad Compl.* est: *Quæsumus, omnip. Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, per hæc contra adversa omnia muniamur.* Abest hæc Oratio a Cod. Pamel., quod observamus ut eos aliquando minime convenire ostendatur.

[b] Deest *caput jejunii* in Cod. Reg. Suec., licet apud Pamel. legatur.

[c] In Cod. Pamel., consentiente C. Reg. Suec., legitur: *Collecta ad sanctam Anast. Concede nobis*, etc. Et postea: *ad Missam statio ad sanctam Sabinam.* In Kalend. Rom. tantum exstat: *Fer. 4, ad sanctam Savinam.* Evangel. est: *Dixit J..... Cum jejunatis.* In Gemet. et 1 Theod. præmittitur Benedictio cinerum.

[d] Id minime legitur in Cod. Reg. Suec. in quo etiam multa desunt quæ exstant in Cod. Pamel. in hac fer. 4.

[e] In Ed. Pamel., post omnes alias Orat., una annotatur *ad Vesperos*, singulis Quadrag. diebus, quæ non solum in Codd. aliis Editis desideratur, sed etiam in Ms. Reg. Suec., qui raro a Pamel. discrepat. Theoder. Mss. exhibent has Orat. *ad Vesperos.*

[f] Officia feriæ 5 per totam Quadragesimam inter ea sunt quæ Grimoldus abbas dicit olim fuisse virgulis antepositis jugulata; instituta enim postea a Gregorio juniore testatur Micrologus, c. 49. Hæc Pamelius. Idem fere sentit Joan. Fronto, in Kalend. Rom., ubi hæc feria cum sequenti notatur, additis stationibus et indicatis Evangeliis, quæ adhuc leguntur iis diebus. De Sabbato siletur. Apud Pamelium statio fer. 5 est ad sanctum Georgium, et fer. 6 ad sanctos Joannem et Paulum, quæ in Kalendario Rom. designatur titulo Pammachii. Codex Pamel. pro statione Sabbati habet: *ad sanctum Tryphonem;* codex Reg. Suec. nihil habet pro Sabbato.

gentiæ nostris spiritum benignus infundas, quo vel ipsi rationabiliter agenda cernamus, vel eis, qui (211) inutilia sentiunt, indicemus, esse (212) censendum; nec studia nostra sectemur, sed offerentibus meliora subdamur. Quoniam hæc apud te sapientia est quæ non suis inhæret vitiis, sed undecunque prolatam diligit veritatem. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno cœlesti pane satiasti, tua facias pietate concordes.

Super populum. — Guberna, Domine, quæsumus, plebem tuam, et tuis beneficiis semper accumula, ut et præsentis vitæ subsidiis gaudeat, et æternæ. Per.

37 SABBATO INTRA QUINQUAGESIMAM.

Exaudi nos, miserator et misericors Deus, et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Præpara nos, quæsumus, Domine, hujus abstinentiæ festivis officiis, ut hæc sacrificia veneranda sobriis semper mentibus celebremus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et Majestatem tuam suppliciter deprecari, ut mentem nostram tibi placitam benignus efficias, quæ non tantum speciem bonitatis ostendat, sed justitiæ fructibus illuminata c arescat, tuæque semper dedita Majestati, beneficia desiderata percipiat. Qui necessari s prose ,ui muneribus non omittis quos tuo cultui præstiteris convenienter intentos. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Tribue nobis, omnipotens Deus, ut dona cœlestia, quæ debito frequentamus obsequio, salutaria nobis jugiter sentiamus. Per.

Super populum. —Tuere, Domine, populum tuum, et ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas. Per.

[a] IN QUADRAGESIMA.

Ad Missam. — Deus, qui Ecclesiam tuam annua Quadragesimali observatione purificas, præsta familiæ tuæ ut quod a te obtinere abstinendo nititur, [b] hoc bonis operibus exsequatur. Per Dominum.

Super oblata. — Sacrificium Quadragesimalis initii solemniter immolamus, te, Domine, deprecantes, ut cum epularum restrictione carnalium a noxiis quoque voluptatibus temperemus. Per Dominum

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : qui continuatis quadraginta diebus et noctibus hoc jejunium non esuriens dedicavit; postea enim esuriit non tam cibum hominum quam salutem; nec escarum sæcularium epulas concupivit, sed animarum desideravit potius sanctitatem. Cibus namque ejus est **38** redemptio populorum. (213) Cibus ejus est totius bonæ voluntatis effectus : qui nos docuit operari, non cibum, qui terrenis dapibus apparatur, sed eum qui divinarum Scripturarum lectione percipitur. Per quem.

Benedictio. — Benedicat vobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moysi et Eliæ necnon et Mediatoris nostri jejunio consecravit, concedatque vobis ita transigere præsentis vitæ dispensationem, ut, accepto a Patrefamilias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remissionem, et ad gloriosam cum sanctis omnibus resurrectionem. Amen. Detque vobis spiritalium virtutum invictricia [*Forte*, victricia] arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hostis sagacissima tentamenta. Amen. Quo non in solo pane, sed in omni verbo quod de ore ejus procedit, spiritalem sumentes alimoniam, per jejuniorum observationem et cæterorum bonorum operum exhibitionem percipere mereamini immarcescibilem gloriæ coronam. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Tui nos, Domine, sacramenti libatio sancta restauret, et a vetustate purgatos in mysterii salutaris faciat transire consortium. Per.

Super populum. — In populum tuum, quæsumus, Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Per.

Alia. — Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, æternæ promissionis gaudia quærere, et quæsita citius invenire. Per.

Alia. — Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et in tua misericordia confidentes ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum nostrum.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut per annua Quadragesimalis exercitia (214) sacramenti, et ad intelligendum Christi proficiamus arcanum, et effectus ejus digna conversatione sectemur. Per.

(215) *Per totam Quadragesimam, quotidianis diebus, finita Missa, episcopus et clerici discedunt, et exuuntur sacris vestibus, et tunc redeunt ad Vesperos. Et nullus clericus in ecclesia* (216) *stat operto capite, nisi habeat infirmitatem, ullo tempore.*

FERIA II INTRA QUADRAGESIMAM [c].

Converte nos, Deus salutaris noster, et, ut nobis jejunium Quadragesimale proficiat, mentes nostras **39** cœlestibus instrue disciplinis. Per.

[a] Al., *in Quadragesimo.* Apud Pamel. additur *Ad sanctum Joannem in Lateranis.* In Kalend. Rom. tantum : *Ad Lateranis*, assignato Evang. *Ductus est Jesus*, etc. Hom. 16 sancti Gregorii in Evang. legitur *habita in basilica sancti Joannis quæ dicitur Constantiniana, Dominica* I *in Quadragesima.*

[b] Ita Cod. Reg. Suec., consentientibus aliis tum Editis, tum Mss., excepto Pamel., ubi habes *hoc bonis moribus.* Hic Cod. Reg. Suec. in multis discrepat a Pamel.

[c] Pamel., consentiente Kalend. Rom., addit : *Ad sanctum Petrum ad vincula.* In Kalendario non aliud assignatur Evang. quam quod nunc legitur.

Super oblata. — Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, quæ et jejunium nostrum, te operante, sanctificet, et indulgentiam nobis tuæ consolationis obtineat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui das escam omni carni, et nos non solum carnalibus, sed etiam spiritalibus escis reficis, ut non in solo pane vivamus, sed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam; nec tantum epulando, sed etiam jejunando pascamur. Nam ut dapibus et poculis corpora, sic jejuniis et virtutibus animæ saginantur. Magnam in hoc munere salubritatem mentis ac corporis contulisti, quia jejunium nobis venerabile dedicasti, ut ad paradisum, de quo non abstinendo decidimus, jejunando solemnius redeamus. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Salutaris tui, Domine, munere satiati, supplices exoramus, ut cujus lætamur gustu, renovemur effectu. Per eumdem.

Super populum. — Esto, Domine, propitius plebi tuæ, et temporali consolatione non deseras quam vis ad æterna contendere. Per Dominum.

[a] FERIA III.

Respice, Domine, familiam tuam, et præsta, ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per.

Super oblata. — Oblatis, Domine, placare muneribus, et a cunctis nos defende periculis.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: in quo jejunantium fides alitur, spes provehitur, charitas roboratur. Ipse enim est panis vivus et verus qui substantia æternitatis et esca virtutis est. Verbum enim tuum, per quod facta sunt omnia, non solum humanarum mentium, sed ipsorum panis est angelorum. Hunc panem ministrare nobis non desinis, et, ut eum indesinenter esuriamus, hortaris. Cujus carne dum pascimur, roboramur, et sanguine dum potamur, abluimur. Per quem.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta: præsta, quæsumus, ut et temporalis vitæ **40** nobis (217) remedio proveniant, et æternæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Super populum. — Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per.

[b] FERIA IV MENSIS PRIMI.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi, et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum nostrum.

Alia. — Devotionem populi tui, Domine, quæsumus, benignus intende, ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum.

Super oblata. — Suscipe, Creator omnipotens Deus, quæ jejunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus, et pro temporali nobis collata præsidio, ad vitam converte propitiatus æternam. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui in alimentum corporis humani frugum copiam produci jussisti, et in alimentum animarum jejunii nobis medicinam indidisti. Te itaque supplices invocamus, ut tibi sit acceptabile jejunium nostrum, et nos a cibis jejunantes, peccatis absolvas. Per Christum.

Ad Complendum. — Tui, Domine, perceptione sacramenti, et a nostris mundemur occultis, et ab hostium liberemur insidiis. Per Dominum.

Super populum. — Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ claritatis illustra, ut videre possimus quæ agenda sunt, et quæ recta sunt agere valeamus. Per Dominum nostrum.

FERIA [c] V INTRA QUADRAGESIMAM.

Suscipe, quæsumus, Domine, preces nostras, et ad aures misericordiæ tuæ postulationes sacratæ tibi plebis admitte. Per Dominum.

Super oblata. — Sacrificia, Domine, quæsumus, ista nos salvent, quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis. Per.

41 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia competenter atque salubriter religiosa sunt nobis instituta jejunia, ut corporeæ jucunditatis immoderatas coerceamus illecebras, et terrenæ delectationis insolentia refrenato, purior atque tranquillior appetitus ad cœlestia contemplanda mysteria fidelium reddatur animarum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Tuorum nos, Domine, largitate donorum, et temporalibus attolle præsidiis, et renova sempiternis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, populis Christianis, et quæ profitentur agnoscere, et cœleste munus diligere quod frequentant. Per Dominum.

[a] Statio hujus diei ex Pamel. et Kalend. Rom. est *ad sanctam Anastasiam*. Idem Evangel. præscribitur quod in hodierno officio exstat. Idem intelligendum de cæt. feriis, nisi aliter notetur.

[b] Apud Pamel.: *Fer. 4 hebdomadæ primæ Quadrag. ad sanctam Mar. Majorem.* In Kalend. Rom.: *Mense primo, ad sanctam Mariam.* Codex Reg. Suec. parumper dissentit a Pamel.

[c] Kalend. Rom.: *Ad sanctum Laurentium, ad Formosum*, quod Pamel. exhibet pro diversa lect. Apud eum legitur: *Ad sanctum Laur. foris murum.* Favet primus Theod., at secundus habet: *Ad Laurent. in Formosa.*

[a] FERIA VI INTRA QUADRAGESIMAM.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ, et quam tibi facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Suscipe, quæsumus, Domine, nostris oblata servitiis, et tua propitius dona sanctifica. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui jejunii observatione et eleemosynarum gratissima largitione nos docuisti nostrorum consequi remedia peccatorum. Unde tuam imploramus clementiam, ut, his observationibus et cæteris bonorum operum exhibitionibus muniti, ea operemur quibus ad æterna gaudia consequenda et spes nobis suppetat et facultas. Per Christum.

Ad Complendum. — Per hujus, Domine, operationem mysterii, et vitia nostra purgentur, et justa desideria impleantur. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, et ab omnibus quas meretur adversitatibus redde securum, ut, tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per.

(218) SABBATO IN [b] XII LECTIONIBUS MENSIS PRIMI.

Populum tuum, Domine, quæsumus, propitius **42** respice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus qui delinquentes perire non pateris, sed exspectas, ut convertantur et vivant, debitam, quæsumus, peccatis nostris suspende vindictam, et præsta propitius ne dissimulatio cumulet ultionem, sed potius per jejunium emendatio prosit ad veniam. Per.

Alia. — Protector noster aspice, Deus, ut qui malorum nostrorum pondere premimur, percepta misericordia, libera tibi mente famulemur. Per.

Alia. — Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, ut esse, te largiente, mereamur et inter prospera humiles et inter adversa securi. Per.

Alia. — Actiones nostras, quæsumus, Domine, et aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio et a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per.

Ad Missam. — Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Christum Dominum.

Super oblata. — Præsentibus sacrificiis, Domine, jejunia nostra sanctifica, ut quod observantia nostra profitetur extrinsecus, interius operetur. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: illuminator et Redemptor animarum nostrarum, qui nos per primum Adam, abstinentiæ lege violata, paradiso ejectos, fortiores jejunii remedio ad antiquæ patriæ beatitudinem per gratiam revocasti. Nosque pia institutione docuisti quibus observationibus a peccatis omnibus liberemur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, et vitia nostra curentur, et (219) remedia nobis æterna proveniant. Per Christum Dominum nostrum.

Super populum. — Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitius absolve, ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus serviamus. Per.

43 [c] DOMINICA II IN QUADRAGESIMA.

Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi, ut et ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

Super oblata. — Ecclesiæ tuæ, Domine, munera placatus assume, quæ et misericors offerenda tribuisti, et in nostræ salutis potenter efficis transire mysterium. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut mentibus nostris medicinalis observantiæ munus infundas. Et qui negligentibus etiam subsidium ferre non desinis, beneficia præbeas potiora devotis. Per Christum Dominum.

Benedictio. — Omnipotens Deus, jejunii cæterarumque virtutum dedicator atque amator, sua vos benedictione sanctificet. Amen. Accendat in vobis piæ devotionis affectum, et præbeat supplicantibus suum benignus auditum. Amen. Quatenus mentes vestræ sinceris purgatæ jejuniis, bonorum omnium exuberent incrementis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Refecti, Domine, pane cœlesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, cum.

[a] Magno consensu hic Pamel., Kalend. Rom., Codex Reg. Suec. et duo Theod. notant pro statione: *Ad Apostolos.*

[b] Ita Cod. omnes editi et manu exarati. Apud Pamelium et in Calend. Rom. additur: *Ad sanctum Petrum.* Cum in Mss. habeatur XII *Lect.*, suspicatur Joannes Fronto legendum *in duodecima lectione*, nimirum ex Evangelio, quæ post undecim alias ex variis sacræ Scripturæ libris fiebat. Ex Pamelio Sabbatum hoc *duodecim lectionum* nuncupatur, *quod aut* XII *soleant legi lectiones diversæ, aut sex eædem lectiones semel Græce et semel Latine.* Consule Pamel. ad hunc lo-

[c] Apud Pamelium legitur hic: *Dominica vacat.* Sed legendum ex nostris Mss. et præsertim ex Cod. Reg. Suec.: *Die dominica vacat.* Sic quoque legitur in Kalend. Rom. Cur autem dicatur *vacare*, ex Joanne Frontone repete. Certe in Cod. Reg. Suec., in Gemel., in Theod., etc., officium hujus Dominicæ assignatur, sicut in aliis Dominicis, excepta statione. Fortasse ergo propter sacros ordines, vespere Sabbati magno labore collatos, non fiebat processio et statio, nec homilia habebatur.

Domine, propitiatus illustra, ut beneplacitis inhærendo, cuncta quæ bona sunt mereatur accipere. Per.

[a] FERIA II IN HEBDOMADA SECUNDA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua (220) quæ se, affligendo carne, ab alimentis abstinet, sectando justitiam a culpa jejunet. Per.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, placationis et laudis tua nos propitiatione dignos efficiat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, **44** nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et pietatem tuam supplici devotione deposcere, ut jejunii nostri oblatione placatus, et peccatorum nobis concedas veniam, et nos a noxiis liberes insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et cœlestis remedii faciat esse consortes. Per.

Super populum. — Tuis, quæsumus, Domine, adesto supplicibus, et inter mundanæ pravitatis insidias fragilitatem nostram sempiterna pietate prosequere. Per.

[b] FERIA III IN HEBDOMADA SECUNDA.

Perfice, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum.

Super oblata. — Sanctificationem tuam nobis, Domine, his mysteriis placatus operare, quæ nos et a terrenis purget vitiis, et ad cœlestia dona perducat. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui ob animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti ; concede, quæsumus, ut corda nostra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, ut ad tua mereamur, te opitulante, pervenire promissa. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Ut sacris, Domine, reddamur digni muneribus : fac nos tuis, quæsumus, obedire mandatis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Præsta populo tuo, Domine, quæsumus, consolationis auxilium, et diuturnis calamitatibus laborantem propitius respirare concede. Per Christum Dominum nostrum.

FERIA [c] IV IN HEBDOMADA SECUNDA.

Populum tuum, Domine, propitius respice, **45** et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius respice, et per hæc sancta commercia vincula peccatorum nostrorum absolve. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem humani generis reconciliationem mirabili dispensatione operatus es, præsta, quæsumus, ut sancto purificati jejunio, et tibi toto corde simus subjecti, et inter mundanæ pravitatis insidias, te miserante perseveremus illæsi. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sumptis, Domine, sacramentis, ad (221) redemptionis æternæ, quæsumus, proficiamus augmentum. Per Dominum.

Super populum. — Deus, innocentiæ restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniamur stabiles, et in opere efficaces. Per Dominum.

[d] FERIA V IN HEBDOMADA SECUNDA.

Præsta nobis, Domine, quæsumus, auxilium gratiæ tuæ, ut, jejuniis et orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per Dominum.

Super oblata. — Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii, quæ et expiando nos tua gratia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et tuam cum celebratione jejunii pietatem devotis mentibus obsecrare, ut qui, peccatis ingruentibus, malorum pondere premimur, et a peccatis omnibus liberemur, et libera tibi mente famulemur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, quæ et sacræ nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat. Per Dominum nostrum.

46 *Super populum.* — Adesto, Domine, famulis tuis, et perpetuam benignitatem largire poscentibus, ut his qui te auctore et gubernatore gloriantur, et congregata restaures, et restaurata conserves. Per Dominum.

[e] FERIA VI IN HEBDOMADA SECUNDA.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacro nos

[a] Apud Pamelium, consentientibus Mss. Reg. Sueciæ, Gemet., duobus Theod., necnon Kalend. Rom., statio est *ad sanctum Clementem*.

[b] In Kalend. Rom., cui suffragantur duo Theod., statio est *ad sanctam Balbinam*, cujus tituli mentio est in synodo habita sub sancto Gregorio, ut observat Joan. Fronto. Apud Pamel. legitur : *Ad sanctam Albinam*, et in Cod. Reg. Suec., *Salbinam*.

[c] Statio hujus diei in Kalend. Rom., in Cod. Pamel. et in Mss. nostris, est *ad sanctam Cæciliam*, cujus tituli meminit synodus Rom. sub nostro Gregorio

[d] In hac fer. statio, juxta Ed. Pamel., consentient bus Cod. Reg. Suec. et duobus Theod., est *ad sanctam Mariam trans Tiberim*. In Kalend. Rom. additur : *Titulum Callixti*. Observandum est, in his Quadragesimæ officiis, Editiones Vatic. et Gussanvil. parum, imo vix a nostra discrepare.

[e] Mss., quibus consentanea sunt Pamelii Edita : *Ad sanctum Vitalem*. At in Kalend. Rom. legitur : *Ad Apostolos inter Vestinæ*, nisi forte, pro *inter*, legendum sit *in tit.*, id est, *in titulo Vestinæ*, ut conjicit Joan. Fronto.

purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hæc in nobis sacrificia, Deus, et sanctificatione permaneant, et operatione firmentur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui delinquentes perire non pateris, sed ut ad te convertantur et vivant hortaris. Poscimus itaque pietatem tuam ut a peccatis nostris tuæ severitatis suspendas vindictam, et nobis optatam misericorditer tribuas veniam; nec iniquitatum nostrarum molestia provocet ad ultionem, sed jejunii observatio et morum emendatio te flectat ad peccatorum nostrorum remissionem. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Fac nos, quæsumus, Domine, accepto pignore salutis æternæ sic tendere congruenter, ut ad eam pervenire possimus. Per Dominum.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, populo tuo salutem mentis et corporis, ut, bonis operibus inhærendo, tuæ semper virtutis mereatur protectione defendi. Per.

[a] SABBATO IN HEBDOMADA SECUNDA.

Da, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem, ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum.

Super oblata. — His sacrificiis, Domine, concede placatus, ut qui propriis oramus absolvi delictis, non gravemur (222) externis. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, **47** Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam jugiter exorare clementiam, ut mentes nostras, quas conspicis terrenis affectibus prægravari, medicinalibus tribuas jejuniis exonerari, et per afflictionem corporum proveniat nobis robur animarum. Per Christum.

Ad Complendum. — Sacramenti tui, Domine, divina libatio penetralia nostri cordis infundat, et sui participes potenter efficiat. Per Christum Dominum nostrum.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, cœlesti etiam protectione muniatur. Per eumdem.

[b] DOMINICA III IN QUADRAGESIMA.

Quæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice, atque ad defensionem nostram dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum

Super oblata. — Suscipe, quæsumus, Domine, devotorum munera famulorum, et tua divinis purifica servientes pietate mysteriis, quibus etiam justificas (223) ignorantes. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te suppliciter exorare, ut cum abstinentia corporali mens quoque nostra sensus declinet illicitos. Et (224) quæ terrena delectatione carnalibus epulis abnegamus, humanæ voluntatis pravis intentionibus amputemus. Quatenus ad sancta sanctorum fideliter salubriterque capienda competenti jejunio valeamus aptari. Tanto nobis certi propensius jugiter adfutura, quanto fuerimus eorum institutionibus gratiores. Per.

Benedictio. — [c] Omnipotens Deus jejuniorum vestrorum victimas clementer accipiat, et sua vos benedictione dignos efficiat. Amen. Mentes vestras ita parcimoniæ dono contra vitia muniat, præceptorum suorum doctrinis erudiat, charitatis dono repleat, ut vos in omnibus sibi placere concedat. Amen. Quatenus, præsentis Quadragesimæ diebus devotissime celebratis, ad Paschalia festa purificatis cordibus accedere valeatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Cunctis nos, Domine, reatibus et periculis propitiatus absolve, quos tanti mysterii tribuis esse participes. Per Dominum nostrum.

48 *Super populum.* — Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet, et tuis semper faciat servire mandatis.

[d] FERIA II IN HEBDOMADA TERTIA.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, benignus infunde, ut sicut ab escis corporalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munus quod tibi, Domine, nostræ servitutis offerimus, tu salutare nobis perfice sacramentum. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et clementiam tuam cum omni supplicatione precari, ut per hanc jejuniorum observationem crescat nostræ devotionis affectus, et nostras actiones religiosus exornet effectus; quatenus, te auxiliante, et ab humanis semper retrahamur excessibus, et monitis inhærere valeamus, te largiente, cœlestibus. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut quæ ore contingimus pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

[a] Hic magno consensu legitur statio *ad sanctos Marcellinum et Petrum.*

[b] Non minus consentiunt Codices editi et mss. in assignanda hodierna statione *ad sanctum Laurentium foris murum.* In Kalend. Rom. tamen simpliciter legitur: *Ad sanctum Laurentium martyrem.*

[c] Benedictio hæc abest ab Ed. Vatic. et Gussanvil. necnon a Mss. nostris et a Cod. Pamel.

[d] Statio in Cod. Pamel. et Mss. indicitur *ad sanctum Marcum*, ut in Kalend. Rom. Observat. Joan. Fronto sanctum Marcum, de quo hic, esse Rom. Pontificem, qui die 7 Octobris colitur, cujus nomine exstat in urbe antiquus titulus. Admonet Pamelius hac feria fieri solitam denuntiationem primi scrutinii electorum sive catechumenorum, quod feria 4 seq. celebrabatur.

Super populum. — Conserva, Domine, familiam tuam bonis semper operibus eruditam, et sic præsentibus consolare subsidiis, ut ad superna perducas dona propitius. Per Dominum nostrum.

[a] FERIA III IN HEBDOMADA TERTIA.

Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus, et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per.

Super oblata. Per hæc veniat, quæsumus, Domine, sacramenta (225) nostræ redemptionis effectus, qui nos et ab humanis retrahat semper excessibus, et ad salutaria cuncta perducat. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui peccantium non vis animas perire, sed culpas; et peccantes non semper continuo judicas, sed ad pœnitentiam provocatos exspectas. Averte, quæsumus, **49** a nobis quam meremur iram, et quam optamus super nos effunde clementiam, ut, sacro purificati jejunio, electorum tuorum ascisci mereamur collegio. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sacris, Domine, mysteriis expiati, et veniam consequamur et gratiam. Per.

Super populum. — Concede, misericors Deus, ut devotus tibi populus semper existat, et de tua clementia, quod ei prosit, indesinenter obtineat. Per.

[b] FERIA IV IN HEBDOMADA TERTIA.

Præsta nobis, quæsumus, Domine, ut salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Super oblata. — Suscipe, quæsumus, Domine, preces populi tui cum oblationibus hostiarum, et tua mysteria celebrantes ab omnibus nos defende periculis. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: tuamque misericordiam suppliciter exorare, ut jejuniorum nostrorum sacrosancta mysteria tuæ sint pietati semper accepta; concedasque ut quorum corpora abstinentiæ observatione macerantur, mentes quoque virtutibus et cœlestibus institutis exornentur. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sanctificet nos, Domine, qua pasti sumus, mensa cœlestis, et a cunctis erroribus expiatos (226) supernis promissionibus reddat acceptos. Per Dominum.

Super populum. — Defende, Domine, familiam tuam, et toto tibi corde prostratam ab hostium tuere formidine; nec bona tua difficulter inveniat, pro quibus et sancti tui et angelicæ tibi supplicant potestates. Per Dominum nostrum.

[c] FERIA V IN HEBDOMADA TERTIA.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus, secura tibi mente serviamus. Per.

Super oblata. — Deus, de cujus gratiæ rore descendit ut ad mysteria tua, purgatis sensibus, accedamus, præsta, quæsumus, ut in eorum traditione solemniter honoranda competens deferamus obsequium. Per.

50 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam immensam clementiam supplici voto deposcere, ut nos famulos tuos, et jejunii maceratione castigatos, et cæteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perseverare sinceros, et ad paschalia festa pervenire illæsos; sicque præsentibus subsidiis consolemur, quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Sacramenti tui, Domine, veneranda perceptio, et mystico nos mundet effectu, et perpetua virtute defendat. Per Dominum.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, et gratiæ tuæ in eo dona multiplica, ut ab omnibus liber offensis, et temporalibus non destituatur auxiliis, et sempiternis gaudeat institutis. Per Dominum nostrum.

[d] FERIA VI IN HEBDOMADA.

Jejunia nostra, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere, ut sicut ab alimentis in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per.

Super oblata. — Respice, Domine, propitius ad munera quæ sacramus, ut et tibi sint grata, et nobis salutaria semper existant. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui ad insinuandum humilitatis suæ mysterium, fatigatus resedit ad puteum; qui a muliere Samaritana aquæ sibi petiit porrigi potum, qui in ea creaverat fidei donum. Et ita ejus sitire dignatus est fidem, ut dum ab ea aquam peteret, in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque tuam immensam clementiam, ut contemnentes tenebrosam profunditatem vitiorum, et relinquentes noxiarum (227) hydriam cupiditatum, et te, qui fons vitæ et origo bonitatis es, semper sitiamus, et jejuniorum nostrorum observatione tibi placeamus. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Hujus nos, Domine, perceptio sacramenti mundet a crimine, et ad cœlestia regna perducat. Per.

Super populum. — Gaudeat, Domine, quæsumus,

[a] Additur in Kalend. Rom., in Cod. Pamel., Reg. Suec. et aliis Mss.: *Ad sanctam Potentianam.* Eadem est *ac sancta Pudentiana.*

[b] Statio indicitur *ad sanctum Xistum*; sive, ut legitur in Cod. Reg. Suec., *ad Sistum*, cujus tituli mentio in synodo Rom., sub Greg. II, an. 721.

[c] Jam sæpe laudati Codices sive manu exarati, sive editi, habent hic: *Ad sanctos Cosmam et Damianum.*

[d] Statio est *ad sanctum Laurentium in tit. Lucinæ*, sive, ut habet Pamel., consentiente Cod. Reg. Suec., *in Lucinæ.*

populus, tua semper benedictione confisus, ut et temporalibus beneficiis adjuvetur, et erudiatur æternis. Per Dominum.

51 [a] SABBATO IN HEBDOM. TERTIA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur. Per Dominum.

Super oblata. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus sacrificii munus fragilitatem nostram ab omni malo purget semper et muniat. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui jejunii Quadragesimalis observationem in Moyse et Elia dedicasti, et in Unigenito Filio tuo, legis et prophetarum nostroque omnium Domino, exornasti. Tuam igitur immensam bonitatem supplices exposcimus, ut quod ille jugi jejuniorum complevit continuatione, nos adimplere valeamus illius adjuti largissima miseratione, et adimplentes ea quæ præcepit, dona percipere mereamur quæ promisit. Per quem.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut inter ejus membra numeremur cujus corpori communicamus et sanguini. Per Dominum.

Super populum. — Prætende, Domine, fidelibus tuis dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant consequi mereantur. Per Dominum nostrum.

[b] DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, sacrificium cujus te voluisti dignanter immolatione placari, et præsta, quæsumus, ut hujus operatione mundati, beneplacitum tibi nostræ mentis offeramus affectum. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te Creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare, et de venturis suppliciter exorare, ut cum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non judicemur indigni; sed exhibitis toties solemni devotione jejuniis, cum subsidiis corporalibus **52** profectum quoque capiamus animarum. Per Christum Dominum.

Benedictio. — Deus, [c] qui vos ad præsentium Quadragesimalium dierum medietatem dignatus est perducere, ipse vos sua miseratione dignetur benedicere. Amen. Abstinentiam vestram præteritam acceptet, futuram sibi placitam reddat, ut sicut ab illicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abstinere concedat. Amen. Quo de præteritis et futuris charismatum frugibus ei grates persolventes, ad sanctum Pascha pervenire possitis (228) indemnes. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Da nobis, misericors Deus, ut sancta tua, quibus incessanter explemur, sinceris tractemus obsequiis, et semper fideli mente sumamus. Per.

Super populum. — Deus qui in deserti regione multitudinem populi tua virtute satiasti, in hujus quoque sæculi transeuntis excursu victum nobis spiritalem, ne deficiamus, impende. Qui vivis et regnas.

[d] FERIA II IN HEBDOMADA QUARTA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per.

Super oblata. — Oblatum tibi, Domine, sacrificium vivificet nos semper et muniat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam suppliciter misericordiam implorare, ut exercitatio veneranda jejunii salutaris, nos a peccatorum nostrorum maculis purgatos reddat, et ad supernorum civium societatem perducat, ut et hic devotorum actuum sumamus augmentum, et illic æternæ beatitudinis percipiamus emolumentum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Divini satiati muneris largitate, quæsumus, Domine Deus noster, ut in hujus semper participatione vivamus. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

53 [e] FERIA III IN HEBDOM. IV QUADRAGESIMÆ.

Sacræ nobis, Domine, quæsumus, observationis jejunia, et piæ conversationis augmentum, et tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Dominum.

Super oblata. — Purifica nos, misericors Deus, ut Ecclesiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia munera deferentis, fiant expiatis mentibus gratiores. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Mediatorem Dei et hominum, Jesum Christum Dominum nostrum: qui mediante die festo ascendit in

[a] Legitur apud Pamel. et in Kalend. Rom.: *Ad sanctam Susannam*, quibus favent Mss.

[b] In C. Pamel. habes pro statione *ad Jerusalem*. Assentiuntur Codd. Reg. Suec. et duo Theod. At in Kalend. Rom. legitur: *In Suxurio*, quod idem significare putat Joan. Fronto ac *in sessorio*; ipsius notas ad hunc locum consule.

[c] Benedictio hæc legitur in Benedictionali; abest autem a Cod. Theodor. et Ed. Vatic.

[d] Magno consensu statio hujus fer. est *ad sanctos quatuor Coronatos*.

[e] Istius fer. statio pari consensu *ad sanctum Laurentium in Damaso*, sive, ut habet Cod. Reg. Suec., *in Damasum*. In Kalendar. Rom. legitur tantum: *In titulo Damasi*, dissimulato sancti Laurentii nomine.

templum docere, qui de cœlo descendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare; cujus descensus genus humanum doctrina salutari instruit, mors a perpetua morte redemit, ascensio ad cœlestia regna perducit. Per quem te, summe Pater, poscimus, ut, ejus institutione edocti, salutaris parcimoniæ devotione purificati, ad tua perveniamus promissa securi. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Cœlestia dona capientibus, quæsumus, Domine, non ad judicium pervenire patiaris quod fidelibus tuis ad remedium providisti. Per.

Super populum. — [a] Tueatur, quæsumus, Domine, dextera tua populum tuum deprecantem, et purificatum dignanter erudiat, ut consolatione præsenti ad futura bona proficiat. Per Dominum nostrum.

[b] FERIA IV IN HEBDOMADA QUARTA.

Omnipotens sempiterne Deus, qui et justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium veniam præbes, miserere supplicibus, parce peccantibus, ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum nostrum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet, ut, terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

Super oblata. — Supplices, Domine, te rogamus, ut his sacrificiis peccata nostra mundentur, quia tunc veram **54** nobis tribuis et mentis et corporis sanitatem. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui illuminatione suæ fidei tenebras expulit mundi, et genus humanum, quod primæ matris uterus profuderat cæcum, Incarnationis suæ mysterio reddidit illuminatum, fecitque filios adoptionis, qui tenebantur vinculis justæ damnationis. Per ipsum te petimus, ut tales in ejus inveniamur justissima examinatione, quales facti sumus in lavacri salutaris felicissima regeneratione, ut, ejus Incarnationis medicamine imbuti, sacrosancti lavacri ablutione loti, parcimoniæ devotione ornati, ad æterna gaudia perveniamus illæsi. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sacramenta quæ sumpsimus, Domine Deus noster, et spiritalibus nos repleant alimentis, et corporalibus tueantur auxiliis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium, et, ut petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare. Per.

[c] FERIA V IN HEBDOMADA QUARTA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adversantia, te adjuvante, superemus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Efficiatur hæc Hostia, Domine, quæsumus, solemnibus grata jejuniis: et, ut tibi fiat acceptior, purificatis mentibus immoletur. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: cujus bonitas hominem condidit, justitia damnavit, misericordia redemit. Te humiliter exoramus ut sicut per illicitos appetitus a beata regione decidimus, sic ad æternam patriam per abstinentiam redeamus. Sicque moderetur tua miseratione nostra fragilitas, ut et transitoriis subsidiis nostra sustentetur mortalitas, et per bonorum operum incrementa beata acquiratur immortalitas. Per Christum.

Ad Complendum. — Sancta tua nos, Domine, quæsumus, et vivificando renovent, et renovando vivificent. Per Dominum nostrum.

55 *Super populum.* — Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle, ut semper tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Per eumdem Dominum.

FERIA [d] VI IN HEBDOMADA QUARTA.

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas sacramentis, præsta, quæsumus, ut Ecclesia tua et æternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. Per.

Super oblata. — Munera nos, quæsumus, Domine, oblata purificent, et te nobis jugiter faciant esse placatum. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui est dies æternus, lux indeficiens, claritas sempiterna. Qui sic sequaces suos in luce præcepit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, et ad lucis patriam feliciter pervenire. Qui per humilitatem assumptæ humanitatis Lazarum flevit, per Divinitatis potentiam vitæ reddidit, genusque humanum (22?) quadrifida peccatorum mole obrutum ad vitam reduxit. Per quem petimus jejunii observatione a peccatorum nostrorum nexibus solvi, æternæ vitæ felicitati reddi, et sanctorum cœtibus connumerari. Per quem.

Ad Complendum. — Hæc nos, quæsumus, Domine, participatio sacramenti, et propriis reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur adversis. Per.

Super populum. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per.

[a] Hæc oratio in Cod. Pamelii legitur in officio feriæ præcedentis cum hoc titulo: *Ad vesperos.* Abest a Cod. Reg. Suec., ad quem tamen multum accedit Edit. Pameliana.

[b] Statio assignatur *ad sanctum Paulum* in omnibus libris nostris qui stationum meminerunt.

[c] Indicitur statio *ad sanctum Silvestrum*, in laudatis supra Codd. qui de stationibus agunt.

[d] In iisdem supra laud. Codd. legitur hic: *Ad sanctum Eusebium.*

[a] SABBATO IN HEBDOM. QUARTA.

Fiat, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Oblationibus, quæsumus, Domine, placare susceptis, et ad te nostras, etiam rebelles, compelle propitius voluntates. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: misericordiæ **56** dator et totius bonitatis auctor, qui jejuniis, orationibus et eleemosynis peccatorum remedia et virtutum omnium tribuis incrementa. Te humili devotione precamur, ut qui ad hæc agenda saluberrimam dedisti doctrinam, ad complendum indefessam tribuas efficaciam, ut obedienter tua exsequentes præcepta, feliciter tua capiamus promissa. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Tua, nos, quæsumus, Domine, sancta purificent, et operatione sua perficiant esse placitos. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Deus qui sperantibus in te, misereri potius eligis quam irasci, da nobis digne flere mala quæ fecimus, ut tuæ consolationis gratiam invenire valeamus. Per.

DOMINICA V IN QUADRAGESIMA. [b] DE PASSIONE DOMINI.

Quæsumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice, ut te largiente regatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per Dominum.

Super oblata. — Hæc munera, Domine, quæsumus, et vincula nostræ pravitatis absolvant, et tuæ nobis misericordiæ dona concilient. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam propensius implorantes, ut quanto magis dies salutiferæ festivitatis accedit, tanto devotius ad ejus digne celebrandum proficiamus paschale mysterium. Per Christum Dominum nostrum.

[c] *Benedictio.* — Accendat in vobis Dominus vim sui amoris, et per jejuniorum observantiam infundat in vobis donum suæ benedictionis. Amen. Sic ei parcimoniæ victimas offeratis, ut contriti ei cordis et humiliati sacrificio placeatis. Amen. Quatenus oratio vestra jejunii et eleemosynæ alis subvecta ad aures vestri conditoris ascendat, ut vos æternæ beatitudinis hæredes, et supernorum civium consortes efficiat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Adesto, nobis, Domine, Deus noster, et quos tuis mysteriis recreasti, perpetuis defende [d] præsidiis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, nobis perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris, **57** et merito et numero populus tibi serviens augeatur. Per Dominum nostrum.

[e] FERIA II IN HEBDOMADA QUINTA.

Sanctifica, quæsumus, Domine, nostra jejunia, et cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Concede nobis, Domine Deus noster, ut hæc Hostia salutaris, et nostrorum fiat purgatio delictorum, et tuæ propitiatio Majestatis. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: te suppliciter exorantes ut sic nostra sanctificentur jejunia, quo cunctorum nobis peccatorum proveniat indulgentia, quatenus, appropinquante Unigeniti Filii tui passione, bonorum operum tibi placere valeamus exhibitione. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sacramenti tui, quæsumus, Domine, participatio salutaris et purificationem nobis præbeat et medelam. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Benedictio, quæsumus, Domine, in tuos fideles copiosa descendat, et quam subjectis cordibus expetunt largiter consequantur. Per.

FERIA III [f] IN HEBDOMADA QUINTA.

Nostra tibi, quæsumus, Domine, sint accepta jejunia, quæ nos et expiando [g] gratia tua dignos efficiant, et ad (230) remedia perducant æterna. Per Dominum.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, deferimus immolandas: quæsumus, temporalem consolationem nobis impendant, ut promissa certius non desperemus æterna. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te devotis mentibus supplicare, ut nos interius exteriusque restaures, et parcimonia salutari a peccatorum sordibus purges. Et quos illecebrosis delectationibus non vis impediri, spiritalium virtutum facias vigore muniri, et sic in rebus transitoriis foveas, ut perpetuis inhærere concedas. Per Christum Dominum nostrum.

58 *Ad Complendum.* — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut quæ divina sunt, jugiter exsequen-

[a] In Kalend. Rom. hic legitur: *Ad sanctum Laurentium ad Mart.* licet in Cod. Pamel. et in nostris Mss. legatur: *Ad sanctum Laur. foris murum.* Sic quoque legendum censet Joan. Fronto.

[b] Sic legitur in omnibus libris nostris tam editis quam manu descriptis, si Kalendarium Rom. excipias, in quo, ut in cæteris pro statione legitur: *Ad sanctum Petrum.*

[c] Hæc Benedictio legitur in Benedictionali.

[d] In Ed. Pamel., *defende subsidiis*, dissentiente Cod. Reg. Suec., qui habet *præsidiis.*

[e] Statio feriæ hujus est *ad sanctum Chrysogonum.*

[f] Apud Pamel., assentientibus Mss. Reg. Suec. et Theoder., statio est *ad sanctum Cyriacum.* In Kalend. Rom. legitur: *Ad sanctum Quiriacum.* Hujus tituli mentio est præsertim in synodo Rom. sub nostro Gregorio quæ in prius Vulgatis est lib. IV, epist 44, nunc ad Registri calcem; huic enim synodo subscripsit *Aventius presbyter sancti Quiriaci.*

[g] Apud Pamel., *gratiæ tuæ dig.* Favent nobis Mss. ipseque Codex Reg. Suec.

tes, donis mereamur cœlestibus appropinquare. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Libera, quæsumus, Domine, a peccatis et hostibus tibi populum supplicantem, ut sancta conversatione viventes, nullis inficiantur adversis. Per eumdem Dominum nostrum.

FERIA [a] IV IN HEBDOMADA QUINTA.

Sanctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miseratus illustra, et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

Super oblata. — Annue, misericors Deus, ut hostias placationis et laudis sincero tibi deferamus obsequio. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te supplici devotione exorare, ut per jejunia, quæ sacris institutis exsequimur, a cunctis reatibus emundari mereamur, tuamque percipere valeamus propitiationem, qui præparamur ad celebrandam Unigeniti Filii tui passionem. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Cœlestis doni benedictione percepta, supplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis et (231) sacramenti causa sit et salutis. Per Dominum.

Alia. — Exaudi, quæsumus, Domine, gemitum populi supplicantis, et qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium, sed misericordiam consequi mereamur. Per Dominum.

[b] FERIA V IN HEBDOMADA QUINTA.

Tribue nobis, quæsumus, indulgentiam peccatorum, ut instituta jejunia tibi placitis sensibus operemur. Per Dominum.

Super oblata. — Concede nobis, Domine, quæsumus, ut celebraturi sancta mysteria, non solum abstinentiam corporalem, sed, quod est potius, habeamus mentium puritatem. Per.

59 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui sic nos tribuis solemne tibi deferre jejunium, ut indulgentiæ tuæ speremus nos percipere subsidium; sic nos instituis ad celebranda Paschalia festa, ut per hæc acquiramus gaudia sempiterna. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Vegetet nos, Domine, semper, et innovet tuæ mensæ libatio, quæ fragilitatem nostram gubernet et protegat, et in portum perpetuæ salutis inducat. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Concede, misericors Deus, ut sicut nos tribuis solemne tibi deferre jejunium, sic nobis indulgentiæ tuæ præbeas benignus auxilium. Per.

[c] FERIA VI IN HEBDOMADA QUINTA.

Cordibus nostris, Domine, benignus infunde, ut, peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur quam suppliciis deputemur æternis. Per.

Super oblata. — Præsta nobis, misericors Deus, ut digne tuis semper servire altaribus mereamur, et eorum perpetua participatione salvari. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: (232) cujus nos misericordia prævenit ut bene agamus, subsequitur ne frustra agamus, accendit intentionem qua ad bona opera peragenda inardescamus, tribuit efficaciam qua hæc ad perfectum perducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefessis vocibus obsecramus, ut nos jejunii victimis a peccatis mundatos ad celebrandam Unigeniti Filii tui Domini nostri passionem facias esse devotos. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sumpti sacrificii, Domine, perpetua nos tuitio non relinquat, et noxia semper a nobis cuncta depellat. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Protege, Domine, populum tuum, et in Majestatis tuæ patrocinio confidentem perpetua defensione guberna. Per.

60 SABBATUM [d] ANTE RAMOS PALMARUM.

Omnipotens sempiterne Deus, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut qui mala nostra semper prævenis miserando, facias tibi placitos, et piis actionibus et jejuniis salubribus expiando. Per.

Super oblata. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut jejuniorum placatus sacrificiis, remissionis tuæ nos venia prosequaris. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: cujus nos fides excitat, spes erigit, charitas jungit. Cujus miseratio gratuita purificat quos conscientiæ reatus accusat. Te igitur cum interno rugitu deprecamur, ut, carnalis alimoniæ refrenatione castigati,

[a] Apud Pamel. et in Kalend. Rom. statio assignatur *ad sanctum Marcellum*, cum quibus convenit primus Theoder. In Cod. Reg. Suec: *Ad sanctum Marcellinum*. In secundo Theoder.: *Ad sanctam Mariam*.

[b] Pro statione legitur in Kalend. Rom. et apud Pamel.: *Ad sanctum Apollinarem*. Id confirmant Mss.

[c] Hujus fer. statio, juxta eosdem Codd., est *ad sanctum Stephanum*.

[d] Apud Pamelium titulus est: *Sabbatum vacat. Dominus papa eleemosynam dat. Ad sanctum Petrum.* Ad marginem autem hæc habet: *Hunc esse verum titulum hujus diei, atque ideo sequens officium non esse Gregorianum, patet ex Ordine Romano, pag.* 41. Reddit autem rationem hujus tituli Alcuinus, quod etsi a pontifice omni tempore eleemosyna detur, specialius tamen id hodie faciat, quia Evangelium pauperum mentionem facit, cujus historia hoc die ante sex dies Paschæ contigit. In Cod. Reg. Suec. legitur: *Sabbatum, ad sanctum Petrum quando eleemosyna datur.* Consentit huic lect. secundus Theod.; prior autem eadem habet ac Pamel. Ed. In Kalend. Rom. vero: *Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi.*

ad ... paschale mysterium inveniamur idonei. Per Christum.

Ad Complendum. — Adesto, Domine, fidelibus tuis, et quos cœlestibus reficis sacramentis, a terrenis conserva periculis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Plebs tua, Domine, quæsumus, benedictionis sanctæ munus accipiat, per quod et noxia quæque declinet, et optata reperiat. Per Dominum.

(233) DOM. IN RAMIS PALMARUM [a].

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere et crucem subire fecisti, concede propitius ut et patientiæ ipsius habere documenta, et Resurrectionis consortia mereamur. Qui tecum vivit.

Super oblata. — Concede, quæsumus, Domine, ut oculis tuæ Majestatis munus oblatum, et gratiam nobis devotionis obtineat, et effectum beatæ perennitatis acquirat. Per.

[b] *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem nobis indulgentia largitur, et pax per omne sæculum prædicatur, traditur cunctis credentibus disciplina, ut sanctificatos nos possit dies venturus excipere. Et ideo cum angelis.

61 *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, cui et jejuniorum maceratione, et præsentium dierum observatione placere studetis. Amen. Concedatque vobis ut sicut ei (234) cum ramis palmarum cæterarumve frondium præsentari studuistis, ita cum palma victoriæ et fructu bonorum operum post obitum apparere valeatis. Amen. Quique Unigeniti Filii ejus passionem puro corde creditis, mente devota venerari studetis, ad resurrectionis ejus festa et vestræ remunerationis præmia ipsius fulti munimine veniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præsta nobis, omnipotens Deus, ut quia vitiis subjacet nostra mortalitas, tua nos medicina purificet, et potentia tueatur. Per.

Super populum. — Da, misericors Deus, ut quod in tui Filii passione mundus exercuit, salutare nobis fidelibus sentiamus. Per.

[c] FERIA II POST PALMAS.

(235) Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente Unigeniti Filii tui passione respiremus. Qui tecum.

Alia. — Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et famulos tuos æterna protectione sanctifica: pro quibus Jesus Christus Filius tuus per suum cruorem nobis instituit paschale mysterium. Qui tecum vivit.

Super Oblata. — Hæc sacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos ad suum faciant puriores venire principium. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus nos humanitas colligit, (236) humilitas erigit, traditio absolvit, pœna redemit, crux salvificat, sanguis emaculat, caro saginat. Per quem, te, summe Pater, cum jejuniorum obsequiis obsecramus, ut ad ejus celebrandam passionem purificatis mentibus accedamus. Per quem.

Ad Complendum. — Præbeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem, quo eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Adjuva nos, Deus salutaris noster, et ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, **62** tribue venire gaudentes. Per Dominum nostrum.

FERIA III POST [d] PALMAS.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita dominicæ passionis (237) sacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eumdem.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Christi tui beata passione nos reparas, conserva in nobis opera misericordiæ tuæ, ut in hujus celebritate mysterii perpetua devotione vivamus. Per.

Super oblata. — Sacrificia nos, quæsumus, Domine, propensius ista restaurent, (238) quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus salutiferæ passionis, et gloriosæ Resurrectionis dies appropinquare noscuntur, in quibus et antiqui hostis superbia triumphatur, et nostræ redemptionis mysterium celebratur. Unde poscimus tuam immensam clementiam, ut sicut in eo solo consistit totius nostræ salvationis summa, ita per eum tibi sit jejuniorum et actuum nostrorum semper victima grata. Per quem.

Ad Complendum. — Repleti, Domine, sacri muneris gratia, supplices exoramus, ut quæ gustu corporeo dulci veneratione contingimus, dulciora mentibus sentiamus. Per Dominum nostrum.

[a] In Edit. Pamel., cui consentiunt Mss.: *Ad sanctum Joannem in Lateranis.* In Kalend. Rom. tantum legitur *in Lateranis.* In Cod. Reg. Suec. legitur hæc ramorum Benedictio, quæ abest ab Ed. Pamel. et aliis. Eamdem exhibet primus Theoder.: *Deus, cujus filius pro salute generis humani de cœlo descendit ad terras, et appropinquante hora passionis suæ Hierosolymam in asino venire, et a turbis rex appellari ac laudari voluit, benedicere dignare hos palmarum cæterarumve frondium ramos, ut omnes qui eos laturi sunt ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus et in hoc sæculo hostis antiqui tentamenta superare, et in futuro cum palma victoriæ et fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eumdem.*

[b] Aliam Præfat. habet Edit. Angeli Roccæ, seu Vaticana.

[c] In Cod. Reg. Suec. et secundo Theoder. statio *ad sanctam Praxedem.* Idem habet Pamelius. At in Kalend. Rom. et in primo Theoder. legitur: *Ad sanctos Nereum et Achilleum.*

[d] Consentiunt Codices omnes in assignanda statione *ad sanctam Priscam.*

Super populum. — Tua nos misericordia, Deus, et ab omni subreptione vetustatis expurget, et capaces sanctæ novitatis efficiat. Per Dominum.

FERIA [a] IV.

[b] *Hora tertia pontifex cum clero et ordine suo procedit ad altare in ecclesia majore : et* (239) *dicit Orationes solemnes hoc ordine :* (240) Oremus. *Et Diaconus :* (241) Flectamus genua. (242) *Postquam oraverint,* (243) *dicit,* Levate. *Et pontifex dat orationem.*

Deus, a quo et Judas reatus sui pœnam et confessionis suæ latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum.

Post, Amen *sequitur, et dicit Orationes solemnes :* (244) *tantummodo pro se intermittit. Alii vero sacerdotes in suis ecclesiis pro eo dicunt. Et cum in cæteris flectant genua,* (245) *pro Judæis non flectant.*

63 Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei; ut eam Deus et Dominus noster pacificare et custodire dignetur toto orbe terrarum, subjiciens ei principatus et potestates, detque nobis quietam et tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem.

Oremus. *Dicit Diaconus :* Flectamus genua. *Postquam oraverint, dicit :* Levate.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Christo gentibus revelasti, custodi opera misericordiæ tuæ, ut Ecclesia tua toto orbe diffusa stabili fide in confessione tui nominis perseveret. Per eumdem Dominum nostrum.

Oremus et pro beatissimo papa nostro *Ill.*, ut Deus et Dominus noster, qui elegit eum in ordinem episcopatus, salvum atque incolumem custodiat Ecclesiæ suæ sanctæ ad regendum populum sanctum Dei.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio universa fundantur, respice propitius ad preces nostras, et electum nobis antistitem tua pietate conserva, ut Christiana plebs, quæ tali gubernatur auctore, sub tanto pontifice, credulitatis suæ meritis augeatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oremus et pro omnibus episcopis, presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, acolythis, exorcistis, lectoribus, ostiariis, (246) confessoribus, (247) virginibus, (248) viduis, et pro omni populo sancto Dei.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, cujus spiritu totum corpus Ecclesiæ sanctificatur et regitur, exaudi nos pro universis ordinibus supplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter serviatur. Per eumdem Dominum.

Oremus et pro (249) Christianissimo rege nostro *Ill.*, ut Deus et Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus in cujus manu sunt omnium potestates et omnia jura regnorum, (250) respice ad Romanorum atque Francorum benignus imperium, ut gentes quæ in sua feritate confidunt potentiæ tuæ dextera comprimantur. Per.

Oremus et pro catechumenis nostris, ut et Deus et Dominus noster adaperiat aures præcordiorum ipsorum, januamque misericordiæ, ut per lavacrum regenerationis, accepta remissione omnium peccatorum, et ipsi inveniantur in Christo Jesu Domino nostro.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam nova semper prole fecundas, auge fidem et intellectum catechumenis nostris, ut, renati fonte baptismatis, adoptionis tuæ filiis aggregentur. Per.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, **64** vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse. Per.

Oremus et pro hæreticis atque schismaticis, ut Deus ac Dominus noster eruat eos ab erroribus universis, et ad sanctam matrem Ecclesiam catholicam atque apostolicam revocare dignetur.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, ut, omni hæretica pravitate deposita, errantium corda resipiscant, et ad veritatis tuæ redeant unitatem. Per Dominum nostrum.

Oremus et pro perfidis Judæis, ut Deus et Dominus noster auferat velamen de cordibus eorum, ut et ipsi agnoscant Jesum Christum Dominum nostrum.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui etiam Judaicam perfidiam a tua misericordia non repellis, exaudi preces nostras, quas pro illius populi obcæcatione deferimus, ut, agnita veritatis tuæ luce, quæ Christus est, a suis tenebris eruantur. Per eumdem Dominum nostrum.

Oremus et pro paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, et relictis idolis suis convertantur ad Deum vivum et verum, et unicum Filium ejus Jesum Christum Deum et Dominum nostrum, cum quo vivit et regnat cum Spiritu sancto Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, qui non mortem peccatorum, sed vitam semper inquiris, suscipe propitius orationem nostram, et libera eos ab idolorum cultura, et aggrega Ecclesiæ tuæ sanctæ ad laudem et gloriam nominis tui. Per.

[a] Ubique legitur pro statione *ad sanctam Mariam*, scilicet, *Majorem*, ut habent omnes Codd., excepto Kalend. Rom.

[b] Omnes orationes hic assignatæ nullibi leguntur in hac fer. 4, præterquam in Codd. Angeli Roccæ, seu Vatic., apud Guss. recusa et Menard.

(251) *Quibus expletis, osculatur altare, et egreditur. Postea vero* (252) *hora octava ingrediuntur ad missam hoc ordine : Dicit* (253) *schola antiphonam ad introitum. Qua finita, dat orationem pontifex.*

(254) [a] Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per Unigeniti tui passionem liberemur. Qui.

Deinde legitur lectio una. Sequitur Resp. Postea dicatur altera.

Oratio. — Deus qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum [b] subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis, ut Resurrectionis gratiam consequamur. Per eumdem.

(255) *Sequitur altera lectio, et postea responsorium,* Domine, exaudi, *cum suis versibus quinque. Deinde pronuntiatur a diacono,* (256) Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Lucam. *Qua perlecta expletur Missa ordine suo.*

65 *Super oblata.* — Suscipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, et dignanter operare ut quod passionis Filii tui Domini nostri mysterio gerimus, piis effectibus consequamur. Per eumdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : qui innocens pro impiis voluit pati, et pro sceleratis indebite condemnari. Cujus mors delicta nostra detersit, et resurrectio justificationem nobis exhibuit. Per quem tuam pietatem supplices exoramus, ut sic nos hodie a peccatis emacules, ut cras venerabilis cœnæ dapibus saties; hodie acceptes confessionem nostrorum peccaminum, et cras tribuas spiritalium incrementa donorum; hodie jejuniorum nostrorum vota suscipias, et cras nos ad sacratissimæ cœnæ convivium introducas. Per quem.

Benedictio. — Omnipotens Deus qui Unigeniti sui passione tribuit vobis humilitatis exemplum, concedat vobis per eamdem humilitatem percipere suæ benedictionis ineffabile donum. Amen. Ipsius Resurrectionis percipiatis consortia, cujus patientiæ veneramini documenta. Amen. Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem, æternam vos evadere creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — (257) Largire sensibus nostris, omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam mysteria veneranda testantur, vitam te nobis dedisse perpetuam confidamus. Per eumdem.

Super populum. — Respice, Domine, quæsumus, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit.

[c] FERIA V.

Inde hora (258) *tertia ingressi sacrarium, induunt* (259) *dalmaticas, tam pontifex, quam omnes diaconi, vel omnia ornamenta, sedente pontifice in sella sua; et præparantur* (260) *ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut,* (261) *accepto balsamo, et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam. Illam vero aliam ministri retineant plenam. Et pontifex, lotis manibus, procedit cum septem* (262) *cereostatis ad Missam. Dicta Antiphona ad introitum, dicit,* Gloria in excelsis Deo. *Quo finito, dicit,* (263) Pax vobis, *et dat orationem hanc. Et cætera omnia sicut in alia solemni Missa.*

Deus, a quo et Judas reatus sui pœnam, et confessionis suæ Latro præmium sumpsit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione sua Jesus Christus Dominus noster diversa utrisque intulit stipendia meritorum, ita nobis, ablato vetustatis errore, **66** Resurrectionis suæ gratiam largiatur.

Tunc legitur Epistola, et sequitur Resp. Gradale et Tractum ac deinde Evangelium, quo lecto, peragitur Missa ordine suo.

Super oblata. — Ipse tibi, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, Deus, sacrificium nostrum reddat acceptum, qui discipulis suis in sui commemorationem hoc fieri (264) hodierna traditione monstravit Jesus Christus Dominus noster.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem mens sibi conscia traditoris ferre non potuit, sed, apostolorum relicto consortio, sanguinis pretium a Judæis accepit, ut vitam perderet quam (265) distraxit. Cœnavit igitur hodie proditor mortem suam, et cruentis manibus panem de manu Salvatoris exiturus accepit, ut saginatum cibo major pœna constringeret, (266) quem nec sacrati cibi collatio a scelere revocaret. Patitur itaque Dominus noster Jesus Christus Filius tuus cum hoste novissimum participare convivium, a quo se noverat continuo esse tradendum, ut exemplum innocentiæ mundo relinqueret, et passionem suam pro sæculi redemptione suppleret. Patitur mitis Deus immitem Judam, et sustinet pius crudelem convivam, qui merito laqueo suo periturus erat, quia de Magistri sanguine cogitarat. O Dominum per omnia patientem! O Agnum inter suas epulas mitem! Cibum ejus Judas in ore ferebat, et quibus eum traderet persecutores advocabat. Sed Filius tuus Dominus noster, tanquam pia Hostia, et immolari se tibi pro nobis patienter permisit, et peccatum quod mundus commiserat, relaxavit. Quæsumus igitur ut qui pro salute nostra se tradi permisit, ipse nos suæ gratiæ dono locupletet; et qui per buccellam panis suum prodidit traditorem, ipse nos sui panis perceptione faciat sibi inhærere; quique discipulorum pedes eluere digna-

[a] Hic incipit officium hujus feriæ in aliis Codicibus sive excusis sive scriptis.

[b] Apud Pamel., *subire fecisti*. Favet nostræ lectioni Codex Reg. Suec.

[c] Hic variant Cod. in Kalend. Rom. legitur : *Ad Lateranis conficitur chrisma.* Apud Pamel. : *Ad sanctum Joannem in Lateran.* In primo Theod., *statio ad sanctum Petrum.*

tus est hodie, ipse nos ab omnibus delictis emaculet, et cœtui fidelium discipulorum associet. Per quem Majestatem, etc.

Te igitur, clementissime Pater, etc.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, (267) quo Dominus noster Jesus Christus pro nobis est traditus; sed et memoriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem in (268) qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, ut placatus.

Qui pridie quam pro nostra omnium salute pateretur, hoc est, hodie, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.

(269) *Tunc offertur pontifici oleum, et benedicit eum tam ipse, quam omnes presbyteri ad ungendum infirmum, his verbis :*

[a] Emitte, Domine, Spiritum sanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, **67** quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua sancta benedictione sit omni hoc unguentum tangenti tutamentum mentis et corporis, ad evacuandos omnes dolores, omnesque infirmitates, omnem ægritudinem corporis. Unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres, (270) chrisma tuum perfectum, Domine, a te benedictum in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas, san†ctificas, vivi†ficas, be†nedicis et præstas nobis. Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Oremus. Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum, etc.

Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, et beatis apostolis tuis, Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut, ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum.

Benedictio. — Benedicat vos Deus, qui per Unigeniti Filii sui passionem vetus Pascha in novum voluit converti; concedatque vobis ut, expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio. Amen. Et quia ad celebrandam Redemptoris Cœnam mente devota convenistis, æternarum dapum vobiscum epulas reportetis. Amen. Ipsius quoque opitulante clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui, ad insinuandum humilitatis exemplum, pedes voluit lavare discipulorum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et pax Domini sit semper vobiscum, et cum spiritu tuo.

Tunc communicat solus episcopus, et diaconus offert ei calicem, illo tantummodo die. Postquam communicaverit, ponit calicem super altare, deinde acceptam a subdiacono patenam ponit juxta calicem de latere sinistro, et statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ora alteris, e regione pontificis post corporale expansam. Et continuo duo acolythi involutas ampullas cum sindone alba serica, ita ut videri possint a medio, tenent in brachio sinistro, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingant scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri. A quibus sub humero stantibus, venit subdiaconus et accipit ampullam commissam, una cum sindone, et dat eam archidiacono, et ille defert pontifici ante sedem. Tunc pontifex stans in sede, et (271) respiciens ad orientem, archidiacono tenente ante ipsum ampullam in sinistro brachio revoluta sindone, ut supra præfiximus, et halat in ipsa ampulla, et intrat (272) in consecrationem chrismatis excelsa voce :

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum **68** corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; qui in principio, inter cætera bonitatis et pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna jussisti, inter quæ hujus pinguissimi liquoris ministræ oleæ nascerentur, quarum fructus sacro chrismati deserviret. Nam et David, prophetico spiritu gratiæ tuæ sacramenta prænoscens, vultus nostros in oleo exhilarandos esse cantavit. Et cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuso, similitudinem futuri muneris columba demonstrans, (273) per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit. Quod in novissimis temporibus manifestis est effectibus declaratum, cum baptismatis aquis omnium criminum commissa delentibus, hæc olei unctio vultus nostros jucundos efficit ac serenos. Inde etiam Moysi famulo tuo mandatum dedisti, ut Aaron fratrem suum prius aqua lotum per infusionem hujus unguenti constitueret sacerdotem. Accessit ad hoc amplior honor, cum Filius tuus Jesus Christus Dominus noster lavari se a Joanne undis Jordanicis exegisset, ut, Spiritu sancto in columbæ similitudinem desuper misso, Unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuisset, testimonio subsequentis vocis ostenderes, et hoc illud esse manifestissime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ consortibus suis ungendum David propheta cecinisset. Te igitur deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per eumdem Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, ut hujus creaturæ pinguedinem...

[a] In Ed. Pamel. hic præmittitur : *Benedictio olei.* Verum addendum ex Cod. Reg. Suec., *ad infirmum.* In eadem Benedictione, *emitte,* etc.; deest apud Pamelium, *per quem hæc omnia, Domine,* etc., quæ in Cod. Reg Suec. habentur.

dinem sanctificare tua benedictione digneris, et sancti Spiritus ei admiscere virtutem, cooperante potentia Christi tui, a cujus sancto nomine chrisma nomen accepit; (274) unde unxisti sacerdotes, (275) reges, (276) prophetas et (277) martyres, ut spiritalis lavacri baptismo renovandis creaturam chrismatis in sacramentum perfectæ salutis vitæque confirmes; ut sanctificatione unctionis infusa, corruptione primæ nativitatis absorpta, sanctum uniuscujusque templum acceptabilis vitæ, innocens odore redolescat; ut secundum constitutionis tuæ sacramentum regio et sacerdotali propheticoque honore perfusi, vestimento incorrupti muneris induantur; ut sit his qui renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes, et cœlestis gloriæ facias esse consortes. Per eumdem Dominum [a].

(278) *Qua expleta, benedicit ampullam ordine quo supra declaratum est; et similiter halat in ipsa, sed tacite ipsam benedicit.*

Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Deus incrementorum et (279) profectuum spiritalium, qui virtute sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus, Domine, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem istius creaturæ purgationem mentis et corporis, ut, si quæ illis adversantium spirituum maculæ inhæserunt, ad tactum sanctificati olei hujus abscedant. Nullus spiritalibus nequitiis locus, nulla (280) refugis virtutibus sit **69** facultas, nulla insidiantibus malis latendi licentia relinquatur; sed venientibus ad fidem servis tuis, et sancti Spiritus tui operatione mundandis, sit unctionis hujus præparatio utilis ad salutem, quam etiam cœlestis regenerationis nativitate in sacramento sunt baptismatis adepturi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filum tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem.

Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit cooperitur, ut a nemine videatur; sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutent; nam episcopus et diaconi omnes eam nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus, pontifex vadit ante altare, et (281) *communicat omnis populus in ordine suo, et* (282) *servant de ipso sacrificio in crastinum, unde communicent.*

Ad Complendum. — Refecti vitalibus alimentis, quæsumus, Domine, Deus noster, ut quod tempore nostræ mortalitatis exsequimur immortalitatis tuæ munere consequamur. Per Dominum nostrum [b].

(283) FERIA [c] VI.

(284) *Hora tertia conveniunt omnes presbyteri tam civitatis quam de suburbanis, et omnis clerus cum populo in ecclesia statuta intra Urbem, non tamen in majori ecclesia, et exspectant pontificem, vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de sacrario, processerit ante altare, ad orandum ordine quo in* (285) *Sacramentario continetur; mox ut surrexerit, cum silentio* (286) *ascendit ad sedem. Quo sedente statim subdiaconus ascendit ad legendum. Et post hæc cantatur canticum* Domine, audivi; *deinde sequitur altera lectio, post quam sequitur Tractus* Deus laudem meam. *Quo finito, legitur* Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem. *Hac expleta, venit pontifex ante altare, et dicit :* Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, *etc.* (287) *Sicut in* [d] *quarta feria habentur. Quas ut finierit, statim duo diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, et ista omnia tacite, et exeunt foras; presbyteri vero ecclesiarum, sive de urbe, sive de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta ad vesperum faciant. Hoc tantum mutantes, ut ubi pontifex meminit Apostolicum, ipsi nominent episcopum suum. Ad Vesperum vero tam in ecclesia in qua pontifex dicit Orationes, quam in cæteris presbyterorum, post Orationes præparatur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare, sustentata hinc inde a duobus acolythis. Posito ante eam in* (288) *oratorio, venit pontifex,* (289) *adoratam deosculatur crucem. Deinde episcopi, presbyteri, diaconi, et cæteri per ordinem, deinde populus; pontifex vero redit in sedem usque dum omnes salutent; presbyteri vero duo priores, mox ut salutaverint, intrant in sacrarium, vel ubi positum fuerit* **70** *corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patena; et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit unus presbyter patenam, et* (290) *alter calicem, et deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutet populus crucem : nam salutante pontifice, vel populo crucem,* (291) *canitur semper Antiphona* Ecce lignum crucis. *Dicitur* (292) *Psalmus* CXVIII. *Qua salutata, et reposita in loco suo, descendit pontifex ante altare, et dicit :*

Oremus. — Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum; Adveniat regnum tuum; Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra; Panem nostrum quotidianum da nobis hodie; Et dimitte nobis debita nostra sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; Et ne nos inducas in tentationem. *Resp.* Sed libera nos a malo.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, et beatis apostolis tuis Petro et Paulo atque Andrea, et omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut, ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato

[a] Post hanc Benedictionem sequitur apud Pamel. exorcismus olei : *Deus qui virtute sancti Spiritus*, etc.

[b] In Ed. Vatic. seu Angeli Roccæ sequitur : *Item oratio ad reconciliandum pœnitentem*, cum quatuor aliis Orat. in eamdem rem. His subduntur, *ad Missam, super oblata, et ad complendum*, tres Orationes.

[c] Apud Pamel. pro statione tantum legitur *in Jerusalem*. In Kalend. Rom. : *In Sussurio, quod est in basilica Jerusalem.*

[d] In Oratione pro imperatore et imperio, quæ habetur in aliarum serie quarta, Ms. Reg. Suec. habet : *Respice ad Christianum benignus imp.*; primus Theoder. : *Ad Christianiss.* Pamelius, cui favet secundus Theod. : *Ad Romanum.*

simus semper liberi et ab omni perturbatione securi. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cum dixerint Amen, *sumit de* (293) *sancta, et ponit in calicem* (294) *nihil dicens. Et* (295) *communicant omnes cum silentio, et* (296) *expleta sunt universa.*

A feria 5, *vespere,* (297) *nuda sint altaria usque mane Sabbati* [a].

(298) [b] SABBATO SANCTO.

Hora (299) *octava veniunt omnes tam clerus, quam populus in ecclesiam, et ingrediuntur clerici in sacrarium, et induunt se vestimentis, sicut mos est, et tunc illuminantur duo cerei, quos tenent duo* (300) *notarii, unus in dextro cornu altaris, et alter in sinistro, et ascendit lector in* (301) *ambonem pronuntians :*

Lectio libri Genesis : In Principio. *Similiter et illas lectiones omnes. Ante* In Principio, *non dicit Orationem. Prima lectione finita, dicit hanc Orationem :*

Deus, qui mirabiliter creasti hominem, et mirabilius redemisti, da nobis contra oblectamenta peccati mentis ratione persistere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire. Per Dominum nostrum.

Lectio libri Genesis : Tentavit Deus Abraham.

Deus, qui in Abrahæ famuli tui opere humano generi obedientiæ exempla præbuisti, concede nobis, et nostræ voluntatis pravitatem frangere, et tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere. Per.

71 *Lectio Libri Exodi :* Dixit Dominus ad Moysen et Aaron.

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua posteritatis genus omne successerat, Christi tui Domini nostri passione solvisti, da ut conformes eidem facti, sicut imaginem terreni, naturæ necessitate, portavimus, ita imaginem cœlestis, gratiæ sanctificatione portemus Christi Domini nostri. Qui tecum vivit.

Lectio Libri Exodi : Factum est in vigilia matutina.

Canticum : Cantemus.

Deus cujus antiqua miracula in præsenti quoque sæculo coruscare sentimus, præsta, quæsumus, ut sicut priorem populum ab Ægyptiis liberasti, hoc ad salutem gentium per aquas baptismatis opereris. Per.

Lectio (302) *Isaiæ prophetæ :* Hæc hæreditas.

Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas, concede propitius ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per.

Lectio Isaiæ Prophetæ : Apprehendent septem mulieres.

Canticum : Cantemus.

Deus, qui nos ad celebrandum paschale sacramentum utriusque Testamenti paginis instruis, da nobis intelligere misericordiam tuam, ut ex perceptione præsentium firma sit exspectatio futurorum. Per.

Lectio Jonæ Prophetæ : Factum est Verbum Domini.

Deus, qui divitias misericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris, propitiare universo ordini sacerdotalis officii, et omnes gradus famulatus nostri perfecta delictorum remissione sanctifica, ut ministraturos regeneratrici gratiæ tuæ nulli esse obnoxios patiaris offensæ. Per.

[c] *Lectio Isaiæ Prophetæ :* Hæc dicit Dominus in die illa radix Jesse.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui festa paschalia agimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

Tract. Sicut cervus desiderat ad fontes.

Alia Oratio, in eodem psalmo. — Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius ad devotionem populi renascentis, qui, sicut cervus, aquarum tuarum expetit fontem, et concede propitius, ut fidei ipsius sitis, baptismatis mysterio, animam corpusque sanctificet. Per Dominum nostrum.

Expletis lectionibus, statim (303) *venit unus ministrorum tenens ampullas in manibus suis, stat in dextro cornu altaris, qui præcedat pontificem ad fontes. Tunc deinde schola descendit ad fontes ad litaniam faciendam, exspectantes parati pontificem. Secundus vero scholæ tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde pontifex mittat chrisma in fontem, et jussi faciunt* (304) *litaniam septenam; et cum jam prope finem ejus fuerint, tunc procedit pontifex cum omni decore, sustentatus a duobus diaconibus : Et illa* (305) *duo cereostata, quæ antea fuerant illuminata, semper ante ipsum procedunt usque dum omnia finierit. Qui mox, ut venerit ante fontes,* (306) *stans benedicit fontes, dicens ea voce, qua alias orationes. Et prima oratio a* Dominus vobiscum **72** *incipit, et finitur* Per omnia sæcula sæculorum, *sicut alia Oratio ad Missam.*

Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oremus. — Omnipotens sempiterne Deus, adesto magnæ pietatis tuæ mysteriis, adesto sacramentis, et ad creandos novos populos, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis emitte ut quod nostræ humilitatis gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.

Consecratio fontis canitur sicut præfatio, usque Et Spiritus sancti : *et non incipit a* Vere dignum. *Deinde dicitur decantado.*

Deus, qui invisibili potentia sacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, et licet nos tantis mysteriis exsequendis simus indigni, tu tamen, gratiæ tuæ dona non deserens, etiam ad nostras preces aures tuæ pietatis inclinas. Deus, (307) cujus Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur, ut jam

[a] In fine officii hujus feriæ apud Pamelium sequitur : *Ordo ad faciendum catechumenum*, qui non reperitur in Cod. Reg. Suec. magna saltem ex parte.

[b] Stationis hac die nulla fit mentio, nisi in Kalend. Rom., ubi legitur : *Sabbato sancto, ad Lateranis.*

[c] Hæc lectio cum Oratione sequenti omittitur in Ed. Vatic.

tunc virtutem sanctificationis aquarum natura (308) concip eret. Deus, qui, (309) nocentis mundi crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa diluvii effusione signasti, ut unius ejusdemque elementi mysterio, et finis esset vitiis et origo virtutibus, respice, Domine, in faciem Ecclesiæ tuæ, et multiplica in ea regenerationes tuas, qui gratiæ tuæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptismatis aperis, toto orbe terrarum (310) gentibus innovandis, ut tuæ Majestatis imperio sumat Unigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.

† *Hic cum manu sua dividit aquam in* (311) *modum crucis.*

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana sui luminis admistione fecundet, ut, sanctificatione concepta, ab immaculato divini fontis utero in novam renata creaturam progenies cœlestis emergat. Et quos aut sexus in corpore, aut ætas discernit in tempore, omnes in unam pariat gratia mater infantiam. Procul ergo hinc, jubente te Domine, omnis spiritus immundus abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admistio, non insidiando circumvolet, non latendo (312) subripiat, non inficiendo corrumpat. Sit hæc sancta et innocens creatura libera ab omni impugnatoris incursu, et totius nequitiæ purgata discessu; sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans; ut omnes hoc lavacro salutifero diluendi, operante in eis Spiritu sancto, perfectæ purgationis indulgentiam consequantur.

Un†de benedico te creatura aqu†æ, per Deum vivu†m, per Deum sanctum qui te (313) in mundi creatione principio Verbo separavit ab arida, cujus (314) Spiritus super te ferebatur, qui (315) te de paradiso manare et in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit; (316) qui te in deserto amaram, suavitate indita, fecit esse potabilem, et sitienti populo de petra produxit. Be†nedico te et per Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui te in Cana Galilææ, signo admirabili, sua potentia, convertit in vinum, qui pedibus super te ambulavit, et a Joanne in Jordane in te baptizatus est. Qui te una cum sanguine suo de latere produxit, et discipulis suis jussit ut credentes baptizarentur in te, dicens: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine † Patris, et Filii † et Spiritus sancti.

73 *Hic mutat vocem quasi lectionem legens :*

Hæc nobis præcepta servantibus tu, Deus omnipotens, clemens adesto, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces.

(317) *Et mittuntur prædicti duo cerei intus in baptisterio. Hic* (318) *sufflat tribus vicibus in aqua.*

Descendat, Domine, in hanc plenitudinem fontis, virtus Spiritus tui, totamque hujus aquæ substantiam, regenerandi fecundet effectu. Hic omnium peccatorum maculæ deleantur, hic natura ad imaginem tuam condita, et ad honorem sui reformata principii, vetustatis cunctis squaloribus emundetur, ut omnis homo hoc sacramentum regenerationis ingressus in veræ innocentiæ novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Inde accipiens vas aureum cum chrismate, (319) *fundit chrisma in fonte, in* (320) *modum crucis, et expandit aquam cum manu sua. Tunc baptizantur infantes, primum masculi, deinde feminæ. Et tenente eo infantem, a quo suscipiendus est, interrogat pontifex, vel sacerdos ita :* Quis (321) vocaris? *Resp.* Ill. *Item interrogat sacerdos:* (322) Credis in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ? *Resp.* Credo. *Interrogat :* Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum, nostrum, natum et passum? *Resp.* Credo. *Interrogat :* Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam? *Resp.* Credo. *Interrogat :* Vis baptizari? *Resp.* Volo : *Et dicit.* Et (323) ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

Ut autem surrexerit a fonte, ille qui eum suscipit, offert eum uni presbytero, (324) *qui faciat signum crucis de chrismate cum police, in vertice ejus dicens.*

(325) Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. *Resp.* Amen.

Et baptizantur, et sunt parati, qui eos suscepturi sunt, (326) *cum linteis in manibus eorum, et accipiunt ipsos a presbyteris qui eos baptizant. Pontifex vero redit in sacrarium exspectans,* (327) *ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos. Qui* (328) *etiam non prohibentur lactari ante sacram communionem, si necesse fuerit. Induti vero ordinantur per ordinem sicut scripti sunt. Et infantes quidem in brachiis dextris tenentur ;* (329) *majores vero pedem ponunt super pedem* (330) *patrini sui. Deinde schola jussa facit litaniam quinam ad fontes, pontifex vero veniens ad infantes, tenente archidiacono chrisma, involutis scapulis, et brachiis ex panno lineo, et* (331) *levata manu sua super capita omnium dicit :*

(332) Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua et Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paraclitum de cœlis, Spiritum sapientiæ, et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis : adimple eos **74** Spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis in vitam propitiatus æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.

Et interrogantibus diaconibus nomina singulorum, (333) *pontifex, tincto pollice in chrismate, facit* (334) *crucem in fronte unius, similiter per omnes singillatim. Quibus expletis, jussi incipiunt in ecclesia litaniam ter-*

nam. Et cum dixerint Agnus Dei, magister scholæ dicit: Ascendite: *Et illuminatur ecclesia, et procedit pontifex de sacrario cum duobus cereostatis, sicut superius, et stant, sicut antea, a dextris et a sinistris altaris. Litania expleta, dicit pontifex:* (335) Gloria in excelsis Deo. *Quo finito, dicit*: Pax vobiscum. *Resp.* Et (336) cum spiritu tuo. *Et dat Orationem*: Deus, (337) qui hanc sacratissimam noctem gloria dominicæ Resurrectionis illustras, conserva in nova familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum, quem dedisti, ut corpore et mente renovati, puram tibi exhibeant servitutem. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti. Per.

Deinde legitur Apostolus, et canitur Alleluia.

Quod primum pontifex inchoat. Confitemini Domino. *Tract.* Laudate Dominum omnes gentes. *Sequitur Evangelium.* (338) *Non cantent Offertorium,* (339) *neque Agnus Dei, neque Communionem.*

Super oblata. Suscipe, quæsumus, Domine, et plebis tuæ et tuorum Hostias renatorum, ut et confessione tui nominis, et baptismate renovati sempiternam beatitudinem consequantur. Per.

Præfatio. —Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: te omni quidem tempore, sed in hac potissimum nocte gloriosius collaudare et prædicare, per Christum Dominum nostrum: qui inferorum claustra disrumpens, victoriæ suæ clara vexilla suscepit, et triumphato diabolo, victor a mortuis resurrexit. Et ideo cum Angelis.

Te igitur, clementissime Pater, etc.

Communicantes, et noctem sacratissimam celebrantes Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Sed et memoriam venerantes, in primis gloriosæ semper virginis Mariæ, Genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu Christi.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias.

Benedictio. — Deus, qui Ecclesiæ suæ intemerato utero novos populos producens, eam virginitate manente nova semper prole fœcundat, fidei, spei et charitatis vos munere repleat, et suæ in vos benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Redemptoris nostri Resurrectione voluit **75** illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas virtutum copiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum qui modo renati sunt innocentiam imitari certetis, et vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustretis, ut eum bonorum operum lampadibus ad ejus sponsi thalamum cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad Complendum. —Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, divino munere satiati, et sacris mysteriis innovemur et moribus. Per.

(340) IN [a] DIE SANCTO PASCHÆ.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum, devicta morte, reserasti, vota nostra, quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem.

Super oblata.—Suscipe, Domine, quæsumus, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum, ut paschalibus initiata mysteriis, ad æternitatis nobis medelam, te operante, proficiant. Per.

Præfatio.— Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Te quidem omni tempore, sed in hac potissimum die gloriosius prædicare, cum Pascha nostrum immolatus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui abstulit peccata mundi. (341) Qui mortem nostram moriendo destruxit, et vitam resurgendo reparavit. Et ideo cum angelis.

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, *etc.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ. Sed et cunctæ, *etc.*

[b] *Benedictio.*— Benedicat vos omnipotens Deus, hodierna interveniente paschali solemnitate, et ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. Amen. Et qui ad æternam vitam in Unigeniti sui resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis vestiat. Amen. Et qui, expletis jejuniorum sive passionis Dominicæ diebus, paschalis festi gaudia celebratis, ad ea festa, quæ non sunt annua, sed continua, ipso opitulante exsultantibus animis veniatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde; ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per.

[c] *Ad Vesperos.* Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Resurrectionis Dominicæ solemnia colimus, innovatione **76** tui Spiritus a morte animæ resurgamus. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum.

Ad fontes. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui Resurrectionis dominicæ solemnia co-

[a] Apud Pamelium: *Dominica sancta Paschæ.* Omittitur *Paschæ* in Cod. Reg. Suec. In Kalend. Rom. legitur: *In Pascha Dominica sancta.* In omnibus statio est *ad sanctam Mariam majorem ad præsepe.* Abest *majorem* a Kalend. Rom., nec legitur in titulo hom. 21, in Evang., ibidem hac die habitæ.

[b] Benedictio hæc in Editis Pamel. et Angeli Roccæ non reperitur. Est in Benedictionali vulgato a Lambecio et Gussanv.

[c] Huic Orationi in Ed. Pamel. præmittitur: *Ad sanctum Joannem, ad Vesperos.* Sequenti, *Præsta.... ut qui gratiam,* etc., præfigitur: *Ad sanctum Andream.*

limus, ereptionis nostræ suscipere lætitiam mereamur. Per eumdem.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gratiam dominicæ Resurrectionis agnovimus, ipsi per amorem Spiritus a morte animæ resurgamus. Per eumdem.

Alia. — Deus, qui paschale nobis remedium contulisti, populum tuum cœlesti dono prosequere, ut inde post in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exsultat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

[a] FERIA II IN ALBIS.

Deus, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti, populum tuum, quæsumus, cœlesti dono prosequere, ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per.

Super oblata. — Paschales hostias recensentes, quæsumus, Domine, ut quod frequentamus actu, comprehendamus affectu. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et te suppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo et paschalia capiant sacramenta, et desideranter exspectent ventura, ut, in mysteriis quibus renati sunt permanentes, ad novam vitam his operantibus perducantur. Per Christum.

Te igitur, *sicut in Pascha.*

[b] *Benedictio.* — Deus, qui pro vobis suscepit injuriam crucis, lætitia vos innovet suæ Resurrectionis. Amen. Et qui pendenti secum in cruce latroni (342) omisit delictum, vos salvet a cunctis nexibus peccatorum. Amen. Ut redemptionis vestræ mysterium et dig e conservetis in opere, et locupletius æterna perfruamini remuneratione. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Impleatur in nobis, quæsumus, Domine, sacramenti paschalis sancta libatio, nosque de terrenis affectibus ad cœleste transferat institutum. Per.

77 *Ad Vesperos.* — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus per hæc Paschalia festa liberemur. Per Dominum nostrum.

Ad fontes. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut festa paschalia, quæ venerando colimus, etiam vivendo teneamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, qui populum tuum de hostis callidi servitute liberasti, preces ejus misericorditer respice, et adversantes ei tua virtute prosterne. Per Dominum nostrum.

[c] FERIA III IN ALBIS.

Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fetu multiplicas, concede famulis tuis ut (343) sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, fidelium preces, cum oblationibus Hostiarum, ut per hæc piæ devotionis officia, ad cœlestem gloriam transeamus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Qui oblatione sui corporis, remotis sacrificiorum carnalium observationibus, (344) seipsum tibi sacram Hostiam, Agnumque immaculatum summus Sacerdos pro salute nostra immolavit. Per quem.

Te igitur, *sicut in Pascha.*

Benedictio. — Deus, qui vos lavit aqua sui lateris, et redemit effusione cruoris, ipse in vobis confirmet gratiam adeptæ Redemptionis. Amen. Per quem renati estis ex aqua et Spiritu sancto, ipse vos cœlesti consociet regno. Amen. Quique dedit vobis initia sanctæ fidei, ipse conferat et perfectionem operis, et plenitudinem charitatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut paschalis perceptio sacramenti (345) continua in nostris mentibus perseveret. Per.

Ad Vesperos. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Per.

[d] *Ad fontes.* — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut per hæc paschalia festa, quæ colimus, devoti in tua semper laude vivamus. Per.

78 *Alia.* — Deus, qui conspicis familiam tuam omni humana virtute destitui, paschali interveniente festivitate, tui eam brachii protectione custodi. Per.

[e] FERIA IV IN ALBIS.

Deus, qui nos Resurrectionis dominicæ annua solemnitate lætificas, concede propitius ut per temporalia festa, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eumdem.

Super oblata. — Sacrificia, Domine, paschalibus gaudiis immolamus, quibus Ecclesia mirabiliter et (346) nascitur et nutritur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et pietatem tuam indefessis precibus implorare, ut qui paschalis festivitatis solemnia colimus, in tua semper sanctificatione vivamus. Quo per temporalis festi observationem pervenire mereamur ad æternorum

[a] In Kalend. Rom., et apud Pamel., legitur: *Ad sanctum Patrum;* convenit titulus homil. 23, in Evangel., hac die habitæ. Abest *in albis* a Kalend. Rom.

[b] Abest non solum ab aliis Vulgatis, Pamel., Vatic., etc., sed etiam a Benedictionali jam laudato.

[c] Statio hujus feriæ tam in Editis quam in Mss. est *ad sanctum Paulum.* Desideratur *in albis* in Cod. Reg. Suec., tam hic, quam in sequentibus feriis.

[d] In Ed. Angeli Roccæ non inscribitur hæc Oratio *ad fontes*, ut hic et in Ed. Pamel., consentientibus Mss.

[e] Pro statione additur in Ed. Pamel.: *Ad sanctum Laurentium foris murum.* Duo ultima verba desunt in Kalend. Rom., et in duobus Theod., necnon in tit hom. 24, in Evang., hodie habitæ.

gaudiorum continuationem. Per Christum Dominum nostrum.

Te igitur, *sicut in Pascha.*

[a] *Benedictio.* — Dominus Deus noster vos perducat ad arborem vitæ, qui eruit de lacu miseriæ. Amen. Ipse vobis aperiat januam paradisi, qui confregit portas inferni. Amen. Ipse vos eruat flagello, et in regnum suum perducat confitentes, qui pati dignatus est pro impiis innocens. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Ab omni nos, quæsumus, Domine, vetustate purgatos, sacramenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut hujus paschalis festivitatis mirabile sacramentum, et temporalem nobis tranquillitatem tribuat, et vitam conferat sempiternam. Per.

Ad fontes. — Deus, qui nos per paschalia festa lætificas, concede propitius ut ea quæ devote agimus, te adjuvante, fideli er teneamus. Per.

Alia. — Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut illuc tendat Christianæ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Per eumdem.

[b] FERIA V IN ALBIS.

Deus, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis **79** adunasti, da ut renatis fonte baptismatis, una sit fides mentium, et pietas actionum. Per.

Super oblata. — Suscipe, quæsumus, Domine, munera populorum tuorum propitius, ut confessione tui nominis, et baptismate renovati, sempiternam beatitudinem consequantur. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui nos per paschale mysterium docuit vetustatem vitæ relinquere, et in novitate spiritus ambulare, a quo perpetuæ mortis superatur acerbitas, et æternæ vitæ fidelibus tribuitur integritas. Per quem Majestatem.

Te igitur, *sicut in Pascha.*

[c] *Benedictio.* — Omnipotentis Dei et Domini nostri benedictionibus repleamini, cujus estis sanguine pretioso redempti. Amen. Ejus vos indeficiens repleat gratia, cujus ineffabilis plasmavit potentia, (347) et qui vobis in hoc mundo præstitit conditionem nascendi, ipse in regno æterno tribuat mansionem sine fine vivendi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Exaudi, Domine, preces nostras, ut redemptionis nostræ sacrosancta commercia, et vitæ nobis conferant præsentis auxilium, et gaudia sempiterna concilient. Per.

Ad Vesperos. — Deus, qui in nobis ad celebrandum paschale sacramentum liberiores animos præstitisti, doce nos et metuere (348) quod irasceris, et amare quod præcipis. Per.

[d] *Ad fontes.* — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut Ecclesia tua, et suorum firmitate membrorum, et nova semper fecunditate lætetur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Multiplica, quæsumus, Domine, fidem populi tui, ut cujus per te sumpsit initium, per te consequatur augmentum. Per.

[e] FERIA VI IN ALBIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti, da mentibus nostris, ut quod professione celebramus, imitemur effectu. Per.

Super oblata. — Hostias, quæsumus, Domine, placatus assume, quas et pro renatorum expiatione deferimus, et pro acceleratione cœlestis auxilii. Per.

80 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui, secundum promissionis suæ incommutabilem veritatem, cœlestis pontifex factus in æternum, (349) solus omnium sacerdotum peccati remissione non eguit, sed (350) potius peccatum mundi idem verus Agnus abstersit. Per quem.

Te igitur, *sicut in Pascha*

[f] *Benedictio.* — Benedicat vos de cœlis omnipotens Deus, qui per crucem et sanguinem passionis suæ vos dignatus est redimere in terris. Amen. Ipse vos renovet a vetustate peccati, qui pro vobis dignatus est crucifigi, vosque ad cœlestia suscitet, qui pro vobis inferos penetravit. Amen. Vitam suam Dominus vobis tribuat, qui mortem vestram suscepit, et perdidit. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Respice, quæsumus, Domine, populum tuum, et quem æternis dignatus es renovare mysteriis, a temporalibus culpis dignanter absolve. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos. — Deus, per quem nobis et redemptio venit et præstatur adoptio, respice in opera misericordiæ tuæ, ut in Christo renatis et æterna tribuatur hæreditas et vera libertas. Per eumdem.

Ad fontes. — Adesto, quæsumus, Domine, familiæ tuæ, et dignanter impende, ut quibus fidei gratiam contulisti, et coronam largiaris æternam. Per Dominum nostrum.

[g] SABBATO IN ALBIS.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui fe-

[a] Benedictionale laudatum hanc Bened. non exhibet.

[b] Unanimi consensu librorum nostrorum, tam excusorum quam manu exaratorum, assignatur statio *ad Apostolos.*

[c] Hujus Bened. ne quidem Benedictionale meminit.

[d] Omittur *ad fontes* in Ed. Vatic. et Gussanvil.

[e] Pro statione legitur in Kalend. Rom. in Cod. Pamel., etc. : *Ad sanctam Mariam ad Martyres.*

[f] In nullis librorum nostr. hæc occurrit.

[g] Pro statione in Ed. Pamel. legitur : *Ad sanctum Joannem in Lateranis.* Abest *in Lateranis* a Cod. Reg. Suec. et ab utroque Theoder. Kalendarium Rom. tantum habet *ad Lateranis.* In titulo hom. 26, in Evang., *Cum sero esset*, etc., quod hodie legitur juxta Kalend. Rom., habes quoque factam esse in basil. sancti Joan. quæ dicitur Constantiniana.

sta paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per.

Super oblata. — Concede, quæsumus, Domine, semper nos per hæc mysteria paschalia gratulari, ut continua nostræ reparationis operatio perpetuæ nobis fiat causa lætitiæ. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : per quem supplices exposcimus, ut cujus muneris pignus accepimus, manifesta dona comprehendere valeamus. Et quæ nobis fideliter speranda paschale contulit sacramentum, per Resurrectionis ejus attingere mereamur ineffabile mysterium. Per quem.

Te igitur, *sicut in Pascha.*

Benedictio.

81 *Ad Complendum.* — Redemptionis nostræ munere vegetati, quæsumus, Domine, ut hoc perpetuæ salutis auxilium fides semper vera (351) perficiat.

Ad Vesperos. — Deus, totius conditor creaturæ, famulos tuos, quos fonte renovasti baptismatis, quosque gratiæ tuæ plenitudine solidasti, in adoptionis sorte facias dignanter ascribi. Per Dominum nostrum.

Ad fontes. — Deus, qui multiplicas Ecclesiam tuam in sobole renascentium, fac eam gaudere propitius de suorum profectibus filiorum. Per Dominum nostrum.

(352) DOMINICA OCTAVAS [a] PASCHÆ.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui paschalia festa peregimus, hæc, te largiente, moribus et vita teneamus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Suscipe munera, quæsumus, Domine, exsultantis Ecclesiæ, et cui causam tanti gaudii præstitisti, perpetuum fructum concede lætitiæ.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et te suppliciter obsecrare, ne nos ad illum sinas redire actum cui jure dominatur inimicus, sed in hac potius facias absolutione persistere, per quam diabolus exstitit, Filio tuo vincente, captivus. Et ideo cum angelis.

[b] *Benedictio.* — Deus, cujus Unigenitus discipulis suis januis clausis dignatus est apparere, suæ vos benedictionis dono locupletare et cœlestis vobis regni januas dignetur aperire. Amen. Et qui ab eorum pectoribus attactu sui corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat ut per fidem qua eum resurrexisse creditis omnium delictorum maculis careatis. Amen. Et qui cum Thoma Deum et Dominum creditis, et cernuis vocibus invocatis, ab eo et in hoc sæculo a malis omnibus tueri, et in futuro sanctorum cœtibus asscisci valeatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per.

Alia. — Deus, qui nos fecisti hodierna die paschalia festa celebrare, fac nos, quæsumus, in cœlesti regno gaudere. Per.

Ad Vesperos. — Deus, qui nos exsultantibus animis Pascha tuum **82** celebrare tribuisti, fac nos, quæsumus, et temporalibus gaudere sub idiis, et æternitatis affectibus gratulari. Per Dominum nostrum.

(353) ALIÆ [c] ORATIONES PASCHALES.

Deus, qui credentes in te fonte baptismatis innovasti, hanc renatis in Christo concede custodiam, ut nullo erroris incursu gratiam tuæ benedictionis amittant. Per eumdem.

Alia. — Deus, qui ad æternam vitam in Christi Resurrectione nos reparas, erige nos ad consedentem in dextera tua nostræ salutis auctorem, ut qui propter nos judicandus advenit, pro nobis judicaturus adveniat Jesus Christus Filius tuus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat.

Alia. — Deus et reparator innocentiæ et amator, dirige ad te tuorum corda servorum, ut de infidelitatis tenebris liberati, nunquam a tuæ veritatis luce discedant. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas, respice propitius ad electionem tuam, ut qui sacramento baptismatis sunt renati, regni cœlestis mereantur introitum. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui humanam naturam supra primæ originis reparas dignitatem, respice pietatis tuæ ineffabile sacramentum, et quos regenerationis mysterio innovare dignatus es, in his dona tua perpetuæ gratiæ protectione conserva. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, deduc nos ad societatem cœlestium gaudiorum, ut Spiritu sancto renatos regnum tuum facias introire, atque eo perveniat humilitas gregis, quo præcessit celsitudo Pastoris. Qui tecum vivit.

Alia. — Deus, qui pro salute mundi sacrificium paschale fecisti, propitiare supplicationibus nostris, et interpellans pro nobis Pontifex summus, (354) nos per id quod nostri est similis reconciliet, per id quod tibi est æqualis absolvat Jesus Christus Filius tuus.

Alia. — Præsta nobis, omnipotens et misericors Deus, ut in Resurrectione Domini nostri Jesu Christi percipiamus veraciter portionem. Qui tecum vivit.

Alia. — Deus, qui ad æternam vitam in Christi

[a] Apud Pamelium solum subditur : *Ad sanctum Pancratium.* Nulla statio assignatur in Kalend. Rom. Secundus Theoder. habet : *Ad sanctos Cosmam et Damianum;* quod etiam præfigitur in Cod. Reg. Suec. Orationi ad Vesperos ejusdem Dominicæ.

[b] Hæc Benedictio nullibi nobis occurrit, præterquam in Codice Grimoldi, quem Pamelius edidit Liturgic., tomo II, ubi tamen, pro *Et qui ab eorum,* legitur : *Ut qui ab eorum,* etc.

[c] Apud Pamelium longe plures assignantur Orationes Paschales, et pleræque a nostris diversæ.

Resurrectione nos reparas, imple pietatis tuæ ineffabile sacramentum, ut, cum in Majestate sua Salvator noster advenerit, quos fecisti baptismo regenerari, facias beata immortalitate vestiri. Per eumdem.

83 *Alia.* — Deus, humani generis conditor et Redemptor, da, quæsumus, ut reparationis nostræ collata subsidia, te jugiter inspirante, sectemur. Per.

Alia. — Deus, qui renatis ex aqua et Spiritu sancto cœlestis regni pandis introitum, auge super famulos tuos gratiam, quam dedisti, ut qui ab omnibus sunt purgati peccatis, nullis priventur promissis. Per.

Alia. — Conserva in nobis, quæsumus, Domine, misericordiam tuam, ut quos ab erroris liberasti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias documento. Per Dominum.

Alia. — Solita, quæsumus, Domine, nos pietate custodi, ut qui Unigeniti tui passione sunt redempti, ejus Resurrectione lætentur. Per eumdem.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, propensius his diebus tuam misericordiam consequamur, quibus eam plenius, te largiente, cognovimus. Per.

XVIII KAL. MAII. — NATALIS SANCTORUM TIBURTII, VALERIANI [a] ET MAXIMI.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum tuorum Tiburtii, Valeriani et Maximi solemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostia hæc, quæsumus, Domine, quam sanctorum tuorum natalitia recensentes offerimus, et vincula nostræ pravitatis absolvat, et tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te in sanctorum martyrum tuorum festivitate laudare, qui semper es mirabilis in tuorum commemoratione sanctorum, et magnæ fidei largiris affectum, et tolerantiam tribuis passionum, et antiqui hostis facis superari machinamentum, quo egregii martyres tui ad capiendam supernorum beatitudinem præmiorum nullis impediantur retinaculis blandimentorum. Per Christum.

Ad Complendum. — Cœlesti munere saginati, quæsumus, Domine Deus noster, ut hæc nobis (355) dona martyrum tuorum intercessio beata sanctificet. Per.

84 IX KAL. MAII. — NATALIS SANCTI GEORGII [b] MARTYRIS.

Deus, qui nos beati Georgii martyris tui meritis et intercessione lætificas, concede propitius ut qui ejus beneficia poscimus, (356) dona tuæ gratiæ consequamur. Per.

Super oblata. — Munera, Domine, oblata sanctifica, et, intercedente beato Georgio martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: pro cujus nominis veneranda confessione, beatus martyr Georgius diversa supplicia sustinuit, et ea devincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Beati Georgii martyris tui, Domine, suffragiis exoratus, percepta sacramenti tui nos virtute defende. Per.

VII (357) [c] KAL. MAII. — NATALIS SANCTI MARCI EVANGELISTÆ.

Deus, qui beatum Marcum evangelistam tuum evangelicæ prædicationis gratia sublimasti, tribue, quæsumus, ejus nos semper et eruditione proficere et oratione defendi. Per.

Super oblata. — Beati Marci evangelistæ tui solemnitate tibi munera deferentes, quæsumus, Domine, ut sicut illum prædicatio evangelica fecit gloriosum, ita nos ejus intercessio et verbo et opere tibi reddat acceptos. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus gratia beatum Marcum in sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit, ut per sacerdotalem infulam (358) perveniret ad martyrii palmam; docensque subditos, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset. Cujus interventus, nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem Majestatem.

[d] B. R.

Ad Complendum. — Tribuant nobis, quæsumus, Domine, continuum **85** tua sancta præsidium, quod beati Marci evangelistæ tui precibus nos ab omnibus semper tueatur adversis. Per.

IV KALENDIS MAII. — NATALIS SANCTI (359) VITALIS [e] MARTYRIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, intercedente beato Vitale martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus [f] mundemur in mente. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Accepta sit in conspectu tuo,

[a] Deest *Maximi* in Cod. Reg. Suec. In Kalend. Rom. legitur *Maximiani*. Observat Joan. Fronto, in Kalend. Rom., *Maximi* nomen in Antiphonario quoque omissum.

[b] Abest *martyris* a Kalend. Rom. In Cod. Reg. Suec. post *natal. sancti Georgii*, legitur *et sancti Reguli episcopi*.

[c] In Kalend. Rom. et in Edit. Pamel., consentientibus Mss. Reg. Suec., duob. Theoder. et Gemet., *Litania major*, nulla sancti Marci facta mentione, præterquam apud Pamel., ubi intra uncinos includitur: *Officium sancti Marci*, quod significat in antiq. codicibus desiderari.

[d] Id est, *Benedictionem require*.

[e] Abest *martyris* ab Ed. Pamel. et a Kalend. Rom.

[f] Pamel., reluctante Cod. Reg. Suec. et aliis Mss., *liberemur in mente*.

Domine, nostra devotio, et ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur. Per.

Ad Complendum. — Exsultet, Domine, populus tuus in sancti tui commemoratione Vitalis, et cujus votivo lætatur officio, suffragio relevetur optato. Per.

KALENDIS MAII. — NATALIS [a] SANCTORUM APOSTOLORUM DEI, PHILIPPI ET JACOBI.

Deus, qui nos annua apostolorum tuorum Philippi et Jacobi solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per.

Super oblata. — Munera, Domine, quæ pro apostolorum tuorum Philippi et Jacobi solemnitate deferimus, propitius suscipe, et mala omnia, quæ meremur, averte. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui Ecclesiam tuam in apostolica soliditate firmasti, de quorum consortio sunt beati Philippus et Jacobus, quorum passionis hodie festa veneramur; poscentes ut sicut eorum doctrinis instruimur, ita exemplis muniamur, et precibus adjuvemur. Per Christum Dominum nostrum.

(360) B. R.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum mysteria celebramus, eorum orationibus adjuvemur. Per Dominum.

Super populum. — Beatorum apostolorum Philippi et Jacobi honore continuo, Domine, plebs tua semper exsultet, et his præsulibus gubernetur, quorum et doctrinis gaudet et meritis. Per.

86 V NONAS MAII.—NATALIS SANCTORUM (361) ALEXANDRI, EVENTII ET THEODOLI.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, et Theodoli natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Super oblata. — Super has Hostias, Domine, benedictio copiosa descendat, quæ et sanctificationem nobis clementer operetur, et de martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Ad Complendum. — Pasce nos, Domine, tuorum gaudiis ubique sanctorum, quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

EODEM DIE. — (362) [b] INVENTIO SANCTÆ CRUCIS.

Deus, qui in præclara salutiferæ crucis inventione, (363) passionis tuæ miracula suscitasti, concede, ut vitalis ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui vivis et regnas.

Super populum. — Sacrificium, Domine, quod immolamus, placatus intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, et per vexillum sanctæ crucis Filii tui, ad conterendas potestatis adversæ insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituat. Per eumdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui (364) per passionem crucis mundum redemit, et antiquæ arboris amarissimum gustum crucis medicamine indulcavit; mortemque quæ per lignum vetitum venerat, per ligni trophæum devicit, ut mirabili suæ pietatis dispensatione, qui per ligni gustum a florigera sede discesseramus, per crucis lignum ad paradisi gaudia redeamus. Per quem.

[c] *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, qui per Unigeniti sui Domini nostri Jesu Christi passionem et crucis patibulum genus redemit humanum. Amen. Concedatque vobis ut cum omnibus sanctis, (365) quæ sit ejusdem crucis longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, mente devota comprehendere possitis. Amen. Quatenus vosmetipsos abnegando, crucemque gestando, ita in præsentis vitæ stadio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros angelorum post obitum mereamini asciscí. Amen. Quod ille præstare, etc.

87 *Ad Complendum.* — Repleti alimonia cœlesti, et spiritali poculo recreati, quæsumus, omnipotens Deus, ut ab hoste maligno defendas, quos per lignum sanctæ crucis Filii tui, arma justitiæ pro salute mundi triumphare jussisti. Qui tecum.

Alia. — Deus, qui omnia verbo tuo fecisti, supplices quæsumus ineffabilem clementiam tuam, ut quos per lignum sanctæ crucis Filii tui pio cruore (36) es dignatus redimere, omnibus in te credentibus dira serpentis venena exstinguas, et per gratiam Spiritus sancti poculum salutis semper infundas. Per eumdem.

PRIDIE NONAS MAII. — [d] NATALIS (367) SANCTI JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM.

Deus, qui conspicis quia nos undique mala nostra perturbant, præsta, quæsumus, ut beati Joannis apostoli tui intercessio gloriosa nos protegat. Per.

Super oblata. — Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque [e] susceptis, et cœlestibus nos munda mysteriis, et clementer exaudi. Per Dominum.

Ad Complendum. — Refecti, Domine, pane cœlesti, ad vitam, quæsumus, nutriamur æternam. Per.

VI IDUS MAII. — NATALIS SANCTORUM (368) GORDIANI ET EPIMACHI.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatorum Gordiani atque Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, beatorum martyrum Gordiani atque Epimachi dicatas meritis

[a] In Edit. Vatic. et Gussanv., pridie celebratur vigilia sanctorum illorum apostolorum.

[b] In Kalend. Rom., et in antiquis Codd., minime exstat hoc festum. Habetur tamen in secundo Theoder. et in Edit. Pamelii, etsi fateatur abesse a suo Cod. Colon.

[c] Reperitur in Benedictionali, *In festivitate sanctæ Crucis.*

[d] Omittitur hoc festum in Kalend. Rom. Illius officium continetur in Cod. Reg. Suec.

[e] Idem Codex habet *conceptis.*

benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, intercedentibus sanctis tuis Gordiano atque Epimacho, per hæc contra adversa omnia muniamur. Per.

IV [a] IDUS MAII. — NATALIS (369) SANCTI PANCRATII MARTYRIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Pancratii martyris, tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus **88** ejus intercessionibus liberemur. Per Dominum.

Super oblata. — Munera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica, et, intercedente beato Pancratio martyre tuo, per eadem nos placatus intende.

(370) B. R.

Super populum. — Beati Pancratii martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua (371) salutatione capiamus. Per.

III IDUS MAII. — (372) NATALIS [b] SANCTÆ MARIÆ AD MARTYRES.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ad eorum gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua solemnitate gaudere. Per.

Super oblata. — Super has, quæsumus, hostias, Domine, benedictio copiosa descendat, quæ et sanctificationem nobis clementer operetur, et de martyrum nos solemnitate lætificet. Per.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deservire concedas. Per.

VIII KALENDAS [c] JUNII. — (373) NATALIS SANCTI URBANI PAPÆ.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Urbani martyris tui atque pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra crimina, et, intercedente beato Urbano martyre tuo, (374) sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet.

Ad Complendum. — Beati Urbani martyris tui atque pontificis, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. Per Dominum nostrum.

[d] DOMINICA I POST OCTAVAS PASCHÆ.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam lætitiam **89** concede, ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias sempiternis perfrui. Per.

Super oblata. — Digne nos tuo nomini, quæsumus, Domine, famulari salutaris cibus et sacer potus efficiat, ut renovatio conditionis humanæ, quam mysteria continent, in nostris jugiter sensibus offeratur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et immensam bonitatis tuæ pietatem humiliter exorare, ut ignorantiam nostræ mortalitatis attendens, ex tua inspiratione nos facias postulare quod rectum est, et tua clementia tribuas impetrare quod poscimus. Per Christum.

Benedictio. — [e] Benedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, et in resurrectione Unigeniti sui spem vobis resurgendi concessit. Amen. Resuscitet vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Ut cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Paschalia nobis, quæsumus, Domine, remedia dignanter impende, ut terrena desideria respuentes, discamus amare cœlestia. Per.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut, paschali interveniente solemnitate, ab omni pravitate defensa donis cœlestibus prosequatur. Per.

DOMINICA II POST OCTAVAS PASCHÆ.

Deus qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis, da cunctis qui Christiana perfessione censentur, et illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per.

Super oblata. — Deus, qui solemnitate paschali cœlestia mundo remedia benignus operaris, annua festivitatis hujus dona prosequere; ut observantia temporalis ad vitam nobis proficiat sempiternam. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui, de Virgine nasci dignatus, per passionem et mortem a perpetua nos morte liberavit, et resurrectione sua æternam nobis vitam contulit. Per quem.

[f] *Benedictio.* — Deus, qui per resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit et bonum Redemptionis et decus adoptionis, **90** suæ vobis conferat præmia benedictionis. Amen. Et quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente consortes efficiamini æternæ hæreditatis. Amen. Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini

[a] In Kalend. Rom. et Ed. Pamel.: *Nat. sanctorum Nerei, et Achillei, et Pancratii.* Solius sancti Pancratii meminit Cod. Reg. Suec. Observandum est in Kalend. Rom. prius annotari festum sanctorum Nerei et Achillei, et postea sancti Pancratii.

[b] In sola Edit. Pamel.: *Dedicatio basilicæ sanctæ Mar.*, etc., reluctante ipso Cod. Reg. Suec.

[c] Ante hoc festum. in Ed. Pamel. legitur: *Ascensa Domini, ad sanctum Petrum.* Item: *Dominica post ascensa.* Denique: *Festum sanctæ Potentianæ virg.* Quod etiam exhibet Kalend. Rom., ad diem 19 Maii, sed sub nomine sanctæ Pudentianæ.

[d] Hæc Dominica post Pascha vacat cum cæteris in Ed. Pamel.

[e] Hæc Benedictio in Benedictionali Gregorii assignatur: *De Resurrectione*, post Benedictionem octavæ Paschæ.

[f] Legitur in Benedictionali post præcedentem.

in cœlesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, jam non teneamur obnoxii sententiæ damnationis humanæ, cujus nos vinculis hæc redemptio paschalis absolvit.

Alia. — Fac, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui, paschalibus remediis innovati, similitudinem terreni parentis evasimus, ad formam cœlestis transferamur auctoris. Qui tecum.

DOMINICA III POST OCTAVAS PASCHÆ.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per.

Super oblata. — Exuberet, quæsumus, Domine, in mentibus nostris paschalis gratia sacramenti, ut donis suis ipse nos dignos efficiat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et (375) tui misericordiam muneris postulare, ut tempora, quibus post resurrectionem suam Dominus noster Jesus Christus discipulis suis corporaliter apparuit, sic (376) ipso opitulante pia devotione tractemus, quatenus in his omnium vitiorum sordibus careamus.

(377) *Benedictio.*

Ad Complendum. — Concede, quæsumus, misericors Deus, ut quod paschalibus exsequimur institutis, salutiferum nobis omni tempore sentiamus. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Gaudeat, Domine, plebs fidelis; et cum propriæ recolit salvationis exordia, ejus promoveatur augmentis. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

DOMINICA IV POST OCTAVAS PASCHÆ.

Deus a quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis ut cogitemus te inspirante quæ recta sunt, et te gubernante eadem faciamus. Per.

Super oblata. — Clementiam tuam, Domine, suppliciter exoramus, **91** ut paschalis muneris sacramentum, quod fide recolimus, et spe desideramus intenti, perpetua dilectione capiamus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et (378) Majestatem tuam indefessis precibus exorare, ut mentes nostras bonis operibus semper informes. Quia sic erimus præclari muneris prompta sinceritate cultores, si, ad meliora jugiter transeuntes, (379) Paschale mysterium studeamus habere perpetuum. Per Christum.

Benedictio.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut percipientes Paschali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum nostrum.

FERIA II.

In (380) [a] *Litania Majore.* Mentem familiæ tuæ quæsumus, Domine, intercedente beato *Ill.*, et munere compunctionis aperi, et largitate pietatis exaudi. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui culpas delinquentium districte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuses, ut qui pondus tuæ animadversionis cognovimus, etiam pietatis gratiam sentiamus. Per.

Alia.—Parce, quæsumus, Domine, parce populo tuo et nullis jam patiaris adversitatibus (382) fatigari, quos pretioso Filii tui sanguine redemisti. Qui tecum.

Alia. — Deus, qui culpas nostras piis verberibus percutis, ut nos a nostris iniquitatibus emundes, da nobis et de verbere tuo proficere, et de tua citius consolatione gaudere. Per Dominum nostrum.

Alia. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et sperantes in tua misericordia, intercedente beato Petro apostolo tuo, cœlesti protege benignus auxilio. Per.

Alia. —Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato Petro apostolo tuo, tuæ pietatis indulgentiam consequamur. Per [b].

Ad Missam. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Dominum nostrum.

92 *Super oblata.* — Sacrificium nostræ pœnitudinis jejunantes, Domine, tibi persolvimus, obsecrantes ut, ejus virtute muniti, semper ad cœleste convivium festinemus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te auctorem et sanctificatorem jejunii collaudare, per quod nos liberas a nostrorum debitis peccatorum. Ergo suscipe jejunantium preces; atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates nostras, quibus merito affligimur, placatus absolve. Per Christum.

[c] *Benedictio.* — Omnipotens Deus devotionem vestram dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Indulgeat vobis mala omnia quæ egistis, et tribuat veniam quam ab eo deposcitis. Amen. Sicque (384) jejunii vestri et precum vota suscipiat, ut a vobis adversa omnia, quæ peccatorum retributione meremini, avertat, et donum in vos Spiritus paracliti infundat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

[a] Apud Pamel. et in Kalend. Rom. non hic assignatur litan. Quæ vero exhibet Pamel. ad diem 25 Aprilis, ubi indicitur *litania major*, a nostris omnino discrepant. Prior Theoder. hoc loco meminit litaniæ maj., et fere convenit cum Edit. Pamel. ad diem 25 Aprilis.

[b] Post hanc Orat. in Edit. Angeli Roccæ, seu Vatic., sequuntur quatuor Orationes quibus præmittitur: *Ad campum.*

[c] Ex tat in Benedictionali, et inscribitur: *De jejunio.*

Ad Complendum. Vota nostra, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, ut dum dona tua in tribulatione percipimus, de consolatione nostra in tuo amore crescamus. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Prætende nobis, Domine, misericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, conversatione tibi placita consequamur. Per.

FERIA III.

Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum, et ab omnibus, quas meretur, adversitatibus redde securum, ut, tranquillitate percepta, devota tibi mente deserviat. Per Dominum nostrum.

Alia. — Afflictionem familiæ tuæ, quæsumus, Domine, intende placatus, ut, indulta venia peccatorum, de tuis semper beneficiis gloriemur. Per.

Alia. — Ab omnibus nos, quæsumus, Domine, peccatis propitiatus absolve, ut, percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum.

Alia. — Precibus nostris, quæsumus, Domine, aurem tuæ pietatis accommoda, et orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi, ut, te largiente, ad vitam perveniant sempiternam. Per.

Alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui (385) nostris fatigamur **93** offensis, et merito nostræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per Dominum.

Ad Missam.

Deus, qui nos conspicis in tot perturbationibus non posse subsistere, afflictorum gemitum propitius respice, et mala omnia quæ meremur averte. Per.

Super oblata. — Offerentium, quæsumus, Domine, vota multiplica, et omnes (386) veræ credulitatis instrumentis perlustra. Sicque nobis per hoc sacrificium adesto placatus, ut nos et a peccatis et a periculis omnibus miseratus absolvas. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut non nos nostræ malitiæ, sed indulgentiæ tuæ præveniat semper affectus, qui nos a noxiis voluptatibus indesinenter expediat, et a mundanis cladibus dignanter eripiat. Per Christum.

Ad Complendum. — Purifica, quæsumus, Domine, tuorum corda fidelium, ut, a terrena cupiditate mundati, et præsentis vitæ periculis exuantur, et perpetuis donis firmentur. Per.

FERIA IV.

Exaudi, Domine, populum tuum tota tibi mente subjectum, ut, corpore et mente protectus, quod pie credit, tua gratia consequatur. Per.

Alia. — Subjectum tibi populum, quæsumus, Domine, propitiatio cœlestis amplificet, et tuis semper faciat servire mandatis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Miserere jam, quæsumus, Domine, populo tuo, et continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica. Per Dominum nostrum.

Alia. — Auxiliare, Domine, quærentibus misericordiam tuam, et da veniam confitentibus, parce supplicibus, ut, qui nostris meritis flagellamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui iram tuæ indignationis agnovimus, misericordiæ tuæ indulgentiam consequamur. Per.

Ad Missam. — Intende, quæsumus, Domine, preces nostras, et qui non operando justitiam correptionem meremur, afflicti in tribulatione, clamantes respiremus auditi. Per.

94 *Alia.* — Præsta, quæsumus, omnipotens Pater, ut nostræ mentis intentio quo solemnitatis hodiernæ gloriosus auctor ingressus est semper intendat, et quo fide pergit, conversatione perveniat. Per eumdem Dominum nostrum.

Super oblata. — Jejunantium, Domine, quæsumus, supplicum vota propitius intuere, et munera præsentia sanctificans, perceptione eorum occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut nec opera carnalia, nec fluxa nos teneant, quos institutor jejunii Christus Dominus reparavit. Qui tecum.

Alia. — Sacrificium, Domine, pro Filii tui supplices venerabili quam prævenimus nunc Ascensione deferimus, præsta, quæsumus, ut et nos per ipsum his commerciis sacrosanctis ad cœlestia consurgamus. Per eumdem Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ut quia tui est operis, si quod tibi placitum est, aut cogitemus, aut agamus, tu nobis semper et intelligendi quæ recta sunt, et exsequendi tribuas facultatem. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Tribue, Domine, quæsumus, ut per hæc sacra quæ sumpsimus illuc tendat nostræ devotionis affectus, quo tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit et regnat.

Super populum. — Familiæ tuæ, quæsumus, Domine, esto protector, et misericordiam tuam concede poscenti, quo tibi semper fiat obediens, et tua dona percipiat. Per.

IN [a] ASCENSA (387) DOMINI

Ad Missam. — (388) Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera quæ pro Filii tui gloriosa Ascensione deferimus, et concede propitius ut a præsentibus periculis liberemur, et ad vitam perveniamus æternam. Per eumdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per

[a] In Kalend. Rom. huic festo assignatur vigilia, et postea legitur: *Fer. 5 in Ascensa Dom.* Ibi nulla est statio; at in Edit. Pamel. legitur: *Ad sanctum Petrum*, quod abest a Cod. Reg. Suec.

Christum Dominum nostrum : qui post Resurrectionem suam omnibus discipulis suis manifestus apparuit, et ipsis cernentibus est elevatus in cœlum, ut **95** nos divinitatis suæ tribueret esse participes. Et cum angelis.

Te igitur, Clementissime Pater, *etc.*

Communicantes, et diem sacratissimum celebrantes, quo Dominus noster Unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostræ substantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit. Sed et memoriam, etc.

Benedictio. — Benedicat vobis Deus, cujus Unigenitus hodierna die cœlorum alta penetravit, et vobis ubi ille est ascendendi aditum patefecit. Amen. Concedat propitius ut sicut post Resurrectionem suam discipulis visus est manifestus, ita vobis in judicium veniens videatur placatus. Amen. Et qui consedere Patri in sua Majestate creditis, vobiscum manere usque in finem sæculi secundum suam promissionem sentiatis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Præsta nobis, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut quæ visibilibus mysteriis sumenda percepimus, invisibili consequamur effectu. Per Dominum nostrum.

Alia. — Tribue, quæsumus, omnipotens Deus, ut munere festivitatis hodiernæ illuc filiorum tuorum dirigatur intentio quo in tuo Unigenito tecum est nostra substantia. Qui tecum vivit et regnat.

Alia. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut sicut humani generis Salvatorem consedere tecum in tua Majestate confidimus, ita usque ad consummationem sæculi manere nobiscum, quemadmodum est pollicitus, sentiamus Jesum Christum Dominum nostrum. Qui tecum.

Alia. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, illuc subsequi tuorum membra fidelium, quo caput nostrum principiumque præcessit Jesus Christus Dominus noster. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Deus, cujus Filius in alta cœlorum potenter ascendens, captivitatem nostram sua duxit virtute captivam, tribue, quæsumus, ut (389) dona quæ suis (390) participibus contulit, largiatur et nobis Jesus Christus Filius tuus.

DOMINICA I POST ASCENSIONEM DOMINI.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et Majestati tuæ sincero corde servire. Per.

Super oblata. — Sacrificia nos, Domine, immaculata purificent, et mentibus nostris supernæ gratiæ dent vigorem. Per.

96 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : qui generi humano nascendo subvenit, cum per mortem passionis mundum devicit, per gloriam Resurrectionis vitæ æternæ aditum patefecit, et per suam Ascensionem ad cœlos nobis spem ascendendi donavit. Per quem Majestatem.

[a] *Benedictio.* — Benedictionum suarum super vos Dominus imbrem infundat, et charitatis suæ thesauros cœlestes vobis aperiat. Amen. Faciat vos Dominus vitæ æternæ participes, et regni cœlestis cohæredes. Amen. Dignam in vobis habitationem Spiritus sanctus inveniat, ut ejus gloriosa Majestas placide in vestris cordibus requiescat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum. — Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsumus ut in gratiarum actione semper maneamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, vita fidelium, gloria humilium, et beatitudo justorum, propitius respice supplicum preces, ut animæ quæ promissiones tuas sitiunt de tua semper abundantia repleantur. Per Dominum nostrum.

INCIPIUNT ORATIONES DE PENTECOSTE.

[b] *Die Sabbato* (391) *ante descensum fontis.*

Lectio Libri Genesis. Noe, cum quingentorum esset annorum.

Deus, qui Ecclesiam tuam semper gentium vocatione multiplicas, concede propitius ut quos aqua baptismatis abluis, continua protectione tuearis. Per Dominum.

Lectio Libri Deuteron. Scripsit Moyses.

Canticum : Attende cœlum.

Deus, qui nobis per prophetarum ora præcepisti, temporalia relinquere, atque ad æterna festinare, da famulis tuis ut quæ a te jussa cognovimus implere cœlesti inspiratione valeamus. Per Dominum nostrum.

Lectio Libri Levitici. Cum ingressi fueritis terram, quam ego dabo vobis.

Deus, qui diversitatem omnium gentium in confessione tui nominis adunasti, da nobis et velle et posse quod præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una sit fides mentium et pietas actionum Per.

Lectio Isaiæ prophetæ. Apprehendent septem mulieres.

Canticum : Vinea.

Deus, incommutabilis virtus et lumen æternum, respice propitius ad totius Ecclesiæ mirabile sacramentum, et da famulis tuis ut hoc quod devote agimus etiam rectitudine vitæ teneamus. Per Dominum nostrum.

97 *Canticum de Psal.* XLI. Sicut cervus desiderat ad fontes.

Post Tractum. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui solemnitatem doni Spiritus sancti colimus, cœlestibus desideriis accensi, fontem vitæ sitiamus. Per.

Oratio ad Missam post ascensum fontis. — Præsta quæsumus, omnipotens Deus ut claritatis tuæ super

[a] Nullibi hanc Benedictionem invenimus.

[b] Apud Pamel. : *in Sabbato Pentecostes*, et in Kalend. Rom. : *Die Sabbat. in vigilia Pentecostes.*

nos splendor effulgeat, et lux tuæ lucis corda eorum qui per gratiam tuam renati sunt sancti Spiritus illustratione confirmet. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti.

Super oblata. — Hostias populi tui, quæsumus, Domine, miseratus intende, et ut tibi reddantur acceptæ, conscientias nostras sancti Spiritus salutaris emundet adventus. Per Dominum, etc., in unitate.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: (392) qui, sacramentum paschale consummans, quibus per Unigeniti tui consortium filios adoptionis esse tribuisti, per Spiritum sanctum largiris dona gratiarum, et sui cohæredibus Redemptoris jam nunc supernæ pignus hæreditatis impendis, ut tanto se certius ad eum confidant esse venturos, quanto se sciunt ab eo redemptos, et sancti Spiritus infusione ditatos. Et ideo cum angelis.

Te igitur, *etc.*

Communicantes, et (393) diem sacratissimum Pentecostes prævenientes, quo Spiritus sanctus apostolos, plebemque credentium præsentia suæ Majestatis implevit. Sed et memoriam venerantes, etc.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, ut placatus.

[a] *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, ob cujus paracliti Spiritus adventum mentes vestras jejunii observantia præparatis, et præsentem diem solemnibus laudibus honoratis. Amen. Instar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum sancti Spiritus ipso tribuente esse possitis. Amen. Atque idem Spiritus sanctus ita vos hodie sua habitatione dignos efficiat, ut cras se vestris mentibus vobiscum perpetim habitaturus infundat, et peracto præsentis vitæ curriculo vos ad cœlestia dona perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Spiritus sanctus adveniens Majestatem nobis Filii tui manifestando clarificet. Per eumdem. In unitate ejusdem.

98 *Alia.* — Deus, cujus Spiritu totum corpus Ecclesiæ multiplicatur et regitur, conserva in nova familiæ tuæ progenie sanctificationis gratiam, quam dedisti, ut, corpore et mente renovati, in unitate fidei ferventes, tibi Domino servire mereantur. Per Dominum nostrum. In unitate ejusdem.

DIE [b] SANCTO PENTECOSTES.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per. In unitate ejusdem.

Super oblata. — Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, et corda nostra illustratione sancti Spiritus emunda. Per. In unitate ejusdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui (394) ascendens super omnes cœlos, sedensque ad dexteram tuam, promissum Spiritum sanctum hodierna die in filios adoptionis effudit. Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat. Sed et supernæ virtutes, atque angelicæ potestates hymnum gloriæ tuæ concinunt, sine fine dicentes.

Te igitur, *etc.*

Communicantes, et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes, quo Spiritus sanctus apostolis (395) in igneis linguis apparuit. Sed et memoriam.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, ut placatus.

[c] *Benedictio.* — Deus, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus parecleti infusione dignatus est illustrare, faciat vos sua benedictione repleri, et ejusdem Spiritus donis exuberare. Amen. Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, et sui luminis infusione corda vestra perlustret. Amen. Quique dignatus est diversitatem linguarum in unius fidei confessione adunare, in eadem vos faciat fide perseverare, et per hanc (396) a spe ad speciem pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum. — Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, et sui roris intima aspersione fecundet. Per Dominum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum quinquaginta dierum voluisti mysterio contineri, præsta ut gentium facta dispersio divisione linguarum ad unam confessionem tui nominis, **99** cœlesti munere congregetur. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui sacramento festivitatis hodiernæ Ecclesiam tuam in omni gente et natione sanctificas, in totam mundi latitudinem Spiritus tui dona diffunde. Per.

[d] FERIA II.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, concede plebi tuæ piæ petitionis effectum, ut quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per.

Super oblata. — Propitius, Domine, quæsumus, hæc dona sanctifica, et, Hostiæ spiritalis oblatione coste.

[a] Exstat in Vigil. Pentecostes in Benedictionali Gregorii.

[b] Apud Pamel. pro statione: *Ad sanctum Petrum.*

[c] In Benedictionali assignatur etiam pro Pente-

[d] Apud Pamel. et in Kalend. Rom., pro statione legitur: *Ad Vincula.* In utroque Theoder.: *Ad sanctum Petrum ad Vincula.*

susceptis, nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : qui promissum Spiritum paracletum super discipulos misit, qui principio nascentis Ecclesiæ cunctis gentibus imbuendis, et Deitatis scientiam inderet, et linguarum diversitatem in unius fidei confessione sociaret. Per quem Majestatem tuam supplices exoramus, ut cujus celebramus adventum, ejus multimodæ gratiæ capiamus effectum. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Adesto, Domine, quæsumus, populo tuo, et quem mysteriis cœlestibus imbuisti, ab hostium furore defende. Per.

Alia. — Deus, qui discipulis tuis Spiritum sanctum paracletum in ignis fervore mittere dignatus es, da populis tuis in unitate fidei esse ferventes, ut in tua semper dilectione permanentes, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces. Per Dominum.

[a] FERIA III.

Adsit nobis, Domine, quæsumus, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

Super oblata. — Purificet nos, quæsumus, Domine, muneris præsentis oblatio, et dignos sacra participatione perficiat. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : qui Spiritus sancti infusione replevit corda fidelium, ut sua admirabili operatione, **100** et sui amoris in eis ignem accenderet, et per diversitatem linguarum gentes in unitate fidei solidaret; cujus dono petimus, et illecebrosas a nobis excludi voluptates, et spiritales in nobis exstrui plantarique virtutes. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Mentes nostras, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus divinis reparet sacramentis, quia ipse est remissio omnium peccatorum. Per Dominum.

[b] FERIA IV. MENSIS IV.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet; et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat, in unitate ejusdem.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut Spiritus sanctus adveniens, templum nos gloriæ suæ dignanter habitando perficiat. Per.

Super oblata. — Accipe, quæsumus, Domine, munus oblatum, et dignanter operare, ut quod mysteriis agimus, piis effectibus celebremus. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem discipulis Spiritus sanctus in terra datur ob dilectionem proximi, et de cœlo mittitur propter dilectionem tui. Cujus infusio petimus ut in nobis peccatorum sordes exurat, tui amoris ignem nutriat, et nos ad amorem fraternitatis accendat. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Sumentes, Domine, cœlestia sacramenta, quæsumus clementiam tuam, ut quod temporaliter gerimus æternis gaudiis consequamur. Per.

[c] (397) FERIA V.

Illo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem.

Super oblata. — Virtute Spiritus sancti, Domine, munera nostra continge, ut quod solemnitate præsenti tuo nomini dedicavit, et intelligibile nobis faciat et æternum. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per **101** Christum Dominum nostrum. Per quem pietatem tuam suppliciter petimus, ut Spiritus sanctus corda nostra expurget, et sui luminis irradiatione perlustret, ut in eo qui gratiarum largitor est recta sapiamus, et de ejus consolatione in perpetuum gaudeamus. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Sacris cœlestibus, Domine, sancto Spiritu operante, vitia nostra purgentur, ut muneribus tuis possimus semper aptari. Per Dominum nostrum.

Alia. — Præsta, quæsumus, Domine, ut a nostris mentibus carnales amoveat Spiritus affectus, et spiritalia nobis dona potenter infundat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat, Deus, in unitate ejusdem.

FERIA VI. [d] MENSIS IV.

(398) Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut, sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Sacrificia, Domine, tuis oblata conspectibus ille ignis divinus assumat, qui discipu-

[a] Iisdem in Codicibus statio est *ad sanctam Anastasiam.*

[b] Ed. Pamel. habet pro stat. : *Ad sanctam Mariam Maj. et ad sanctum Petrum.* Kalend. Rom. tantum : *Ad sanctam Mariam.* Addunt duo Theod. *Majorem.*

[c] Apud Pamel. statio feriæ hujus est *ad sanctum Laur. foris murum.* Istud officium Gregorii primi non esse, patet ex Ord. Romano, pag. 83; et Alcuino, pag. 69; item Micrologo, cap. 50. Neque sane in uno Coloniensium Codicum habebatur, inquit Pamel. Abesse quoque a Cod. Reg. Suec. observamus.

[d] Indicitur statio *ad Apostolos* in Kalend. Rom. consentientibus Edit. Pamel. et Codd. mss.

lorum Christi tui per Spiritum sanctum corda succendit. Per eumdem Dominum nostrum

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut Spiritus paracletus adveniat, et nos, inhabitando, templum suæ Majestatis efficiat; quod cum Unigenito Filio tuo clementi respectu semper digneris invisere, et tuæ inhabitationis fulgore in perpetuum perlustrare. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, sacri dona mysterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemorationem nos facere præcepisti, largiente sancto Spiritu, in nostræ proficiant infirmitatis auxilium. Per Dominum.

Super populum, (399) *si in jejunio fuerit.*—Da nobis, quæsumus, Domine, per gratiam Spiritus sancti, novam tui Paracleti spiritalis observantiæ disciplinam, ut mentes nostras sacro purificante jejunio, cunctis reddantur ejus muneribus aptiores. Per Dominum. In unitate ejusdem.

SABBATO IN [a] XII LECTIONIBUS MENSIS IV.

Mentibus nostris, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Annue, misericors Deus, ut qui, divina præcepta **102** violando, a paradisi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis, duce sancto Spiritu, redeamus accessum, per tuorum custodiam mandatorum. Per. In unitate ejusdem.

Alia. — Deus, qui ad animarum medelam jejunii devotione castigari corpora præcepisti, concede nobis propitius, et mente et corpore semper tibi esse devotos. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, salutaribus jejuniis eruditi, ab omnibus etiam vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos ab epulis carnalibus abstinere; ut a vitiis irruentibus pariter jejunemus. Per Dominum nostrum.

Alia ad Missam. — Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

Super oblata. — Omnipotens sempiterne Deus, qui non sacrificiorum ambitione placaris, sed studia piæ devotionis intendis, da familiæ tuæ Spiritum rectum et habere cor mundum, ut fides eorum hæc dona tibi conciliet, et humilitas oblata commendet. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et tuam omnipotentiam devotis precibus implorare, ut nos (400) Spiritus tui lumen infundat, cujus nos sapientia creat, pietas recreat, et providentia gubernat. Qui, cum a tua substantia nullo modo sit diversus, sed tibi et Unigenito tuo consubstantialis et coæternus, diversitate tamen donorum replet tuorum corda fidelium. Et ideo cum angelis.

[b] *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, et vobis in baptismate per Spiritum sanctum remissionem omnium peccatorum tribuit. Amen. Quippe eumdem Spiritum sanctum in igneis linguis discipulis suis dedit, ipsius illustratione corda vestra perlustret, atque in suum amorem jugiter accendat. Amen. Quatenus ejus dono a vitiis cunctis emundati, ipsius opitulatione ab omnibus adversitatibus defensi, templum ipsius effici mereamini. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præbeant nobis, Domine, divinum tua sancta fervorem, quo eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per.

103 DOMINICA (401) [c] OCTAVAS PENTECOSTES.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quæsumus ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Sanctifica, quæsumus, Domine Deus noster, per Unigeniti tui virtutem, hujus oblationis Hostiam, et, cooperante Spiritu sancto, per eam nosmetipsos tibi perfice munus æternum. Per eumdem. In unitate ejusdem.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : (402) qui cum Unigenito Filio tuo et Spiritu sancto unus es Deus, unus es Dominus, non in unius singularitate personæ, sed in unius Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria, revelante te, credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu sancto sine differentiæ discretione sentimus; ut in confessione veræ sempiternæque Deitatis, et in personis proprietas, et in essentia Unitas, et in Majestate adoretur æqualitas. Quam laudant angeli.

[d] *Benedictio.* — Omnipotens Trinitas, unus et verus Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, det vobis se desiderare fideliter, agnoscere veraciter, diligere sinceriter. Amen. Æqualitatem atque incommutabilitatem suæ essentiæ ita vestris men-

[a] Legitur in Ed. Pamel. et in Kalend. Rom. : *Ad sanctum Petrum.*

[b] Hæc Benedictio non legitur in aliis Ed., nequidem in Benedictionali. Exstat in 1 Theoderic.

[c] Male in Edit. Vatic. et Gussanvil., *in nocte Pent.* Forte priores Editores ita legerunt, pro *in oct.*, additione litt. *n.* Apud Pamel. sunt aliæ Orationes. Ad marginem vero hæc habet : *Dominica vacat.* Officii quoque hujus titulus satis indicat Gregorianum non esse. De octava interim Pentecostes celebranda late tractat Berno, de Missa, cap. 3, et officium hoc authenticum esse idem probat, cap. 5, ex concordia hujus Orationis cum Antiphona et lection. in hac Dominica præscriptis. Facit ejusdem mentionem Micrologus, cap. 59, etc.

[d] De Benedictione hac nihil invenio, nisi in 1 Theoderic.

tibus infigat, ut ab ea nunquam vos quibuscunque phantasiis aberrare permittat. Amen. Sicque vos in sui fide, spe et charitate perseverare concedat, ut per ea postmodum ad sui manifestationem visionemque interminabilem introducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Proficiat nobis ad salutem corporis et animæ, Domine, quæsumus, hujus sacramenti perceptio, et sempiterna sanctæ Trinitatis ejusdemque individuæ Unitatis confessio. Per.

Super populum. — Domine Deus, Pater omnipotens, famulos tuæ Majestati subjectos per unicum Filium tuum in virtute sancti Spiritus benedic et protege, ut, ab omni hoste securi, in tua jugiter laude lætemur. Per eumdem.

KALENDAS JUNII. — [a] DEDICATIO (403) BASILICÆ SANCTI NICOMEDIS.

Deus, qui nos beati Nicomedis martyris tui **104** meritis et intercessione lætificas, concede propitius, ut, qui ejus beneficia poscimus, dona tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera, Domine, oblata sanctifica et, intercedente beato Nicomede martyre tuo, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per Dominum.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, intercedente beato Nicomede martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deservire. Per Dominum.

IV NONAS JUNII. — NATALIS SANCTORUM MARCELLINI ET PETRI [b].

Deus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum Marcellini et Petri solemnitate lætificas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, provocemur exemplis. Per.

Super oblata. — Votiva, Domine, munera deferentes, in tuorum Marcellini et Petri martyrum passione tuam magnificentiam veneramur, et per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: apud quem semper est præclara vita sanctorum, quorum nos pretiosa mors lætificat et tuetur. Quapropter martyrum tuorum Marcellini et Petri gloriosa recensentes natalitia, laudes tibi referimus, et magnificentiam tuam supplices exoramus, ut quorum sumus martyria venerantes, beatitudinis mereamur esse consortes. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Intercedentibus sanctis tuis, Domine, Marcellino et Petro, plebi tuæ præsta subsidium, ut, ab omnibus noxiis expedita, cuncta sibi profutura perficiat. Per Dominum nostrum.

V IDUS JUNII. — (404) NATALIS SANCTORUM [c] PRIMI ET FELICIANI.

Fac nos, Domine, quæsumus, sanctorum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona capiamus. Per.

Super oblata. — Fiat, Domine, quæsumus, Hostia sacranda placabilis **105** pretiosi celebritate martyrii, quæ et peccato nostra purificet, et tuorum tibi vota conciliet famulorum. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum tuorum cœlestibus mysteriis celebrata solemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat. Per.

PRIDIE IDUS JUNII. — NATALIS [d] SANCTORUM BASILIDIS, CYRINI, NABORIS ET NAZARII.

Sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, et Nazarii, quæsumus, Domine, natalitia nobis votiva resplendeant, et (405) quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ devotionis adcrescat. Per.

Super oblata. — Pro sanctorum Basilidis, Cyrini, Narboris et Nazarii sanguine venerando, Hostias tibi, Domine, solemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes, (406) per quam talis est perfecta victoria. Per.

Ad Complendum. — Semper, Domine, sanctorum martyrum Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii solemnia celebremus, ut eorum patrocinia jugiter sentiamus. Per.

XIV KALENDAS JULII. — NATALIS SANCTORUM MARCI ET MARCELLIANI.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui sanctorum Marci et Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum [e] intercessione liberemur. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera tuorum populorum votiva, et sanctorum Marci et Marcelliani tibi precibus esse grata concede, pro quorum solemnitatibus offeruntur. Per.

Ad Complendum. — Intercessione beatorum martyrum tuorum Marci et Marcelliani, quæsumus, Domine, ut mysticis nos dapibus foveas ac reformes. Per Dominum nostrum.

(407) [f] DENUNTIATIO JEJUNIORUM, PRIMI, QUARTI, SEPTIMI ET DECIMI MENSIS.

Anniversariam, fratres charissimi, jejunii puritatem, qua et corporis acquiritur et animæ sanctitas, nos commonet *III.* mensis instaurata devotio; quarta igitur et sexta feria sollicito convenientes occursu, offeramus Deo spiritale jejunium. Die (408) vero Sabbati, apud beatum Petrum apostolum, cujus nos in-

[a] Apud Pamel., *dedicatio Nicomedis martyris.*
[b] Additur in Kalend. Rom., *via Lavicana.*
[c] Hoc officium cum sequenti desideratur in Cod. Reg. Suec. et Calensi. Exstat utrumque in duobus Theoder. Prius exhibet Codex Gemet., in quo, præter festa in aliis Codd. contenta et a nobis observata, notantur multa alia Anglicanæ Ecclesiæ, ut *sancti Dunstani archiepiscopi*, XIV *Kalendas Junii; sancti Augustini episc.*, VII *Kalendas Junii*, etc. In eodem Cod. Gemet. habetur festum et officium *sancti Barnabæ apostoli* III *Idus Junii*, quod nullibi nobis occurrit.
[d] Abest a Ms. Calensi.
[e] In Cod. Reg. Suec., *intercessionibus.*
[f] Hæc non exstant in nostris Codd. Mss., nec in Pamel. aut Kalend. Rom. sunt inserta.

intercessionibus credimus adjuvandos, sanctas vigilias Christiana pietate celebremus, ut per hanc institutionem salutiferam **106** peccatorum sordes, quas corporum fragilitate contrahimus, jejuniis et eleemosynis abluamus, auxiliante Domino nostro, Jesu Christo qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Alia. — *Ill.* Mensis jejunia in hac hebdomada nobis sunt tenenda; ideoque hortamur sanctam fidem vestram, ut quarta, sexta, vel septima feria jejunemus, quatenus divinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei nostri perseverantia debitæ servitutis obtineat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum.

(409) MENSIS IV. FERIA IV.

(410) *Si post Hebdomadam Pentecostes advenerit.*

Oratio ad Missam. — Omnipotens et misericors Deus, apta nos tuæ propitius voluntati, quo, sicut ejus prætereuntes tramitem deviamus, sic integro tenore dirigamur, ad illius semper ordinem recurrentes. Per Dominum nostrum.

Alia. — Da nobis mentem, Domine, quæ tibi sit placita, quia talibus jugiter quidquid est prosperum ministrabis. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Solemnibus jejuniis expiatos tuo nos, Domine, mysterio congruentes, hoc sacro munere, effice, quia tanto nobis salubrius aderis, quanto id devotius sumpserimus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia post illos lætitiæ dies quos in honore Domini a mortuis resurgentis et in cœlos ascendentis exegimus, postque perceptum sancti Spiritus donum, necessario nobis jejunia sancta provisa sunt, ut pura conversatione viventibus quæ divinitus sunt Ecclesiæ collata permaneant. Per Christum.

Ad Complendum. — Concede, quæsumus, Domine, populo tuo veniam peccatorum, ut quod meritis non præsumit, indulgentiæ tuæ celeri largitate percipiat.

FERIA VI.

Ut nobis, Domine, terrenarum frugum tribuas ubertatem, fac mentes nostras cœlesti fertilitate fecundas. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Ut accepta tibi sint, Domine, nostra jejunia, præsta nobis, quæsumus, hujus munere sacramenti purificatum tibi pectus offerre. Per Dominum nostrum.

107 *Ad Complendum.* — Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut sacramentorum tuorum gesta recolentes, et temporali securitate relevemur, et erudiamur legalibus institutis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Fideli populo, Domine, misericordiam tuam placatus impende, et præsidia corporis copiosa tribue supplicanti. Per Dominum.

SABBATO IN XII LECT. — Præsta, Domine, quæsumus, tales nos fieri tuæ gratiæ largitate, ut bona tua et fiducialiter impetremus, et sine difficultate sumamus. Per.

Alia. — Da nobis, Domine, regnum tuum, justitiamque semper inquirere, ut quibus indigere nos perspicis, clementer facias abundare. Per.

Alia. — Deus, qui nos de præsentibus adjumentis esse vetuisti sollicitos, tribue, quæsumus, ut pie sectantibus, quæ tua sunt, universa nobis salutaria condonentur. Per.

Alia. — Deus, qui misericordia tua prævenis non petentes, da nobis affectum Majestatem tuam jugiter deprecandi, ut pietate perpetua supplicibus potiora defendas. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, qui non despicis corde contritos et afflictos miseris, populum tuum jejunii ad te devotione clamantem propitius exaudi, ut quos humiliavit adversitas, attollat reparationis tuæ prosperitas. Per.

(411) POST [a] BENEDICTIONES.

Ad Missam. — Deus, qui tres pueros de camino ignis, non solum illæsos, sed etiam tuis laudibus conclamantes liberasti, quæsumus ut nos peccatorum nexibus obvolutos velut de voragine ignis eripias, ut criminum flammas, operumque carnalium incendia superantes, hymnum tibi debitum jure meritoque reddamus. Per.

Super oblata. — Domine Deus noster, qui in his potius creaturis quas ad fragilitatis nostræ præsidium condidisti tuo quoque nomini munera jussisti dicanda constitui, tribue, quæsumus, ut et vitæ nobis præsentis auxilium, et æternitatis efficiant sacramentum. Per.

Ad Complendum. — Sumptum, quæsumus, Domine, venerabile sacramentum, et præsentis vitæ subsidiis nos foveat, et æternæ. Per.

108 *Super populum.* — Proficiat, Domine, quæsumus, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut, sacris actibus erudita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per.

XIII KALENDAS JULII. — NATALIS (412) SANCTORUM GERVASII ET PROTASII.

(413) Sanctorum martyrum nos, Domine, Gervasii et Protasii confessio beata communiat, et fragilitati nostræ subsidium dignanter exoret. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Concede nobis, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro sanctorum martyrum Gervasii et Protasii honore deferimus, et te placemus exhibitis, et nos vivificemur acceptis. Per.

Ad Complendum. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut mysteriorum virtute sanctorum, et (414) intercessione beatorum Gervasii et Protasii martyrum tuorum, vita nostra (415) fulciatur. Per.

IX KALENDAS JULII. — (416) VIGILIA SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis Præ

[a] Non legitur in Ed. Vatic. *post Benedictiones*; cætera sunt similia.

cursoiis hortamenta sectando, ad eum quem prædixit A
secura perveniat Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera, Domine, oblata sanctifica, et intercedente beato Joanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: (417) exhibentes solemne jejunium quo beati Joannis Baptistæ natalitia prævenimus. Cujus genitor, dum eum dubitat nasciturum, sermonis amisit officium, et eo nascente et sermonis usum, et prophetiæ suscepit donum; cujusque genitrix, senio confecta, sterilitate multata, in ejus conceptu non solum sterilitatem amisit, fecunditatem acquisivit, sed B etiam Spiritum sanctum, quo Matrem Domini et Salvatoris agnosceret, accepit. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Beati Joannis Baptistæ, nos Domine, præclara comitetur oratio, et quem venturum esse prædixit, poscat nobis favere placatum. Per Dominum nostrum.

(418) IN [a] PRIMA MISSA DE NOCTE.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut **109** qui beati Joannis Baptistæ solemnia colimus, ejus apud te intercessione muniamur. Per Dominum.

Super oblata. — Munera, Domine, oblata sanctifica, et intercedente beato Joanne Baptista, nos per hæc a peccatorum nostrorum maculis emunda. Per.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui cœlestia alimenta percepimus, in- C tercedente beato Joanne Baptista, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

Super populum. — Præsta, quæsumus, Domine, ut populus tuus ad plenæ devotionis effectum beati Joannis Baptistæ natalitiis præparetur, quem præmisisti Filio tuo parare plebem perfectam, Jesu Christo Domino nostro. Qui.

Alia. — Beati nos, Domine, Joannis oratio, et intelligere Christi tui mysterium postulet, et mereri. Per eumdem.

VIII KALENDAS JULII NATALIS SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti, da populis tuis spiritalium gratiam gaudiorum, et omnium fidelium men- D tes dirige in viam salutis æternæ. Per.

Super oblata. — Tua, Domine, muneribus altaria cumulamus, illius nobis per hæc opem adesse poscentes, et nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi et cecinit adfuturum, et adesse monstravit, Dominum nostrum.

[b] *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Joannes exortus est, tuam magnificentiam collaudare, qui vocem matris Domini nondum editus sensit, et (419) adhuc clausus utero adventum salutis humanæ prophetica exsultatione significavit. (420) Qui et genitricis sterilitatem conceptus abstulit, et patris linguam natus absolvit, solusque omnium prophetarum Redemptorem mundi, quem prænuntiavit, ostendit. Et ut sacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, sanctificandis Jordanis fluentis ipsum baptismo baptismatis lavit Auctorem. Et ideo cum angelis.

[c] *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, beati Joannis Baptistæ intercessione, cujus hodie natalitia celebratis, concedatque ut cujus solemnia colitis patrocinia sentiatis. Amen. Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, et bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus **110** cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen. Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, et innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Quod ipse præstare dignetur.

Ad complendum. — Sumat Ecclesia tua, Deus, beati Joannis Baptistæ generatione lætitiam, per quem suæ regenerationis cognovit Auctorem, Dominum nostrum. Qui tecum vivit.

[d] *Ad Matutinos.* — Omnipotens, et misericors Deus, qui beatum Joannem Baptistam tua providentia destinasti ut perfectam plebem Christo Domino præpararet, da, quæsumus, ut familia tua hujus intercessione præconis, et a peccatis omnibus exuatur, et ad eum quem prophetavit pervenire mereatur Dominum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, da cordibus nostris illam tuarum rectitudinem semitarum quam beati Joannis Baptistæ in deserto vox clamantis edocuit. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, qui conspicis quia nos undique mala nostra contristant, per Præcursorem gaudii corda nostra lætifica. Per Dominum nostrum.

Alia. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, intra sanctæ Ecclesiæ tuæ uterum constitutos, eo nos Spiritu ab iniquitate nostra justificari, quo beatum Joannem intra viscera materna docuisti. Per Dominum nostrum Jesum.

Alia. — Deus, qui nos annua beati Joannis Baptistæ solemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, ut et devotis eadem mentibus celebremus, et ejus patrocinio promerente, plenæ capiamus securitatis augmentum. Per.

[a] In Ms. Calensi: VIII *Kalend. Julii natal. sancti Joannis Baptistæ; in prima Missa, Concede*, etc. Consentiunt Cod. Reg. Suec., Gemet., Theod. At in vet. Sacram. Gall. unica tantum hoc die exstat Missa *in sancti Joannis Baptistæ*. Sed postea habetur *Missa in Joann. passione*.

[b] Eadem pene legitur in Sacram. Gallic.

[c] In Benedictionali exstat, nec non apud Grimoldum a Pamelio editum.

[d] Forte legendum *ad Vesperos*, ut legitur in Edit Vatic.

VI KALENDAS JULII. — NATALIS SANCTORUM JOANNIS ET PAULI.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per.

Super oblata. — Hostias altaribus tuis, Domine, placationis imponimus, potentiam tuam in sanctorum tuorum passionibus honorando, et per eos nobis implorando veniam peccatorum. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, **111** Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : pro cujus amore gloriosi martyres Joannes et Paulus martyrium non sunt cunctati subire ; quos in nascendi lege junxit germanitas, in gremio matris Ecclesiæ fidei unitas, in passionis acerbitate ferenda unius amoris societas. Per quem nos petimus eorum precibus adjuvari, quorum festa noscimur venerari. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, sanctorum tuorum Joannis et Pauli solemnia celebrantes, cœlestia sacramenta : præsta, quæsumus, ut quod temporaliter gerimus æternis gaudiis consequamur. Per Christum Dominum.

IV KALENDAS JULII. — (421) NATALIS SANCTI LEONIS PAPÆ.

Deus, qui beatum Leonem pontificem sanctorum tuorum meritis coæquasti, concede propitius ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

Super oblata. — Annue nobis, Domine, ut (422) animæ famuli [a] tui Leonis hæc prosit oblatio, quam immolando totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Deus, qui animæ famuli tui Leonis æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius ut, qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per.

EODEM DIE. — (423) VIGILIA SANCTI PETRI ET PAULI.

(424) *Quando apostolicus duas Missas celebrat una die, inter eas (425) non lavat os, nisi post officium ; sed absque intervallo, finita priore, incipitur altera.*

[b] Deus, qui nobis apostolorum beatorum Petri et Pauli natalitia gloriosa præire concedis, tribue, quæsumus, eorum nos semper et beneficiis præveniri, et orationibus adjuvari. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera, Domine, tuæ glorificationis offerimus quæ tibi pro nostris grata jejuniis sanctorum apostolorum, quæsumus, deprecatio quorum solemnia prævenimus efficiat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, **112** Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : apud quem cum beatorum apostolorum continuata festivitas triumphique cœlestis perpetua et æterna sit celebritas, nobis tamen eorum festa annuis recursibus tribuis frequentare, ut et illorum passioni sit veneratio ex nostra devotione, et nobis auxilium proveniat de eorum sanctissima intercessione. Per.

Ad Complendum. — Sumptis, Domine, remediis sempiternis, tuorum mundentur corda fidelium, ut apostolici Petri et Pauli natalis insignia, quæ corporalibus officiis exsequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant. Per.

Super populum. — Deus, qui ligandi solvendique licentiam tuis apostolis contulisti, da, quæsumus, ut, per ipsos æternis vitiis expediti, liberi possimus cœlestibus interesse mysteriis. Per eumdem Dominum.

Ad Vesperos. — Apostolicis nos, Domine, quæsumus, beatorum Petri et Pauli attolle præsidiis, ut quanto fragiliores sumus, tanto validioribus auxiliis foveamur. Per.

Ad [c] *Matutinos.* — Deus, qui Ecclesiam tuam (426) apostoli tui Petri fide et nomine consecrasti, quique beatum illi Paulum ad prædicandum gentibus gloriam tuam sociare dignatus es, concede ut omnes qui ad apostolorum tuorum solemnia convenerunt spiritali remuneratione ditentur.

III KALENDAS JULII. — NATALIS EJUSDEM [d] PETRI ET PAULI.

Ad Missam. — Deus, qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri et Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostias, Domine, quas nomini tuo sacrandas offerimus, apostolica prosequatur oratio, per quam nos expiari tribuas et defendi. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et te suppliciter exorare, ut gregem tuum, pastor æterne, non deseras, sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contulisti præesse pastores. Et ideo cum angelis et archangelis.

113 [e] *Benedictio.* — Benedicat vobis omnipotens Deus, qui vos beati Petri saluberrima confes-

[a] Apud Pamelium sic mutata est hæc Oratio : *Ut intercessione famuli tui Leonis hæc nobis prosit oblatio.* Fatetur tamen non consentire mss. Cod. huic mutationi. Favere tamen videtur secundus Theod., ubi legitur : *Ut intercedente beato Leone*, etc.

[b] Loco hujus Orationis, legitur in Edit. Pamel., consentientibus Mss. Reg. Suec. et Gemet. : *Præsta qu. omnip. D. ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apost. confessionis petra solidasti.* In Kalend. Rom. habes : *Translatio corporis beati Leonis.* Utrum Leonis II, aut alterius, consule notas Joan. Frontonis ad hunc locum.

[c] In Kal. legitur : *Ad vigilias in nocte.*

[d] In vet. Sacram. Gal. : *Missa in natale Petri et Pauli*, postquam legitur *Missa sancti Sigismundi regis.*

[e] Hanc exhibet Benedictionale.

sione in ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen. Et quos beati Pauli sanctissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen. Quatenus Petrus clave, Paulus sermone, utrique intercessione ad illam nos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die pervenere. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Quos cœlesti, Domine, alimento satiasti, apostolicis intercessionibus ab omni adversitate custodi. Per.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, Domine, propitius intuere, et apostolicis defende præsidiis, ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur, te constituente, principibus. Per.

Alia. — Deus, qui apostolo tuo Petro, collatis clavibus regni cœlestis, ligandi atque solvendi (428) pontificium tradidisti, concede ut intercessionis ejus auxilio, a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Per Dominum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui Ecclesiam tuam apostolica soliditate fundatam ab infernorum eruis terrore portarum, præsta ut, in tua veritate persistens, nulla recipiat consortia perfidorum. Per.

Alia. — Exaudi nos, Deus, salutaris noster, et apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

Alia. — Esto, Domine, plebi tuæ sanctificator, et custos, ut apostolicis munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura deserviat. Per.

PRIDIE KALENDAS JULII. — (429) NATALIS SANCTI PAULI.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli apostoli prædicatione docuisti, da nobis, quæsumus, ut cujus natalitia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Super oblata. — Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces et Hostias apostolica commendet oratio, ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis prosit ad veniam. Per.

(430) *Præfatio* [a] *et benedictio, quæ est superius.*

Ad Complendum. — Perceptis, Domine, sacramentis beatis apostolis intervenientibus **114** deprecamur, ut quæ pro illorum celebrata sunt gloria, nobis proficiant ad medelam. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Per.

VI NONAS JULII. — NATALIS SANCTORUM PROCESSI ET MARTINIANI.

Deus, qui nos sanctorum tuorum Processi et Martiniani confessionibus gloriosis circumdas et protegis, da nobis, et eorum imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, preces et munera, quæ ut tuo sint digna conspectui, sanctorum tuorum precibus adjuvemur. Per Dominum.

Ad Complendum. — Corporis sacri, et pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine, Deus noster, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus. Per.

PRIDIE NONAS JULII. — (431) OCTAVA APOSTOLORUM PETRI ET PAULI.

Deus, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, et coapostolum ejus Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit, exaudi nos propitius, et concede ut amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Per Dominum.

Super oblata. — Hostias, quæsumus, Domine, suscipe placatus oblatas, quæ meritis apostolorum tuorum Petri et Pauli, te sanctificante, nobis efficiantur salutares. Per.

Ad Complendum. — Beatorum apostolorum tuorum, Domine, Petri et Pauli desiderata solemnia recensentes, præsta, quæsumus, ut eorum supplicationibus muniamur, quorum regimur principatu. Per.

Super populum. — Protege, Domine, populum tuum, et apostolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva.

115 VI IDUS JULII. — NATALIS (432) SEPTEM [b] FRATRUM.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per.

Super oblata. — Sacrificiis præsentibus, Domine, quæsumus, intende placatus, et, intercedentibus sanctis, ...

[a] Idem legitur in Edit. Vatic. et Gussanvil., quod significat superius in festo sanctorum apost. Petri et Pauli exstare benedictionem, quæ minime tamen ibi reperitur.

[b] In Kalend. Rom.: *Septem fratrum Apii et Salariæ.* At censet Joan. Fronto legendum *via Appia et Salaria.* Septem fratrum nomina exhibet Pamelius, at contra vet. Mss. fidem. Post hoc festum, in Codd. Gemet. et duobus Theoder. legitur: *Translatio corporis* vel *natale sancti Benedicti abb.* cujus officium, ut est in utroque Theoder. hic exhibemus.

Oratio. — Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosa exempla humilitatis triumphum nobis ostendisti æternum, da, quæsumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, quam venerabilis Pater illæsus antecedebat Benedictus, nos præclaris ejus meritis adjuti sine errore subsequamur. Per.

Secreta. — Sacris altaribus, Domine, Hostias superpositas sanctus Benedictus, quæsumus, in salutem nobis provenire deposcat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et gloriam tuam profusis precibus exorare; ut qui beati confessoris tui Benedicti veneramur festa, te opitulante, ejus sanctitatis imitari valeamus exempla. Et cujus meritis nequaquam possumus coæquari, ejus precibus mereamur adjuvari. Per Christum.

Ad Complendum. — Protegat nos, Domine, cum tui perceptione sacramenti, beatus Benedictus abbas pro nobis intercedendo, ut et conversationis ejus experiamur insignia, et intercessionis ipsius percipiamus suffragia. Per.

Alia. — Intercessio nos, quæsumus, Domine, beati Benedicti abbatis commendet, ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur. Per.

rtis tuis, devotioni nostræ proficiant, et saluti. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: donari nobis suppliciter exorantes, ut sicut sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus postulent expediri. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut illius salutaris capiamus effectum, cujus per hæc mysteria pignus accepimus. Per Dominum nostrum.

VIII KALENDAS AUGUSTI. — (433) NATALIS SANCTI JACOBI APOSTOLI.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ, sanctificator et custos, ut apostoli tui Jacobi munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura deserviat. Per.

Super oblata. — Oblationes populi tui, Domine, quæsumus, beati apostoli tui Jacobi passio beata conciliet, et quæ nostris apta non sunt meritis, fiant tibi placita ejus deprecatione. Per.

Præfatio. — Vere dignum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia licet nobis semper salutem operetur divini celebratio sacramenti, propensius tamen nobis confidimus profuturam, si beati apostoli tui Jacobi intercessionibus adjuvemur. Per Christum.

Ad Complendum. — Beati apostoli tui Jacobi, cujus hodie festivitate **116** corpore et sanguine Filii tui nos refecisti, quæsumus, Domine, intercessione adjuva, pro cujus solemnitate percepimus tua dona, lætantes. Per eumdem.

Super populum. — Solemnitatis apostolicæ multiplicatione gaudentes clementiam tuam deprecamur, omnipotens Deus, ut tribuas jugiter nos eorum et confessione benedici, et patrociniis confoveri. Per Dominum.

IV [a] KALENDAS AUGUSTI. — NATALIS (434) SANCTI FELICIS.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus, et (435) quos pondus propriæ actionis gravat, beati Felicis martyris tui atque pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, pro commemoratione sancti Felicis offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio separavit. Per.

Ad Complendum. — Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos uno pane cœlesti satiasti, intercedente beato Felice martyre tuo, tua facias pietate concordes. Per.

III KALENDAS AUGUSTI. — NATALIS SANCTORUM ABDON ET SENNEN.

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti, da famulis tuis suorum veniam peccatorum ut sanctorum tuorum intercedentibus meritis ab omnibus mereamur adversitatibus liberari. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, pro sanctorum martyrum Abdon et Sennen passione deferimus, qui dum finiuntur in terris, facti sunt cœlesti luce perpetui, humiliter postulantes ut eorum semper meritis muniamur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et **117** te laudare mirabilem Dominum in sanctis tuis, quos ante constitutionem mundi in æternam tibi gloriam præparasti, ut per eos huic mundo veritatis tuæ lumen ostenderes, quos ita spiritu veritatis armasti, ut formidinem mortis per infirmitatem carnis evincerent. De quorum collegio sunt martyres tui Abdon, (436) et Sennes, qui in Ecclesiæ tuæ prato sicut rosæ et lilia floruerunt, quos Unigeniti tui sanguis in prælio confessionis, roseo colore perfudit et ob præmium passionis niveo liliorum splendore vestivit. Per quem Majestatem.

Ad Complendum. — Populum tuum, Domine, perpetua munitione defende, nec difficulter, quod pie et juste postulat consequatur, cui sanctorum tuorum merita suffragantur. Per.

KALENDIS AUGUSTI. — AD SANCTUM PETRUM AD VINCULA.

Deus, qui beatum Petrum apostolum a vinculis absolutum illæsum abire fecisti, nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum, et omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, Hostiam redemptionis humanæ, interveniente beato Petro apostolo, et salutem nobis mentis et corporis operare placatus. Per.

Ad Complendum. — Corporis sacri et pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut quod pia devotione [b] gerimus, intercedente beato Petro apostolo tuo, certa redemptione capiamus.

IV NONAS AUGUSTI. — NATALIS SANCTI STEPHANI EPISCOPI ET MARTYRIS.

Deus, qui nos beati Stephani martyris tui atque pontificis annua solemnitate lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, dicata sanctifica; et intercedente beato Stephano martyre tuo atque pontifice, per eadem nos placatus intende. Per Dominum.

Ad Complendum. — Hæc nos communio, Domine, purget a crimine; et intercedente beato Stephano martyre tuo atque pontifice cœlestis remedii faciat esse consortes. Per.

[a] Ante hoc festum in Codd. Theoder. et Gemet. occurrunt festa sanctæ Praxedis, et sancti Apollinaris, sanctorum vero Nicasii et Sociorum mart. in utroque Theoder. et sancti Pantaleonis in Gemet.

[b] In Cod. Reg. Suec., *gerimus*, *certa redemptione capiamus. Per*, etc. In Ed. Pamel. alia est oratio.

VIII IDUS AUGUSTI — [a] NATALIS SANCTI SIXTI EPISCOPI.

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute **118** subsistimus, concede propitius, ut intercessione beati Sixti martyris tui atque pontificis, contra omnia adversa muniamur. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera propitiatus oblata, quæ majestati tuæ beatus Sixtus sacerdos commendet et martyr. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et in die festivitatis hodiernæ, qua beatus Sixtus pariter sacerdos et martyr devotum tibi sanguinem exsultanter effudit, qui ad eamdem gloriam promerendam doctrinæ suæ filios incitavit, et quos erudiebat hortatu præveniebat exemplo. Per Christum.

(439) *Præfatio uvæ.* — Intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum.

(440) *Benedictio uvæ.* — Benedic, Domine, et hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cœli, et inundantia pluviarum, et temporum serenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, et dedisti eos ad usus nostros, cum gratiarum actione percipi, in nomine Domini nostri Jesu Christi. Per quem hæc omnia.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut cujus nobis festivitate votiva sunt sacramenta, ejus salutaria nobis intercessione reddantur.

EODEM [b] DIE. — NATALIS SANCTORUM FELICISSIMI ET AGAPITI.

Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Felicissimi et Agapiti natalitia colere, da nobis in æterna lætitia de eorum societate gaudere. Per.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro tuorum tibi grata sint honore justorum et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per Dominum.

Ad Complendum. — Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedentibus sanctis tuis Felicissimo et Agapito, ut quæ ore contingimus pura mente capiamus. Per.

VI IDUS AUGUSTI. — NATALIS SANCTI CYRIACI.

Deus, qui nos annua beati Cyriaci martyris tui **119** solemnitate lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, sacrificium placationis et laudis, quod nos, interveniente sancto tuo Cyriaco, et perducat ad veniam, et in perpetua gratiarum constituat actione. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine, Deus noster, ut interveniente beato Cyriaco martyre tuo, sacrosancta mysteria, quæ sumpsimus, actu subsequamur et sensu. Per.

V IDUS AUGUSTI. — VIGILIA SANCTI LAURENTII.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris; et intercessione beati Laurentii martyris tui, perpetuam nobis misericordiam impende. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostias, Domine, quas tibi offerimus, propitius suscipe; et intercedente beato Laurentio martyre tuo, vincula peccatorum nostrorum absolve. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus ; et devotis mentibus natale beati martyris tui Laurentii prævenire, qui levita simul martyrque venerandus, et proprio claruit gloriosus officio, et memorandæ passionis refulsit martyrio. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Da, quæsumus, Deus noster, ut sicut beati Laurentii martyris tui commemoratione, temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

Alia. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut triumphum beati Laurentii martyris tui, quem despectis ignibus consummavit in terris, perpetua cœlorum luce conspicuum, digno fervore fidei veneremur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinos. — Deus, mundi Creator et rector, qui hunc diem in beati levitæ tui Laurentii martyrio consecrasti, concede propitius ut omnes qui martyrii ejus merita veneramur, intercessionibus ejus, ab æternis gehennæ incendiis liberemur. Per.

IN (442) [c] PRIMA MISSA DE NOCTE. — Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum cui beatus Laurentius levita servivit, ut eodem nos **120** repleti studeamus amare quod amavit et opere exercere quod docuit. Per.

Super oblata. — Sacrificium tibi, Domine, quæsumus, beati Laurentii precatio sancta conciliet, ut cujus honore solemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum. Per.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cœlestibus satiasti, intercedente beato Laurentio martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per.

IV IDUS AUGUSTI. — NATALIS SANCTI LAURENTII.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Accipe, quæsumus, Domine, munera dignanter oblata; et beati Laurentii suffragan-

[a] Ex tractatu 27 sancti Aug. in Joan. constat tunc sancti Sixti festum eadem die fuisse celebratum.

[b] In Kalend. Rom. : *Die 5 mensis Aug. natal. sancti Sixti, Felicissimi et Agapiti.* Sanctus Sixtus idem est qui supra. In Cod. Reg. Suec. natale sancti Xisti notatur quoque, non die sexta, sed quinta hujus mensis.

[c] Edit. Pamel. habet, *in primo mane.* Kalend. Rom., *in prima Missa*, cæteris omissis. Postea : *Die SS., ad Missa publica natal. sancti Laurent.* Pro quo legitur apud Pamel. : *In die ad Missam*; ubi Codex Reg. Suec. : *Item alia Missa.*

Cujus meritis ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et præcipue (444) in die solemnitatis hodiernæ, qua beatus Laurentius hostia sancta viva tibi placens (445) oblatus est; qui, igne accensus tui amoris, constanter ignem sustinuit passionis, et per immanitatem tormentorum pervenit ad societatem civium supernorum. Per Christum Dominum.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos donis cœlestibus satiasti, intercedente beato Laurentio martyre tuo, perpetua protectione custodias. Per.

Super populum. — Deus, cujus charitatis ardore beatus Laurentius edaces incendii flammas, contempto persecutore, devicit, concede ut omnes qui martyrii ejus merita veneramur protectionis tuæ auxilio muniamur. Per.

Alia. — Sancti Laurentii nos, Domine, sancta precatio tueatur, et quod nostra conscientia non meretur, ejus nobis qui tibi placuit oratione donetur. Per.

Alia. — Adsit nobis, Domine, quæsumus, sancti Laurentii martyris tui in tua glorificatione benedictio, cujus nobis est hodie facta suffragium in tua virtute confessio. Per Dominum nostrum.

Alia. — Præsta, quæsumus, Domine, ut semper nos **121** beati Laurentii lætificent (446) votiva martyria, quæ semper esse non desinunt admiranda. Per.

III IDUS AUGUSTI. — (447) NATALIS SANCTI TIBURTII [a] MARTYRIS.

Beati Tiburtii nos, Domine, foveant continuata præsidia, quia non desinis propitius intueri quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per.

Super oblata. — Adesto, Domine, precibus populi tui, adesto muneribus, ut quæ sacris sunt oblata mysteriis, tuorum tibi placeant intercessione sanctorum. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui dum beati Tiburtii merita gloriosa veneramur, (448) auxilium nobis tuæ protectionis adfore deprecamur, (449) quoniam credimus nos per eorum intercessionem qui tibi placuere peccatorum nostrorum veniam impetrare. Per Christum.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, pignus redemptionis æternæ : sit nobis, quæsumus, interveniente beato Tiburtio martyre tuo, (450) vitæ præsentis auxilium pariter et futuræ. Per.

IDIBUS AUGUSTI. — (451) NATALIS SANCTI HIPPOLYTI MARTYRIS.

Sancti martyris tui Hippolyti, Domine, quæsumus, veneranda festivitas salutaris auxilii nobis præstet augmentum. Per.

Super oblata. — Respice, Domine, munera populi tui, sanctorum festivitate votiva, et tuæ testificatio veritatis nobis proficiat ad salutem. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et (452) tuam clementiam votis supplicibus implorare, ut beati Hippolyti intercessio peccatorum nostrorum nobis obtineat veniam, qui per tormenta passionis æternam pervenit ad gloriam. Per Christum.

Ad Complendum. — Sacramentorum tuorum, Domine, communio sumpta nos salvet, et, intercedente beato Hippolyto martyre tuo, in tuæ veritatis luce confirmet. Per.

XIX KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTI EUSEBII [b] CONFESSORIS.

Deus, qui nos beati Eusebii confessoris tui annua solemnitate **122** lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per.

Super oblata. — Laudis tuæ, Domine, immolamus Hostias in tuorum commemoratione sanctorum quibus nos et præsentibus exui malis confidimus et futuris. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et clementiam tuam pronis mentibus implorare, ut per beati Eusebii confessoris tui intercessionem, salutiferam in nostris mentibus firmes devotionem. Concedasque ut sicut te solum credimus Auctorem, et veneramur Salvatorem, sic in perpetuum ejus interventu habeamus adjutorem. Per Christum.

Ad Complendum. — Sancti Eusebii natalitia celebrantes, supplices te, Domine, deprecamur, ut hoc idem nobis semper indulgentiæ causa sit et salutis. Per.

EODEM DIE. (454) [c] VIGILIA ASSUMPTIONIS SANCTÆ MARIÆ.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es, da, quæsumus, ut sua nos defensione munitos jucundos (455) faciat suæ interesse festivitati. Qui vivis et regnas.

Super oblata. — Magna est, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio, quam idcirco de

[a] In Kalend. Rom. additur : *Die SS.*, hoc est, supra scripta : *Natal. sanctæ Susannæ.* Die vero seq. legitur : *Die 12 Mens. Aug. Natal. sancti Eupli.*

[b] In Calensi, *presbyteri.* Ita quoque legitur in Edit. Pamel., sed *presbyteri* desideratur in Cod. Reg. Suec.

[c] Censet Pamelius hoc officium et sequens non esse sancti Gregorii, licet Gregorio esse vetustiora, verisimile ipsi videatur. Sane exstant in Cod. Reg. Suec., in utroque Theod., in Gemet., etc., etiam sub *Assumptionis* titulo. Notatur hoc modo in Kalend. Rom. : *Die 15 mens. Aug. Sollemnia de Pausatione sanctæ Mariæ.* Ubi quoque assignatur Evang *intravit Jesus in quoddam castell.* Consule doctissimi Joan. Frontonis notas ad hunc locum.

præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per eumdem Dominum.

Ad Complendum. — Cœlesti munere satiatos, omnipotens Deus, tua nos protectione custodi, et castimoniæ pacem mentibus nostris atque corporibus, intercedente beata Maria, propitiatus indulge, ut veniente sponso Filio tuo Unigenito, accensis lampadibus, ejus digne præstolemur occursum. Qui vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

Alia. — Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium, ut qui sanctæ Dei Genitricis requiem celebramus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ad beatæ Mariæ semper virginis gaudia æterna pertingere, de cujus nos veneranda Assumptione tribuis annua solemnitate gaudere. Per.

123 XVIII KALENDAS SEPTEMBRIS. — (456) ASSUMPTIO SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

(457) Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua sancta Dei Genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dominum nostrum de se genuit incarnatum. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Ad Missam. — Famulorum tuorum, Domine, delictis ignosce, et qui placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit.

Super oblata. — Subveniat, Domine, plebi tuæ, Dei Genitricis oratio, quam etsi pro conditione carnis migrasse cognoscimus, in cœlesti gloria apud te pro nobis orare sentiamus. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te in veneratione sacrarum virginum exsultantibus animis laudare, benedicere et prædicare:

(458) Inter quas intemerata Dei Genitrix virgo Maria, cujus Assumptionis diem celebramus, gloriosa effulsit: Quæ et Unigenitum tuum sancti Spiritus obumbratione concepit, et virginitatis gloria permanente, huic mundo lumen æternum effudit, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

[a] *Benedictio.* — (459) Deus, qui per beatæ Mariæ virginis partum genus humanum dignatus est redimere, sua vos dignetur benedictione locupletare. Amen. Ejusque semper et ubique patrocinia sentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ suscipere meruistis. Amen. Et qui ad ejus celebrandam festivitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritalium gaudiorum et æternorum præmiorum vobiscum munera reportetis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Mensæ cœlestis participes effecti, imploramus clementiam tuam, Domine Deus noster, ut qui festa Dei Genitricis colimus a malis imminentibus ejus intercessionibus liberemur. Per eumdem.

Alia. — Porrige nobis, Domine, dexteram tuam, et per intercessionem beatæ et gloriosæ semperque virginis Genitricis Mariæ auxilium nobis supernæ virtutis impende. Per eumdem.

XV KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTI AGAPITI [b] MARTYRIS

(460) Sancti martyris tui Agapiti merita nos, Domine, **124** pretiosa tueantur, in quibus, tuæ Majestatis opera prædicantes, et præsens capiamus adjutorium et futurum. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera, quæ in ejus tibi solemnitate deferimus, cujus nos confidimus patrocinio liberari. Per Dominum.

Ad Complendum. — Protegat, quæsumus, Domine, populum tuum, et participatio cœlestis indulta convivii, et deprecatio collata sanctorum. Per Dominum nostrum.

XI KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTI TIMOTHEI MARTYRIS.

Auxilium tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende, et, intercedente beato Timotheo martyre tuo, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per.

Super oblata. — Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio pro tuorum honore sanctorum, quorum se meritis percepisse de tribulatione cognoscit auxilium. Per Dominum.

Ad Complendum. — Divini muneris largitate satiati, quæsumus, Domine Deus noster, ut intercedente beato Timotheo martyre tuo, ejus semper participatione vivamus. Per.

IX KALENDAS SEPTEMBRIS. — (462) NATALIS SANCTI [c] BARTHOLOMÆI APOSTOLI.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam, sanctamque lætitiam beati apostoli tui Bartholomæi festivitate tribuisti, da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, et amare quod credidit, et prædicare quod docuit. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Beati apostoli tui Bartholomæi, cujus solemnia recensemus, quæsumus, Domine, auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui Ecclesiam tuam sempiterna pietate (463) non deseris, sed per beatos apostolos tuos jugiter erudis, et sine fine custodis. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, pignus salutis æternæ, celebrantes beati Bartholomæi apo-

[a] Benedictio hæc in Benedictionali continetur.

[b] Deest *martyris*, in Cod. Reg. Sueciæ. Sed in prima Oratione legitur.

[c] Hoc festum omittitur in Kalend. Rom., in Cabensi et in Cod. Reg. Suec. Exstat in Gemet., ubi eodem die prius legitur: *Nat. sancti Audoeni episcopi* sc. Rothomagensis, VI Kalendas Septembris. In utroque Theod. et in Gemet. assignatur: *Nat. sancti Rufi martyris.*

stoli tui votiva solemnia, et perpetua merita venerantes. Per Dominum nostrum.

125 *Super populum.* — Protege, Domine, populum tuum, et apostolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defensione conserva. Per.

V KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTI AUGUSTINI [a] EPISCOPI.

Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino confessore tuo atque pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Sancti confessoris tui Augustini nobis, Domine, pia non desit oratio, quæ et munera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui beatum (464) Augustinum confessorem tuum, et scientiæ documentis replesti, et virtutum ornamentis ditasti; quem ita multimodo genere pietatis imbuisti, ut ipse tibi, et ara, et sacrificium, et sacerdos esset, et templum. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Ut nobis, Domine, tua sacrificia dent salutem, beatus confessor tuus Augustinus, et pontifex, quæsumus, precator accedat. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE. — NATALIS SANCTI HERMETIS MARTYRIS.

Intercessio, Domine, (465) Hermetis martyris tui, et tuam nobis non desinat placare justitiam, et nostrum tibi devotum jugiter efficere famulatum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Munera, Domine, nostra, quæsumus, propitiatus assume, et, ut digne tuis famulemur altaribus, sancti tui nos Hermetis intercessione custodi. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : quoniam fiducialiter laudis tibi immolamus Hostias, (466) quas sancti Hermetis martyris tui precibus tibi esse petimus acceptas. Per Christum.

Ad Complendum. — Repleti, Domine, benedictione cœlesti, quæsumus clementiam tuam, ut, intercedente beato Hermete martyre tuo, quæ humiliter gerimus, salubriter sentiamus. Per.

126 IV KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTÆ SABINÆ.

(467) Exaudi nos, Deus, salutaris noster, ut sicut sanctæ Sabinæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur effectu. Per.

Super oblata. — Gratanter, Domine, ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo pro solemnitate sanctæ martyris tuæ Sabinæ suppliciter immolamus. Per Dominum nostrum.

[a] Nihil quoque legitur de sancto Augustino in prædictis Codicibus Calensi et Reg. Succ., sed exstat ejus natale in Mss. Gem. et Theod. post festum sancti Hermetis.

Ad Complendum. — Purificet nos, Domine Deus, et divini perceptio sacramenti, et gloriosa deprecatio sanctæ Sabinæ. Per.

EODEM DIE. — [b] DECOLLATIO SANCTI JOANNIS BAPTISTÆ.

Sancti Joannis Baptistæ et martyris tui, Domine, quæsumus, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet effectum. Per.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, pro sancti martyris tui Joannis Baptistæ passione deferimus, qui dum finitur in terris, factus est cœlesti sede perpetuus, quæsumus, ut ejus obtentu nobis proficiant ad salutem. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui præcursorem Filii tui tanto munere ditasti, ut pro veritatis præconio capite plecteretur, et qui Christum aqua baptizaverat, ab (468) ipso in spiritu baptizatus, pro eodem proprio sanguine tingeretur. Præco quippe veritatis, quæ Christus est, Herodem a fraternis thalamis prohibendo, carceris obscuritate detruditur, ubi solius divinitatis tuæ lumine (469) frueretur. Deinde (470) capitalem sententiam subiit, et ad inferna Dominum præcursurus descendit. Et quem in mundo digito demonstravit, ad inferos pretiosa morte præcessit. Et ideo cum angelis.

[c] *Benedictio.* — Deus, qui nos beati Joannis Baptistæ concedit solemnia frequentare, tribuat vobis et eadem devotis mentibus celebrare, et suæ benedictionis dona percipere. Amen. Et qui pro legis ejus præconio carceralibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis. Amen. Et qui pro veritate, quæ Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput nostrum, quod Christus est, vos faciat pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Conferat nobis, Domine, sancti Joannis utrumque **127** solemnitas, ut et magnifica sacramenta, quæ sumpsimus digne veneremur, et nobis salutaria sentiamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Perpetuis nos, Domine, sancti Joannis Baptistæ tuere præsidiis; et quanto fragiliores sumus, tanto magis necessariis attolle suffragiis. Per.

III KALENDAS SEPTEMBRIS. — NATALIS SANCTORUM FELICIS ET ADAUCTI.

Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut sicut jugiter sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per.

Super oblata. — Hostias, Domine, tuæ plebis intende, et quas in honore sanctorum tuorum devota mente celebrat, proficere sibi sentiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Repleti, Domine, muneribus sacris, quæsumus, ut, intercedentibus sanctis tuis,

[b] De hoc festo fit die seq. in Kalend. Rom.

[c] Exstat in Benedict. *in festo sancti Joannis de Martyrio.*

in gratiarum tuarum semper actione maneamus. Per.

VI IDUS SEPTEMBRIS. — [a] NATALIS SANCTÆ MARIÆ VIRGINIS.

Orationes ad Matutinos. — Adesto nobis, omnipotens Deus, beatæ Mariæ festa repetentibus, quam hodiernæ festivitatis prolatam exortu ineffabili munere sublevasti. Per.

Ad (471) *Processionem.* — Supplicationem servorum tuorum, Deus miserator, exaudi, ut qui in nativitate Dei Genitricis et virginis congregamur, ejus intercessionibus a te de instantibus periculis eruamur. Per eumdem Dominum nostrum.

Ad Missam. — Famulis tuis, Domine, cœlestis gratiæ munus impartire, ut quibus beatæ Mariæ virginis partus exstitit salutis exordium, nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per.

Super oblata. — Unigeniti tui, Domine, nobis succurrat humanitas, ut qui natus de virgine matris integritatem non minuit, sed sacravit, in nativitatis ejus solemniis, a nostris nos piaculis exuens, oblationem nostram tibi faciat acceptam. Qui tecum vivit.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, **128** nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et præcipue pro meritis beatæ Dei Genitricis, et perpetuæ virginis Mariæ, gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere et prædicare. Per quem.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, celebritatis annuæ votiva sacramenta: præsta, quæsumus, intercedente beata semper virgine Maria, ut et temporalis nobis vitæ remedia præbeant et æternæ. Per.

Super populum. — Adjuvet nos, quæsumus, Domine, sanctæ Mariæ intercessio veneranda, cujus etiam diem, quo felix ejus est inchoata nativitas, celebramus. Per.

EODEM DIE. — (472) NATALIS [b] SANCTI ADRIANI MARTYRIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Adriani martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessionibus liberemur. Per.

Super oblata. — Munera, quæsumus, Domine, tibi dicata sanctifica, et intercedente beato Adriano martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per.

Ad Complendum. — Beati Adriani martyris tui, Domine, intercessione placatus, præsta, quæsumus, ut quæ temporaliter gerimus perpetua salvatione capiamus. Per [c].

III IDUS SEPTEMBRIS. — NAT. SANCTORUM (473) PROTI ET HYACINTHI.

Beati Proti nos, Domine, et Hyacinthi foveat pretiosa confessio, et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Pro sanctorum tuorum Proti et Hyacinthi munera tibi, Domine, commemoratione quæ debemus exsolvimus: præsta, quæsumus, ut remedium nobis perpetuæ salutis operentur. Per.

Ad Complendum. — Ut perpetua nos, Domine, tua sancta purificent, beati Proti et Hyacinthi, quæsumus, imploret oratio. Per.

XVIII KALENDAS OCTOBRIS. — (474) EXALTATIO SANCTÆ CRUCIS.

(475) Deus, qui Unigeniti tui Domini nostri pretioso sanguine humanum genus redimere dignatus es, concede propitius ut qui ad adorandam vivificam ejus crucem **129** adveniunt, a peccatorum suorum nexibus liberentur. Per eumdem.

Super oblata. — (476) Devotas, Domine, humilitatis nostræ preces, et Hostias misericordiæ tuæ præcedat auxilium, et salutem, quam per Adam in paradisi ligno clauserat temerata præsumptio, ligni rursum fides aperiat. Per.

Præfationem, quæ est in Inventione sanctæ crucis, require in v Nonas Maii.

Ad Complendum. — (477) Jesu Christi Domini nostri corpore et sanguine saginati, per quem crucis est sanctificatum vexillum, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut adorare meruimus, ita perennitatis ejus gloriæ salutari potiamur effectu. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Adesto familiæ tuæ, quæsumus, clemens et misericors Deus, ut in adversis et prosperis ejus preces exaudias, et nefas adversariorum per auxilium sanctæ crucis digneris conterere, ut portum salutis tuæ valeat apprehendere. Per.

EODEM DIE. — NATALIS (478) SANCTORUM CORNELII ET [d] CYPRIANI.

(479) Beatorum martyrum, pariterque pontificum, Cornelii et Cypriani nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per.

Super oblata. — Plebis tuæ, Domine, munera benignus intende, quæ Majestati tuæ pro sanctorum

[a] Idem sentit Grimoldus abbas de hoc quod supra de officio Assumptionis Mariæ adnotavimus. Vetustum tamen esse patet ex Ord. Rom., pag. 84, ubi etiam stationis ad sanctum Adrianum fit mentio, ad quam prima hæc Collecta pertinet, Missæ autem ad sanctam Mariam. Facit hujus Orationis et Coll. mentionem Radulphus Tungr., cap. 13 et 23, ubi institutam fuisse hoc die a divo Gregorio litaniam scribit a sancto Adriano ad sanctam Mariam majorem. PAMELIUS. Hoc tamen festum et officium habetur in Cod. Reg. Suec. et in al., necnon in Kalend. Rom., ubi assignatur ad diem 9 Septembris, et præscribitur Evang. *Exsurgens Maria abiit in montana.*

[b] Abest a Ms. Cal.

[c] Post festum sancti Adriani sequitur: v *Idus Septembris, nat. sancti Gorgonii mart.*, in Edit. Vatic., faventibus Mss. Theod. et Gemet. De illo vero silent Edit. Pamel., Kalendar. Rom. et Cod. Reg. Suec.

[d] Celeberrimi natalis sancti Cypriani meminit Cassiodorus, Variar. lib. VIII, epist. 33, et ipse Gregorius, lib. II, indict. 10, epist. 32. In Kalendario Rom., sex hebdomadæ quæ festum hoc sequuntur ab illo nomen accipiunt, quod celebritatis et solemnitatis insigne est argumentum. Apud Pamelium, favente Cod. Reg. Suec., festum sancti Cypriani præmittitur solemnitati Exalt. sanctæ crucis, quæ eodem die occurrit.

martyrum tuorum Cornelii et Cypriani solemnitatibus sunt dicata. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : (480) tuamque in sanctorum tuorum Cornelii simul et Cypriani festivitate prædicare virtutem, quos diversis terrarum partibus, greges sacros divino pane pascentes, una fide, eademque die pari nominis tui confessione coronasti. Per Christum.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum solemnia celebramus orationibus adjuvemur. Per.

XVII KALENDAS OCTOBRIS. — NATALIS SANCTI NICOMEDIS MARTYRIS.

Adesto, Domine, populo tuo, ut beati Nicomedis martyris tui merita præclara (481) suscipiens, **130** ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvemur. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, munera propitius oblata, quæ Majestati tuæ beati Nicomedis martyris commendet oratio. Per.

Ad Complendum. — Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, et intercedente beato Nicomede martyre tuo, a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per.

XVI KALENDAS OCTOBRIS. — NATALIS SANCTÆ EUPHEMIÆ MARTYRIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius ut qui beatæ Euphemiæ martyris tuæ solemnia colimus ejus apud te patrocinia sentiamus. Per.

Super oblata.— Præsta, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut in tuo conspectu mors est pretiosa sanctorum, ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio. Per.

Ad Complendum. — Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti, et intercessio beatæ martyris tuæ Euphemiæ tibi reddat acceptos. Per.

EODEM DIE. — NATALIS SANCTORUM LUCIÆ [a] ET GEMINIANI.

Præsta, Domine, precibus nostris cum exsultatione proventum, ut quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per.

Super oblata. — Vota populi tui, Domine, propitiatus intende, ut quorum nos tribuis solemnia celebrare, facias gaudere suffragiis. Per.

Ad Complendum. — Exaudi, Domine, preces nostras, ut sanctorum tuorum, quorum festa solemniter celebramus, continuis foveamur auxiliis. Per.

XII KALENDAS OCTOBRIS — [b] VIGILIA SANCTI MATTHÆI EVANGELISTÆ.

Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Matthæi apostoli tui et evangelistæ, quam prævenimus veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — (482) Apostolici reverentia culminis offerentes tibi **131** sacra mysteria, Domine, quæsumus ut beati Matthæi evangelistæ suffragiis, cujus natalitia præimus, (483) hic plebs tua semper et sua vota depromat, et desiderata percipiat. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Beati Matthæi evangelistæ, quæsumus, Domine, supplicatione placatus, et veniam nobis tribue, et remedia sempiterna concede. Per Dominum nostrum.

Alia. — Sit, Domine, beatus Matthæus evangelista nostræ fragilitatis adjutor, ut pro nobis tibi supplicans copiosius audiatur. Per.

XI KALENDAS OCTOBRIS. — NATALIS SANCTI MATTHÆI APOSTOLI, ET EVANGELISTÆ.

Beati Matthæi evangelistæ, Domine, precibus adjuvemur, ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Supplicationibus apostolicis beati Matthæi evangelistæ, quæsumus, Domine, Ecclesiæ tuæ commendetur oblatio, cujus magnificis prædicationibus eruditur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui Ecclesiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem apostolicis facis constare doctrinis; præsta, quæsumus, ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos usque in finem sæculi capiat (484) regni cœlestis augmentum. Per Christum.

Ad Complendum. — Perceptis, Domine, sacramentis, beato Matthæo apostolo tuo et evangelista interveniente, deprecamur ut quæ pro ejus celebrata sunt gloria nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia.—(485) Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui jugiter apostolica defensione munimur, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per Dominum nostrum.

MENSE VII. FERIA [c] IV.

Misericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat, ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, Domine, familiæ supplicanti, ut dum a cibis corporalibus se abstinent, a vitiis mente jejunent. Per.

[a] Non meminit sancti Geminiani Kalend. Rom. Ejus autem nomen consignatur in Codd. Mss. etiam antiquissimis, quales sunt Cod. Reg. Suec. et hi quos Pamelius consuluit.

[b] De hac Vigilia siletur in Edit. Pamelii et Kalend. Rom., antiquisque Codd. Imo in Cod. Reg. Suec. et in Ms. Calensi nullum de sancto Matthæo exstat officium. In Edit. Pamelii reperitur, sed intra uncinos conclusum. Habetur in utroque Theod. et in Gemet.

[c] Apud Pamel., in Ms. Calensi et in Kal. Rom., statio assignatur *ad sanctam Mariam;* addit. Pamel. *Majorem.* Apud eumdem, consentiente Cod. Reg. Suec., prius annotatur Dominica, cujus statio indicitur *ad sanctum Petrum.*

132 *Super oblata.* — Deus fidelis, qui fidelia promissa confirmas, dum vocatas gentes ex fide justificas, tu cognitionem nobis individuæ tribue Trinitatis, ut pacifici conversemur inter filios unitatis, quo, istius sanctæ confessionis sacrificio potenter oblato, visitationem tuam jugiter mereamur ex alto. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui nos ideo, collectis terræ fructibus, per abstinentiam tibi gratias agere voluisti, ut ex ipso devotionis genere nosceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, sed ad fragilitatis sustentationem nos percepisse, ut quod ex his parcius sumeremus egentium proficeret alimentis, et salutaris castigatio mortalitatis insolentiam mitigaret, et pietas largitoris nos tuæ benignitati commendatos efficeret, sicque donis uteremur transitoriis, ut disceremus inhiare perpetuis. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sumentes, Domine, dona cœlestia suppliciter deprecamur ut quæ sedula servitute, donante te, gerimus, dignis sensibus tuo munere capiamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras respice, et tuæ super nos viscera pietatis impende, ut qui ex nostra culpa affligimur, ex tua pietate misericorditer liberemur. Per.

[a] FERIA VI.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per.

Super oblata. — Accepta tibi sint, Domine, quæsumus, nostri dona jejunii, quæ expiando nos tua gratia dignos efficiant, et ad sempiterna promissa perducant. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui justo pioque moderamine, et pro peccatis flagella irrogas, et post flagella veniam propitiatus condonas, et peccatorum vitam potius volens quam mortem, non eos ad interitum condemnas, sed ut corrigantur miseratus exspectas. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

133 [b] SABBATO IN XII LECTION.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem, et corporibus mederis et mentibus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut pia jejunantium deprecatione placatus, et præsentia nobis subsidia præbeas et futura. Per.

Alia. — Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, ut jejunando tua gratia satiemur, et abstinendo cunctis efficiamur hostibus fortiores. Per Dominum nostrum.

Alia. — Tuere, quæsumus, Domine, familiam tuam, ut salutis æternæ remedia quæ te aspirante requirimus, te largiente consequamur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Tribue, quæsumus, Domine, fidelibus tuis ut et jejunio convenienter aptentur, et suscepta solemniter castigatio corporalis ad fructum nostrarum transeat animarum. Per Dominum nostrum.

Alia. — Ut nos, Domine, tribuis solemne tibi deferre jejunium, sic nobis, quæsumus, indulgentiæ præsta subsidium. Per.

Alia. — (486) Deus, qui tribuis puers mitigasti flammas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, quæsumus, et vincula nostræ iniquitatis absolvat, et tuæ nobis misericordiæ dona conciliet. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et tibi sanctificare jejunium, quod nos ob ædificationem animarum et castigationem corporum servare docuisti, quia (487) restrictis corporibus, animæ saginantur, in quo homo noster affligitur exterior, dilatatur interior. Memento, quæsumus, Domine, jejuniorum nostrorum et misericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie semper jejunantibus contulisti, et præsta ut, non solum a cibis, sed a peccatis omnibus abstinentes, devotionis tibi jejunio placeamus. Per Christum Dominum.

[c] *Benedictio.* — Deus fons indulgentiæ suscipiat propitius litationem abstinentiæ vestræ. Amen. Impleat corda vestra suarum delectationibus Hostiarum, et det vobis posse suis parere præceptis. Amen. Ut quod non potestis carnali ex infirmitate perficere, ipsius gratiæ ubertate **134** mereamini adimplere. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — [d] Perficiant in nobis, Domine, quæsumus, tua sacramenta quod continent, ut quæ nunc specie gerimus rerum veritate capiamus. Per.

Super populum. — Gaudeat, Domine, quæsumus, plebs tua beneficiis impetratis, et cui fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per Dominum nostrum.

V KALENDAS OCTOBRIS. — NATALIS [e] SANCTORUM COSMÆ ET DAMIANI.

Adesto, Domine, martyrum deprecatione sanctorum...

[a] Feriæ hujus statio est *ad Apostolos* juxta Kalend. Rom., edit. Pamel. et Codd. Mss.

[b] Ex iisdem libris statio est *ad sanctum Petrum.*

[c] Hanc Benedictionem nullibi reperimus excusam, ne in ipso quidem Benedictionali.

[d] Hæc laudantur a Gratiano, de consecrat., dist. 2, cap. 34, *Species;* necnon a Lanfranco, Guitmundo et aliis qui adversus Berengarium decertarunt.

[e] Ante hoc festum in Kalend. Rom. legitur: *Die 11 m. Septembris, sancti Eustochii,* sed legendum *Eustachii* censet Joan. Fronto. In nullis Mss. nostrorum habetur.

rum, et quos pati pro tuo nomine voluisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per.

Super oblata. — Anticipa nos misericordià tua priusquam zelus iræ desæviat, misericors Deus, et hæc dona sanctifica, ut, adjuti patrociniis beatorum, quorum propter te sanguis effusus est, propitiationem tuam cum peccatorum venia consequamur. Per.

Ad Complendum. — Sit nobis, Domine, sacramenti tui certa salvatio, quæ cum beatorum martyrum tuorum Cosmæ et Damiani meritis imploratur. Per.

III KALENDAS OCTOBRIS. — DEDICATIO [a] BASILICÆ SANCTI MICHAELIS.

Deus, qui miro ordine angelorum ministeria, hominumque dispensas, concede propitius ut quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra nostra vita muniatur.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, laudis offerimus, suppliciter deprecantes ut easdem, angelico pro nobis interveniente suffragio, et placatus accipias, et ad salutem nostram provenire concedas. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: sancti Michaelis archangeli merita prædicantes; quamvis enim nobis sit omnis angelica veneranda sublimitas, quæ in Majestatis tuæ consistit conspectu, illa tamen est propensius honoranda quæ in ejus ordinis dignitate cœlestis militiæ meruit principatum. Per Christum Dominum nostrum.

[b] *Benedictio.* — Deus, qui ad salutem nostram angelorum suorum utitur ministerio, eorum vos munimine communi **135** (488) custodiat custodia. Amen. Det vobis mentium puritatem, et jugem corporum castitatem, qui eorum electis omnibus repromisit æqualitatem. Amen. Quique illis certissimam suæ permansionis tribuit fiduciam, ipse vos fidei, spei, charitatisque perseverabili virtute confirmet, atque ad eorum beatitudinis societatem perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Beati archangeli tui Michaelis intercessione suffulti, supplices, te Domine, deprecamur, ut quos honore prosequimur, contingamus et mente. Per Dominum.

Super populum. — (489) Adesto plebi tuæ, misericors Deus, et, ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, beati Michaelis archangeli fac supplicem deprecationibus sublevari. Per Dominum nostrum.

NONIS OCTOBRIS. — NATALIS SANCTI (490) MARCI PAPÆ.

Exaudi, Domine, quæsumus, preces nostras, et, interveniente beato Marco confessore tuo atque pontifice, supplicationes nostras placatus intende. Per Dominum nostrum.

Super oblata — Benedictio tua, Domine, larga descendat, quæ munera nostra, deprecante sancto Marco confessore tuo atque pontifice, tibi reddat accepta, et nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis sanctorum tuorum semper veneratione lætari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per Dominum

PRIDIE IDUS OCTOBRIS. — NATALIS SANCTI CALISTI PAPÆ.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos misericorditer per sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Mystica nobis, Domine, prosit oblatio, quæ nos et a reatibus nostris expediat, et perpetua salvatione confirmet. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut reatum nostrum munera sacrata purificent, et recte vivendi nobis operentur effectum. Per Dominum nostrum.

XV KALENDAS NOVEMBRIS. — [c] NATALIS SANCTI LUCÆ EVANGELISTÆ.

Interveniat pro nobis, Domine, quæsumus, **136** sanctus tuus Lucas evangelista, qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Donis nos cœlestibus, da, quæsumus, Domine, libera mente servire, ut munera quæ deferimus, interveniente beato evangelista tuo Luca, et medelam nobis operentur et gloriam. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; et te in tuorum sanctorum meritis gloriosis collaudare, benedicere et prædicare, qui eos dimicantes contra antiqui serpentis machinamenta, et proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute, Rex gloriæ, roborasti. Ex quibus beatus Lucas evangelista tuus, (491) assumpto scuto fidei, et galea salutis, et gladio Spiritus sancti, et viriliter contra vitiorum incentiva pugnavit, et evangelicæ nobis dulcedinis fluenta (492) manavit. Unde petimus immensam, Domine, pietatem tuam, ut qui eum tot meritorum donasti prærogativis, nos ejus et informes exemplis, et adjuves meritis. Per Christum.

Benedictionem require, in natali (*Vide notam* 508).

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus omnipotens æterne Deus, ut id quod de sancto altari tuo accepimus precibus beati evangelistæ tui Lucæ sanctificet animas nostras, per quod tuti esse possimus Per.

[a] In Kalend. Rom.: *Dedicatio ecclesiæ archangeli.* In Ms. Calens., *sancti angeli.* In vet. Sacramentario Gallic. exstat *Missa in honore sancti Michael.*, ab hac longe discrepans, in cujus Præfatione seu Contestatione dedicationis fit mentio.

[b] Benedictionem hanc nesciunt alii libri nostri.

[c] In Cod. Reg. Suec. post officium de sancto Calixto omnia omittuntur usque ad Kalendas Novembris, in quibus non omnium sanctorum festivitas, sed solum sancti Cæsarii natale celebratur. Codex Calensis nescit festa sancti Lucæ, sanctorum Simonis et Judæ, et sancti Thomæ.

VI KALENDAS NOVEMBRIS — VIGILIA APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut apostolorum tuorum Simonis et Judæ gloriosa natalitia prævenimus, sic ad tua beneficia promerenda majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant.

Super oblata. — Muneribus nostris, Domine, apostolorum Simonis et Judæ festa præcedimus, humiliter postulantes ut quæ conscientiæ nostræ præpediuntur obstaculis illorum meritis grata reddantur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, quia tu es mirabilis in omnibus sanctis tuis, quos et nominis tui confessione præclaros, et suscepta pro te fecisti passione gloriosos. Unde sicut illi jejunando orandoque certaverunt, ut hanc possent obtinere victoriam, ita nos (493) eorum exemplis informemur ut ad celebranda præsentia festa idonei inveniamur, et ad æterna percipienda eorum interventu digni judicemur. Per Christum.

Ad Complendum. — Sumpto, Domine, sacramento, suppliciter deprecamur **137** ut, intercedentibus beatis apostolis, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam. Per.

Ad Vesperos. — Omnipotens sempiterne Deus, mundi Creator et rector, qui beatos apostolos nominis tui gloria sublimasti, exaudi, quæsumus, Domine, populum tuum cum sanctorum tuorum tibi patrociniis supplicantem, ut nobis et pacis donum tribuas, et continuatum proficiat ad fidei et charitatis augmentum. Per Dominum nostrum

V KALENDAS NOVEMBRIS. — NATALIS SANCTORUM APOSTOLORUM SIMONIS ET JUDÆ.

Deus, qui nos per beatos apostolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, da nobis gloriam sempiternam proficiendo celebrare, et celebrando proficere. Per.

Super oblata. — Gloriam, Domine, sanctorum apostolorum perpetuam venerantes, quæsumus ut eam, sacris mysteriis expiati, dignius celebremus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: te in tuorum apostolorum glorificantes honore, qui et illis tribuisti beatitudinem sempiternam, et infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, per (494) quæ tua possimus adipisci subsidia, et pervenire ad præmia repromissa. Per Christum.

Benedictionem R. Q. (Id est *Require quæ supra.*)

Ad Complendum. — Perceptis, Domine, sacramentis, suppliciter te rogamus, ut, intercedentibus beatis apostolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia. — Exaudi nos, Deus salutaris noster, et apostolorum tuorum nos tuere præsidiis, quorum donasti fideles esse doctrinis. Per.

PRIDIE KALENDAS NOVEMBRIS. — VIGILIA OMNIUM SANCTORUM.

Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam, et quorum prævenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per.

Super oblata. — Altare tuum, Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis: da, quæsumus, ut ad salutem nostram omnium sanctorum tuorum precatione proficiant, quorum solemnia ventura præcurrimus. Per.

Ad Complendum. — Sacramentis, Domine, et gaudiis optata celebritate **138** expletis, quæsumus ut eorum precibus adjuvemur, quorum recordationibus exhibentur. Per.

Super populum. — Erudi, quæsumus, Domine, populum tuum spiritalibus instrumentis, et quorum præstas solemnia prævenire, fac eorum et consideratione devotum et defensione securum. Per.

(495) KALENDIS NOVEMBRIS.—NATALIS [a] SANCTI CÆSARII MARTYRIS.

(496) Deus, qui nos beati martyris tui Cæsarii annua solemnitate lætificas, concede propitius ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, beati Cæsarii martyris tui dicatas meritis benignus assume, et ad perpetuum nobis tribue provenire subsidium. Per.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut, qui cœlestia alimenta percepimus, intercedente beato Cæsario martyre tuo, per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

EODEM DIE. — (497) NATALIS [b] OMNIUM SANCTORUM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium sanctorum merita sub una tribuisti celebritate venerari, quæsumus ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessionibus, largiaris. Per.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro cunctorum tibi grata sint honore sanctorum, et nobis salutaria, te miserante, reddantur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et clementiam tuam suppliciter obsecrare, ut cum exsultantibus sanctis in cœlestis regni cubilibus gaudia nostra subjungas. Et quos virtutis imitatione non

[a] Exstat in Codicibus nostris et in Mss. Reg. Suec. qui solemnitatis omnium sanctorum minime meminit.

[b] Miramur hic annotatum a Pamelio (quod etiam in Edit. Gussanvil. legitur) hujus diei officium in omnibus reperiri Mss. Cerie de ipso siletur in Cod. Reg. Suec., in duobus aliis a Menardo hic indicatis, et in Kalend. Rom.

possumus sequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Christum.

Benedictio. — Sanctorum suorum meritis vos Dominus faciat benedici, et contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum efficiant suffragia felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cœlestia possitis pervenire promissa. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Sanctorum omnium gloriosa confessio, Deus, **139** tribue nobis, quæsumus, ut, per hæc sancta quæ sumpsimus, tuorum admisti conciliis, misericordiæ tuæ dapibus saginemur. Per.

Alia. — Da, quæsumus, Domine, fidelibus populis omnium sanctorum semper veneratione lætari, et eorum perpetua supplicatione muniri. Per

(498) *Quatuor Coronatorum nomina hæc sunt : Severus, Severianus, Victorinus, et Carpophorus,* (499) *quorum dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat ; ideo statutum est ut in eorum ecclesia, horum quinque sanctorum, qui in missa recitantur, natalis celebretur, ut cum istis eorum quoque memoria pariter fiat.*

VI IDUS NOVEMBRIS. — NATALIS SANCTORUM QUATUOR CORONATORUM.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres, (500) Claudium, Nicostratum, (501) Symphonianum, Castorium atque Simplicium, fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per.

Super oblata. — Benedictio tua, Domine, larga descendat, quæ et munera nostra, deprecantibus sanctis tuis, tibi reddat accepta, et nobis sacramentum redemptionis efficiat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : celebrantes sanctorum natalitia Coronatorum : quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, in nostræ fidei augmento succrescimus. Per Christum.

Ad Complendum. — Cœlestibus refecti sacramentis et gaudiis, supplices te, Domine, deprecamur, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per.

V IDUS NOVEMBRIS. — NATALIS SANCTI THEODORI MARTYRIS.

Deus, qui nos beati Theodori martyris tui confessione gloriosa circumdas et protegis, præsta nobis ejus imitatione proficere, et oratione fulciri. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, fidelium preces cum oblationibus Hostiarum, et, intercedente beato Theodoro martyre tuo, per hæc piæ devotionis officia ad cœlestem gloriam transeamus. Per.

Ad Complendum. — Præsta nobis, Domine, quæsumus, intercedente beato Theodoro martyre tuo, ut quæ ore contigimus, pura mente capiamus. Per.

140 III IDUS NOVEMBRIS. — NATALIS SANCTI MENNÆ MARTYRIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Mennæ martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per.

Super oblata. — Beati Mennæ martyris tui, Domine, solemnia recensentes, quæsumus ut ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi Hostias laudis offerimus. Per.

Ad Complendum. — Benedictio tua, Deus, impleat corda fidelium, talesque perficiat, qui et martyrum honorificent passiones, et remedia salutis æternæ, eisdem patrocinantibus, assequantur. Per.

EODEM DIE. — NATALIS [a] SANCTI MARTINI CONFESSORIS.

Deus, qui conspicis quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius ut intercessione beati Martini confessoris tui atque pontificis contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Beati Martini pontificis, quæsumus, Domine, nobis pia non desit oratio, quæ et munera nostra conciliet, et tuam nobis indulgentiam semper obtineat. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : cujus (502) munere beatus Martinus confessor pariter et sacerdos, et bonorum operum incrementis excrevit, et variis virtutum donis exuberavit, et miraculis coruscavit : qui, quod verbis docuit, operum exhibitione complevit, et documento simul et exemplo subditis ad cœlestia regna pergendi ducatum præbuit. Unde tuam clementiam petimus ut ejus, qui tibi placuit, exemplis ad bene agendum informemur, meritis muniamur, intercessionibus adjuvemur, qualiter ad cœleste regnum, illo interveniente, te opitulante, pervenire mereamur. Per Christum.

Ad Complendum. — Tua, Domine, sancta sumentes, suppliciter deprecamur, ut quorum veneramur confessionem, præsidia sentiamus. Per.

Super populum. — Exaudi, Domine, populum tuum tota tibi mente subjectum, et beati Martini pontificis supplicatione custodi, ut, corpore et corde protectus, quod pie credit appetat, et quod juste sperat obtineat. Per.

X KALENDAS DECEMBRIS. — [b] NATALIS SANCTÆ CÆCILIÆ.

Deus, qui nos annua beatæ Cæciliæ martyris tuæ solemnitate **141** lætificas, da ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, placationis et laudis quæsumus ut, interveniente beata Cæcilia martyre tua, nos tua propitiatione dignos semper efficiat. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere,

[a] In Theod. sancti Martini festum ponitur ante sancti Mennæ, et vigilia solemni prævenitur.

[b] Ex priori Theod. hoc festum cum vigilia celebratur.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui in infirmitate virtutem perficis, et humani generis inimicum non solum per viros, sed etiam per feminas vincis ; cujus munere beata Cæcilia, et in virginitatis proposito, et in confessione fidei roborata est, ut nec ætatis lubrico ab intentione mutaretur, nec blandimentis carnalibus demulceretur, nec sexus fragilitate deterreretur, nec tormentorum immanitate vinceretur, sed servando corporis ac mentis integritatem, cum virginitatis et martyrii palma æternam mereretur adipisci beatitudinem. Per Christum.

Ad Complendum. — Sic nos, Domine, gratia tua, quæsumus, semper exerceat, ut et divinis instauret nostra corda mysteriis, et sanctæ Cæciliæ martyris tuæ commemoratione lætificet. Per Dominum nostrum.

IX KALENDAS DECEMBRIS. — NATALIS SANCTI CLEMENTIS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui in omnium sanctorum tuorum es virtute mirabilis, da nobis in beati Clementis annua solemnitate lætari, qui Filii tui martyr et pontifex quod ministerio gessit testimonio comprobavit, et quod prædicavit ore confirmavit exemplo. Per.

Super oblata. — Sacrificium tibi, Domine, laudis offerimus, pro sancti celebritate Clementis, ut propitiationem tuam, quam nostris operibus non meremur, pii suffragatoris intercessionibus assequamur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et in hac die, quam beati Clementis passio consecravit, et nobis venerabilem exhibuit : qui apostolica prædicatione imbutus, doctrinis cœlestibus educatus, successionis dignitate conspicuus, et martyr insignis et sacerdos refulsit egregius. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Da, quæsumus, Domine Deus noster, ut sicut tuorum commemoratione sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aspectu. Per.

EODEM DIE. — NATALIS SANCTÆ FELICITATIS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut **142** beatæ Felicitatis martyris tuæ solemnia recensentes meritis ipsius protegamur et precibus. Per.

Super oblata. — Suscipe vota tuorum, Domine, famulorum, et oblatum tibi pro commemoratione beatæ Felicitatis pacifici libaminis sacrificium propitiatus intende. Per.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut, intervenientibus sanctis tuis, et tua in nobis dona multiplices, et tempora nostra disponas. Per.

VIII KALENDAS DECEMBRIS. — NATALIS SANCTI CHRYSOGONI MARTYRIS.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni martyris tui intercessione liberemur. Per.

Super oblata. — Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, et, intercedente beato Chrysogono martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui nos assiduis martyrum passionibus consolaris, et eorum sanguinem triumphalem, quem pro professione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium transire fidelium.

Ad Complendum. — Tui, Domine, perceptione sacramenti, et a nostris mundemur occultis, et ab hostium liberemur insidiis. Per.

III (503) KALENDAS DECEMBRIS. — NATALIS SANCTI SATURNINI MARTYRIS.

Deus, qui nos beati Saturnini martyris tui concedis natalitio perfrui, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, dicata sanctifica ; et, intercedente beato Saturnino martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Sanctificet nos, Domine, quæsumus, tui perceptio sacramenti, et intercessione sanctorum tibi reddat acceptos. Per.

EODEM DIE. — VIGILIA SANCTI ANDREÆ.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas apostolus tuum nobis imploret auxilium, ut, a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per Dominum nostrum.

143 *Super oblata.* — (504) Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus, quo, beati Andreæ solemnia recolentes, purificationem quoque nostris mentibus imploramus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et (505) Majestatem tuam suppliciter exorare ; ut qui beati Andreæ apostoli festum solemnibus jejuniis et devotis prævenimus officiis, illius apud Majestatem tuam, et adjuvemur meritis, et instruamur exemplis. Per Christum.

Ad Complendum. — Perceptis, Domine, sacramentis, suppliciter exoramus, ut, intercedente beato Andrea apostolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus passione, nobis proficiant ad medelam. Per.

Alia. — Tuere nos, misericors Deus, et Andreæ apostoli tui, cujus natalitia prævenimus, semper guberna præsidiis. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos. — Adjuvet Ecclesiam tuam tibi, Domine, supplicando, beatus Andreas apostolus, et pius interventor efficiatur, qui tui nominis exstitit prædicator. Per Dominum.

Ad Matutinos. — Deus, qui es sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem beati Andreæ martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de ejus nata-

litio semper gaudere, ut apud misericordiam tuam exemplis ejus protegamur et meritis. Per.

PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS. — NATALE [a] SANCTI ANDREÆ.

Majestatem tuam supplices, Domine, exoramus, ut sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas apostolus exstitit prædicator et rector, ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per.

Super oblata. — Sacrificium nostrum tibi, Domine, quæsumus, beati Andreæ precatio sancta conciliet, ut cujus honore solemniter exhibetur meritis efficiatur acceptum. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: (506) quoniam adest nobis dies magnifici votiva mysterii qua venerandus Andreas apostolus germanum se gloriosi apostoli tui Petri tam prædicatione Christi tui quam conversatione monstravit, ut id [b] quod libera prædicaverat voce (507) nec pendens **144** taceret in cruce, Auctoremque vitæ perennis tam in hac vita sequi quam in mortis genere meruit imitari, ut, cujus præcepto terrena in semetipso crucifixerat desideria, ejus exemplo ipse patibulo figeretur. Utrique igitur germani piscatores, ambo cruce elevantur ad cœlum, ut quos in hujus vitæ cursu gratia tua tot vinculis pietatis obstrinxerat, hos immarcescibilis in regno cœlorum necteret corona. Et quibus erat una causa certaminis, una retributio esset et præmii. Per quem Majestatem tuam.

Benedictionem require, (508) *in natali.*

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, divina mysteria, beati Andreæ festivitate lætantes, quæ sicut tuis sanctis ad gloriam, ita nobis, quæsumus, ad veniam prodesse perficias. Per Dominum.

Ad Vesperos. — Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, beati apostoli tui Andreæ intercessionibus sublevari, ut (509) per quos Ecclesiæ tuæ superni muneris rudimenta donasti, per eos subsidia perpetuæ salutis impendas. Per Dominum nostrum.

Alia. — Exaudi, Domine, populum tuum cum sancti apostoli tui Andreæ patrocinio supplicantem, ut tuo semper auxilio secura tibi possit devotione servire. Per.

IDIBUS DECEMBRIS. — NATALIS SANCTÆ LUCIÆ VIRGINIS.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Luciæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur effectu. Per.

Super oblata. — Quæsumus, virtutum cœlestium Deus, ut sacrificia pro sanctæ tuæ Luciæ solemnitate delata desiderium nos temporale doceant habere contemptum, et ambire dona faciant cœlestium gaudiorum. Per.

Ad Complendum. — Læti, Domine, sumpsimus sacramenta cœlestia, quæ, intercedente pro nobis beata Lucia martyre tua, ad vitam nobis proficiant sempiternam. Per Dominum.

Alia. — Intercessio nos, Domine, quæsumus, sanctæ Luciæ martyris tuæ votiva confoveat, ut ejus sacrata natalitia et temporaliter frequentemus, et conspiciamus æterna. Per Dominum nostrum.

XII KALENDAS JANUARII. — NATALIS [c] SANCTI THOMÆ APOSTOLI.

Da nobis, quæsumus, Domine, beati apostoli tui Thomæ solemnitatibus gloriari, ut ejus semper **145** et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per.

Super oblata. — Debitum, Domine, nostræ reddimus servitutis, suppliciter exorantes, ut suffragiis beati Thomæ apostoli in nobis tua munera tuearis, cujus honorando confessionem, laudis tibi hostias immolamus. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis, de quorum collegio beati Thomæ apostoli tui solemnia celebrantes, tua, Domine, præconia non taceamus. Per Dominum nostrum.

R. Q. Bened. in natali.

Ad Complendum. — Conserva, Domine, populum tuum, et quem sanctorum tuorum præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere remediis. Per.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, populo tuo, Spiritum veritatis et pacis, et, intercedente beato Thoma apostolo tuo, et te tota mente cognoscat, et quæ tibi sunt placita toto corde sectetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

(510) INCIPIT [d] ORDO AD ECCLESIAM DEDICANDAM.

Primitus enim antequam pontifex introeat ecclesiam, (511) *illuminentur* XII *candelæ per circuitum ecclesiæ:*

[a] In Kalend. Rom. præscribitur Evangel. *Ambulans Jesus juxta mare*, in quod homilia 5 sancti Gregorii legitur habita.

[b] Ex his corroborantur acta sancti Andreæ probaturque non ita recentem fuisse eorum publicationem.

[c] Nihil habetur de sancto Thoma in Codice Reg. Suec., in Calensi, et in Kalend. Rom., ubi assignantur post festum sanctæ Luciæ *quatuor Dominicæ ante Natale Domini*. Apud Pamelium, consentiente Ms. Calensi, legitur: *De adventu Domini*, *Dominica* 1, et consequenter *Dominica* 2, etc. Post Sabbatum *in duodecim lectionibus*, seu quatuor temp., apud Pamelium inscritur officium de sancto Thoma, sed intra uncinos comprehenditur. De Dominicis Adventus infra habetur officium in Ed. Angeli Roccæ et in altera Hugonis Menardi, quam sequimur.

[d] De ecclesiæ dedicatione non agunt hoc loco Mss. nostri, sed alibi fusissime, maxime Gemet., ubi etiam describitur totum officium nocturnum de dedicatione, assignatis duodecim Psalmis cum singulis Antiphonis ex præscripto reg. sancti Benedicti. Psalmi autem non sumuntur de feria, sed ex diversarum feriarum Psalmis delecti sunt. Unde liquet quomodo tunc intelligeretur quod decernitur cap. 14 reg. sancti Benedicti: *In sanctorum festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur, excepto quod Psalmi aut Antiphonæ vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.* In Edit. Pamel. contractius est officium in dedicatione, omninoque diversum. Pauciora adhuc habet Codex Reg. Suec. At uterque Theod. longe plura et longiora. In his legitur benedictio *ad signum ecclesiæ*, quod appel-

et induant se vestimentis sacris. Et cum venerint ad ostium ecclesiæ, percutiat pontifex ter superliminare de (512) *cambutta sua, dicens ante portam Antiphonam* (513) Tollite portas principes vestras. *Et canant ipsum psalmum totum ante ostium,* (514) *et aperto ostio intrantes dicant,* Pax huic domui. *Deinde incipiat clerus litaniam. Et cum venerint sacerdotes,* (515) *vel levitæ ante altare, prosternant se* (516) *super stramenta cum pontifice usque dum dicatur* Agnus Dei. *Ut autem surrexerint ab oratione, non dicat pontifex* Dominus vobiscum, *sed* Oremus *tantum. Et diaconus dicat* Flectamus genua; *postquam oraverint, dicat* Levate. *Et sequitur Oratio*

Magnificare, Domine Deus noster, in sanctis tuis, et in hoc templo ædificationis tuæ appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipse semper in tua hæreditate lauderis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

(517) *Deinde incipiat pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribens per pavimentum cum cambutta sua,* (518) A, B, C, *usque in dextrum angulum Occidentis; incipiens iterum similiter a dextro angulo* **146** *Orientis,* A, B, C, *scribit usque in sinistrum angulum Occidentis Basilicæ.*

Deinde (519) *veniens ante altare dicat :* Deus in adjutorium meum intende, Domine, ad adjuvandum me festina. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen, (520) *absque,* Alleluia. *Deinde* (521) *sequitur exorcismus aquæ.*

(522) Discede, immunde spiritus, ab omnibus quibus fides nostra usura est religiosi officii (523) sacramentis. Nec prætendas culpam criminis, qui agnoscis potentiam Salvatoris. Non est meriti confidentia, sed præcepti, licet ipsa potestas ministerii dignitas sit ministri. Te igitur per communem Deum, aquæ creatura, convenio, ut, conservato motu sensibilitatis, intelligens subjici servitio, quo placere Deo nitimur, non recuses. Omnem a te communionem dæmonum, omne collegium iniquitatis expurges. Totam phantasmatis labem capax dominicæ protectionis extermines, ut, gratia sanctificationis indepta, tuo nostroque pariter Creatori debito famulatu deserviens, omnem spirituum pravorum nequitiam quocunque loco fueris aspersa dejicias, et sanctæ copiam benedictionis infundas. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Deinde dicat hanc orationem.

(524) Sanctificare per verbum Dei, unda cœlestis, sanctificare, aqua Christi calcata vestigiis. Quæ montibus pressa non clauderis, quæ scopulis illisa non frangeris, quæ terris diffusa non deficis. Tu sustines aridam, portas montium pondera, nec demergis. Tu cœlorum vertice contineris, circumfusa per totum lavas omnia, nec lavaris. Tu fugientibus populis Hebræorum in (525) molem durata constringeris, tu rursum salsis resoluta vorticibus Nili accolas perdis, et hostilem globum freto sæviente persequeris. Una eademque es salus fidelibus, et ultio criminosis. Te per Moysem percussa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuisti, cum Majestatis imperio jussa prodires. Tu gestata nubibus imbre jucundo arva fecundas.

(526) Per te aridis æstu corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam potus infunditur. Tu intimis scaturiens venis, aut spiritum inclusa vitalem, aut succum fertilem præstas, ne, siccatis examinata visceribus, solemnes neget terra proventus. Per te initium, per te finis exsultat, vel potius ex Deo tuum est, ut terminum nesciamus. At tu, Domine omnipotens Deus, cujus, virtutum non nescii, dum aquarum merita promimus, operis insignia prædicamus, benedictionis auctor, salutis origo, te supplices deprecamur et quæsumus, ut imbrem gratiæ tuæ super hanc domum cum abundantia tuæ benedictionis infundas, bona omnia largiaris, prospera tribuas, adversa repellas. Malorum fautorem dæmonem destruas, angelum lucis amicum, bonorum provisorem defensoremque constituas. Domum in tuo nomine cœptam, te adjutore, perfectam benedictio tua in longum mansura confirmet. Tuum hæc fundamenta præsidium, culmina **147** tegumentum, ostia introitum, penetralia mereantur accessum. Sit per lustrationem vultus tui utilitas hominum, stabilitas parietum; sit positis crux invicta liminibus; utrique postes gratiæ tuæ inscriptione signentur, ac per multitudinem propitiationis tuæ visitatoribus domus hujus sit pax cum abundantia, sobrietas cum modestia, redundantia cum misericordia. Inquietudo omnis et calamitas longe recedat, inopia, pestis, morbus, languor, incursusque malorum spirituum tua semper visitatione discedat. Et ita fusa in hoc loco nostræ supplicationis oratio extensos ejus terminos et atria circumjecta percurrat; sicque per cunctos angulos ac recessus data benedictio hujus gurgitis purificatione perlabatur, ut semper hic lætitia quietis, gratia hospitalitatis, abundantia frugis, reverentia religionis, copia sit salutis. Et ubi invocatur sanctum tuum nomen, bonorum succedat copia, malorum tentamenta procul effugiant. Et mereamur angelum pacis, castitatis, et veritatis, qui nos semper ab omnibus malis custodiat, protegat atque defendat. Per Dominum.

Benedictio aquæ. — (527) Domine Deus, Pater omnipotens, statutor et conditor omnium elementorum, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum elementum hoc aquæ in salutem humani generis esse voluisti, te supplices deprecamur, ut, exauditis orationibus nostris, eam tuæ pietatis respectu sanctifices; atque ita omnium spirituum immundorum ab ea recedat incursio, ut ubicunque fuerit in nomine tuo aspersa, gratia tuæ benedictionis

tatur *vasculum ad invitandos filios Ecclesiæ præparatum;* et ut *ubicunque sonuerit ejus tinnibulum, longe recedat virtus inimicorum.* Infra, signum quod benedicitur appellatur *tinnibulum.* Similia non habentur in Benedictione signi quam ex Cod. Gemet. noster Edmundus Martene suis Antiquis Ecclesiæ Ritibus inseruit tom. III, lib. II, pag. 269.

adveniat, et mala omnia, te propitiante, procul recedant. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

[a] *Exorcismus salis.* — (528) Exorcizo te, creatura salis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, qui te per Eliseum in aqua mitti jussit, ut sanarentur aquæ steriles; (529) qui divina oris sui voce ait discipulis suis: Vos estis sal terræ; et (530) per apostolum suum Vas electionis: Sermo vester sale sit conditus. Ideoque efficere sal exorcizatum, ut sis in remissionem peccatorum, et sanitatem mentium, in protectionem animæ atque corporis, in confirmationem salutis, ad expellendas et excludendas omnes dæmonum tentationes, in nomine Dei Patris omnipotentis, et Jesu Christi Filii ejus, et Spiritus sancti viventis in sæcula sæculorum.

Benedictio salis. — Virtutis tuæ invictam fortitudinem deprecamur, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui inter omnia necessaria quæ per Jesum Christum Dominum nostrum procreari jussisti, non minimam gratiam conferre dignatus es sali, ut ex illo possint universa condiri quæ omnibus ad escam per eumdem tuum Filium Dominum nostrum procreasti. Ideoque te supplices exoramus, ut hoc sal digneris aspicere, quatenus ex Majestatis tuæ virtute contra omnes spiritus immundos valorem possit accipere. Expellat ab omni loco, ubi tua fuerit invocatione aspersum, quidquid potest esse pestiferum, ut exhibeat plenum salutis effectum. Deterreat omnes præstigias inimici, et omnia monstruosorum genera longius faciat effugari. (531) Gravedines omnes **148** phantasiasque compescat, et per signum crucis Filii tui Domini nostri Jesu Christi tutelam fidelissimam desiderantibus præstet. Qui tecum vivit et regnat Deus.

(532) *Et miscetur sal et cinis; faciensque ter inde crucem super ipsam aquam, dicat hanc Orationem.*

Oremus. — (533) Æterne omnipotens Deus, qui nobis a te conditam creaturam aquæ in fide distinxisti, ut liquorem simplicem ad lavacrum, salsam soliditatem præberes ad condimentum, quatenus et sordida possent ablui, et fatua imbui, quo et noxa tolleretur originalis, et corrigeretur error ad viam salutis, te officii nostri functione immeriti deprecamur ut hæc salis et aquæ in tuo nomine facta permistio clementiæ tuæ sanctificetur obtutu. Quodque mysterialiter baptismo commodum, culpæ (534) traduci inimicum, sapientiæ aptum, errori præstas adversum, sancti Spiritus tui sanctitate reddas sanctificatum; nec ullo contagio reddatur immundum quod tua fieri credimus majestate beatum. Sed ita per te præbeat plenum sanctificationis effectum, ut ubicunque invocato nomine tuo fuerit manu emissum, vel quolibet modo assumptum, expulsis et explosis omnibus insidiis contrariæ potestatis, et cuncta dæmonum machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, et sanctorum angelorum custodia semper inibi mansura consistat. Per.

Deinde miscetur vinum cum aqua, et dicit hanc Orationem.

Oremus. — (535) Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis, tu, Domine, (536) permitte Spiritum sanctum tuum super vinum hoc aqua mistum, ut (537) armata virtute cœlestis defensionis ad consecrationem hujus ecclesiæ vel altaris proficiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

(538) *Inde facit crucem de digito suo cum ipsa aqua in dextra parte,* (539) *per quatuor cornua altaris. Inde veniens ante altare* (540) *cum hyssopo aspergit ipsum altare septem vicibus canendo Antiphonam* Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor, (541) *cum ipso Psalmo. Et vadit in circuitu altaris spargendo. Deinde in dextra parte per parietes ecclesiæ,* (542) *usque dum veniens ante altare, spargit iterum desuper in circuitu altaris* (543) *vel ecclesiæ, canendo Antiphonam* Exsurgat Deus, *cum ipso Psalmo; usque dum veniens iterum ante altare aspergit desuper, et in circuitu ecclesiæ* (544) *canendo Antiphonam* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, quia hæc est; *Psalmum,* Deus Deus noster, *et,* Ecce nunc. *Et mittit ex ministris aut clericis duos vel tres* (545) *qui extrinsecus ecclesiæ parietes una voce psallant. Interim ipse pontifex vadit de ipso altari spargendo per medium ecclesiæ in longum et latum,* (546) *faciendo crucem super pavimentum cum Antiphona* Domus mea domus orationis vocabitur, *cum Versu,* Narrabo nomen tuum fratribus meis. *Item Versus,* Domine dilexi, *cum* Gloria: *et veniens in medio ecclesiæ dicit:* Oremus. *Et dicit diaconus:* Flectamus genua, *postea dicit:* Levate. *Et dicit Orationem.*

(547) Deus, qui loca nomini tuo dicata sanctificas, effunde desuper hanc sanctificationis domum gratiam tuam, **149** ut ab omnibus hic invocantibus te auxilium tuæ misericordiæ sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Iterum dicit: Oremus, *et diaconus:* Flectamus genua; *postea dicit:* Levate. (548) *Et sequitur oratio.*

Deus sanctificationum, omnipotens dominator, cujus pietas sine fine sentitur; Deus, qui cœlestia simul et terrestria moderaris, servans misericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conspectum gloriæ tuæ; exaudi preces servorum tuorum, ut sint oculi tui aperti super domum istam die ac nocte. Hancque basilicam, in honore sancti *Ill.* sacris mysteriis institutam, clementissimus dedica, miseratus illustra, proprio splendore clarifica. Omnemque hominem venientem adorare in loco hoc placatus admitte, propitius dignare respicere, et propter nomen tuum magnum, et manum tuam fortem et brachium excelsum in habitaculo hoc supplicantes libens protege, dignanter exaudi, æterna defensione conserva, ut semper felices, semper tua religione lætantes con-

[a] Hic exorcismus cum Benedictione seq. legitur in vet. Sacram. Gallic. præmittiturque: *Exorcismus ad salis sparsum faciendum.*

stanter in sanctæ Trinitatis fide catholica perseverent. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem.

(549) *Ipsa expleta, incipit Antiphonam* Introibo ad altare Dei mei, *ipsam canendo, cum ipso Psalmo. Vadit ante altare*, (550) *et fundit quod remansit de ipsa aqua ad basim altaris. Et extergitur altare de linteo;* (551) *postea offert incensum, et mittit oleum super altare*, (552) *in medio crucem faciens, et super quatuor angulos cum Antiphona canendo* Erexit Jacob, *cum Psalmo* (553) Fundamenta ejus; (554) *et ungit cum manu sua ipsum lapidem, semper incensum in circuitu ipsius altaris alio sacerdote faciente. Post*, (555) *expleto Psalmo, mittit iterum oleum similiter sicut prius canendo Antiphonam* (556) Mane surgens Jacob, *cum Psalmo* Bonum est confiteri Domino. *Ipso expleto* (557) *mittit chrisma similiter canendo Antiphonam* Ecce odor Filii mei, *cum Psalmo* Lauda, Jerusalem, Dominum. *Item Antiphonam* Unxit te Dominus, *Psalmum* Eructavit cor meum. *Deinde in circuitu ecclesiæ per parietes* (558) *dextro in dextro faciens crucem cum pollice de ipso chrismate cum Antiphona* Sanctificavit Dominus, *Psalmum* Magnus Dominus, *et* Ecce nunc. *Item dicit Antiphonam* Lapides pretiosi, *Psalmum* Lauda, Jerusalem. (559) *Inde faciens crucem incensi super altare dicit:* Oremus. *Diaconus, ut supra. Et dicit Orationem super altare.*

Dei Patris omnipotentis misericordiam, dilectissimi fratres, deprecemur, ut hoc altare sacrificiis spiritualibus consecrandum vocis nostræ exoratus officio præsenti benedictione sanctificet, ut in eo semper oblationes famulorum suorum studio suæ devotionis impositas benedicere et sanctificare dignetur, et spiritali placatus incenso precanti familiæ suæ promptus exauditor assistat. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui venturus. *Iterum dicit:* Oremus. *Diaconus ut supra.*

Sequitur Benedictio. — Deus omnipotens, in cujus honore altare hoc (560) sub invocatione tui nominis indigni consecramus, clemens et propitius preces nostræ humilitatis exaudi, et præsta ut in hac mensa sint tibi libamina **150** accepta, sint grata, sint pinguia, et Spiritus sancti tui semper rore perfusa, ut omni tempore in hoc loco supplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota suscipias, desiderata confirmes, postulata concedas. Per Dominum.

Deinde dicit Antiphonam Confirma hoc Deus, *cum Gloria.*

(561) *Deinde, tenentibus subdiaconis vel acolythis linteamina, vel omnia ornamenta ecclesiæ, seu vasa sacra quæcunque ad cultum Dei et ecclesiæ pertinere videntur, benedicit ea pontifex.*

Benedictio (562) *ad linteamina, vel ad omnia in usum basilicæ.* — (563) Omnipotens et misericors Deus, qui ab initio utilia et necessaria hominibus creasti, templaque manu hominum facta nomini sancto tuo dicari tuæque habitationis loca vocari voluisti, quique per famulum tuum Moysen vestimenta pontificalia et sacerdotalia, seu Levitica, et alia quæque diversi generis ornamenta ad cultum et decorem tabernaculi et altaris tui fieri decrevisti; exaudi propitius preces nostras, et omnia hæc diversarum specierum ornamenta, in usum tuæ hujus basilicæ vel altaris ad honorem et gloriam tuam præparata, (564) purificare et sanctificare, benedicere et consecrare per nostræ humilitatis servitutem digneris, ut et divinis cultibus sacrisque ministeriis apta existant, et his confectioni corporis et sanguinis Jesu Christi Filii tui Domini nostri dignis pareatur famulatibus. Qui tecum vivit et regnat.

Alia. — (565) Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia immunda purgantur, et in quo omnia purgata clarescunt, supplices famuli tui tuam omnipotentiam invocamus, ut ab hoc vase, vel vestimento, quæ tibi offerunt famuli tui *Ill.*, omnis spiritus immundus confusus longe discedat, et per fidei benedictionem huic sancto altari tuo sint perfecta, et utilia ad opus ministerii tui, te juvante, sanctificata permaneant. Per Dominum nostrum Jesum.

(566) [a] *Benedictio super munus quod quis Ecclesiæ offert.*—Deus, cujus verbo et potentia facta sunt omnia, cujus dono percipimus quæ ad vitæ remedium possidemus, te supplices nixis precibus exoramus, ut de sede Majestatis tuæ huic oblationi fidelium sanctificator accedas. Suscipe de manu famulorum tuorum *Ill.* munus oblatum, quod a tua clementia benedictum in hujus sanctuarii tui usum maneat consecratum. Sint hæc in conspectu tuo libenter accepta, sicut quondam Abel alumni tui, vel Melchisedech munera tibi placuerunt oblata. Et quia ob honorem tui amoris ecclesiam tuam summis nituntur decorare obsequiis, tu eis, Domine, magna pro parvis recompensa, ut, devotionem eorum accipiens, peccata dimittas, fide eos repleas, indulgentia foveas, misericordia protegas, adversa destruas, prospera concedas. Habeant in hoc sæculo bonæ actionis documentum, charitatis studium, sancti amoris effectum, et in futuro cum sanctis angelis adipiscantur perpetuum regnum. Per Dominum.

151 *Alia.* — Exaudi nos, Domine, quæsumus, ut hæc linteamina, aliaque indumenta, necnon et vasa sancto altari tuo atque ecclesiæ tuæ cunctoque sacri ministerii usui præparata, benedicere et sanctificare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Ad (567) *consecrandam patenam.* — (568) Consecramus et sanctificamus hanc patenam, [b] ad conficiendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi patientis crucem pro salute nostra omnium, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per cuncta sæcula sæculorum. Amen.

(569) *Inde faciens signum crucis de oleo sancto super patenam, dicit.*

[a] Hæc benedictio iisdem pene verbis legitur in vet. Sacram. Gall.

[b] In duobus Theod.: *Ad confringendum in ea corpus*, etc.

Consecrare et sanctificare digneris, Domine, patenam hanc per istam unctionem et nostram benedictionem, in Christo Jesu Domino nostro, qui vivis, etc.

(570) *Benedictio patenæ.* — Domine, Deus omnipotens, qui per Moysen famulum tuum tabernaculi tui altare, et vasa omnia divino cultui mancipasti, clementiam tuam supplices deprecamur, ut hoc vas aptum cultibus tuis, dignumque altaribus reddas, ut sanctificatum in nomine tuo, corporis tui pretiosum ferculum deputetur. Qui vivis et regnas cum Patre in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(571) *Ad* [a] *calicem benedicendum.* — Oremus, dilectissimi fratres, ut Dominus Deus noster calicem in usum sui ministerii consecrandum cœlestis gratiæ inspiratione sanctificet, et ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet. Per Dominum.

Item alia. — *Oremus.* Dignare, Domine, calicem istum in usum ministerii tui, (572) pia famuli tui *Ill.* devotione formatum, ea sanctificatione perfundere qua Melchisedech famuli tui sacratum calicem perfudisti. Et quod arte, vel metallo effici non potest altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione pretiosum. Per.

Item [b] *alia.* — (573) Deus, qui Moysi famulo tuo in Horeb monte servanda populo tuo præcepta disponens templum sanctum tuum qualiter ædificaret instituisti, sacra quoque vasa quæ inferri altari tuo deberent ad instar vasorum cœlestium docuisti, precamur ut hunc calicem, in quo celebraturi sumus sacrosancta mysteria, emissione sancti Spiritus tui cœlesti benedictione sanctifices, gratumque et acceptabilem habeas, atque benedicas, ac digne sociatum vasculis tuis, et acceptabilem deferat famulatum, et digne tuis mysteriis consecretur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

(574) *Deinde vadunt ad eum locum in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, et elevent eas.*

152 *Oratio quando elevantur reliquiæ.*

Oremus. — (575) Aufer a nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dominum.

Alia. — Fac nos, Domine, sanctorum tuorum specialiter dicata membra contingere, quorum cupimus patrocinia incessanter habere. Per Dominum

Finita hac oratione elevent eas cum feretro, et cum magno honore cantando has Antiphonas : (576) Ambulate, sancti Dei, *Antiphonam* De Jerusalem, *Antiphonam* Ecce populus, *Antiphonam* Cum jucunditate, (577) *cum crucibus, et thuribulis, et candelabris multisque luminaribus. Et veniant ad basilicam in qua deponendæ sunt, et mox ut intro pedem intulerint, dicat hanc Orationem :*

Oremus. — (578) Domum tuam, quæsumus, Domine, clementer ingredere, et in tuorum tibi cordibus fidelium perpetuam constitue mansionem, ut cujus ædificatione subsistit, hujus fiat habitatione præclara. Per Dominum.

Alia. — *Oremus.* Deus, qui sacrandorum tibi auctor es munerum, effunde super hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum defensionis tuæ auxilium sentiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium.

Deinde pergant ad altare, ubi condendæ sunt, et (579) *extenso velo inter eos et populum, et recondat pontifex propria manu ipsas reliquias* (580) *in loco altaris, canendo Antiphonam* Exultabunt sancti in gloria, (581) *cum Psalmo* Laudate Dominum de cœlis. *Item Antiphonam* Cantate Domino canticum novum, *Psalmum ipsum. Item Antiphonam* Sub altare Dei sedes accepistis, *Psalmum* Laudate Dominum in sanctis ejus. *Finito hoc dicat hanc orationem.*

Oremus. — Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum æternum tibi condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cœlestia, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum semper meritis adjuvemur. Per Dominum

(582) *Post hæc vestiatur altare* (583) *cum Antiphona* In velamento alarum tuarum, *Psalmum* Deus, Deus meus, ad te luce vigilo. *Et dicatur hæc Oratio :*

Oremus. — Descendat, quæsumus, Domine, Deus noster, Spiritus sanctus tuus super hoc altare, qui et populi tui dona sanctificet, et sumentium corda digananter emundet. Per Dominum.

Inde (584) *revertatur pontifex in sacrarium cum ordinibus suis, et induant se vestimentis aliis solemnibus. Interim ornetur ecclesia, et accendantur luminaria multa; et incipiat cantor Antiphonam ad introitum :* Terribilis est locus iste. *Et procedat* **153** *pontifex de sacrario cum ordinibus suis, sicut consuetudo est in festivitatibus.* (585) *Celebretur ibi solemniter missa more solito, ordine suo, cum* Gloria in excelsis Deo. (586) *Tota vero hebdomada Missæ publicæ in ecclesia fiunt.*

Orationes ad Missas in dedicatione ecclesiæ. — Deus qui invisibiliter omnia contines, et tamen pro salute generis humani signa tuæ potentiæ visibiliter ostendis, templum hoc Majestate tuæ inhabitationis illustra, ut omnes quicunque huc deprecaturi convenerint, ex quacunque ad te tribulatione clamaverint, consolationis tuæ beneficia consequamur. Per Dominum.

Super oblata. — Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum cœlestis virtutis benedictione sanctifica, et omnibus in te sperantibus auxilii

[a] Hæc Oratio cum duabus sequentibus legitur in utroque Theod.

[b] In vet. Sacram. Gallic. hæc Oratio, nonnullis immutatis, adhibetur *ad benedictionem calicis et patenæ, et turris simul.* Turris hujus usus erat ad sacrum ministerium deferendum. Ipsum Christi corpus in turre gestari solitum docet Mabill. in Liturgia Gallic. et in commentario in Ordinem Rom., § 20, cujus sententia confirmatur ex Gregorio Turon., l. de Gloria Mart., cap. 86 : *Acceptaque turre, diaconus in qua mysterium dominici corporis habebatur.*

tui munus ostende, ut hic sacramentorum virtus, et votorum obtineatur effectus. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : per quem te supplices deprecamur, ut altare hoc sanctis usibus præparatum cœlesti dedicatione sanctifices. Et sicut Melchisedech sacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili suscepisti, ita imposita huic novo altari munera semper accepta ferre digneris, ut populus qui in hanc Ecclesiæ domum sanctam convenerit, per hæc libamina cœlesti sanctificatione salvatus, animarum quoque suarum salutem perpetuam consequatur. Per quem Majestatem

Item Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui cum ubique sis totus, et cum universa tua Majestate contineas, sacrari tamen tibi loca tuis mysteriis apta voluisti, ut ipsæ orationum domus supplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent. Effunde, quæsumus, super hunc locum gratiam tuam, et omnibus te invocantibus auxilii tui munus ostende, ut hic sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet. Per eumdem Dominum.

[a] *Benedictio.* — Benedicat et custodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc sui muneris præsentia illustrare, atque suæ pietatis oculos super eam die ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius ut omnes qui ad dedicationem hujus basilicæ devote convenistis, intercedente beato *Ill.* et cæteris sanctis suis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore vobiscum, hinc veniam peccatorum vestrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interventu ipsi templum sancti Spiritus, in quo sancta Deus Trinitas jugiter habitare dignetur, efficiamini, et post hujus vitæ labentis excursum ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

154 *Ad Complendum.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ut in hoc loco, quem nomini tuo indigni dicavimus, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per.

Alia. — Sanctorum tuorum, Domine, precibus confidentes, quæsumus, ut per ea quæ sumpsimus æterna remedia capiamus. Per.

Super populum. — Copiosa beneficia, quæsumus, Domine, Christianus populus assequatur, ut qui in honorem sanctorum tuorum sacrandis tibi liminibus devotus occurrit, et vitæ subsidia præsentis accipiat, et gratiam sempiternæ redemptionis inveniat. Per.

Alia. — Dona, Domine, virtutem populo tuo, et effice nos templum Spiritus sancti, ut tibi de corde puro holocaustum acceptabile præparemus. Per

(537) IN ANNIVERSARIO DEDICATIONIS BASILICÆ.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui, et præsta ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

Super oblata. — Annue, quæsumus, Domine, precibus nostris, ut quicunque intra templi hujus, cujus anniversarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur, plena tibi atque perfecta corporis et animæ devotione placeamus, ut, dum hæc præsentia vota reddimus, ad æterna præmia te adjuvante pervenire mereamur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et pro annua devotione tabernaculi hujus honorem tibi debitum referre, per Christum Dominum nostrum; cujus virtus magna, pietas copiosa. Respice, quæsumus, de cœlo, et vide, et visita domum istam, ut si quis in ea nomini tuo supplicaverit, libenter exaudias, et satisfacientibus libenter ignoscas. Hic tibi sacerdotes tui sacrificium laudis offerant, hic fidelis populus vota persolvat, hic peccatorum onera deponantur, hic fides sancta stabiliatur, hic pietas absoluta redeat, hic iniquitas emendata discedat. Inveniat apud te, Domine, locum veniæ, quicunque satisfaciens huc confugerit, et conscio dolore victus altaria tua rivis suarum eluerit lacrymarum. Hic, si quando populus tuus tristis mœstusque convenerit, acquiesce rogari, et rogatus indulge petentibus. Per quem.

Ad Complendum. — Multiplica, Domine, quæsumus, per hæc sancta, quæ sumpsimus, veritatem tuam in manibus nostris, ut te in templo sancto jugiter adoremus, et in conspectu tuo cum sanctis angelis gloriemur. Per.

155 *Super oblata.* — Deus, qui Ecclesiam tuam Unigeniti tui sponsam vocare dignatus es, utque haberet gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem, da ut omnis hæc plebs nomini tuo serviens hujus vocabuli consortio digna esse mereatur. Et Ecclesia tua in templo, cujus anniversarius dedicationis dies celebratur, tibi collecta, te timeat, te diligat, te sequatur, ut dum jugiter per ejus vestigia graditur, ad cœlestia promissa, ipso ducente, pervenire mereatur. Qui tecum.

(538) IN VIGILIA APOSTOLORUM.

Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam apostoli tui *Ill.* solemnitatem congruo prævenire honore, et venientem digna celebrare devotione. Per.

Super oblata. — Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, et ad apostolicam puriores faciat nos venire festivitatem. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et venientem natalem beati apostoli tui *Ill.* debita servitute prævenire, suppliciter obsecrantes ut ipsum nos apud tuam clementiam sentiamus habere patro-

[a] Benedictionem hanc non habet Benedictionale.

num, quem, tua gratia largiente, meruimus æternæ salutis suscipere ministrum. Per Christum.

Ad Complendum. — Præsta nobis, æterne largitor, ejus ubique protegi oratione cujus natalitia per hæc sancta, quæ sumpsimus, votivo prævenimus obsequio. Per.

Ad Vesperos. — Sancti tui nos, quæsumus, Domine, *Ill.* apostoli solemnitas, quam prævenimus, tueatur, quia tanto fiducialius tuo nomini supplicamus, quanto frequentius apostolorum intercessionibus confovemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, tuorum gloria justorum, præsta, quæsumus, ut sancti tui *Ill.*, cujus diem passionis celebrando prævenimus, sentiamus auxilium. Per.

Ad Matutinos. — Deus, qui es omnium sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem beati apostoli tui *Ill.* martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ de natalitio tantæ festivitatis lætari, ut, quæ apostolorum tuorum prædicatione floruit, eorum exemplis muniatur et intercessionibus adjuvetur. Per Dominum [a].

MISSA IN VIGILIA UNIUS MARTYRIS.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nostra devotio, quæ natalitia beati *Ill.* (589) martyris antecedit, patrocinia nobis ejus accumulet. Per.

156 *Super oblata.* — Magnifica, Domine, beati *Ill.* solemnia recensemus, quæ, promptis cordibus ambientes, oblatis muneribus et suscipimus et præimus. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et gloriosi *Ill.* martyris pia certamina præcurrendo, cujus honorabilis annua recursione solemnitas, et perpetua semper et nova est, quia et in conspectu tuæ Majestatis permanet mors tuorum pretiosa justorum et (590) restaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia. Per Christum.

Ad Complendum. — Sancta tua, Domine, in beati *Ill.* martyris (591) pretiosa passione, quam præimus, nos refoveant, quibus et jugiter satiamur, et semper desideramus expleri. Per Dominum.

Super populum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sancti martyris tui *Ill.* solemnia præimus, ejus etiam virtutes imitemur. Per.

Ad Vesperos. — Deus, qui nobis beati *Ill.* martyris tui natalitia gloriosa præire concedis, tribue, quæsumus, ejus nos semper et beneficiis præveniri, et orationibus adjuvari. Per.

Alia. — Deus, qui nos beati martyris tui *Ill.* concedis natalitia prævenire, ejus nos tribue meritis adjuvari. Per.

Ad Matutinos. — Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, et martyrum palma, solemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, et Ecclesiam tuam continua fac celebritate lætari, ut quod meritis non præsumit, intercessione beati martyris tui *Ill.* assequi mereatur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, mundi Creator et rector, qui hunc diem in beati *Ill.* martyrio consecrasti, concede propitius, ut omnes qui martyrii ejus merita venerantur intercessionibus ejus ab æternis gehennæ incendiis liberentur. Per.

MISSA IN NATALI UNIUS MARTYRIS.

(592) Votivos, Domine, quæsumus, beati martyris tui *Ill.* natalis nos semper excipiat, qui et jucunditatem nobis suæ glorificationis infundat, et tibi nos reddat acceptos. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Præsentia munera, quæsumus, Domine, ita serena pietate intuere, ut sancti Spiritus perfundantur benedictione, et in nostris cordibus eam dilectionem **157** validius infundant, per quam sanctus martyr *Ill.* omnia corporis tormenta devicit. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et in præsenti festivitate sancti martyris tui *Ill.* tibi confitendo laudis Hostias immolare; tuamque immensam pietatem implorare, ut sicut illi dedisti cœlestis palmam triumphi, sic, eo suffragante, nobis emendationem ac veniam concedas peccati; ut in te exsultemus in misericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Christum.

Item alia Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te in omnium martyrum triumphis laudare. Quoniam tuis donis atque muneribus beati martyris tui *Ill.* passionem hodierna solemnitate veneramur, qui pro confessione Jesu Christi Filii tui Domini nostri diversa supplicia sustinuit, et, eadem vincens, coronam perpetuitatis promeruit. Per quem.

(593) *Item alia Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus gratia beatum *Ill.* in sacerdotium elegit, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit, ut per sacerdotalem infulam perveniret ad martyrii palmam. Docensque subditos, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset. Cujus interventus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem Majestatem.

[b] *Benedictio.* — Beati martyris sui *Ill.* intercessione vos Dominus benedicat, et ab omni malo defendat. Amen. Extendat in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplicia passionis. Amen. Quo ejus in cœlo mereamini habere consortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis

[a] Nulla hic Missa de communi apostolorum legitur sicut infra de communi martyrum, fortasse quod omnes apostoli Missam haberent propriam.

[b] Legitur in Benedictionali, ubi assignatur, *in nativitate unius martyris.*

triumphum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum.

Ad Complendum. — Sumpsimus, Domine, sancti *Ill.* martyris solemnitate cœlestia sacramenta, cujus suffragiis, quæsumus, largiaris ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis consequamur. Per.

Super populum. — Fac, quæsumus, Domine Deus noster, intercedente beato martyre tuo *Ill.*, populum tuum in tua devotione gaudere, quia perpetua est et plena felicitas, si bonorum omnium serviamus Auctori. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Aliæ Orationes. — Sancti *Ill.* martyris tui, Domine, nos oratio sancta conciliet, quæ sacris virtutibus veneranda refulget. Per Dominum nostrum.

158 *Alia.* — Beati martyris tui *Ill.* quæsumus Domine, precibus adjuvemur, et ejus digne solemnia celebrantes tuo nomini fac nos semper esse devotos. Per.

Alia. — Beati martyris tui *Ill.*, quæsumus, Domine, nos patrocinium collatum non deserat, quod fragilitatem nostram et precibus tueatur et meritis. Per.

Alia. — Deus, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem pro commemoratione beati martyris tui *Ill.* fecisti, adesto familiæ tuæ precibus, et da ut cujus hodie festa celebramus, ejus meritis et intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Plebs tua, Domine, sancti martyris tui *Ill.* te glorificatione magnificet, et eodem semper precante, te mereamur habere rectorem. Per Dominum nostrum.

MISSA (594) IN VIGILIA PLURIMORUM MARTYRUM.

Beatorum martyrum *Ill. et Ill.* natalitia veneranda, quæsumus, Domine, Ecclesia tua devota suscipiat, et fiat magnæ glorificationis amore devotior. Per.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, et ad venturam festivitatem [a] tantorum martyrum tuorum *Ill.* celebrandam subditorum sibi corpora mentesque sanctificet. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: misericordiæ dator, et totius bonitatis auctor, qui jejuniis, orationibus et eleemosynis, peccatorum remedia et virtutum omnium tribuis incrementa; te humili devotione precamur ut qui sanctis tuis *Ill.*, quorum festa prævenimus, martyrii dedisti coronam, intercessionibus eorum ad hæc agenda nobis tribuas indefessam efficaciam. Per Christum.

Ad Complendum. — Pasce nos, Domine, tuorum gaudiis ubique sanctorum, quia nostræ salutis augmenta sunt, quoties illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per.

Super populum. — Protege, Domine, plebem tuam, et quam martyrum tuorum *Ill.* assidua tribuisti festivitate devotam, tibi semper placitam fieri precibus concede justorum. Per.

[a] In Vatic. et Gussanv. Edit. legitur *sanctorum*.

Alia. — Sint tibi, Domine, quæsumus, nostri munera grata jejunii, quia tunc eadem in sanctorum *Ill.* digna commemoratione deferimus, si et actus illorum pariter subsequamur. Per.

159 *Alia.* — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut populus tuus ad plenæ devotionis affectum beatorum martyrum *Ill.* natalitiis præparetur, et eorum patrocinio promerente, plenæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui nos annua beatorum martyrum tuorum *Ill.* solemnia frequentare concedis, præsta, quæsumus, ut et devotis eadem mentibus celebremus, et eorum intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinos. — Deus, qui hodiernam diem sanctorum tuorum *Ill.* martyrio consecrasti, da nobis salutem mentis et corporis, ut et illorum passioni sit veneratio ex nostra devotione, et nobis auxilium proveniat de eorum sanctissima intercessione. Per.

IN NATALI PLURIMORUM MARTYRUM.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per gloriosi bella certaminis ad immortales triumphos martyres extulisti, da cordibus nostris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, ut quorum memoriam pio amore amplectimur, eorum precibus adjuvemur.

Super oblata. — Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro tuorum tibi grata sint honore justorum, et nobis salutaria te miserante, reddantur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui sanctorum martyrum tuorum pia certamina ad copiosam perducis victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, ut Ecclesiæ tuæ semper sint in exemplum; præsta nobis, quæsumus, ut per eorum intercessionem, quorum festa celebramus, pietatis tuæ munera capiamus. Per Christum.

Benedictio. — [b] Benedicat vobis Dominus beatorum martyrum suorum *Ill.* suffragiis, et liberet ab adversitatibus cunctis. Amen. Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est mors pretiosa. Amen. Ut sicut illi per diversa genera tormentorum cœlestis regni sunt sortiti hæreditatem, ita vos eorum mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Præsta nobis, Domine, quæsumus, ut quæ pro martyrum tuorum *Ill.* beata passione peregimus, ipsorum nobis fiant intercessione salutaria, in quorum natalitiis sunt exsultanter impleta. Per Dominum nostrum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui in sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendis, **160** da mentibus nostris eamdem fidei et charitatis virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per.

Alia. — Ad defensionem fidelium, Domine, quæ-

[b] In Benedictionali, ubi hæc leguntur, *benedicat vos*.

sumus, dexteram tuæ Majestatis extende, et, ut perpetua pietatis tuæ protectione muniantur, intercessio pro his non desit martyrum continuata sanctorum. Per.

Alia. — Omnipotens et misericors Deus, fidelium lumen animarum, adesto votis solemnitatis hodiernæ, et Ecclesiæ tuæ gaudiis de beatorum martyrum *Ill.* gloria conceptis benignus aspira, ut et corda nostra passione ipsorum (595) igniantur, et apud misericordiam tuam eorum juvemur meritis, quorum gaudemus exemplis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sanctorum martyrum tuorum, quorum celebramus victorias, participemus et præmiis. Per Dominum nostrum.

IN VIGILIA UNIUS (596) CONFESSORIS.

Concede nobis, quæsumus, omnipotens Deus, venturam beati confessoris tui *Ill.* solemnitatem congruo prævenire honore, et venientem digna celebrare devotione. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Accepta tibi sit, Domine, nostræ devotionis oblatio, et ad sancti confessoris tui *Ill.* puriores faciat nos venire festivitatem. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et Majestatem tuam suppliciter exorare, ut qui beati *Ill.* confessoris tui festum solemnibus jejuniis et devotis prævenimus officiis, illius apud Majestatem tuam et adjuvemur meritis, et instruamur exemplis. Per.

Ad Complendum. — Beati confessoris tui *Ill.*, Domine, suffragiis exoratus, percepta nos sacramenti tui virtute defende. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Benedictionis tuæ, Domine, gratiam, intercedente sancto confessore tuo *Ill.*, suscipiamus, ut cujus prævenieudo gloriam celebramus, ejus supplicando auxilium sentiamus. Per Dominum nostrum.

Ad Vesperos. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sancti confessoris tui *Ill.* exempla nos provocent, quatenus cujus solemnia prævenimus, etiam actus imitemur, et intercessionibus adjuvemur. Per.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut sicut **161** confessoris tui *Ill.* gloriosa natalitia prævenimus, sic ad tua beneficia promerenda Majestatem tuam pro nobis ipse præveniat. Per.

Ad Matutinos. — Adesto, Domine, populo tuo, ut, beati confessoris tui *Ill.* merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvetur et meritis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum, et a peccatorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, intercedente beato confessore tuo *Ill.*, liberemur. Per Dominum nostrum.

MISSA IN NATALI UNIUS CONFESSORIS.

Misericordiam tuam, quæsumus, Domine, nobis, interveniente beato confessore tuo *Ill*, clementer impende, et nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per.

Super oblata. — Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et, interveniente pro nobis sancto *Ill.* confessore tuo, his sacramentis cœlestibus servientes, ab omni culpa liberos esse concede, ut purificante nos gratia tua, iisdem quibus famulamur mysteriis emundemur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et in hac die, quam transitu sacro beati confessoris tui *Ill.* consecrasti; quæsumus ergo clementiam tuam, ut des nobis illam sequi doctrinam quam ille et verbo docuit, et opere complevit, quatenus nos adjuvari apud misericordiam tuam et exemplis ejus sentiamus et meritis. Per Christum Dominum nostrum

Alia Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et te in sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis suis beatitudinis præmia contulisti. Quoniam semper in manu tua sunt, et non tanget il'os tormentum mortis, quos, te custodiente, beatitudinis sinus intercludit, ubi perpetua semper exsultatione lætantur, ubi etiam beatus confessor tuus *Ill.* sociatus exsultat. Petimus ergo ut memor sit miseriarum nostrarum, et de tua misericordia nobis impetret beatitudinis suæ consortium. Per Christum.

Benedictio. — Omnipotens Deus det vobis copiam benedictionis, qui beatum *Ill.* sibi asciv't virtute confessionis. Amen. Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen. Quo ejus et exemplis eruditi, et intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis, illi possitis in cœlesti regione adjungi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

162 *Ad Complendum.* — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut, de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato confessore tuo *I. L.*, beneficia potiora sumamus. Per.

Super populum. — Aures pietatis tuæ, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina, ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, intercedente beato confessore tuo *Ill.*, miserationis tuæ gratia liberemur. Per.

Alia. — Sancti confessoris tui *Ill.* nos, quæsumus, Domine, tuere præsidiis, ut ejus semper intercessionibus adjuvemur. Per.

Alia. — Adesto, quæsumus, Domine, precibus nostris, quas in sancti confessoris tui *Ill.* commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit precibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Exsultemus, quæsumus, Domine, Deus

noster in solemnitate beati confessoris tui *Ill.*, ut tua sacra natalitia celebrantes, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvemur. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, cui cuncta famulantur elementa, exaudi propitius, intercedente pro nobis confessore tuo *Ill.*, orationem nostram, et tribue nobis misericordiam tuam; et quæcunque præcipis ut agamus, ipse adjuva ut implere possimus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Sancti confessoris tui *Ill.* tribue nos, Domine, supplicationibus foveri, ut cujus depositionem annuo celebramus obsequio, ejus apud te intercessionibus et meritis adjuvemur. Per.

MISSA IN VIGILIA PLURIMORUM CONFESSORUM.

Beatorum confessorum tuorum, Domine, *Ill.* natalitia præeuntes, supplices te rogamus, ut quos cœlesti gloria sublimasti, tuis adesse concedas fidelibus. Per.

Super oblata. — Sacrificium, Domine, quod pro beatis confessoribus tuis *Ill.* offert nostra devotio, eorum meritis augeat nobis, te donante, suffragium. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: sanctorum tuorum *Ill.* solemnitatem prævenientes, concede propitius, ut qui donis tuis ita exstiterunt gloriosi, apud te nostris existant nominibus idonei interventores. Per Christum.

163 *Ad Complendum.* — Quæsumus, Domine, salutaribus repleti mysteriis, ut quorum solemnitatem præimus, eorum orationibus adjuvemur. Per.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, familiam tuam, et benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut per intercessionem beatorum confessorum tuorum *Ill.* et eruditionibus tuis semper multiplicetur, et donis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Propitiare, misericors Deus, supplicationibus nostris, et populum tuum pervigili protectione custodi, ut qui beatorum confessorum tuorum *Ill.* solemnia prævenimus, tribuas nobis ex eorum imitatione prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per.

Alia. — Deus, qui beatos confessores tuos *Ill.* sanctorum tuorum meritis coæquasti, da nobis in eorum celebritate gaudere, ut quorum commemorationem agimus, eorum imitatione proficiamus, et intercessionibus sublevemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

IN NATALI PLURIMORUM CONFESSORUM.

Præsta, Domine, quæsumus, ut sicut sanctorum tuorum *Ill.* nos natalitia celebranda non deserunt, ita jugiter suffragiis comitentur. Per

Super oblata. — Munera, Domine, plebis tuæ, quæsumus, beatorum confessorum tuorum *Ill.* fiant grata suffragiis, et pro quorum triumphis tuo nomini offeruntur, ipsorum digna perficiantur et meritis. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et Majestatem tuam supplici devotione exorare, ut beatorum confessorum tuorum *Ill.*, quorum hodie festa celebramus, obtentu mereamur tuum obtinere auxilium. Per Christum.

Alia Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te in tuorum honore sanctorum *Ill.* glorificare, qui et illis pro certaminis constantia beatitudinem tribuisti sempiternam, et infirmitati nostræ talia præstitisti suffragia, quæ pro eorum meritis possis audire dignanter. Per Christum.

[a] *Benedictio.* — Sanctorum suorum confessorum *Ill.* meritis vos Dominus faciat benedici, et contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum efficiat suffragio felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cœlestia pervenire possitis promissa. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

164 *Ad Complendum.* — Et natalitiis sanctorum, Domine, et sacramenti munere vegetati, quæsumus ut bonis quibus per tuam gratiam nunc fovemur perfruamur æternis. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Adesto, Domine, precibus populi tui cum sanctorum *Ill.* patrocinio supplicantis, ut quod propria fiducia non præsumit suffragantium meritis consequatur. Per.

Alia. — Magnificantes, Domine, misericordiam tuam suppliciter exoramus ut qui nos sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis interesse, perpetuis tribuas interesse consortiis. Per.

Alia. — Da nobis, omnipotens Deus, in sanctorum tuorum te semper commemoratione laudare, quia refovere curabis quos in honore tuo perseverare concedis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Sanctorum tuorum *Ill.*, Domine, suffragiis imploramus, ut a cunctis liberemur offensis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus, et sanctorum tuorum nos ubique tuere præsidiis. Per.

Alia. — Tribue, quæsumus, Domine, sanctos tuos jugiter orare pro nobis; et semper eos clementer digneris audire. Per Dominum nostrum.

Alia. — Sancti tui, quæsumus, Domine, jugiter nobis a te et veniam postulent, et profectum. Per.

IN VIGILIA VIRGINUM.

Sanctæ martyris tuæ *Ill.*, Domine, supplicationibus tribue nos foveri, ut cujus venerabilem solemnitatem prævenimus obsequio, ejus intercessionibus commendemur et meritis. Per Christum.

Super oblata. — Muneribus nostris, Domine,

[a] Iisdem verbis habetur in Benedictionali pro nativitate plurimorum confessorum.

sanctæ *Ill.* martyris tuæ festa præcedimus, præsta quæsumus ut quæ peccatorum nostrorum præpediuntur obstaculis illius meritis reddantur accepta. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te beatæ *Ill.* natalitia præveniendo laudare, prædicare et benedicere, quam tanto munere sublimasti, ut ei conferres et virginitatis coronam et martyrii palmam. Cujus interventibus nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, et supernorum civium faciat ascisci consortiis. Per Christum.

165 *Alia Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te, beatæ *Ill.* natalitia præveniendo, laudare, prædicare et benedicere, quam tanto munere sublimasti, ut ei conferres virginitatis coronam, et martyrii palmam; sicque virtute fidei et decore pudicitiæ polleret, ut ad cœlestia regna virgo pariter et martyr intraret. Per Christum.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut quorum nos tribuis communicare memoriis, eorum facias veraciter imitatores. Per.

IN NATALI VIRGINUM.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti, concede propitius ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — In sanctæ virginis *Ill.* festivitate pretiosa, tua, Domine, mirabilia prædicantes, munera votiva deferimus; præsta, quæsumus, ut sicut ejus tibi grata sunt merita, sic nostræ servitutis accepta reddantur officia. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Quem beata virgo pariter et martyr *Ill.* et diligendo timuit, et timendo dilexit; illique conjuncta est moriendo, cui se consecraverat caste vivendo; et pro eo temporalem studuit sustinere pœnam, ut ab eo perciperet gloriam sempiternam. Quæ, dum duplicem vult sumere palmam in sacri certaminis agone, et de corporis integritate, et de fidei puritate, laboriosius duxit longa antiqui hostis sustinere tentamenta, quam vitam præsentem cito amittere per tormenta. Quoniam cum in martyrio proponantur ea quæ terreant, in carnis vero delectamentis ea quæ mulceant, molestius sustinetur hostis occultus, quam superatur infestus. Cum ergo in utroque tui sit muneris quod vicit, quia nihil valet humana fragilitas, nisi tua hanc adjuvet pietas, pro nobis, quæsumus, tuam pietatem exoret, quæ a te accepit ut vinceret. Et quæ Unigeniti tui intrare meruit thalamum, intercessione sua inter mundi hujus adversa nobis præstet auxilium. Per quem Majestatem tuam.

Alia Præfatio — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus charitatis ardore ista, et omnes sanctæ virgines, a beata Maria exemplum virginitatis accipientes, præsentis sæculi voluptates ac delicias contempserunt. Quoniam tuo dono actum est (597) ut postquam Virgo de Virgine prodiit, sexus fragilis esset fortis, et (598) in quo **166** fuit peccandi facilitas, esset vincendi felicitas. Antiquusque hostis, qui per antiquam virginem genus humanum se vicisse gloriabatur, per sanctas nunc virgines, sequaces potius Mariæ quam Evæ, vincatur. Et in eo major ei confusio crescat, quod de eo etiam sexus fragilis jam triumphat. Quapropter immensam pietatem tuam humiliter exposcimus, ut per earum intercessionem, quæ et sexum vicerunt et sæculum, tibique placuerunt et virginitatis decore, et passionis vigore, nos mereamur et invisibilem hostem superare, et Unigenito tuo Domino nostro adhærere. Per quem Majestatem.

[a] *Benedictio.* — Benedicat vobis Dominus qui beatæ virgini *Ill.* concessit et decorem virginitatis et gloriam passionis. Amen. Et cujus opitulatione illa meruit et sexus fragilitatem et persequentium rabiem devincere, vos possitis et vestrorum corporum illecebras et antiqui hostis machinamenta superare. Amen. Quo sicut illa sexu fragili virile nisa est certamen adire, et post certamen de hostibus triumphare, ita vos in hac mortalitate viventes valeatis et antiquum hostem devincere, et ad regna cœlestia pervenire. Amen. Quod ipse præstare.

Alia Benedictio. — Omnipotens Dominus, intercedentibus sanctis virginibus suis *Ill.*, vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoste non solum per viros, verum etiam per feminas voluit triumphare. Amen. Et qui illis voluit centesimi fructus donum decore virginitatis et agone martyrii conferre, vos dignetur et vitiorum squaloribus expurgare, et virtutum lampadibus exornare. Amen. Quatenus virtutum oleo ita pectorum vestrorum lampades possint repleri, ut cum eis cœlestis sponsi thalamum valeatis ingredi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium.

Ad Complendum. — Auxilientur nobis, Domine, sumpta mysteria, et, intercedente beata *Ill.* martyre tua, sempiterna protectione confirment. Per Dominum nostrum.

Alia. — Indulgentiam nobis, Domine, beata *Ill.* martyr imploret, quæ tibi semper grata exstitit, et merito castitatis et tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum.

(599) *Alia Missa.* — Deus, qui nos hodie sanctæ virginis *Ill.* annua solemnitate lætificas, concede

[a] Hæc Bened. assignatur in Benedictionali pro nat. unius virginis, et sequens in nativitate plurim. virginum.

propitius ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Grata sit tibi, Domine, hæc oblatio plebis tuæ, quam tibi offerimus in honorem sanctæ *Ill.* virginis, ut cunctis proficiat ad salutem. Per.

Ad Complendum. — Adjuvent nos, quæsumus, Domine, et hæc mysteria sancta, quæ sumpsimus, et beatæ *Ill.* virginis intercessio veneranda. Per.

167 *Benedictio vestium virginis,* (600) *vel viduæ.* — Deus, æternorum bonorum fidelissime promissor, et certissime persolutor, qui vestimentum salutare et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significantia, quibus famula tua *Ill.* sancto visibiliter est informanda proposito, propitius bene†dicas, et beatæ castitatis habitum quem te inspirante susceperit, te protegente custodiat; et quam vestibus venerandæ professionis induis temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dominum nostrum.

Item alia. — Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, exaudi preces nostras, et hanc vestem, qua famula tua *Ill.* pro conservandæ castitatis signo se adoperiendam exposcit, bene†dicere et sanctificare digneris. Per Dominum.

Benedictio vestis virginis. — Exaudi, omnipotens Deus, preces nostras, et hanc vestem, qua famula tua *Ill.* se adoperiendam exposcit, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oras vestimentorum Aaron benedictione profluente a capite in barbam unguenti. Et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eam benedicere dignare ac præsta, clementissime Pater, ut supradictæ famulæ tuæ hæc sit vestis salubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc initium sanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentia perseveranti continentia ditetur. Per Dominum nostrum.

(601) *Benedictio virginis ab* (602) *episcopo dicenda,* (603) *quæ fit in Epiphania,* (604) *vel secunda feria Paschæ, aut* (605) *quando apostolorum natalitia celebrantur; et* (606) *vestimenta nigra forinsecus gestant.*

Respice, Domine, propitius super hanc famulam tuam *Ill.*, ut sanctæ virginitatis propositum, quod te inspirante suscepit, te gubernante custodiat. Per.

Consecratio. — Deus, castorum corporum benignus inhabitator, et incorruptarum amator animarum, qui humanam substantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in Verbo tuo, per quod omnia facta sunt, reparas, ut eam non solum ad primæ originis innocentiam revoces, sed etiam ad experientiam (607) quorumdam bonorum, quæ in (608) novo sæculo sunt habenda, perducas, et obstrictos adhuc conditione mortalium jam ad similitudinem provehas angelorum; respice super hanc famulam tuam *Ill.* (609) quæ tibi devotionem suam offert, a quo et ipsa idem (610) votum assumpsit. Sit in ea, Domine, per donum Spiritus tui, prudens modestia, sapiens benignitas, gravis lenitas, casta libertas; ferveat in charitate, et nihil extra te diligat, laudabiliterque vivat, et laudari non appetat, te timeat, tibi amore serviat; tu ei honor, tu gaudium, tu in mœrore solatium, **168** tu in ambiguitate consilium, tu in injuria defensio, in tribulatione patientia, in paupertate abundantia, (611) in jejuniis cibus, in infirmitate sis medicina; per te, quem diligere super omnia appetit, quod est professa custodiat, ut et hostem antiquum devincat, et vitiorum squalores expurget; (612) quatenus centesimi fructus dono virginitatis decorari, virtutumque lampadibus exornari, et electarum virginum tuarum consortio, te donante, mereatur uniri. Per eumdem.

MISSA IN CONSECRATIONE VIRGINIS.

Da, quæsumus, Domine, famulæ tuæ *Ill.*, quam virginitatis honore dignatus es decorare, inchoati operis consummatum effectum, et, ut perfectam tibi offerat plenitudinem, initia sua perducere mereatur ad finem. Per.

Super oblata. — Oblatis hostiis, Domine, quæsumus, præsentis famulæ tuæ *Ill.* perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda, ut apertis januis, summi Regis in adventu, regnum cœleste cum lætitia mereatur intrare. Per.

Ad Complendum. — Respice, Domine, famulæ tuæ *Ill.* debitam servitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta nullis adversitatibus opprimatur, quæ de tua protectione confidit. Per.

Oratio ad abbatissam faciendam. — Exaudi, Domine, preces nostras, et super hanc famulam tuam *Ill.* Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut, cœlesti munere ditata, et tuæ gratiam possit Majestatis acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio (613) *ad* [a] *ancillas Dei velandas.* — Famulas tuas, Domine, tuæ custodia muniat pietatis, ut virginitatis sanctæ propositum, quod te inspirante susceperunt, te protegente illæsum custodiant. Per Dominum.

(614) *Oratio ad abbatem faciendum.* — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, et famulum tuum *Ill.*, quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut, te largiente, cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per Dominum.

[b] (615) HEBDOMADA II POST PENTECOSTEN.

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris; et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in sequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per.

[a] In vet. Sacram. Gall. exstat *ordo ad consecrandas monachas,* et ad velandam virg. Sequitur *Benedictio abbatissæ, et super viduam veste mutandam.*

[b] In Edit. Pamel. nihil de Dominicis post Pente-

169 *Super oblata.* — Oblationem nostram, quæsumus, Domine, misericorditer acceptare et sanctificare digneris, ut ejus sanctificatione nobis salus proveniat, et defensio sempiterna. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui Ecclesiæ tuæ filios sicut non cessas erudire, ita non desinis adjuvare, ut scientiam, te miserante, recta faciendi, et possibilitatem capiant exsequendi. Per Christum.

[a] *Benedictio.* — Benedicat vobis Dominus, et custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, et misereatur vestri. Amen. Convertat vultum suum ad vos, et donet vobis pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, et pax Domini sit semper vobiscum. Et cum spiritu tuo.

Ad Complendum. — Tantis, Domine, repleti muneribus, quæsumus ut et salutaria dona capiamus, et a tua nunquam laude cessemus. Per.

Super populum. — Fideles tuos, Domine, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate faciat nunquam discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per eumdem Dominum nostrum.

HEBDOMADA III POST PENTECOSTEN.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

Super oblata. — Oblatio nos, Domine, tuo nomini dicanda purificet, et de die in diem ad cœlestis vitæ transferat actionem. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem Majestatem tuam suppliciter exoramus, ut ab Ecclesia tua quidquid est noxium tu repellas, et quod eidem salutare est largiaris; nosque contra superbos spiritus humilitatem tribuas rationabilem custodire, cum gratiam tuam clementer nobis impendis; nec humani incertos consilii derelinquas, sed tua, quæ falli non potest, gubernatione disponas. Per quem.

[b] *Benedictio.* — Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus vestris, 170 et sanet omnes languores vestros. Amen. Redimat de interitu animam vestram, et satiet in bonis desiderium vestrum. Amen. Auferat a vobis cor lapideum, et det vobis cor carneum. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Sumptis muneribus, Domine, quæsumus ut cum frequentatione mysterii crescat nostræ salutis effectus. Per Dominum.

Super populum. — Deus, qui te in rectis ac sinceris manere pectoribus asseris, da nobis tua gratia tales existere, in quibus habitare digneris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

HEBDOMADA IV POST PENTECOSTEN.

Deprecationem nostram, quæsumus, Domine, benignus exaudi, et quibus supplicandi præstas affectum, tribue defensionis auxilium. Per Dominum.

Super oblata. — Munera, Domine, oblata sanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus et sanguis fiant. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: cujus hoc mirificum opus ac salutare mysterium fuit ut perditi dudum atque prostrati de diabolo et mortis aculeo ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum sacerdotiumque regale, populus acquisitionis et gens sancta vocaremur. Agentes igitur indefessas gratias sanctamque munificentiam tuam prædicantes, Majestati tuæ hæc sacra deferimus, quæ nobis ipse salutis nostræ auctor Christus instituit. Per quem Majestatem tuam.

[c] *Benedictio.* — Benedicat vobis Dominus nostri oris alloquio, et cor vestrum sinceri amoris copulet nexu perpetuo. Amen. Floreatis rerum præsentium copiis, justitia acquisitis, gaudeatis perenniter fructibus sincerissimæ charitatis. Amen. Tribuat vobis Dominus dona perennia, ut (616) post tempora feliciter dilatata percipiatis gaudia sempiterna. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Sacris muneribus, Domine, perceptis, quæsumus ut nos eorum virtute, et a vitiis omnibus expies, et donis tuæ gratiæ jugiter repleas. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Tempora nostra, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, et quibus cursum tribuis largiorem, præsta continuum benignus auxilium. Per Dominum nostrum.

171 HEBDOMADA V POST PENTECOSTEN.

Protector in te sperantium, Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam, ut, te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Respice, Domine, munera sup-

costen occurrit. Sed post officium dedicationis eccl. sequitur: *In natali papæ. In ordinatione presbyteri. Ad sponsam benedicendam. Orationes pro peccatis*, etc. Sic etiam legitur in Cod. Reg. Sueciæ, ex quo multa Editionis Pamelianæ errata emendari possunt, ut pag. 384, in Oratione *ad capillaturam: Ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es*, pro *Ad comam tondendi*, etc., uti exhibet hic Codex ms. Omittuntur quoque Dominicæ post Pentecosten in Kalend. Rom. Earum Missæ assignantur eodem ordine in duobus Theoderic. ac in nostris Editis. In Codice vero Gemet. reperiuntur immediate post octavam Pentecostes.

[a] Legitur in Benediction. inscribiturque: *Benedictio quotidianis diebus.*

[b] Benedictionem hanc nullibi legi.

[c] Hæc quoque aliis ex Codicibus minime nota. De cæteris quæ sequuntur eadem dicta sunto, nisi aliter rem se habere moneamus.

plicantis Ecclesiæ, et saluti credentium perpetua sanctificationis sumenda concede. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et omnipotentiam tuam jugiter implorare, ut nobis et præsentis vitæ subsidium, et æternæ tribuas præmium sempiternum. Quo sic mutabilia dona capiamus, ut per hæc ad incommutabilia dona pervenire valeamus; sic temporalis lætitiæ tempora transeant, ut eis gaudia sempiterna succedant. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio. — Emundet Dominus conscientias vestras ab omni malitia, et repleat sanctificatione perpetua. Amen. Vota vestra clementer intendat, et peccata omnia propitiatus indulgeat. Amen. Quæ pie optatis miseratus attribuat, ac quæ pavescitis, pius propugnator procul repellat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. —Sancta tua nos, Domine, sumpta vivificent, et misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Respice, Domine, propitius plebem tuam, et toto tibi corde subjectam præsidiis invictæ pietatis attolle. Per Dominum.

HEBDOMADA VI POST PENTECOSTEN.

Da nobis, quæsumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur, et Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum.

Super oblata. — Ascendant, quæsumus, Domine, preces humilitatis nostræ in conspectu clementiæ tuæ; et descendat super hæc oblata virtus tuæ divinitatis, quam nostris quoque purificandis mentibus largiaris. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut opem tuam **172** petentibus dignanter impendas, et desiderantibus benignus tribuas profutura. Per Christum Dominum.

* *Benedictio.*— Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, et in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et charitatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Mysteria nos, Domine, sancta purificent, et suo munere tueantur. Per.

Super populum. — Exaudi nos, Deus salutaris noster, et dies nostros in tua pace dispone, ut a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi servitute famulemur.

HEBDOMADA VII POST PENTECOSTEN.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus, et super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per.

Super oblata. — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum, verum æternumque pontificem, et (617) solum sine peccati macula sacerdotem, cujus sanguine fidelium corda mundantur, cujus institutione placationis tibi hostias non solum pro delictis populi, sed etiam pro nostris offensionibus immolamus; tuam poscentes clementiam ut omne peccatum quod carnis fragilitate contraximus, ipso summo pro nobis Antistite interveniente, solvatur. Per quem.

Benedictio. — Amoveat a vobis Dominus totius maculas simultatis, et imbuat vobis munera puræ dilectionis. Amen. Subjuget in vobis reluctationem carnis et sanguinis, et opem conferat perpetuæ castitatis. Amen. Idque vos in præsenti sæculo diligere faciat, quod a cœlestis paradisi hæreditate non dividat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Quos cœlesti, Domine, dono satiasti, præsta, quæsumus, ut a nostris mundemur occultis, et ab hostium liberemur insidiis. Per.

173 *Super populum.* — Protegat, Domine, quæsumus, tua dextera populum supplicantem, ut præsentem vitam sub tua gubernatione transcurrens, mereatur invenire perpetuam. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA VIII POST PENTECOSTEN.

Deus virtutum, (618) cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et præsta in nobis religionis augmentum, ut quæ sunt bona nutrias, ac pietatis studio quæ sunt nutrita custodias. Per.

Super oblata. — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has populi tui oblationes benignus assume, et, ut nullius sit irritum votum, et nullius vacua postulatio, præsta, quæsumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tibi vovere contriti sacrificium cordis, (619) tibi litare humiliati victimam pectoris, a quo omne bonum sumimus, omnem jucunditatem haurimus. Precamur itaque ut tibi conscientia nostra famuletur, et, ut in te de die in diem meliorata proficiat, tuæ gratiæ intemerata subdatur. Nostris nos, quæsumus, Domine, evacua malis, tuisque reple per omnia bonis, ut, percepta gratia, quam nostra non exigunt merita, a cunctis adversitatibus liberati, et in bonis omnibus

* Exstat in Benedict. post Benedictionem quotidianis diebus.

confirmati, supernis civibus mereamur conjungi. Per Christum.

[a] *Benedictio.* — Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, et det vobis gratiam suæ benedictionis, et præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper et ubique Dominum propitium habeatis, et in ejus laudibus exsultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Repleti, Domine, muneribus tuis, quæsumus ut eorum et mundemur effectu, et muniamur auxilio. Per eumdem.

Super populum. — Da nobis, quæsumus, Domine, ut in tua gratia veraciter confidentes, et quæ digna sunt postulemus, et jugiter postulata sumamus. Per.

HEBDOMADA IX POST PENTECOSTEN.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per.

174 *Super oblata.* — Deus, qui legalium differentias hostiarum unius sacrificii perfectione (620) sanxisti, accipe sacrificium a devotis tibi famulis, et pari benedictione, sicut munera Abel, sanctifica, ut (621) quod singuli obtulerunt, ad Majestatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam misericordiam totis nisibus exorare, ne pro nostra nos iniquitate condemnes, sed pro tua pietate in via recta semper disponas; nec, sicut meremur, delinquentibus irascaris, sed fragilitati nostræ invicta bonitate subvenias. Per Christum.

Benedictio. — Sanctificet vos Domini gratia, et ab omni malo custodiat. Amen. Arceat a vobis omne quod malum est, et spiritus vestros corporaque purificet. Amen. Alliget vos sibi vinculo charitatis, et pax ejus abundet in cordibus vestris. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. —Tua nos, Domine, medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus clementer expediat, et ad ea quæ sunt recta perducat. Per.

Super populum. — Plebis tuæ, quæsumus, Domine, ad te semper corda converte, ut quam tantis facis patrociniis adjuvari, perpetuis non desinas gubernare præsidiis. Per.

HEBDOMADA X POST PENTECOSTEN.

Largire nobis, Domine, quæsumus, semper (622) spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius et agendi, ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per.

Super oblata. — Suscipe munera, quæsumus, Domine, quæ de tua largitate deferimus, ut hæc sacrosancta mysteria, gratiæ tuæ operante virtute, et præsentis vitæ nos conversatione sanctificent, et ad gaudia sempiterna perducant. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam misericordiam exorare, ut te annuente valeamus quæ mala sunt declinare et quæ bona sunt consequenter explere; et quia nos fecisti ad tua sacramenta (623) pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare. Per Christum.

[b] *Benedictio.*—Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, et confirmet vos in spe regni cœlestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, 175 mores componat, et vos ad cœlestis paradisi hæreditatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Sumptis, Domine, tuæ institutionis muneribus, quæsumus ut nos eorum et munditia purges, et potenti virtute defendas. Per Dominum.

Super populum. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut, viam tuam devota mente currentes, (624) subripientium delictorum laqueos evadamus. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XI POST PENTECOSTEN.

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, ut inter hujus vitæ caligines, nec ignorantia fallente mergamur, nec præcipiti studeamus voluntate peccare, sed quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum. Per.

Super oblata. — Concede nobis hæc, quæsumus, Domine, digne frequentare mysteria, quia quoties hujus Hostiæ commemoratio celebratur, (625) opus nostræ redemptionis exercetur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tibi debitam servitutem, per ministerii hujus impletionem persolvere, quia non solum peccantibus veniam tribuis, sed etiam præmia petentibus impertiris. Et quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ reverentiæ cultum, et (626) terrore cogas, et amore perducas. Per Christum.

Benedictio. — Deus, qui est vita mortalium, salusque peccatorum, auferat a vobis omnes maculas delictorum. Amen. Induat vos decore virtutum, sanctificet mentes, purificet voluntates, et donet vobis sanctorum consortium angelorum. Ut probabiles fide, et opere immaculati, perveniatis ad æternam gaudiorum cœlestium hæreditatem. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Tui nobis, Domine, communio sacramenti, et purificationem conferat, et tribuat unitatem. Per.

[a] Habetur in Benedictionali versus finem.

[b] In Benedictionali locum habet, inter illas quæ de communi leguntur.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, clementiam corda fidelium, et gratiæ tuæ virtute corrobora, ut et in tua sint supplicatione devoti, et mutua dilectione sinceri. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XII POST PENTECOSTEN.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, **176** et miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam, ut, ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Tibi, Domine, sacrificia dicata reddantur, quæ sic ad honorem nominis tui deferenda tribuisti, ut eadem remedia fieri nostra præstares. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: cujus primum tuæ pietatis indicium est, si tibi nos facias toto corde subjectos, et spiritum nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris consequenter auxilium. Per Christum.

a *Benedictio.* — Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Talique vos in præsenti sæculo subsidio muniat, ut paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, et benedicendo sanctificet, ut vobiscum, imo in vobis cum habitare delectet. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine Deus noster, ut quos divinis reparare non desinis sacramentis, tuis non destituas benignus auxiliis. Per.

Super populum. — Fideles tuos, Domine, quæsumus, corpore pariter et mente purifica, ut, tua inspiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant, atque, ut earum non capiantur illecebris, tua semper suavitate pascantur. Per.

HEBDOMADA XIII POST PENTECOSTEN.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ et merita supplicum excedis et vota, effunde super nos misericordiam tuam, ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit. Per.

Super oblata. — Respice, Domine, quæsumus, nostram propitius servitutem, ut quod offerimus sit tibi munus acceptum, sit nostræ fragilitatis subsidium. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui nos castigando sanas, et refovendo benignus erudis, dum magis vis salvos esse correctos quam perire dejectos. Per Christum Dominum nostrum.

Benedictio. — Gratia sua vos Dominus locupletet, et cœlesti benedictione multiplicet. Amen. Ab omni vos adversitate **177** defendat, et pia semper miseratione custodiat. Amen. Petitiones vestras placatus intendat, et culparum omnium vobis veniam clementer attribuat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Sentiamus, Domine, quæsumus, tui perceptione sacramenti subsidium mentis et corporis, ut in utroque salvati, cœlestis remedii plenitudine gloriemur. Per.

Super populum. — Tuere, Domine, populum tuum, et salutaribus præsidiis semper adjutum beneficiis attolle continuis et mentis et corporis. Per.

HEBDOMADA XIV POST PENTECOSTEN.

Omnipotens sempiterne Deus, per quem cœpit esse quod non erat, et (627) factum est visibile quod latebat, stultitiam nostri cordis emunda, et quæ in nobis sunt vitiorum secreta purifica, ut possimus tibi Domino pura mente servire. Per Dominum.

Super oblata. — Offerimus tibi, Domine, Hostiam placationis et laudis, humiliter implorantes, ut et eam placabili pietate respicias, et offerentium preces clementi largitate exaudias. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia tu in nostra semper faciens infirmitate virtutem, (628) Ecclesiam tuam inter adversa crescere tribuisti, ut cum putaretur oppressa, tunc potius prævaleret exaltata, dum simul et experientiam fidei declarat afflictio, et victoriosissima semper perseveret, te adjuvante, devotio. Per Christum.

Benedictio. — Det vobis Dominus munus suæ benedictionis, et repleat vos spiritu veritatis et pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis ut subrepentium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, et in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Vivificet nos, quæsumus, Domine, hujus participatio sancta mysterii, et pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per.

Super populum. — Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur, tribue, quæsumus, nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per.

HEBDOMADA XV POST PENTECOSTEN.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, **178** spei et charitatis augmentum, et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per.

Super oblata. — Propitiare, Domine, populo tuo, propitiare muneribus, ut hac oblatione placatus et indulgentiam nobis tribuas et postulata concedas. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui nos de donis bonorum temporalium ad percep-

a Exhibetur in Benedictionali inter communes, seu nulli diei addictas.

tionem provehis æternorum, et hæc tribuis et illa largiris, ut et mansuris jam incipiamus inseri, et prætereuntibus non teneri. Tuum est enim quod vivimus, quia licet peccati vulnere natura nostra sit vitiata, tui tamen est operis ut terreni generati ad cœlestia renascamur. Per Christum.

Benedictio. — Benedictio vos Domini comitetur ubique, sibique semper faciat adhærere. Amen. Ipse vos sua benedictione salvificet, qui dignatus est plasmare potenter. Amen. Atque ita vos præstet feliciter vivere, ut cœlestis beatitudinis efficiat cohæredes. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Cœlestibus, Domine, donis satiatos, quæsumus ut et voluntate pie recteque vivendi, et virtute atque efficacia perficiendi nos jugiter donare digneris. Per Dominum.

Super populum. — Conserva, quæsumus, Domine, populum tuum; et quem salutaribus præsidiis non desinis adjuvare, perpetuis tribue gaudere beneficiis et mentis et corporis. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XVI POST PENTECOSTEN.

Custodi, Domine, quæsumus Ecclesiam tuam propitiatione perpetua, et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis et ad salutaria dirigatur. Per Dominum.

Super oblata. — Hostiam sacrificii singularis tibi, Domine, deferentes petimus, ut ejus virtute nos et a peccatis emacules, et tua sanctificatione dignos efficias. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui æternitate sacerdotii sui omnes tibi servientes sanctificat sacerdotes, quoniam mortali carne circumdati, ita quotidianis peccatorum remissionibus indigemus, ut non solum pro populo, sed etiam pro nobis ejusdem te Pontificis sanguis exoret. Per quem.

179 [a] *Benedictio.* — Concedat vobis omnipotens Deus munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et (629) qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo et præsentis et futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Præsta nobis, misericors Deus, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus, et, per sacramenta quæ sumpsimus peccatorum veniam consequentes, a noxiis liberemur incursibus. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Propitiare, Domine, populo tuo, et ab omnibus illum absolva peccatis, ut quod nostris offensionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per.

HEBDOMADA XVII POST PENTECOSTEN.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat, et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper (630) munere gubernetur. Per Dominum.

Super oblata. — Tua nos, Domine, sacramenta custodiant, et contra diabolicos tueantur semper incursus. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et te incessanter precari, ut qui te auctore subsistimus, te dispensante dirigamur. Non (631) nostris sensibus relinquamur, sed ad tuæ reducti semper tramitem veritatis, hæc studeamus exercere quæ præcipis, ut possimus dona percipere quæ promittis. Per Christum.

Benedictio. — Omnipotens Deus peccatorum vestrorum maculas purget, et sua vos benedictione illustret. Amen. Repleat vos spiritalium donis virtutum, et perseverare faciat in bonis propositum vestrum. Amen. Sicque humilitatem vestram benignus acceptet, ut suæ vos pietatis remuneratione locupletet. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Mentes nostras et corpora possideat, Domine, quæsumus, doni cœlestis operatio, (632) ut non noster sensus in nobis, sed jugiter ejus præveniat effectus. Per Dominum.

Super populum. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et nihil de sua conscientia præsumentibus ineffabili miseratione succurre, ut quod non habet fiducia meritorum, tua conferat largitas invicta donorum. Per.

180 HEBDOMADA XVIII POST PENTECOSTEN.

Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum, et a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per.

Super oblata. — Pro nostræ servitutis augmento sacrificium tibi laudis offerentes, quæsumus, Domine, (633) ut quod immeritis contulisti, propitius exsequaris. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia, cum laude nostra non egeas, grata tibi tamen est tuorum devotio famulorum; nec te augent nostra præconia, sed nobis proficiunt ad salutem. Quoniam sicut fontem vitæ præterire causa moriendi est, sic eodem jugiter redundare, effectus est sine fine vivendi. Per Christum.

Benedictio. — Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, et suæ benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis, ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innitimini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus et in præsenti sæculo mortalis vitæ solatia capiatis, et sempiternæ gaudia comprehendere valeatis. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Salutaris Hostiæ participatione recreati, quæsumus, omnipotens Deus, ut ejus po-

[a] Exstat in Benedictionali, scilicet in serie benedictionum de communi seu quotidianarum.

tentia singulari nos ipsos tibi holocaustum facias sempiternum. Per.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, populo tuo et mentem qua tibi devotus existat, et intellectum quo justa deposcat, et propitiationem tuam, qua pie desiderantibus profutura perficias. Per.

HEBDOMADA XIX POST PENTECOSTEN.

Omnipotens sempiterne Deus, misericordiam tuam ostende supplicibus, ut qui de (634) meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per Dominum.

Super oblata. — Hujus te, Domine, muneris oblatione placemus, et perpetuæ vitæ participes hujus operatione reddamur. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui vicit diabolum **181** et mundum, hominemque paradiso restituit, et vitæ januas credentibus patefecit. Per quem.

[a] *Benedictio.* — Omnipotens Deus dexteræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, et benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitate defendat, et donis cœlestibus exuberare concedat. Amen. Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse.

Ad Complendum. — Cœlestis mensæ, quæsumus, Domine, sacrosancta libatio corda nostra purget semper et pascat. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Adesto, Domine, populis tuis in tua protectione fidentibus, et tuæ se dexteræ suppliciter inclinantes perpetua defensione conserva. Per.

HEBDOMADA XX POST PENTECOSTEN.

Fac nos, Domine, quæsumus, tibi prompta voluntate subjectos, et ad supplicandum tibi nostras semper excita voluntates. Per.

Super oblata. — Munda nos, Domine, sacrificii præsentis effectu, et perfice miseratus in nobis ut ejus mereamur esse participes. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et tuam Majestatem humiliter implorare, ut Jesus Christus Filius tuus Dominus noster sua nos gratia protegat et conservet; et, quia sine ipso nihil recte valemus efficere, ipsius munere capiamus ut tibi semper placere possimus. Per quem Majestatem.

[b] *Benedictio.* — Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, et benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, et virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti sic ei serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis. Amen. Quod ipse.

Ad Complendum. — Purifica, Domine, quæsumus, mentes nostras benignus, et renova cœlestibus sacramentis, ut consequenter et corporum præsens pariter et futurum capiamus auxilium. Per.

Super populum. — Respice propitius, Domine, ad debitam tibi populi servitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta nullis adversitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit. Per Dominum nostrum.

182 HEBDOMADA XXI POST PENTECOSTEN.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, et te solum Dominum puro corde sectari. Per.

Super oblata. — Majestatem tuam, Domine, suppliciter deprecamur, ut hæc sancta, quæ (635) gerimus, et præteritis nos delictis exuant et futuris. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et suppliciter te exorare, ut sic nos bonis tuis instruas sempiternis, ut temporalibus quoque consolari digneris; sic præsentibus refovere, ut ad gaudia nos mansura perducas. Per Christum.

Benedictio. — Omnipotens Deus [c] universa a vobis adversa excludat, et suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus et exsequenda intelligentes et intellecta exsequentes, et inter adversa mundi inveniamini (636) indemnes, et beatorum spirituum efficiamini cohæredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Sacrificium, quod tuæ, Domine Deus, obtulimus pietati, nobis ad veniam nostrorum proficiat peccatorum, et tuæ miserationis semper tribuat solatium. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Super populum. — Benedictionem tuam, Domine, populus fidelis accipiat; qua, corpore salvatus ac mente, et gratum tibi semper exhibeat servitutem, et propitiationis tuæ beneficia semper inveniat. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XXII POST PENTECOSTEN.

Dirigat corda nostra, Domine, quæsumus, tuæ miserationis operatio, quia tibi sine te placere non possumus. Per Dominum.

Super oblata. — Deus, qui nos per hujus (637) sacrificii veneranda commercia unius summæque divinitatis participes efficis, præsta, quæsumus, ut et tuam cognoscamus veritatem, et eam dignis mentibus ac moribus assequamur. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui propterea jure punis errantes, et clementer refoves **183** castigatos, ut nos a malis operibus abs-

[a] Est in Benedict. loco jam designato.
[b] Hæc Benedictio præcedenti subjicitur in Benedictionali.
[c] In Ed. deest *universa*, quod addidimus ex Ms. et ex Benedictionali.

trahas, et ad bona facienda convertas, quia non vis inveniro quod damnes, sed esse potius quod corones. Qui cum pro nostris meritis jugiter mereamur affligi, tu tamen judicium ad correctionem temperas, non perpetuam exerces ad pœnam. Juste enim corrigis, et clementer ignoscis, in utroque verax, in utroque misericors. Qui nos ea lege disponis, ut coercendo in æternum perire non sinas, et parcendo spatium tribuas corrigendi. Qui ideo malis præsentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideo bonis temporalibus consolaris, ut de sempiternis facias certiores. Quo te et in prosperis et in adversis pia semper confessione laudemus. Per Christum Dominum nostrum.

[a] *Benedictio.* — Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, et mentes vestras suæ pacis tranquillitate consolidet. Amen. Quatenus spei, fidei et charitatis gemmis ornati, et præsentem vitam transigatis illæsi, et ad æternam perveniatis securi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Gratias tibi referimus, Domine, sacro munere vegetati, tuam misericordiam deprecantes, ut dignos nos ejus participatione perficias. Per Dominum.

Super populum. — Familiæ tuæ, quæsumus, Domine, esto protector, et misericordiam tuam concede poscenti, qua tibi semper fiat obediens, et tua dona percipiat. Per.

HEBDOMADA XXIII POST PENTECOSTEN.

Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude, ut, mente et corpore pariter expediti, quæ tua sunt liberis mentibus exsequamur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, sic nos sacris muneribus tuam veniam promereri, ut nostros corrigamus excessus; sic fatentibus relaxare delictum, ut coerceamus in suis pravitatibus obstinatos. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et clementiam tuam suppliciter exorare, ut Filius tuus Jesus Christus Dominus noster, qui se usque in finem sæculi suis promisit fidelibus adfuturum, (638) et præsentiæ corporalis mysteriis non deserat quos redemit, et Majestatis suæ beneficiis non relinquat. Per quem Majestatem.

Benedictio. — Benedictionis Domini gratia vos semper protegat, et ab omni malo defendat. Amen. Mundet vos **184** ab omni crimine peccatorum, et sibimet placere faciat in æternum. Amen. Ubique vobis Dominus placatus occurrat, et suæ benedictionis opem dignanter attribuat. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Tua nos, Domine, medicinalis operatio, et a nostris perversitatibus clementer expediat, et tuis faciat semper inhærere mandatis. Per.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, Domine, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut, ab omni pravitate defensa, donis cœlestibus prosequatur. Per Dominum nostrum.

HEBDOMADA XXIV POST PENTECOSTEN.

Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per.

Super oblata. — Cœlestem nobis præbeant hæc mysteria, quæsumus, Domine, medicinam, et vitia nostri cordis expurgent. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: Majestatem tuam suppliciter deprecantes, ut, expulsis azymis vetustatis, illius Agni cibo satiemur et poculo qui et nostram imaginem reparavit, et suam nobis gratiam repromisit, Jesus Christus Filius tuus.

Benedictio. — Omnipotens Dominus adaperiat cor vestrum in lege sua, et humiliet animas vestras ad capienda mandata cœlestia. Amen. Quidquid vobis pro salute animarum vestrarum os mortalitatis nostræ enarrat, acceptum vobis pietas divina efficiat. Amen. Ut, divinis sermonibus animati cum eis qui pro vobis invigilant, ad æternam beatitudinem mereamini pervenire illæsi. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Sacrificium salutis nostræ tibi offerentes, quæsumus, Domine Deus noster, ut concedas nobis purificatis mentibus semper tuæ pietatis celebrare mysterium. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Da salutem, Domine, quæsumus, populo tuo mentis et corporis, et perpetuis consolationibus tuorum reple corda fidelium, ut, tua protectione relevati, et pia tibi devotione complaceant, et tua semper beneficia consequantur. Per Dominum nostrum.

185 [b] HEBDOMADA XXV POST PENTECOSTEN.

Deus, qui nos regendo conservas, parcendo justificas, et a temporali tribulatione nos eripe, et gaudia nobis æterna largire. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, propitiatus hostias, quibus et te placari voluisti, et nobis salutem potenti pietate restitui. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: per quem sanctum et benedictum nomen Majestatis tuæ ubique veneratur, adoratur, prædicatur et colitur, qui est origo salutis, via virtutis, et tuæ propitiatio pietatis. Per quem.

[a] In Benedictionali est ultima.

[b] In Calensi assignantur tantum Dominicæ XXIV *post Pentecost.*; in Gemet. XXV *post octavas Pentecost.*; in priori Theod. XXV *post Pentecost.*, in altero XXVI.

(639) *Req. Ben.*

Ad Complendum. — Immortalitatis alimoniam consecuti, quæsumus, Domine, ut quod ore percepimus, mente sectemur. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a conctis adversitatibus te protegente sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

HEBDOMADA XXVI POST PENTECOSTEN.

Deus, refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus auctor ipse pietatis, et præsta ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per.

Super oblata. — Da, misericors Deus, ut hæc salutaris oblatio et a propriis nos reatibus indesinenter expediat, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum.

Præfatio. —Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : et tibi debitas laudes pio honore deferre, et mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare. Teque ineffabilem, atque invisibilem Deum laudare, benedicere, adorare. Per Christum Dominum nostrum.

Req. Ben.

Ad Complendum. — Cœlesti lumine, quæsumus, Domine, semper et ubique nos præveni, ut mysterium, cujus nos **186** participes esse voluisti, et puro cernamus intuitu, et digno percipiamus affectu. Per.

Super populum. — Protector in te sperantium, Deus, salva populum tuum, ut a peccatis liber, et ab hoste securus, in tua semper gratia perseveret. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

HEBDOMADA XXVII POST PENTECOSTEN.

Excita, Domine, quæsumus, tuorum fidelium voluntates, ut divini operis fructum propensius exsequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum.

Super oblata. — Propitius esto, Domine, supplicationibus nostris, et, populi tui oblationibus precibusque susceptis, omnium nostrum ad te corda converte, ut, a terrenis cupiditatibus liberi, ad cœlestia desideria transeamus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : cujus est operis quod conditi sumus, muneris quod vivimus, pietatis quod tua erga nos dona cognoscimus. Quamvis enim natura nostra peccati vitiata sit vulnere, a terrenis tamen ad cœlestia provehitur tuo inenarrabili munere. Per Christum.

Req. Ben.

Ad Complendum. — Concede nobis, Domine, quæsumus, ut quidquid in nostra mente vitiosum est, sacramenti quod sumpsimus medicatione curetur. Per.

Super populum. — Excita, Domine, tuorum corda fidelium, ut, sacris intenta doctrinis, et intelligant quod sequantur, et sequendo fideliter apprehendant. Per Dominum nostrum.

(640) * HEBDOMADA V ANTE NATALEM DOMINI.

(641) Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, et quod Ecclesiæ tuæ promisisti, usque in finem sæculi clementer operare. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus. Per omnia.

Super oblata. — Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende, quod et nos a vitiis nostræ conditionis emundet, et tuo nomini reddat acceptos. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, **187** per Christum Dominum nostrum : cujus (642) primi adventus mysterium ita nos facias dignis laudibus et officiis celebrare, præsentemque vitam inculpabilem ducere, ut secundum valeamus interriti exspectare. Per quem Majestatem.

Benedictio. — Concedat vobis Dominus præmium sinceræ charitatis, ut cum omnibus semper in pace vivatis. Amen. Inimicorum omnium insidias supercetis, et præsentem vitam sincerissime peragatis. Amen. Sitis etiam a reatu conscientiæ liberi, ut nihil metuatis in die judicii postfuturi. Quod ipse.

Ad Complendum. — Animæ nostræ, quæsumus, omnipotens Deus, hoc potiantur desiderio, ut a tuo Spiritu inflammentur, ut, sicut lampades, divino munere satiati, ante conspectum venientis Christi Filii tui velut clara lumina fulgeamus. Per eumdem.

Super populum. — Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui de adventu Unigeniti Filii tui secundum carnem lætantur; in secundo, cum venerit in Majestate sua, præmium æternæ vitæ percipiant. Per.

HEBDOMADA IV ANTE NATALEM DOMINI.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam et veni, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis et regnas.

Super oblata. — Intende, quæsumus, Domine, sacrificium singulare, ut, hujus participatione mysterii, quæ speranda credimus exspectata sumamus. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, (643) cui proprium est et singulare quod bonus es, et nulla unquam a te es commutatione diversus Propitiare, quæsumus, supplicationibus nostris, et Ecclesiæ tuæ misericordiam tuam quam deprecatur ostende, manifestans plebi tuæ, Unigeniti tui et

* In Kalendario Rom. quatuor tantum hebdomadæ assignantur ante Natale Domini, et totidem in Ms. Calensi, nec plures invenio in Gemet. ac Theod.

incarnationis mysterium, et adventus admirabile sacramentum; ut in universitate nationum (644) constet esse perfectum, (645) quod vatum oraculis fuit ante promissum, (646) percipiantque dignitatem adoptionis quos exornat confessio veritatis. Per quem.

Benedictio. — Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum, et præteritum creditis, et futurum exspectatis, ejusdem adventus vos illustratione sanctificet, et sua benedictione locupletet. Amen. In præsentis vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, et se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen. Quo, a cunctis contagiis peccatorum liberati, illius tremendi examinis diem exspectetis interriti. Amen. Quod ipse.

188 *Ad Complendum.* — Suscipiamus, Domine, misericordiam tuam in medio templi tui, et reparationis nostræ ventura solemnia congruis honoribus præcedamus. Per.

Super populum. — Da, quæsumus, Domine, populo tuo Spiritum veritatis et pacis, ut et te per ad entum Unigeniti tui tota mente cognoscat, et quæ tibi sunt placita, toto corde sectetur. Per eumdem Dominum nostrum.

HEBDOMADA III ANTE NATALEM DOMINI.

Excita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Super oblata. — Placare, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ precibus et hostiis, et ubi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuæ nobis indulgentiæ succurre præsidiis. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: qui (647) tuo inenarrabili munere præstitisti ut natura humana ad similitudinem tui condita, dissimilis per peccatum et mortem effecta, nequaquam in æterna damnatione periret; sed unde peccatum mortem contraxerat, inde vitam tua pietas immensa repararet, et (648) antiquæ virginis facinus nova et intemerata virgo Maria piaret. Quæ ab angelo salutata, a Spiritu sancto obumbrata, illum gignere meruit, qui cuncta nasci suo nutu concessit: quæ mirabatur et corporis integritatem, et conceptus fecunditatem, gaudebatque suum paritura parentem, Jesum Christum Dominum nostrum. Per quem.

Benedictio. — (649) Deus, cujus adventus incarnationis præteritus creditur, et judicii venturus exspectatur, vos, antequam veniat, expiet ab omni contagione delicti. Amen. Prius in vobis diluat omne quod illa futura examinatione puniturus est, ut cum justus advenerit judex, non in vobis inveniat quod condemnet. Amen. Quo veniente non incurratis supplicium æternum, sed remuneremini donariis sempiternis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Repleti cibo spiritalis alimoniæ, supplices te, Domine, deprecamur, ut hujus participatione mysterii doceas nos terrena despicere, et amare cœlestia. Per Dominum nostrum.

Super populum. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem, Christo Filio tuo Domino nostro venienti, in operibus justis aptos occurrere, ut ejus dexteræ sociati, regnum mereantur possidere cœleste. Per eumdem Dominum nostrum.

189 HEBDOMADA II ANTE NATALEM DOMINI.

Aurem tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accommoda, et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Devotionis nostræ tibi, quæsumus, Domine, Hostia jugiter immoletur, quæ et sacri peragat instituta mysterii, et salutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: cujus incarnatione salus facta est mundi, et passione redemptio procurata est hominis procreati. Ipse nos, quæsumus, ad æternum perducat præmium, qui redemit de tenebris infernorum, justificetque in adventu secundo, qui nos redemit in primo; quatenus illius nos a malis omnibus defendat sublimitas, cujus nos ad vitam erexit humilitas. Per quem Majestatem tuam.

Benedictio. — Omnipotens Deus vos placato vultu respiciat, et in vos donum suæ benedictionis infundat. Amen. Et qui hos dies incarnatione Unigeniti sui fecit solemnes, a cunctis præsentis et futuræ vitæ adversitatibus reddat indemnes. Amen. Ut qui de adventu Redemptoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo, cum in majestate venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Imploramus, Domine, clementiam tuam, ut hæc divina subsidia a vitiis expiatos ad festa ventura nos præparent. Per.

MENSIS X [a] FERIA IV.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut redemptionis nostræ ventura solemnitas, et præsentis nobis vitæ subsidia conferat, et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum.

Alia. — Festina, quæsumus, Domine, ne tardaveris, et auxilium nobis supernæ virtutis impende, ut adventus tui consolationibus subleventur qui in tua pietate confidunt. Qui vivis et regnas.

Super oblata. — Grata tibi sint, Domine, munera quibus mysteria celebrantur nostræ libertatis et vitæ. Per Dominum nostrum Jesum Christum

190 *Præfatio.*—Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum: qui ab antiquis pa-

[a] In Kalend. Rom. statio *ad sanctam Mariam*. Evangelium *Missus est*, ut etiam hodie legitur. Eadem est statio in Calensi.

tribus exspectatus, ab angelo nuntiatus, a Virgine conceptus, in fine sæculorum hominibus est præsentatus. Qui, appropinquante Nativitatis suæ festo, ita, quæsumus, sit nobis placatus, qualiter tecum, et cum Spiritu sancto ad nos veniat nobiscum perpetim permansurus. Per quem.

Ad Complendum. — Conservent nos, quæsumus, Domine, munera tua, et per adventum Unigeniti tui tribuant nobis vitam æternam. Qui tecum.

Super populum. — Gratiæ tuæ, quæsumus, Domine, supplicibus tuis tribue largitatem, ut mandata tua, te opitulante, sectantes, consolationem præsentis vitæ percipiant et futuræ. Per Dominum.

[a] FERIA VI.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam et veni, ut hi qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis et regnas.

Super oblata. — Præsta, Domine, quæsumus, ut dicato muneri congruentem nostræ devotionis offeramus effectum. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui sanctificator et institutor es abstinentiæ, cujus nullus finis, nullusque est numerus, effunde, quæsumus, super nos, in diebus jejuniorum nostrorum, Spiritum gratiæ salutaris, et ab omnibus nos perturbationibus sæculi hujus tua defensione conserva, ut qui Unigeniti tui celebramus adventum, continuum ejus sentiamus auxilium. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Prosint nobis, Domine, sumpta mysteria; pariterque nos et a peccatis exuant, et præsidiis tuæ propitiationis attollant. Per Dominum nostrum.

[b] SABBATO IN XII LECT. MENSIS X.

Deus, qui conspicis quia ex nostra pravitate affligimur, concede propitius ut ex tua visitatione consolemur. Per.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut quia sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur, exspectata Unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Qui tecum vivit et regnat Deus.

191 *Alia.*—Indignos nos, quæsumus, Domine, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contristat, Unigeniti Filii tui adventu lætifica. Qui tecum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, et præsentis nobis vitæ remedia conferat, et præmia æterna concedat. Per eumdem.

Alia.—Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pietatis tuæ visitatione consolemur. Per Dominum.

(650) *Alia ad Missam.* — Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Ecclesiæ tuæ, Domine, munera sanctifica, et concede ut per hæc veneranda mysteria pane cœlesti refici mereamur. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus : qui non solum peccata dimittis, sed ipsos etiam justificas peccatores, et reis non tantum peccata relaxas, sed dona largiris et præmia : cujus nos pietatem supplices exoramus, ut qui jejuniis et votis solemnibus nativitatem Unigeniti tui prævenimus, illius dono et præsentis vitæ perturbationibus careamus, et æterna munera capiamus. Per quem Majestatem tuam.

Ad Complendum. — Quæsumus, Domine Deus noster, ut sacrosancta mysteria, quæ pro reparationis nostræ munimine contulisti, et præsens nobis remedium esse facias et futurum. Per.

(651) DOMINICA I ANTE NATALEM DOMINI.

Excita, Domine, potentiam tuam et veni, et magna nobis virtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleres. Qui vivis et regnas, cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti, Deus. Per omnia.

Super oblata. — Hæc tibi, Domine, oblata benignus sanctificanda assume libamina, ut eorum perceptione expiemur a crimine, et adventus Filii tui gloriam mereamur interriti præstolari. Per eumdem Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, **192** nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum : quem Joannes præcessit nascendo, et in desertis eremi prædicando et in fluentis Jordanis baptizando, et ad inferna descendendo : cujus venerandæ nativitatis proxime ventura solemnitas ita nos, quæsumus, tibi placitos reddat, ut cum fructu bonorum operum ad regna cœlestia introducat, ut parando in cordibus nostris viam Domino, fructusque dignos pœnitentiæ faciendo, per prædicationem Joannis obtemperemus monitis nostri Salvatoris. Sicque perveniamus per filium sterilis ad Filium Virginis, per Joannem hominem magnum ad eumdem Dominum nostrum hominem Deum, qui sicut venit ad nos redimendum occultus, ita justificet cum ad judicandum venerit manifestus. Per quem.

Benedictio. — Deus, qui vos et prioris adventus gratia reparavit, et in secundo daturum se vobis regnum cum sanctis angelis repromisit, adventus sui vos illustratione sanctificet. Amen. Vincula vestra dissolvat, antequam veniat, ut, liberati a vinculis peccatorum, interriti tremendum ejus exspectetis adventum. Amen. Et quem venisse in terris pro ve-

[a] Ex eodem Kalendario et Cod. Cal, statio fit *ad Apostolos.* Hujus feriæ Evangel. assignatur *Exsurgens Maria abiit in mont.*

[b] In Kalend. Rom. statio indicitur *ad sanctum Petrum.* Præscribitur legendum Evang. *Anno 15 imperii Tiberii.* Hom. 20 sancti Gregorii in hanc Evangelii lectionem dicitur habita in basilica sancti Joan. Bapt. In Cal. post hoc Sabb. legitur : *Domin. vacat.*

stra salute creditis, venturumque ad judicium sustinetis, ejus adventus gloriam impavidi mereamini contueri. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Ad Complendum. — Tribue nobis, Domine, cœlestis mensæ virtute satiatis, et desiderare quæ recta sunt, et desiderata percipere. Per.

Super populum. — Adjuva, Domine, fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ festivitatis effectum, et corporaliter gubernata recurrat, et ad perpetuam gratiam devota mente perveniat. Per.

(652) [a] *Orationes de adventu Domini quotidianis diebus.*

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut magnæ festivitatis ventura solemnia prospero celebremus effectu; pariterque reddamur et intenti cœlestibus disciplinis, et de nostris temporibus lætiores. Per.

Alia. — Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum.

Alia. — Prope esto, Domine, omnibus exspectantibus te in veritate, ut in adventu Filii tui Domini nostri placitis tibi actibus præsentemur. Per eumdem Dominum nostrum.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, hanc gratiam plebi tuæ, adventum Unigeniti tui cum **193** summa vigilantia exspectare, ut, sicut ipse auctor nostræ salutis docuit, velut fulgentes lampadas, in ejus occursum nostras animas præparemus. Per.

Alia. — Mentes nostras, quæsumus, Domine, lumine tuæ visitationis illustra, ut esse, te largiente, mereamur et inter prospera humiles, et inter adversa securi. Per Dominum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut Filii tui ventura solemnitas, et præsentis vitæ nobis remedia conferat, et præmia æterna concedat. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut quia sub peccati jugo ex vetusta servitute deprimimur, exspectata Unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Qui tecum.

Alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, preces nostras respice, et tuæ super nos viscera pietatis impende, ut qui ex nostra culpa affligimur, Salvatore nostro adveniente, respiremus. Qui tecum vivit.

Alia. — Voci nostræ, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, et cordis nostri tenebras lumine tuæ visitationis illustra. Qui vivis.

Alia. — Porrige nobis, Domine, dexteram tuæ venerationis, et veni, et peccata nostra propitiatus absolve. Qui vivis et regnas.

Alia. — Porrige nobis, Domine, dexteram tuæ venerationis, et veni, et peccata nostra propitiatus absolve. Qui vivis et regnas.

Alia. — Festinantes, omnipotens Deus, in occursum Filii tui Domini nostri nulla impediant opere actus terreni, sed cœlestis Sapientiæ eruditio faciat nos ejus esse consortes. Qui tecum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut quia pro peccatis nostris meremur affligi, per adventum Filii tui a cunctis adversitatibus liberemur. Per.

Alia. — Deus, qui nostra nos conspicis semper infirmitate destitui, adventus Filii tui nos visitatione custodi. Qui tecum vivit et regnat.

Alia. — Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, atque in cunctis actionibus nostris, et aspirando nos præveni, et adjuvando custodi. Qui vivis.

Alia. — Præveniat nos, quæsumus, omnipotens Deus, tua gratia semper, et subsequatur, ut per adventum Unigeniti tui, quem summo cordis desiderio **194** sustinemus, et præsentis vitæ subsidia et futuræ etiam consequamur. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Deus, qui conspicis quia in tua pietate confidimus, concede propitius ut per adventum Unigeniti tui de cœlesti semper protectione gaudeamus. Qui tecum vivit et regnat Deus.

Alia. — Subveniat nobis, Domine, misericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis, te mereamur veniente salvari. Qui vivis et regnas.

Alia. — Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut tua propitiatione salvemur. Qui vivis.

Alia. — Festina, ne tardaveris, Domine Deus noster, et a diabolico furore nos potenter libera. Qui vivis.

Alia. — Exsultemus, quæsumus, Domine Deus noster, omnes recti corde in unitate fidei congregati, ut veniente Salvatore nostro Filio tuo, immaculati occurramus illi in ejus sanctorum comitatu. Qui tecum.

Alia. — Fac nos, quæsumus, Domine, mala nostra toto corde respuere, ut veniente Filio tuo Domino nostro, bona ejus capere valeamus. Qui tecum vivit.

Alia. — Præcinge, quæsumus, Domine Deus noster, lumbos mentis nostræ divina tua virtute potenter, ut, veniente Domino nostro Jesu Christo Filio tuo, digni inveniamur æternæ vitæ convivio, et vota cœlestium dignitatum ab ipso percipere mereamur. Qui tecum vivit et regnat.

Alia. — Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, pervigiles atque sollicitos adventum exspectare Christi Filii tui Domini nostri, ut dum venerit pulsans, non dormientes peccatis, sed vigilantes, et in suis inveniat laudibus exsultantes. Qui tecum vivit et regnat Deus

[b] *Incipiunt* (653) *Orationes pro peccatis.*

Succurre, quæsumus, Domine, populo supplicanti, et opem tuam tribue benignus infirmis, ut sincera

[a] In Edit. Vatic. et Gussanvil., *Oratio.*

[b] In Edit. Pamel. sunt etiam Orationes multæ pro peccatis, sed a nostris prorsus discrepantes, paucis exceptis. Etsi vero Codex Reg. S. Pamel. Editis plerumque assentiatur, non pauca tamen sunt in quibus variæ sunt diversæque lectiones. Sic in Orat. 6, pag. 373, ubi legitur : *liberis tibi mentibus serviamus*, legendum ex Cod. ms. *de tuis semper be*

tibi mente devoti, et præsentis vitæ remediis gaudeant, et futuræ. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui juste irasceris, et clementer ignoscis, afflicti populi lacrymas respice; et iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus averte. Per Dominum.

195 *Alia.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris fatigamur offensis, et merito nostræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam consequi mereamur. Per.

— *Alia.* Deus, cui proprium est misereri semper, et parcere, suscipe deprecationem nostram, et quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per Dominum nostrum.

Alia. — Da nobis, quæsumus, Domine, de tribulatione lætitiam, ut, qui diu pro nostris peccatis affligimur, intercedente beato *Ill.* martyre tuo, in tua misericordia respiremus. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia. — Clamantium ad te, quæsumus, Domine, preces dignanter exaudi, ut sicut Ninivitis in afflictione positis pepercisti, ita et nobis in præsenti tribulatione succurras. Per.

Alia. — Tribulationem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, et iram tuæ indignationis, quam juste meremur, propitiatus averte. Per Dominum.

Alia. — Deus, qui peccantium animas non vis perire, sed culpas, contine, quam meremur, iram, et quam precamur super nos effunde clementiam, ut de mœrore gaudium tuæ misericordiæ consequi mereamur. Per.

Alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, afflicti populi lacrymas respice, et iram tuæ indignationis averte, ut qui reatum nostræ infirmitatis agnoscimus, tua consolatione liberemur. Per.

Alia. — Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi supplicantis propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum.

Alia. — Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus castigatus, in tua miseratione respiret. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Alia. — Deus, refugium pauperum, spes humilium, salusque miserorum, supplicationes populi tui clementer exaudi, ut quos justitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat consolatos. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui **196** offensam nostram per flagella cognoscimus, tuæ consolationis gratiam sentiamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem, sed propter gloriam nominis tui tribulatis succurre placatus. Per.

— *Alia.* Exaudi, Domine, gemitum populi tui; nec plus apud te valeat offensio delinquentium, quam misericordia tua indulta fletibus supplicantium. Per Dominum nostrum.

Alia. — Omnipotens Deus, misericordiam tuam nobis placatus impende, ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam consequamur. Per.

Alia. — Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus; et misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat. Per.

Alia. — Averte, quæsumus, Domine, iram tuam propitiatus a nobis, et facinora nostra, quibus indignationem tuam provocamus, expelle. Per Dominum.

Alia. — Memor esto, quæsumus, Domine, fragilitatis humanæ, et qui juste verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per.

Alia. — Aures tuæ pietatis, quæsumus, Domine, precibus nostris inclina, ut qui peccatorum nostrorum flagellis percutimur, miserationis tuæ gratia liberemur. Per.

(654) [a] *Incipiunt Orationes quotidianæ.*

Vox clamantis Ecclesiæ ad aures, Domine, quæsumus, tuæ pietatis ascendat, ut, percepta venia peccatorum, te fiat operante devota, te protegente secura. Per Dominum nostrum.

Alia. — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et exorabilis tuis esto supplicibus, ut concessa venia, quam precamur, perpetuo misericordiæ tuæ munere gloriemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Nostris, Domine, quæsumus, propitiare temporibus, ut tuo munere dirigatur, et Romana securitas, et devotio Christiana. Per Dominum nostrum.

Alia. — Dies nostros, quæsumus, Domine, placatus intende; pariterque nos et a peccatis absolve propitius, et a cunctis eripe benignus adversis. Per.

197 *Alia.* — Quæsumus, omnipotens Deus, ne nos tua misericordia derelinquat, quæ et errores nostros semper amoveat, et noxia cuncta depellat. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut inter innumeros vitæ præsentis errores tuo semper moderamine dirigamur. Per Dominum nostrum

Alia. — Perpetua, quæsumus, Domine, pace cu-

neficiis gloriemur Orat. 8, eadem pag. ubi Ed. habet *diurnis calamit.*, melius legitur in Ms. *diuturnis cal.* Pag. 174, l. 18, *ut de merito gaudium tuæ misericordiæ*, etc., ubi ex Cod. laudato restituendum *ut de mœrore gaudium*, etc. Hæc pauca observavimus, ut palam fieret in Edit. Pamel. ex Codice Reg. S. cujus penes nos variantes lectiones habemus, multa posse corrigi. In Ms. Cal. hoc quoque loco exhibentur Orationes *pro peccatis, matutinales, quotidianæ*, etc., necnon in aliis Mss. nostris...

[a] In Ed. Pamel., *orationes quotidianis diebus*. At in Cod. Reg. S. titulus est idem ac in Ed. Menard., licet in cæteris fere cum Ed. Pamel. consentiat. Ex eo tamen multa quæ hac in Edit. deficiunt restitui possunt. Sic pag. 376, lin. antepenult., legitur : *et cui sperandæ pietatis indulges*. At supplendum ex Ms. *cui fiduciam sp. piet.* In Edit. Angeli Roccæ, quæ Vaticanis typis excusa est, ac sæpe alibi recusa, novissime vero cura Petri Gussanv. hæc longa Orationum quotidianarum, vespertinalium, matutinalium, etc., series reperitur, paucis duntaxat exceptis.

todi, quos in te sperare donasti. Per Dominum nostrum.

Alia. — Adesto nobis, misericors Deus, et tuæ pietatis nobis propitius dona concede. Per.

Alia. — Rege nostras, Domine, propitius voluntates, ut nec propriis iniquitatibus implicentur, nec subdantur alienis. Per Dominum nostrum.

Alia. — Comprime, Domine, quæsumus, noxios semper incursus, et salutarem temporibus nostris propitius da quietem. Per.

Alia. — Ab omnibus nos defende, quæsumus, Domine, semper adversis, et continuis tuere præsidiis. Per Dominum.

Alia. — Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, sub tua semper pietate gaudeamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Fac nos, quæsumus, Domine Deus noster, in tua devotione gaudere, quia perpetua est, et plena felicitas, si bonorum omnium serviamus Auctori. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et Majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, a quo cuncta bona procedunt, largire supplicibus ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et, te gubernante, eadem faciamus. Per.

Alia. — Vox nostra te, Domine, semper deprecetur, et ad aures tuæ pietatis ascendat. Per Dominum.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Ut tuam, Domine, misericordiam consequamur, fac nos tibi toto corde esse devotos. Per.

198 *Alia.* — Suscipe, Domine, preces nostras, et clamantium ad te pia corda propitius intende. Per.

Alia. — Cunctas, Domine, semper a nobis iniquitates repelle, ut ad viam salutis æternæ secura mente curramus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Redemptor noster, aspice, Deus, et tibi nos jugiter servire concede. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, cœli terræque dominator, auxilium nobis tuæ defensionis benignus impende. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, misericors Deus, ut tibi placita mente serviamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Purificet nos indulgentia tua, Deus, et ab omni semper iniquitate custodiat. Per.

Alia. — Adesto nobis, misericors Deus, et tua circa nos propitiatus dona custodi. Per.

Alia. — A cunctis iniquitatibus nostris exue nos, Domine, et in tua fac pace gaudere. Per.

Alia. — Vincula, Domine, quæsumus, humanæ pravitatis abrumpe, ut ad confitendum nomen tuum libera mente curramus. Per.

Alia. — Tua nos, Domine, quæsumus, gratia benedicat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum nostrum.

Alia. — Vide, Domine, infirmitates nostras, et celeri nobis pietate succurre. Per Dominum nostrum.

Alia. — Fac nos, Domine, quæsumus, mala nostra toto corde respuere, ut bona tua capere valeamus. Per.

Alia. — Esto nobis propitius, Deus, ut tua nos misericordia subsequatur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Præveniat nos, quæsumus, Domine, misericordia tua, et voces nostras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per.

Alia. — Celeri nobis, quæsumus, Domine, pietate succurre, ut devotio supplicantium ad gratiarum transeat actionem. Per.

Alia. — Delicta nostra, Domine, quibus adversa dominantur, **199** absterge et tua nos ubique miseratione custodi. Per.

Alia. — Absolve, Domine, quæsumus, nostrorum vincula peccatorum, et quidquid pro eis meremur averte. Per.

Alia. — Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam. Per.

Alia. — Clamantes ad te, Deus, dignanter exaudi: ut nos de profundo iniquitatis eripias, et ad gaudia æterna perducas. Per.

Alia. — Concede nobis, quæsumus, Domine, veniam delictorum, et eos qui te impugnare moliuntur expugna. Per.

Alia. — Tua nos, Domine, quæsumus, gratia semper et præveniat, et sequatur, ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per.

Alia. — Respice nos, misericors Deus, et nomini tuo perfice veraciter obsequentes. Per.

Alia. — Tuere nos, superne moderator, et fragilitatem nostram tuis defende præsidiis. Per.

Alia. — Ut a nostris excessibus, Domine, temperemus, tua nos præcepta concede jugiter operari. Per.

Alia. — Aufer a nobis, quæsumus, nostras, Domine, pravitates, ut non indignationem tuam, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Alia. — Ut cunctis nos, Domine, foveas adjumentis, tuis apta propitius disciplinis. Per.

Alia. — Oculi nostri ad te, Domine, semper intendant, ut auxilium tuum et misericordiam sentiamus. Per.

Alia.—Peccata nostra, quæsumus, Domine, memor humanæ conditionis absolve, et quidquid eorum retributione meremur averte. Per.

Alia. — Porrige nobis, Deus, dexteram tuam, et auxilium nobis supernæ virtutis. Per.

Alia. — Exaudi nos, Domine Deus noster, et Ecclesiam tuam inter mundi turbines fluctuantem clementi gubernatione moderare. Per.

200 *Alia.* — Intende, Domine, quæsumus, supplices tuos, et pariter nobis indulgentiam tribue benignus et gaudium. Per.

Alia. — Respice nos, omnipotens et misericors Deus, et ab omnibus tribulationibus propitiatus absolve. Per.

Alia. — Iniquitates nostras ne respicias, Deus, sed sola nobis misericordia tua prosit indignis. Per.

Alia. — Fac nos, Domine Deus noster, tuis obedire

mandatis, quia tunc nobis prospera cuncta provenient, si te totius vitæ sequamur auctorem. Per.

ᵃ *Orationes* (655) *aliæ vespertinales.*

Omnipotens sempiterne Deus, vespere, et mane, et meridie, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut, expulsis de cordibus nostris peccatorum tenebris, ad veram lucem, quæ Christus est, nos facias pervenire. Per.

Alia. — Vespertinæ laudis officia persolventes, clementiam tuam, Domine, humili prece deposcimus, ut nocturni insidiatoris fraudes, te protegente, vincamus. Per.

Alia. — Propitiare, Domine, vespertinis supplicationibus nostris, et fac nos sine ullo reatu matutinis tibi laudibus præsentari. Per.

Alia. — Exaudi, Domine, famulos tuos vespertina nomini tuo vota reddentes, et quos per singula diei momenta servasti, per noctis quietem custodire dignare. Per.

(656) *Orationes ad crucem.*

Quæsumus, Domine Deus noster, ut per vexillum sanctæ crucis Filii tui, ad conterendas adversariorum insidias, nos in tuæ protectionis securitate constituas. Per eumdem.

Alia. — Supplices clementiam tuam, quæsumus, omnipotens Deus, ut ab hoste maligno defendas quos per lignum sanctæ crucis Filii tui arma justitiæ pro salute mundi triumphare iussisti. Per eumdem Dominum.

Alia. — Deus, qui pro nobis Filium tuum crucis patibulum subire voluisti, ut inimici a nobis expelleres potestatem, concede nobis famulis tuis ut, antiqui hostis insidias tanti virtute mysterii superantes, sincerissima tibi perpetuo mente famulemur. Per eumdem Dominum.

201 *Alia.* — Deus, cujus Filius per trophæum crucis mundum redimere dignatus est, concede propitius ut qui de redemptione lætamur æternis gaudiis perfrui mereamur. Per eumdem Dominum.

Alia. — Deus, qui per sanguinem crucis Domini nostri Jesu Christi Filii tui dedisti pacem hominibus, et cœlestium collegium angelorum, da nobis et tuæ pacis ubertate repleri, et angelicæ societatis unitate lætari. Per eumdem Dominum.

(657) *Orationes ad Completorium.*

Oriatur in nobis, Domine, nascentibus tenebris, aurora justitiæ, ℟, peracto die, tibi suppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter respicias vota solventes. Per.

Alia. — Gratias tibi agimus, Domine, custoditi per diem, grates tibi exsolvimus custodiendi per noctem: repræsenta nos, quæsumus, Domine, matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per Dominum nostrum.

Alia. — Illumina, quæsumus, Domine, tenebras nostras, et totius noctis insidias tu repelle propitius. Per.

Alia. — Quæsumus, Domine Deus noster, diei molestias, noctis quiete sustenta, ut, necessaria temporum vicissitudine succedente, nostra reficiatur infirmitas. Per.

Alia. — Adesto, Domine, precibus nostris, et die noctuque nos protege, ut quibuslibet alternationibus temporum tua semper incommutabilitate firmemur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, qui illuminas noctem, et lucem post tenebras facis, concede nobis ut hanc noctem sine impedimento Satanæ transeamus, atque matutinis horis ad altare tuum recurrentes, tibi Deo gratias referamus. Per.

Alia. — Tuus est dies, Domine, et tua est nox, concede nobis ut hanc noctem, etc., *ut in superiori.*

Alia. — Tuus est dies, Domine, et tua est nox: concede solem justitiæ permanere in cordibus nostris, ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per.

(658) *Incipiunt Orationes matutinales.*

Illumina, Domine, quæsumus, in te corda credentium, ut tuo semper munimine, et tuo auxilio protegamur. Per.

Alia. — Tua nos, Domine, veritas semper illuminet, et ab omni pravitate defendat. Per Dominum.

202 *Alia.*—Salva nos, omnipotens Deus, et lucem nobis concede perpetuam. Per Dominum nostrum.

Alia. — Exaudi nos, misericors Deus, et mentibus nostris gratiæ tuæ lumen ostende. Per.

Alia. — Matutina supplicum vota, Domine, propitius intuere, et occulta cordis nostri remedio tuæ clarifica pietatis, ut desideria tenebrosa non teneant, quos lux cœlestis gratiæ reparavit. Per.

Alia. — Emitte, quæsumus, Domine, lucem tuam cordibus nostris, ut, mandatorum tuorum lege percepta, in via tua ambulantes, nihil patiamur erroris. Per.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, apud quem nihil obscurum est, nihil tenebrosum, emitte lucem tuam cordibus nostris, etc., *ut in superiori.*

Alia. — Deus, qui vigilantes in laudibus tuis cœlesti mercede remuneras, tenebras de cordibus nostris auferre digneris, ut splendore luminis tui semper gaudeamus. Per.

Alia. — Exsurgentes de cubilibus nostris, auxilium gratiæ tuæ matutinis, Domine, precibus imploramus, ut, discussis tenebris vitiorum, ambulare mereamur in luce virtutum. Per.

Alia. — Te lucem veram, et lucis auctorem, Domine, deprecamur, ut digneris a nobis tenebras depellere vitiorum, et clarificare nos luce virtutum. Per.

Alia. — Auge in nobis, Domine, quæsumus, fidem

ᵃ In Edit. Pamel. præcedunt Orat. Matutinales, et quidem longe plures quam hic, peneque diversæ. In vet. Sacram. Gall. leguntur tantum duæ ex his Orationibus, sc. prima, *Omnipotens*, etc., *et* 6, *Propitiare*, etc.

tuam, et Spiritus sancti lucem in nobis semper accende. Per.

Alia. — Deus, qui tenebras ignorantiæ verbi tui luce depellis, auge in cordibus nostris virtutem fidei, quam dedisti, ut ignis, quem gratia tua fecit accendi, nullis tentationibus possit exstingui. Per.

Alia. — Auribus percipe, Domine, quæsumus, verba oris nostri, clamoremque matutinum pius scrutator intellige, ut orandi ad te nobis sit fida devotio, tuaque donetur nobis diluculo contemplatio, et peccatorum omnium exoptata remissio. Per.

Alia. — Veritas tua, quæsumus, Domine, luceat in cordibus nostris, et omnis falsitas inimici destruatur. Per Dominum nostrum.

Alia. — Sensibus nostris, quæsumus, Domine, lumen sanctum tuum benignus infunde, ut tibi semper **203** simus devoti, cujus sapientia creati sumus, et providentia gubernamur. Per.

Item (659) *ad Matutinos, lucescente die.*

Deus, qui diem discernis a nocte, actus nostros a tenebrarum distingue caligine, ut semper quæ sancta sunt meditantes, in tua jugiter luce vivamus. Per Dominum nostrum.

Alia. — Gratias tibi agimus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui nos de transacto noctis spatio ad matutinas horas perducere dignatus es: quæsumus ut dones nobis diem hunc sine peccato transire, quatenus ad vesperum et semper tibi Deo gratias referamus. Per.

Alia. — Gratias agimus inenarrabili pietati tuæ, omnipotens Deus, qui nos depulsa noctis caligine ad diei hujus principium perduxisti, et, abjecta ignorantiæ cæcitate, ad cultum tui nominis atque scientiam revocasti: illabere sensibus nostris, omnipotens Pater, ut in præceptorum tuorum lumine gradientes, te ducem sequamur et principem. Per.

Alia. — Deus, qui nos ad principium hujus diei pervenire fecisti, da nobis hunc diem sine peccato transire, ut in nullo a tuis semitis declinemus; sed ad tuam justitiam faciendam nostra semper procedant eloquia. Per.

Ad primam. — Dirigere dignare, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, hodie corda et corpora nostra in opera mandatorum tuorum, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper quæ sancta sunt meditemur, atque opere compleamus, et tuo ubique auxilio muniamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus.

Missa pro peccatis.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Adesto, nobis quæsumus, Domine, et preces nostras benignus exaudi, ut quod fiducia non habet meritorum, placatio obtineat Hostiarum. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: suppliciter implorantes, ut nos ab omnibus peccatis clementer eripias, et a cunctis protegas benignus inimicis. Per Christum.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro peccatis atque offensionibus nostris, ut omnium delictorum nostrorum remissionem consequi mereamur, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas.

204 *Ad Complendum.* — Præsta nobis, æterne Salvator, ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per Dominum.

Alia. — Sancta tua nos, Domine, quæsumus, a peccatis exuant, et cœlestis vitæ vigore confirment. Per.

Orationes tempore belli.

Omnipotens et misericors Deus, a bellorum nos, quæsumus, turbine fac quietos, quia bona nobis cuncta præstabis, si pacem dederis et mentis et corporis. Per.

Alia. — Omnipotens Deus, Christiani nominis inimicos virtute, quæsumus, tuæ comprime Majestatis, ut populus tuus et fidei integritate lætetur, et temporum tranquillitate semper exsultet. Per.

Missa in tempore belli.

Deus, regnorum omnium regumque dominator, qui nos et percutiendo sanas, et ignoscendo conservas, prætende nobis misericordiam tuam, ut tranquillitate pacis, tua potestate firmata, ad remedia correctionis utamur. Per.

Alia. — Deus cujus regnum regnum est omnium sæculorum, supplicationes nostras clementer exaudi, et Christianorum regnum tibi subditum protege, ut in tua virtute fidentes, et tibi placeant, et super omnia regna præcellant. Per.

Item alia. — Deus, qui conteris bella, et impugnatores in te sperantium potentia tuæ defensionis expugnas, auxiliare implorantibus misericordiam tuam, ut, omnium gentium feritate compressa, indefessa te gratiarum actione laudemus. Per.

Super oblata. — Sacrificium, Domine, quod immolamus intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, et in tuæ protectionis securitate constituat. Per Dominum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: te toto corde prostrati suppliciter exorantes, ut et præteritorum nobis concedas veniam delictorum, et ab omni mortalitatis incursu continua nos miseratione protegas. Quia tunc defensionem tuam non diffidimus adfuturam, cum a nobis ea quibus te offendimus dignanter expuleris. Per Christum.

Ad Complendum. — Sacrosancti corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi refectione vegetati, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut hoc remedio singulari ab omnium peccatorum nos conta-

gione purifices, et a periculorum munias incursione cunctorum. Per eumdem.

205 *Alia.* — Protector noster aspice, Deus, et ab hostium nos defende periculis, ut, omni perturbatione submota, liberis tibi mentibus serviamus. Per Dominum.

Item alia Missa.

Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, et dexteræ tuæ virtute prosterne. Per.

Super Oblata. — Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii, et a nostris mundemur occultis, et ab inimicorum liberemur insidiis. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus: qui subjectas tibi glorificas potestates, suscipe, quæsumus, propitius preces nostras, et vires adde principibus nostris, ut qui se dextera tua expetunt protegi, nulla possint adversitate superari; fidelem quoque populum tuum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, et ab infestis liberetur inimicis, et in tua jugiter gratia perseveret. Per Christum.

Ad Complendum. — Vivificet nos, quæsumus, Domine, participatio tui sancta mysterii, et pariter nobis expiationem tribuat et munimen. Per Dominum nostrum.

Item alia Missa.

Deus, qui providentia tua cœlestia simul et terrena moderaris, propitiare Christianorum rebus et regibus, ut omnis hostium fortitudo, te pro nobis propugnante, frangatur. Per Dominum.

Alia. — Deus, servientium tibi fortitudo regnorum, propitius Christianorum adesto semper principibus, ut quorum tibi subjecta est humilitas, eorum ubique excellentior sit potestas. Per.

Super oblata. — Propitiare, Domine, precibus et Hostiis famulorum tuorum, et propter nomen tuum Christiani nominis defende rectores, ut salus servientium tibi principum pax tuorum possit esse populorum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: sub cujus potestatis arbitrio omnium regnorum continetur potestas, te humiliter deprecamur, ut principibus nostris propitius adesse digneris, ut qui tua expetunt protectione defendi, omnibus sint hostibus fortiores. Per Christum.

Ad Complendum. — Protege, Domine, famulos tuos subsidiis pacis et corporis, et spiritualibus enutriens eos alimentis, a cunctis hostibus redde securos. Per.

Missa pro pace.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, **206** da servis tuis illam, quam mundus non potest dare pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Alia. — Deus conditor mundi, sub cujus arbitrio sæculorum ordo decurritur, adesto invocationibus nostris, et tranquillitatem pacis præsentibus concede temporibus, ut in laudibus misericordiæ tuæ incessabili exsultatione lætemur. Per.

Super oblata. — Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare preces et Hostias dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax tua pietate concessa Christianorum fines ab omni hoste faciat esse securos. Per Dominum.

Ad Complendum. — Deus auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua fidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Alia. — Deus, qui misericordiæ tuæ potentis auxilio, et prospera tribuis, et adversa depellis, universa obstacula quæ servis tuis adversantur expugna, ut, remoto terrore bellorum, et libertas secura, et religio sit quieta. Per.

Missa pro quacunque tribulatione.

Deus infinitæ misericordiæ, et bonitatis immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, et omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut, peccatorum nostrorum remissione percepta, semper in tua benedictione lætemur. Per.

Super oblata. — Tuere nos, Domine, divinis propitius sacramentis, et, ut his congrue famulemur, eorum præsta potenter effectu. Per eumdem.

Benedictio. — Deus, mœstorum solatium, tribulatorum refugium, suo vos brachio foveat, et ab imminentibus periculis illæsos miseratus efficiat. Amen. Dexteræ suæ vos omnipotentis clypeo muniat, et muro suæ inexpugnabili fortitudinis ab instanti tribulatione circumtegat. Amen. Iram suæ animadversionis a vobis propitiatus avertat, et, portum vobis salutis indulgens, in suæ vos protectionis interritos securitate constituat. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Muniat, quæsumus, Domine, fideles tuos sumpti vivificatio sacramenti, et a vitiis omnibus expeditos in sancta faciat esse devotione currentes. Per.

Item alia Missa.

Deus, sub cujus oculis omne cor trepidat, et omnes conscientiæ pavescunt, propitiare omnium doloribus gementium, et cunctorum medere vulneribus, ut sicut nemo nostrum liber a culpa est, ita nemo sit alienus a venia. Per.

207 *Alia.* — Omnipotens sempiterne Deus, qui timore sentiris, dilectione coleris, confessione placaris, misericordiam tuam effunde supplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non judicium tuum, sed indulgentiam sentiamus. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, propitiatus Hostias quibus et te placari voluisti, et nobis salutem patientia pietatis tuæ restitui. Per.

Ad Complendum. — Quos munere cœlesti reficis, Domine, divino tuere præsidio, ut, tuis mysteriis perfruentes, nullis subdamur adversis. Per.

Item alia Missa.

Deus humilium consolator, et fidelium fortitudo, propitius esto supplicibus, et da ut humana fragilitas, quæ per se proclivis est ad labem, per te semper reparetur ad veniam. Per.

Alia. — Suscipe, misericors Domine, supplicum preces, et secundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos absolve peccatis, ut ad omnia pietatis opera, te parcente, reparemur; et quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces.

Super oblata. — Hæc Hostia, Domine, quæsumus, et ab occultis Ecclesiam tuam reatibus semper expediat, et manifestis convenienter expurget. Per.

Ad Complendum. — Purificent nos, Domine, sacramenta quæ sumpsimus, et a cunctis efficiant vitiis absolutos. Per

Item alia Missa.

Quæsumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut ubi nulla fiducia suppetit actionum, gratia tua copiosa resplendeat, et cum delicta remittit indignis, et cum beneficia præstat immeritis. Per Dominum.

Alia. — Misericors et miserator Domine, qui nos parcendo sustentas, et ignoscendo sanctificas, dona veniam peccatis nostris, et sacramentis cœlestibus servientes ab omni culpa liberos esse concede. Per Dominum.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, placationis offerimus, ut et delicta nostra miseratus absolvas, et nutantia corda tu dirigas. Per Dominum.

Ad Complendum. — Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis sacramentis, tibi placitis moribus dignanter informes. Per Dominum.

Oratio tempore (quod absit) mortalitatis.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, omnipotens Deus, placatus intende conventum; et misericordia tua nos potius quam ira præveniat, quia si iniquitates **208** nostras observare volueris, nulla poterit creatura subsistere; sed admirabili pietate, qua nos fecisti, ignosce peccantibus, ut opera manuum tuarum non facias interire. Per.

Alia. — Exaudi, Domine, preces nostras, et ne velis cum servis tuis adire judicium, quia sicut in nobis nulla justitia reperitur, de qua præsumere valeamus, ita te fontem pietatis agnoscimus, a quo et a peccatis nostris nos absolvi, et a necessitatibus liberari confidimus. Per Dominum.

Super oblata. — Per hæc, quæsumus, veniat, Domine, sacramenta nostræ redemptionis effectus, qui nos et ab humanis retrahat semper excessibus, et ad salutaria cuncta perducat. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Hujus operatio nos, Domine, sacramenti, quæsumus, purificet semper et muniat. Per.

Item alia Missa.

Deus, cujus misericordia cœlestium quoque virtutum indigent potestates, et in cujus conspectu nullus est hominum absque sorde, et pœna peccati, delicta populi, quæsumus, averte propitiatus, ut quos propriæ conscientiæ reatus accusat bonitatis tuæ patientia faciat veniam promereri. Per Dominum nostrum.

Alia. — Deus, cujus tanta est excellentia pietatis, ut, uno peccatore converso, maximum gaudium facias in cœlis haberi, respice in exiguam populi portionem, ut, omni depulsa vexatione, hæreditas tua et numero augeatur, et devotione proficiat. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Protegat nos, Domine, quæsumus, Hostia salutaris, et quæ ad honorem nominis tui immolatur, nobis prosit ad veniam. Per.

Ad Complendum. — Sancta tua, nos, Domine, sumpta vivificent, et misericordiæ sempiternæ præparent expiatos. Per Dominum.

Item alia Missa.

Exaudi, Domine, quæsumus, populum tuum de tua misericordia malorum suorum veniam supplicantem, et quia potens es dimittere peccata, supplicia quæ nostris meremur operibus potentia tuæ pietatis averte. Per.

Alia. — Iram tuam, quæsumus, Domine, a populo tuo miseratus averte, quam nostris quidem meremur operibus, sed humana fragilitate sustinere non possumus, illa nos itaque contine pietate, quam præstare soles indignis. Per.

Super oblata. — Concede nobis, Domine, quæsumus, ut hæc Hostia salutaris, et nostrorum fiat purgatio peccatorum, et tuæ propitiatio potestatis. Per.

209 *Ad Complendum.* — Plebem nomini tuo subditam, Domine, propitius intuere, et ei tuas consolationes jugiter per cœlestem gratiam dignanter operare. Per Dominum.

Item alia Missa.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te converte propitius, ut dum tibi devotus exstiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoveas. Per.

Alia. — Populum tuum, quæsumus, omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui tuæ Majestatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per.

Super oblata. — Subveniat nobis, Domine, quæsumus, sacrificii præsentis operatio, quæ nos et ab erroribus universis potenter absolvat, et a totius eripiat perditionis incursu. Per Dominum

Ad Complendum. — Tuere nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, et ab omni propitius iniquitate defende. Per.

Alia. Exaudi nos, Domine Deus noster, et, intercedente beato martyre tuo *Ill.*, populum tuum et ab iracundiæ tuæ terroribus libera, et misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Dominum nostrum.

Orationes ad pluviam postulandam.

Terram tuam, Domine, quam videmus nostris iniquitatibus tabescentem, cœlestibus aquis infunde; atque irriga beneficiis gratiæ sempiternæ. Per Dominum

Alia. — Da nobis, Domine, quæsumus, pluviam salutarem, et aridam terræ faciem fluentis cœlestibus dignanter infunde. Per Dominum nostrum.

Alia. — Omnipotens sempiterne Deus, qui salvas omnes, et neminem vis perire, aperi fontem benignitatis tuæ, et terram aridam aquis fluenti cœlestis dignanter infunde. Per.

Alia. — Delicta nostra, Domine, nos ipsi cognoscimus, ut ipsius terræ fœditas monstrat transgressionis excessus; tu autem, piissime Pater, qui cœlum clausisti contumacibus et ingratis, reseratum humilibus et contritis concede deprecantibus subsidia pluviarum, et largire mœrentibus abundantiam. Per Dominum.

Alia. — In afflictione maxima constitutis consolationem tribue, fons largissimæ pietatis: descendat, quæsumus, pluvia salutaris, ut omnia quæ sub cœlo sunt irrigentur ab aquis; pasce servos tuos imbribus consuetis, quos ad laudem tuæ creare dignatus es Majestatis. Per.

210 *Alia.* — Omnipotens Deus, qui solus aquas emittis e cœlis, dona servis tuis beneficium pluviæ salutaris, ut quod facinore nostro suspenditur, tuo jam gratuito munere prorogetur. Per.

Missa ad pluviam postulandam.

Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem, ut, præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per.

Alia. — Delicta fragilitatis nostræ, Domine, quæsumus, miseratus absolve, et aquarum subsidia præbe cœlestium, quibus terrena conditio vegetata subsistat. Per.

Super oblata. — Oblatis, Domine, placare muneribus, et opportunum nobis tribue pluviæ sufficientis auxilium. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Tuere nos, quæsumus, Domine, tua sancta sumentes, et ab omnibus propitius absolve peccatis. Per Dominum.

Item alia Missa.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus munere elementa omnia recreantur, reminiscere miserationum tuarum, et salutiferos imbres humano generi concede propitius, quatenus fecunditatis tuæ alimoniis omnis terra lætetur. Per.

Super oblata. — Placare, Domine, muneribus semper acceptis, et diuturnam tempera diffusis imbribus siccitatem. Per Dominum nostrum.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: obsecrantes misericordiam tuam, ut squalentes agri fecundis imbribus irrigentur quibus pariter æstivi mitigentur ardores, et sævientium morborum restinguatur accensio, ac salus hominibus, jumentisque proveniat; atque ut hæc, te largiente, A mereamur, peccata, quæ nobis adversantur, relaxa; qui pluis super justos et injustos, etiam nostris offensionibus relaxatis, exspectata nubium munera largiaris, quibus et salus nobis, et alimenta præstentur. Per Christum.

Ad Complendum. — Precibus populi tui, quæsumus, Domine, placatus aspira, ut veniam tribuas humanis excessibus, et opem miseris benignus impendas. Per Dominum nostrum.

Orationes ad poscendam serenitatem.

Domine Deus, qui in ministerio aquarum salutis tuæ nobis sacramenta sanxisti, exaudi orationem populi tui, et jube terrores inundantium cessare pluviarum, flagellumque hujus elementi ad **211** effectum tui converte mysterii, ut qui se regenerantibus B aquis gaudent renatos, gaudeant his castigantibus esse correctos. Per.

Alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, et hilaritatem tui vultus nobis impertiri digneris. Per Dominum.

Missa ad poscendam serenitatem.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus, ut qui pro peccatis nostris juste affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Præveniat nos, quæsumus, Domine, tua gratia semper, et subsequatur, et has oblationes, quas pro peccatis nostris nomini tuo conse- C crandas deferimus, benignus assume, ut per intercessionem sanctorum tuorum cunctis nobis proficiat ad salutem. Per.

Ad Complendum. — Plebs tua, Domine, capiat sacræ benedictionis augmentum, et copiosis beneficiorum tuorum sublevetur auxiliis, quæ tantis intercessionum deprecationibus adjuvatur. Per.

Oratio ad repellendam tempestatem.

Deus, qui omnium rerum tibi servientium naturam per ipsos motus aeris ad cultum tuæ Majestatis instituis, tranquillitatem nobis misericordiæ tuæ remotis largire terroribus, ut cujus iram expavimus, clementiam sentiamus. Per.

Oratio contra fulgura.

Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, D et propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium, et vim procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per.

Alia. — Deus, cujus imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur, parce metuentibus, propitiare supplicibus, ut post noxios ignes nubium, et turbines procellarum, in materiam transeat laudis comminatio potestatis. Per Dominum nostrum [a].

[a] Cum nullæ hic aut alibi habeantur Orationes contra terræ motum, visum est nobis appendicis loco attexere collectam a sanctissimo D. N. Clemente papa XI, elegantissime compositam, cum, ineunte an. 1703, Italiæ pars maxima Romaque ipsa terræ motibus quateretur ac ruinis fœdaretur.

Collecta tempore terræ motus.

Oratio. — Omnipotens sempiterne Deus, qui respicis terram et facis eam tremere, parce metuentibus, propitiare supplicibus, ut cujus iram terræ fundamenta concutientem expavimus, clementiam con-

Oratio pro fratribus in via dirigendis.

Deus, qui diligentibus te misericordiam tuam semper impendis, et a servientibus tibi nulla es regione longinquus, dirige viam famuli tui *Ill.* in voluntate tua, ut te protectore, et te prævduce, **212** per justitiæ semitas sine offensione gradiatur. Per Dominum.

Alia. — Exaudi, Domine, preces nostras, et iter famuli tui *Ill.* propitius comitare, eique misericordiam tuam, sicut ubique es, ita ubique largire, quatenus, ab omnibus adversitatibus tua opitulatione defensus, justorum desideriorum potiatur effectibus, et tibi gratiarum referat actionem. Per.

Alia. — Deus, qui ad vitam ducis, et confidentes in te paterna protectione custodis, quæsumus ut præsenti famulo tuo a nobis egredienti angelicum tribuas comitatum, ut, ejus auxilio protectus, nullius mali concutiatur formidine, nullo comprimatur adversitatis angore, nullis irruentis inimici molestetur insidiis; sed, spatiis necessarii itineris prospero gressu peractis, propriisque locis feliciter restitutus, universos reperiat sospites, ac debitas exsolvat tuo nomini gratias. Per Dominum.

Missa pro iter agentibus.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famuli tui *Ill.* in salutis tuæ prosperitate dispone, ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegatur auxilio. Per Dominum.

Super oblata. — Propitiare, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et oblationes has quas tibi offerimus pro famulo tuo *Ill.* benignus assume, ut viam illius et præcedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris, ut de actu atque incolumitate ejus secundum misericordiæ tuæ præsidia gaudeamus. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens æterne Deus: a quo deviare mori, coram quo ambulare vivere est. Qui fideles tuos in tua via deducis, et miseratione gratissima in veritatem inducis; qui Abrahæ, Isaac et Jacob in præsentis viæ et vitæ curriculo, custos, dux et comes esse voluisti, et famulo tuo Tobiæ angelum prævium præparasti; cujus immensam misericordiam humillimis precibus imploramus, ut iter famuli tui *Ill.* cum suis in prosperitate dirigere, eumque inter viæ et vitæ hujus varietates digneris custodire, quatenus, angelorum tuorum præsidio fultus, intercessione quoque sanctorum tuorum munitus, a cunctis adversitatibus tua miseratione defensus, profectionis et reversionis suæ felicitate potitus, et compos reddatur justorum votorum, et de suorum lætetur remissione peccatorum. Per Christum.

213 *Benedictio.* — Dirigat iter vestrum Dominus in beneplacito suo, vobisque inseparabiliter benignissimus custos inhæreat. Amen. Decem vobis archangelum Raphaelem adhibeat, et omnem a vobis incommoditatem contrarietatemque propitiatus amoveat. Amen. Desideriorum vestrorum pia vota clementer impleat, ut et hic bona consequi, et ad æternam beatitudinem pervenire feliciter mereamini. Amen. Quod ipse præstare.

Ad Complendum. — Deus infinitæ misericordiæ et Majestatis immensæ, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum ab his quos tueris disjungunt, adesto famulo tuo *Ill.* in te ubique fidenti, et per omnem quam iturus est viam dux ei et comes esse dignare; nihil illi adversitatis noceat, nihil difficultatis obsistat; cuncta ei salubria, cuncta sint prospera; et, sub ope dexteræ tuæ, quidquid justo expetierit desiderio, celeri consequatur effectu. Per.

Orationes ad (660) *clericum faciendum.*

Oremus, dilectissimi fratres, Dominum nostrum Jesum Christum pro hoc famulo suo *Ill.*, qui ad deponendam comam capitis sui pro ejus amore festinat, ut donet ei Spiritum sanctum, qui habitum religionis in eo perpetuum conservet, et a mundi impedimento, vel sæculari desiderio cor ejus defendat, ut sicut immutatur in vultu, ita manus dextera ejus ei virtutis tribuat incrementa, et ab omni cæcitate spiritali oculos ejus aperiat, et lumen ei æternæ gloriæ concedat. Qui vivit cum Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Item alia. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis imponimus, ut, te largiente, et devotus in Ecclesia persistere, et vitam percipere mereatur æternam. Per Dominum.

Dum tondes eum dicis Antiphonam Tu es, Domine, qui restitues mihi hæreditatem meam. *Vers.* Dominus pars hæreditatis meæ, *et* Gloria. *Item alia Antiphona.* Hæc est generatio, *et* Gloria. *Item alia Antiphona.* Hic accipiet benedictionem.

Oratio post tonsionem. — Præsta, omnipotens Deus, huic famulo tuo *Ill.* cujus hodie capitis comam pro divino amore deposuimus, ut in tua dilectione perpetuo maneat et eum sine macula in sempiternum custodias. Per Dominum.

Orationes et preces super (661) *pœnitentem* [a] *confitentem peccata sua more solito.*

(662) Exaudi, Domine, preces nostras, et tibi confitentium parce peccatis, ut quos conscientiæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. ... [page continues]

tritiones ejus sanantem jugiter sentiamus. Per Dominum.

Secreta. —Deus, qui fundasti terram super stabilitatem suam, suscipe oblationes et preces populi tui, ac trementis terræ periculis penitus amotis, divinæ tuæ iracundiæ terrores in humanæ salutis remedia converte, ut qui de terra sunt et in terram revertentur, gaudeant se fieri sancta conversione cœlestes. Per Dominum.

Postcommunio. — Tuere nos, Domine, quæsumus, tua sancta sumentes, et terram, quam vidimus nostris iniquitatibus trementem, superno munere firma, ut mortalium corda cognoscant a te indignante talia flagella prodire et te miserante cessare. Per Dominum.

[a] Multæ confessionis formulæ a nobis olim collectæ legi possunt in tract. Gallico *de Confess.* parte, cap. 12, 14, 19. Magnam vero fuisse olim li

tus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per Dominum.

214 *Alia.* — (663) Præveniat hunc famulum tuum, quæsumus, Domine, misericordia tua, ut omnes iniquitates ejus celeri indulgentia deleantur. Per.

Alia. — (664) Adesto, Domine, supplicationibus nostris, nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio. Sana vulnera, ejusque remitte peccata, ut, nullis a te iniquitatibus separatus, tibi Domino semper valeat adhærere. Per.

Alia. — (665) Domine Deus noster, (666) qui offensione nostra non vinceris, (667) sed satisfactione placaris, respice, quæsumus, ad hunc famulum qui se tibi peccasse graviter confitetur. Tuum est ablutionem criminum dare, et veniam præstare peccantibus, qui dixisti pœnitentiam te malle peccatorum quam mortem. Concede ergo, Domine, hoc (668) ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, et correctis actibus suis, conferri sibi a te sempiterna gaudia gratuletur. Per.

Alia. — (669) Precor, Domine, (670) clementiam tuæ Majestatis ac nominis, ut huic famulo tuo peccata et facinora sua confitenti veniam dare, et præteritorum criminum debita relaxare digneris, qui humeris filii tui ovem perditam reduxisti (671) ad caulas; (672) qui publicani precibus vel confessione placatus es. Tu etiam, Domine, et huic famulo tuo placare, tu ejus precibus benignus (673) assiste, ut, in confessione flebili (674) permanens, clementiam tuam celeriter exoret, et, (675) sanctis altaribus restitutus, spei rursus æternæ et cœlesti gloriæ (676) reformetur. Per eumdem Dominum nostrum.

(677) *Orationes ad reconciliandum pœnitentem.*

(678) Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et me, qui etiam misericordia tua primus indigeo, clementer exaudi; et quem non electione meriti, sed dono gratiæ tuæ constituisti operis hujus ministrum, da fiduciam tui muneris exsequendi, et ipse in nostro ministerio quod tuæ pietatis est operare. Per Dominum.

Alia. — (679) Præsta, quæsumus, Domine, huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Ecclesiæ tuæ sanctæ a cujus integritate deviarat peccando, admissorum reddatur innoxius veniam consequendo. Per Dominum nostrum.

Item alia. — Deus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate dejectum unici Filii tui sanguine redemisti, vivifica hunc famulum, quem tibi nullatenus mori desideras, et qui non derelinquis devium, assume correctum. Moveant pietatem tuam, quæsumus, Domine, hujus famuli tui lacrymosa suspiria. Tu ejus medere vulneribus, 215 tu jacenti manum porrige salutarem, ne Ecclesia tua aliqua sui corporis portione vastetur, ne grex tuus detrimentum sustineat, ne de familiæ tuæ damno inimicus exsultet, ne renatum lavacro salutari mors secunda possideat. Tibi ergo, Domine, supplices preces, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitenti, ut sic in hac mortalitate peccata sua, te adjuvante, defleat, qualiter in tremendi judicii die sententiam damnationis æternæ evadat; et nesciat quod terret in tenebris, quod stridet in flammis, atque, ab erroris via ad iter reversus justitiæ, nequaquam ultra vulneribus sauciet(ur), sed integrum sit ei atque perpetuum, et quod gratia tua contulit, et quod misericordia reformavit. Per eumdem Dominum nostrum Jesum.

Missa (680) * *pro episcopo defuncto.*

Da nobis, Domine, ut animam famuli tui *Ill.* episcopi, quam de sæculi educis laborioso certamine, sanctorum tuorum cœtui tribuas esse consortem. Per.

Super oblata. — Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui *Ill.* episcopi hæc prosit oblatio, quam immolando, totius mundi tribuisti relaxari delicta. Per Dominum nostrum.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depositionis animæ famuli tui *Ill.* episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias; et quem in corpore constitutum sedis apostolicæ gubernaculo præesse voluisti, in electorum tuorum numero constitue sacerdotum; diesque nostros.

Super diptycha. — Memento etiam, Domine, famulorum tuorum *Ill.*, qui nos præcesserunt, et dormiunt in somno pacis.

(681) *Item post lectionem.* — Istis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis indulgentiam deprecamur. Per Christum.

Ad Complendum. — His sacrificiis, quæsumus, omnipotens Deus, purgata anima famuli tui *Ill.* episcopi ad indulgentiam et refrigerium sempiternum pervenire mereatur.

Item Missa pro episcopo defuncto.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum *Ill.* episcopum censeri fecisti, præsta, quæsumus, ut quorum vicem gerebat ad horam in terris, eorum perpetuo consortio lætetur in cœlis. Per.

Super oblata.—Hæc oblatio, Domine, quæsumus, animam famuli tui *Ill.* episcopi omnibus vitiis hu-

brorum pœnitentialium copiam, quibus et confessionis et absolutionis sacerdotalis ritus docerentur, probavimus præsertim cap. 21. Quamplurimos autem Ordines ad dandam pœnitentiam reconciliandosque pœnitentes, a nostro D. Edmundo Martene collectos libro de Antiquis Ecclesiæ ritibus, secunda parte, cap. 6, articulo 7, consulere licet si libeat.

* Eadem Missa legitur in Ed. Pamel., consentiente Cod. Reg. S., ubi mendosa non est Edit. lectio, quod sane sæpe contingit. Sic in Orat. quæ sequitur, legitur apud Pamel. *educens*, pro *educis*, vel *eduxisti*, ut habet Cod. Reg. S. Supra, in Orat. ultima *ad mor. animalium*, ubi legitur, *ut sine quibus non habetur hum. conditio*, deficiente sensu, scriptum est optime quidem : *ut sine quibus non alitur hum.*, etc. In veteri Sacram. Gal. exstat una Missa in depositione sacerdotis, et altera pro defunctis quibuslibet.

manæ conditionis absolvat, quæ totius mundi tulit etiam immolata peccatum. Per.

216 *Præfatio.* — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, ut animam *Ill.* episcopi in electorum tibimet pontificum numero jubeas consistere gaudentem, ut qui hic tuo pro eis supplex deserviebat altari, gloriosa illic cum eis tua gratuletur et laude. Per Christum Dominum nostrum.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, quam tibi offerimus pro commemoratione animæ famuli tui *Ill.* episcopi, quæsumus, Domine, placatus accipias, et cum præsulibus apostolicæ dignitatis, quorum est secutus officium, habere tribuas sempiternæ beatitudinis portionem, atque inter summi pastoris efficias præcipua membra censeri; diesque nostros.

Ad Complendum. — Da veniam, Domine, quæsumus, per hæc sancta mysteria, animæ famuli tui *Ill.* episcopi, ut occursu non terreatur malo, sed tuo protegatur auxilio. Per.

Alia. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui *Ill.* episcopi, quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, cœlesti sede gloriosa exsultet. Per Dominum.

Item alia pro episcopo defuncto.

Suscipe, Domine, quæsumus, preces nostras pro anima famuli tui *Ill.* episcopi, ut in pontificum tibimet placitorum perpetua sede lætetur. Per.

Super oblata. — Offerimus, Domine, hostias placationis, et laudis, ut perpetuæ misericordiæ largitate, animam famuli tui *Ill.* episcopi in lucis æternæ facias regione gaudere.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: ineffabilem tuæ clementiæ potentiam suppliciter exorantes, ut famulus tuus *Ill.*, beatorum tabernaculis constitutus, evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum voto gratulationis exspectet. Per Christum Dominum nostrum.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.* episcopi, quæsumus, Domine, ut placatus accipias; et quem tuis altaribus servire tribuisti, ad beatorum pertinere jubeas consortia sacerdotum; diesque nostros.

Ad Complendum. — Quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli **217** tui *Ill.* episcopi in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem. Per Dominum nostrum.

Alia Missa pro episcopo defuncto.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum *Ill.* sacerdotali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per.

Super oblata. — Suscipe, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* sacerdotis, quas offerimus hostias, ut pontificale cui donasti meritum, dones et præmium. Per Dominum.

Ad Complendum. — Preces nostras, quæsumus, Domine, quas in famuli tui *Ill.* episcopi depositione deferimus, propitiatus exaudi, ut qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua sanctorum societate lætetur. Per Dominum.

Missa pro episcopo defuncto.

Deus, qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum *Ill.* pontificali fecisti dignitate vigere, præsta, quæsumus, ut eorum et perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hæc oblatio, Domine Deus, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus vitiis humanæ conditionis absolvat, quæ totius mundi tollit etiam immolata peccatum. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: devotis clementiam tuam mentibus obsecrantes, ut animam famuli tui *Ill.* in electorum tibimet pontificum numero gaudeas consistere gaudendo, ut qui tuo pro eis supplex deserviebat altari, gloriosa illic cum eis gratuletur laude. Per Christum Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Deus, cujus misericordiæ non est numerus, suscipe pro anima famuli tui *Ill.* sacerdotis preces nostras, et lucis ei lætitiæque regionem in sanctorum tuorum societate concede. Per Dominum nostrum.

Missa pro sacerdote defuncto.

Præsta, quæsumus, Domine, ut anima famuli et sacerdotis tui *Ill.* quam in hoc sæculo commorantem sacris muneribus decorasti, cœlesti sede gloriosa semper exsultet. Per Dominum.

Super oblata. — Suscipe, Domine, quæsumus, hostias pro anima famuli et sacerdotis tui *Ill.*, ut cui pontificale donasti præmium, dones et meritum. Per Dominum.

218 *Ad Complendum.*—Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli et sacerdotis tui *Ill.* in congregatione justorum æternæ beatitudinis jubeas esse consortem Per Dominum.

Missa unius defuncti.

Omnipotens sempiterne Deus, cui nunquam sine spe misericordiæ supplicatur, propitiare animæ famuli tui *Ill.*, ut qui de hac vita in tui nominis confessione discessit, sanctorum tuorum numero eum facias aggregari. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui, *Ill.*, pro qua tibi hostias placationis offerimus; et quia in hac luce in fide mansit catholica, in futura vita ejus retributio condonetur. Per Dominum nostrum.

Ad Complendum. — Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut animam famuli tui *Ill.* ab angelis lucis susceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. Per Dominum.

Missa [a] *in die depositionis defuncti*, (682) *sive tertio, septimo trigesimoque.*

Adesto, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.*, cujus in depositione sua officium commemorationis impendimus, ut si aliqua ei sæcularis macula inhæsit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas, et extergas. Per Dominum nostrum.

Alia. — Quæsumus, Domine, famulo tuo *Ill.*, cujus tertium, *vel* septimum *sive* trigesimum obitus sui diem commemoramus, sanctorum tuorum atque electorum largire consortium, et rorem ei misericordiæ tuæ perennem infunde. Per.

Super oblata. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris; et hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depositionis tertium, *vel* septimum, *sive* trigesimum, pro anima famuli *Ill.*, placatus ac benignus assume.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Per quem salus mundi, per quem vita hominum, per quem resurrectio mortuorum. Per ipsum te, Domine, suppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui *Ill.*, cujus diem depositionis tertium, *vel* septimum, *sive* trigesimum celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restituas. Per quem Majestatem.

219 *Ad Complendum.* — Omnipotens sempiterne Deus, collocare dignare corpus et animam famuli tui *Ill.*, cujus diem depositionis tertium, *aut* septimum, *vel* trigesimum, celebramus, in sinibus Abrahæ, Isaac et Jacob, ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter sanctos et electos tuos eum resuscitari præcipias. Per Dominum nostrum.

Missa in anniversario unius defuncti.

Præsta, Domine, quæsumus, ut anima famuli tui *Ill.*, cujus anniversarium depositionis diem celebramus, his purgata sacrificiis, indulgentiam pariter et requiem capiat sempiternam. Per Dominum.

Super oblata. — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris pro anima et spiritu famuli tui *Ill.*, cujus hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus sacrificium laudis, ut eam sanctorum tuorum consortio sociare digneris. Per Dominum.

Ad Complendum. — Suscipe, Domine, preces nostras, pro anima famuli tui *Ill.*, ut si quæ ei maculæ de terrenis contagiis adhæserunt, remissionis tuæ remedio deleantur.

Missa plurimorum defunctorum.

Propitiare, quæsumus, Domine, animabus famulorum famularumque tuarum *Ill. et Ill.* misericordia sempiterna, ut, mortalibus nexibus expeditas lux eas æterna possideat. Per.

Super oblata. — Hostias tibi, Domine, humili placatione deferimus, ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam misericordiam consequantur. Per.

Ad Complendum. — Inveniant, quæsumus, Domine, animæ famulorum famularumque tuarum *Ill. et Ill.*, omniumque in Christo quiescentium, lucis æternæ consortium, qui in hac luce positi tuum consecuti sunt sacramentum. Per.

(683) [b] INCIPIT ORDO (684) AD SACROS ORDINES BENEDICENDOS.

(685) *Majores gradus ante Evangelium, minores vero post Communionem dantur; et* (686) *minores quidem Dominicis diebus, si necesse est*, (687) *majores vero in Sabbatis duodecim lectionum per quatuor tempora tantummodo.*

Ordinatio [c] *ostiarii.*

(688) *Ostiarius cum ordinatur, postquam* (689) *ab archidiacono instructus fuerit qualiter in domo Dei* **220** *debeat conversari, ad suggestionem archidiaconi* (690) *tradat ei episcopus claves ecclesiæ, dicens:* Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quæ istis clavibus recluduntur. (691) *Et tradat ei diaconus ostium ecclesiæ.*

Præfatio ostiarii.—(692) Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum *Ill.* benedicere dignetur, quem in officium ostiarii eligere dignatus est, ut sit ei fidelissima cura in diebus ac noctibus, (693) ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini, adjuvante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(694) *Benedictio ejusdem.* — Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum, *Ill.* ostiarium, ut inter janitores Ecclesiæ (695) paret obsequia, et inter electos tuos partem tuæ mereatur habere mercedis. Per Dominum nostrum.

Ordinatio lectoris.

(696) *Lector cum ordinatur, faciat* (697) *de illo verbum episcopus ad plebem, indicans ejus fidem ac vitam, atque ingenium; post hæc, spectante plebe,* (698) *tradat ei Codicem, de* (699) *quo lecturus sit, dicens:*

(700) Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter et utiliter impleveris officium, partem cum his qui verbum Dei ministraverunt; eligunt te fratres tui ut sis lector in domo Dei tui, et agnoscas officium tuum, et impleas illud; potens est enim Deus ut augeat tibi gratiam.

[a] Hæc fere habent duo Theod. quoad titulum, at diversæ omnino sunt Orationes et Præfatio.

[b] Eadem leguntur deinceps in Edit. Vatic. et Gussanvil. Qui plura de hoc argumento voluerit, consulat nostrum Edm. Martene de Antiquis Eccl. Ritibus, cap. 8, de Ritibus ad sacramentum ordinis spectantibus, art. 11, ubi exhibet 25 ordines ex libris mss. potissimum excerptos, quibus docetur quomodo Ecclesiæ ministri ordinentur apud Latinos, Græcos, Maronitas, Syros Nestorianos, Syros Jacobitas, et Eutychianos, ac Cophtas.

[c] Pene hæc omnia exstant in primo Theod., ubi mutilus non est; legitur tamen in plurali; *Ord lectorum, exorcistarum*, etc.

Benedictio lectoris. — (701) Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc in officium lectoris, ut assiduitate lectionum, (702) distinctus atque (703) ordinatus, et agenda dicat, et dicta opere compleat, et in utroque sanctæ Ecclesiæ consulat. Per Dominum.

Ordinatio exorcistæ.

(704) *Exorcista, cum* (705) *ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo.*

(706) Accipe, et commenda memoriæ, et (707) habeto potestatem imponendi manum super energumenum, sive baptizatum, sive catechumenum.

(708) *Præfatio exorcistæ.* — (709) Deum Patrem omnipotentem supplices deprecemur, ut hunc famulum suum *Ill.* benedicere dignetur in officium exorcistæ: ut sit spiritalis imperator ad abjiciendos dæmones de corporibus obsessis, cum omni nequitia eorum multiformi, adjuvante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum eo vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti.

221 *Benedictio exorcistæ.*— (710) Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum *Ill.* in officium exorcistæ, et ad impositionem manuum et oris officium eum eligere digneris, ut imperium habeat (711) spirituum immundorum coercendorum, et (712) probabilis sit medicus Ecclesiæ, (713) gratiæ curationum virtute confirmatus. Per Dominum.

Ordinatio acolythi.

(714) *Acolythus, cum ordinatur,* (715) *primum ab episcopo doceatur qualiter in officio suo agere debeat; sed* (716) *ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad* (717) *accendenda ecclesiæ luminaria mancipari,* (718) *ita sibi dicente.*

(719) Accipite hoc gestatorium luminis, ut per illud valeatis adversariorum tenebras effugare, et verissimum lumen, quod illuminat omnem hominem venientem in mundum, fideliter invenire.

(720) Accipiat et urceolum vacuum (721) ad fundendum (722) vinum in Eucharistia corporis.

Benedictio acolythi. — (723) Omnipotens sempiterne Deus, fons lucis, et origo bonitatis, qui per Jesum Christum Filium tuum, lumen verum, mundum illuminasti, ejusque passionis mysterio redemisti, benedicere dignare hunc famulum tuum, quem in acolythi officium consecramus, poscentes tuam clementiam, ut ejus mentem et lumine scientiæ illustres, et pietatis tuæ rore irriges, ut ita perceptum ministerium peragat, qualiter ad æternam remunerationem pervenire mereatur. Per eumdem Dominum nostrum.

(724) *Ordinatio subdiaconi.*

Capitulum sancti Gregorii. — (725) Sicut qui invitatus renuit, quæsitus refugit, sacris est altaribus (726) [a] removendus, sic qui ultro ambit, vel importunum se ingerit, est procul dubio repellendus; nam qui nititur ad altiora conscendere, quid agit, nisi ut crescendo decrescat? Cur non perpendit quia benedictio illi in maledictum convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

(727) *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit,* (728) *patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum: de manu archidiaconi accipiat* (729) *urceolum cum* (730) *aquamanili, ac* (731) *manutergium. Exhibeatur in conspectu episcopi patena et calix vacuus, et dicat episcopus:*

(732) Vide, cujus ministerium tibi traditur; et ideo si usque nunc fuisti tardus ad Ecclesiam, amodo debes esse assiduus; si usque nunc somnolentus, amodo vigil; si usque nunc ebriosus, amodo sobrius; si usque nunc inhonestus, amodo castus. Oblationes quæ veniunt in altare panes propositionis appellantur. De ipsis oblationibus tantum debet in altari poni quantum populo possit sufficere, **222** ne aliquid putridum in sacrario remaneat. Pallæ vero (733) quæ sunt in substratorio, in alio vase debent lavari, in (734) alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerunt, nullum linteamen ibidem aliud debet lavari; ipsa aqua in baptisterio debet vergi. Ideo, te admoneo, tu talem te exhibe, ut Deo placere possis.

Et tradat ei calicem et patenam.

Ordinatio subdiaconi. — (735) Oremus Deum ac Dominum nostrum, ut super servum suum *Ill.*, quem ad subdiaconatus officium vocare dignatus est, infundat benedictionem et gratiam suam, ut in conspectu suo fideliter serviens, prædestinata sanctis præmia consequatur, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum eo vivit et regnat Deus.

Benedictio subdiaconi. — (736) Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc, quem ad subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti eum sacrario tuo sancto strenuum sollicitumque cœlesti militiæ instituas, et sanctis altaribus fideliter subministret, et requiescat super eum Spiritus sapientiæ et intellectus Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis. Repleas eum Spiritu timoris tui, et eum ministerio divino confirmes, ut obediens facto, atque dicto parens, tuam gratiam consequatur. Per Dominum nostrum, etc., in unitate ejusdem.

(737) *Ordo* [b] *qualiter in Romana Ecclesia diaconi et presbyteri ordinandi sunt.*

Mensis primi, quarti, septimi et decimi, Sabbatorum die in duodecim lect., ad sanctum Petrum, ubi Missæ celebrantur, postquam Antiphonam ad Introitum

[a] Ita legit Hugo Menardus, ut ex ejus nota liquet. In Editis tamen Vatic. et Gussanv. legitur *admovendus*; quam lectionem confirmant epistolæ sancti Gregorii sive excusæ, sive manu descriptæ. Adde quod Menardi Editionis lectioni vix ullus aptari possit sensus.

[b] In primo Theod. hæc omnia omittuntur, usque ad: *Oremus, dilectissimi*, etc., col. seq., cui præmittitur *Orationes ad ordinandos diaconos.* Eodem ritu cætera pro ordin. presbyteri et episcopi habentur.

dixerint, data Oratione, venit archidiaconus, et offert eum qui ordinandus est pontifici, ita dicens :

Postulat sancta mater Ecclesia catholica, ut hunc præsentem subdiaconem ad onus diaconii, vel diaconum ad onus presbyterii ordinetis.

Interrogat episcopus : Scis illum dignum esse? *Respondet offerens :*

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.

Et tunc annuntiat pontifex populo, dicens :

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo.

Iterum dicit : — Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo, eligimus in ordinem diaconii, sive presbyterii *Ill.* subdiaconum, sive diaconum de (738) titulo *Ill. Ill.*, presbyterum (739) de titulo *Ill.* Si (740) quis autem habet aliquid contra hos viros, pro Deo et propter Deum cum fiducia exeat, et dicat. Verumtamen memor sit conditionis suæ.

Et post modicum intervallum mox (741) incipiunt omnes Kyrie eleison, *cum litania. Hac expleta ascendunt ipsi electi ad sedem pontificis, et benedicit eos ad quod vocati sunt, et descendentes stant in ordine suo, benedictione percepta.* **223** *Diaconus cum ordinatur, (742) solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur. Ad ordinandum diaconum et presbyterum, prima Oratio dicitur legendo. Et sequitur Oratio. Et non dicitur*, Vere dignum, *in consecratione.*

Oratio. — Oremus (743), dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem in sacrum ordinem dignatur assumere, benedictionis suæ gratiam clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat, auxiliante Domino nostro Jesu Christo. Qui cum eo vivit et regnat.

Oremus. — (744) Exaudi, Domine, preces nostras, et super hunc famulum tuum Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœlesti munere ditatus, et tuæ gratiam possit Majestatis acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dominum, etc., in unitate ejusdem.

Consecratio. — (745) Adesto, quæsumus, omnipotens Deus, (746) honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor. Qui in te manens innovas omnia, et cuncta disponens per Verbum, Virtutem, Sapientiamque tuam Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, et singulis quibusque temporibus aptanda dispensas. Cujus corpus, Ecclesiam tuam cœlestium gratiarum varietate distinctam, suorumque connexam discretione membrorum, per legem mirabilem totius compagis unitam in augmentum templi tui, crescere dilatarique largiris, sacri muneris servitutem trinis gradibus ministrorum nomini tuo militare constituens. Electis ab initio Levi filiis, qui, in mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent. Super hunc quoque famulum tuum, quæsumus, Domine, placatus intende, quem tuis sacrariis serviturum in officium diaconi suppliciter dedicamus. Et nos quidem, tanquam homines divini sensus et summæ rationis ignari, hujus vitam, quantum possumus, æstimamus. Te autem, Domine, ea quæ nobis sunt ignota non transeunt, te occulta non fallunt. Tu cognitor secretorum, tu scrutator es cordium, tu ejus vitam cœlesti poteris examinare judicio, quo semper prævales, et admissa purgare, et (747) ea quæ sunt agenda concedere. Emitte in eum, Domine, quæsumus, Spiritum sanctum, quo in opus ministerii fideliter exsequendi septiformis gratiæ tuæ munere roboretur. Abundet in eo totius forma virtutis, auctoritas modesta, pudor constans, innocentiæ puritas, et spiritalis observatio disciplinæ; in moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut suæ castitatis exemplo imitationem sancta plebs acquirat; et bonum conscientiæ testimonium proferens, in Christo firmus, et stabilis perseveret; dignisque successibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

(748) *Quando stolam eum induis, sic dices.*

Per hoc signum vobis diaconatus officium humiliter **224** imponimus, ut firmamentum mensæ divinæ tanquam sustentacula columnarum esse possitis, et præcones regis cœlestis irreprehensibiliter existere mereamini.

(749) *Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente, etiam omnes presbyteri, qui præsentes sunt, manus suas juxta manum episcopi super caput illius teneant.*

Oratio ad presbyteros ordinandos.

(750) Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad presbyterii munus elegit, cœlestia dona multiplicet, et quæ ejus dignatione suscipit, ipsius exsequatur auxilio, auxiliante Domino nostro Jesu Christo.

Oremus. — (751) Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster, et super hunc famulum tuum benedictionem sancti Spiritus, et gratiæ sacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aspectibus offerimus consecrandum, perpetua muneris tui largitate consequaris. Per Dominum.

(752) *Consecratio.* — (753) Domine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, (754) honorum auctor, et distributor omnium dignitatum, per quem proficiunt universa, per quem cuncta firmantur, amplificatis semper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione dispositum. Unde et sacerdotales gradus atque officia Levitarum, sacramentis mysticis instituta creverunt, ut cum (755) pontifices summos regendis populis præfecisses, ad eorum societatis et operis adjumentum, sequentis ordinis viros et secundæ dignitatis eligeres. Sic in eremo per septuaginta virorum prudentium mentes Moysi spiritum propagasti, quibus ille adjutoribus

mus in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro et Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudisti, ut ad hostias salutares et frequentioris officii sacramenta ministerium sufficeret sacerdotum. Hac providentia, Domine, apostolis Filii tui, doctores fidei, comites addidisti, quibus illi orbem totum secundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque nostræ, Domine, hæc adjumenta largire, quia quanto magis fragiliores sumus, tanto his pluribus indigemus. Da, quæsumus, omnipotens Pater, in hunc famulum tuum presbyterii dignitatem, innova in visceribus ejus Spiritum sanctitatis; et acceptum a te, Deus, secundi meriti munus obtineat, censuramque morum exemplo suæ conversationis insinuet. Sit probus cooperator ordinis nostri, et luceat in eo totius forma justitiæ, ut, bonam rationem dispensationis sibi creditæ redditurus, æternæ beatitudinis præmia consequatur. Per eumdem Dominum.

(756) *Hic vestis ei casulam.* — Benedictio Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super te, ut sis benedictus in ordine sacerdotali, et offeras placabiles Hostias pro peccatis atque offensionibus populi omnipotenti Deo. Cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

225 *Consecratio manus.* — (757) Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, et sanctificentur per istam unctionem et nostram benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta sint, et quæcunque sanctificaverint sanctificentur. Per [a].

(758) *Episcopus cum ordinatur, duo* (759) *episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput ejus; et uno super eum fundente benedictionem,* (760) *reliqui omnes episcopi, qui adsunt,* (761) *manibus suis caput ejus tangant.*

(762) *Oratio ad ordinandos episcopos.*

(763) Oremus, dilectissimi nobis, ut his viris (764) ad utilitatem Ecclesiæ providendam electis benignitas omnipotentis Dei gratiæ suæ tribuat largitatem. Per Dominum nostrum.

Benedictio episcoporum. — (765) Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Alia. — (766) Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super hunc famulum tuum cornu gratiæ sacerdotalis, benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per.

[b] *Consecratio.* — (767) Deus honorum omnium, (768) Deus omnium dignitatum quæ gloriæ tuæ sacratis famulantur ordinibus, Deus qui, Moysen famulum tuum secreti familiaris affatu inter cætera cœlestis documenta culturæ de habitu quoque indumenti sacerdotalis instituens, electum Aaron mystico amictu vestiri inter sacra jussisti, ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, nec eruditio doctrinæ tuæ ulli deesset ætati; cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum quam ænigmata figurarum; illius namque sacerdotii anterioris habitus nostræ mentis ornatus est, et (769) pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium, sed splendor animarum, (770) quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant; et idcirco huic famulo tuo, quem (771) ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris, ut (772) quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multimodi operis varietate signabant, hoc in ejus moribus actibusque clarescat. (773) *Hic accipis chrisma.* Comple, Domine, in sacerdote tuo mysterii tui summam, et ornamentis totius glorificationis instructum (774) cœlestis unguenti flore sancti†fica. (775) *His fundis in caput ejus.* Hoc, Domine, copiose in ejus caput † influat, hoc in oris subjecta † decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus, et interiora ejus repleat, et exteriora circumtegat. Abundet in eo constantia fidei, puritas dilectionis, (776) sinceritas pacis; (777) tribuas ei, **226** Domine, cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem universam. Sis ei auctoritas, sis ei firmitas, sis ei potestas. Multiplices super eum benedictionem et gratiam tuam, ut ad exorandam semper misericordiam tuam, tuo munere semper idoneus, tua gratia possit esse devotus. Per.

(778) *Si papa* [c] *ordinatus est, hæc addi debent in loco ubi scriptum est:*

Et idcirco huic famulo tuo, quem apostolicæ sedis præsulem (779) et primatem omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum ac universalis Ecclesiæ tuæ doctorem dedisti, et ad summi sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris.

Super oblata. — Hæc hostia, Domine, quæsumus, emundet nostra delicta, et (780) sacrificium celebrandum subditorum tibi corpora mentesque sanctificet. Per Dominum nostrum.

Infra actionem. — (781) Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, etiam pro famulo tuo *Ill.*, quem ad episcopatus ordinem promovere dignatus es, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et propitius in eo tua dona custodias, ut quod divino munere consecutus est, divinis effectibus exsequatur; diesque nostros, etc.

Ad Complendum. — (782) Hæc nos communio, Domine, purget a crimine, et cœlestis remedii faciat

[a] In Ed. Vatic. et aliis, hic ante Orat. ad ord. episc. ponitur: *Examinatio in ordinatione episcopi ante litaniam facienda.* Nimirum qui ordinandus est episcopus de fidei articulis interrogatur.

[b] Ante consecrationem istam referuntur in laudatis Edit. orationes, *ad annulum dandum, et ad baculum* (sc. pastoralem) *dandum.*

[c] Ipsa Ed. Rom., seu Vaticana, mantissa ista caret

esse consortes. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Oratio in (783) *natali papæ.*

Deus, qui licet sis magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis, concede mihi indigno famulo tuo, sacris convenienter servire mysteriis, atque in omnibus tua misericordia protegat quem conscientiæ reatus accusat. Per.

Alia. — Deus, qui populis tuis indulgentia consulis, et amore dominaris, da Spiritum sapientiæ quibus dedisti regimen disciplinæ, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Hostiam tibi, Domine, laudis exsolvo, suppliciter implorans, ut quod immerito mihi contulisti, intercedente beato Petro apostolo tuo, propitius exsequaris. Per.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut quia in manu tua dies nostri vitaque consistit, sicut honorem nobis indignis largiris ministerii, sic quoque tribuas rationabilis obsequii propitius incrementum. Et tua dona in nobis custodias, ut **227** ejus suffragiis apud te semper reddar acceptus, cujus me vice hodie Ecclesiæ tuæ præesse voluisti. Per Christum.

Ad Complendum. — Corporis sacri et pretiosi sanguinis repleti libamine, quæsumus, Domine Deus noster, ut gratiæ tuæ munus, quod nobis immeritis contulisti, intercedente beato Petro apostolo tuo, propitius muniendo custodias. Per Dominum nostrum.

Missa propria (784) *in die ordinationis suæ.*

Deus, qui non propriis suffragantibus meritis, sed sola ineffabilis gratiæ largitate, me familiæ tuæ præesse jussisti, tribue tibi digne persolvere ministerium sacerdotalis officii, et ecclesiasticis convenienter servire ministeriis, plebemque commissam, te in omnibus protegente, gubernare concede. Per.

Alia. — Deus, mundi Creator et rector, ad humilitatis meæ preces placatus intende, et me famulum tuum, quem nullis suffragantibus meritis, sed immensa largitate clementiæ tuæ cœlestibus mysteriis servire tribuisti, dignum sacris altaribus fac ministrum, ut quod mea celebrandum voce depromitur, tua sanctificatione firmetur. Per Dominum nostrum.

Super oblata. — Ad gloriam, Domine, tui nominis, annua festa repetentes sacerdotalis exordii, Hostiam tibi laudis offerimus, suppliciter exorantes, ut cujus ministerii vice tibi servimus immeriti, suffragiis ejus reddamur accepti. Per.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus et sacerdos ob diem, in quo me dignatus es ministerio sacro constituere sacerdotem, obsecro, Domine, placatus suscipias, Majestatem tuam supplex exorans ut in me quod largiri dignatus es, propitius custodire digneris. Per.

[a] *Benedictio.* — Omnipotens Deus, qui in populo suo ministerio utitur sacerdotum, conferat vobis suæ propitiationis et benedictionis donum. Amen. Quique me indignum nullis existentibus meritis, sed gratuita sua pietate huic Ecclesiæ præesse voluit, suffragiis sanctorum suorum me ab omnibus vinculis peccatorum absolvat, sanctisque suis altaribus strenuum dignumque ministrum efficiat. Amen. Quatenus, per exempla sanctorum sacerdotum qui in hac sede et in hoc ministerio ei placuerunt gradientes, gregemque commissum secundum suam voluntatem, eo opitulante, regentes, ab omnium pastorum Pastore Christo Domino præmia sanctis promissa una cum subditis percipere et in electorum numero mereamur adjungi. Amen. Quod Ipse præstare dignetur.

228 *Ad Complendum.* — Repleantur consolationibus tuis, Domine, quæsumus, tuorum corda fidelium, pariterque etiam et de Ecclesiæ præsule, et de suorum votorum plenitudine gratiarum referant actionem. Per.

Orationes pro adepta dignitate.

Deus, cui omnis potestas et dignitas famulatur, da famulo tuo *Ill.* prosperum suæ dignitatis effectum, in quo te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per Dominum.

Alia. — Omnium, Domine, fons bonorum justorumque provectuum, tribue, quæsumus, *Ill.* famulo tuo adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam bonis operibus comprobare. Per Dominum nostrum.

(785) *Oratio* [b] *ad abbatem faciendum.*

Quæsumus, omnipotens Deus, famulum tuum *Ill.*, quem ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono prosequere, ut te largiente cum ipsa tibi nostra electione placeamus. Per.

(786) [c] INCIPIUNT APOLOGIÆ.

(787) Impellit ministrandi officium (788) Hostia salutaris populi pro delicto, terret conscientia indebiti sacerdotii pro reatu. Si a me omnium sacerdotum (789) peripsema sacrificium offeratur, pollutæ conscientiæ crimen augetur. Si tantæ Majestati universæ carnis judici non offertur, negligentiæ reatus ascribitur. Inter hæc tuæ, omnipotens, libramen pietatis imploro, cujus ultionis diem accusante conscientia pertimesco. (790) Ne indignum, quæso, misericordia tua judices, quem a tempore pœnitentiæ non excludis. (791) Suspende securim, donec cultor vineæ admoveat cophinum stercoris infructuosæ arboris ad radicem. Parce mihi, Domine clementissime, pœnitenti, qui David post lapsum clementer ad veniam revocasti; qui Petri misericors

[a] In Benedictionali legitur alia pro anniversario consecrationis episcopi.
[b] Abest ab aliis Editis.

[c] Hæc apologia cum sequenti in Ed. Vatic. et Gussanvil. continetur. In vet. Miss. Gallic. alia reperitur apologia, licet quoad sensum vix discrepet.

amare flentis lacrymas respexisti, qui latronem in crucis patibulo tanti facinoris reum divina gratia illustrasti, cui mox obtinuit confessio (792) perspicue Dei Filium, fides præmium, pœna veniam, lamenta gaudia sempiterna, (793) dum confessor in cruce, possessor exstitit paradisi post crucem. Sed quia verba venia tuæ pietatis indigent, quæ indigni sacerdotis opera non commendant, saltim astantium vota suscipe, ut et mihi suis apud te precibus veniam, et eorum meritis sacrificia nostrorum vulnerum salubriter nobis conferant medicinam, (794) ut quia omnipotens pro omnibus factus es hostia pro peccatis, adsis nobis sanctificatio in sacrificio pro delictis, Christe, Salvator mundi, qui cum æterno Patre una cum Spiritu sancto vivis et regnas Deus. Per omnia sæcula sæculorum.

Item apologia. — (795) Ante oculos tuos, Domine, reus conscientiæ testis assisto : rogare vix (796) audeo quod impetrare **229** non mereor. Tu (797) enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis. (798) Erubescimus confiteri quod (799) per nos non timemus (800) admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur, et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. (801) Parce, Domine, confitentibus ignosce. Peccavimus, miserere, te rogamus. Et quia in sacramentis tuis meus sensus (802) infirmus est, præsta, quæsumus, (803) ut qui ex nobis duri cordis verba non suscipis, (804) per te nobis veniam largiaris. (805) Per Dominum.

Item apologia.—(806) Conscientia quidem trepidi, omnipotens Deus, ad altare tuum accedimus, sed fiduciam de tuæ pietatis misericordia retinemus. Et licet ad celebranda sacrificia semper inveniamur indigni, (807) sed si recedimus, veremur de inobedientia condemnari. Pro (808) qua te dignare nos pietate paterna placito vultu respicere, et cordis nostri interiora purgare. (809) Et si nos pondere peccatorum nostrorum ac reatu constringimur, nostrarum tamen precum obtentu tibi sint, quæsumus, Domine, in omnibus placita mysteria consecranda. Per.

Item apologia. — (810) Ignosce, Domine, ignosce, (811) quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen sanctum tuum assumo, et (812) cum pudendorum actuum secreta confiteor, (813) non habeo apud te nec verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnera et (814) cogitationum mearum occulta nosti, et immunditias meas tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi, ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordia tua judices quem pro aliis rogare permittis, et in quo testimonium boni operis non agnoscis officium saltem dispensationis creditæ non recuses. Per (815) Dominum nostrum.

Item alia.—(816) Rogo te, Deus Sabaoth altissime, pater sancte, (817) uti me tunica castitatis digneris accingere, lumbosque meos balteo tui amoris ambire, ac renes cordis mei igne tuæ charitatis urere, ut pro peccatis meis possim intercedere, et astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare, me quoque tibi audaciter accedentem non sinas perire, sed digaare lavare, ornare et leniter suscipere. Per Dominum nostrum Jesum.

Item alia.—(818) Ante æterni regis Christi præsentiam nostra indigna accedunt præconia quæ valent populi impetrare delicta. (819) Livore torquetur conscientia, quia sacris mysteriis offerendis se ingerit criminosam; et dum respicit admissa, terretur tuis conspectibus astare confusa. Sed quæso humilis reus, quia ad te post lapsum redeo devius, jaceo saucius, in te vilis respiro, bone medice, vulneratus, ut qui sacrificia altaribus tuis munda offerri præcipis, cum offerentium meritis sacerdotis indigni labia polluta sanctifices, qui indigere me miserum tua, Christe Salvator inclyte, misericordia recognoscis. Qui vivis et regnas.

230 *Item alia in festivitate sanctorum.* — (820) Eripiat nos, quæsumus, Domine, tuorum deprecatio sanctorum, et sicut per Moysem famulum tuum peccata populi dimisisti, ita per intercessionem sanctorum tuorum nostra omnium jubeas relaxari delicta. Per Dominum.

Item apologiæ quotidianæ sacerdotis propriæ. — (821) [a] Mordacis conscientiæ stimulis et delictorum nostrorum recordatione commoniti (822), te Deum indulgentiæ deprecamur, ut quidquid dicto, facto, cogitatione (823) peccatum est, sive lubricæ ætatis impulsu, sive ignorantiæ errore (824) commissum, pietas Domini nostri Jesu Christi (825) resolvere ac indulgere dignetur. Per.

Item alia.—(826) Indignum me, Domine, sacris tuis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor. (827) Quid ego te blandis verbis rogare præsumo, quem improbis sæpissime factis offendo? tu enim mihi medicinam (828) ingeris, ego (829) sanitati meæ contraria ago. Legem tuam sacris inditam paginis lego, sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde (830) recedo. Da ergo mihi, Domine, cor compunctum, quo veraciter odio habeam peccatum. Meum est, si donaveris, delicta deflere; tuum est etiam (831) nubem eam cito delere, ut (832) qui hanc palmam amiserim inimico fraudante, (833) ad veniam saltem per ineam, te Domino miserante. (834) Tibi enim Deo est honor regum Regi cunctorum per cuncta regnanti sæcula sæculorum.

Item alia. — (835) Projectis nobis, Domine, in condemnationem operum nostrorum, da capiti nostro aquam, et oculis nostris fontem infunde lacrymarum, ut peccati maculas abluendo ultrices pœnarum flammas fletuum ubertate vincamus, (836) quia tibi non sunt occulta quæ (837) gerimus. Sit (838) in nobis,

[a] Legitur in laudatis Edit. cum duabus sequentibus, *mordacis*, etc., et, *indignum me*, etc. Prior Theod. exhibet etiam hujusmodi apologias partim similes, partim diversas. In his notanda venit quæ adhuc nobis familiaris est, paucis immutatis : *Aperi, Domine, os meum ad benedicendum nomen tuum; mundaque cor meum ab omnibus variis et nequissimis cogitationibus, ut exaudiri merear deprecans te pro populo quem elegisti.*

Domine, non oris tantum confessio, sed et doloris; non excusatio criminum, sed lamentatio peccatorum. (839) Castos enim nostri corporis oculos lasciviæ (840) mundi violavit aspectus. (841) Mores corrupti, disciplina vitiata, simulatio in vultu, fallacia in verbis, dolus in corde, volubilitas in lingua, operatio stulta. mens dubia, concupiscentia carnalis, (842) sollicitudo carnis, oblivio animæ, negligentia sanctitatis, super hæc autem mortis timor increvit. Miserere nobis, Domine, miserere nobis. Da (843) præteritis veniam, præsentibus emendationem, futuris largire custodiam. Per.

Item alia. — (844) Ita, Domine, immensi criminis rei, conscientia teste, confundimur, ut ad officium tuum nec securi possimus venire, nec liberi. Quis enim pensans peccatum suum, (845) nec se a facie tua vellet abscondere, si liceret tantæ majestatis oculos declinare, si aut evasurus lateret, aut occultatus evaderet? Aut quis non magis videre te cuperet, si non jam hinc (846) quodcunque peccantem prospicis plus timeret? Ergo quia tu ubique nos invenis, ad te confugimus, quem fugere non valemus. Restat miseris non latebras intervenire, sed lacrymas. Foveat **231** indulgentia, quos terret offensa. Minatur potentia, sed misericordia consoletur. Ex te est qui liberet, per te est qui excuset. Parce, Pater omnipotens; et quos aspicis humiles per reatum, erectos munerare digneris in præmio. Et quos intelligis per confessionem miseros, non facias in examinatione confusos. Per Dominum.

(847) *Item alia* [a] *in tribulatione.* — (848) Si ante oculos tuos, Domine, culpas quas fecimus, et (849) plagas quas excipimus conferamus, minus est quod patimur, majus est (850) quod meremur. Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis fragilitas nostra (851) frangitur, et iniquitas non mutatur. Mens ægrota torquetur, et cervix dura non flectitur. Vita in dolore suspirat, et (852) in opere non (853) emendat. Si exspectas, (854) non corrigimur; si vindicas, non duramus. Confitemur (855) in correptione quod fecimus, obliviscimur in visitatione quod flevimus. Si (856) impresseris manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus; si ferias, clamamus ut parcas, si (857) parcas, iterum te (858) provocamus ut ferias; si (859) angustiæ veniunt, tempus petimus pœnitendi; si misericordia subvenerit, abutimur patientia quæ pepercit. Adhuc plaga illata vix præterit, etiam non recolit mens ingrata quod pertulit. Si citius nos audias, ex misericordia insolescimus; si tardius, ex impatientia murmuramus. Te, Domine, volumus servare quod feceris, (860) non timemus observare quod jusseris. Habes, Domine, confitentes reos, parce, quia pius es. (861) Novimus quod nisi dimittas, recte nos (862) punias. Sed apud te est multa miseratio, et propitiatio perabundans. Præsta sine merito quod rogamus, qui fecisti (863) ex nihilo (864) qui rogarent. Clamantibus nobis ad te; Domine, miserere; moveat misericordiam tuam vox fidelis et flebilis; atque illa, de qua totum speramus, pietas non reputet quod offendimus, dum respicit quod rogamus; et cum grandis sit miseria esse nos reos, major tibi sit clementia esse nos miseros. Tuo (865) supplices auxilio ante te et criminis nostri mala ponimus, et dolores; a te precando misericordiam, quam peccando repulimus, exspectamus. Præstetur his de indulgentia (866) quod rogaris accipere, quos agnoscis fiduciam de (867) tua justitia non habere. Erige nos, Domine Deus noster, et alleva in misericordia tua, ut communione salutis, et gaudio charitatis, dum ipsi salvari ex munere tuo cupimus, etiam fide et pace (868) cuncta regentium gaudeamus. Per Dominum.

Item alia. — (869) Ignosce, Domine, (870) commaculatæ vitæ conscientiæ sordido, et criminum confusione captivo, (871) qui pro me obtinere nihil mereor, pro aliis rogaturus assisto. Profero ad te, si digneris, Domine, gemitus captivorum, tribulationes plebium, pericula populorum, (872) angustias pauperum, necessitates peregrinorum, inopias debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, (873) lamenta viduarum. Et (874) quoniam me eadem, quæ populum tuum catena constringit, (875) communes lugeo passiones, non obsit populo tuo oratio subjugata peccatis. Per me tibi offertur (876) votum, per te meum compleatur officium. Per.

232 *Alia.* — (877) Deus, ad quem accedere mundi desideramus, et ob cujus gloriam in honorem tuorum martyrum expiari deposcimus, in vivam nos tibi præpara hostiam; cordium quoque nostrorum abdita omni crimine lava, et spiritali reple lætitia. Quique coram te, et pro nostris, et pro fratrum delictis ingemiscimus, exaudiri a te quantocius mereamur, ut nec nostro puniamur, nec alieno peccato, ut justitia et sanctitate vestiti, præsentemur tibi indemnes in die judicii.

Alia. — (878) Dimitte, Deus, (879) quidquid per intemperantiam mordacis linguæ incauta oris nostri increpatio momordit in subditos. Quidquid minus de boni perfectione diximus, parce; quidquid incongruum vel minus temperate protulimus, tu ignosce. Non incautum præsumptio puniat, sed agnoscentem me iniquitates meas pietas miserationis tuæ absolvat. Et quia non mihi alibi est fiducia, nisi in misericordia tua, tu et os meum præconio veritatis (880) perarma [*In Ms.* per arma], et opus pleniori ubertate sanctifica, ut et indignum me salves, et commissum mihi gregem pro tua pietate (881) justifices. Quidquid in illis vitiatum (882) respicis, sana; quidquid in me vitiosum inspicis, cura. Si (883) quam vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt, vel contrahunt labem, omitte. Si quo etiam, me ignorante, vel (884) cognito, deciderant in crimine, atque si exempli mei offendiculo proruerunt, (885) ignosce; et pro culpis

[a] *Hæc apologia nonnullis immutatis legitur in vet. Sacrament. Gal.*

talibus misero mihi ultionis non restituas vicem. Illis tamen, quibus increpationis visus sum adhibere judicium, et (886) increpatio ipsa eis proficiat ad salutem, et oratio hæc interpellans commisso eos revocet ab errore, ut non perferant tartareos cruciatus, quibus, ut pote (887) mortales, pœnitentiæ indiximus leges; quo (888) utrorumque incommodis parcens, illorum iniquitatibus tribuas veniam, et meam abluas contractam de gerendi incommoditate offensam. Præbe, Deus, aurem sacrificiis nostris, et me mihique commissos tuis ascribe in paginis, quo cum grege mihi credito, et a cuncto eluar crimine, et ad te merear pervenire in pace. Pacatum redde, Deus, nostrorum cordium habitaculum expulsione carnalium vitiorum. Et (889) qui in subditis conor summa exercere virtutum, pacatis mentium corporumque incommodis pacificus merear, te judicante, coronari cum angelis. Fac ergo, quæsumus, nos, pie Deus, aspicientes in conspectu tuo, (890) flammescentes tuæ gratiæ dono, ut zelus tuæ domus nos comedat. Atque ita per vigorem sancti Spiritus regentes subditos temperemus; (891) ut et disciplinis nostri regiminis obtineant lucrum, et illorum duritia frangatur, ac vita sanctificetur. Suscipe, Domine, nostrorum votorum libamina, et per hæc quidquid in subditos correctionis verbo vel merito impertimus, non ad discordiam nostri, sed ad perpetuum dulcedinis gaudium, et nobis, et illis profecisse (892) lætemur. Ablue (893) nos, Deus, et alieno et nostro delicto, ut, in utroque spiritalis gratiæ efficientiam capientes, fiduciaflus tuo nomini supplicemus. Per Dominum.

(894) *Orationes ad visitandum infirmum.*

In primis faciant sacerdotes asperso sale aquam benedictam, et (895) *aspergant eam* (896) *cum Antiphona* **233** *et Orationibus super ipsum infirmum, et super domum ejus.*

(897) *Exorcismus salis.* — Exorcizo te, creatura salis, per Deum vivum, per Deum verum, per Deum qui te per Elisæum prophetam in aquam mitti jussit, ut sanaretur sterilitas aquæ; ut efficiaris sal exorcizatum in salutem credentium, et sis omnibus te sumentibus sanitas animæ et corporis; et effugiat atque discedat ab eo loco quo aspersus fueris omnis phantasia et nequitia, vel versutia diabolicæ fraudis, omnisque spiritus immundus adjuratus per eum qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Benedictio salis. — Immensam clementiam tuam, omnipotens æterne Deus, humiliter imploramus, ut hanc creaturam salis, quam in usum generis humani tribuisti, benedicere et sanctificare tua pietate digneris, ut sit omnibus salus mentis et corporis; ut quidquid eo tactum vel respersum fuerit, careat omni immunditia omnique impugnatione spiritalis nequitiæ. Per.

Exorcismus aquæ. — Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, et in nomine Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, ut fias aqua exorcizata, ad effugandam omnem potestatem inimici, et ipsum inimicum eradicare et explantare valeas cum angelis suis apostaticis, per virtutem Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

Benedictio aquæ. — Deus, qui, ad salutem humani generis, maxima quæque sacramenta in aquarum substantiam condidisti, adesto invocationibus nostris, et elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis effunde, ut creatura mysterii tui, tibi serviens ad abjiciendos dæmones morbosque pellendos, divinæ gratiæ sumat effectum; ut quidquid in domibus vel in locis fidelium hæc unda resperserit careat immunditia, liberetur a noxa. Non illic resideat spiritus pestilens, non aura corrumpens; discedant omnes insidiæ latentis inimici; et si quid est quod aut incolumitati habitantium invidet, aut quieti, aspersione hujus aquæ effugiat, ut salubritas per invocationem tui nominis expetita, ab omnibus sit impugnationibus defensa. Per.

Benedictio salis et aquæ pariter. — Hic mittitur sal in aquam.

Deus, invictæ virtutis auctor, et [a] inseparabilis imperii Rex, ac semper magnificus triumphator, qui adversæ dominationis vires reprimis, qui inimici rugientis sævitiam superas, qui hostiles nequitias potens expugnas, te, Domine, trementes ac supplices deprecamur, ac petimus, ut hanc creaturam salis et aquæ dignanter accipias, benignus illustres, pietatis tuæ more sanctifices, ut ubicunque fuerit aspersa, per invocationem sancti tui nominis omnis infestatio immundi spiritus abjiciatur, **234** terrorque venenosi serpentis procul pellatur, et præsentia sancti Spiritus nobis misericordiam poscentibus ubique adesse dignetur. Per Dominum.

Oratio quando aqua spargitur in domo.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, et mittere digneris angelum tuum sanctum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, et defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per.

Benedictio domus. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra. Descendat super habitantes in ea gratiæ tuæ larga benedictio, ut in his manufactis habitaculis cum salubritate manentibus ipsi tuum semper sint habitaculum. Per Dominum.

Alia. — Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, si qua contraria in hac domo famuli tui *Ill.*, auctoritate Majestatis tuæ pellantur. Per.

(898) *Benedictio uvæ vel* (899) *favæ.* — Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ, *sive* favæ, quos tu, Domine, per rorem cœli, et inundantiam pluviarum,

[a] Ita in Codice, ubi tamen Pamelius autumat legendum *insuperabilis*. Paulo post legitur etiam in Cod. Grimoldi *more*, non *rore*, ut in vulgatis Missalibus.

et tempora serena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione in nomine Domini nostri Jesu Christi. Qui tecum.

Benedictio ad fructus novos. — Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui cœlum et terram et omnia creasti, te supplices quæsumus ut hunc fructum novum benedicere et sanctificare digneris, et multiplicare abundanter offerentibus tibi, ut repleas eorum cellaria cum fortitudine frumenti et vini, ut lætantes in eis referant tibi Deo omnipotenti laudes et gratias. Per.

Benedictio ad omnia quæ volueris. — Benedic, Domine, creaturam istam, ut sit remedium salutare generi humano; et præsta per invocationem nominis tui ut quicunque ex ea sumpserit corporis sanitatem et animæ tutelam percipiat. Per.

Benedictio (900) *panis.* — Benedic, Domine, creaturam istam panis, sicut benedixisti quinque panes in deserto, ut omnes gustantes ex eo accipiant tam corporis quam animæ sanitatem. Qui vivis cum Deo Patre in unitate.

[a] *Oratio ad* (901) *capillaturam.*

(902) Omnipotens sempiterne Deus, respice propitius super hunc famulum tuum *Ill.*, quem [b] ad novam tondendi gratiam evocare dignatus es, tribuens ei remissionem omnium peccatorum, (903) atque cœlestium donorum consortium esse præceptorum. Per.

235 *Oratio* [c] *ad* (904) *barbas tondendas.*

Deus, cujus spiritu creatura omnis adulta congaudet, exaudi preces nostras super hunc famulum tuum *Ill.* juvenili ætate decore lætantem, et primis auspiciis, ad tondendum, exaudi, Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœlestem benedictionem accipiat, et præsentis vitæ præsidiis gaudeat et æternæ. Per.

Oratio ad (905) *infirmum ungendum.*

Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam. Operare, creatura olei, in nomine Patris omnipotentis, ut non lateat illic spiritus immundus, neque in membris illius, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus sancti. Per eumdem.

Oratio ad visitandum infirmum.

(906) Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, ita et famulum tuum illum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad salutem. Per.

Alia. — Respice, Domine, famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, et animam refove quam creasti, ut, castigationibus emundata, continuo se sentiat tua medicina salvatum. Per.

Alia. — Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, inclina aurem tuam supplicationibus nostris, et famulum tuum *Ill.* ex adversa valetudine corporis laborantem placatus respice, et visita in salutari tuo, ac cœlestis gratiæ præsta medicinam. Per.

Alia. — Deus, qui humano generi, et salutis remedium, et vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo *Ill.* tuarum dona virtutum, et concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

Alia. Virtutum cœlestium, Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius huic famulo tuo *Ill.*, ut, fugatis infirmitatibus, et viribus receptis, nomen sanctum tuum instaurata protinus sanitate benedicat. Per Dominum nostrum.

Alia. — Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut salutaribus remediis pietatis tuæ corpora nostra et membra vegetentur, super hunc famulum tuum *Ill.* propitiatus intende, ut, omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfecta reparetur. Per Dominum.

Deinde a sacerdote dicatur hæc Oratio :

Domine Deus, (907) qui per apostolum tuum locutus es : INFIRMATUR QUIS IN VOBIS? INDUCAT PRESBYTEROS ECCLESIÆ, **236** ET ORENT SUPER EUM, UNGENTES EUM OLEO SANCTO IN NOMINE DOMINI; ET ORATIO FIDEI SALVABIT INFIRMUM, ET ALLEVABIT EUM DOMINUS; ET SI IN PECCATIS EST, DIMITTENTUR EI; cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, et sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis expelle, plenamque ei interius exteriusque sanitatem misericorditer redde, ut, ope misericordiæ tuæ restitutus et sanatus, ad pristina pietatis tuæ reparetur officia. Per.

Et sic (908) *flectat genu vel genua qui est languidus, et stet ad dexteram sacerdotis, et sic decantetur hæc Antiphona :*

Dominus (909) locutus est discipulis suis : IN NOMINE MEO DÆMONIA EJICITE; ET SUPER INFIRMOS MANUS VESTRAS IMPONITE, ET BENE HABEBUNT. *Psal.* Deus Deorum Dominus locutus est. *Et repetit :* In nomine meo, *etc.*

Sequitur Oratio. — Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, et cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum *Ill.* per angelum sanctum suum visitare, lætificare et confortare dignetur.

Sequitur Antiphona. — Succurre, Domine, infirmo isto *Ill.* et medica eum spiritali medicamine, ut, in pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi sanus referat actiones. *Psal.* (910) Ad Dominum cum tribularer. *Sequitur alia Ant.* Sana, Domine, infirmum istum, cujus ossa turbata sunt, et cujus anima turbata est valde; sed tu, Domine, convertere, et sana eum, et eripe animam ejus. *Psal.* Domine, ne

[a] Eadem legitur in Edit. Pamel., sed longe alio ordine.

[b] In Cod. Reg. Suec., *ad comam tondendi gratiam.*

[c] Exstat in vet. Sacr. Gall. *Benedictio super eum qui in Ecclesia primitus tondetur*, cujus sensus idem fere est ac hujus Orationis.

in furore tuo arguas me, *cum* Gloria; *Et repetent :* Sana, Domine.

Et (911) *sic perungat infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo et gutture, et inter scapulas, et in pectore, seu in loco ubi plus dolor imminet amplius perungatur; et supplicando, dum ungitur infirmus, dicat unus ex sacerdotibus hanc Orationem :*

Sequitur Oratio. — (912) Inungo te de oleo sancto in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi, et Spiritus sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, sive fotus, pristinam et immelioratam recipere merearis sanitatem. Per eumdem.

Sequitur hæc Oratio. — Domine (913) Deus, Salvator noster, qui es vera salus et medicina, et a quo omnis sanitas et medicamentum venit, quique nos apostoli documento instruis, ut languentes olei liquore orantes tangeremus, respice propitius super hunc famulum tuum *Ill.*, et quem languor curvat ad exitum, et virium defectus trahit ad occasum, medela tuæ gratiæ restituat in salutem. Sana quoque, quæsumus, omnium medicator, ejus febrium et cunctorum languorum cruciatus, ægritudinemque, **237** et dolorum omnium dissolve tormenta, viscerumque ac cordium interna medica, medullarum quoque et cogitationum; sana discrimina ulcerum, vanitatumque putredines evacua, conscientiarumque atque plagarum obducito cicatrices veteres, immensasque remove passiones; carnis ac sanguinis materiam reforma, delictorumque cunctorum veniam tribue; sicque illum tua pietas jugiter custodiat, ut nec ad correptionem aliquando sanitas, nec ad perditionem nunc, te auxiliante, perducat infirmitas; sed fiat illi hæc olei sacra perunctio morbi et languoris præsentis expulsio, atque peccatorum omnium optata remissio. Per Dominum nostrum.

Alia. — (914) Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, et sanet omnes languores tuos, redimatque de interitu vitam tuam, et satiet in bonis desiderium tuum, qui solus in Trinitate unus Deus vivit et regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

(915) *Deinde communicet eum corpore et sanguine Domini. Et* (916) *sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit, tam de communione quam et de alio officio ; et suscitabit eum Dominus, et, si in peccatis fuerit, dimittentur ei.*

(917) *Debent etiam sacerdotes et ministri sanctæ Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies Vesperas et Matutinos cum hymno :* (918) Christe cœlestis medicina Patris, et reliq., *et cum Antiphonis, et Responsoriis, sive lectionibus et Orationibus ad hoc pertinentibus.*

(919) *Multi enim sacerdotum infirmos* (920) *perungent insuper in quinque sensus corporis, id est in superciliis oculorum, et in* (921) *naribus deintus, et in narium summitate sive exterius, et in labiis exterius, et in manibus exterius, id est deforis. In omnibus ergo his membris crucem faciant de oleo sacrato* (922) *dicentes :* In nomine Pa✝tris, et Fi✝lii, et Spiri✝tus sancti.

Hoc enim faciant, ut si in quinque sensus mentis et et corporis aliqua macula inhæsit, hac medicina Dei sanetur.

Oratio in consummatione hujus officii. — (923) Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis et necessitate laborantibus, Majestatem tuam supplices exoramus, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, qui famulum tuum *Ill.* in angustiis et necessitatibus laborantem consolationibus tuis attollat, quibus et de præsenti consequatur auxilio, et æterna remedia comprehendat. Per Dominum nostrum.

Missa pro episcopo vel congregatione.

Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, prætende super famulum tuum *Ill.* et super cunctos illi commissos spiritum gratiæ salutaris, et, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per Dominum.

Super oblata. — Hostias, Domine, famuli tui *Ill.* et omnium sibi commissorum placatus intende, et quas in honorem nominis tui devota mente pro eis celebramus **238** proficere sibi sentiant ad medelam. Per Dominum.

Ad Complendum. — Famulum tuum *Ill.* et omnes sibi commissos per hæc cœlestia munera perpetuo, Domine, comitare præsidio, eosque fovere non desinens, dignos fieri sempiterna redemptione concede. Per.

Alia Missa.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo, et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ, ut, te donante, tibi placita cupiat et tota virtute perficiat. Per.

Super oblata. — Proficiat, quæsumus, Domine, hæc oblatio quam tuæ supplices offerimus Majestati, ad salutem famuli tui *Ill.*, ut tua providentia ejus vita inter adversa et prospera ubique dirigatur. Per.

Ad Complendum. — Sumentes, Domine, perpetuæ sacramenta salutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea famulum tuum ab omni adversitate protegas. Per.

Alia ad Complendum. — Famulum tuum, quæsumus, Domine, tua semper protectione custodi, ut libera tibi mente deserviat, et te protegente a malis omnibus sit securus. Per.

[a] *Missa votiva.*

Deus, qui justificas impium, et non vis mortem peccatorum, Majestatem tuam suppliciter deprecamur, ut famulum tuum *Ill.* de tua misericordia confiden-

[a] In Cod. Cal. multæ sunt Missæ votivæ, sc. de Sanctissima Trinitate de sapientia ; ad postulandam gratiam Spirit. ; in honore sanctæ Mariæ ; ad postulanda angelica suffragia ; de sancto Joanne Bapt. ; de

tem cœlesti protegas benignus auxilio, et assidua protectione conserves, ut tibi jugiter famuletur, et nullis tentationibus a te separetur. Per.

Super oblata. — Hujus, Domine, quæsumus, virtute mysterii et a propriis nos munda delictis, et famulum tuum *Ill.* ab omnibus absolve peccatis. Per.

Ad Complendum. — Purificent nos, Domine, quæsumus, sacramenta quæ sumpsimus, et famulum tuum *Ill.* ab omni culpa liberum esse concede, ut quia conscientiæ reatu constringitur, cœlestis remedii plenitudine glorietur. Per.

Missa specialis sacerdotis.

Fac me, quæso, omnipotens Deus, ita justitia indui, ut in sanctorum tuorum merear exsultatione lætari, quatenus, emundatus ab omnibus sordibus peccatorum, consortium adipiscar placentium sacerdotum, meque tua misericordia a vitiis omnibus exuat quem reatus propriæ conscientiæ gravat. Per.

Super oblata. — Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique sacrificium contriti cordis offerri, hoc sacrificium, quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare, ut et ipse tibi hostia, et sacrificium esse merear, miseratus concede, quo per ministerii hujus **239** exhibitionem, peccatorum omnium percipiam remissionem. Per.

Ad Complendum. — Hujus mihi, Domine, sacramenti perceptio sit peccatorum remissio, et tuæ pietatis optata propitiatio, ut per hæc, te opitulante, efficiar sacris mysteriis dignus, quæ de tua pietate confisus frequentare præsumo indignus. Per.

Missa pro salute vivorum.

Prætende, Domine, misericordiam tuam famulis et famulabus tuis *Ill.* dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirant, et quæ digna postulant assequantur, et medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiant. Per.

Super oblata.—Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus assume; et ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, præsta, quæsumus, ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur. Per.

Ad Complendum. — Da famulis et famulabus tuis, quæsumus, Domine, in tua fide et sinceritate constantiam, ut, in charitate divina firmati, nullis tentationibus ab ejus integritate vellantur. Per.

Missa pro familiaribus.

Deus, qui charitatis dona per gratiam sancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infudisti, da famulis tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, salutem mentis et corporis, ut te tota virtute diligant, et quæ tibi placita sunt tota dilectione perficiant. Per.

Super oblata. — Miserere, quæsumus, Domine Deus, famulis tuis, pro quibus hoc sacrificium laudis tuæ offerimus Majestati, ut per hæc sancta supernæ benedictionis gratiam obtineant, et gloriam æternæ beatitudinis acquirant. Per.

Ad Complendum. — Divina libantes mysteria, quæsumus, Domine, ut hæc salutaria sacramenta illis proficiant ad prosperitatem et pacem, pro quorum dilectione hæc tuæ obtulimus Majestati. Per Dominum.

Missa [a] *quotidiana pro rege.*

(924) Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus *Ill.*, qui tua miseratione suscepit regni gubernacula, virtutum etiam (925) omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus, et vitiorum monstra devitare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratiosus valeat pervenire. Per.

Super oblata. — Munera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica, ut et nobis Unigeniti tui corpus et sanguis fiant, et (926) *Ill.* regi ad obtinendam animæ corporisque salutem, et (927) peragendum injunctum officium, **240** te largiente, usquequaque proficiant. Per Dominum.

Ad Complendum. — Hæc, Domine, (928) oratio salutaris famulum tuum *Ill.* ab omnibus tueatur adversis, quatenus et ecclesiasticæ pacis obtineat tranquillitatem, et post istius temporis decursum ad æternam perveniat hæreditatem. Per.

Missa pro pace.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam quam mundus dare non potest pacem, ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et, hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per.

Super oblata. — Deus, qui credentes in te populos nullis sinis concuti terroribus, dignare et preces et Hostias dicatæ tibi plebis suscipere, ut pax, tua pietate concessa, Christianorum fines ob omni hoste faciat esse securos.

Ad Complendum. — Deus, auctor pacis et amator, quem nosse vivere, cui servire regnare est, protege ab omnibus impugnationibus supplices tuos, ut qui in defensione tua confidimus, nullius hostilitatis arma timeamus. Per.

Missa pro quacunque tribulatione.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine, nobis clementer ostende, ut simul nos et a peccatis exuas, et a pœnis quas pro his meremur eripias. Per.

Super oblata. — Purificet nos, Domine, quæsumus, muneris præsentis oblatio, et dignos sacra participatione perficiat. Per.

Ad Complendum. — Præsta, Domine, quæsumus, ut, terrenis affectibus expiati, ad superni plenitudinem sacramenti, cujus libavimus sancta, tendamus. Per.

Missa pro infirmis.

Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulis tuis *Ill.*, quibus

sancto Petro; de sancto Stephano; de sancta cruce, etc.; Missa spec. sacerdotis; pro salute vivorum, pro familiaribus, pro rege, etc.

[a] In vet. Sacram. Gallic. habetur Missa *pro principe.*

misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referant actionem. Per Dominum.

Super oblata. — Deus, sub cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces et Hostias famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiæ tuæ imploramus auxilium, ut de quorum periculis metuimus, de eorum salute lætemur. Per Dominum.

Ad Complendum. — Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmos nostros ostende virtutem, ut, ope misericordiæ tuæ adjuti, Ecclesiæ tuæ sanctæ repræsentari mereantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

APPENDIX

AD LIBRUM SACRAMENTORUM S. GREGORII MAGNI.

VETUS MISSA.

Ex Codice Ratoldi abbatis Corbeiensis.

Dominica in die sancto Paschæ.

241 *Primo antequam episcopus Missam celebret, ingredietur quoddam oratorium, et secundum cordis compunctionem seipsum libamine orationis Deo offerat. Dicat hanc orationem :*

Via (929) sanctorum omnium Jesu Christe, qui ad te venientibus claritatis gaudium contulisti, introitum templi istius, Spiritus sancti luce perfunde, qui locum istum sanctorum tuorum martyrum nomine vel sanguine consecrasti : præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut omnes (930) isti intercedentes obtineant veniam pro delictis, ab omnibus liberentur angustiis, impetrent quidquid petierint pro necessitatibus suis, placere semper prævaleant coram oculis tuis, quatenus, per te et per sanctum Petrum militem tuum muniti, mereamur aulam paradisi introire. Per.

Hora vero diei tertia (931) *arma sibi deferantur sacerdotalia, quæ induet extra chorum sinistræ partis in loco* (932) *secretarii. Dum introierit in secretarium, dicat hanc Orationem :*

Omnipotens et misericors Deus, qui sacerdotum ministerio, ad tibi serviendum et supplicandum uti dignaris, quæsumus immensam clementiam tuam ut quidquid modo visitamus visites, quidquid benedicimus benedicas, sitque ad nostræ humilitatis introitum, sanctorum tuorum meritis, fuga dæmonum, angeli pacis ingressus. Per.

Primo quidem (933) *minister deferat caligas, usque ad genu tendentes, et dicat* : Tu Domine, optamus, jubeas benedicier omnes. *Respondet episcopus :*

Totius honestatis auctor omnipotens Deus, ad reprimendas antiqui hostis versutias, per nostræ servitutis mysterium [*forte*, ministerium] jube sanctificari has caligas, ut et in gressu resplendeat Evangelii veritas, et mente fidei exerceatur integritas. Per omnia.

Deinde minister det (934) *sandalia, et dicat, ut supra. Respondet episcopus :*

Indue me, Domine, calceamentis justitiæ, **242** quem Joannes vidit vestitum podere, ut possim tibi omni tempore cum timore servire. Per omnia.

Post hæc vero ornet se cæteris indumentis, et minister administret (935) *superhumerale, et dicat* : Jube, Domine, benedicere. *Respondet episcopus :*

Virtus summa Deus, cunctorum rector opimus,
Tu benedic nostrum, quo nunc ornamur, amictum :
Ut servire tibi valeamus corde pudico.
Per omnia.

Postea ministret ei albam (936) *et dicat, ut supra.*

Vestibus angelicis induti, Rex pietatis ;
Possimus libare pii libamen odoris,
Clemens et pravæ purges contagia mentis.
Ac citius delenda (937) malæ contagia mentis.
Per omnia.

Postea ministret ei (938) *cingulum, et dicat, ut supra.*

Scrutator cordis, et castæ mentis amator,
Tu lumbos præcinge meos, Deus intime judex,
Mortificans pravos in casto corpore gestus.
Per omnia.

Postea detur ei balteum (939) *pudicitiæ, et dicat minister, ut supra. Respondet episcopus :*

Rogo te, altissime Deus Sabaoth, Pater sancte, ut me castigare digneris, accingere, et meos lumbos balteo tui timoris ambire, ac renes cordis mei tuæ charitatis igne urere, ut pro peccatis meis possim intercedere, et astantis populi peccatorum veniam promereri, ac pacificas singulorum hostias immolare. Per.

Tum minister efferat ei stolam jucunditatis, gerens vitam geminæ contemplationis. Et dicat, ut supra. Respondet episcopus :

Colla jugo subdenda tuo, Deus alme, sacrato,
Ad cujus dignum pretiosa morte sepulcrum,
Virtus angelica consederat ordine mundo.
Per omnia.

243 *Super hæc itaque ministretur ei* (940) *tunica gyris* (941) *in tintinabulis* (942) *mirice* [Leg. *mirifice*] *refecta, et dicat minister, ut supra. Respondet episcopus :*

Sanctifica tunicam qua nunc superinduor, istam,
Omnipotens æterne Deus, sine numine cujus
Nil humana valet devoti condere virtus.
Et qui me sacris voluisti vestibus uti,

Da servire tibi, judex pie, mente fideli.

Per omnia.

Deinde ministretur ei aqua ad manus, et pecten ad caput, et dicat minister, ut supra. Respondet episcopus :

Omnipotens et misericors Deus, precor clementiam tuam, ut me audaciter accedentem non sinas perire, sed dignare lavare, ornare et leniter suscipere. Per omnia.

Tunc ministrentur ei (943) *manicæ, ut supra.*

Digna manus nostras Christi custodia servet,
Ut tractare queant nostræ monumenta salutis.

Per omnia.

Postea (944) *detur ei annulus in dextera manu desuper manica. Dicat minister, ut supra. Respondet episcopus :*

Pignore me fidei signatum pacis et arrha,
Custodi dextra, rex benedicte, tua.

Per omnia.

Postea ministretur ei (945) *casula, tandem vero* (946) *rationale cohærens vinctim* [Forte *junctim*] *superhumerali. Et dicat minister, ut supra. Respondet episcopus :*

Spes æterna, Deus, cunctorum certa, salusque,
Tu memor esto mei toto te corde petenti,
Exsequar ut dignus cœlestis munia vitæ.
Dumque meis manibus tractatur mystica virtus,
Dispereat quidquid contraxerat ordo veternus.

Per omnia.

Deturque manui lævæ (947) *manipulus castitatis, et dicat minister :* Jube, Domine, benedicere. *Respondet episcopus :*

Qui super astra sedes, qui regni sceptra tueris,
Summus adesto, Deus, mihimet tua jussa sequenti,
Ac levem capiti complexibus adhibe dextram,
Auxiliumque mihi tribuas per cuncta benignus,
Ut valeam casta tibi sistere perpeti vita.

Per omnia.

Cum omni quoque diligentia episcopus veneretur à suis. Eo autem rationabiliter (948) *flamineato, accedat ordinatim omnis* (949) *processio.* VII, *aut* V, *aut* III, (950) *etsi non presbyter, et diaconus. Presbyter quoque ad dextram et diaconus ad sinistram. Subdiaconus vero ante oculos ejus teneat Evangelium : qui etiam stipatus sit duobus acolythis, aut pluribus cum candelabris et thuribulis. Interim sane præparet se schola, et cantor eorum medius* (951) *annuente episcopo inchoat Antiphonam,* Resurrexi. *Psal.* Domine, probasti me. *Properante episcopo ad templi vestibulum, et ad ostium secretarii, osculetur Evangelium, et postea cum omni diligentia incedant. Finitoque Introitu ingrediatur medius pontifex, cum collegio processionis. Eo autem astante et orante dicat hanc Orationem :*

(952) Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, Domine Deus meus, quia gula, ebrietate, fornicatione, libidine, acedia, tristitia, somnolentia, **244** negligentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum, et omnino cogitatione, locutione, actione, atque omnibus sensibus exstinctus; qui justificas impios et vivificas mortuos, vivifica me, et resuscita me, et miserere mei, Deus meus.

Annuente episcopo (953) *incipiatur Psalmus a cantore, cum Introitu reciprocante.* (954) *Interim quoque osculetur omnes sibi circumdatos, incipiens* (955) *sinistre, alternatimque veniens* (956) *dextre.*

Hoc autem expleto, (957) *episcopus signo digiti sui, inchoet cantor* Gloria Patri. *Et properet episcopus ad altare stipantibus ministris; dicat hanc Orationem :*

Indignum (958) me, Domine, sacris tuis esse fateor, qui innumeris quotidie peccatis fuscor. Quid ego blandis te, Domine, verbis rogare præsumo, quem improbis sæpissime factis offendo? Tu enim, Domine, mihi medicinam ingeris ægro, ego sanitati meæ contraria ago; legem tuam, Domine, sacris paginis inditam lego, sanam vero disciplinam infelix negligo. Ad tuum quidem altare quasi devotus accedo, sed a præceptis tuis contumaci corde recedo. Da ergo mihi, Domine, quæso, cor compunctum, quod veraciter odio habeat peccatum. Meum est, si donaveris, delicta deflere; tuum est ea ut nivem cito delere. Et licet palmam amiserim inimico fraudante, ad veniam saltem perveniam te miserante. Tibi Deo est honor, regnum Regi cunctorum cuncta regnanti in sæcula sæculorum. Amen.

Mora quidem orationis facta, sicut ordinati sunt, alter alterutrum presbyteri et diaconi osculentur altaris cornua. Et ultimus episcopus, ministrantibus illis, osculetur Evangelium ab ipsis elevatum et apertum, a subdiacono scilicet in altaris medio positum. Et tunc canatur Kyrie eleison. *Et ipsis ducentibus, perveniat episcopus ad solium.* (959) *Et tunc incipiat* Gloria in excelsis Deo. *Post hæc autem canatur Missa secundum sui visum* [forte *usum*]. *Et annuntiat episcopus :* Pax vobis. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

Oratio. — Deus, qui hodierna die per unigenitum tuum, *etc.*

Exinde procedat subdiaconus in ambonem, et (960) *legat Epistolam*, Expurgate. (961) *Resp.* Hæc dies. Alleluia, Pascha nostrum.

Incedat siquidem diaconus cum thuribulo, aliusque minister cum thure genuflectentes ad genua sedentis episcopi, et mittat incensum, fumum suavis odoris, et dicat :

Mitto incensum in odorem suavitatis et in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis.

Et diaconus postulans inclinato capite benedictionem, et dicat : (962) Jube, Domine, benedicere. *Respondet episcopus :* Dominus sit in corde tuo, et in ore ad proferendam Evangelii lectionem.

Accipiens ipse Evangelium et deosculetur eum et altare. Et ascendat in ambonem (963) *adnuntianti* [forte *ad nunciandum*] *verba æternæ felicitatis. Legatur Evangelium* (964) Maria Magdalenæ. *Finito Evangelio portetur Evangelium a subdiacono, ut osculetur episcopus, et* (965) *omnes post illum. Et dicat episcopus* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum Spiritu tuo. (966)

Oremus. *Tunc incipiat Offertorium* (967) Terra tremuit.

245 *Eo autem finito, et* (968) *oblatione recepta* (969) *cum omni processione revertatur ad solium, et exuat* (970) *manicas,* (971) *lavetque manus, et sic ingrediatur propitiatorium, et* (972) *omnis processio offerat sibi oblationem, et* (973) *ad ultimum incensum, et dicat has Orationes dum incensatur :*

Domine Deus noster, supplici devotione deposcimus ut sicut suscepisti munera Abel, Noe, Aaron, Zachariæ et Samuel, et omnium sanctorum tuorum, sic manu nostra peccatrice suscipere digneris incensum istud in odorem suavitatis, et remissionem omnium peccatorum nostrorum. Per Dominum.

Alia. — Placetur, Domine, hoc thymiamate vel incenso furor tuus contra me, et contra locum istum, et contra populum istum, et præsta propitius ut fumus boni odoris tibi simus ad capiendam vitam æternam. Per.

Postea vero ordinent se more ecclesiastico. Hoc est, diaconi ante altare, subdiaconi retro, episcopus in medio, quia in ore duorum vel trium stat omne verbum, inclinantes capita quousque dicatur per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. *Et dicat hanc Orationem super oblata :* (974) Suscipe, Domine, quæsumus, preces populi tui cum oblationibus Hostiarum. *Require retro in Sabbato sancto. Tunc vero post hanc erigunt se, et acolythi ministrent aquam ad manus* (975) *diaconum, et manutergium; et dicat pontifex alta voce :* Per omnia sæcula sæculorum. *Resp.* Amen. Sursum corda. *Resp.* Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. *Resp.* Dignum et justum est.

Præfatio. — Vere dignum et justum est, æquum et salutare : Te quidem omni tempore, *ut supra.*

Dum dicatur Sanctus, *inclinant se omnes, et episcopus dicat hanc Orationem interim :*

(976) Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, me miserum fragilemque peccatorem a tua non repellas pietate; neque aspicias ad peccata, et ad scelera mea, et immundas turpesque cogitationes meas, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, sed ad misericordiam tuam, et ad fidem devotionemque eorum, qui per me peccatorem tuam expetunt misericordiam. Et quia me indignum medium inter te et populum tuum fieri voluisti, fac me dignum talem, ut possim tuam exorare misericordiam pro me, et pro eodem populo tuo. Et adjunge voces nostras vocibus sanctorum angelorum tuorum, ut sicut illi te laudant incessanter et infatigabiliter in æterna beatitudine, ita nos quoque eorum interventu mereamur laudare te inculpabiliter in hac peregrinatione. Per Dominum.

Te igitur, clementissime Pater.

Communicantes, et memoriam venerantes, *ut supra.*

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, *ut supra.*

Antequam dicatur Per quem hæc omnia, (977) *Benedictio carnis :*

Deus universæ carnis, qui Noe et filiis ejus.

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sancti†ficas, vivi†ficas.

246 *Acolythus vero cum patena stet retro diaconus inclinans se cum diaconibus, usque dicat episcopus* Nobis quoque peccatoribus. *Diaconus igitur qui Evangelium legit,* (978) *inde præcavens quod super calicem episcopus faciat signum crucis, et* (979) *præveniat sibi* (980) *sublevans calicem in conspectu Domini, et revertatur ad locum suum cito. Siquidem subdiaconi a retro altari, ubi memoriam* (981) *vel nomina vivorum et mortuorum nominaverunt, vel recitaverunt, precedunt post diaconum inclinantes capita. Dominica Oratione finita, accipiat subdiaconus patenam de manu acolythi, et det diacono, et ille deferat episcopo; et post hæc stabilientur in loco quo erant, antequam legeretur Evangelium, quousque Benedictio et pacis osculum fuerint finita. Deinde dum dicat episcopus* Per omnia sæcula sæculorum, *Resp.* Amen, *post Dominicam Orationem, dum finierit* Libera nos a malo, *annuente episcopo* (982) *dicat diaconus :* (983) Humiliate vos ad Benedictionem; *et populus resp.* Deo gratias. *Et episcopus dicat hanc Benedictionem :*

(984) Benedicat vos omnipotens Deus hodierna interveniente paschali solemnitate, etc.

Et inde accipiens partem corporis Domini et dicat : Pax Domini (985) sit semper vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Et annuente episcopo dicat cantor :* Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. (986) *Interim osculetur archidiaconum et cæteros. Inde vertens se ad altare dicat hanc Orationem :* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo.

(987) Hæc sacrosancta commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat (988) omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam capiendam æternam præparatio salutaris. Per Dominum.

Dum frangitur corpus. — Emittere digneris, Domine, sanctum angelum tuum ad sacrum et immortale mysterium, scilicet corpus et sanguinem tuum; nos enim frangimus, Domine, illud; tu dignare benedicere, et præsta ut immaculatis sensibus et manibus illud tractare valeamus, et digne sumere. Per Dominum nostrum. Emitte angelum tuum, Domine, ut dignetur.

Post hæc itaque (989) *communicent se omnes singillatim, episcopus quoque;* (990) *eoque communicato dicat Orationes has :*

Perceptio corporis et sanguinis tui, Domine Jesu Christe, quam ego indignus præsumo sumere, non mihi veniat ad judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, qui cum Patre in unitate.

Alia. — Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus et sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus et universis malis meis, et fac me tuis obedire præceptis, et a te nunquam in perpetuum separari. Qui cum Patre.

Alia. — Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi **247** ita sumere, ut merear per hoc remissionem omnium peccatorum meorum accipere, et tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es benedictus, et præter te non est alius, cujus regnum gloriosum permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Et (991) *episcopus communicet presbyteros et diaconos cum osculo pacis*, (992) *sicco tamen sacrificio, et subdiaconos sine osculo, misto* (993) *sacrificio. Et diaconi et presbyteri summatim gustent cum calice, tenente subdiacono, de ipso sanguine. Interim cantor incipiat, annuente episcopo*, (994) *Com.* Pascha nostrum; *Psalm.* Domine probasti me, *cum* Gloria. *Hoc autem expleto, sedeat episcopus in solio, et, lotis manibus tertio, revertatur ad altare, et dicat Collectam.*

248 *Ad Complendum.* — Spiritum nobis, Domine. *Postea dicat episcopus convertens ad populum :* Dominus vobiscum. *Resp.* Et cum spiritu tuo. *Annuente episcopo, dicat diaconus :* Ite (995) Missa est. *Resp.* Deo gratias. *Ipse autem episcopus deosculatur altare, cum silentio dicit hanc Orationem :*

Oremus. — (996) Placeat tibi sancta Trinitas, *ad sanctum Joan. ad Vesp.* Concede, quæsumus, omnipotens Deus; *ad fontes :* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, *ad sanctum Andream :* Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gratiam. *Hactenus Missæ Paschalis.*

ALIA MISSA VETUS.

Ex Codice Tiliano.

247 (997) *Incipit Ordo pontificis, quando præparat se ad Missam.* (998) *Quando lavat manus, dicat hanc orationem :*

Largire sensibus nostris, omnipotens Pater, ut sicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, sic a te mundentur interius pollutiones mentium, et crescat in nobis sanctarum augmentum virtutum. Per.

Postea (999) *se incipit sandalia episcopus calciare, et dicit Orationem hanc :*

Calcia, Domine, pedes meos in præparatione Evangelii pacis, et protege in velamento alarum tuarum.

(1000) *Deinde cantet cum circumstantibus hos Psalmos :*

Quam dilecta; Benedixisti, Domine; Inclina, Domine, *cum precibus :* Exsurge, Domine; fiat misericordia tua, Domine; Deus tu conversus; Ostende nobis, Domine; Ne intres in judicium; Propitius esto peccatis nostris; Domine, exaudi orationem.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus meis, et gratia sancti Spiritus illumina cor meum, ut tuis ministeriis digne ministrare valeam, ac te æterna charitate diligere merear. Per.

Oratio sacerdotis ad Missam præparandi. — Obumbra, Domine, caput meum umbraculo sanctæ fidei, et expelle a me nubila ignorantiæ. Amen.

Ad albam. — Indue me, Domine, vestimento salutis, et circumda me lorica fortitudinis. Amen.

Ad zonam. — Domine, accinge in me custodiam mentis meæ, nec ipsa mens inflectatur spiritu elationis. Amen.

Ad stolam. — Stola justitiæ circumda, Domine, cervicem meam, et ab omni corruptione peccati purifica mentem meam. Amen.

Ad casulam. — Indue me, Domine, ornamento charitatis et pacis, **248** ut, undique munitus virtutibus, possim resistere vitiis, et hostibus mentis et corporis.

Postquam ad manipulum. — Da mihi, Domine, sensum rectum, et vocem puram, ut implere possim laudem tuam.

Postquam intrat in ecclesiam, (1001) *osculetur duos presbyteros, et duos diaconos*, (1002) *incipiens per se* Introibo ad altare Dei, *cum Psalmo* Judica me, Deus. *Interim dum cantetur Versus ad Introitum, dicit has Orationes.* (1003) Aufer a nobis iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mentibus [*Lege* mereamur] introire.

Alia Oratio. — (1004) Omnipotens Deus, qui me peccatorem sacris altaribus astare voluisti, et sancti nominis tui laudare potentiam, concede, quæsumus, per hujus sacramenti mysterium, meorum veniam peccatorum, ut tuæ Majestati digne ministrare merear. Per.

(1005) *Deinde cum osculabitur Evangelium dicat :* Pax Christi quam nobis per Evangelium suum tradidit, confirmet, et conservet corda nostra et corpora in vitam æternam. Amen.

(1006) *Confessio sacerdotis ante altare.*

Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, Domine Deus meus. Gula, ebrietate, fornicatione, libidine, tristitia, acedia, somnolentia, ira, cupiditate, invidia, malitia, odio, detractione, perjurio, falsitate, mendacio, vana gloria, levitate ac superbia perditus sum; et omni cogitatione, locutione, actione, atque omnibus malis exstinctus sum; sed tu, qui justificas impios, et vivificas mortuos, vivifica me et resuscita me, Deus meus.

Oratio sacerdotis ante altare priusquam Missam incipiat. — Deus, propitius esto mihi peccatori, quia tu es Deus immortalis, et sine peccato solus. Domine Deus meus, indigno mihi famulo tuo indulge, quia peccator sum et indignus, qui præsumo ad sanctum altare tuum accedere, et invocare te, qui peccavi coram te, et coram angelis tuis; sed tribue **249** indulgentiam delictorum meorum, et confirma me in sancta Ecclesia tua, in fide orthodoxorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis.

(1007) *Item Oratio interim dum* Gloria in excelsis Deo *cantatur.* — Domine Jesu Christe, Redemptor mundi, propitius esto mihi peccatori, omnibus modis in peccato jacenti, quia tu solus Domine Deus noster immortalis es et sine peccato; indulge mihi miserrimo præsumenti accedere ad sanctum altare tuum et invocare te, quia peccavi ab infantia mea usque nunc coram te, et coram omnibus sanctis tuis; sed per illorum intercessionem tribue mihi divina

clementia veniam peccatorum meorum, et doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ. Qui vivis et regnas.

(1008) *Post collectam usque ad Evangelium prout sibi videatur, dicit has Orationes :*

Deus, qui de indignis dignos facis, de peccatoribus justos, de immundis mundos, munda corpus meum, et cor meum ab omni contagione et sorde peccati, et fac me dignum sanctis altaribus tuis ministrum, et concede propitius, ut in hoc altari, ad quod indignus accedo, Hostias placabiles offeram pietati tuæ pro peccatis et offensionibus meis, et innumeris quotidianisque excessibus, et grege mihi commisso, et famulo tuo N. conjugeque, ac populo sibi subjecto, et omnibus circumastantibus, omnibusque mihi familiaritate conjunctis, atque omnibus me odio exsecrabili insectantibus, et Ecclesiæ tuæ commissæ adversantibus, cunctis fidelibus simul Christianis. Et per eum sit tibi meum votum, atque sacrificium acceptabile, qui se tibi Deo Patri obtulit in sacrificium Jesus Christus Dominus noster.

Ignosce, Domine, quod te rogare compellor, dum per immunda labia mea nomen sanctum tuum assumo, ut eum pudendorum actuum meorum secreta confiteor, non habeo apud te verba sine crimine. Tu enim conscientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta nosti, et immunditiam meam tu solus agnoscis. Miserere mihi, Domine, miserere mihi; ignosce mysterii tui secreta tractanti, nec indignum misericordia tua judices quem pro aliis rogare permittis; et in quo testimonium boni operis non agnoscis, officium saltem dispensationis creditæ non recuses, Salvator mundi. Qui vivis.

Cum (1009) *incensum, antequam legatur Evangelium, mittit in thuribulum, dicat :*

Odore cœlestis inspirationis suæ accendat, et impleat Dominus corda nostra ad audienda et implenda Evangelii sui præcepta. Qui vivit.

(1010) *Deinde inclinanti diacono dicat sacerdos :*

Dominus in corde tuo, et in labiis tuis, ut annunties competenter Evangelium pacis.

(1011) *Perlecto autem Evangelio, afferatur ad salutandum episcopo, et dicat :*

Per istos sermones sancti Evangelii Filii tui Domini nostri Jesu Christi indulgeat Dominus peccata nostra.

Cum (1012) *autem ornatum fuerit altare, antequam suscipiat præsul oblationes presbyterorum, et diaconorum, dum canuntur Offertoria, ascendat ad altare, et humillime dicat hanc Orationem :*

250 Ante oculos tuos, Domine, reus, conscientiæ testis assisto. Rogare non audeo quod impetrare non mereor. Tu enim scis, Domine, quæ aguntur in nobis. Erubescimus confiteri quod non timemus admittere. Verbis tibi tantum obsequimur, corde mentimur; et quod velle nos dicimus, nolle nostris actibus approbamus. Sed parce, Domine confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus. Et quia meus sensus in sacramentis tuis infirmus est, et apud te peccatores non habent verba sine crimine, præsta, Domine, ut si ex nobis indignis et peccatoribus duri cordis verba non suscipis, per temetipsum nobis veniam largiaris. Qui vivis et regnas Deus et semper et in æterna sæcula sæculorum.

Tunc (1013) *convertat se ad suscipiendas oblationes offerentium presbyterorum vel diaconorum,* (1014) *et dicat unusquisque hanc Orationem :*

Tibi Domino Deo Creatori meo hostiam offero pro remissione omnium peccatorum, et cunctorum fidelium tuorum.

Cum diaconus libamen calicis accipit, dicat :

Acceptum sit omnipotenti Deo sacrificium istud.

Tunc redeat sacerdos ad altare; et coram altari, antequam Secretam dicat, (1015) *accuset se prius flebiliter, et dicat hanc Orationem :*

(1016) Ante conspectum divinæ Majestatis tuæ reus assisto, qui invocare nomen sanctum tuum præsumo. Miserere mihi, Domine, homini peccatori; ignosce indigno sacerdoti, per cujus manus hæc oblatio videtur offerri, parce labe peccatorum præ cæteris capitalium polluto. Et ne intres in judicium cum servo tuo scilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravato. Recordare, Domine, quod caro sum. In tuo conspectu etiam cœli non sunt mundi, quanto magis nos homines mortales. Indignus sum ut sim vivens. Tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi veniam in carne constituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna perfruar in cœlis per te, Jesu Christe.

(1017) *Tunc puro corde offerat Domino oblatas altari superpositas, dicens :*

(1018) Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, et nostræ congregationis salute, et pro omni populo Christiano, et pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, et pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes; et qui nostri memoriam in suis orationibus habent, ut hic veniam recipiamus peccatorum, ut in futuro præmia consequi mereamur æterna. Amen.

(1019) Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam offero inprimis, ut justum est, in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque Domini nostri Jesu Christi, et in honorem omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, et quorum nomina et reliquiæ hic continentur, et eorum quorum festivitas celebratur in terris, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, ut illi omnes intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

(1020) Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro (1021) anima famuli tui, quatenus te donante, percepta venia peccatorum, vitæ quoque sempiternæ immensa gaudia percipere mereatur.

251 (1022) Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem quam tibi offero pro animabus famulorum tuorum, et famularum, ut, per hoc salutare sacrificium purgatæ, sanctorum tuorum consortio mereantur (1023) adjungi.

(1024) *Tunc diaconus calicem offerat sacerdoti super altare, et dicat :*

Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. Sit Dominus adjutor tuus, mundum te faciat ; dum oraveris ad eum, exaudiat te.

Et (1025) *episcopus calicem offerens Domino dicat :*

(1026) Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ de latere tuo sanguinem et aquam, unde tibi Ecclesiam consecrares, manare voluisti, suscipe hoc sacrificium altari tuo superpositum, et concede, clementissime, ut pro redemptione, nostra et etiam pro totius mundi in conspectu divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis tuæ ascendat, Jesu Christe.

Ad (1027) *miscendum vinum cum aqua.*

Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti, da nobis, quæsumus, per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ (1028) dignatus es fieri particeps, Jesu Christe.

(1029) *Tunc elevata manu benedicat utrumque.*

In nomine Domini nostri Jesu Christi sit sacrificium istud immaculatum, et a te Deo vivo et vero adunatum et benedictum.

(1030) *Postea incensum accipiens ponat in thuribulum, dicens :*

Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud Dominus dignetur benedicere, et in odorem suavitatis accipere.

(1031) *Tunc ponat incensum super sacrificium, et in circuitu altaris dicat :*

Incensum istud a te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.

(1032) *Quando odor ejusdem incensi episcopo vel cæteris porrigitur, unusquisque dicat :*

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis.

(1033) *Tunc sacerdos humillime convertat se ad circumstantes, et dicat :*

Orate pro me misero peccatore ad Dominum nostrum Jesum Christum, ut meum sacrificium ac vestrum sit acceptabile in conspectu divinæ pietatis.

(1034) *Tunc dicatur a singulis :*

Orent pro te omnes sancti Dei. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. Exaudiat te Dominus pro nobis orantem. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua.

(1035) *Postquam sacerdos* Te igitur *incipit, diaconi et subdiaconi cantent istos Psalmos :*

Exaudiat te Dominus; Ad te, Domine, levavi; Miserere mei, Deus; Qui habitat, *cum precibus :* Salvum fac servum tuum; Desiderium cordis; Vitam petiit a te; Oculi Domini super justos; Fiat misericordia; Domine, exaudi orationem.

252 *Oratio pro sacerdote.* — Gaudeat, Domine Deus, famulus tuus beneficiis impetratis; et cui fiduciam sperandæ pietatis tribuisti, optatæ misericordiæ præsta benignus effectum.

Item pro omnibus Oratio. — Precibus nostris, quæsumus, Domine, aures tuæ pietatis accommoda, et orationes supplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi, ut te largiente ad veniam perveniamus æternam.

(1036) *Expleta Secreta, et* (1037) *Oratione Dominica, cum dixerit* Pax Domini sit semper vobiscum, *misceatur corpus Domini cum sanguine.*

Hæc sancta commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat omnibus nobis mentis et corporis ad æternam vitam capessendam præparatio salutaris. Per.

(1038) *Postquam autem benedictio episcopalis expleta est, accipiens partem quam antea effregit, tenensque super calicem, frangat et dicat :*

Sancti sanguinis commistio cum sancto corpore Domini nostri Jesu Christi, prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam.

(1039) *Quando corpus Domini in manus accipit dicat :* Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Ad sumendum corpus dominicum.

(1040) Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed per tuam pietatem prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis. Qui vivis.

(1041) *Quando calicem accipit, dicat :*

Quid retribuam Domino, etc., *ut in Miss. Rom. Post sumptum, secrete.*

Communicatio et confirmatio sancti sanguinis tui, Domine Jesu Christe, prosit mihi in remissionem omnium peccatorum, et conservet me in vitam æternam.

(1042) Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris (1043) cooperante [*Lege* Spiritu sancto] sanctorum per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus et sanguinem tuum, quatenus non sit mihi ad judicium, neque ad condemnationem, sed ad remedium proficiat animæ meæ; et a cunctis iniquitatibus meis libera me, Deus, et fac me tuis obedire mandatis, et a te, et a sanctis tuis nunquam in perpetuum separari. Qui vivis.

(1044) Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ita sumere, ut merear per hoc remissionem peccatorum accipere, et tuo sancto Spiritu repleri, quia tu es, et præter te non est alius, cujus gloriosum nomen permanet in sæcula sæculorum. Amen.

(1045) *Deinde cum cœperit communicare clerum sive populum, dicat singulis :*

(1046) Perceptio corporis Domini nostri sit tibi vita et salus, et redemptio omnium tuorum peccatorum.

Oratio sancti Gregorii papæ. — Corpus Domini nostri Jesu Christi prosit mihi in remissionem omnium peccatorum ad vitam æternam.

(1047) *Finita Missa, postquam diaconus dicit:* **253** Ite Missa est, *veniat sacerdos ante altare, et osculato dicat:*

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, et præsta ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, sit tibi placens, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli sit, te miserante, propitiabile. Qui vivis.

(1048) *Alia Oratio.* — Meritis et intercessionibus omnium sanctorum suorum misereatur nobis omnipotens Dominus.

(1049) *Expletis omnibus, episcopus rediens ad sacrarium* **254** *cum diaconibus et cæteris cantet hymnum trium puerorum,* et Laudate Dominum in sanctis ejus. (1050) *Postea preces:* Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, et sancti tui; Exsultabunt justi; Exsultent justi; Non nobis, Domine, non nobis; Sacerdotes induam; Ne intres in; Domine Deus virtutum; Benedicat nos Deus, Deus; Domine exaudi; (1051) *Deinde Oratio.* Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per interventum eorum, et omnium sanctorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per.

RITUS ANTIQUUS CELEBRANDÆ MISSÆ.

Ex antiquo Codice manuscripto prioratus Salicosani (*Vulgo Sausense*) apud Velocasses, ordinis sancti Augustini Canonicorum, non longe a Vernone. Cujus Codicis initium est:

253 *Domino vere sancto et meritis honorando* (1052) *Maurilio, venerabili sanctæ Rothomagensis Ecclesiæ archiepiscopo,* (1053) *Joannes Abrincacensis, omnium episcoporum meritis infimus, corpore et spiritu totius obedientiæ munus, etc.*

Missa diei hoc ordine celebretur. In primis in ferialibus diebus duæ campanæ pulsentur, in festis omnes. Ad Gloria Patri, *choro Introitum a beato Cælestino institutum canente, sacerdos* (1054) *in vestiario cæterique ministri sanctis vestibus juxta ordinem induantur, scilicet alba, stola, et dalmatica diaconus; alba, et tunica, et manipulo subdiaconus; reliqui tantum albis, scilicet duo acolythi, unus qui cantet Graduale, et deferat candelabrum, alter qui* Alleluia, *et ferat thuribulum. Psalmo dicto, incipiente choro* Gloria Patri, *sacerdos cæterique ministri sic ad altare procedent. Diaconus præcedat presbyterum, subdiaconus præcedens diaconum ferat Evangelium, ceroferarius cum cereo præcedat subdiaconum, portitor thuribuli ceroferarium. Dum ergo ante altare venerint, subdiaconus Evangelium ponat super dextrum cornu altaris, ubi usque ad Evangelium manebit. Per altare Jerusalem designatur, in qua ab initio adventus Domini evangelica doctrina retonuit, et inde usque ad publicum exivit, ut scriptum est:* De Sion exibit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. *Postea subdiaconus ad sinistram sacerdotis transeat, diaconus ad dextram; ubi, confessione invicem facta,* (1055) *diaconum et subdiaconum osculetur sacerdos. Primum enim Christus pacem apostolis dedit, per eos orbi transmisit. Post quæ sacerdos cæterique ministri retro coram altari breviter orent, stantes ordine suo; deinde primum ab oratione* (1056) *surgens inclinanti sibi inclinet diacono, diaconus inclinanti subdiacono, subdiaconus inclinanti sibi choro. Diaconus vero post inclinationem utraque altaris cornua deosculans* (1057) *sacerdoti* **254** *medium altaris osculanti Evangelium osculandum offerat. Evangelio enim Christus prævaricationis chirographum delens, pacem mundo dedit, cujus præconibus utrumque populum, Judaicum quippe et gentilem, sibi reconciliavit. Quod altare sacerdos osculatur, significat gentem Judæam in Jerusalem morantem, quam Christus sibi reconciliavit; per Evangelium, gentilem populum. Dehinc pergit sacerdos ad dextrum cornu altaris; dexteram enim Christus semper egit vitam, dextra enim vita acquiritur cœlestis gloria. Diaconus post eum eamdem imitando vitam consistat, quousque ei sedere innuat.* (1058) *Sessio episcopi juxta decreta Urbani papæ et Carthaginense concilium cæteris celsior debet fieri, in qua cathedra pontificalis honorifice constituatur, etc.* (1059) *Ceroferarii vero usque ad* Kyrie eleison *ab Austro ad Aquilonem candelabra teneant, quo incepto ibidem dimittant. Per Austrum, qui est ventus calidus, Spiritus sancti fervor designatur, qui veri Solis ortu ab Oriente ad Occidentem mundum illuminando diffunditur. Unus vero tertius in medio ponatur, per quem ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine Domini, Dominum adesse designatur. Per hoc quod, incepto* Kyrie, *cerei deponuntur, nos dum Dominum exoramus, contrito corde humiliari oportere demonstratur. Salutante presbytero populum, iterum ibidem teneant. Oratione finita ab Oriente ad Occidentem collocent. Duobus enim Testamentis illuminantur quatuor partes mundi. Septem candelabra in festis significant septem dona Spiritus sancti. Incipiente subdiacono Epistolam, sacerdos juxta altare sedeat, et diacono in loco suo sedere innuat; subdiaconus vero, excepto tempore ministrationis suæ, in choro maneat. Propinquante Evangelii termino sacerdos thymiama in thuribulo ponat, quo incensato altari ante Evangelium deferatur. Per thuribulum, quod fragrantiam odoris emittit, fama bonorum operum quæ Christi doctrinam præcessit. Diaconus, benedictione a sacerdote accepta, ab altari Evangelium accipiens super sinistrum armum imponat.* **255** *Per sinistrum enim armum vita temporalis designatur, in qua oportet Evangelium prædicari. Et subdiaconus ante eum pulvinar deferat. Per pulvinar quod præcedit lex figuratur quæ Evangelium præcessit; per plumas quæ intus occultantur, mysteria quæ in lege continebantur; per levitatem plumæ præcepta veteris legis levia ad comparationem novæ; in illa enim dicitur: Non occides; in nova vero: Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* (1060) *Sicque præcedentibus ceroferario thuribulique latore, cum processione ad pulpitum pergat, et supposito Evangelio ac incensato, versus ad Aquilonem, Evangelium legat; per Aquilonem enim infidelitas gentium designatur, quibus Evangelium ab apostolis igne Spiritus sancti accensis prædicatur. Quo lecto candelabra exstinguantur. Immolatione enim veri Agni typici cessavit immolatio, et cætera mysteria quæ in lege continebantur et prophetis*

per candelabra designatis. Incensum sacerdoti in thuribulo offeratur, et Evangelium primum a subdiacono sibi porrectum osculetur, quod post a diacono osculetur. Et in festivis diebus a subdiacono omni clero, incenso præcedente, præsentetur. Evangelio lecto populus a sacerdote salutetur : (1061) Offerenda incipiatur, quam finitam Versus (1062) sequatur. Interim vero panis et vini oblatio a subdiacono diacono, a diacono offeratur presbytero. Cantor aquam linteo coopertam in festis diacono deferat, quam diaconus vino misceat. Dulci enim cantoris modulatione populus pia devotione et divino amore accenditur, et sic ad Dominum currit, et unum corpus in Christo efficitur. Per vinum Christus, per aquam populus, per linteam coopertaram aquæ labor modulationis cantoris, quo liberatur populus a cogitationum pravitate; lino enim labor exprimitur.

(1063) Aqua mista vino, populus adunatur Christo. Aliis diebus ministret eam acolythus. (1064) Sacerdos oblationem ita componat, ut in dextera parte Hostiæ calicem constituat; a dextro enim latere Domini sanguis defluxit et aqua. Sicque corporali cooperta incensum desuper offerat, et sic diacono præbeat. Diaconus vero in circuitu altaris deferat, postea sacerdoti, deinde ministro reddat, ut clero populoque deferat. Præterea accipiens patenam de altari, subdiacono porrigat, subdiaconus vero, si fuerit, acolyto. Non licet enim quidquam sacri ab altari auferre alicui nisi diacono vel sacerdoti. (1065) Tunc coram altari oret inclinatus sacerdos solus, postulando ut dignus possit accedere ad altare et insistere cultibus divinis. Cæteri vero ministri stent in oratione in ordine suo. Post quæ versus ad populum orare moneat, conversusque ad altare Secretam Orationem dicat; qua completa, Vere dignum, etc., devota mente dulcique voce proferat, in cujus fine Hymnum Sanctus, Sanctus, Sanctus, a beato Sixto institutum chorus respondeat. Diaconus et ministri ad Te igitur, etc., perseverent retro sacerdotem usque Sed libera nos inclinati. Domino enim patienti mœrore et timore sui compatiebantur apostoli. Per inclinationem diaconorum significatur mœstitia apostolorum; per subdiaconorum, sanctarum mulierum. Subdiaconi vero similiter inclinati sint in aspectu sacerdotis, per quos exprimuntur sanctæ mulieres, quæ, patiente Domino, fugientibus discipulis, licet timore et mœrore percussis, in his quæ de eo fiebant erant intendentes, sed Domino de cruce deposito ac sepulto, inde recesserunt, et aromata sepulturæ **256** paraverunt; ita subdiaconi ab eo loco discedant, et corpori ac sanguini Christi ministrare satagant, offerentes patenam per manum diaconi sacerdoti ad frangendum in ea corpus Domini, etc. Ubi ergo ad hæc verba venerit, scilicet, Per quem hæc omnia, Domine, semper bona, tunc diaconus accedat, et dextera manu dextrum cornu corporalis accipiat, cum sacerdote discooperiat. Sacerdos Per ipsum, etc., dicendo, (1066) oblata quatuor partes calicis tangat. Immolatione enim corporis Christi redempta sunt quatuor climata mundi. (1067) Item Oratione finita (1068) uterque calicem levent, et simul ponant, et cooperiant. Inde altare diaconus osculetur, deinde dextram sacerdotis scapulam. Per scapulam sacerdotis lapis designatur, in quo angelus ad sepulcrum resedit. Semper enim angelus credendus est adesse immolationi corporis Christi. Per (1069) diaconum Joseph exprimitur, per sacerdotem Nicodemus, per elevationem de altari Hostiæ depositio Christi de cruce, per depositionem iterum in altari sepultura Christi. Post quæ sacerdos Orationem Dominicam alta voce proferat. Per exaltationem Dominicæ Orationis demonstratur nostræ unitas fraternitatis. Deus enim Pater noster, pacis et concordiæ Magister, sic nos unum pro omnibus orare docuit, quomodo in uno omnes portavit. Clero Sed libera nos a malo respondente, (1070) officium consecrationis perficiat. Sed libera dicto, diaconus et subdiaconus se erigant, et oculos in Dominici corporis consecrationem intendant. Ait enim evangelista quia noti ejus a longe stabant, sua pectora percutientes. Ubi ergo ad locum Da propitius pacem venerit, (1071) qui mantili indutus tenuerat [Forte leg. patenam] subdiacono, subdiaconus diacono, diaconus sacerdoti offerat, in qua sacerdos corpus Domini tripliciter dividat : quarum partium unam sacerdos calici immittens, Pax Domini alta voce dicendo, protinus subdat secreto : (1072) Fiat commistio simul corporis et sanguinis Domini nobis accipientibus in vitam æternam. Alia se, diaconum subdiaconumque communicet. Tertiam (1073) viaticum, si opus fuerit, in patena usque ad finem Missæ reservet. Per particulam oblatæ immissæ in calicem ostenditur corpus Christi quod resurrexit a mortuis; per comestam a sacerdote vel populo vivificantem eos in Deo, Christi cum discipulis suis post Resurrectionem conversatio. Tertiam, quæ remanet in altari vocat sancta Ecclesia viaticum morientis, ut ostendatur non eos debere deputari morientes, sed dormientes, qui in Christo moriuntur, dum tali tantoque ductore ad æternam vitam perducuntur. Si autem opus non fuerit, tertiam sacerdos aut unus ministrorum accipiat. Non autem intincto pane, sed, (1074) juxta definitionem Toletani concilii, seorsum corpore, seorsum sanguine, sacerdos communicet, (1075) excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis permittitur communicare. Dum ergo sacerdos ministris communionem porrigit, unumquemque primitus osculetur, et post qui communicandus est manu sacerdotis osculata, communionem ab eo accipiat.

(1076) Postremo vero particulam quæ in calice remansit sacerdos sumat, et post diacono calicem ad mundandum et sumendum quod remansit porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patena deferat, ubi partem sibi accipiat, et partem subdiacono tribuat. Post mundato utroque utrique **257** participent. Acolythus vero alterum calicem sacerdoti ad mundandos digitos deferat. Subdiaconus autem ad mundandum calicem et patenam diacono serviat. Post mundationem patenæ et calicis acolytus utrumque mantili involutum teneat usque ad completionem primæ Postcommunionis, suaque cæteri ministri officia. Sacerdos, ut supra diximus, partito corpore Domini, Pax Domini alta voce proferat, a quo unus canonicorum pacem accipiat, quam

in utroque choro majoribus distribuat. Ipsi autem cæteris ita porrigant, ut nullus de loco moveatur, sed a superiori **258** *accipiat, et inferiori tribuat. Unus minorum utriusque chori a majoribus accipiat, et juxta præscriptum ordinem cæteris distribuat. Hoc autem firmiter teneant juxta Apostolum, honore invicem prævenientes, ut dantes pacem et recipientes semper inclinent. Per osculum pacis designatur nostræ utilitas fidei. Chorus vero psallat* Agnus Dei, *quod Sergius papa tempore confractionis corporis Domini cantare præcepit, cujus Agni immolatio mundum redemit. Quo incepto candelabra illuminentur :* Agni passione illuminatus est mundus, *etc.*

RITUS OLIM OBSERVATUS [a] IN UNCTIONE REGUM FRANCORUM.

Ex Codice Ratoldi abbatis.

257 *Incipit percunctatio sive electio episcoporum ac clericorum, necnon populorum* (1077) *ad regem consecrandum sive ad benedicendum.*

Admonitio episcoporum vel clericorum seu populorum ad regem dicenda ita legatur ab uno episcopo coram omnibus :

(1078) A vobis perdonari petimus ut unicuique de nobis et Ecclesiis nobis commissis canonicum privilegium ac debitam legem atque justitiam conservetis, et defensionem exhibeatis, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et Ecclesiæ sibi commissæ (1079) per rectum exhibere debet.

(1080) *Responsio regis.* —Promitto vobis et perdono quia unicuique de vobis et Ecclesiis vobis commissis canonicum privilegium et debitam legem atque justitiam servabo, et defensionem, quantum potuero, adjuvante Domino, exhibebo, sicut rex in suo regno unicuique episcopo et Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

(1081) *Deinde alloquantur duo episcopi populum in ecclesia inquirentes eorum voluntatem, et si concordes fuerint,* (1082) *agant Deo gratias omnipotenti* (1083) *decantantes* Te Deum laudamus. *Et duo episcopi accipiant eum per manus, et deducant ante altare, et prosternet se usque ad finem* Te Deum laudamus.

(1084) *Invocatio super regem.* — Te invocamus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut hunc famulum tuum N., quem tuæ divinæ dispensationis providentia in primordio plasmatum usque ad hunc præsentem diem juvenili flore lætantem crescere concessisti, eum tuæ pietatis dono ditatum plenumque gratia veritatis de die in diem coram Deo et hominibus ad meliora semper proficere facias, (1085) ut summi regiminis solium gratiæ supernæ largitate gaudens suscipiat, et, misericordiæ tuo muro ab hostium adversitate undique munitus, plebem sibi commissam cum pace propitiationis et virtute victoriæ feliciter regere mereatur. Per Dominum.

258 *Item oratio.* — (1086) Deus, qui populis tuis virtute consulis, et amore dominaris, da huic famulo tuo Spiritum sapientiæ cum regimine disciplinæ, ut tibi toto corde devotus in regni regimine maneat semper idoneus, tuoque munere (1087) ipsius temporibus securitas Ecclesiæ dirigatur, et in tranquillitate devotio Christiana permaneat, ut in bonis operibus perseverans ad æternum regnum te duce valeat pervenire. Per.

Alia. — In diebus ejus oriatur omnibus æquitas et justitia, amicis adjutorium, inimicis obstaculum, humilibus solatium, elatis correctio, divitibus doctrina, pauperibus pietas, peregrinis pacificatio, propriis in patria pax et securitas, unicuique secundum suam mensuram moderate gubernans, (1088) seipsum sedulus discat, ut, tua irrigatus compunctione, toti populo tibi placita præbere vitæ possit exempla, et, per viam veritatis cum grege gradiens sibi subdito, opes frugales abundanter acquirat simul ad salutem non solum corporum, sed etiam cordium a te concessam cuncta accipiat. Sicque, in te cogitatum animi consiliumque omne componens, plebis gubernacula cum pace simul et sapientia semper invenire videatur; teque auxiliante præsentis vitæ prolixitatem percipiat, et per tempora bona usque ad summam senectutem perveniat, hujusque fragilitatis finem perfectum ab omnibus vitiorum vinculis tuæ pietatis largitate liberatus, et infinitæ prosperitatis præmia perpetua angelorumque æterna commercia consequatur. Per.

(1089) *Consecratio regis.* — Omnipotens sempiterne Deus, Creator et gubernator cœli et terræ, conditor et dispositor angelorum et hominum, Rex regum et Dominus dominorum, qui Abraham fidelem famulum tuum de hostibus triumphare fecisti, Moysi et Josue populo tuo prælatis multiplicem victoriam tribuisti, humilem quoque David puerum tuum regni fastigio **259** sublimasti, eumque de ore leonis, et de manu bestiæ atque Goliæ, sed et de gladio maligno Saul et omnium inimicorum ejus liberasti, et Salomonem sapientiæ pacisque ineffabili munere ditasti, respice propitius ad preces nostræ humilitatis, et super hunc famulum tuum, quem supplici devotione in (1090) regnum N. Albionis totius videlicet Francorum pariter eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ semper ubique circumda; quatenus, prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moysi mansuetudine fretus, Josue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis sapientia decoratus, tibi in omnibus complaceat, et per tramitem justitiæ inoffenso gressu semper incedat, et totius Albionis Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat, et instruat, contraque omnes visibiles et invisibiles hostes idem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine administret, (1091) ut regale solium videlicet

[a] In primo Theod. sunt *Orationes ad benedicendum regem.* At cum nostris nullo pacto conveniunt. In his hæc notatu digna quæ inscribitur : *Oratio qua benedixit domnus apostolicus Joannes* (octavus) *Ludovicum* (cognomento Balbum) *Junioris Caroli imperatoris filium, Trecas civitatis.* Spiritum sanctificationis, Quæsumus, Domine, Lud. regi nostro prop. infunde, etc.

Francorum sceptra non deserat, sed ad pristinæ fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut, utrorumque horum populorum debita subjectione fultus, condigno amore glorificatus, per longum vitæ spatium paternæ apicem gloriæ tua miseratione unatim stabilire et gubernare mereatur; tuæ quoque protectionis galea munitus, et scuto insuperabili jugiter protectus, armisque cœlestibus circumdatus, obtabilis victoriæ triumphum de hostibus feliciter capiat, terroremque suæ potentiæ infidelibus inferat, et pacem tibi militantibus lætanter reportet; virtutibus necnon quibus præfatos fideles tuos decorasti multiplici honoris benedictione condecora, et in regimine regni sublimiter colloca, et oleo gratiæ Spiritus sancti perunge. *Hic* (1092) *ungatur oleo. Ant.* Unxerunt Salomonem Sadoc sacerdos, et Nathan propheta regem in Gion, et accedentes læti dixerunt: Vivat rex in æternum! Unde unxisti sacerdotes, reges et prophetas, ac martyres, qui per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, atque ademptí [*Leg.* adepti] sunt promissiones. (1093) Cujus sacratissima unctio super caput ejus defluat, atque ad interiora descendat, et cordis illius intima penetret, et promissionibus, quas adepti sunt victoriosissimi reges, gratia tua, dignus efficiatur; quatenus, et in præsenti sæculo feliciter regnet, et ad eorum consortium in cœlesti regno perveniat per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui unctus est oleo lætitiæ præ consortibus suis, et virtute crucis potestates aereas debellavit, tartara destruxit, regnumque diaboli superavit, et ad cœlos victor ascendit; in cujus manu victoria, omnis gloria, et potestas consistunt, et tecum vivit et regnat Deus in unitate ejusdem Spiritus. Per.

Alia. — (1094) Deus electorum fortitudo et humilium celsitudo, qui in primordio per effusionem diluvii crimina mundi castigare voluisti, et per columbam ramum olivæ portantem pacem terris redditam demonstrasti, iterumque Aaron famulum tuum per unctionem olei sanxisti, et postea per hujus unguenti infusionem ad regendum populum Israeliticum sacerdotes, reges et prophetas perfecisti, vultumque Ecclesiæ in oleo exhilarandum per propheticam famuli tui vocem David esse prædixisti, ita, quæsumus, omnipotens Pater, per hujus creaturæ pinguedinem, hunc servum tuum sanctificare **260** tua benedictione digneris, (1095) eumque in similitudine columbæ pacem simplicitatis populo sibi commisso præstare, et exempla Aaron in Dei servitio diligenter imitari, regnique fastigia in consiliis scientiæ et æquitate judicii semper assequi, vultumque hilaritatis per hanc olei unctionem, (1096) te adjuvante, totius plebis paratum habere facias.

Alia. — Deus (1097) Dei Filius Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exsultationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri unguinis infusionem Spiritus paracliti super caput tuum infundat benedictionem, eamdemque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibilia percipere, et temporalia regna [*Leg.* temp. regno, *ut in coronatione Henr. IV*] justis moderaminibus exsecuto, æternaliter cum eo regnare merearis. Per.

Hic (1098) *detur annulus.* — (1099) Accipe annulum, signaculum videlicet sanctæ fidei, soliditatem regni, augmentum potentiæ per quæ [*Leg.* quem, *ut in coronatione Henr. IV*] scias triumphali potentia hostes repellere, hæreses destruere, subditos coadunare, et catholicæ fidei (1100) perseverabilitati connecti. Per.

(1101) *Oratio post annulum datum.* — Deus, cujus est omnis potestas et dignitas, da famulo tuo pro Spiritu suæ dignitatis effectum, in qua, te remunerante, permaneat, semperque timeat, tibique jugiter placere contendat. Per.

Hic (1102) *cingatur ei gladius ab archiepiscopo.* — (1103) Accipe hunc gladium cum Dei benedictione tibi collatum, in quo per virtutem Spiritus sancti resistere et ejicere omnes inimicos tuos valeas, et cunctos sanctæ Dei Ecclesiæ adversarios, regnumque tibi commissum tutari, atque protegere castra Dei per auxilium invictissimi triumphatoris Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre in unitate Spiritus sancti vivit et regnat in sæcula sæculorum.

(1104) *Oratio post gladium.* — Deus, qui providentia tua cœlestia simul et terrena moderaris, propitiare (1105) Christianissimo regi nostro, ut omnis hostium suorum fortitudo virtute gladii spiritalis frangatur, ac te pro illo pugnante penitus conteratur. Per.

Hic (1106) *coronetur.* — (1107) Coronet te Deus corona gloriæ, atque justitiæ honore, et opere fortitudinis, ut per officium nostræ benedictionis cum fide recta, et multiplici bonorum operum fructu, ad coronam pervenias regni perpetui, ipso largiente, cujus regnum permanet in sæcula sæculorum.

Oratio post coronam. — Deus perpetuitatis dux virtutum, cunctorum hostium victor, benedic hunc famulum tuum tibi caput suum inclinantem, et prolixa sanitate, et prospera felicitate eum conserva, et ubicunque pro quibus auxilium tuum invocaverit, cito adsis, et protegas, atque defendas. Tribue ei, quæsumus, Domine, divitias gratiæ tuæ. Comple in bonis desiderium ejus; corona eum in miseratione, et misericordia, tibique Domino pia devotione famuletur. Per Dominum nostrum.

261 *Hic detur sceptrum.* (1108) — Accipe sceptrum, regiæ majestatis insigne, virgam scilicet rectam regni, virgam virtutis, qua te ipsum bene geras, sanctam Ecclesiam populumque Christianum tibi a Deo commissum regia virtute ab improbis defendas, pravos corrigas, rectos pacifices, et ut viam rectam tenere possint tuo juvamine dirigas; quatenus de temporali regno ad æternum regnum pervenias, ipso adjuvante, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum.

Oratio post sceptrum. — Omnium, Domine, fons bonorum, cunctorumque Deus institutor profectuum,

tribue, quæsumus, famulo tuo *Ill.* adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitutum honorem dignare corroborare. Honorifica eum præ cunctis regibus terræ, uberi eum benedictione locupleta, et in solio regni firma stabilitate consolida; visita eum in sobole, præsta ei prolixitatem vitæ, in diebus ejus semper oriatur justitia; ut cum jucunditate et lætitia æterno glorietur in regno. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Tunc datur ei virga. — (1109) Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, et terrere reprobos. Erranti viam doce, lapsisque manum porrige, disperdasque superbos, et releves humiles; et apperiat tibi ostium Jesus Christus Dominus noster, qui de seipso ait: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur.* Et ipse, qui est clavis David, et sceptrum domus Israel, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit, sit tibi adjutor, qui educit vinctum de domo carceris sedentem in tenebris et umbra mortis, ut in omnibus sequi merearis eum, de quo propheta David cecinit: *Sedes tua Deus, sæculum sæculi, virga æquitatis, virga regni tui;* et imitando ipsum, qui dicit: *Diligas justitiam, et odio habeas iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ;* ad exemplum illius quem ante sæcula unxerat præ participibus suis, Jesum Christum Dominum nostrum.

Tunc dicatur Benedictio. — (1110) Extendat omnipotens Deus dexteram suæ benedictionis, et effundat super te donum suæ protectionis, et circumdet te muro felicitatis, ac custodia suæ propitiationis, sanctæ Mariæ, (1111) ac beati Petri apostolorum principis, (1112) sanctique Gregorii (1113) Angelorum apostolici, atque omnium sanctorum intercedentibus meritis, indulgeat tibi Dominus omnia mala quæ gessisti. Amen.

Et (1114) tribuat tibi gratiam et misericordiam quam humiliter ab eo deposcis, et liberet te ab adversitatibus cunctis, et ab omnibus visibilium et invisibilium inimicorum insidiis. Amen.

Angelos suos bonos semper et ubique qui te præcedant, comitentur et subsequantur, ad custodiam tui ponat, et a peccato seu gladio, et ab omnium periculorum discrimine sua potentia liberet. Amen.

262 (1115) Inimicos tuos ad pacis charitatisque benignitatem convertat, et bonis omnibus te gratiosum et amabilem faciat; pertinaces quoque in tui insectatione et odio, confusione salutari induat; super te autem sanctificatio sempiterna floreat. Amen.

Victoriosum te atque triumphatorem de invisibilibus atque visibilibus hostibus semper efficiat, et sancti nominis sui timorem et amorem continuo cordi tuo infundat, et in fide recta ac bonis operibus perseverabilem reddat, et pace in diebus tuis concessa, cum palma victoriæ te ad perpetuum regnum perducat. Amen.

Et qui te voluit super populum suum constituere regem, et in præsenti sæculo felicem, æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

Item alia Benedictio. — (1116) Benedic, Domine, (1117) hunc præsulem principem, qui regna omnium regum a sæculo moderaris. Amen.

Et tali eum benedictione glorifica, ut Davitica [*Al.* Davidica] teneat sublimitate sceptrum salutis, et sanctificæ propitiationis munere reperiatur locupletatus. Amen.

Da ei a tuo spiramine regere populum, sicut Salomonem fecisti regnum obtinere pacificum. Amen.

Quod ipse præstare dignetur.

Regis status designatur. — Sta (1118) et retine (1119) amodo quem hucusque paterna (1120) suggestione tenuisti hæreditario jure tibi delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, et per præsentem traditionem nostram, omnium scilicet episcoporum cæterorumque Dei servorum; et quanto clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris quatenus Mediator Dei et hominum te mediatorem cleri et plebis in hoc regni solio confirmet, et in regnum æternum secum regnare faciat Jesus Christus Dominus noster Rex regum, et Dominus dominantium, qui cum Patre et Spiritu sancto.

(1121) Rectitudo regis est noviter ordinati et in solium sublimati hæc tria populo Christiano sibi subdito præcipere, in primis ut Ecclesia Dei et omnis populus Christianus veram pacem † servans in omni tempore. Aliud est ut rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicat. Tertium est, ut in omnibus judiciis æquitatem et misericordiam præcipiat, ut illi et nobis indulgeat sua misericordia clemens et misericors Deus, qui cum Patre.

Et (1122) *tunc deosculetur omnem clerum populumque,* (1123) *et dicat unusquisque:* vivat rex feliciter in sempiternum! *tribus vicibus:* vivat rex! *ut supra. Et post Evangelium* (1124) *offert rex ad manum archiepiscopi oblationem et vinum, et sic peragatur Missa suo ordine. Deinde communicetur ab archiepiscopo corpore et sanguine Christi;* (1125) *et sic referant Deo gratias, post pergant ad mensam.*

(1126) ITEM AD REGINAM BENEDICENDAM.

263 *Debet enim adduci in ecclesiam, et prosterni ante altare. Elevata ab oratione ab episcopis, et inclinato capite, dicat archiepiscopus hanc Orationem:*

(1127) Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et quod humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

(1128) *Tunc debet caput ejus ungi oleo.* — In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti prosit tibi hæc unctio olei in honorem et confirmationem æternam.

Sequitur Oratio post unctionem. — Omnipotens, sempiterne Deus, affluentem Spiritum tuæ benedictionis super famulam tuam nobis orantibus propitiatus infunde, (1129) ut quæ per manus nostræ impositionem hodie regina instituitur, sanctificatione tua digna et electa permaneat, ut nunquam postmodum de tua gratia separetur indigna. Per.

(1130) *Tunc debet ei annulus mitti digito.* — Accipe fidei signaculum sanctæ Trinitatis, quo **264** possis omnes pravitates hæreticas devitare, et (1131) bar-

baras gentes virtute tibi præstita ad agnitionem veritatis advocare.

Sequitur Oratio. — Deus, cujus est omnis potestas et dignitas, da famulæ tuæ *Ill.* signo tuæ fidei prosperum suæ dignitatis effectum, qua tibi semper firma maneat, tibique jugiter placere contendat.

(1132) *Tunc debet imponi corona in capite.*—(1133) Accipe coronam gloriæ, honorem jucunditatis, ut splendida fulgeas, et æterna exsultatione coroneris. Per Dominum.

Item Oratio. — Omnium, Domine fons bonorum, et cunctorum dator provectuum, tribue famulæ tuæ *Ill.* adeptam bene gerere dignitatem, et a te sibi præstitam in ea bonis operibus corrobora gloriam. Per Dominum.

BENEDICTIO NUPTIARUM.

Ex Codice Rhemensi.

263 *Incipit actio* (1134) [a] *nuptialis.* — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et institutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinasti benignus assiste, ut quod, te auctore jungitur, te auxiliante servetur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Item alia. — Quæsumus, omnipotens Deus, instituta providentiæ tuæ pio favore comitare, et quos legitima societate connectis, longæva pace custodi. Per Dominum,

Super oblata. — Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et (1135) hanc oblationem [b] famularum tuarum illarum, quam tibi offerimus pro famula tua illa, quam ad statum maturitatis et ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus assume, ut quod tua dispositione expetitur, tua gratia compleatur. Per Dominum nostrum.

V. D. qui fœdera nuptiarum blando concordiæ jugo et insolubili pacis vinculo nexuisti, ut multiplicandis adoptionum filiis sanctorum connubiorum fecunditas pudica serviret. Tua enim, Domine, providentiæ tuæ gratia ineffabilibus modis **264** utrumque dispensas, ut quod generatio ad mundi edet ornatum, (1136) [c] generatio ad Ecclesiæ perducat augmentum. Per Christum.

Infra actionem. — Hanc igitur oblationem famularum tuarum illarum, quæsumus, Domine, placatus accipias, pro qua majestatem tuam supplices exoramus, ut sicut eam ad ætatem nuptiis congruentem pervenire tribuisti, sic eam consortio maritali tuo munere copulatam desiderata sobole gaudere perficias, (1137) atque [d] oblatam seriem cum suo conjuge provehas benignus annorum. Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem tu Deus.

Infra (1138) [e] *actio. Ad tricesimum vel annualem nuptiarum.* — Hanc igitur oblationem Domine, famulorum tuorum illorum, et illarum, quam tibi offerunt ob diem tricesimum conjunctionis suæ, vel annualem quo die eos jugali vinculo sociare dignatus es, placatus suscipias, deprecamur. Ob hoc igitur reddant tibi vota sua Deo vero, et vivo, pro quibus tremendæ pietati suæ supplices fundimus preces, ut pariter bene ac pacifice senescant, et videant filios filiorum suorum usque ad tertiam et quartam progeniem, et te benedicant omnibus diebus vitæ suæ. **265** Per Christum Dominum nostrum. Quam oblationem.

Percomples canonem plenarium, et (1139) *dicis Orationem Dominicam, et* [f] *sic* (1140) *eam benedicis his verbis :*

Oratio.— (1141) Deus, qui mundi crescentis exordium multiplicata prole benedicis, propitiare supplicationibus nostris, et (1142) super hanc famulam tuam illam opem benedictionis infunde, ut in conjugali consortio, affectu compari, mente, consimili (1143) sanctitatem ut [g] tua [*Leg.* sanctitate mutua] copulentur.

Item Oratio.— Pater mundi conditor, nascentium genitor, multiplicandæ originis (1144) institutor, qui Adæ comitem tuis manibus addidisti, cujus ex ossibus ossa crescentia parem formam admirabili diversitate signarent, hinc ad totius multitudinis incrementum conjugalis tori jussa consortia, totum inter (1145) sæculum colligarent, humani generis fœdera nexuerunt. Sic enim tibi, Domine, placitum fuit, sic enim necessarium fuit ; (1146) ut quia longe est et infirmus, [h] quod homini silem, quam quod tibi Deo feceras, additur fortiore sexus infirmior, ut unum efficeras ex duobus, et pari pignore soboles (1147) mista maneret ; tunc per ordinem flueret egesta posteritas, ut (1148) in prioris ventura sequerentur, nec ullum sibi finem in tam brevi termino, quamvis essent caduca, proponerent. Ad hæc [i] igitur (1149) datæ sint legis instituta ventura. Quapropter hujus [j] familiæ tuæ, Pater, rudimenta sanctifica, ut bono et bene prospero sociata consortio legis æternæ [k] jura custodiat ; memineritque, Domine, **266** non tantum ad licentiam conjugalem, sed ad observantiam fidei (1150) sanctorum pignorum [l] diligata (1151) fidelis et casta, nubat in Christo imitatrixque sanctarum permaneat feminarum. Sit (1152) amabilis ut Rachel viro suo, sapiens ut Rebecca, longæva et fidelis ut

[a] Observatione dignum videtur in vet. Sacram. Gall. occurrere Orationem seu Benedictionem super eos qui secundo nubunt, etsi hujusmodi nuptiæ in Ecclesia benedici non solerent.

[b] Noster Edmundus Martene qui hæc eadem exhibet ex Gelasiano Missali et mss. Codicibus Rhemensi et Gellonensi, lib. I de antiq. Eccl. Ritibus, cap. 9, de Sacram. matrim., art. 5, legit *famulorum*. Alias emendationes ab ipso factas attexemus.

[c] Idem legit *regeneratio*.

[d] Lege *optatam*, ex eodem Martene.

[e] Ibid., *infra actionem*.

[f] Apud eumdem Martene, *et sic cantas Benedictionis Orationem his verbis.*

[g] Ita etiam restituit laudatus scriptor.

[h] Idem *quod homine similem, quam quod tibi feceras, additus fortiore sexus infirmior, ut unum efficeris ex duobus.... et priores ventura sequerentur.* Ubi forte mendo typographico legitur, *similem* pro *simile*, et *efficeris*, pro *efficeres*.

[i] Ibid., *datæ sint legis instituta venturæ*. Potior videtur Menardi restitutio, quam habes in notis.

[j] Melius Martene, *hujus famulæ tuæ*.

[k] Idem, *jussa*.

[l] Ibid., *diligatam, fidelis et casta, etc.*

Sara. (1153) Nihil ex hac (1154) subdolus ille auctor prævaricationis usurpet, nexa fidei (1155) mandatisque permaneat (1156) feminarum, serviens (1157) Deo vero devota (1158) muniat infirmitatem suam robore disciplinæ, uni toro juncta contactus vitæ illicitos fugiat. [a] Sit (1159) verecunda, gravis pudore, venerabilis, doctrinis cœlestibus erudita, (1160) sit fecunda sobolem, sit (1161) probata, et innocens, et ad beatorum requiem usque ad cœlestia regna perveniat.

Post hæc dic Pax vobiscum *et sic eos communica. Deinde posteaquam communicaverint, dicis super eos Benedictionem his verbis :*

Domine sancte, Pater omnipotens, iteratis ritibus te supplices exoramus, pro quibus apud te supplicatus est Christus (1162) [b] conjunctionis famulorum tuorum fovere digneris (1163) benedictiones tuas excipere mereantur, [c] ut filiorum successibus fecundentur, sicut (1164) plurimi omnes confirmare dignare. Avertantur ab eis inimici insidiæ, (1165) omnipotens, ut (1166) sanctitatem Patrem etiam in ipso conjugio imitentur, qui providentia tua, Domine, conjungi meruerunt. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Post Communionem.— Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut [d] quod (1167) non ministrentur officio, tua benedictione potius impleantur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

[a] Mart., *sit verecundia gravis, pudore venerabilis... sit fecunda in sobole.*

[b] Idem. *conjunctiones fam.*

[c] Ibid., *et filiorum successibus fecundentur ; nuptias eorum sicuti primi hominis confirmare dignare.*

Avertantur ab eis inimici omnes insidiæ ut sanctitatem Patrum etiam.

[d] Idem, *ut quod nostro ministratur off. tua bened. potius impleatur.*

NOTÆ ET OBSERVATIONES

IN S. GREGORII MAGNI LIBRUM SACRAMENTORUM,

AUCTORE D. HUGONE MENARDO, MONACHO BENEDICTINO.

273 * 1. *Hic* [a] *liber.* In Excusis legitur *Incipit liber.*

2. *Liber Sacramentorum.* Ita in Codicibus nostris mss. Rodradi, Rhemensi, et Ratoldi abbatis. Ita appellatur in concilio Rhemensi apud Burchardum, lib. III, cap. 97 : *Expleta Missa calix cum patena, et Sacramentorum liber cum vestibus sacerdotalibus, in mundo loco sub sera recondantur.* Idem videre est apud eumdem Burchardum libro decimo nono, capite octavo : *Nunc ergo, o fratres! qui voluerit sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet, ut discat ei quæ necessaria sunt, antequam manus episcopi caput ejus tangat, id est, Psalterium, Lectionarium cum Evangeliis, Sacramentorum librum, Baptisterium, et Computum cum cyclo,* etc. Ubi τὸ Baptisterium est conferendi baptismi ratio. Apud Flodoardum, lib. III Hist. Eccl. Rhem., cap. 9 : *Librum quoque Sacramentorum sub eburneis tabulis argento præsignitis, sed Lectionarium ad Missas librum pari decore venustatum ibidem contulit.* Ita appellat Micrologus, cap. 6, de Observationibus ecclesiasticis : *Fecit autem idem Albinus in sancta Ecclesia non contemnendum opus ; nam Gregorianas Orationes in libris Sacramentorum collegisse asseritur paucis aliis adjectis,* etc. Berno abbas Augiensis, cap. 1 libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus : *Quia sicut papa Gregorius librum Sacramentorum diligentissime ad veritatis limam correxit.* Joannes Diaconus, in Vita sancti Gregorii citata ab eodem Bernone, capite eodem : *Unde et in Vita ipsius legimus : Sed et Gelasianum Codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius libelli volumine coarctavit, quod volumen librum Sacramentorum prætitulavit.* Ita apud Joannem Diaconum. [b] Sed ultimum hujusce loci membrum ex ejus textu a nescio quo avulsum est. Walfridus, libro de Rebus ecclesiasticis, cap. 22 : *Curavit beatus Gregorius rationabilia quæque coadunare, et, seclusis iis quæ vel nimia vel inconcinna videbantur, composuit librum qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo ejus manifestissime declaratur.* Ita etiam appellat Gennadius, quamvis de alio libro loquatur, lib. de Viris illustribus, cap. de Voconio Castellanensi episcopo : *Composuit etiam Sacramentorum volumen,* et cap. de Musæo Massiliensi presbytero : *Composuit Sacramentorum egregium, et non parvum volumen per membra quidem pro opportunitate officiorum et temporum, pro lectionum textu, Psalmorumque serie, sed supplicandi Deo, et contestandi beneficiorum ejus soliditate sui consentaneum.* Ita etiam Missa 274 ab Illyrico edita : *Incipit ordo Sacramentorum.* Quare non assentior iis qui scribunt titulum hujus libri esse τὸ *Sacramentarium,* non vero *liber Sacramentorum.* Cum etiam contrarium pateat ex hoc Sacramentorum libro, in quo manifeste *Sacramentarium* a libro *Sacramentorum* distinguitur. Siquidem ibi, feria 6 majoris hebdomadæ citatur Sacramentarium : *Qui dum veniens de sacrario processit ante altare ad orandum, ordine quo in Sacramentario continetur. Mox ut surrexerit,* etc. Nec obest quod Albinus, Amalarius, et alii nonnulli, hunc librum appellarint Sacramentarium, cum satis ex supradictis constet τὸ *liber Sacramentorum* esse verum ac germanum hujus operis titulum, etsi non diffitear hanc vocem *Sacramentarium,* vel *Sacramentarius,* esse antiquam, siquidem Gennadius in Paulino ea usus est : *Fecit,* inquit, *et Sacramentarium et Hymnarium.* Aptissime autem hoc opus liber Sacramentorum dicitur, quia in eo officia Missarum liturgica recte disposita continentur, quæ sancti Patres olim sacramenta appellarunt, quemadmodum Optatus Milevitanus lib. II contra Parmenianum : *Nam quis dubitet vos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse? offerre vos*

[a] Hic titulus legitur in vetustissimis Sacramentorum libris, præsertim in Harlæano antiquissimo, cujus scripturæ specimen lege apud Mabill., de Re Diplomat., pag. 365.

[b] In Mss. Joannis Diaconi, etiam antiquioribus Bernone, qui floruit ineunte sæculo XI, verba hæc non exstant; neque ulla supersunt abrasionis vestigia.

* Numeri notis præfixi numeris respondent qui parenthesibus inclusi reperiuntur in textu libri Sacramentorum. Eam

diritis pro Ecclesia, *quæ una est*. Et lib. VI : *Inter sacramenta velamen potuit tangi, non lignum*, id est in Missarum celebratione potuit tangi velamen altaris, non ipsum altare, quod lignum appellatur, quia ligneum erat, qua de re infra dicetur. Sanctus Ambrosius, lib. III de Virginibus : *An quid est indignius quam oracula divina circumstrepi, ne audiantur, ne credantur, ne revelentur? circumsonare sacramenta confusis vocibus, ut impediatur oratio pro salute deprompta omnium?* Sanctus Augustinus, epist. 59 (*Nunc* 149), ad Paulinum : *Ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici*. Et lib. de Dono perseverantiæ, cap. 13 : *Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini*.

3. *Ex authentico libro bibliothecæ Cubiculi scriptus.* — In aliis Codicibus nostris mss. hæc verba desiderantur, quæ non parum faciunt ad auctoritatem hujus Codicis. Habentur in Editis, excepto hoc vocabulo, *libro*. Cubiculum est quoddam secretarium, cella, seu domus juxta ecclesiam sancti Petri, in qua excubabant ii qui ad custodiam corporum sanctorum apostolorum cubicularii dicti sunt, in qua etiam erat bibliotheca sacrorum librorum, eorum præsertim qui ad officium ecclesiasticum et divina mysteria peragenda spectant. Quod videre est etiam in basilica Nolæ **275** a sancto Paulino ædificata, ubi a parte sinistra apsidis fecit secretarium libris sacris condendis aptum, quod ipsa inscriptio significat.

> Si quem sancta tenet meditandi in lege voluntas,
> Hic poterit residens sacris intendere libris.

Ut testatur idem sanctus Paulinus, epist. 12.

4. *Missa.* — Antiqui Patres fere utuntur hoc vocabulo in numero plurali; habetur tamen apud sanctum Ambrosium singulare, libro quinto, [a] epist. 35, ad Marcellinam sororem : *Sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones et tractatum dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ, illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, et vela suspenderent, populi partem eo pergere. Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero, raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderunt transeuntes. Amarissime flere et orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret.* Ubi verbum *offero* et nomen *oblatio* aperte indicant Missam hoc loco esse de sacrificio corporis et sanguinis Christi liturgico intelligendam.

5. *Ad Introitum Antiphona, qualis fuerit.* — Ita in [b] Antiphonario Gregoriano ms. bibl. Corbeiensis, atque etiam in Editis. Ita loquuntur Walfridus Strabo, de Rebus eccles., cap. 22, et Micrologus, cap. 1, de Observationibus ecclesiasticis : *Interim cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab Introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere*. Vulgo *Introitus* appellatur, et habetur in Codicibus mss. Rodradi presbyteri, et Ratoldi abbatis, et in Editis; id etiam videre est apud Amalarium, lib. III de Officiis, cap. 5 : *Officium quod vocatur Introitus Missæ, habet initium a prima Antiphona, quæ dicitur Introitus, et finitur in Oratione quæ dicitur a sacerdote ante lectionem*. Nulla hic est mentio Psalmi; sed satis intelligitur, cum fit mentio Antiphonæ quæ ei præmitti solet in Missa. Hic Psalmus olim canebatur integer ; unde in Antiphonariis Gregorianis, et in Missali Romano post Antiphonam ponitur Psalmi principium. Quod si primus Psalmi versiculus est Antiphona, tum illam subsequitur secundus Psalmi versiculus, etsi quidam recentiores novarum Missarum concinnatores hoc præ ignorantia minus observent. Itaque olim a psalmodia Missa ducebat initium, ut modo fit, ut planum est ex sancto Dionysio, cap. 3 Hierarchiæ ecclesiasticæ. Ubi primum pontifex, ducto ab altari suffitionis initio, chori ambitum cum suffitione perlustravit, reversus ad altare ἀπάρχεται τῆς ἱερᾶς ψαλμῶν μελῳδίας, etc., id est, sacram incipit Psalmorum melodiam, omni ordine ecclesiastico sacram ipsi psalmodiam succinente. Cui videtur suffragari sanctus Basilius, lib. de Spiritu Sancto, ad Amphilochium, cap. 27, cum ait quædam præmitti lectioni Apostoli et Evangelii : Οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα ὧν ὁ Ἀπόστολος, ἢ τὸ εὐαγγέλιον ἐπεμνήσθη· ἀλλὰ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλην ἔχοντα πρὸς τὸ μυστήριον τὴν ἰσχύν. Id est, non tantum contenti sumus his quorum meminerunt Apostolus et Evangelium ; sed alia quædam præmittimus et subjungimus, tanquam multum momenti ad hoc mysterium habentia. Alcuinus tamen lib. de Offic. divinis, cap. de Vestimentis, et Amalarius, lib. III de eccl. Officiis, cap. 5, scribunt hoc institutum manasse tantum a Cœlestino papa, qui instituit ut Psalmi CL ante sacrificium canerentur quod antea non fiebat, cum Missa tantum exordium duceret a lectione Apostoli, et Evangelii. Hæc illi et recte. Nam tempore sancti Justini martyris, **276** qui discipulis apostolorum coævus fuit, Missa incipiebat a lectionibus, ut ipse testatur in apologia secunda pro Christianis sub finem : *Et Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit*, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ. Id est, et commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum, quantum hora permittit, leguntur. Deinde, lectore quiescente, etc. Apud sanctum Cyrillum quidem, catech. 5 mystagogica, ubi ordo Missæ recensetur, primo fit mentio lotionis manuum, deinde osculi pacis, quorum rationem mysticam reddit : sed non puto tunc Missam caruisse lectione sacra ; nam idem Cyrillus, catechesi 4, hortatur legendum eas Scripturas duntaxat quæ in Ecclesia leguntur. Si vero nullam fecit mentionem lectionis Scripturarum catech. 5 mystag., in promptu causa est, quia facilis erat ratio cum Scripturæ legerentur in conventu ; aliorum vero mysteriorum non item, quam enucleatius explicat in hac catechesi. Idem initium Missæ a Scripturis diu perseveravit in Ecclesia. Nam vigebat adhuc tempore sancti Ambrosii ut planum est ex epist. 35 lib. V : (*Nunc* 20 *primæ classis*) : *Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ*, etc. Et Carthagine, tempore sancti Augustini usus Psalmorum ante oblationem tantum receptus est, ut patet ex lib. II Retractationum, cap. 11 : *Inter hæc Hilarius quidam vir tribunitius et catholicus, nescio unde adversus Dei ministros, ut fieri assolet, irritatus, morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum, maledica reprehensione lacerabat, asserens fieri non oportere*. Unde postea videmus Psalmorum mentionem fieri in ipsis liturgiis, ut clarum est ex Gennadio in Musæo Massiliensi qui librum Sacramentorum composuit Psalmorum serie et decantatione discretum. Sed hic Psalmorum usus tempore Musæi Massiliensis, et postea ubique in Gallia minime receptus erat. Nam tempore Theodeberti regis Treviris Missæ exordium adhuc a lectionibus ducebatur, ut patet ex sancto Gregorio Turonensi in vitis Patrum, in sancto Nicetio Trevirorum pontifice :

[a] In novissima Ed. est 20 epist. primæ classis.

[b] Sancti Gregorii Antiphonarium mox edituri sumus. Mss. Theoder., præter Collectam, Orationem, Super Oblata, Præfationem, etc., quæ exhibent omnes libri Sacram., assignant singulis in missis Antiphonam, seu Introitum, Psalmum huic Antiphonæ respondentem, Responsorium cum Versu quæ Gradualis nomine modo intelliguntur, Alleluia, Offertorium cum pluribus Versibus, et Communionem cum Psalmo, quæ omnia complectitur Antiphonarius.

Advenit dies Dominicus, et ecce rex, cum his qui ab hoc sacerdote communione abesse jussi fuerant, ecclesiam est ingressus; lectis igitur lectionibus, quas canon sanxit antiquus, oblatis muneribus super altare Dei, ait sacerdos : Non hic hodie Missarum solemnia consummabuntur, nisi communione privati prius abscedant. Quæ cum ita sint, dicendum est priscis illis temporibus non fuisse unum eumdemque usum, sed alios Missæ exordium duxisse a psalmodia, alios vero a lectionibus.

6. *Deinde Kyrie eleison.* Antiqua fuit plane consuetudo Ecclesiæ Romanæ canere *Kyrie eleison* tam in Missis, quam in cæteris divinis officiis, ut planum est ex concilio Vasensi, quod celebratum fuit Decio juniore viro clarissimo consule anno Christi 529, can. 3 : *Et quia tam in sede apostolica quam etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias dulcis et nimium salutaris consuetudo est intromissa ut Kyrie eleison cum grandi affectu et compunctione dicatur, placuit etiam nobis ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo, et ad Matutinos, et ad Missas, et ad Vesperam, Deo propitio, intromittatur.* Ex quo patet immerito a quibusdam Græcis notatum fuisse sanctum Gregorium papam, quasi ut Ecclesiam Constantinopolitanam opprimeret, tum primum instituerit ut in Missa Romana *Kyrie eleison* caneretur, ut ipse testatur [a] lib. VII Regesti, epist. 64, ubi affirmat se nunquam id ab Ecclesia Constantinopolitana emendicasse, **277** alioque ritu hanc supplicationem a Romana Ecclesia cantari : *Kyrie eleison autem* (inquit) *nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem a clericis dicitur, a populo respondetur et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur.* Hæc ille. Quod spectat ad illa verba, *quia in Græcis simul omnes dicunt*, ritus notus est ex liturgiis sancti Marci, sancti Jacobi et similibus, in quibus populus dicit *Kyrie eleison*. In liturgia vero sancti Joan. Chrysostomi, chorus, quæ vox hoc loco sumitur pro universo cœtu seu ecclesiastico seu laico, quemadmodum et vox *populus* sumi debet in citatis liturgiis. Quod attinet ad illa verba *Et totidem vicibus etiam Christe eleison dicitur*, ritus notandus est quo olim toties dicebatur *Christe eleison*, quoties *Kyrie eleison*, qui non est amplius in usu, quia modo in Missa *Christe eleison* ter duntaxat, et *Kyrie eleison* sexies repetitur. Itaque cum in translatione Græca Missæ Gregorianæ circa hanc precationem auctore Georgio Codino servetur modernus usus, signum est ei ad suam versionem antiqua et pura exemplaria defuisse. In tribus vero Codicibus nostris mss. nihil est quod huic loco sancti Gregorii adversetur, cum semel in eis tantum *Kyrie eleison* brevitatis, ut arbitror, causa scriptum sit. Cum autem sanctus Gregorius scribit *Christe eleison* a Græcis non cantari, veritas hujus sententiæ patet ex antiquis Græcorum liturgiis, in quibus τὸ *Christe eleison* non reperitur.

7. *Item Gloria in Excelsis.* Vulgo fertur institutum esse a Telesphoro papa ut hic hymnus angelicus in Missa caneretur. Hanc illi institutionem attribuunt Anastasius Bibliothecarius in ejus Vita; Walfridus Strabo, de Rebus ecclesiasticis, cap. 22; Amalarius Fortunatus, lib. III de Off. eccles., cap. 8; et Alcuinus, de divin. Off., cap. *Quid significent vestimenta*; qui tamen, eodem libro, cap. seq., ait hunc hymnum postea auctum fuisse et consummatum a sancto Hilario Pictaviensi. Quod si ita est, videtur Alcuinus non sibi constare. Sed puto in priori loco locutum esse tantum Alcuinum de verbis hujus hymni quæ exstant in Evangelio. Concilium Toletanum IV can. 12 : *Reliqua quæ ibi sequuntur ecclesiasticos doctores composuisse* scribit. In liturgia sancti Jacobi angelica seu evangelica verba ter dicuntur, quod præbuit ansam quibusdam scribendi hunc hymnum in Missa dici consuevisse ex traditione apostolica, quod tamen non potest evidenter colligi ex eadem liturgia, quia aliud est loqui de ipsis verbis angelicis seu evangelicis præcise, aliud de toto hymno, etsi integer exstet in Constitutionibus apostolicis, lib. VII, cap. 47, nam in ejusmodi Constitutionibus multa postea addita fuisse omnes docti norunt. Olim hic hymnus angelicus in Laudibus matutinis canebatur, ut notavimus ad Concordiam regularum sancti Benedicti abbatis Anianensis.

8. *Si Episcopus fuerit.* Ita in Editis, et in Codicibus Rodradi et Ratoldi; in quibusdam, male, legitur *affuerit*, ut ex sequentibus constat.

9. *A presbyteris autem minime dicitur nisi in solo Pascha.* Idem institutum videre est apud Bernonem Augiensem, cap. 2, de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, etsi adversari videatur : *Cur non liceat omni die Dominico, vel natalitiis sanctorum presbyteris illum hymnum canere quem nato in carne Domino angeli cecinere dicentes; Gloria in excelsis Deo. Quod si concessum est illum canere in Pascha secundum prætitulationem Missalis, non multo minus licitum puto in Nativitate Domini, quando primum cœpit audiri ab hominibus in terris qualiter ab angelis canebatur in cœlis. Proferant contradictores in medium ubinam sit a sanctis Patribus, vel ab ipso sanctissimo papa Gregorio interdictum.* Sed ei sufficere debebat sui Missalis auctoritas instituti olim a sanctis Patribus, et ab ipso **278** sanctissimo Gregorio recogniti, quod etiam videre est in Cod. mss. Rodradi, et Ratoldi. Sed tandem institutio mutata.

10. *Postmodum dicitur oratio.* In hoc sancti Eligii Codice, ut in Codicibus Rodradi et Ratoldi, atque in Editis, et in Ordine Romano, unica habetur Oratio, seu Collecta in prima parte Missæ ante Evangelium, raro duæ. In Codice Rhemensi duas reperire est, raro unicam. Itaque non assentior iis qui asserunt in Ecclesia Romana a temporibus apostolicis usitatam fuisse trium Orationum in hac prima Missæ parte recitationem, exceptis festis duplicibus, totidemque Super oblata, et Postcommunionem. Olim apud Græcos quinque Orationes peragebantur ante pacem datam, quam sequebatur oblatio mysteriorum. Id videre est in concilio Laodiceno, can. 19, quem quia mutile admodum a quodam viro docto citatus est, integrum fere producam, ut palam sit omnis illius doctrina : Περὶ τοῦ δεῖν ἰδίᾳ μετὰ τὰς ὁμιλίας τῶν ἐπισκόπων, καὶ τῶν κατηχουμένων εὐχὴν ἐπιτελεῖσθαι, καὶ μετὰ τὸ ἐξελθεῖν τοὺς κατηχουμένους, τῶν ἐν μετανοίᾳ τὴν εὐχὴν γίνεσθαι, καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, οὕτως τῶν πιστῶν τὰς εὐχὰς γίνεσθαι τρεῖς, μίαν μὲν τὴν πρώτην διὰ σιωπῆς, τὴν δὲ δευτέραν, καὶ τρίτην διὰ προφωνήσεως πληροῦσθαι, εἶθ' οὕτως τὴν εἰρήνην δίδοσθαι. Id est, quod oporteat seorsum primum, post episcoporum sermones catechumenorum Orationem peragi, et post catechumenorum excessum, pœnitentium fieri Orationem; et cum hi sub manum accesserint, et excesserint, tres fidelium preces fieri, unam quidem scilicet primam silentio, secundam autem et tertiam clara voce implebere.

[a] Nunc l. IX, ind. 2, epist. 12. Cæterum hujus epistolæ verba non recte assecutus mihi videtur Menardus. Nemo enim unquam conquestus est Gregorium Constantinop. Ecclesiam voluisse opprimere, illius ritus emendicando, et in Romanam Ecclesiam invehendo, cum id potius Constant. sedi foret perhonorificum. Sed nonnulli mirati sunt Gregorium eo ipso tempore quo CP. patriarchæ profanum œcumenici titulum usurpanti obsistebat, et, ut immerito clamitabant ejus patroni, Constantinopolitanam Ecclesiam opprimere et spoliare satagebat, voluisse tamen ipsius ritibus Romanam Ecclesiam subdere. Sic igitur accipienda sunt verba hæc laudatæ epistolæ : *Quoniam Ecclesiam Const. disponit comprimere, qui ejus consuetudines per omnia sequitur.* Quasi diceretur : *Ecce qui Ecclesiæ CP. infensissimus est, eam tamen honore summo afficit, ejus ritibus Romanam Ecclesiam subjiciendo.*

ri, deinde sic pacem dari. Quæ sane tres Orationes habentur post Evangelium, nam catechumeni et pœnitentes non dimittebantur nisi illo cantato. Sanctus Joannes Chrysostomus homilia septuagesima secunda in Matthæum trium Orationum duntaxat mentionem facit, quæ ante pacem videlicet dicebantur, καὶ πρώτη ἡ δέησις ἐλέους γέμει, ὅταν ὑπὲρ τῶν ἐνεργουμένων παρακαλῶμεν, καὶ ἡ δευτέρα πάλιν ὑπὲρ ἑτέρων τῶν ἐν μετανοίᾳ πολὺ τὸ ἔλεος ἐπιζητοῦσα, καὶ ἡ τρίτη δὲ πάλιν ὑπὲρ ἡμῶν αὐτῶν. Id est, et prima (Missæ) Oratio plena est misericordiæ qua pro arreptitiis precamur; secunda, qua pro pœnitentibus oratur, multam quærit misericordiam; tertia rursus pro nobis ipsis recitatur, hoc est, fidelibus. Idem, homil. 18 in II epist. ad Corinthios, mentionem facit Orationum quæ in sacro sancto opere liturgico pro energumenis et pœnitentibus effunduntur. Ex quibus locis satis colligitur Græcos in ejusmodi ritu quodammodo a se invicem discrepasse, et multo magis a Latinis; nec mihi probatur illa explicatio qua dicitur præfatis sancti Joannis Chrysostomi locis energumenos sumi pro catechumenis. Cætera quæ ad rationem Collectarum spectant require in observationibus nostris ad Concordiam regularum, cap. 15, § 8.

11. *Deinde sequitur Apostolus.* Id est, lectio ex [a] Apostolo, vulgo Epistola. Optima lectio, quæ etiam habetur in Codicibus editis, et in Mss. Rodradi, et Ratoldi. Ita loquitur concilium Toletanum primum, can. 2: *ita ut Evangelia aut Apostolum non legant*; et can. 4: *ita ut Evangelium et Apostolum non legat.* Ita etiam Codinus, de Officiis palatii Constantinopolitani: καὶ μετὰ τὸν τρισάγιον ὕμνον ἀναγινώσκεται ὁ Ἀπόστολος, id est, et post trisagium hymnum legitur Apostolus. Et paulo ante: καὶ ἡ μὲν λειτουργία ψάλλεται ἐν χῶς, μέχρι καὶ τῆς ἀναγνώσεως τοῦ Ἀποστόλου, id est, liturgia psallitur submisse, usque ad lectionem Apostoli. Ita passim in Euchologio Græcorum; quare non opus est ut Codices nostri puriores emendentur a quibusdam Codicibus mss. in quibus habetur τὸ *Epistola.* Antiqua autem consuetudo est legendi Epistolas Apostolorum. Sed maxime sancti Pauli in Missarum celebritate, ut constat ex sancto Basilio, cap. 27 libri de Spiritu sancto ad Amphilochium: Οὐ γὰρ τούτοις ἀρκούμεθα ὧν Ἀπόστολος ἢ τὸ εὐαγγέλιον ὑπεμνήσθη, id est, non sumus contenti his quæ **279** Apostolus aut Evangelium commemorant; et ex sancto Justino martyre, cum agit de sacra liturgia, Apologia 2 pro Christianis, καὶ τὰ ὑπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν Προφητῶν ἀναγινώσκεται μέχρις ἐγχωρεῖ, id est, et commentaria apostolorum vel scripta prophetarum leguntur quoad tempus fert. Qui tamen locus potest etiam de Evangelio intelligi.

12. *Gradale.* Ita in Codd. Rodradi et Ratoldi. In Editis, et in vulgatis Missalibus, *Graduale.*

13. *Legitur Evangelium.* Ex antiquo ritu Ecclesiæ, ut manifestum est ex sancti Basilii loco paulo ante citato, quo etiam referri potest locus sancti Justini paulo ante productus. Id etiam suadetur ex epistola sancti Cypriani 24: *Et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta et Evangelium Domini.* Et paulo post, *nihil est in quo magis confessor fratribus prosit, quam dum evangelica lectio de ore ejus auditur.* Porro nulla hic Symboli post Evangelium mentio, de quo tamen commodius infra ad Missam paschalem dicetur.

14. *Deinde Offertorium.* Ita in Codd. nostris mss. Rodradi et Ratoldi, quæ tamen desiderantur in Editis. Offertorium Antiphona est, quæ dum caneretur, populus sua dona in altari offerebat juxta antiquum morem, de quo infra ad Missam paschalem dicetur.

15. *Sursum corda.* Hic incipit Præfatio, de quo vocabulo infra. Hæc autem verba non sunt novellæ institutionis, siquidem habentur in liturgiis sanctorum Jacobi, Basilii et Chrysostomi, quorum et mentionem facit sanctus Cæsarius Arelatensis, homil. 12: *Pene omnes recitatis lectionibus exeunt de ecclesia, cui dicturus est sacerdos: Sursum corda?* Divus Augustinus, lib. de Dono perseverantiæ, cap. 13: *Quod ergo in sacramentis fidelium dicitur, ut sursum cor habeamus ad Dominum, munus est Domini;* et de Bono viduitatis, cap. 16: *Quia et illud quod inter sacra mysteria cor habere sursum jubemur, ipso adjuvante id valebis.* Et multis aliis locis. Sanctus Anastasius Sinaita, in sermone de Synaxi: Ταῦτα διαμαρτύρεται ὁ ἱερεὺς λέγων· Ἄνω σχῶμεν τὰς καρδίας, id est, hæc testatur sacerdos dicens: Sursum habeamus corda. Sanctus Cyrillus Alexandrinus, catechesi 5 mystagogica: Μετὰ τοῦτο βοᾷ ὁ ἱερεύς· Ἄνω τὰς καρδίας, id est, postea sacerdos clamat: Sursum corda. Et sanctus Cyprianus, lib. de Oratione Dominica: *Et ideo sacerdos ante Orationem parat fratrum mentes dicendo: Sursum corda.*

16. *Habemus ad Dominum.* Præter antiquas liturgias, etiam præfati Patres horum verborum meminerunt. Sanctus Cæsarius, homil. 16: *Et sacerdote dicente Sursum corda, cum secura conscientia respondeamus nos habere ad Dominum.* Sanctus Cyrillus, eadem catechesi, καὶ ἀποκρίνεσθε, Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, id est, deinde respondetis: Habemus ad Dominum. Sanctus Cyprianus, libro citato: *Ut dum respondet plebs Habemus ad Dominum.* Et sanctus Anastasius Sinaita, serm. citato: Εἶτα τί πρὸς ταῦτα ἡμεῖς ἀποκρινόμεθα, Ἔχομεν πρὸς τὸν κύριον, id est, deinde quid ad hæc nos respondemus Habemus ad Dominum? Et infra: Ἰδοὺ πρὸς βράχεως συνέθεσθε· Ἔχομεν πρὸς κύριον τὰς καρδίας, id est, ecce et paulo ante consensistis: Habemus ad Dominum corda.

17. *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Huc spectant illa sancti Augustini, lib. de Dono perseverantiæ, cap. 13: *De quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a sacerdote post hanc vocem, quibus dicitur, admonemur,* et lib. de Bono viduitatis, cap. 16. *Et ideo sequitur ut de tanto bono sursum levati cordis non nobis gloriam quasi nostrarum virium tribuamus; sed Domino Deo nostro gratias agamus,* et serm. 21, de diversis: *Norunt fideles ubi et quando dicatur: gratias agamus Domino Deo nostro. Quis autem gratias agit Deo, nisi qui sursum cor habet ad Dominum?* Et epist. ad Honoratum mox citanda. Et illa sancti Cyrilli, catechesi citata: Εἶτα ἱερεὺς λέγει· Εὐχαριστήσωμεν τῷ Κυρίῳ, id est, deinde sacerdos dicit: Gratias agamus Domino. Quapropter sanctus Joan. Chrysostomus **280** infra mox citandus hanc Orationem εὐχαριστίαν, id est, gratiarum actionem appellat.

18. *Dignum et justum est.* Hæc verba tangunt sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 5 mystagogica: Εἶτα λέγετε· Ἄξιον καὶ δίκαιον, id est, deinde dicitis: Dignum et justum est. Sanctus Joan. Chrysost., serm. 18, in II Epist. ad Cor.: Τὰ τῆς εὐχαριστίας πάλιν κοινά, οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνος (ἱερεὺς) εὐχαριστεῖ μόνος, ἀλλὰ καὶ ὁ λαὸς ἅπας· πρότερον γὰρ αὐτῶν λαβὼν φωνήν, εἶτα συντιθεμένων, ὅτι ἀξίως καὶ δικαίως γίνεται, τότε ἄρχεται τῆς εὐχαριστίας. Id est, rursus quæ ad gratiarum actionem spectant, communia sunt, non enim ille (*sacerdos*) solus gratias agit, sed etiam omnis populus: anticipata eorum voce, deinde illis consentientibus, quia hoc digne et juste fit, tunc incipit gratiarum actionem. Et sanctus Augustinus, libro de Dono perseverantiæ, cap. 13: *Et dignum et justum esse respondent;* et libro de bono viduitatis, cap. 16: *Hoc enim continuo commonemur, quia hoc dignum est, hoc justum est recordari.* His autem probat sanctus Augustinus adversus Pelagianos, quod omnia Deo referre debeamus accepta. Nam cum plebs re-

[a] Antiquum Lectionarium Epistolas, ut modo solemus appellare, ac Evangelia per annum continentem vide apud Pamel., tom. II. Liturgic. Antiquissimum Lectionarium, ad vet. Missam Gallic. pertinentem edidit quoque noster D. J. Mabil. ex Ms. Luxoviensi ante annos mille exarato.

spondet habere se cor sursum ad Dominum, tum monita a sacerdote ut de tanto munere ac beneficio sursum levati cordis Deo gratias agat, statim in gratiam tanti beneficii respondet, dignum et justum est.

19. *Nos tibi semper et ubique gratias agere.* Hujus gratiarum actionis meminit sanctus Irenæus, lib. IV, cap. 34 : *Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus.* Et Sanctus Joan. Chrysost., paulo ante citatus ; Τότε ἄρχεται τῆς εὐχαριστίας, id est, tunc incipit gratiarum actionem. Hæc autem gratiarum actio non tantum fiebat quod sursum haberemus corda, sed et pro beneficiis omnibus a Deo receptis, ut docet sanctus Augustinus epist. 120, ad Honoratum : *Omnia largitur et præscit, sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur. Filii ergo promissionis, filii beneficii. Hæc est gratia, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. Hinc gratias agimus Domino Deo nostro ; quod est magnum sacramentum in sacrificio novi testamenti, quod ubi, et quando, et quomodo offeratur, cum fueris baptizatus, invenies.* Celebratur etiam hæc gratiarum actio ratione tanti mysterii ac beneficii, ut patet ex sancto Justino martyre, apol. 2 pro christianis : *Deinde ei qui fratribus præest, offertur panis et poculum aquæ et vini ; quibus ille acceptis*, αἶνον καὶ δόξαν τῷ Πατρὶ τῶν ὅλων διὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἀναπέμπει, καὶ εὐχαριστίαν ὑπὲρ τοῦ κατηξιῶσθαι τούτων παρ' αὐτοῦ, ἐπὶ πολὺ ποιεῖται. Id est : *Laudem et gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritus sancti offert, et gratiarum actionem pro eo quod nos hisce donis suis dignatus sit prolixe exsequitur.* Eadem repetit infra, et expresse habetur in liturgia sancti Joan. Chrysostomi : Εὐχαριστοῦμέν σοι καὶ ὑπὲρ τῆς λειτουργίας ταύτης, ἣν ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν δέξασθαι κατηξίωσας. Id est : gratias agimus tibi pro hac liturgia, quam de manibus nostris suscipere dignatus es.

20. *Laudant Angeli*, etc. Mos est antiquus Ecclesiæ in Missæ Præfatione mentionem facere cœlestium illorum Spirituum qui Deum sine intermissione laudant in cœlis, ut clarum ex liturgiis sanctorum Jacobi et Chrysostomi, et sancto Cæsario, quæst. 44 dialogi primi : Ὧ ἑπόμενοι οἱ τῆς θείας τελετῆς ἱερεῖς ἀναφωνοῦσι Θεῷ, σὲ ὑμνοῦσιν ἄγγελοι, ἀρχάγγελοι, θρόνοι, κυριότητες, ἀρχαὶ, ἐξουσίαι, δυνάμεις. Id est : Quem divini sacrificii sequentes sacerdotes Deo clamant, te laudant angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes. Et ex sancto Cyrillo, catechesi sæpius citata, καὶ μετὰ ταῦτα μνημονεύομεν, etc. ἀγγέλων, ἀρχαγγέλων, δυνάμεων, κυριοτήτων, ἀρχῶν, ἐξουσιῶν, θρόνων, τῶν χερουβὶμ, etc. Id est : Facimus deinde mentionem, etc., angelorum, archangelorum, virtutum, dominationum, principatuum, potestatum, thronorum, cherubim, etc. Idem apparet ex sancto Isidoro mox citando. Sed Præfatio videtur contracta. Nam in liturgia sancti Jacobi fit mentio solis et lunæ, siderum et universæ creaturæ, quod etiam videre est catech. citata sancti Cyrilli, et testatur sanctus Isidorus, lib. I de Off. eccles., cap. 15 : *In qua etiam* **281** *ad Dei laudem terrestrium creturæ virtutumque cœlestium universitas provocatur.*

21. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Antiquus est hujus hymni usus in sacrosanctis mysteriis, ut videre est can. 3 concilii II Vasensis provinciæ Viennensis, celebrati anno Domini 529. Homil. 12 sancti Cæsarii Arelatensis : *Cum enim maxima pars populi, imo, quod pejus est, pene omnes recitatis lectionibus exeunt de ecclesia, cui dicturus est sacerdos Sursum corda, nunquid respondere possunt, quando deorsum in plateis et corpore simul et corde discedunt? et qualiter cum timore simul et gaudio clamabunt, Sanctus, Sanctus, Sanctus?* Oratione sancti Gregorii Nysseni, de non differendo baptismo : *Me tui pudet, quod cum senueris adhuc ejiciaris cum catechumenis*, etc. *unire populo mystico, et arcanos disce sermones.* Φθέγξαι μεθ' ἡμῶν ἐκεῖνα ἃ καὶ τὰ ἑξαπτέρυγα σεραφὶμ μετὰ τῶν χριστιανῶν ὑμνοῦντα λέγει. Id est : *Dic nobiscum ea quæ sex alas habentia seraphim cum Christianis dicunt.* Catechesi quinta mystagogica sancti Cyrilli Jerosolymitani : [a] Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος κύριος σαβαώθ. Διὰ τοῦτο γὰρ τὴν παραδοθεῖσαν ἡμῖν ἐκ τῶν Σεραφὶμ θεολογίαν ταύτην λέγομεν, ὅπως κοινωνοὶ τῆς ὑμνῳδίας ταῖς ὑπερκοσμίοις γενώμεθα στρατιαῖς. Id est : Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam theologiam dicimus, ut cum cœlesti militia in hymnodia communicemus. Hic hymnus in liturgiis appellatur ἐπινίκιος, id est, victorialis. Quapropter hunc hymnum quidam male confundunt cum Trisagio, quod est hujusmodi, ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος. Id est : Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. Siquidem in liturgiis distinguuntur; caniturque Trisagium ut primum accedit sacerdos ad altare, ut testatur Jobius, lib. XV, cap. 6 apud Photium (*In Biblioth.*), num. 222 : Διά τοι τοῦτο καὶ ἅμα τὸ πρὸς τὸ θυσιαστήριον εἰσιεῖναι τοὺς ἱερεῖς, ὁ ἱεροψάλτης ἄνωθεν ἀναβοᾷ· Ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος. Id est : Quapropter simul atque sacerdotes ingrediuntur ad altare, sacer cantor de superiore loco clamat : Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, hoc est enim Trisagium. Id etiam videre est apud Codinum, de Officiis palatii Constantinop. Καὶ αὐτίκα ἀνοίγουσι τὰς τῆς ἐκκλησίας θύρας, καὶ μετὰ τὸν τρισάγιον ὕμνον, ἀναγινώσκεται ὁ Ἀπόστολος, καὶ καθεξῆς ἐκτελεῖται ἡ θεία λειτουργία. Id est : Statim aperiunt portas ecclesiæ, et post cantatum trisagium hymnum, legitur Apostolus, perficiturque ordine liturgia. At hymnus Victorialis canitur post Præfationem, quæ omnia videre est in liturgiis. Horum hymnorum differentia internoscitur ex sancto Cæsario fratre sancti Gregorii Nazianzeni (Dialogo 1), interrog. 29 : Οὔτε τὰ ἅγια χερουβὶμ ἁγιασμοῦ προσδίδονται ἐν οὐρανῷ τῇ θεία Τριάδι, τὸ ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος ὅταν ἀναφωνοῦσι, οὐδὲ πάλιν ἡμῶν ἐν τρισαγίῳ ἅγιος ὁ Θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος ἐκβοώντων, ἁγιασμὸν ἢ ἰσχὺν, ἢ ἀθανασίαν ὁ θεῖον ἀνύεται. Id est : Neque sancta cherubim aliquid sanctitatis addunt sanctæ Trinitati, cum in cœlo sine intermissione clamant Sanctus, Sanctus, Sanctus ; sic rursus nobis clamantibus in Trisagio Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, nihil sanctitatis, fortitudinis et immortalitatis Deo adjicitur. Nec obest quod a sancto Joan. Damasceno et aliis quibusdam hymnus Victorialis appelletur Trisagios, quia loquuntur de ipso extra sacrificium Missæ, qui etsi possit dici Trisagios, vulgo tamen in sacris hanc denominationem non sortitur. Nec refert quod in liturgia Ambrosiana dicatur *Trisagium* quia cum hæc liturgia non sit pura Ambrosiana, propter nonnulla detracta atque addita, non constat an hæc appellatio a sancto Ambrosio manaverit. Sed, ut aliquid amplius de Trisagio dicamus, non mihi arridet eorum opinio qui scribunt tum primum institutum a Proclo Patriarcha Constantinopolitano, ut hic hymnus in sacra liturgia caneretur, cum regnante Theodosio juniore, multis a Deo plagis castigata **282** Constantinopoli, atque insuper gravi terræ motu conquassata, ac propterea populo urbe secedere coacto, atque in campum recepto, exoranteque divinam clementiam, ut tantis malis eriperetur, puer quidam sub omnium conspectu in cœlum raptus est, et angelico ministerio hunc hymnum edoctus in terras demissus est, ac omni multitudine hunc hymnum concinente Deus placatus est, quemadmodum refertur a sancto Joan. Damasceno, lib. III, de Fide orthodoxa, cap. 10 ; Georgio Cedreno, in Compendio historiarum, anno 30 Theodosii

[a] Ex Græcis desumptum videtur quod legitur in vet. Sacramentario Gallicano : *Aios dicitur post aios : Tu, summe Deus, aios, ipse sanctus*, etc.

junioris; Theodoro Balsamone, in can. 82 conc. Trullensis; et Jobio, qui refert hunc hymnum tum ab angelis cantatum fuisse. Sed institutio est antiquior, nam illius mentionem facit sanctus Cæsarius supra citatus, et concilia Nicænum I et Constantinopolitanum I, ut scribit Asclepiades Trallium episcopus in epist. ad Petrum Knapheum. Neque in ea unquam fuit opinione sanctus Joan. Damascenus, ut quidem objiciunt; non enim scribit institutum fuisse a Proclo ut Trisagium in liturgia caneretur; sed tantum probat auctoritate hujus historiæ et Concilii Chalcedonensis non debuisse Petrum Knapheum huic hymno hæc verba addere, *Qui crucifixus es pro nobis*. Hic enim Petrus Knapheus, id est fullo pontifex Antiochenus adjecit huic hymno, ὁ σταυρωθεὶς διὰ ἡμᾶς, id est, qui crucifixus es pro nobis, ut referunt Theodorus Lector, lib. I Collectaneorum; sanctus Joan. Damasc., cap. citato; Asclepiades Trallium episcopus, epist. citata; Felix papa, epist. ad eumdem Petrum; et Theodorus Balsamon, in canonem citatum; atque hoc additamento Trinitatem pro nobis crucifixam esse volebat, ut satis clarum est ex Ephræmio Theopolitano antistite, in epist. ad Zenobium scholasticum Emissenum, in Bibliotheca Photii, num. 228; et in sacro Triadis mysterio inducebat quartam personam, ut vult sanctus Joan. Damasc., cap. citato. At Acacius episcopus Constantinopolitanus, in epist. ad eumdem Petrum, dicebat eum inducere duos filios, cum post τὸ ἰσχυρός, adderet σταυρωθεὶς διὰ ἡμᾶς, eumque asserere Spiritum sanctum fuisse crucifixum, juxta hæresim Manichæorum, cum ad τὸ ἀθάνατος adjiceret eadem verba. Porro Ephræmius supra laudatus ait hunc hymnum Christo ab Orientalibus attribui; ac proinde nihil eos peccare si addant *Qui Crucifixus es;* at Constantinopolitanos et Occidentales hunc hymnum sanctæ Trinitati accommodantes hæc verba omnino repudiare; et in multis Europæ provinciis hæc quidem verba respui, sed adjici ἁγία Τριάς, ἐλέησον ἡμᾶς, id est: Sancta Trinitas, miserere nobis. Sed Calandio episcopus Antiochenus addidit Trisagio Χριστὲ βασιλεῦ, propter eos qui addiderant *Qui crucifixus es pro nobis*, ut refert Theodorus Lector Collectaneorum lib. II.

22. *Benedictus.* Non habetur in Editis. Reperitur tamen in liturgiis Græcis, et mentio fit a sancto Cæsario Arelatensi, homil. citata: *Et quali cum tremore simul et gaudio clamabunt Sanctus, Sanctus, Sanctus, Benedictus qui venit in nomine Domini.* In Editis sequitur hæc oratio: *Facturus memoriam salutaris Hostiæ totius mundi*, etc., quæ non exstat in nostris Cod. mss [a].

23. *Osanna in excelsis.* Meminit sanctus Isidorus, lib. I, de Off. eccles., cap. 15: *Et Osanna in excelsis cantatur, quod Salvatore de genere David nascente salus mundo usque ad excelsa pervenerit.*

24. *Te igitur, Clementissime Pater*, etc. Hujus Orationis meminit Haymo in I ad Tim. II. Hæc Oratio vulgo appellatur *Canon*, quæ denominatio habetur apud sanctum Gregorium, lib. VII Regesti, epist. 64 (*Nunc l.* IX, epist. 12): *Quia Orationem Dominicam post Canonem dici statuistis.* Qui et ibidem appellat precem, atque compositam esse a quodam scholastico. Quisnam autem fuerit ille scholasticus incertum est. Quidam **283** attribuunt Voconio, Castellani Mauritaniæ oppidi episcopo, nonnulli Musæo Massiliensi presbytero, qui libros Sacramentorum composuerunt, de quibus Gennadius, in Catalogo de viris illustribus; sed neutri ascribenda, quia illis antiquior est, siquidem ex illa multa refert sanctus Ambrosius, et nonnulla Optatus Milevitanus, ut infra videbitur, qui ante præfatos auctores vixerunt. Appellatur hæc Oratio, ut diximus, Canon, atque etiam actio. Utriusque nominis rationem profert Walfridus Strabo, cap. 22 de Rebus ecclesiasticis: *Actio dicitur ipse Canon, quia in eo sacramenta dominica conficiuntur; Canon vero eadem Actio nominatur, quia in ea est legitima et regularis sacramentorum confectio.*

25. *Supplices rogamus*, etc. Hæc vocabula desunt apud Haymonem, in I ad Timoth. 2: *Ubi incipit sacerdos consecrare mysteria corporis et sanguinis Domini, inquiens: Te igitur, clementissime pater petimus.*

26. *Hæc dona, hæc munera, hæc Sancta Sacrificia.* Potest esse hic synonymia. Vetus expositio Canonis Missæ ms. bibl. Corb. ita hæc nomina distinguit: *Dona sunt quæ voluntarie donantur; munera sunt quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur, sicut nos offerimus Deo, ut peccata nostra dimittantur; sacrificia sunt, quæ cum orationibus consecrantur.* Vetus tractatus super Missam ms. ejusdem bibliothecæ ita distinguit: *Donum dantis est, munus accipientis; quia illud a dando, hoc a muniendo dicitur: tamen proprie dona dicuntur quæ Deo dantur; munera vero omnium sunt, quia manibus dantur vel accipiuntur; in hoc tamen loco et dona et munera Deo offeruntur. Sacrificia, id est sacra facta, quia prece mystica consecrantur.* Quæ fere sumpta sunt ex sancto Isidoro, lib. VI Orig., cap. 19, ubi addit munera dici obsequia quæ pauperes divitibus loco munerum offerunt. Ad hæc alludere videtur Fortunatus, lib. IV de Vita sancti Martini.

> Immaculata Deo cum dona imponeret aræ,
> Et Pater attonitus cæremonia diva sacraret,
> Munera vel Christi benediceret ore sacerdos.

Ubi cæremonia sunt sacrificia. Glossæ veteres mss., *cæremonia, sacra deorum vel templa.* Ibi ergo vides dona, munera et sacrificia.

27. *Illibata.* Id est, integra, non contaminata.

28. *Quæ tibi offerimus*, etc. Horum Canonis verborum mentionem facit Agobardus in epistola ad Ludovicum Pium imperatorem: *Denique beatus Pelagius papa cum quosdam redargueret episcopos, eo quod nomen ejus reticerent in Actione sacri mysterii, in solemniis Missarum, in principio scilicet, ubi dicere solemus:* IN PRIMIS QUAS (id est, QUÆ) TIBI OFFERIMUS PRO ECCLESIA TUA SANCTA CATHOLICA, QUAM PACIFICARE, CUSTODIRE, ADUNARE ET REGERE DIGNERIS TOTO ORBE TERRARUM, UNA CUM FAMULO TUO PAPA NOSTRO; *ait ad eosdem episcopos: Divisionem vestram a generali Ecclesia, qu m tolerabiliter ferre non possum vehementer stupeo.*

29. *Pro Ecclesia tua Sancta Catholica.* Afri in suo Canone addebant *quæ est una*, ut planum est ex Optato Milevitano, lib. II: *Nam quis dubitet vos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse? Offerre vos dicitis pro Ecclesia, quæ est una; hoc ipsum mendacii est pars, unam te vocare, de qua feceris duas.*

30. *Pacificare.* Ita in liturgia sancti Basilii: *Memento, Domine catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ*, etc., καὶ εἰρήνευσον αὐτήν. Huc spectant illa sancti Cyrilli, catechesi supra citata: Παρακαλοῦμεν τὸν Θεὸν ὑπὲρ κοινῆς τῶν ἐκκλησιῶν εἰρήνης, id est: Deprecamur Deum pro communi Ecclesiarum pace.

31. *Adunare.* Ut omnium credentium sit cor unum, **284** et anima una.

32. *Toto orbe terrarum.* Huc spectant illa Optati Milevitani, lib. II: *Et offerre vota dicitis pro una Ecclesia, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa.*

33. *Pro rege nostro.* Oratio pro regibus, impera-

[a] Abest quoque a Ms. Reg. Sueciæ, a Gemet., etc. In primo Theoderic. tamen loco hujus Orationis legitur: *Oratio ante Missam. Petens ante altare veniam sic dicat Orationem hanc:* Placeat tibi, sancta Trinitas Deus, hoc obsequium servitutis meæ, et præsta ut hoc sacrificium laudis quod oculis tuæ Majestatis indignus offeram, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud offeram sit te miserante propitiabile, qui vivis et regnas, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

toribus et principibus exstat in omnibus liturgiis juxta antiquum morem, quem tangit sanctus Cyrillus, catechesi supra citata, παρακαλοῦμεν, etc., ὑπὲρ τῶν βασιλέων, id est, precamur, etc., pro regibus. Tertullianus, lib. ad Scapulam : *Itaque sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro, et ipsius.* Et sanctus Ambrosius, lib. IV de Sacramentis, cap. 4 : *Consecratio igitur quibus verbis est, et quibus sermonibus ? Jesu Christi. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris.* Idque juxta doctrinam sancti Pauli, I Tim. II.

34. *Et omnibus Orthodoxis*, etc. Hæc verba desunt in Ms. Pontificali Rothomagensi, in feria 5 in Cœna Domini; et Micrologus, in Observationibus ecclesiasticis, cap. 13, scribit hæc verba in Canone esse superflua : *Item post nomen domini papæ, sive proprii episcopi adjiciunt, et omnibus orthodoxis atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus ; sed superfluo. Nam ordo statim in sequenti versu, ubi dicitur, Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, nobis concedit ut omnium vivorum commemoremus quoscunque voluerimus.* Et cap. 23, describens Canonem, hæc verba missa facit, sed immerito, nam habentur in nostris Codd. mss. Rhem. Rodradi, atque hujus sancti Eligii, atque etiam versione Græca Georgii Codini. Nec ratio Micrologi valet. His enim verbis, *et omnibus orthodoxis*, etc., fit commemoratio generalis omnium fidelium viventium; at in sequentibus, *Memento*, etc., specialis est commemoratio offerentium et quorumdam particularium quorum nomina olim de diptychis legebantur.

35. *Circumastantium.* Ita in Editis, in Cod. Tiliano in Missa Illyrici, et in omnibus Codicibus nostris mss. Ita in expositione vetustissima ms. Canonis Missæ bibliothecæ Corbeiensis, et in tractatu etiam ms. vetustissimo ejusdem bibliothecæ super Missam. Ita apud Burchardum, lib. III, cap. 68, ex concilio Nannetensi : *Cui enim dicit Dominus vobiscum, aut Sursum corda, Gratias agamus Domino Deo nostro, cum nullus sit qui respondeat ? et in Canone, Et omnium circumastantium, cum nemo sit?* Ita in expositione Missæ Magistri Flori : *Deinde subjungitur, et omnium circumastantium.* Et in glossis mss. de Ordine Romano ex bibliotheca Thuana, *adjungens et omnium circumastantium.* In vulgatis Missalibus legitur *circumstantium.*

36. *Qui tibi offerunt.* Ita in omnibus Codicibus nostris mss., ita in Editis, et in utroque tractatu ms. paulo ante citato ex bibliotheca Corbeiensi. Ita apud Micrologum, cap. 23 de Observationibus ecclesiasticis : *Et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, qui hanc lectionem confirmat cap. 13, repudians id quod vulgo habetur : *Pro quibus tibi offerimus.* Sic enim ait : *Item post pauca addunt. Pro quibus tibi offerimus, cum in antiquioribus et veracioribus Sacramentariis, non nisi sub tertia persona offerentes ibi reperiantur.* Usus tamen obtinuit ut in Missalibus Romanis et aliis vulgatis legatur : *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt*, ubi particula disjunctiva *vel* usurpatur pro copulativa *et*, quod sæpe contingit, ut non semel observavimus in nostris notis ad Concordiam regularum.

37. *Vota sua.* Quid votum hoc loco significet docet sanctus Augustinus epist. 59, ad Paulinum (*Nunc* 49) : *Porro si usitatius, ut dixi in Scripturis votum appellatur εὐχὴ, excepto nomine Orationis, ea proprie intelligenda est Oratio, quam facimus ad votum*, id est πρὸς εὐχήν. *Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio, quo sacramento prædicatur nostrum aliud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi.* **285** Et vota sunt sacræ preces etiam apud ethnicos :

. . . . . cessas in vota precesque.

38. *Communicantes.* Memoriæ sanctorum videlicet, quia militans Ecclesia cum triumphante communicat.

39. *Et memoriam venerantes.* In liturgiis omnibus habetur commemoratio sanctorum juxta antiquum morem. Hoc enim sacrificium non potest offerri, nisi in communione sanctorum, quorum memoriæ communicamus tanquam filii patrum, sectatores præcedentium, ut docet Alcuinus cap. 1 de Officiis ecclesiasticis. Hunc morem videre est catechesi 5 mystagogica sancti Cyrilli Jerosolymitani : Καὶ ταύτην προσφέρομέν σοι θυσίαν, ἵνα μνημονεύωμεν τῶν προκεκοιμημένων, πρῶτον Πατριαρχῶν, Προφητῶν, Ἀποστόλων, Μαρτύρων· ὅπως ὁ Θεὸς εὐχαῖς αὐτῶν καὶ πρεσβείαις προσδέξηται ἡμῶν δέησιν. Id est : Et hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum qui ante nos dormierunt, in primis patriarcharum, prophetarum, Apostolorum et martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras. Hinc capienda sunt illa Optati, lib. III, de Marculo et Donato interfectis a Macario, quos Donatistæ in martyrum suorum album referebant : *Invitus cogor hoc loco etiam illorum quorum nolo hominum mentionem facere, quos vos inter martyres ponitis, per quos tanquam per unicam religionem vestræ communionis homines jurant, quos quidem vellem silentio præterire ; sed ratio veritatis se sileri non patitur, et ex ipsis nominibus contra veritatem inconsiderate latrat invidia.* Sensus est : vellem ipsos pseudomartyres missos facere ; sed invidia vestra inconsiderate latrat adversus Ecclesiam catholicam ex ipsis nominibus, recitando videlicet in vestris sacrificiis horum pseudomartyrum nomina.

40. *Taddæi.* Ita in Cod. Ratoldi, et Rodradi. In Cod. Rhem. *Taldei.* In Editis, *Tatthæi*, male.

41. *Sixti.* De hoc vocabulo infra dicetur.

42. *Hilarii, Martini*, etc. In Cod. Rhem. hæc nomina adduntur : *Dionysii, Rustici et Eleutherii, Hilarii, Martini, Remigii, Augustini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti.* In Codice Ratoldi : *Nicasii, Hilarii, Martini, Benedicti, Gregorii, Amandi, Remigii.* [a] In liturgiis sancti Basilii, et sancti Joannis Chrysostomi additur nomen sancti illius cujus eo die memoria seu festus dies celebratur : ἁγίου τοῦδε, οὗ καὶ τὴν μνήμην ἐπιτελοῦμεν, id est, et sancti illius cujus etiam memoriam agimus. Ita olim fuit aliquando in Ecclesia Latina usitatum (Vide *notam a infra positam*) ut videre est in tractatu qualiter quædam Orationes et cruces in *Te igitur* agendæ sunt, in Cod. Tiliano et apud Hittorpium : *Si fuerit natalis sanctorum, hic dicat : Sed et diem natalitii beatorum illorum, aut Beati illius.* At Gregorius III papa hæc adjicienda præcepit : *Quorum solemnitas hodie in conspectu Majestatis tuæ celebratur, Domine Dominus noster, in toto orbe terrarum*, ut refert Ordericus Vitalis, libro secundo Hist. eccl.

43. *Quorum meritis.* Ita in versione Codini; in liturgia quæ sancto Petro tribuitur : ὧντινων τῇ πρεσβείᾳ, id est, quorum intercessione.

44. *Diesque nostros in tua pace disponas.* [b] Hæc verba feruntur fuisse a sancto Gregorio Canoni inserta. In Cod. Rhemensi legitur *dispone.*

45. *Eripi.* Ita vulgo habetur. Alcuinus legit τὸ *ereptos.* Codex Rhemensis, *eripe.* Porro in Missa ab Illyrico edita Canon in multis a Canone communi **286** multum discrepat, hoc modo :

Infra Actionem.

In primis una cum famulo tuo papa nostro N. et pro

[a] In Gemet., *Cosmæ et Dam., Georgii, Benedicti, Martini, Gregorii et omnium sanctorum.* In primo Theod., *Cosmæ et Dam., et illorum quorum hodie solemnitatis in conspectu gloriæ tuæ celebratur triumphus.* In secundo Theod., *Cosmæ et Dam., Hil. mart., Bened., Gregorii, Amandi, Medardi, Eligii.*

[b] Id præsertim docet Beda lib. II Hist., cap. 1.

omnibus orthodoxis atque apostolicæ fidei cultoribus, pontificibus, abbatibus, gubernatoribus et rectoribus Ecclesiæ sanctæ Dei, et pro omni populo sancto Dei.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet, vel familiaritate et amicitia conjunctorum, cunctorumque sua mihi peccata confitentium, meque in tuo nomine bonis reficientium, et omnium circumastantium.

Hanc etiam oblationem humilitatis meæ et devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, et criminosis actionibus meis castigandis et dimittendis, pro cæca, et lapidea cordis mei duritia dissolvenda, et illuminanda, quæso, Domine, ut placatus accipias, et sinum pietatis super me expandas, meque illumines, sensum aperias, Spiritum corrigendi tribuas, et ad te misero mihi redeundi aditum per lamenta pœnitentiæ concedas. Per Christum Dominum nostrum.

Quam oblationem, tu Deus, in omnibus quæsumus.

Hactenus Missa Illyrici, ubi tamen τὸ *infra Actionem* deberet præfigi his verbis : *Hanc etiam oblationem*, etc. Ut in aliis Canonibus habetur.

46. *Benedictam.* Id est, *consecratam.* Benedicere est consecrare, juxta illud Pauli I Cor. x : *Calix benedictionis, cui benedicimus*, etc.

47. *Ascriptam.* Id est, in numerum beneplacitorum tuorum receptam, ut exponit Mag. Florus, quem sequitur supra citata expositio Præfationis et Canonis Missæ biblioth. Corb. : *Hoc est, assignatam, ut tibi placeat.* Tractatus supra citatus ms. ita explicat : *Mensæ cœlesti assignatam.* Hoc autem vocabulum habetur in Excusis, et in omnibus Cod. nostris mss., sicut in Missalibus Romanis, atque etiam in versione Græca Georgii Codini, quemadmodum et apud sanctum Ambrosium, lib. IV de Sacramentis, cap. 5. In liturgia quæ sancti Petri esse creditur non ita recte legitur, ἀπερίγραπτον, id est incircumscriptam, incomprehensibilem. Hesychius, ἀπέγραπτον, ἀπερινόητον, id est, incomprehensibilem.

48. *Ratam.* Id est, immobili firmitate perpetuam, ita Florus. In tractatu citato ms. super missam, *firmiter solidatam*, et in citata expositione ms., Præfationis et Canonis : *Hoc est, judicatam, ut illam dignam judicet in conspectu suo offerri.* Ita legitur in Editis, et in nostris mss. Codicibus, ut in Missali Romano, et apud Micrologum. [a] Non exstat apud sanctum Ambrosium. Sic munera altaris appellavit *rata* Fortunatus lib. IV de Vita sancti Martini :

> Munera vel Christi benediceret ore sacerdos,
> Imposita alteri ra a corporis atque cruoris.

In versione Codini habetur βεβαίαν, id est, firmam, ratam. In liturgia quæ vulgo dicitur sancti Petri est ἐράσμιον, id est, *gratam, amabilem.* Ex quo patet hujusmodi liturgiæ interpretem vel auctorem usum fuisse Codice mendoso, in quo legeretur *gratam*, pro *ratam.*

49. *Rationabilem.* Ita in Editis, Missali Rom. et in omnibus Codicibus nostris. Ita apud sanctum Ambrosium, cap. citato. In versione Codini, λογικὴν, id est, rationalem. In liturgia quæ sancti Petri nomine circumfertur, εὐαπολόγητον, id est, excusabilem. Ita explicatur hoc vocabulum in Glossis veteribus Græcolatinis, εὐαπολόγητος, *excusabilis.* Sed quid sibi velit in hac liturgia hoc vocabulum, non satis capio. Quod spectat ad τὸ *rationalem*, tractatus supra citatus exponit *cum ratione actam.* Expositio Præfationis et Canonis supra citata explicat in hunc modum : *Id est justa ratione plenam* **287** *facere dignetur.* Quidam interpretantur, *cum ratione et discretione oblatam.* Florus exponit plenam videlicet rationis, plenam mysterii. Hæc autem omnia vocabula ita interpretatur Paschasius, libro de Corpore et Sanguine Christi, cap. 12 : *Rogamus hanc oblationem* (inquit) *benedictam per quam nos benedicamur ; ascriptam, per quam nos omnes in cœlo conscribamur ; ratam, per quam in visceribus Christi censeamur ; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur ; acceptabilemque facere dignetur, quatenus et nos per quod in nobis displicuimus acceptabiles in ejus unico filio simus.* Porro in hoc Cod. sancti Eligii, in his verbis et aliis hujus Canonis nullæ sunt cruces depingi solitæ. Nonnullas tamen reposui prout reperi in Editis. Exstant tamen in Codicibus Rhemensi, et Rodradi, [b] atque etiam in aliis Canonibus hujus Codicis sancti Eligii, qui in quibusdam festis reperiuntur, in eisdem locis videlicet quibus in Missali Romano depictæ sunt et assignantur apud Micrologum, et nonnullos alios auctores, qui de Missa scripserunt ; et recte quidem, nam vetus est Ecclesiæ consuetudo ut oblata per signum crucis benedicantur, quemadmodum videre est apud sanctum Augustinum, serm. 19, de Sanctis : *Crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum interpositione dominicorum verborum conficiuntur.* Et serm. 18, de Tempore : *Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum.* Tractatu 118, in Joannem : *Quod signum nisi adhibeatur, sive frontibus credentium*, et paulo post, *sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Hinc capiendum illud Fortunati, lib. III, de vita sancti Martini :

> Cum holocausta sacræ manibus benediceret aræ.

Id videre est in epist. episcoporum e synodo apud Carisiacum, missa ad Ludovicum, Germaniæ regem, cap. 15 : *Manus enim chrismate sacro peruncta, quæ de pane et vino aqua misto per Orationem et crucis signum conficit corpus, et Christi sanguinis sacramentum, abominabile est (quidquid ante ordinationem fecerit) ut post ordinationem episcopatus sæculare tangat ullo modo sacramentum.* Et Ivo Carnotensis, epist. 233, meminit crucium post consecrationem : *Cum vero cum Hostia jam consecrata infra vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis orientali usque ad occidentalem, et septentrionali usque ad australem, hoc significari intelligimus quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit in commendationem suæ passionis : Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Hostia quoque quæ juxta calicem consignatur sic debet esse posita, ut sua et calicis positione dextrum Christi latus repræsentet.* Qua ratione fiant ejusmodi cruces, docetur in antiqua synodo quæ vulgo tribuitur sancto Uldarico Augustano episcopo, inventa in Codice ms. monasterii Neresheimensis exarato, anno Christi 1009, can. 19 : *Calicem et oblatam recta cruce signate. Id est, non in circulo et variatione digitorum, ut plurimi vestri faciunt : sed strictis duobus digitis, et pollice intus recluso, per quos Trinitas innuitur. Hoc signum recte facere studete, non enim aliter quidquam potestis benedicere.*

50. *Qui pridie quam pateretur.* Ita sanctus Ambrosius, cap. citato.

51. *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas.* Sanctus Ambrosius, cap. citato : *In sanctis manibus suis accepit panem.*

52. *Elevatis oculis*, etc. Sanctus Ambrosius, cap. citato : *Respexit in cœlum ad te, Pater omnipotens, æterne Deus.* In Missali Rom., in interpretatione Codini, et in Codice Rodradi præmittitur conjunctio copulativa, sed in Missa quæ sancti Petri nomine circumfertur, et in aliis Codicibus nostris mss., minime. Hic autem ritus a Christo observatus habetur in liturgiis sanctorum Petri, **288** Jacobi et Marci, recte quidem. Nam Christus gratias acturus Patri oculos in cœlum tollere solebat, ut videre est Matth. XIV, Luc. IX, Marc. VI, et Joan. XI. Quare non est

[a] Nunc exstat hæc vox, restituta videlicet a nostris in nova Edit. ex plur. Mss. Ad Canonis verba lege notas in lib. IV de Sacramentis, apud Ambrosium, tom. II, col. 365 et seq.

[b] Adde et in Gemet. duobusque Theoderic. Desunt in Codice Reginæ Sueciæ.

dubium quin idem in hac sacratissima fecerit actione, etsi in Novo Testamento id non reperiatur scriptum.

53. *Dedit*. Ita in Editis et in aliis Codicibus nostris mss. et in Missa sancti Petri. At in Missali Rom. et Matth. XXVI legitur, *deditque*. Et in versione Codini interseritur conjunctio copulativa.

54. *Ex hoc omnes*. Ita apud sanctum Ambrosium. Non exstant in liturgia sancti Petri, neque in versione Codini, neque in Novo Testamento.

55. [a] *Hoc est enim corpus meum*. Hæc particula *enim* exstat apud sanctum Ambrosium, cap. citato, et in liturgia sancti Marci. Abest tamen ab aliis liturgiis, sacra Scriptura et versione Codini.

56. *Hunc*. Hoc vocabulum non exstat in sacra Scriptura, nec apud sanctum Ambrosium, neque in liturgiis: sed exstat in versione Codini. Additur vero ad significandum sacerdotem idem sacrificium facere quod fecit Christus, juxta illud Pauli I Cor. X: *De uno pane, et de uno calice participamus*. Est namque in Ecclesia unum altare et unum sacrificium.

57. *Præclarum*. In versione Codini, λαμπρότατον. Non exstat apud sanctum Ambrosium, nec in liturgiis, nec in Novo Testamento. Sumptum tamen epitheton est ex Psalm. XXII: *Calix meus inebrians, quam præclarus est*.

58. *Dedit*. Ita in Editis et in aliis Codicibus nostris mss., et in Missa sancti Petri. In Missali Rom. habetur *deditque*. Matth. XXVI, *et dedit*, ut in versione Codini.

59. *Hic est enim calix sanguinis mei*, etc. Particula *enim* exstat Matth. XXVI. Hæc autem verborum formula qua calix benedicitur non est in sacra Scriptura, nec in liturgiis. Exstat in versione Codini, estque optima, quia continet sensum aliarum formularum quæ sunt apud evangelistas et sanctum Paulum. Apud sanctum Ambrosium, cap. citato, hæc habetur forma consecrationis calicis: *Hic est enim sanguis meus*, ex Matth. XXVI et Marci XIV.

60. *Mysterium fidei*. Hæc verba non exstant in Ordine Romano. Habentur in versione Codini, τὸ μυστήριον τῆς πίστεως.

61. *Unde et memores sumus*. Apud sanctum Ambrosium, lib. IV de Sacramentis, cap. 6, deest particula *et*, cum verbo *sumus*. Quod tamen verbum exstat in Codicibus Rhemensi et Tiliano, et in tractatu super Missam biblioth. Corb., et in expositione Magistri Flori, et illa verba, *gloriosæ Ascensionis*, puncto circumscribenda sunt. Hæc autem commemoratio Passionis, Resurrectionis Christi, etc., habetur in omnibus liturgiis, eamque tangit sanctus Ambrosius, cap. citato: *Et sacerdos dicit: Ergo memores gloriosissimæ ejus Passionis, et ab inferis Resurrectionis, et in cœlos Ascensionis*.

62. *De tuis donis ac datis*. In liturgiis sanctorum Basilii et Chrysost., τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, id est, tua ex tuis tibi offerimus. Ad quod alludere videtur Justinianus imperator in inscriptione mensæ quam fecit ex omnibus pretiosis quæ in terra marique sunt: Τὰ σῶν ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν οἱ δοῦλοί σου, Χριστέ, Ἰουστινιανὸς καὶ Θεοδώρα, id est, tua ex tuis tibi offerimus servi tui, Christe, Justinianus et Theodora, ut scribit Cedrenus.

289 63. *Hostiam puram*, etc. In citato sancti Ambrosii capite sic habetur: *Hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, et calicem vitæ æternæ*. — *Hostiam puram*. Sanctus Irenæus, lib. IV adversus hæreses, cap. 34, *et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert*.

64. *Hostiam immaculatam*. Fortunatus, lib. IV de Vita sancti Martini, huc respicere videtur:

Immaculata Dei cum dona imponeret aræ.

65. *Sicuti accepta habere dignatus es*. Sanctus Ambrosius, cap. citato: *Sicut suscipere dignatus es*.

66. *Summus sacerdos tuus*. Apud sanctum Ambrosium, cap. citato, deest pronomen *tuus*.

67. *Jube hæc perferri*. Non ipsum Christi corpus, sed memoriam passionis, fidem, preces, et vota fidelium. Aliter Paschasius, lib. de Corpore et Sanguine Christi, cap. 12: *Utquid perferenda illuc ea deposcit, nisi ut intelligatur quod in ejus sacerdotio ista fiant?*

68. *In sublime altare tuum*. Sanctus Ambrosius, cap. citato, sic habet: *Suscipias in sublimi altari tuo*. Altare hoc loco sumitur metaphorice.

69. *Super diptycha*. Hæc vocabula, [b] quæ hic desiderabantur, reposui ex Editis. Diptycha glossæ veteres mss. bibliothecæ Corbeiensis tabulas explicant: *Diplicæ* (leg. dypticha) *tabulæ*, proprie sunt tabulæ duas plicas habentes, Ausonio, epigr. 137, *bipatens pugillar*. Diptycha sacra tabellæ sunt in quibus scripta erant nomina vivorum et defunctorum fidelium, quorum commemoratio in Missa fiebat. Vide observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 4, § 4.

70. *Memento*. Neque hæc defunctorum commemoratio exstat in hoc Cod. sancti Eligii, sed reposui ex Editis: exstat tamen in hoc Codice ms. sancti Eligii, in alio Canone, qui habetur feria quinta de Cœna Domini. Hæc autem defunctorum commemoratio habetur in omnibus liturgiis, juxta antiquum morem Ecclesiæ, cui semper Oratio pro fidelibus defunctis in hoc liturgico sacrificio curæ fuit, ut videre est catechesi sancti Cyrilli toties citata: Εἶτα καὶ ὑπὲρ τῶν προκεκοιμημένων ἁγίων πατέρων καὶ ἐπισκόπων καὶ πάντων ἁπλῶς τῶν ἐν ἡμῖν προκεκοιμημένων μεγίστην ὄνησιν πιστεύοντες ἔσεσθαι ταῖς ψυχαῖς, ὑπὲρ ὧν ἡ δέησις ἀναφέρεται τῆς ἁγίας, καὶ φρικωδεστάτης προκειμένης θυσίας. Id est, deinde pro defunctis sanctis Patribus et episcopis, deinde pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio sancti illius ac tremendi quod in altari propositum est sacrificii. Et apud sanctum Augustinum, libro de Cura pro mortuis gerenda, cap. 1: *In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed et si nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, ubi in precibus sacerdotis, quæ ad altare Domino Deo funduntur, locum suum habet et commendatio mortuorum*; et lib. IX Confess., cap. 11, sancta Monica dicit: *Tantum illud rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis* [c].

71. *Et dormiunt in somno pacis*. Dicuntur animæ pro quibus hic oratur dormire in somno pacis, non

[a] Abs re forte non erit observare auctorem libri de Sacramentis qui hic laudatur Eucharistiæ consecrationem et panis ac vini conversionem in corpus et sanguinem Christi clare ascribere his verbis: *Hoc est enim corpus meum*; et istis: *Hic est enim sanguis meus*. Præiverat Tertull., qui, lib. IV adversus Marcionem, cap. 40, ait: *acceptum panem et distributum discipulis, corpus illum suum fecit, hoc est corpus meum, dicendo*.

[b] Hæc desiderantur quoque in duobus Theod. In utroque, et in Gemet., ante *Memento etiam*, etc., legitur hæc oratio: *Memento mei, quæso, Domine, et miserere, licet hæc sancta indigne tibi, sancte Pater omnipotens, æterne Deus, meis manibus offerantur sacrificia, qui nec invocare sanctum ac venerabile nomen tuum dignus sum; sed quoniam in honore laudis et memoria gloriosissimi dilectique Filii tui Domini Dei nostri Jesu Christi offeruntur, sicut incensum in conspectu divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis accendantur. Per Christum Dominum nostrum*.

[c] Addere liceat insignem hunc Cypriani locum, epist. 1, in Edit. nova, olim 66: *Episcopi antecessores nostri —— censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare*

290 quia exemplæ sint cruciatu purgatorii, sed quia nulla jam animi perturbatione vexantur, nullis vitiorum stimulis lancinantur, vitam æternam omni cum securitate exspectantes.

72. *Et omnibus in Christo quiescentibus.* Superior memoria est eorum quorum nomina de diptychis recitata sunt; hæc autem eorum est quorum nulla est apud homines recordatio, parentum, aut amicorum defectu, de qua sanctus Augustinus lib. de Cura pro mortuis habenda, cap. 4: *Non sunt prætermittendæ supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Christiana catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcunque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes aut filii, aut quicunque cognati, vel amici, ab una eis exhibeantur matre communi.*

73. *Joanne.* Hic videtur intelligendus sanctus Joannes Baptista, cujus etiam mentio fit in liturgiis sanctorum Basilii et Chrysostomi post consecrationem.

74. *Stephano.* Sanctus Stephanus præponitur hic sancto Matthiæ, quia ante illum passus, qui etiam reputatur par apostolis.

75. *Alexandro.* Hic est Alexander primus, papa et martyr.

76. *Agathe, Lucia.* Huc spectat illud sancti Aldelmi Schirburnensis episc., cap. 25 lib. de Virginitate: *Mihi quoque operæ pretium videtur ut sanctæ Agathæ rumores, castissimæ virginis Luciæ præconia subsequantur, quas præceptor et pædagogus noster Gregorius in Canone quotidiano, quando Missarum solemnia celebrantur, pariter copulasse cognoscitur, hoc modo in catalogo martyrum ponens, Felicitate, Anastasia, Agatha, Lucia,* etc. Noster autem Codex, dicendo [a] *Agathe*, sequitur flexionem Græcam.

77. *Agne.* Ita in Codice Rhemensi, de quo vocabulo infra dicetur.

78. *Anastasia.* In Cod. Tiliano additur *Euphemia.* In liturgia quam sancti Petri esse ferunt adduntur *Barbara, Juliana* [b].

79. *Meriti.* Id est, demeriti, peccati. Nam statim sequitur, *Sed veniæ largitor.* Huic interpretationi astipulatur vetus expositio ms. Præfationis et Canonis Missæ bibl. Corb.: *Non retributionem peccatorum estimet, sed ipse sit veniæ largitor.* Et quandoque meritum sumitur pro peccato. Sanctus Augustinus, lib. de Cura pro mortuis gerenda, cap. 1: *Quorum tam mala sunt merita.*

80. *Hæc omnia bona.* Quæ his altaribus consecrantur, ait Florus.

81. *Sanctificas.* Ex terrena substantia sanctam facis. Sic Firmilianus Episcopus, in epist. ad Cyprianum dixit *sanctificare panem*; et ipse sanctus Cyprianus, epist. 63, dixit *sanctificare calicem*.

82. *Vivificas.* Id est, panem inanimatum convertis in corpus Christi vivum, inquit Odo Cameracensis in Canonem Missæ.

83. *Præceptis salutaribus moniti*, etc. Hanc formulam ad Orationem Dominicam preambulam tangit sanctus Hieronymus lib. III contra Pelagianos: *Sic docuit apostolos suos ut quotidie in corporis illius sacrificio* 291 *credentes audeant loqui, Pater noster*, etc. Ex quo antiquitas hujus formulæ constat.

84. *Pater noster*, etc. Vetus et apostolica est consuetudo ut Oratio Dominica super Christi corpus recitetur, ut notum est ex omnibus liturgiis, sancto Gregorio, [c] lib. VII Regesti, epist. 63; sancto Hieronymo paulo ante citato. Usus etiam illius apparet ex sancto Ambrosio, lib. V de Sacramentis, cap. 4. Ex sancto Anastasio Sinaita, serm. de synaxi: Ποία γάρ ἐστι ταύτης καταλύσεως δεινότης, τὸ μὴ μόνον ψεύδεσθαι τῷ Χριστῷ κατ' ἐκείνην τὴν φοβερὰν ὥραν τῆς θείας συνάξεως, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἑαυτῶν ἀδελφοῖς μνησικακεῖν; καίπερ λέγονται ἐν προσευχῇ τὸ, Καὶ ἄφες ἡμῖν ὀφειλήματα ἡμῶν, etc. Id est: quanta est hæc destructio non solum Christo mentiri tremenda illa divinæ synaxeos hora, sed adversus fratres suos iram tenere? etsi dicant in Oratione: *Dimitte nobis debita nostra*, etc. Ex sancto Augustino, epist. 59, ad Paulinum: *Ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud quod est in Domini mensa incipiat benedici, Orationes, cum benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Oratione Dominica concludit.* Ex Optato Milevitano, l. II contra Parmenianum: *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, et delicta donatis, mox ad altare conversi, Dominicam Orationem prætermittere non potestis, et utique dicitis: Pater qui es in cœlis, dimitte nobis debita et peccata nostra.* Ex sancto Cypriano, lib. de Oratione, cum ait illi Orationi Dominicæ ob reverentiam præmitti præfationem, quæ sane tantum in Missæ sacrificio dicebatur. Et ex Tertulliano, lib. de Oratione, in quo post Orationis Dominicæ expositionem cætera ad missæ sacrificium spectant; et ex sancto Cæsario Arelatensi, homil. 12, ubi agens de sacrificio Missæ hæc ait: *Aut quando Oratio Dominica dicitur, quis est qui humiliter aut veraciter clamet: Dimitte nobis debita nostra?* Recte autem commemorationi defunctorum in his Sacramentariis hæc Oratio postponitur, quia id vetus postulat consuetudo, quam videre est apud sanctum Cyrillum Catechesi V mystagogica: Μετὰ ταῦτα τὴν εὐχὴν λέγομεν ἐκείνην, ἣν ὁ σωτὴρ παρέδωκε τοῖς οἰκείοις αὐτοῦ μαθηταῖς. Id est: Post hæc (nempe commemorationem fidelium defunctorum) dicimus Orationem illam quam Salvator suis tradidit discipulis, ac proinde in omnibus liturgiis Canoni subjungitur; quia, ut optime notat sanctus Augustinus loco citato, *totam petitionem fere omnis Ecclesia Oratione Dominica concludit.* Huic Orationi sacerdos olim subjungebat hæc quæ non habentur in hoc Canone, sed referuntur a sancto Ambrosio lib. VI de sacramentis, cap. 5: *Quæ sequuntur, audi quid dicat sacerdos: Per Dominum nostrum Jesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto a sæculis, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.* Ubi nota hanc formulam *et nunc et semper* esse juxta ritum Græcorum, qui non præmittebant hæc verba, *sicut erat in principio*, ut notavimus ad Concordiam regularum. In liturgiis sanctorum Jacobi, Basilii et Chrysostomi, hæc verba huic Orationi subjiciuntur: Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα τοῦ Πατρὸς, καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Id est: quoniam tuum est regnum et potestas et gloria Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Hinc capiendus est sanctus Cæsarius, dial. 1, q. 29: Τῷ δὲ ἀγγέλῳ ἑπόμενοι, καὶ ἡμεῖς οἷον ἐνισχύομεν, ἐπινικίως τὸν Χριστὸν ἐν τῷ καιρῷ τῆς θείας τῶν μυστικῶν τελετῆς, βοῶντες ὅτι σοῦ τὸ κράτος, καὶ ἡ βασιλεία, καὶ δύναμις, καὶ ἡ δόξα. Id est, hunc angelum imitantes, et nos, quantum possumus, victoriose Christum, in tempore

Dei meretur nominari, in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes et ministros voluit avocare, etc. Vides morem Cypriano longe antiquiorem. Et sane illius meminit Tertull. lib. de Coron. mil., cap. 3, lib. de Exhortat. castit., cap. 2, lib. de Monogamia, cap. 10.

[a] In vet. Sacrament. Gallic. legitur quoque *Agathe, Agne*, ordine tamen inverso; nam Agnes Agatham præcedit hoc in Cod. In antiquo Kalendario Carthag. edito ad calcem Act. Mart. a nostro Theod. Ruinart legitur: *Nonas Febr. sanctæ Mart. Agathæ.*

[b] In Cod. Gemet., post *Anastasia*, leguntur nomina *sanctorum Ætheldrythæ et Gertrudis.* Vet. Sacram. Gallic., post sanctam Luciam, meminit solius Eugeniæ.

[c] Nunc. lib. IX, epist. 12.

mystici sacrificii clamantes, quia tua est fortitudo, et regnum, et potestas, et gloria.

292 85. *Et beatis.* Ita in Codicibus Rodr. et Rat. In Miss. Rom., *cum beatis.*

86. *Atque Andrea.* In Cod. Tiliano additur *necnon et beatis martyribus tuis Gervasio et Protasio.* Qui sunt Patroni illius Ecclesiæ, cujus olim erat hic Codex Tilianus nempe Salariensis, ut in præfatione diximus [a].

87. *Necnon beato Stephano.* Hæc non exstant in Editis. Sed olim post hæc verba *atque Andrea* licebat addere quoslibet sanctos, ut clarum est ex Codice Tiliano. *Libera nos, usque Petro et Paulo, hic nominatim quales voluerit, vel quantos commemorat.* Ubi τὸ *quantos* est *quot;* et Micrologo cap. 25: *Atque Andrea. Hic nominat quotquot sanctos voluerit.*

88. *Agnus Dei.* Hanc Orationem Sergius papa I in Missa cantari jussit, ut refert Anastasius in ejus Vita: *Hic statuit ut tempore confractionis dominici corporis Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis, a clero et populo decantaretur.* Idem scribit Walfridus Strabo, lib. de Rebus Eccl., cap. 22. Hic autem desinit ordo Missæ tam in nostro Cod. sancti Eligii quam in Cod. Rodradi, et in excusis [b].

His ita expositis non abs re erit quædam subnectere ex Codice Tiliano, quæ ad ceremonias antiquas in hujus Canonis recitatione pertinent, in hunc modum:

« Te igitur, clementissime Pater, *usque*, habeas et benedicas hæc dona: *Hic signat oblatam et calicem tribus vicibus, non tamen sub una cruce, sed separat in singulis, singulas faciens cruces.* Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, *usque* Memento, Domine. *Hic nomina vivorum memorentur si volueris, sed non Dominica die, nisi cæteris diebus.* Et omnium circumastantium, *usque* Cosmæ et Damiani. *Si fuerit natalis sanctorum, hic dicat:* Sed et diem natalitii beatorum illorum, *aut* beati illius; et omnium sanctorum, *usque* per Christum Dominum. *Hic inclinat se usque ad altare, dicens:* Hanc igitur oblationem, *usque* jubeas grege numerari, per Christum Dominum. *Hic erigit sursum. Oblatam solam hic benedicit:* Quam oblationem, tu Deus, in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris. *Hic ambo signat, id est, oblatam et calicem;* ut nobis corpus et sanguis, *usque* omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit discipulis suis dicens, *usque* item tibi gratias agens benedixit. *Hic quatuor vicibus solam oblatam sanctificet* [Lege, *signet*]. *In quinta vice super calicem solum crucem faciens:* Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ, *usque* immaculatam Hostiam. *Hic inclinat se iterum juxta altare dicens:* supplices te rogamus omnipotens Deus. *Hic orat apud se quod voluerit. Deinde dicit:* Jube hæc perferri per manus, *usque* in conspectum. *Hic se erigit hæc verba dicens:* Ut quotquot ex hac altaris participatione, *usque* per Christum. *Hæ Orationes duæ dicuntur, una super diptychos, altera post lectionem nominum; et hoc quotidianis, vel in agendis tantummodo diebus.* Memento, Domine, et eorum nomina qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. *Et recitantur nomina. Deinde postquam recitata fuerunt, dicat:* Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem. Nobis quoque peccatoribus, *usque* sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte. *Hic erigens se archidiaconus veniet, et involvens calicem mappula, levat illum contra domnum papam.* Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas. *Hic ambo signat, id est, oblatam et calicem* 293 *tribus vicibus singulis singulas faciens cruces:* sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis. *Hic levat domnus papa oblatas duas usque ad oram calicis, et tangens eum de oblationibus, tenente illum archidiacono, dicit:* Per ipsum, et cum ipso, et in ipso tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria. *Tunc dicit in altum:* Per omnia sæcula sæculorum. *Tunc reponit in altari, et dicit in altum:* Oremus. *Deinde dicit:* Præceptis salutaribus moniti, *et usque* sed libera nos. *Tunc dicit domnus papa, interveniente nullo sono, hanc Orationem,* libera nos, *usque* Petro et Paulo. *Hic nominatim quales voluerit sanctos, vel quantos, commemorat. Deinde infert:* Cum omnibus Sanctis, da propitius pacem, *usque* per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Deinde dicit:* Pax Domini. *Deinde dat pacem altari vel patenæ, et sic sibi dat pacem. Cum vero domnus papa dicit* Pax Domini sit semper vobiscum, *non mittit partem de Sancta in calicem, sicut cæteris sacerdotibus mos est. Dum confringit,* Agnus Dei *dicit. Et expleta confractione quando communicat domnus apostolicus, partem sibi mordet, et reliquam in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem nihil dicens, et sic confirmatur de calice, tenente calicem archidiacono. Quando vero domnus apostolicus descendit ab altari, incipit communicare populus, et dicitur Antiphona ad communionem. Expleta communione et Antiphona, tunc surgit domnus papa, et veniens ad altare salutat, altius dicens:* Dominus vobiscum, et cum Spiritu tuo. *Deinde Orationem dicit:* Quod ore sumpsimus, Domine, mente capiamus, et de munere temporali fiat, nobis remedium sempiternum. » Hactenus Codex Tilianus, quæ tamen habentur etiam apud Hittorpium.

89. *Ad nonam.* Ita in Editis et in Cod. Rhem. In Cod. Ratoldi legitur *Hora nona.* Olim in semijejuniis Missæ tenebantur hora nona. Consule observationes nostras ad Concordiam regularum.

90. *Deus.* Pater videlicet, ad quem dirigenda est Oratio in Missæ sacrificio, juxta decretum concilii Carthag. III, can. 23: *Et cum altari assistitur, semper ad patrem dirigatur oratio.* Interdum tamen dirigitur ad Filium.

91. *Præsta ut Unigenitum tuum,* etc. Hæc citantur ab Alcuino, lib. VII contra Felicem Urgelitanum episcopum: *In Missa namque humanæ Nativitatis ejusdem Domini nostri, ita cantare solemus: Præsta ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus,* etc.

92. *Qui tecum vivit et regnat Deus.* Nota olim in conclusione Orationum seu Collectarum vocabulum *Deus* proxime secutum fuisse verbum *regnat,* quemadmodum videre est in Missa Ambrosiana, in Cod. Tiliano, et in aliis Codicibus nostris mss. et in expositione ms. Præfationis et Canonis, bibl. Corbeiensis: *Cum dicit Qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, vult populum credere et intelligere,* etc. Quod confirmat Micrologus, cap. 6 de Observationibus ecclesiasticis: *Sciendum autem in illa usita-*

[a] In secundo Theod., post *atque Andrea,* subjungitur: *necnon et sanctis martyr. tuis Stephano, Quintino, atque Nicasio, sed et beatis confessor. tuis Gregorio, Medardo, atque Eligio, cum omnibus,* etc.

[b] In Cod. Reg. Suec. deest *Agnus Dei,* etc. In Cod. Gemet., post *Agnus Dei, explicit Canon Missæ.* In priori vero Theod. additur: *Agnus Dei qui tollis pecc. mundi, dona nobis pacem..... Hæc sacro sancta commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi et omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad capessendam vitam æternam præparatio salutaris. Amen....* Post pacem dicat in corde: *Pax Dei quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda nostra et intelligentias nostras. Amen.....* Ad dandam pacem..... *Pax tecum.....* Post pacem: *Pax et charitas Dei maneat semper in cordibus nostris. Amen.*

Oratio. — Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis, etc. Ut in Missali. Sequuntur quatuor Orationes.

in conclusione Per Dominum nostrum, quod Romanus Ordo et antiqua exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur Qui tecum vivit et regnat Deus. Quod tamen moderni post nomen Spiritus sancti subjungere solent. Et hæc ubique consuetudo etiam apud Romanos adeo invaluit, ut antiquæ traditionis **294** *exsecutio non sine scandalo locum habere possit.* Ubi vides seriem illam verborum quæ est in nostris Codicibus mss. fuisse antiquum usum.

93. *Per omnia sæcula sæculorum.* Antiqua hæc Orationis formula apud Christianos, ut videre est apud sanctum Irenæum, lib. I adversus hæreses, cap. 1 : Ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ἐπὶ εὐχαριστίᾳ λέγοντας εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Id est : Atque adeo nos, cum in gratiarum actione dicimus In sæcula sæculorum; cui simile est illud quod refert Tertullianus lib. de Spectaculis, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος, *alii omnino dicere nisi Deo et Christo.*

94. *Super oblata.* Ita in Codicibus Rhem. Rodradi et Ratoldi. In Cod. Tiliano habetur *Secreta*, ut in Editis; sæpissime *Super oblata.* In appendice Rodradi, [a] *Secreta.* Dicitur *Super oblata* hæc Oratio, quia super panem et vinum oblata in Missa recitatur.

95. *Præfatio.* Est [b] Oratio seu gratiarum actio, quæ Canoni præmittitur, qua disponitur sacerdos et populus ad tremendorum mysteriorum confectionem, cujus mentionem facit sanctus Cyprianus, lib. de Oratione : *Ideo et sacerdos ante Orationem, Præfatione præmissa, parat fratrum mentes, dicendo : Sursum corda;* et in concilio Milevitano II, can. 9 : *Placuit etiam illud ut preces, vel Orationes, seu Missæ, quæ probatæ fuerint in concilio, sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones, ab omnibus celebrentur.* A sancto Joann. Chrysostom., homil. 3 in Epist. ad Coloss., excusa tempore Clementis septimi papæ, dicitur πρόῤῥησις. In Cod. Rhem. dicitur *contestada*, multis in locis; unde in expositione Missæ mss. biblioth. Thuanæ : *Vere dignum et justum est*, etc. *Contestatur vero sacerdos fixam ac veram professionem populi, id est, gratias referre Deo esse dignum.*

Multæ autem hic ponuntur Præfationes; ut in Editis, et in Codicibus Rhemensi, Ratoldi, et in secunda parte Codicis Rodradi : novem tamen ferunt duntaxat receptas a Pelagio papa II, quibus nunc utitur Ecclesia Romana, ut videre est in ejus epistola apud Burchardum, lib. III, cap. 69. Sed decretum non tenuisse satis notum est ex nostris Codicibus, et ex Editis; atque etiam ex his verbis Guitmundi, lib. II de Corpore et Sanguine Christi : *Præfationem istam quæ per totum pene orbem Latinum inter Epiphaniam et Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem : Æterne Deus, et tibi hanc immolationis Hostiam offerre, quæ est salutifera et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum, quæ offertur a plurimis, et unum corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est.* Et Algeri, lib. I de Veritate corporis et sanguinis dominici, cap. 15. *Item Ambrosius, Dominica* V *post Epiphaniam : Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Quæ verba exstant in Præfatione ejusdem dominicæ quintæ post Epiphaniam in editis Sacramentariis, et in nostris Cod. mss. nec est inter illas quæ excipiuntur a Pelagio papa. Ex quo fit vix ante quadringentos annos Ecclesiam Romanam ab ejusmodi Præfationibus abstinuisse. Novem Pelagii Præfationibus additæ duæ.

96. *Ad Complendum.* Ita in Codicibus Rod. et Ratol. Siquidem olim ita appellabatur ultima Oratio Missæ, ut testatur Walfridus, **295** cap. 22 de Rebus eccl. : *Est autem legitimum tempus communicandi ante ultimam Orationem, quæ dicitur ad Complendum.* Ita appellatur quod sit complementum et conclusio totius Missæ. Sanctus Augustinus, epist. 59, ad Paulinum, appellat *Gratiarum Actionem; quibus peractis,* inquit, *et participato tanto sacramento, gratiarum Actio cuncta concludit.* In Cod. Rhemensi appellatur *Postcommunionem.* In Missali Romano, unico vocabulo, *Postcommunio.*

97. *Per eumdem Dominum*, etc. Concluditur Oratio per Filium, quia Mediator est Dei et hominum, per quem accessum habemus ad Patrem, inquit Apostolus; idque juxta antiquum ritum, cujus meminit Optatus lib. III : *Paganum vocas eum qui Deum Patrem per Filium ante ejus aram rogaverit.* Haymo, in cap. VII Epist. ad Hebr. : *Unde et sacerdos Ecclesiæ altari assistentes dicunt : Suscipe, Domine sancte Pater, preces populi tui, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.*

98. *In Vigilia Domini in nocte.* Ita in Editis, et in Codice Rhemensi : *In vigilia natalis Domini in nocte*, quod perinde est. Ita dicitur propter vigiliam nocturnam. Nam superior vigilia ad nonam est, quod vulgo pervigilium dicitur, pridie videlicet ipsius festi. In Cod. Rodradi : *Natalis Domini ad sanctam Mariam Majorem.* In Cod. Ratoldi : *Nocte ad sanctam Mariam.* Apud Pamelium : *Media nocte ad sanctam Mariam Majorem;* [c] sed illud τὸ *media* videtur additum a quodam correctore.

99. *In trino vocabulo.* Ita in Editis et in Codicibus Rodradi et Rhemensi, non exclusis tamen personis. Ita aliquando locuti sunt antiqui Patres. Sanctus Cyprianus, epist. 75 : *Quod qui baptizatus sit gratiam consequi potuerit, invocata Trinitate nominum, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Prudentius, in Psychomachia.*

Unum namque Deum colimus de nomine trino.

100. *Benedictio.* [d] Antiqua olim fuit consuetudo

[a] *Secreta* dici a secretione donorum et oblationum, quorumdam eruditorum est sententia : hinc eadem Oratio quæ in nonnullis Codd. libri sacramentorum dicitur *Super oblata*, in aliis est *Secreta*, quod videre est hic in Cod. Pamel. et Vatic. Huic sententiæ obstare videtur quod legimus in Cod. vetustissimo lib. Sacr. Ecclesiæ Turon., ubi, pro *Secreta*, habetur *Arcana*. Et in appendice Ord. Rom., ex Amalarii ecloga in eumdem Rom. Ordinem, n. 24, de *Secreta*, sic habetur : *Secreta dicitur, eo quod secretam Orationem dat episcopus super oblationem*, etc. Vide etiam n. 27, apud Mabill., tom. II Musæi Ital., pag. 558 et 559.

[b] In vet. Sacramentario Gallic. vocatur *Contestatio*, uti in Missali Gallic. et in Gothico a doctissimis Thomasio et Mabillonio vulgatis. In Gothico dicitur etiam aliquando *Immolatio*. Nomine *Præfationis* in veteribus illis Missalibus intelligitur prima liturgiæ pars, quæ est quædam adhortatio ad populum, ut Deo exorando attentius incumbat, ut observat Mabill. lib. de Liturg. Gallic., cap. 3, n. 17. In Missali Francorum exstat integra Præfatio communis Missalis Romani. De Præfatione celebris est Canon. 9 concilii II Milevit. : *Placuit etiam illud ut preces vel Orationes seu Missæ quæ probatæ fuerint in concilio, sive Præfationes..... ab omnibus celebrentur.*

[c] Non legitur in Cod. Reg. Suec., nec in Gemet. Est in Ed. Vatic. et Gussanv., quibus consentiunt duo Theod. In iisdem legitur ut in Ed. Pamel. : *Ad sanctam Mariam Majorem.* In Kalendario Rom. a Joanne Frontone illustrato tantum habetur *ad sanctam Mariam.*

[d] De Benedictionibus quæ passim occurrunt in sancti Eligii Codice quem Menardus edidit, consule monitum quod Benedictionali infra edendo præmittemus. In Missali Gothico, lib. III de Liturg. Gallic., Mabillonii cura edito, nullæ fere occurrunt Missæ in quibus non legantur Benedictiones, verum a nostris plane diversæ. In Missali Gallicano vet. ibidem vulgato aliquæ sunt etiam Benedictiones, at aliæ prorsus et breviores.

ut episcopus, antequam Eucharistiam perciperet, populum benediceret quibusdam conceptis precationibus, ut in toto hoc Sacramentorum libro videre est; necnon in Codicibus Rodradi, Rhem., Ratoldi et Tiliano, atque etiam in Ordine Romano, sicut et in veteri Pontificali Romano dedicato Leoni X pont. Maximo, in quibus plurimas Benedictiones reperire est; constatque ex sancto Augustino mox citando, et ex Haymone, in cap. II Epist. I ad Timotheum: *Postulationes sunt Benedictiones episcopales, quas dicit episcopus super populum, invocans nomen Domini super illum.* Idque juxta mentem sancti Augustini mox citandi. Præcise autem dabatur illa Benedictio dicta clausula Orationis *Libera nos, quæsumus. Per omnia sæcula sæculorum*, ut liquido constat ex Ordine Romano (in secundo ordine Processionis): *Cumque episcopus Pater noster finierit, accipiens archisubdiaconus patenam ab Acolyto, offerat eam archidiacono. Ille autem, ut episcopus dicit Da propitius pacem, patenam illi accommodans, humerum ejus osculetur, statimque episcopo d cente Per omnia sæcula sæculorum, accipiat Benedictionalem librum, et conversus ad populum dicat: Humiliate vos ad Benedictionem, et clero respondente Deo gratias, porrigat episcopo librum. Expleta autem Benedictione, veniens presbyter accipiat Benedictionem ab episcopo.* Idem videre est in Missa Paschali Codicis Ratoldi: *Post Dominicam Orationem dum finierint Libera nos a malo, annuente episcopo, dicat diaconus: Humiliate vos ad Benedictionem, et populus resp. Deo gratias. Et episcopus dicat hanc Benedictionem: Benedicat vos, etc. Et inde accipiens partem corporis Domini, dicat: Pax Domini sit semper vobiscum.* **296** Ubi hæc verba, *dum finierint Libera nos a malo*, non ita sumenda sunt quasi præcise his dictis benedicat episcopus, sed quæ sequuntur subaudienda sunt, usque ad *Pax Domini sit semper vobiscum.* Ita etiam in Pontificali ms. Eccl. Rothomagensis feriæ 5 in Cœna Domini: *Libera nos*, etc. *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Tunc dicat diaconus: Humiliate vos ad Benedictionem. Et episcopus versus populum dicat: Benedicat vos omnipotens Dominus*, etc. Idem clarum est ex Missa ab Illyrico edita: *Non mittat episcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri solent: sed exspectet, donec finita Benedictione episcopus communicare debeat; et tunc accipiens partem quam antea fregerat, tenensque super calicem, immittens dicens: Sacri sanguinis commistio*, etc.

At in Hispania dabatur hæc Benedictio tantum post commistionem corporis et sanguinis, ut planum est ex Missa Mozaraba: *Libera nos, quæsumus, Domine. Et tundendo pectus dicit: Pone, Domine, finem peccatis. Qua finita, acceptam particulam, quæ dicitur regnum, præmissa Oratione, ponit super calicem; mox addita alia immittit in illum. Post hæc dicit: Humiliate vos Benedictioni; et certis quibusdam formulis benedicit populo.* Quod statuitur in concilio Toletano IV, can. 17. *Sed post Orationem Dominicam et conjunctionem panis et calicis, Benedictio in populum sequatur.*

Fiebat autem hæc Benedictio per manuum impositionem, ut notum est ex sancto Augustino, epist. 59, ad Paulinum, q. 5: *Interpellationes autem, sive, ut nostri Codices habent, postulationes, fiunt cum populus benedicitur. Tunc enim antistites velut advocati susceptos suos per manuum impositionem misericordissimæ offerunt potestati; quibus peractis et participato tanto sacramento, gratiarum Actio cuncta concludit.* Et sane olim Benedictio dabatur per manuum impositionem. Sanctus Ambrosius, lib. I de Pœnitentia, cap. 7: *Cur ergo manus imponitis, et Benedictionis opus creditis.* Hinc capiendus est sanctus Hieronymus, epist. ad Eustochium: *Extenta manu, ut benedicere eos putes, si nescias, pretia accipiunt salutandi.* Etsi non inficier olim usitatum fuisse signum crucis ad benedicendum. Hinc fit ut in conc. Milevitano II, can. 12, memoratarum Benedictionum formulæ manuum impositiones appellentur: *Placuit etiam illud, ut preces, vel Orationes, vel Missæ, quæ probatæ fuerint in concilio, sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones ab omnibus celebrentur.* Nec istæ impositiones ad pœnitentes spectant, quibus etiam imponebantur manus inter Missarum solemnia. Cum vero hic agatur de precationibus quæ ad Missam pertinent, de quarum numero sunt Benedictiones, ejusmodi impositiones manuum potius explicandæ sunt de ejusmodi Benedictionibus quam de impositionibus quæ fiunt super pœnitentes, quæ non sunt Missæ partes, sed fiunt tantum pœnitentium gratia; qui si non essent, ejusmodi impositionibus manuum minime opus esset. Ejusmodi autem benedictiones tribus capitulis constant et conclusione, ut docet Honorius Augustodunensis in Gemma. Quod etiam clarum est ex ipsismet benedictionibus, quas videre est in hoc sancti Eligii Codice, et in Codicibus Rhem., Rodr. et Ratol., atque etiam apud *Pamelium*. Nihilominus tamen in Cod. Ratoldi quædam paucæ quatuor capitulorum reperiuntur.

Est etiam alia Benedictio, quæ datur in fine Missæ, de qua concilium Agathense, can. 47: *Missas die Dominico a sæcularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus, ita ut ante Benedictionem sacerdotis populus egredi non præsumat.* Nam si hæc Benedictio non daretur in fine Missæ, sed ante Communionem, illa data, populus egrediens non interesset integræ Missæ, quia ante Communionem discederet; et ita capienda sunt verba sancti Cæsarii Arelatensis, **297** qui dicto concilio præfuit, homil. 12: *Ideo qui vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usquequo Oratio Dominica dicatur, et Benedictio populo detur, humiliato corpore et compuncto corde debet se in Ecclesia continere.* Walfridus Strabo, cap. 22 lib. de Rebus ecclesiasticis, locum concilii, quod Aurelianense nominat pro Agathensi, explicat de ultima sacerdotis Oratione, quam supra diximus appellari Orationem ad Complendum: *Statutum est Aurelianensi concilio ut populus ante benedictionem sacerdotis non egrediatur de Missa. Quæ benedictio intelligitur illa ultima sacerdotis Oratio*, de qua nimirum supra locutus est, eodem cap. Amalarius, lib. III de Officiis eccl., cap. 36, agit de hac ultima Benedictione, sed quibus verbis fiat non declarat: *Hunc morem tenet sacerdos, ut post omnia sacramenta consummata benedicat populo, atque salutet. Deinde revertitur ad Orientem ut se commendet Domini Ascensioni, dicitque diaconus: Ite Missa est.* Rabanus, lib. I de Institutione clericorum, cap. 33: *Post Communionem ergo, et post ejusdem nominis canticum, data Benedictione a sacerdote ad plebem, diaconus prædicat Missæ officium esse peractum, dans licentiam abeundi.* Ex quibus verbis, si attentius expendantur, liquido constabit Rabanum esse in eadem mente cum Walfrido. Nam canticum ejusdem nominis cum Communione nihil aliud est quam illa Antiphona seu Responsorium quod dicitur *Communio*. Cum autem Rabanus proxime subjiciat Benedictionem huic Antiphonæ, non est dubium quin per Benedictionem intelligat ultimam Orationem ad Complendum vocitatam, quæ et tempore illius in usu erat, et sequitur proxime Antiphonam seu Responsorium quod *Communio* dicitur. Nihilominus tamen, etsi in antiquis nostris Missis et Codicibus nostris mss. nulla reperiatur in fine Missæ Benedictio, existimo tamen canonem concilii Agathensis intelligendum esse de Benedictione quæ daretur in fine Missæ, distincta ab Oratione ad Complendum. Nam cum in eodem concilio prohibeatur presbytero Benedictionem impertire, non est rationi consentaneum eum arcere ab ultimæ Collectæ recitatione, quæ juxta sanctum Augustinum est gratiarum Actio, quæ sane non est prætermittenda, sive a presbytero, sive ab episcopo. Sed existimo fuisse diversum Ecclesiæ usum circa hanc Benedictionem in fine Missæ, quæ, ut dixi, non habetur in antiquis Missis a nobis productis, nec in nostris Co-

dicibus mss. neque in Ordinibus Missæ a Melchiore Hittorpio editis. Sed in illis omnibus, post Orationem ad Complendum, diaconus dimittit populum dicendo *Ite Missa est*, quemadmodum est in Ordine Processionis, quando episcopus Missam celebrare voluerit festivis diebus, quæ exstat in Codice Tiliano, ubi sic habetur: *Cumque episcopus Collectam finierit, et diaconus Ite Missa est, et clerus Deo gratias dixerit, duo diaconi accipientes manum episcopi*, etc., *cum omni processione ad sacrarium reducant.* At apud Amalarium supra citatum videtur hæc Benedictio ultima in fine Missæ, et in ordine Missæ a sancto Petro instituto cum sua expositione, in Codice Tiliano: *De mane orantes cantant Postcommunionem cantores, ut ostendant Christum in populo corpore et sanguine corroborato manere. Et hinc a presbytero postulatur æterna Benedictio, quia Christus coram discipulis manducans et bibens cum surrexisset a mortuis, reliquias eis dedit, elevatisque manibus ipsis benedixit.* Hæc citatus ordo Cod. Tiliani, in quo non habetur prior Benedictio, quæ datur ante Communionem. Illa autem Benedictio in fine Missæ dabatur, antequam diaconus diceret *Ite Missa est*, ut clarum est ex tractatu ms. super Missam bibliothecæ Corbeiensis: *Deinde Orationes a sacerdote sacræ Communionis peraguntur, et Benedictio super populum, ut a nobis digne percepta stabiles in fide et mundo corde maneamus, et nos salutem animarum et corporum habere credamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre vivit et regnat Deus una cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen. Deinde a diacono populo pronuntiatur, dicendo: Ite* **298** *Missa est*. Idem patet ex glossis mss. in Ordinem Romanum bibliothecæ Thuanæ: *Episcopus data Benedictione revertitur ad propria, postea annuntiat diaconus Ite Missa est.* Supradictæ autem Benedictiones episcopales quæ ante Communionem dabantur sunt adhuc in usu in quibusdam Ecclesiis, et exstant ex eis nonnullæ ad calcem Pontificalis Romani excusi tempore Leonis X, quæ ex recentioribus Pontificalibus expunctæ sunt.

101. *Missa in mane prima.* In Cod. Ratoldi et in Editis legitur: *Missa primo mane ad sanctam Anastasiam*, quemadmodum apud Pamelium. In Cod. Rodradi: *Nocte ad sanctam Anastasiam.* In Codice Rhemensi, post Missam de nocte sequitur altera Missa sub hoc titulo: *In natali sanctæ Anastasiæ.*

102. *Da, quæsumus, Deus*, etc. In Cod. Rodradi [a] Orationes de sancta Anastasia præcedunt Orationes de Natali Domini, quemadmodum et Præfatio de sancta Anastasia.

103. *Sicut homo genitus idem refulsit Deus.* Ita Corippus, lib. IV, de Laudibus Justini minoris:

Natus homo est, verusque Deus non destitit esse.

104. *Præfatio.* Natalis Domini. In Codicibus Rodr. et Rat. et in Excusis additur: *Præfatio sanctæ Anastasiæ, quæ est de communi virginum.*

105. *Ejus.* Ita in Editis, et in Codice Rodradi. Apud Pamelium, et in Codicibus Rhemensi et Ratoldi legitur *hujus*. Sed existimo τὸ *ejus* rectius esse ut referatur ad Christum, quia sequitur *cujus nativitas.*

106. *Sacramenti.* Sacramentum hoc loco est solemne festum quo aliquod Christi mysterium, seu Nativitatis, seu passionis, sive Ascensionis repræsentatur, ut docet sanctus Augustinus, epist. 118, ad Januarium, agens de sacramentis non scriptis: *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis apostolis, vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta, retineri, sicuti quod Domini passio et Resurrectio, et Ascensus in cœlum, et adventus de cœlo Spiritus sancti, anniversaria solemnitate celebrantur, et si quid tale occurrerit, quod servatur ab universa, quacunque se diffundit, Ecclesia.* Hinc capiendus est sancti Hieronymi locus, epist. 48, ad Sabinianum diaconum: *Post apostoli Petri basilicam, in qua Christi flammeo consecrata est, post crucis, et Resurrectionis, et Ascensionis sacramenta, in quibus rursum se in monasterio victuram spoponderat.*

107. *Natalis.* Ita in Codicibus Rhemensi et Rodradi. In Editis, et in Cod. Ratol., et apud Pamelium, legitur *Novitas natalis*, aptius ad sensum, tum propter paronomasiam inter hæc vocabula, *Novitas* et *Nativitas*. Sed arbitror τὸ *natalis* redundare.

108. *Nativitas.* In Codicibus Rodradi et Rhemensi legitur *nobilitas*, non ita recte.

109. *Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos.* Hujus Orationis mentionem facit Alcuinus lib. III, contra Felicem Urgelitanum episcopum: *Et in die Natalis Domini: Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet.*

110. *Invisibilium amore rapiamur.* Ita in Codicibus Rodradi et Ratoldi, atque apud Pamelium, quam lectionem se in uno Cod. ms. reperisse scribit Angelus Rocca. In Missali Romano legitur *in invisibilium amorem rapiamur*, quam etiam lectionem se in tribus Cod. mss. vidisse auctor citatus ait.

111. *Quique ejus infantiam*, etc. Est præclara antithesis.

112. **299** *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus.* Hanc Orationem in Cod. Ratoldi sequitur altera Benedictio, hoc modo: *Deus, qui genus humanum vulneratum in protoplasto novo recuperasti antidoto*, etc. Sed non est proprius illius locus; debet enim proxime sequi priorem ejusdem Codicis.

113. *Qui in mentibus*, etc. Est elegans paronomasia.

114. *Fidei et securitatis augmentum.* Ita in Cod. Rhemensi et Rodradi, hanc lectionem testatur Angelus Rocca se in uno Codice reperisse. In Cod. ms. Ratoldi abbatis, et apud Pamelium legitur: *Fidei, spei et charitatis augmentum.* Quæ lectio videtur plausibilior; nec tamen prior est contemnenda, cum sit antiquorum Codicum, nec suo sensu careat.

115. *Paternis*, id est, patris Adæ.

116. *Hujus creaturæ novitate suscepta.* Id est, in novam creaturam transformati, juxta illud Pauli, Gal. VI: *In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura.*

117. *Deus qui humanæ*, etc. Hac oratione utitur modo Ecclesia Romana in commistione vini et aquæ, his vocabulis interpositis: *Per hujus aquæ et vini mysterium.*

118. *In veritate Corporis.* Hæc ponuntur adversus Manichæum, qui Christo corpus phantasticum; et adversus Valentinum, qui cœleste tribuebant; aliosque ejusdem farinæ hæreticos, qui Christo corpus humanum et carneum minime tribuebant.

119. *Ut sicut illos passio Gloriosos, sic*, etc. In Cod. Rodradi: *Ut quia illos passio gloriosos, nos devotio*, etc. In Cod. Ratold.: *ut quod illos passio gloriosos, nos devotio*, etc. In editis et apud Pamelium: *Ut quod illos passio* [b] *fecit gloriosos, nos devotio*, etc. Sed lectio Codicis sancti Eligii videtur præstabilior. In Codice Rhemensi non hæc Oratio, sed alia: *Grata tibi sint, Domine, munera, quæsumus, devotionis hodiernæ*, etc.

120. *Cujus gloriæ sempiternæ primus martyr occurrit.* Præclare Ennodius, hymno 4, de sancto Stephano:

Hic primus intravit viam.
Nullis subactam gressibus.

121. *Per quem.* Deest in Editis, et apud Pamelium

[a] In Cod. Reg. Suec. Oratio Super oblata pro sancta Anastasia præcedit quoque Orationem de Natali Domini. Gemet. convenit cum Cod. Rodradi.

[b] A Cod. Reg. S. abest quoque *fecit*. Et quidem Angelus Rocca, in scholiis fatetur se addidisse verbum *fecit*, quod in Cod. ms. desiderabatur. Gemetic. convenit cum Cod. Rodradi; duo vero Theod. nostram lectionem exhibent.

Et in prima Oratione apparet erasa in Cod. sancti Eligii.

122. *Ecclesiam tuam*, etc. Ita in Editis, et in Codicibus Ratoldi, Rodradi et Rhem. Sed in hoc ultimo ponitur secunda. Nam prior est: *Deus qui per os beati apostoli tui* [a] *Joannis, verbi tui nobis arcana reserasti*, etc. Porro in Cod. Ratoldi sunt duæ Missæ de sancto Joanne evangelista, quemadmodum apud Pamelium. Secunda inscribitur: *Item in die*; ita ut prima diceretur, *Primo mane*, juxta titulum qui ei præfigitur apud eumdem Pamelium, secunda vero in die.

123. *Nos confidimus*. In Editis τὸ *nos* desideratur. In Cod. Rhemensi legitur *nos scimus*.

124. *Carnalia*. Leg. *carnalis*, ut referatur ad τὸ *genitoris*.

125. *Vicarium suæ matri*. Simile est illud sancti Ambrosii in Missa sancti Joannis, etsi non sit eadem Præfatio: *Vicarium pro se matri filium* **300** *clementer attribuit*.

126. *Ad Vesperos*. Ita in Editis, apud Pamelium, et in Cod. Ratoldi. In Cod. Rodradi additur *ubi supra*.

127. *Alia*. In Cod. Rodradi et apud Pamelium legitur *Ad fontes* [b].

128. *Alia*. In eodem Cod. et apud Pamelium legitur *Ad sanctum Andream*.

129. *Et in pretiosis*, etc. Hæc Præfatio exstat in Missa Ambrosiana, sed in quibusdam variat.

130. *Et clara est prius confessio*, etc. Sanctus Augustinus, serm. 9, de Sanctis: *Beata ætas, quæ necdum Christum potest loqui, et jam pro Christo meretur occidi*.

131. *Ante Passio*, etc. Ita sanctus Augustinus (Tom. I), serm. citato: *Nondum opportuna vulneri, et idonea passioni*.

132. *Votiva dona*. Votiva dona dicuntur sacramenta corporis et sanguinis Christi, *quia voventur omnia quæ Deo offeruntur*, ut supra ex sancto Augustino docuimus.

133. *Eodem die sancti Fulgentii episcopi*. Hæc in aliis nostris Cod. mss. non exstant [c], neque in Editis, neque apud Pamelium. Hic sanctus Fulgentius fuit ex monacho Ruspensis episcopus in Africa, cujus Acta vide apud Sur., Kal. Januarii. Nulla autem hic est peculiaris Missa de sancto Fulgentio, quia Missa de sancto Sylvestro ei est applicanda, cum utrique conveniat.

134. *In Octavis Domini*. Sic Corippus, lib. IV.

Lux octava novo nascentis lumine Christi.

Dies octavus solemnitatis a Græcis dicitur ἀπόλυσις, ut videre est apud sanctum Basilium Seleuciensem, lib. II, de Miraculis sanctæ Theclæ, cap. 18: Ἦν ἡ τῆς μάρτυρος αὐτῆς ἑορτὴ, καὶ ἡ τελευταία τῆς ἑορτῆς ἡμέρα, ἣν δὴ καὶ ἀπόλυσιν καλεῖν ἡμῖν ἔθος, ὡς ἂν καὶ πέρας ἐχούσης τῆς ἑορτῆς. Id est: Festum erat martyris et postremus festivitatis dies, quam nobis appellare ἀπόλυσιν, id est, discessionem, mos est, quod festum deinceps finem accipiat.

Hic autem uno eodemque die octava celebratur Natalis Domini ejusdemque Circumcisio. Nativitatis octava apparet ex titulo festi in omnibus Codicibus nostris mss. et in editis; [d] Circumcisionis dies ex Præfatione et Benedictione, cujus celebritas est antiqua, nam illius mentio fit in concilio Turonensi II, can. 17: *Et hora octava in ipsis Kalendis Circumcisionis Missa Deo propitio celebretur*. Porro in Cod. Rhemensi eodem die sequitur Missa sic inscripta: *Missa prohibendum ab idolis*. Sed deest particula *ad*, et legendum *Missa ad prohibendum ab idolis*, ad quod spectant ejusdem Missæ Collectæ.

Ratio Missæ hujus instituendæ est, quia olim Kalendis Januariis homines multis paganorum superstitionibus erant obnoxii, de quibus consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 10, § 13. In has invehitur sanctus Petrus Chrysologus serm. 155.

135. *Quatenus in octavo*, etc. Per octavum diem, seu octavam, designatur supremus Resurrectionis dies, et sempiternæ felicitatis ævum ultimum, evoluta hujusce sæculi hebdomade. S. Anastasius Sinaita, expositione in Psalm. VI: Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ περὶ ὀγδόης. Ὀγδόην ὀφείλει ἡ Γραφὴ ὀνομάζειν τὴν μετὰ τὴν ἑβδόμην τοῦ παρόντος αἰῶνος ζωὴν, καὶ διαγωγὴν, ἣν προεμήνυσεν ἡ ὀκταήμερος ἡ περιτομή. Id est: Psalmus David pro octava. Octavam solet appellare Scriptura vitam illam quæ post septimam hujus sæculi sequitur, quam octavo die facta **301** Circumcisio præsignavit. Sanctus Gregorius Nyssenus, expositione in Psalmum VI: Διότι τοῦ ἑβδοματικοῦ παυσαμένου χρόνου ἐνστήσεται ἡμέρα ὀγδόη μετὰ τὴν ἑβδόμην· ὀγδόη μὲν λεγομένη, ὅτι μετὰ τὴν ἑβδόμην γίνεται· οὐκέτι δὲ τοῦ ἀριθμοῦ διαδοχὴν ἐφ' ἑαυτῆς δεχομένη, etc. Id est: Propterea quod septenario tempore finito, post septimum instabit dies octavus; qui octavus quidem dicitur, quia post septimum existit, numeri vero vicissitudinem in sese non amplius admittit. Unus enim in perpetuum nulla unquam caligine diremptus permanet. Alius enim eum efficit sol, qui veram suo fulgore lucem edit; qui postquam nobis semel illuxerit, ut inquit Apostolus, deinceps occasu non occultatur. Sanctus Basilius, cap. 27, libri de Spiritu sancto ad Amphilochium: *Sed quod is dies videatur aliquo modo imago venturi sæculi, eoque cum sit principium dierum, non primus a Mose, sed unus appellatus est: Et factum est vespere, et mane dies unus, tanquam qui sæpe recurrat*. Καὶ μία τοίνυν ἡ αὐτὴ, καὶ ὀγδόη, ἧς καὶ ὁ ψαλμῳδὸς ἔν τισιν ἐπιγραφαῖς τῶν ψαλμῶν ἐπεμνήσθη, δι' ἑαυτῆς ἐμφανίζουσα τὴν μετὰ τὸν χρόνον τοῦτον κατάστασιν τὴν ἄπαυστον ἡμέραν, τὴν ἀνέσπερον, τὴν ἀδιάδοχον, τὸν ἄληκτον ἐκεῖνον καὶ ἀγήρω αἰῶνα. Id est: *Ut unus sit idem et octavus, unum illum singularem et verum octavum, cujus Psalmista alicubi in quibusdam Psalmorum titulis meminit, per se significans diem, inquam, post horum temporum statum nunquam finiendum, ac vesperæ nescium, nec successori cedentem, hoc est æternitatem, quæ nec finem habet, nec senium novit*.

Hujus rei notitiam aliquam habuisse videtur Plato rerum Hebraicarum haud plane ignarus, qui scripsit sanctos viros, emenso hujus vitæ curriculo, ubi septem dies in prato amœnissimo constiterint, inde octavo die migraturos ad cœlum per septem planetarum orbes. Ἡ δὲ μετὰ τοὺς πλανωμένους πορεία ἐπὶ τὸν οὐρανὸν ἄγει, τουτέστιν, τὴν ὀγδόην κίνησίν τε καὶ ἡμέραν. Id est: Quod autem post errantes illos orbes iter suscipitur, recta perducit ad cœlum; is enim octavus est motus et dies, apud Clementem Alexandrinum, lib. V Stromatum. Hoc autem in hac Præfatione dicitur ratione Circumcisionis, quæ die octavo Nativitatis cujusque Hebræis fieri lege Mosaica præcipitur, quæ juxta rationem allegoricam Resurrectionis diem significat, in quo perfecta erit omnium vitiorum et animi motuum ac perturbationum mortificatio, ut testatur sanctus Athanasius, sermone de Sabbato et Circumcisione. Διὰ τοῦτο καὶ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ περιτέμνεσθαι ἐκέλευσεν ὁ νόμος, καὶ ἀπαράβατος ἦν ἡ ἐντολὴ, σημαίνουσα τὴν μετὰ τὴν ἑβδόμην ἀναγέννησιν πάντων. Id est: Ideo octavo die circumcidi imperatum fuit a lege, neque id unquam violabatur mandatum, significans post septimum diem omnium regenerationem. Ita

[a] In Missali Gothico hac die celebratur festum apostolorum Jacobi et Joannis simul. Vide notam Mabillonii ad hunc locum.

[b] Ita legitur in Cod. Reg. Suec.

[c] Eadem de nostris Mss. sunt dicenda.

[d] Circumcisionis festum notatur in veteri Lectionario apud Mabill., de Liturgia Gallic., lib. II, pag. 112 et seq. Ibid. legitur *Dominica post Circumcisionem* Libro III, habes in Missali Gothico Missam *In Circumcisione Domini nostri Jesu Christi*.

sanctus Anastasius Sinaita supra citatus. Notandum tamen hanc Præfationem dissidere quodammodo a Patribus citatis, qui septimam diem universum hujusce sæculi curriculum appellant, illa vero senarium numerum hoc omne sæculum nominat, septenarium requiem beatarum mentium, quæ positis corporis exuviis, resurrectionem exspectant.

136. *Ad gaudia sine fine mansura perveniatis.* Cum videlicet beati perfecta tum animi tum corporis beatitudine perfruentur, quia ante resurrectionem sola animi felicitate potiebantur.

137. *In illius inveniamur forma.* Nempe glorificata.

138. *Dominica prima post Natale Domini.* In Codicibus Ratoldi et Rhem. officium hujus Dominicæ [a] dissentit a Cod. nostro hoc sancti Eligii; sed Dominicæ primæ post octavas natalis officium in Cod. Ratoldi convenit tum quoad Præfationem et Benedictionem, tum quoad Orationes, cum hac Dominica, præter ultimam: *Propitiare, misericors Deus*, etc., quæ non exstat in eodem Cod. Ratoldi.

139. *In Vigilia Theophaniæ.* Theophania, ἡ τοῦ Θεοῦ φανέρωσις, id est Dei apparitio, inquit Suidas. Dicitur et θεοφάνια in plurali neutraliter, et Theophaniorum sacri, quod celebre erat paganis, meminit **302** Synesius in Calvitii encomio. Vulgo Epiphania. Hæc autem vigilia jejunio caret, quia ob Natalis Christi lætitiam duodecim illi dies qui a natali Christi usque ad Epiphaniam intercidunt olim jejunio vacabant, illudque dierum spatium Græci δωδεκαήμερον, id est, duodecim dies, appellant, excepto triduo Kalend. Januarii, quo in multis locis, et in Gallia maxime, ad calcandam gentilium consuetudinem litaniæ fiebant, ut statuitur concil. Turonensis II, can. 17. Hæc vigilia non exstat in Cod. Rodradi, neque in vetustissimo Codice Coloniensi, [b] ut notat Pamelius.

140. *In Epiphania Domini.* Hoc festum celebratur mense Januario ex antiquo ritu, qui patet ex Ammiano Marcellino, lib. XXI, cum loquitur de Juliano imperatore, tum in Galliis agente: *Et ut hæc interim celarentur feriarum die, quem celebrantes mense Januario Epiphaniam dictitant, progressus in ecclesiam solemniter numine adorato discessit.* Epiphania autem, ἡ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἔνσαρκος οἰκονομία, id est, Servatoris nostri Jesu Christi Incarnatio, inquit Suidas. Hoc die a Græcis recitatur sequentia magnæ sanctificationis; omnibus ad fontes convenientibus cum lampadibus, et thure; ibique multis precibus aqua benedicitur tum ad baptismum, tum ad varios usus Christianorum. Sacerdos sanctam crucem rectam in aquam mergit, et ex eadem aqua templum et populum aspergit, ut fuse habetur in Euchologio. Hujus ritus meminit Theodorus lector in secunda ecloga: καὶ τὴν ἐπὶ τῶν ὑδάτων ἐν τοῖς Θεοφανίοις ἐπίκλησιν ἐν τῇ ἑσπέρᾳ γίνεσθαι. Id est: Et invocationem super aquam in die Theophaniorum vespere fieri jussit. Agit ibi de Petro Cnapheo episcopo Antiocheno, quem ait hanc Benedictionem vesperi fieri jussisse.

141. *Stella duce.* Diodorus Tharsensis episcopus, lib. V contra fatum, cap. 53, scribit stellam illam quæ nato Domino magis visa est, non unam e multis in cœlo fuisse, sed δύναμίν τινα θειοτέραν εἰς ἄστρον μὲν σχηματιζομένην, id est, potestatem quamdam diviniorem in stellæ similitudinem efformatam. Sanctus Isidorus Pelusiota, epistolis 377 et 378, lib. I, scribit fuisse quidem eam veram stellam, sed cursum præter cæterarum consuetudinem tenuisse, et eo perculsos sapientes illos magos Dominum quæsivisse.

142. *In novam nos immortalitatis suæ lucem reparavit.* Ita in Dominica prima post Epiphaniam, et in Editis. Sensus bonus est. In Codicibus mss. Ratoldi, Dominica 1 post Epiphaniam, Rhemensi et Rodradi, et apud Pamelium, legitur: *In nova nos immortalitatis suæ luce reparavit;* ex quo tandem, sublata præpositione, exiit illud, quod est in Missali Romano: *Nova nos immortalitatis suæ luce reparavit.*

143. *Magorum.* Magos Suidas scripsit apud Persas esse homines φιλοσόφους, καὶ φιλοθέους, id est, sapientiæ studiosos, et Dei amatores. Hesychius magum interpretatur theologum. Hos autem magos qui Christum infantem adoraverunt sanctus Epiphanius, in Expositione fidei catholicæ, refert ortos fuisse ex filiis Ceturæ, quibus pater dedit munera, aurum, thus et myrrham, quæ a Sodomorum et Gomorrhæ regibus acceperat, ac propterea cum habitarent in Magodia Arabiæ regione, eadem munera Christo infanti obtulisse. Diodorus Tharsensis, cap. citato, scribit eos Persas fuisse, et a Chaldæis de stella Servatorem omnium in carne natum, juxta vetus Balaami vaticinium, nuntiatura edoctos fuisse.

144. *Primitiis.* In Editis legitur *primitus*, male.

145. *Qui cum sapientia*, etc. Ita in Codice Ratoldi. Communis est theologorum sententia Christo statim ab ipso conceptionis suæ momento datam fuisse omnem sapientiam, ac cæteras animi dotes, virtutesque sibi ratione unionis hypostaticæ debitas, cum in ipso conceptionis puncto comprehensor fuerit, et nunquam viator, ut vocant, hoc est intuitivam Dei visionem **303** habuerit. Cum ergo in hac Benedictione precatur pontifex ut fidelibus spiritalium incrementa virtutum largiatur Deus, quemadmodum Christus sapientia, ætate et gratia profecit, hæc capienda sunt juxta modulum et rationem personarum inter se collatarum, ut quemadmodum Christus crevit sapientia et gratia experimentali, sic illi crescant nova acquisitione virtutum.

146. *In octavis Theophaniæ.* In Cod. Rodradi, et apud Pamelium, hæc solemnitas vacat. [c] In Cod. Ratoldi legitur: *Octavas Epiphaniæ, et depositio sancti Hilarii.* Ubi secunda Oratio est de sancto Hilario: *Deus, cujus miseratione delinquentes mutantur ad veniam*, etc. Super oblata Oratio prima est de sancto Hilario: *Universitatis conditor, et humani generis reformator*, etc. Præfatio de sancto Hilario, nulla de octava, hoc modo: *Qui beatum Hilarium confessorem tuum præelegisti tibi sacratæ confessionis tuæ antistitem*, etc. Benedictio vero de octava, nulla de sancto Hilario: *Deus, qui præsentem diem dignatus es eligere, ut et eum eligeres, tot miraculis demonstrare*, etc. Secunda Oratio ad Complendum est de sancto Hilario: *Deus, fidelium remunerator animarum*, etc.

147. *Sancti Felicis.* Hic est sanctus Felix Nolæ presbyter, cujus acta eleganti versu scripsit sanctus Paulinus Nolæ episcopus. In Codicibus Rodradi, Rhem. et Rat., atque apud Pamelium, additur *in Pincis*. Locus est Romæ [d] in quo sancti Felicis ecclesia ædificata est.

148. *Confessoris.* Ita appellatur sanctus Felix in omnibus Codicibus nostris, non martyr. Ita appellatur in Martyrologio ms. bibliothecæ Corbeiensis: XIX *Kalend. Februar., apud Nolam Campaniæ, sancti Felicis presbyteri et confessoris.* Et a sancto Augustino, lib. de Cura pro mortuis gerenda, cap. 1.

[a] De nostris Mss. idem intellige.

[b] Neque etiam in Cod. Reg. Suec.

[c] Ita in Kalendar. Rom. et in Cod. Calensi. At in Gemet. ac in utroque Theod. festum hoc notatur. In iisdem Codd. seorsim habetur festum sancti Hilarii cum Orationibus et Præfatione hic assignatis. In primo Theod. alia plurima festa præcedunt, scilicet sancti Basilii episcopi et confessoris ac doctoris II Kalend. Januarii, eodemque die sanctæ Columbæ virginis, sanctæ Genovefæ III nonas Januarii, sancti Remigii episcopi et confessoris Idibus Januar., quo die quoque annuntiatur festum sancti Hilarii.

[d] Id optime probat Joan. Fronto in notis ad Kalend. Rom. hoc loco adversus Rosweydum.

ut scilicet in beatissimi Felicis confessoris basilica poneretur, quemadmodum apud ipsum Usuardum excusum. Recte. Nam olim confessores appellabantur ii qui, multis pro Christi fide tormentis superatis, tandem, divina voluntate liberati, tot agonibus superstites tranquillam mortem obierunt, ut clarum est epist. 46 sancti Cypriani, et alibi passim; inter quos hic sanctus Felix enituit. In concilio Toletano IV, sancta Leocadia, quæ non ferro, aut tormentis, sed carceris squalore et fame obiit, confessor appellatur.

149. *Hæreticis*. Ita in Editis, et in Codicibus nostris mss. Hæc vox improprie sumitur [a] pro τὸ *ethnicis*. Et sanctus Fructuosus, c. 1 suæ regulæ quosdam pseudomonachos proprio viventes arbitrio appellavit hæreticos : *Hos tales, ubi repereritis, non monachos, sed hypocritas et hæreticos esse credatis.*

150. *Celebramus*. In Editis legitur *colimus*. Porro XIV Kalend. Februar. in Cod. Rodradi sequitur : *Natale Mariæ et Marthæ*; in Cod. Rhem. : *Natale sanctæ Mariæ et Marthæ;* in Cod. Ratoldi : *Natale sanctorum Mariæ et Marthæ*, ubi τὸ *sanctorum* sumitur substantive in plurali, et sæpe occurrit in nostris Mss. et in Miss. Rom. In nostris Codicibus citatis similes exstant Orationes de eisdem sanctis in hunc modum : Exaudi, Domine, populum tuum cum sanctorum tuorum tibi patrocinio supplicantem, ut temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per Dominum. *Super oblata* : Preces, Domine, tuorum respice oblationesque fidelium, ut e. tibi gratæ sint pro tuorum festivitate sanctorum, et nobis conferant tuæ propitiationis **304** auxilium. Per Dominum. *Post Communionem*. Sanctorum tuorum, Domine, intercessione placatus præsta, quæsumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua salvatione capiamus. In quibus Orationibus τὸ *sanctorum* sumendum est etiam substantive, ut supra dictum est. In Martyrologiis Romano et Adonis, eodem die, annotatur natale sanctorum Marii et Marthæ, conjugum, etc. Sed hæc nostrorum Sacramentariorum Missa intelligenda est de sanctis sororibus Lazari, Maria et Martha, primo quia in ea martyres non appellantur. Secundo id suadet Martyrologium ms. sancti Hieronymi, ubi eodem die hæc videre est : *Hierosolyma, Marthæ et Mariæ sororum Lazari.*

Idem habetur in Martyrol. ms. biblioth. Corb. : *Hierosolyma, Marthæ et Mariæ*. Cætera sculpta sunt a quodam (ut credere par est) nugatore, sed quodammodo apparet scriptum fuisse *sororum Lazari;* in parvulo Martyrologio ms., quod assutum est Sacramentario Rhem., ubi eodem die legitur : *Hierosolyma, Martha et Maria sorores Lazari*; in Kalendario Codicis Ratoldi, in quo eodem die legitur : *Hierosolymis, Marthæ et Mariæ*; in altero parvulo Martyrologio ms. biblioth. Corb. : XIV *Kalend. Febr. in Africa, Quinti Pauli, Geronti, Mariæ et Marthæ ;* in Martyrologio Rabani, eodem die : *Hierosolymis, natale Marthæ et Mariæ sororum Lazari*; et in Martyrologio Notkeri : XIV *Kalend. Febr., Hierosolymis, nativitas Marthæ et Mariæ sororum Lazari.* Postridie vero in eisdem Martyrologiis sancti Hieronymi, majoris Corbeiensis, Rabani et Notkeri, quemadmodum et in Martyrologio Usuardi, annotatur dies sanctorum Martyrum Marii et Marthæ conjugum, etc. Ex quibus apparet quam recte in dictis Sacramentariis assignetur Missa Mariæ et Marthæ XIV Kalend. Febr. et quod hæc nomina sint intelligenda de sororibus Lazari [b].

151. *Fabiani*. In Cod. Ratoldi est unica Missa de sanctis Fabiano et Sebastiano cum diversis tamen Orationibus, præcedente ubique sancti Sebastiani Oratione, cujus est sola Præfatio, non discrepans a Præfatione Codicum Rod. et Rhem. Benedictio est utriusque sancti : *Deus, qui triumphantibus pro te martyribus regiam cœlestis aulæ potentiæ dextra pandis.* Ubi τὸ *regia* januam significat, ut in Regula Magistri, cap. 83 : *Et exuti rebus monasterii duntaxat sine gravi injuria clausa regia excludantur*. Consule observationes nostras ad Concordiam reg., cap. 67, § 2.

152. *Et quos pondus*. Optima lectio. In Cod. Rodradi : *Et quia nos pondus;* et in fine reperitur τὸ *nos* in hunc modum, *nos protegat*. In Cod. Ratoldi et apud Pamelium legitur : *Et quia pondus*, ut in Missali Romano.

153. *Sanctæ Agnetis*. In Cod. Rodradi, *sanctæ Agnes*. Juxta formam Græcorum, ut videre est ecloga 2 Theodori Lectoris, sub finem : ἀπετέθησαν τὰ λείψανα τῶν ἁγίων Στεφάνου, καὶ Λαυρεντίου καὶ Ἀγνῆς, id est : Depositæ sunt reliquiæ sanctorum Stephani et Laurentii et Agnes. Ita loquitur sanctus Ambrosius libro primo de Off., cap. 41. Ita Prudentius, in Peristephano :

> Agnes sepulcrum est Romulea in domo.
> Fortis puellæ martyris inclytæ.

Infra tamen ponit τὸ *Agnes* in nominandi casu.

> Haud, inquit Agnes, immemor est ita
> Christus suorum.

Et sæpe infra [c].

305 154. *Et diem beatæ Agnetis martyrio consecratam solemniter recensere*. Codex Rhem. habet : *Recensentes enim diem beatæ Agnetis martyrio consecratum.*

155. *Simul est facta conformis, etc.* In Missa Ambrosiana legitur : *Simul est ejus facta conformis, ut sempiternitati ejus sociaretur et gloriæ.*

156. *Ut vinceret*. In Cod. Rodradi, et apud Pamelium, *quo vinceret*, cui debet affigi accentus gravis, ut sit *quò* et idem erit sensus. In Editis et in Cod. Ratoldi *quod vinceret*, et bonus etiam sensus erit, si particulæ *quòd* apponatur accentus. In Cod. Ratoldi reperitur hæc benedictio : *Benedicat vobis Dominus cœlorum rector et conditor*, etc.

Porro habetur in Cod. Rhem. X *Kalend. Febr.*, *natale sanctorum Merentiani et Macarii martyrum*. Sed lege *Emerentianæ*, quæ est virgo et martyr collactanea sanctæ Agnetis. [d] In parvo Martyrologio assuto Rhemensi Sacramentario, eodem die fit horum mentio martyrum : X *Kalend. sanctorum Emerentianæ, (leg. Emerentianæ) et Machari, et passio sanctæ Asclæ.* In Kalendario quod præmittitur Sacramentario Ratoldi : X *Kalend., natale sanctæ Emerentianæ virginis et sancti Macharii, et passio Parmenæ diaconi*. Item in Martyrologio ms. sancti Hieronymi, eodem die : *Et alio loco, passio sanctorum Eugenii, Emerentianæ et*

---

[a] Hæc interpretatio minime placet doctissimo Tillemontio, rejiciturque nota 3 in sancti Felicis historiam, quem consule. Lege quoque nostrum Theod. Ruinart, in Actis martyrum, pag. 256. Cæterum non video quid adeo torqueat in explicandis his Præfationis verbis : *Qui nec hæreticis pravitatibus, nec sæculi blandimentis a sui status rectitudine potuit immutari.* Num sancti Felicis tempore nulli exstiterunt hæretici? imo vero plurimos fuisse constat. *Sed*, inquies, *quis sibi facile persuadeat Felicem presbyterum Nolanum, tam egregie adversus hæreticos decertasse, idque a sancto Paulino aut ignoratum, aut saltem omissum fuisse?* Verum de sancti Felicis certaminibus adversus hæreticos ne verbum quidem in hac de qua disputatur Præfatione.

[b] In Gemet., ad diem XIV Kalend. Februar. legitur tantum : *Sanctarum Mariæ et Marthæ*. Prius autem notatur *natal. sancti Mauri abb.* XVIII Kalend. Febr., et *Depositio Antonii* XVI Kalend. ejusdem mensis.

[c] In Gemet. legitur : *sanctæ Agnæ*. In utroque Theod., *sanctæ Agnetis*.

[d] In priori Theod. legitur X *Kalend. Febr.*, *sanctorum Emerentianæ et Macarii*. In Gemet. scribitur per abbreviationem *sanctorum Emerentianæ et Macarii.*

Macharii, Pulvii, Martyrum. Forsan leg. *Publii*. Itaque Macharius, de quo est præsens Missa, cum eodem die conjungatur in dicto Martyrologio cum sancto Eugenio martyre, is est Macarius qui a Juliano Apostata in Oasim Arabiæ oppidum relegatus, ibidem cum sancto Eugenio securi percussus est, ut scribit Metaphrastes in sancto Artemio. Eodem die Macarii et Eugenii meminit Rabanus in Martyrologio. Emerentianæ et Macarii missa est ejusmodi in Cod. Rhem.: *Majestati tuæ nos, Domine, martyrum supplicatio beata conciliet*, etc. *Martyrum tuorum nos, Domine, semper festa lætificent*, etc. Super oblata : *Accepta tibi sit, Domine, sacratæ plebis oblatio*, etc. Postcomm. : *Jugiter nos, Domine, sanctorum tuorum vota lætificent*, etc. [a].

157. *Deus, qui universum mundum beati Pauli prædicatione docuisti*, etc. Sanctus Paulus universum mundum sua prædicatione docuit, ut testatur sanctus Clemens in epist. 1 ad Corinthios : Διὰ ζῆλον ὁ Παῦλος ὑπομονῆς βραβεῖον ἀπέσχεν, ἑπτάκις δέσμα φορέσας, παιδευθεὶς, λιθασθεὶς, κῆρυξ γενόμενος ἔν τε τῇ ἀνατολῇ, καὶ ἐν τῇ δύσει, τὸ γενναῖον τῆς πίστεως κλέος ἔλαβεν, δικαιοσύνην διδάξας ὅλον τὸν κόσμον, καὶ ἐπὶ τέρμα τῆς δύσεως ἐλθών. Id est : Paulus propter zelum in vincula septies conjectus, verberibus cæsus, lapidatus, patientiæ præmium reportavit, in Oriente et in Occidente verbi præco factus, illustrem fidei gloriam sortitus est, justitiam per mundum universum docens, ad Occidentis terminos veniens. Et sanctus Gregorius Nyssenus, Orat. de occursu Domini : Ἡ ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ, καὶ κύκλῳ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ, μᾶλλον δὲ μέχρι τῶν περάτων τῆς γῆς φάνασα ἀστραπὴ, ἡ τῆς θείας βροντῆς ἐν τῷ μυστικῷ τροχῷ τοῦ Εὐαγγελίου τῷ κατὰ πάσης κυλισθέντι τῆς οἰκουμένης, ἡ δειδεστάτη καὶ μεγαλόθρους φωνή. Id est : fulgur illud a Jerusalem, et circumjacentibus regionibus usque ad Illyricum, imo usque ad terminos terræ luxit; illa divini tonitrui in mystica Evangelii rota, quæ per orbem terræ volvebatur, clarissima maximeque sonora vox. Agit enim hoc loco de sancto Paulo apostolo. Et sanctus Joan. Chrysost., hom. 13, in Epist. I ad Cor., agens de sancto Paulo : *Contemplare ergo statuam auream*, etc. Ἀλλ' ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ μέχρι τοῦ Ἰλλυρικοῦ τρέχοντα, καὶ εἰς Σπανίαν ἀπιόντα, καὶ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης καθάπερ ὑπόπτερον φερόμενον. Id est : a Jerusalem usque ad Illyricum currentem, in Hispaniam **306** abeuntem, et tanquam alatam totum orbem pervagantem.

158. *Quod non ejus condierit disciplina*. In Cod. Rhem. legitur : *Quod ejus non convenerit disciplinis*. [b] Post quæ hæc sequuntur in eodem Codice : *Quem hodie vas factum electionis, magistrum et doctorem gentium vocandarum mutato nomine collocasti per Christum Dominum*, his prætermissis quæ sunt in hoc codice sancti Eligii, et aliis codicibus nostris. Ubi nota quod dicitur mutatum fuisse nomen sancto Paulo die conversionis suæ.

159. *Eodem die sancti Projecti* [c]. In Cod. Rhem. legitur etiam *sancti Projecti*. Vulgo, *Præjecti*, ut in Cod. Rodradi, nempe in collectione Præfationum, Gallice, *saint Prix*. Fuit episcopus Arvernæ, trucidatus cum abbate Amarino a loci proceribus, anno 670, juxta Sigebertum. De eo agit Usuardus in Martyrologio hac die et ms. Martyrologium biblioth. Corb. supra citatum. Ejus Acta vide apud Surium eodem die.

160. *Repetita*. Ita in Cod. Rodradi. In Cod. Rhem. præponitur præpositio *in*. Hæc autem verba, *repetita solemnitate*, arguunt duplicem festum sancti Projecti, qui adhuc in Gallia perseverat.

161. *Concedasque nobis*, etc. Ita in Cod. Rodradi, usque ad Præfationis finem quæ desunt in Cod. Rhem. Sed illorum loco post illa verba, *tribuas jugiter suavitatem*, hæc sequuntur : *Quod nobis, Domine petimus benignus impertias ; ut amemus ejus meritum passionis, et indulgentiam nobis semper fidelis patronus martyr tuus Projectus obtineat. Per Christum Dominum nostrum*.

162. *De Nativitate*. Ita Codex Rhemensis, quod deest in Cod. Rodradi ; pro quo in Cod. Ratoldi et apud Pamelium habetur *secundo*.

163. *Purificatio sanctæ Mariæ virginis*. In Codicibus Rodradi et Ratoldi, YΠAΠANTI, [d] apud Pamelium, YΠANTI ; quod perinde est, id est occursus. Causam reddit sanctus Hildephonsus, serm. de Purificatione : *Quia cum Dominus hodierna die in templum a parentibus fuisset delatus, a sanctis, quos plurimos Jerosolymis fuisse non dubium est, eis obviari creditmus*. Denominatio a Græcis est derivata, qui hoc festum sic indigitarunt. Ita appellatur a Codino Curopalate, lib. de Officiis Constantinopolis, κατὰ τὴν τῆς Ὑπαπαντῆς ἑορτὴν, id est, in festo Occursus ; Cedreno in Justino, et in novella Emmanuelis Comneni imperatoris, quam profert Theodorus Balsamo in cap. 1, tit. 6, Nomocanonis Photii : ἡ β' τοῦ φεβρουαρίου διὰ τὴν τοῦ Σωτῆρος ὑπαπαντὴν, id est, secunda Februarii ob Salvatoris occursum. Hoc festum a Theophylacto Simocatta, lib. VIII Hist., cap. 4, dicitur τεσσαρακοστὴ ἡμέρα τῆς γενεθλιακῆς πανηγύρεως τοῦ μεγάλου Θεοῦ Ἰησοῦ, id est, quadragesima dies celebritatis Natalium magni Dei Jesu. In Cod. Rhem. hoc festum appellatur *sancti Simeonis*.

In eo festo fiunt cum cereis ardentibus rogationes seu processiones, ex satis antiquo more, superstitione veteri, qua Romani hoc mense in honorem Februi Dei, id est Plutonis, cum cereis ardentibus lustrabant urbem, in piam ac sanctam mutata religionem ; siquidem harum mentionem facit sanctus Hildephonsus qui floruit anno 644, serm. supra citato : *Agitur hæc festivitas mense Februario, quem Romani adhuc pagani a Februo, id est Plutone, sic vocaverunt*, etc. *Quam lustrandi consuetudinem congrue et religiose Christiana mutavit consuetudo, cum eodem mense, hoc est hodierna die, in honore sanctæ Dei genitricis, et perpetuæ virginis Mariæ non solum clerus, sed omnis* **307** *plebs Ecclesiarum loca cum cereis et diversis hymnis lustrantes circumeunt*. Idem scribit sanctus Eligius, homil. 2 : *Nunc igitur vanæ superstitionis errorem pulchre Christiana devotio ad veram convertit religionem, cum jam non post quinquennium, nec, ut olim, circa finem mensis Februarii una lustratur civitas Romana ob honorem Februi qui falso lustrationum, id est purgationum, potens putabatur, et Deus infernorum, et ob dignitatem ejus, quæ jam cessavit, terreni Romanorum imperii, sed per singulos annos, circa initium ejusdem mensis universa Dei civitas, sancta videlicet Ecclesia illustratur, fidei lumen, quod filiorum suorum fulget in cordibus, designans cereorum lumine, quod eorumdem gestatur manibus*, etc. Apud Alcuinum, Amalarium et Walfridum, nulla exstat cereorum Benedictio ; sed Alcuinus tantum ait cereos dari a pontifice. At in Cod. Ratoldi exstat unica Benedictio sub hoc titulo : *Benedictio super candelas*, quæ habetur in Ordine et Missali Romano, sed in quibusdam variat, sicque incipit : *Domine Jesu Christe, Creator cœli et terræ, Rex regum et Dominus dominantium*, [e] etc. Purificationis solemnitatem ortum habuisse Constantinopoli anno 9 Justini magni, quo Antiochia gravi terræ motu corruit, refert Cedrenus. Theophanes, lib. XVI Hist. refert ad annum 15 imperii Justiniani festi hujus institutionem : *Anno decimo quinto imperii Justiniani, mense Octobri, facta est mortalitas Byzantii, et eodem anno Hypapante Domini suscepit initium, ut celebraretur apud Byzantium secunda die Februarii mensis*. Qui

[a] Eadem assignatur Missa in jam laudatis Codd.

[b] Ita quoque in priori Theod.

[c] In ms. Calensi nulla exstat sancti Projecti memoria.

[d] Et in Cal. necnon in duobus Theod.

[e] Hæc Benedictio legitur in Gemet., sed tres aliæ antecedunt.

auctores intelligendi sunt de tempore quo primum ortum est ejusdem festum Byzantii; est enim longe antiquior hujus in Ecclesia festi institutio; nam celebre erat tempore sancti Gregorii Nysseni, ut planum est ex sermone quem de occursu Domini composuit. Καὶ γὰρ ὅτε κατὰ τὸν ἀρχέτυπον καιρὸν, ὡς ἄν τις εἴποι, τῆς παρούσης ἑορτῆς, etc. Id est: *Etenim quando circa tempus quod est archetypum* (*ut sic dixerim*) *præsentis festi, is qui forma divina præditus erat et formam servi sumpserat, Mediator inter Deum et homines factus, legis præceptum exsequens, quadraginta dies natus infans sempiternum illud verbum, una cum genitrice convenientem atque præscriptam hostiam portante ad templum pergebat*, etc. Οὗ τινος ἡμεῖς τὴν ἀνάμνησιν ἑορτάζοντες σήμερον, etc. Id est: *cujus nos hodie mysterii memoriam celebrantes*, etc. Quare hujus solemnitatis celebrandæ viam non aperuit Gelasius papa, cum Lupercalia sustulit; tum etiam quia juxta citatos Patres Hildephonsum et Eligium non ex occasione Lupercalium hoc festum natum est, sed lustrationis urbis quæ Romæ agebatur, in honorem deorum infernalium, maxime vero Februi, id est Plutonis, superstitione in veram mutata religionem. Etsi enim Lupercalia fierent mense Februario, inferiæ tamen seu Plutonis sacra eodem mense celebrabantur, et hic mensis a deis inferis, seu Plutone est denominatus, non vero a Lupercalibus, ut videre est apud Varronem, lib. v de Lingua Latina: *A Deis infereis Februarius appellatus, quod his parentetur.* Ovidium, lib. II Fastorum:

> Aut quia placatis sunt tempora pura sepulcris,
> Tunc cum ferales præteriere dies;

Macrobium, lib. I Saturn. cap. 13: *Secundum* (mensem) *dicavit deo Februo, qui lustrationum potens dicitur. Lustrari enim eo mense civitatem necesse erat, quo statuit ut justa diis Manibus solverentur*; et sanctum Isidorum, lib. v Orig., c. 32: *Februarius nuncupatur a Februo, id est Plutone, cui eo mense sacrificabatur; nam januarium diis superis, Februarium diis Manibus consecrarunt.* Ex quibus omnibus locis lustrationem urbis, et inferias mense celebratas Februario, eumdemque mensem a Februo, id est Plutone, appellatum fuisse facile cognoscitur. His quadrant quæ scribit Cedrenus ad annum mundi 5281: Ἀνύσιος ἐν τῷ περὶ μηνῶν, Φεβρούον τὸν καταχθόνιον τῇ Θούσκων φωνῇ, λέγει. Ὁ δὲ Λαβεὼν, ἀπὸ τοῦ πένθος λέγει κληθῆναι τὸν φεβρουάριον· φέβρους γὰρ παρὰ Ῥωμαίοις τὸ πένθος προσαγορεύεται· κατ' αὐτὸν δὲ τοὺς κατοιχομένους ἐτίμων, καὶ φεβρουάρα τὸ καθᾶραι. Id est, Anysius, **308** lib. de Mensibus, Etrusca lingua Februum appellari ait eum qui est apud inferos. Labeo Februarium a dolore dictum autumat, quia Februs Romanis dolor dicatur; eo mense defunctos honorabant. Februare porro est purgare. Nihilominus tamen sanctus Augustinus, lib. XVIII contra Faustum, cap. 5, scribit Februarium nominari a sacris Februis Lupercorum; a qua sententia non multum abest Festus, qui scribit Februarium a Junone Februata, quam alii Februalem, Romani Februlim vocant dici; et ejus ferias esse Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, id est pelle caprina. Sed superior opinio potior videtur.

164. *Ad Collectam.* Per [a] Collectam hoc loco quidam arbitrantur significari collectionem eleemosynarum, et hanc Missam inscribi *Ad Collectam*, quia diebus solemnioribus fiebant eleemosynæ. Quod etsi admiserim, non opinor tamen hoc loco per Collectam significari eleemosynam, sed conventum et synaxim ad divinum officium peragendum, et communes preces fundendas, atque etiam ipsum divinum officium. Sanctus Hieronymus, in Epitaphio Paulæ: *Quo signo vocabantur ad Collectam.* Sanctus Epiphanius epist. ad Joannem episcopum Hierosolymitanum: *Cum igitur celebraretur Collecta in Ecclesia villæ, quæ est juxta monasterium nostrum.* Sanctus Pachomius, in Regula, ex interpretatione sancti Hieronymi, art. 107: *Sex Orationes facient vespertinas juxta exemplum majoris Collectæ.* Art. 121: *Si quis tulerit rem non suam, ponetur super humeros ejus, et aget pœnitentiam publice in Collecta.* Hujus loci explicatio patet ex Ordine Romano. Nam ibi narratur ut in hac celebritate clerus et populus colligitur, seu congregatur, ad sanctum Adrianum exspectans pontificem: Pontifex, ingressus sacrarium, induit se nigris vestibus, et schola cantat *Exsurge*; tunc sequitur Oratio ad Collectam *Exaudi*, seu *Erudi*, ut in quibusdam ex nostris Sacramentariis legitur; postea cerei benedicuntur. Benedictione expleta, proceditur ad sanctam Mariam, ubi Missa celebratur. Id confirmatur ex Missa nativitatis sanctæ Mariæ in hoc Codice, in qua Orationem ipsius alia præcedit, cui præfigitur hic titulus, *Ad Processionem.* Ubi Processio sumpta saltem pro suo termino, id est procedentium, cum ad ecclesiam pervenerint, cœtu, nihil aliud est quam in quod Collecta in hac Purificationis celebritate appellatur.

165. *Erudi.* Ita in Editis, et in Cod. nostris mss., et apud Pamelium. In Ordine et Missali Rom. legitur *Exaudi*. Et sane, quamvis τὸ *exaudi* non sit rejiciendum, τὸ *erudi* huic orationi optime congruit, quasi populus per exteriorem cultum eruditus possit gratiam assequi interiorem, quæ exteriori illo cultu designatur.

166. *Ministrum.* Servum, subditum, quia Christus singulari humilitatis exemplo se legi subjecit; et qui infinito sanguinis sui pretio mundum venerat redempturus, pusillis quinque siclis redimi voluit.

167. *Pœnarum.* In Cod Rhemensi, *peccatorum*, id est, tortorum, carnificum, tyrannorum.

168. *Agathen.* Ita in aliis Codd. nostris mss. juxta formam Græcam, ἀγαθή.

169. *Semper exstitit.* In Editis deest τὸ *semper*.

170. *Hæc Hostia.* Non simplex panis et vinum, sed Christus, qui sub speciebus panis et vini est immolandus. Hæc enim vocabula non sunt nude consideranda, sed prout ad Christum referuntur.

171. *Per florem virginalis uteri.* Id est Christum, florem verum, qui fusus est ex utero Virginis. Juxta illud Isaiæ, cap. XI: *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet.*

309 172. *Conservata justitia*, etc. Justum enim erat ut Adami carne victa a diabolo caro Christi diabolum vinceret, ut elatus de carne prostrata a carne sterneretur.

173. *Quæ est salutifera, et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum.* Ita in Cod. Ratoldi, et apud Guitmundum infra citandum. In Sacramentis Ambrosianis et Cod. Rodradi: *Quæ salutifero et ineffabili divinæ gratiæ sacramento offertur.* In Cod. Rhem.: *Quæ est mira rursus et ineffabilis divina gratia sacramenti.* Sed legendum puto *et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum.*

174. *Et unum Christi corpus sancti Spiritus infusione perficitur.* Recte. Siquidem Spiritui sancto veteres attribuunt productionem corporis et sanguinis Christi in Eucharistia, per quamdam appropriationem videlicet. Sanctus Cyrillus Hieros., Cathec. 5 mystagogica: Παρακαλοῦμεν τὸν φιλάνθρωπον Θεὸν, τὸ ἅγιον πνεῦμα ἐξαποστεῖλαι ἐπὶ τὰ προκείμενα, ἵνα ποιήσῃ τὸν μὲν ἄρτον σῶμα Χριστοῦ, τὸν δὲ οἶνον αἷμα Χριστοῦ. Πάντως γὰρ οὗ ἂν ἐφάψαιτο τὸ ἅγιον πνεῦμα, τοῦτο ἡγίασται καὶ μεταβέβληται. Id est: Rogamus Deum benignum ut super ipsa proposita sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum vero sanguinem Christi. Omnino enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur et transmutatur. Theophylactus, in v cap. Joan.: Μεταποιεῖται ἀπορρήτοις λόγοις ὁ ἄρτος οὗτος διὰ τῆς μυστικῆς εὐλο

[a] Varias Collectæ significationes repete ex scholiis Angeli Roccæ ad hunc locum, in Edit. Vatic. et Ussanvil.

γίας, καὶ ἐπιφοιτήσεως τοῦ ἁγίου πνεύματος, εἰς σάρκα τοῦ κυρίου. Id est : Transformatur arcanis verbis panis iste per mysticam benedictionem et infusionem sancti Spiritus in carnem Domini. Idem scribit sanctus Joannes Damascenus, lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 14, ubi docet panem et vinum transformari in corpus et sanguinem Christi, per illapsum Spiritus sancti, quemadmodum verbum Dei incarnatum est in utero Virginis per ejusdem Spiritus sancti infusionem : *Quomodo fiet istud, dicit sancta Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel archangelus : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Καὶ νῦν ἐρωτᾷς, πῶς ἄρτος γίνεται σῶμα Χριστοῦ, καὶ οἶνος καὶ τὸ ὕδωρ αἷμα Χριστοῦ ; λέγω σοι κἀγω· Πνεῦμα ἅγιον ἐπιφοιτᾷ, καὶ ταῦτα ποιεῖ ὑπὲρ λόγον καὶ ἔννοιαν. Id est : *et nunc interrogas quomodo panis fit corpus Christi, et aqua et vinum sanguis Christi? Ego quoque dico tibi : Spiritus sanctus supervenit, et hæc operatur supra quam dici et intelligi potest.* Ita etiam docet sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus, in mystica Theoria : *Unde et Sanctus spiritus beneplacito Patris, et voluntate Filii invisibiliter præsens præmonstrat divinam confectionem, et manu sacerdotis obsignat :* καὶ μεταβάλλει, καὶ τελειοῖ τὰ προκείμενα ἅγια δῶρα εἰς σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Id est : *Et convertit, et conficit proposita sancta dona in corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi.* Id etiam apparet ex veteri inscriptione altaris lignei argento obducti, quondam ædificati munificentia Rogerii episcopi Elloronensis :

Res superimpositas commutat Spiritus almus,
Fit de pane caro, sanguis substantia vini,

ut habetur lib. V Hist. Bearnensis, cap. 18, auctore clarissimo ac doctissimo viro Petro de Marca.

Quare olim quibusdam sanctissimis viris hæc sacrosancta mysteria conficientibus, sancti Spiritus præsentia sub quodam visibili signo apparere solebat, ut quondam sancto Joanni abbati, cognomento Chozebitæ, qui postea fuit Cæsareæ Palæstinæ episcopus, ut refert Joannes Moschus, in Limonario, cap. 25, 27. Idem scribit de quodam presbytero cujusdam in Cilicia pagi, nomine Mardardus, qui non prius Missam incipiebat quam videret Spiritum sanctum altari obumbrantem ; et cap. 150 scribit de quodam Rumelli prope Romam episcopo, qui ad Orationem oblationis **310** solebat videre descensum Spiritus sancti, et celebrans coram papa Agapeto, amoto quodam diacono, qui ei erat impedimento, ipse cum papa vidit adventum Spiritus sancti

175. *In singulis portionibus totus est.* Huic doctrinæ quadrat illud sancti Basilii, epist. ad Cæsariam patriciam : Ταυτὸν τοίνυν ἐστὶ τῇ δυνάμει, εἴτε μίαν μερίδα δέξεταί τις, εἴτε πολλὰς μερίδας ὁμοῦ. Id est : Idem igitur est potestate, sive quis unam particulam accipiat, sive multas simul. Unde præclare dicit sanctus Cæsarius, dial. 3, interr. 169 : Τὸ ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης ἱερουργούμενον, καὶ τῷ θιάσῳ παντὶ ἀτμήτως διαιρούμενον καὶ ἀλήκτως μετεχόμενον. Id est : Quod in sacra mensa consecratur, et universo cœtui sacro indivise dividitur, et sine defectu participatur. Hujus autem Præfationis meminit Guitmundus lib. I de corporis et sanguinis Christi in Eucharistia Veritate : *Ne autem me quis existimet hanc sententiam ex meo sensu commentatum, Præfationem istam, quæ per totum pene orbem Latinum inter Epiphaniam et Septuagesimam in quadam die Dominica habetur, hic supposui hæc continentem : Æterne Deus, et tibi hanc immolationis Hostiam offerre, quæ est salutifera, et ineffabile divinæ gratiæ sacramentum ; quæ offertur a plurimis, et unum Christi corpus sancti Spiritus infusione perficitur. Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est, nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis*, etc. Et Algerus lib. I de eodem Sacramento, cap. 15, hæc ejusdem Præfationis quam sancto Ambrosio attribuit, verba citat : *Item Ambrosius, Dominica quinta post Epiphaniam : Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Quæ verba etiam habentur in liturgia Ambrosiana.

176. *Per singulos.* Ita in Codicibus Rodradi et Ratoldi, apud Guitmundum, et in liturgia Ambrosiana. In cap. citato Algeri legitur *Per singulas*. Non male, quia ad τὸ *portionibus*, potest referri.

177. *Unum Christi corpus efficimur.* Juxta doctrinam sancti Augustini, tractatu 27 in Joannem : *Hoc ergo nos docuit et admonuit mysticis verbis, ut simus in ejus corpore sub ipso capite in membris ejus edentes carnem ejus, non relinquentes unitatem ejus.* Porro in Codice Rhemensi sequitur. IV *Idus Feb.*, *natale sanctorum Zotici, Hiacynthi, Herennii*, ubi legendum *Irenæi*, ut apud Usuardum, et in Martyr. ms. Bibl. Corb. hac die. In Martyrol. sancti Hieronymi ms. : *Romæ, Sotheris, Zotici, Jacinthi, Hirenei, Dionysii.* Pro quo ultimo, apud Usuardum, et in Martyrol. ms. citato, habetur *Amantii*. Missa est hujusmodi. Oratio : *Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam*, etc. Super oblata : *Suscipe, Domine, populi tui pro martyrum festivitate sanctorum*, etc. Sed videtur deesse τὸ *Hostias*, vel τὸ *sacrificium*, aut quid simile. Postcommun. : *Sacramenti tui, Domine, quæsumus, sumpta benedictio*, etc.

178. *Natale sancti Valentini* [a] *martyris.* Ita in Editis, apud Pamelium et in Codicibus nostris mss., excepto Rhem., in quo habetur : *Natale sanctorum Valentini, Vitalis, Filiculæ et Zenonis.* Qui sancti omnes occurrunt eodem die in Martyrologio Usuardi. *Romæ Natalis beati Valentini præsbyteri*, etc. *Item Romæ, sanctorum Vitalis, Feliculæ et Zenonis.* Idem habetur in Martyrol. Notkeri et in Martyrol. ms. Corb. Biblioth., in quo male legitur *Feniculæ*. Horum Missa est hujusmodi. Oratio. *Tuorum nos, Domine, quæsumus, precibus tuere Sanctorum*, etc. Super oblata. *Ad Martyrum tuorum, Valentini, Vitalis, Feliculæ et Zenonis, Domine, festa venientes*, etc. Postcomm. *Protege, Domine, plebem tuam*, etc. **311** In eodem Cod. Rhem. sequitur : XIV *Kalend. Mart.*, *nat. sanctæ Julianæ.* Hæc est Juliana virgo et martyr, quæ Nicomediæ passa est, de qua Martyrologium sancti Hieronymi eodem die : *Nicomediæ, passio sanctæ Julianæ virginis et martyris.* Apud Usuardum, et in Martyrol. ms. toties citato : *Cumis, sanctæ Julianæ virginis, quæ post varia tormenta*, etc. Sed locum nominant translationis, non passionis, ut ex Martyrologiis Notkeri et Rabani notum est his : *quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus, Deo disponente, in Campaniam translata.* Missa autem est ejusmodi. Oratio : *Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi, ut fortia quæque confundas*, etc. Super oblata : *In sanctæ martyris tuæ Julianæ passione pretiosa*, etc. Postcomm. *Libantes. Domine*, etc.

179. [b] *Cathedra sancti Petri.* Sine adjuncto, ut apud

---

[a] Abest *martyris* in Calensi. Ante hoc festum in Gemet. multa alia assignantur, scilicet sancti Vedasti conf., VIII Idus Febr. ; sanctæ Scholasticæ virg., IV Id. Febr., et sanctæ Sotheris virg. eodem die. Denique sanctæ Eormenihildæ virg., Idibus ejusdem mensis.

[b] Omittitur in Cod. Cal. In Sacramentario Gallic. quod edidit D. J. Mabill. ex Cod. ante mille ann. exarato Musei Ital., tom. I, parte II, exstat quædam Missa, *Romensis* dicta, cujus prima Oratio eadem est ac festi Cathedræ sancti Petri : *Deus, qui b. Petr. apost., collatis clavibus*, etc., etsi in tota Missa nulla amplius sancti Petri mentio fiat. In veteri Lectionario Luxov. præscribuntur legenda hoc in festo, et in Missali Gothico assignatur Missa in Cathedra sancti Petri apostoli. Festum hujus Cathedræ in Januario apud Gallos olim celebratum fuisse optime probat Mabil. lib. II de Liturgia Gallic., pag. 120.

Pamelium, in Cod. Rodradi, in II parte, et in Cod. Rhem. et in parvulo Martyrol. ms., qui est ad calcem ejusdem libri. In Editis additur, *in Roma*. In Cod. Ratoldi habetur *in Antiochia*, *Cathedra sancti Petri*. Apud sanctum Augustinum inter sermones de Sanctis exstat sermo 15, de Cathedra sancti Petri, in quo in paganorum superstitionem ita invehitur : *Cum solemnitatem hanc Ecclesiis merito religiosa observatio introduxerit, miror cur apud quosdam infideles* (lege, fideles) *hodie tam perniciosus error increverit, ut super tumulos defunctorum cibos et vina conferant, quasi egressæ de corporibus animæ carnales cibos requirant*. Et in concil. Turon. II, can. 22, fit mentio ejusdem festivitatis et similium superstitionum : *Sunt etiam qui in festivitate Cathedræ domni Petri apostoli cibos mortuis offerunt. Redeuntes ad domos propias ad gentilium revertuntur errores, et post corpus Domini sacratas dæmoni accipiunt escas. Contestamur illam sollicitudinem tam pastores quam presbyteros gerere, ut quemcunque in hac fatuitate persistere viderint, vel ad nescio quas petras, aut arbores, aut ad fontes, designata loca gentilium perpetrare, quæ ad Ecclesiæ rationem non pertinent, eos ab Ecclesia sancta auctoritate repellant*. In his locis de die festi et mense tacetur; ex verbis tamen citatis satis conjicere datur agi de Cathedra sancti Petri, quæ mense Februario celebratur. Primo enim mentio fit eorum qui paganorum ritu mortuis parentabant, eorumque sepulcris dapes inferebant, quod olim fiebat in Feralibus, quæ in prisco Kalendario Romano incipiunt die 20 Februarii, et durant fere usque ad finem ejusdem mensis, in quibus Manes placabantur, eorum tumulis, cibo quo vescerentur apposito, ut constat ex Ovidio, lib. II Fast., qui est de mense Februario.

> Nunc animæ tenues, et corpora functa sepulcris
> Errant, nunc posito pascitur umbra cibo.
> Non tamen hoc ultra quam quot de mense supersunt
> Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
> Hanc quia justa ferunt dixere Feralia lucem.

De hac superstitione scribit Varro, lib. V de lingua Latina : *Feralia ab inferiis et ferendo, quod ferunt, tum epulas ad sepulcrum, quibus jus ibi parentare*. Secundo in citato concilio arguuntur ii qui ad nescio quas petras agunt ea quæ ad Ecclesiam non pertinent : quæ sane petræ nihil aliud sunt quam termini agrorum quas olim sub Dei Termini nomine colebant, et festum appellabant terminalia Pagani, quod, ut Cathedra sancti Petri Antiochiæ, incidit in 22 Februarii, ut clarum est ex antiquo Kalendario Romano, hoc modo : TER. N'. de quo etiam canit Ovidius libro supra citato, eodem mense.

312
> Nox ubi transierit solito celebretur honore,
> Separat indicio qui deus arva suo :
> Termine sive lapis, sive es defossus in agro
> Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

De eo etiam agit Varro, libro citato. Quare cum in hoc concilio, et in Codicibus mss. supra citatis nominetur cathedra sancti Petri sine adjuncto, puto olim hoc 22 die Februarii solemnitatem utriusque Cathedræ celebratam fuisse, et decursu temporis Cathedræ soli Antiochenæ devolutum fuisse. Præterea notandum in nostris Codicibus mss. nullum esse festum Cathedræ sancti Petri Romæ, ut neque in Editis, neque apud Pamelium.

180. *Pontificium*. Pontificium hoc loco est Potestas, auctoritas. Legis Burgundionum tit. 19, § 6 : *Quod si intra tres menses soluto debito pignora sua non perceperit, post modum ea requirendi pontificium non habebit*. Et tit. 49, § 1, *hujus vero actionis pontificium circa manumissores tantum de libertis suis præcipimus custodiri*. Ita apud Marculphum formula 23 : *Et alicubi ipsam alienare pontificium non habeas*; et formula 27 : *Ea scilicet ratione, ut nihil exinde penitus de qualibet re alienandi aut minuendi pontificium non habeamus*; et apud Arnobium, in Psalm. LVIII : *Accipiunt pontificium judicandi et corripiendi*.

181. *In Patriarchis fundasti*. Ita in omnibus Codicibus nostris mss. et in Editis atque apud Pamelium, ac proinde hæc lectio *mundasti*, quam quidam astruere volunt, est explodenda. Recte enim dici potest Ecclesiam fundatam esse in patriarchis, quia primis illis Christus revelatus est, et fides eorum est nostræ præambula. Deinde τὸ *mundasti* nullum rectum sensum efficere potest, cum dici non possit Ecclesiam, quæ nondum erat, in patriarchis fuisse mundatam.

182. *Ut quæ statuisset in terris*. Explicat id quod olim Christus Petro allegorice dixerat : *Et dabo tibi claves regni cœlorum*, etc.

183. *Sancti Matthiæ*. Hæc festivitas non exstat in aliis Codicibus nostris mss. [a].

184. *Numerus sacratus*. Duodenarius videlicet apostolis collegii olim significatus per duodecim patriarchas, per duodecim fontes aquarum et duodecim portas cœlestis Jerusalem. Porro in Cod. Rhem. sequitur : *Non. Martii, natale sanctarum Perpetuæ et Felicitatis*; de quibus eodem die agit Martyrol. ms. biblioth. Corbeiensis : *In Mauritania civitate Tuburtanorum, passio sanctarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis, et cum eis Revocati, Saturnini et Secundoli*. In Martyrologio Usuardi : *In Mauritania civitate Tuburbitanorum, natalis sanctarum martyrum Perpetuæ et Felicitatis, et cum eis Revocati, Saturnini et Secundoli, quorum ultimus in carcere quievit, reliqui omnes ad bestias sunt traditi sub Severo principe*; et in Martyrologio ms. sancti Hieronymi : *In Mauritania civitate Turbitanorum, passio sanctarum Perpetuæ et Felicitatis*; et ibidem supra eodem die fit mentio *Saturnini, Revocati, Secundili* (leg. *Secundoli*) post alios sanctos qui assignantur Antiochiæ. Sed puto omissum esse τὸ *in Africa*, saltem ante τὸ *Saturnini*. Plura vide apud Baronium hoc die. Missa est ejusmodi. Oratio : *Da nobis, Domine Deus noster, sanctarum martyrum palmas incessabili veneratione venerari*, etc. Super oblata : *Intende, Domine, munera, quæsumus, altaribus tuis*, etc. Postcommunio : *Præsta nobis, Domine, quæsumus intercedentibus sanctis, ut quæ ore contigimus*, etc.[b].

185. *Præstent nobis, Domine*, etc. **313** In Rodr. et Rat. edictis Codicibus : *Deus, qui beatum Gregorium*, etc. Porro in Cod. Ratoldi sequitur festum *sancti Cutberti episcopi* [c] : is fuit episcopus Lindisfarnensis, cujus vitam scripsit Beda, prosa metroque : de quo etiam agit lib. IV Hist. Anglorum. Vita sancti Cutberti, quæ a Beda versu scripta est, exstat apud Henricum Canisium, tomo V antiquæ lectionis. [d] Missa est hujusmodi : Oratio : *Sanctus et gloriosus Cutbertus martyr*. Super oblata : *Hoc sacro Christi opere, et omnium sanctorum martyrum*, etc. Præfatio : *In hac die migrationis ad Christum sanctissimi sacerdotis Cutberti*, etc. Benedictio : *Domine Deus omnium gratiarum, respice omnem hunc populum tuum, qui in honore tuo divinis famulatur officiis; et quidquid sancto martyri tuo Cutberto hodierna die profuit ad beatitudinem, prosit huic Ecclesiæ ad exemplum. Amen*. etc. Ad Complendum. *Satiatis, Domine, munerum tuorum donis*, etc. In hac Missa cur sanctus Cutbertus martyr appelletur rationem non video, cum nihil tale de eo scripserit Beda, nec Usuardus hoc die. Huic Codici Ratoldi favet Martyrologium ms. bibliothecæ Corbeiensis, ubi eodem die sic habetur : *In Britan-*

[a] Neque in Mss. Reg. Suec. et Calensi. Continetur in Gemet. ac Theoderic.

[b] Eadem Missa assignatur in Gemet. ac Theod. hoc ipso die, scilicet Nonis Martii.

[c] Consentit Cod. Gemet.

[d] Missa omnino est diversa in Cod. Gemet., nec in Orationibus aut in Præfatione vocatur unquam martyr.

niis natale sancti Cutberti martyris : In [a] eodem Codice Ratoldi sequitur, XII Kalend. April., *natale sancti Benedicti abbatis.* Cujus Missa est hujusmodi : *Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosi Benedicti exempla (leg. exemplar) et humilitatis triumphale nobis ostendisti*, etc. Præfatio : *Honorandi Patris Benedicti gloriosum celebrantes diem*, etc. Benedictio, ut in Missa sancti Cutberti. Ad complendum : *Perceptis, Domine noster, salutaribus Sacramentis*, etc. Super populum : *Plebem nominis tui subditam*, etc.

186. *Annuntiatio Angeli ad sanctam Mariam.* Ita in Excusis ex Vaticano; sed in aliis Codicibus nostris mss. legitur : [b] *Annuntiatio sanctæ Mariæ.* Hoc festum in concilio Trullensi, can. 52, appellatur ἡ ἁγία τοῦ εὐαγγελισμοῦ ἡμέρα. Id est, sancta Annuntiationis dies. In novella Manuelis Comneni imperatoris, apud Theodorum Balsamonem, in caput primum tituli septimi Nomocanonis Photii : τῆς θεομήτορος εὐαγγελισμός, id est, Dei matris Annuntiatio. In Chronico Alexandrino, olympiade 351, ἡ ἡμέρα τοῦ εὐαγγελισμοῦ τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς θεοτόκου, id est, dies Annuntiationis Dominæ nostræ Dei genitricis. A Codino Curopalate, in libro de Officiis absolute dicitur εὐαγγελισμός, id est, Annuntiatio.

187. *In beatæ Virginis utero.* Ita in Codice Rodradi presbyteri, et apud Pamelium. Recte. Nam Matthæi I, 20, legitur *quod in ea natum est.* In Missali Romano legitur *de beatæ*, etc. Hæc autem Oratio videtur esse ad Processionem seu Collectam, etc.; etenim alia notatur ad Missam.

188. *In beatæ Virginis alvo.* Ita in Codice Rodradi. Recte. In Codice Ratoldi, in Editis, et apud Pamelium deest præpositio *in.*

189. *Incarnari.* Ita in Codice Rodradi. Optime. In Codice Ratoldi, in Editis, et apud Pamelium, legitur [c] *coadunare.* Quam lectionem si quis probare velit, necesse est præpositionem *in*, quæ excidit ex prænominatis Codicibus, restitui, legendo [d] *In Beatæ Virginis alvo coadunare*, ut sensus sit : Deus, qui in beatæ Virginis alvo Verbum tuum humanæ nostræ naturæ videlicet coadunare voluisti ; alioqui sensus hic sequeretur Deum voluisse coadunare Verbum suum Beatæ Virginis alvo, qui est absurdissimus.

190. *Præsentem solemnitatem.* In Codice Rodradi legitur [e] *Præsentem celebritatem.* In Editis et in Codice Ratoldi legitur : *Fac nos ita peragere.* Male.

191. *Pace concessa.* Non tam externa **314** quam interna.

192. *Divinæ gratiæ.* Quam angelus, Lucæ I, appellat virtutem Altissimi.

193. *In Septuagesima.* De Septuagesima consule notas et observationes nostras ad Concordiam regularum sancti Benedicti abbatis Anianæ, cap. 56, § 7.

194. *Ut terrenis sustentationibus expediti.* Quia tunc olim ecclesiasticorum hominum jejunia incipiebant.

195. *Et per eum cibum, etc.* Quia juxta temporum diversitatem a Deo cibus terrenus et spiritalis datur, terrenus extra jejunium, spiritalis in jejunio; id est, cum jejunant homines, spiritali cibo magis abundant.

196. *Perventione.* Ad vitam æternam.

197. *In Sexagesima.* Concilium Aurelianense IV, can. 2, prohibet presbyteris indicere Sexagesimam et Quinquagesimam : *Hoc etiam decernimus observandum, ut Quadragesima ab omnibus Ecclesiis æqualiter teneatur; neque Quinquagesimam aut Sexagesimam ante Pascha quilibet sacerdos præsumat indicere.* Sed concilium non interdicit officio ejusmodi dierum, sed jejunio duntaxat, quia ii qui in Sexagesima et Quinquagesima jejunabant jejunium Sabbati in Quadragesima minime servabant, et in supplementum dierum sabbatinorum et dominicorum in Sexagesima et Quinquagesima jejunabant. Unde concilium subjungit : *Sed neque per Sabbata absque infirmitate quisquam solvat Quadragesimæ jejunium, nisi tantum die Dominico prandeat.* Quod quidem Sabbati jejunium in Quadragesima, in concilio Agathensi olim præceptum fuerat can. 12 : *Placuit etiam ut omnes Ecclesiæ filii, exceptis Dominicis, in Quadragesima, etiam die Sabbato, sacerdotali ordinatione, et districtionis comminatione jejunent.* Sed cum hoc decretum nullo loco poneretur, in conc. Aurelianensi IV renovatum est, propter Gothos maxime, qui cum fidem ab Orientalibus accepissent, Sabbati jejunium ex eorum more minime servabant, et in hanc consuetudinem cohabitatores Gallos trahebant.

198. *Ad ejus plenitudinem.* Plenitudo sacri muneris est gratia quam Eucharistia plene et abundanter confert.

199. *Quatenus triceni.* Juxta Evangelii verba, Matth. XIII, quæ ita exponit sanctus Hieronymus, lib. I contra Jovinianum circa principium : *Triginta referuntur ad nuptias. Nam et ipsa digitorum conjunctio, quasi molli complexans osculo et fœderans, maritum pingit et conjugem. Sexaginta vero ad viduas, eo quod in angustia et tribulatione sunt positæ; unde et superiori digito deprimuntur ; quantoque major est difficultas expertæ quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto majus est præmium. Porro centesimus numerus (diligenter, quæso, lector, attende) de sinistra transfertur ad dexteram, et eisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in læva nuptæ significantur et viduæ, circulum faciens, exprimit virginitatis coronam.* Et specialius a Beda libro de numerandi ratione exprimuntur. Tricesimus numerus de digitorum conjunctione ita explicatur : *Cum dicis triginta, ungues indicis et pollicis blando conjunges amplexu.* Sexagesimus in hunc modum : *Polli cem, ut supra curvatum indice circumflexo diligenter a fronte præcinges.* Centesimus ita : *centum vero in dextera, quomodo in læva decem, facies.* At decem ita fiunt auctore eodem Beda supra : *cum dicis decem, unguem indicis in medio figes artu pollicis.* Dicit autem sanctus Hieronymus centesimum de sinistra transferri ad dexteram, quia prima computatio fit **315** in lævæ manus digitis, usque ad centesimum ; quibus decursis fit transitus ad dexteram, in qua computatio incipit a centesimo. Unde Juvenalis, satyra decima de homine longævo dixit :

> Felix nimirum, qui per tot sæcula mortem
> Distulit, atque suos dextra jam computat annos.

Et cum ventum est ad decem millia, in læva denuo computantur, cum supina in medio pectoris apponitur, ait Beda. Unde jocus Nicarchi poetæ, lib. II Anthologiæ in quamdam anum vivacem admodum :

> Ἡ χειρὶ λαιῇ
> Γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.

Id est, quæ læva denuo manu senectutem incipit computare [f].

200. *Adsit nobis.* In Codice Rhemensi legitur *sit nobis.*

201. *Et sacrificium celebrandum.* Ita in Codicibus Rodradi et Ratoldi, et apud Pamelium. In Editis et in Missali Romano legitur, *et ad sacrificium celebrandum.* [g] In Codice Rhemensi est alia Oratio : *Sacrificium, Domine, observantiæ paschalis offerimus*, etc. Ubi observantia paschalis est jejunium quadragesimale, quia illud est quædam ad paschalis festi ce-

[a] Ex Gemet. et Theod hoc festum celebratur cum vigilia solemni.

[b] Sic habet Codex Calensis, consentiuntque Gemet. ac Theod.

[c] Ita quoque legitur in Gemet.

[d] Particula *in* deest in Cod. Gemet.

[e] Ita in priori Theod. At in Gemet. legitur : *fac nos ita hunc diem peragere.*

[f] Quæ collegit hic eruditissimus Menardus egregie confirmant a nobis dicta in nota *d* ad hom. 5. lib. II in Ezech., num. 12.

[g] Ita quoque in Cod. Reg. Sueciæ.

lebritatem dispositio. Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, in epist. ms. monasterii sancti Remigii Rhemis siti, jejunium quadragesimale paschale appellat : *Et qui jejunia*, inquit, *paschalia inchoastis, ante oculos habete quid in pascha, id est in transitu suo ex hoc mundo ad patrem Dominus Jesus, tradendo corpus et sanguinem suum discipulis suis de reprobo discipulo dixit*. Sed hac de re infra.

202. *Et Majestatem tuam cernua devotione exorare*. Hæc verba desiderantur in Codice Rhemensi.

203. *Cernua*. Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat, inquit Nonius Marcellus, cap. 1.

204. *Caput jejunii*. Hanc celebritatem seu missam adjectam esse post obitum sancti Gregorii certum est, cum illius tempore quatuor illos ante Quadragesimam dies nulla jejunii lex involveret, ut clarum est ex ipso sancto Gregorio, homil. 16 in Evangelia, cum scribit : *A præsenti enim die usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadæ veniunt, quarum videlicet dies quadraginta duo sunt : ex quibus dum sex dies Dominici abstinentiæ subtrahuntur, non plus in abstinentia quam triginta et sex dies remanent. Dum vero per trecentos et sexaginta quinque dies annus ducitur nos autem per triginta et sex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus*. Cum igitur hoc loco assignet sanctus Gregorius numerum dierum quibus in Quadragesima jejunium servandum sit, nec quatuor hi dies Quadragesimam præcedentes hoc dierum intervallo circumscribantur, certum est illos nullis tum jejuniis fuisse obnoxios. Nec obest quod paulo ante exemplo Christi, Mosis, Eliæ, de quadraginta diebus agat ; nam etsi olim multi quadraginta completis diebus non jejunarent, sed paucioribus, tamen dicebantur quadraginta dies, et quadragesimam jejunare, ut notat Socrates lib. v Hist. eccl. cap. 21. Eamdem dierum decimationem observabant olim Orientales, et Ægyptii, ut docet Cassianus, collatione 21, capitibus 25 et 27, et sanctus Dorotheus, doctrina 15. Qui præfatæ decimationi adjungebant dimidiam noctem Dominicæ sanctæ Paschalis : jejunantibus enim illis Sabbato sancto ante gallicinium Dominicæ jejunium solvere nefas erat. Quia vero diebus Dominicis et sabbati, excepto sancto, non jejunabant, septem hebdomadas observabant. Qui vero inter Græcos quadraginta dies integros jejunabant, per octo hebdomadas Quadragesimam **316** protelabant, ut docet sanctus Dorotheus ibidem. Non enim una fuit olim jejunii Quadragesimalis observandi ratio, sive apud catholicos, sive apud hæreticos, ut palam est ex Socrate, lib. v Hist. ecclesiasticæ, cap. 21 ; Sozomeno, lib VII Hist. eccl, cap. 19 ; Joanne Chrysostomo, homil. 16, ad populum Antiochenum ; Bibliotheca Photii, n. 107, et sancto Leone papa, serm. 4 in Quadragesima. Socrates, capite citato, scribit Romæ jejunium Quadragesimæ fuisse duntaxat trium septimanarum continuarum ante Pascha, Sabbatis et Dominicis exceptis. Sed cum excipit Sabbata a jejunio, puto textum ejus fuisse corruptum, et legendum esse ἐν νέα Ῥώμη, id est, in nova Roma, hoc est, Constantinopoli. Siquidem olim Constantinopoli tempore sancti Joannis Chrysostomi, ut ipse scribit homilia supra citata, ab omnibus integra Quadragesima non jejunabatur, aliis duas hebdomadas, aliis tres duntaxat, aliis omnes jejunantibus, ita ut post obitum sancti Joannis Chrysostomi, jejunii quadragesimalis ratio ad tres hebdomadas redacta fuerit, alioqui secum pugnaret Socrates, qui infra eodem capite scribit : ἐν Ῥώμῃ πᾶν σάββατον νηστεύουσι, id est, Romæ omni Sabbato jejunant. Et sane Romani omni Sabbato jejunabant, Græci minime, excepto Sabbato sancto.

205. *Ad collectam*. Nempe ad sanctam Anastasiam, quo procedebatur. Hac autem feria olim cineres pœnitentibus imponebantur; sed hac de re infra.

206. *Sacramenti*. Id est, observationis, celebritatis, quadragesimalis videlicet.

207. *Subsidium*. In Codicibus Rodradi et Ratoldi legitur *præsidium*. In Codice Rhemensi neutrum eorum exstat, sed utrumvis reponendum est.

208. *De peccati pœna*. Id est, de pœnitentia.

209. *Sacramenti*. Id est, gratiæ sacramentalis, metonymia, causa pro effectu.

210. *Observantiæ paschalis*. Hoc loco observantia Paschalis est jejunium Quadragesimæ, et ab Hincmaro in epistola ms. supra citata jejunium Quadragesimæ, appellatur jejunium paschale, et ita appellatur a Timotheo episcopo Alexandrino in interrogationibus, ut recte ibi explicat Theodorus Balsamo, interr. 7 : γυνὴ ἐὰν γεννήσῃ, τὸ Πάσχα ὀφείλει νηστεύειν; id est, mulier, si pepererit, debetne jejunare Pascha ? et interrog. 9 : *si quis ægrotus, et ex vi morbi valde labefactus*, καὶ ἔλθῃ τὸ ἅγιον Πάσχα, etc., id est, *et veniat sanctum Pascha, debetne jejunare?*

211. *Inutilia sentiunt*. Subaudi, esse agenda.

212. *Censendum*. Subaudi, rationabiliter.

213. *Cibus ejus est totius bonæ voluntatis*, etc. His verbis quadrat illud Joan. IV : *Cibus meus est, ut faciam voluntatem ejus qui misit me*.

214. *Sacramenti*. Id est, mysterii, arcani, sub cujus involucro aliquid mysticum latet, nempe ratio cur voluerit Christus hunc quadraginta dierum numerum suo jejunio consecrare.

215. *Per totam Quadragesimam*, etc. Hæc verba desunt in Editis et in aliis Codicibus nostris mss. et apud Pamelium [a].

216. *Stat operto capite*. Cum fit Oratio, videlicet, juxta antiquum Christianorum morem, cujus meminit Tertullianus in Apologetico : *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus imperatoribus*. **317** At contra pagani operto et velato capite orabant. Sanctus Cyprianus, Oratione de lapsis : *Ab impio sceleratoque velamine, quo illic velabantur sacrificantium capita captiva, caput vestrum liberum mansit*.

217. *Remedio*. Pro, *ad remedium*; et sensus est : præsta ut votiva sacramenta nobis proveniant ad remedium vitæ temporalis, recte peragendæ videlicet, et æternæ, adipiscendæ nimirum. Vulgo legitur *remedia*.

218. *Sabbato in duodecim lectionibus*. Hoc primum quatuor temporum jejunium olim non semper occurrebat prima hebdomade Quadragesimæ ; sed de hac re infra.

219. *Remedia nobis æterna*. Remedia æterna sunt quæ conducunt ad vitam æternam consequendam; est metonymia, ut pallida mors.

220. *Quæ se affligendo carne*. [b] Optima lectio, quam agnoscit Codex Rodradi, id est se affligendo in carne. Vulgo legitur *carnem*.

221. *Redemptionis æternæ*. Id est, gratiæ, quæ nobis conciliat redemptionem æternam. Est metonymia, effectus pro causa.

222. *Externis*. Id est, alienis; est enim antitheton, et opponuntur peccata propria alienis.

223. *Ignorantes*, id est peccatores.

224. *Et quæ terrena delectatione*. Locus corruptus, sicque, ut arbitror, castigandus : *Et qui terrenæ delectationi carnales epulas abnegamus, humanæ voluntatis pravas intentiones amputemus*.

225. *Nostræ redemptionis effectus*. Id est, gratia quam Christus nobis acquisivit suo sanguine. Infra, in Præf., continuo, id est, statim, protinus.

226. *Supernis promissionibus reddat acceptos*. Id est, nos tibi reddat acceptos et gratos ad supernas promissiones obtinendas.

[a] Minime quoque leguntur, in Mss. nostris.

[b] Hæc lectio confirmatur auctoritate Codd. Pamel., Reg. Sueciæ, Gemet. et utriusque Theoder.

227. *Hydriam.* Quid sit hydria, explicat auctor veteris etymologici, ὑδρία κυρίως τὸ εἰς ὕδωρ εὔθετον ἀγγεῖον, id est, hydria proprie vas est ad aquam aptum. Sanctus Augustinus, tractatu 15 in Joannem : *Vas erat unde aqua hauriebatur. Græco nomine appellatur hydria, quoniam Græce ὕδωρ aqua dicitur, tanquam si aquarium diceretur.* Sanctus Isidorus, lib. XX Orig., cap 6 : *Hydria vasis genus aquatilis per derivationem vocata*; ὕδωρ *enim Græci aquam dicunt.* Non solum erat vas aquarium, sed etiam vinarium, ut testatur Julius Pollux, lib. X Onomast., cap. 20 : ὥστε οὐ μόνον ὕδατος, ἀλλὰ καὶ οἴνου ἀγγεῖον ἡ ὑδρία ἦν. Id est : Quare non solum aquæ, sed etiam vini vas hydria erat ; et recte quidem, quia illæ hydriæ quarum usus fuerat in nuptiis, in Cana Galilææ, Joan. II, plenæ erant vino, quibus exhaustis, Christus eas impleri aqua jussit, ut eam in vinum converteret. In hac autem Præfatione hydria metaphorice sumitur.

228. *Indemnes.* Id est, nulli reatui peccatorum obnoxii.

229. *Quadrifida peccatorum mole.* Alludit ad quatriduanam Lazari corruptionem. Quadrifida peccatorum moles sunt præcipua peccata, superbia, avaritia, luxuria et gula.

230. *Et ad remedia perducant æterna.* Id est, perducant ad paschale sacramentum corporis et sanguinis Christi, quod recte dicitur æternum remedium, quia illius beneficio vitam æternam consequimur.

231. *Sacramenti*, id est, gratiæ sacramentalis, ut supra notatum est.

318 232. *Cujus nos misericordia prævenit ut bene agamus*, etc. Ita sanctus Augustinus in Enchiridio, cap. 28 : *Nolentem prævenit, ut velit; volentem subsequitur, ne frustra velit.* Circa quod notandum est, etsi non raro a theologis per gratiam prævenientem idem plane intelligatur quod per excitantem, et per subsequentem idem prorsus quod per adjuvantem, tamen sæpe per gratiam prævenientem intelligi omnes gratias ; excitantem, adjuvantem, habitualem, prout per eas justi reddimur ; per subsequentem vero omnes etiam intelligi, sed prout accepta justitia per eas roboratur, augetur, et ad finem usque conservatur. Unde sanctus Augustinus, lib. de Natura et Gratia, cap. 31 : *Prævenit Deus ut sanemur, subsequitur ut sanati vegetemur; prævenit ut vocemur, subsequitur ut glorificemur; prævenit ut pie vivamus, subsequitur ut cum illo semper vivamus.* Sanctus Fulgentius, lib. I ad Monymum, cap. 11 : *Prævenit impium ut fiat justus subsequitur ne fiat impius; prævenit cæcum ut lumen donet, subsequitur videntem ut lumen quod contulit servet; prævenit elisum ut surgat, subsequitur elevatum ne cadat.* Cassiodorus, in Psalmum XXII : *Subsequitur utique ad justitiam, præcedit ad gratiam conferendam. Nam si solum sequeretur, nemo donata perciperet; si tantum præcederet, nemo posset collata servare. Graviores sunt enim insidiæ quas a tergo diabolus parat; et nisi Domini misericordia subsequatur, facillime humana fragilitas decipitur. Tunc enim quando se aliquis vitium transisse credit, incauta magis ignorantia decipitur. Unde nimis necessarium est ut semper nos et gratia Domini præcedat, et misericordia subsequatur.* Et sanctus Gregorius, lib. IX Moralium, cap. 29 : *Dominus ea qua nos misericordia ad bene vivendum prævenit, et subsequenter custodit; nisi enim misericordiam subroget, servari non valet vita quam præbet.* Et hæc doctrina fundatur in Scriptura, Psal. LVIII : *Misericordia ejus præveniet me;* Psal. XXII : *Misericordia tua subsequetur me.* Cum ergo hic dicitur *prævenit ut bene agamus, subsequitur ne frustra agamus*, intelligitur gratiam prævenientem dari ad bene agendum, at subsequentem ad conservandum bonum concessum, et in eo perseverandum. Et ita ille frustra non agit, qui in bono quod incepit perseverat, et sic gratia subsequens datur ne frustra agatur.

233. *Dominica in ramis palmarum.* A Codino Curopalate in libro de Officiis dicitur : ἑορτὴ τῶν βαΐων, id est, festum Palmarum.

234. *Ut sicut ei cum ramis Palmarum*, etc. Nota antiquitatem solemnitatis Palmarum, in qua fit Processio cum ramis arborum benedictis. Quæ sane antiquissima est ; illius enim meminit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 10 : Ὁ φοῖνιξ ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος, μαρτυρεῖ τὰ βάϊα παρασχὼν πᾶσι τοῖς τότε εὐφημοῦσι. Id est : Palma quæ est in valle testatur, ramos exhibens his qui tunc benedicunt. Ejusdem solemnitatis meminit sanctus Aldhelmus orientalium Saxonum episcopus, lib. de Laudibus virginitatis, cap. 15, agens de S. P. N. Benedicto : *Haud frustra vocabuli* (Benedicti) *privilegium participavit cum Advocato et Redemptore nostro : de quo lactentes evangelici consona vocis harmonia psallentes concorditer cecinerunt : Benedictus qui venit in nomine Domini. Cujus rei regulam nostra quoque mediocritas* (authentica veterum auctoritate subnixi) *in sacrosancta Palmarum solemnitate, binis classibus, canora voce concrepans, et geminis concentibus, Osanna persultans, cum jucundæ jubilationis melodia concelebrat.* In Codice Ratoldi exstat Benedictio Palmarum. Alcuinus, lib. de divinis Officiis, cap. 14, totam Processionis rationem describens sub finem ait : *Hac finita inchoantur a duobus cantoribus quidam versus :*

Israel es tu Rex.

Respondet chorus aspiciens, seu inclinans se ad supra scriptum sanctum Evangelium :

Gloria laus et honor tibi sit.

319 *Et ordine sequuntur alii versus.* Sanctum Evangelium, cujus hic mentio fit illud est quod in quodam feretro positum gestabatur in illa Processione, ut scribit idem Alcuinus, supra, eodem capite. In loco citato notandi sunt ii versus, *Israel es tu Rex*, etc., *Gloria laus*, etc., quos vulgo dicunt a Theodulpho episcopo Aurelianensi, Andegavis in carcere compositos. Is enim, ut ferunt, cum insimulatus esset conjurationis, adversus Ludovicum Pium imperatorem cum Bernardo, Italiæ rege, Andegavis dicti imperatoris jussu in custodiam datus est, ubi hos versus composuit, quos cum in die Palmarum in ipso carcere decantaret, illac forte transiens imperator carminum melodia captus Theodulphum carcere liberavit, et ad sedem remisit. Hoc scripsere quidam auctores non adeo antiqui, quos erroris locus supra citatus Alcuini, in quo horum versuum fit mentio, convincit, cum Alcuinus obierit anno octingentesimo quarto, longe ante conjurationem Bernardi, ut testatur Oderannus monachus sancti Petri Vivi, in Chron. : Anno 804 *obiit Alcuinus philosophus abbas sancti Martini.* Sed apud antiquos scriptores, qui de gestis Ludovici Pii imperatoris scripsere, mirum est de ejusmodi historia, seu potius fabella, silentium, et quod ipsi scribunt de Theodulpho, et aliis conjuratoribus huic commento prorsus adversatur. Nam imperator, eodem anno 818, captis conjuratoribus, Aquisgranum reversus est, transactoque Quadragesimali jejunio paucis post Pascha diebus conjurationis auctores et Bernardum regem judicio Francorum capitali sententia condemnatos luminibus tantum jussit orbari ; episcopos synodali sententia depositos monasteriis mancipari ; cæteros, prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exsilio proscripsi, vel detonderi, atque in monasteriis conversari, ut scribit Eginhardus ad eumdem annum. Idem scribit Theganus. lib. de Gestis Ludovici Pii imperatoris, num. 22, solius depositionis episcoporum, nulla in monasteriis detrusionis mentione facta. Idem testatur quidam anonymus antiquus scriptor in Vita Ludovici Pii ubi refert Theodulphum et cæteros episcopos fuisse depositos, et monasteriis obtrusos, nempe in exsilium. Siquidem se in exsilium actum fuisse testatur ipse Theodulphus, epistola ad Modoinum episcopum :

Hoc, Modoine, tibi Theodulphus dirigit exsul.
Summo pontificum cernuus ecce meus.

Et in epi tola ad Aigulphum episcopum :

> Hoc, Aigulphe, tibi, præsul sanctissime, mitto
> Theodolphus carmen exsul, ab exsilio.

Et in epistola citata ad Modoinum conqueritur se non fassum injuste fuisse episcopatu abdicatum, idque sine auctoritate Romani pontificis :

> Non ibi testis inest, judex nec idoneus ullus ;
> Non aliquod crimen ipse ego fassus eram.
> Esto : forem fassus, cujus censura valeret
> Dedere judicii congrua frena mihi?
> Solus illud opus Romani præsulis exstat,
> Cujus ego accepi pallia sancta manu.

Quæ videre est apud Henricum Canisium, tomo V antiquæ lectionis, parte II. Ex his patet, cum jam esset condemnatus paulo post solemnitatem Paschæ Theodulphus, eum non fuisse vinculis solutum in ramis Palmarum ab imperatore, ejus melodia delectato, qui tum erat Aquisgrani. Ivit postea Ludovicus imperator in Britanniam minorem, hoc est Armoricam, ut compesceret Mormanum, qui sibi in Britones regiam potestatem arrogaverat, quo ad ordinem redactio rediens, Andegavos venit, ubi *Irmingardis regina conjux ejus, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus, postquam ipse ad eam venit, morbo invalescente, V Nonas Octobris discessit*, ut scribit Eginhardus ad eumdem annum; id etiam testantur Theganus et Anonymus supra citati. Bis eo anno fuit Andegavis imperator eundo in Armoricam, et redeundo; nec tamen potuit solvere Theodulphum, qui tantum post Pascha Andegavos profectus **320** est et reversus est mense Octobri, et paulo post abiit. Tandem pius ille imperator et misericors anno 821 in conventu generali apud Theodonis Villam, cum celebrarentur nuptiæ Lotharii filii sui, et Irmingardis Hugonis comitis filiæ, accersitis conjuratoribus, injuriam, condonavit, eisque omnia bona facultatesque restituit, ut testatur Æginhardus ad præfatum annum : *Emicuit in hoc palatio piissimi imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos qui cum Bernardo nepote suo in Italia contra caput ac regnum suum conjuraverunt. Quibus sibi ad præsentiam venire jussis, non solum vitam et membra concessit, verum etiam possessiones judicio legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit.* Idem testatur supra scriptus Anonymus in Vita Ludovici Pii. Ex quibus patet non donatum fuisse crimen ipsi Theodulpho Andegavis in carcere existenti. Et certe valde erat infensus ipsi Theodulpho Ludovicus, nec parcere volebat, nisi prius crimen fateretur, ut scribit Modoinus episcopus ad ipsum Theodulphum :

> Commissum scelus omne tibi dimittere mavult,
> Si peccasse tamen te memorare velis.
> Nam prodesse tibi confessio pura valebit,
> Si te voce probas criminis esse reum.

Et paulo post :

> Nullo alio superare modo puto principis iram
> Posse, probes nisi te criminis esse reum

Hæc refert Henricus Canisius libro supra citato. Sed pius imperator postea sententiam mutavit, ut paulo ante diximus, et omnibus conjuratoribus pro sua clementia singulari pepercit.

Quidam Anonymus, qui vixit tempore Philippi Augusti Francorum regis, cap. 3 libri de Translatione reliquiarum sancti Mamantis in Gallias, hos versus tribuit Reinaldo episcopo Lingonensi, et similia ferme narrat iis quæ falso de Theodulpho credita fuisse supra scripsimus : *Procedente tempore assumptus ad regimen urbis Lingonicæ Reinaldus episcopus piæ recordationis, qui decimus sedit ante venerabilem Wilhelmum, qui nunc est electus noster. Vir ille quidem spectabilis genere fuit, sed nobilitatem generis honestas morum et multiplex litterarum scientia illustrabat. Non solum liberalibus studiis eruditus fuit, sed utriusque Testamenti paginis sufficienter instructus. Ipsa enim ejus opera testimonium perhibent veritati. Nam cum ipse teneret comitatum Tornodorensem, et comitatum Barri super Sequanam pro suis nepotibus, qui erant adhuc parvuli, propter discordias quasdam, sicut dicitur, rex Francorum, qui tunc erat, ipsum tenuit in Noviomensi civitate, in turri juxta portam, ubi non fractus adversitate, sed gaudens, quia intelligebat quod filium quem diligit flagellat Deus, fecit hymnum, et modulatis vocibus decantavit cum pueris in ramis Palmarum, scilicet*, GLORIA LAUS. *Ipse etiam Vitam beati martyris* (Mamantis) *transtulit de Græco in Latinum.* Hæc ille, quem sequendum putarem, nisi mentio illorum versuum apud Alcuinum obstaret. (*In bibliotheca Floriacensi Joannis a Bosco abbatis.*)

235. *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis*, etc. Alcuinus, lib. II contra Elipandum Toletanum episcopum citat hanc Orationem, sed eam ascribit Missæ ad palmas : *Ait enim in Missa ad Pamas, in Oratione quadam : Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adversis ex infirmitate nostra deficimus*, etc.

236. *Humilitas erigit.* Præclare sanctus Augustinus, lib. I de Symbolo ad catechumenos : *Exaltavit se homo, et cecidit; humiliavit se Deus, et erexit. Humilitas Christi quid est? Manum Deus homini jacenti porrexit. Nos cecidimus, ille descendit; nos jacebamus, ille se inclinavit. Prendamus, et surgamus ut non in pœnam cadamus.*

237. *Sacramenta*, id est, festa.

238. *Quæ medicinalibus sunt instituta jejuniis.* **321** Id est, quæ sunt instituta in medicinalibus jejuniis celebranda.

239. *Et dicit orationes solemnes.* Ex more antiquo, quem videre est apud Alcuinum, lib. de divinis Officiis, cap. de feria quarta majoris hebdomadæ : *Dicit orationes solemnes, sicut in sexta feria.* Et rationem subjungit, quia hac feria consilium inierunt Judæi de Jesu capiendo ; et apud Amalarium, lib. I, de Offic. eccl., cap. 11 : *Intimat supra dictus libellus* (Romanus Ordo) *ex Romana consuetudine debere eadem die ante publicum officium Orationes, quæ solemus in sexta feria agere, recitari.* Hoc videre est in Ordine Romano, in ordine de feria 4, hebdomadæ majoris : *Et dicit Orationes solemnes. Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei, et cæteras per ordinem; tantummodo pro se intermittit. Postea vero dicit Orationem pro rege Francorum, sive pro imperatore. Ad ultimum pro Judæis non flectuntur genua.* Is mos etiam videtur in Cod. Thiliano, qui olim fuit Ecclesiæ Salariensis, hoc est Sagiensis, ut in præfatione notavimus. Ita enim in hoc Codice scriptum est, in ordine feriæ 4 majoris hebdomadæ: *Exspectantes pontificem, qui semper* (*ipse*) *in ecclesia majore Orationes solemnes ipsa die, sicut in Sacramentorum libro continetur, hoc continet ordine.* Et paulo post : *Post* Amen *dicit Orationes solemnes : oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Ill. et cæteras per ordinem; tantummodo pro se intermittit; post imperatorem vero dicit pro rege Francorum. Ad ultimum pro Judæis non flectuntur genua.* Hujusmodi Orationes habentur etiam in Editis hac eadem feria quarta, sed non exstant in aliis Codicibus nostris mss. [a] neque apud Pamelium. Sed nec modo dicuntur hac feria 4.

240. *Oremus.* Græci dicunt τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν, id est, Oremus Dominum, ut planum est ex liturgia sancti Joannis Chrysostomi, et ex Euchologio Græcorum passim. Dicitur que a diacono, non a sacerdote, ut clarum est ex eadem sancti Joan Chrisost. liturgia : ὁ διάκονος, Τοῦ Κυρίου δεηθῶμεν, id est, diaconus, Oremus Dominum, et ex eodem Euchologio passim. Nota quod in hac feria, ut in sexta sequenti, in his Orationibus non solum sacerdos annun-

[a] In priori Theod., in officio feriæ 6, hujusmodi Orationibus titulus hic præmittitur : *Incipiunt Orationis quæ dicendæ sunt quarta et sexta feria.*

fiat orationem dicendo duntaxat *Oremus*, pro more solito, sed insuper monet pro quibus et quid orandum sit, quemadmodum olim usitatum erat in omnibus aliarum Missarum Orationibus, cum sacerdos populum de Oratione moneret, ut manifestum est ex sancti Augustini epist. 107, ad Vitalem: *Exerce contra Orationes Ecclesiæ disputationes tuas, et quando audis sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret; et pro fidelibus, ut in eo quod esse cœperunt ejus munere perseverent. Subsanna pias voces, et dic te non facere quod hortatur.*

241. *Flectamus genua.* Vetus est consuetudo ecclesiastica ut diaconus clamet, *Flectamus genua;* quam videre est hom. 34 sancti Cæsarii Arelatensis: *Nam dum frequenter, sicut oportet, et diligenter attendo, clamante diacono* Flectamus genua, *maximam partem populi sicut columnas erectas stare conspicio, quod Christianis, dum in ecclesia oratur, non licet, nec expedit.* Et in fine Homiliæ: *Et quotiescunque diaconus clamaverit ut in Oratione genua flectere, aut Benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter et fideliter cum vera humilitate faciatis.*

242. *Postquam oraverint.* Olim postquam diaconus clamaverat *Flectamus genua*, populus orabat. Jesse Ambianensis, in epistola de Baptissimo: *Postmodum admoneantur a diacono, Orate, electi, flectite genua; et postquam oraverint, dicit: Levate.* Orabaturque sub silentio. Unde in Cod. Rhem. *Et nuntiat diaconus:* 322 *Flectamus genua, et populus silet.*

243. *Dicit levate.* Diaconus, Oratione completa, olim clamabat, *Levate;* quod videre est loco citato Jesse Ambianensis: *Postquam oraverint, dicat Levate.* Et in Cod. Rhem., feria 6 majoris hebdomadæ: *Et nuntiat diaconus Flectamus genua, et populus silet. Dicit Levate, et dat Orationem.* Quæ ultima verba, *et dat Orationem*, intelligenda sunt de pontifice. Et apud Alcuinum, lib. de divinis Officiis, cap. de feria sexta, quæ et parasceve dicitur: *Dicit Oremus; et diaconus Flectamus genua; item diaconus Levate, et pontifex dat Orationem.* Et in Cod. Tiliano, ubi agitur de hac feria sexta: *Et dicat Oremus, et diaconus Flectamus genua; et oret diutissime; et diaconus dicat Levate.* Hodie vero τὸ *Levate* dicitur a subdiacono. Præterea notandum est in Ordine Romano, in ordine de feria sexta, in his solemnibus Orationibus, *Oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei*, etc., tantum dici a diacono *Levate*, in fine cujusque Orationis, quo dicto dicit sacerdos *Per Dominum*, in hunc modum: *Omnipotens simpiterne Deus, qui gloriam tuam*, etc. *Levate. Per eumdem. Omnipotens sempiterne Deus, cujus judicio*, etc. *Levate. Per Dominum.*

244. *Tantummodo pro se intermittit*, etc. Ita Alcuinus, cap. supra citato de feria 4 majoris hebdomadæ: *Hoc scientes, ut quod pontifex pro se intermittit, ibi illum commemorent.*

245. *Pro Judæis non genuflectant.* In Cod Til. *Ad ultimum pro Judæis non flectantur genua.* Hanc orationem profert Alcuinus lib. de divinis Officiis, cap. de feria sexta, quæ et parasceve: *Et per omnes alias Orationes genuflectimus, ut per hunc habitum corporis, mentis humilitatem ostendamus, excepto quando pro perfidis Judæis oramus. Illi enim genu flectebant Domino, opus bonum male operantes, quia illudendo hæc faciebant.*

246. *Confessoribus.* Confessores hoc loco sunt cantores et psalmistæ, qui sunt in inferiori clericorum gradu, can. 11 concilii IV Carthag. Id satis patet concilio Tolet. I, can. 9: *Nulla professa vel vidua, absente episcopo, vel presbytero, in domo sua Antiphonas cum confessore, vel servo suo faciat.* Et ita capiendus est canon sextus ejusdem concilii: *Itemque puella Dei nec familiaritatem habeat cum confessore.* Ita dicti, quia confiteri passim in sacra scriptura est Dei laudes decantare. Cum igitur in hoc Sacramentarii loco mentio fiat omnium personarum Dei cultui mancipatarum, par est credere in eo per confessores intelligi cantores seu psalmistas.

247. *Virginibus.* Intelliguntur virgines devotæ, seu professæ, hoc est quæ Deo virginitatem devoverint, de quibus infra.

248. *Viduis.* Similiter intelliguntur illæ viduæ quæ viduitatem solemni ritu professæ fuerint, de quibus etiam infra.

249. *Pro Christianissimo rege nostro.* Ita in Editis. In [a] Codice Rhemensi legitur *Pro Christianissimo imperatore, vel rege nostro.* In Codicibus Rodradi, et Ratoldi, et apud Pamelium: *Et pro Christianissimo imperatore nostro.* In Ordine Romano hæc habentur: *Postea vero dicit pro rege Francorum, sive pro imperatore.* In Codice Tiliano, feria 4, sic habet: *Post imperatorem vero dicit pro rege Francorum.* Sed nullæ assignantur particulares Orationes, nec in feria 6.

250. *Respice ad Romanorum atque Francorum benignus imperium.* Ita in Excusis. In Codice Rhemensi legitur: *Respice propitius* 323 *ad Romanorum, sive Francorum benignus imperium.* In Codice Rodradi, et apud Pamelium: *Respice ad Romanorum benignus imperium.* [b] In Codice Ratoldi: *Respice ad Romanorum, sive Francorum, benignus imperium.*

251. *Quibus expletis*, etc. Nota hac die has Orationes dici quidem olim solitas proxime ante Missam, sed aliquo intervallo.

252. *Hora octava.* Id est, secunda post meridiem juxta antiquam incipiendi diei et horarum numerandarum rationem.

253. *Schola.* Schola in Ordine Romano, et in libris Sacramentorum est collegium cantorum. Si quidem olim clerici omnes in ecclesia non cantabant; sed erant quidam cantores a cæteris clericorum gradibus distincti, huic muneri obeundo deputati, ut videre est in concilio Carthag. IV, can. 10, quos tamen theologi nostri inter eos qui proprie ordinibus initiantur non solent recensere; et in concil. Laodiceno, can. 15: περὶ μὴ δεῖν πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, etc. Id est: Quod non oportet præter canonicos cantores, qui suggestum ascendunt, et qui ex membrana psallunt, aliquos alios canere in ecclesia. Ubi canonici cantores sunt ii qui canonice et legitime ad hoc munus obeundum sunt instituti. Apud sanctum Ignatium, epist. ad Antiochenos, in qua recensens gradus clericales, inter eos Psaltes seu cantores commemorat; et in Constitutionibus apostolicis, lib. VIII, in Missa sancti Clementis, in qua oratur pro lectoribus, cantoribus, virginibus et viduis. Nec dicendum est hunc gradum priscis illis temporibus non fuisse a cæteris gradibus minoribus distinctum, sed ex eis, maxime ex lectoribus, assumptos fuisse cantores. Contrarium enim apparet ex locis supra citatis, et maxime ex concilio Charthaginensi IV, ubi psaltæ, seu cantori, assignatur post alios sua peculiaris Benedictio, quæ sane est alicujus personæ distinctæ, quæ nondum sit alicui ordini initiata; cum hic gradus sit postremus omnium, nec videamus lege ordinaria eum qui ad superiorem aliquem promotus sit gradum ad inferiorem ordinari. Præterea canones apostolorum distinguunt lectores a cantoribus; igitur ut plurimum cantores non assumebantur ex lectoribus. Etenim can. 26 datur libertas ducendi uxorem lectoribus et cantoribus. Canone 43 prohibetur hypodiacono, lectori et cantori aleis et ebrietati vacare; et can. 69 statuitur ut episcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel hypodiaconus, vel lector, vel cantor, qui sanctam Quadragesimam, aut feriam 4, vel pa-

[a] In Gemet. quoque legitur *pro Christianissimo imperatore nostro*, licet infra scriptum sit *respice ad Anglorum benignus regnum.*

[b] Ita in secundo Theoder In altero, *ad Christianissimum benignus imperium.*

rasceven, non jejunaverit, deponatur. Postea tamen psaltæ seu cantores ex subdiaconis et aliis minoribus ordinibus assumpti sunt, qui cantorum scholam, cujus est hic mentio, componerent. Nam in concilio Bracarensi I, can. 29. videmus lectores psaltarum officio fungi; et in concilio Romano, sub sancto Gregorio primo statuitur ut deinceps cantores assumantur ex subdiaconis, vel aliis minoribus ordinibus, ut videre est epist. 44 lib. IV Regesti [a]: *Qua de re* (inquit papa) *decreto constituo ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque lectionis evangelicæ officium inter Missarum solemnia exsolvant: Psalmos vero et reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel (si necessitas fuerit) per minores ordines exhiberi.* Ilis ita constitutis, dicendum tamen quædam olim ab aliis clericis, atque etiam a laicis, cantari solita, ut *Kyrie eleison, Habemus ad Dominum, Et cum Spiritu tuo, Amen*, et similia:

254. *Præsta, quæsumus*, etc. Alcuinus, lib. II adversus Elipantum Toletanum episcopum citat hanc Orationem: *Item feria 4 ejusdem hebdomadis: Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nostris excessibus incessanter affligimur*, etc. Et lib. VII contra Felicem Urgelitanum episcopum: *Item feria 4 ante Pascha: Quæsumus, omnipotens Deus, ut per Unigeniti tui passionem liberemur*, iis quæ in medio Orationis interjacent prætermissis.

324 255. *Sequitur altera lectio*, etc. Hæc rubrica desideratur in Editis, in aliis Codicibus nostris mss. et apud Pamelium.

256. *Passio Domini.* Ita in Codice Tiliano, ut in ordine librorum, etc., qui leguntur, et de feriis 4-7 ante Pascha Codicis mss. bibliothecæ Corbeiensis. Et infra, feria 6 in parasceve sancta, præscribitur legenda Passio secundum Joannem, nulla mentione facta passionum secundum Matthæum, quæ Dominica in Palmis, et secundum Marcum, quæ feria 3 leguntur, quas prætermissas fuisse arbitror, quia in illis diebus scriptor hujus libri secutus est tantum communem rationem aliarum Missarum. Legendæ Passionis in ecclesia usus antiquus est, nam illius meminit sanctus Augustinus, serm. 144 de Tempore: *Passio autem quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam Passio legeretur; factum est, non audierunt homines quod consueverunt, et perturbati sunt.* Ubi nota primo olim Passionem uno die tantum legi solitam, et quanquam diem non exprimat, credibile est eam fuisse sanctam parasceven; deinde a sancto Augustino institutum fuisse ut quatuor evangelistarum Passiones quotannis in ecclesia legerentur; idque diversis diebus, etsi hoc non exprimat, nam quatuor Passionum lectio tædiosa fuisset; et credere par est id ab eo fuisse ordinatum juxta rationem hebdomades in octavis Paschæ, in qua juxta eumdem, sermone citato, legitur per septem dies resurrectio Dominica secundum omnes evangelistas.

257. *Largire sensibus*, etc. Hæc oratio citatur ab Alcuino lib. VII, contra Felicem Urgelitanum episcopum: *Et alia oratione: Largire, omnipotens Deus, ut per temporalem Filii tui mortem, quam mysteria veneranda testantur*, prætermisso fine, et his vocabulis, *sensibus nostris*.

258. *Hora tertia ingressi sacrarium.* Agebantur olim Missarum solemnia hora tertia, hoc est nona matutina, feruntque ita institutum esse a sancto Telesphoro papa. Sed hanc institutionem non ita antiquam esse puto. Illis enim primitivæ Ecclesiæ temporibus Missarum solemnia de nocte celebrabantur, ut liquet ex Tertuliano, lib. de Corona militis: *Eucharistiæ sacramentum et in tempore victus, et omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu, quam præsidentium sumimus.* Quod sane solum fiebat inter Missarum solemnia. Noti sunt illi cœtus antelucani ex Plinio oratore ad Trajanum (*Lib.* x, *epist.* 101) apud eumdem Tertullianum in Apologetico. Inde calumniæ paganorum, infanticidia, et eversores luminum canes, lenones scilicet tenebrarum, et libidinum impiarum inverecundiam procurantes apud eumdem Tertullianum eodem lib. infra. Hæc sacra mysteria Christiani de nocte peragebant, ut sibi eorum majestati ac dignitati consulerent adversus invidiam et furorem paganorum, idque etiam post tempora Telesphori papæ, qui floruit Antonino Pio imperatore. Itaque hæc Missarum celebrandarum hora tertia institutio longe posterior fuit: quæ tamen celebrabantur hora octava, seu nona, aut vespere tempore jejuniorum, ut ad Concordiam regularum docuimus. Hoc vero die Cœnæ Domini anticipatur hora propter benedictionem olei et Chrismatis, pœnitentium reconciliationem, et lotionem pedum; non vero propter jejunii relaxationem, ne desit vel numerus sex et triginta dierum juxta sanctum Gregorium, vel quadraginta, juxta posteriorem institutionem; quamvis olim multi non jejunarent in Cœna Domini secundum Ecclesiæ suæ ritum, ut videre est apud sanctum Augustinum, epist. 118. Eadem hora tertia hoc die incipiendum statuitur officium in veteri Pontificali ms. quod servatur in sacristia Ecclesiæ Rothomagensis, videturque olim fuisse Ecclesiæ Rhemensis. In concilio Rothomagensi celebrato, **325** anno Domini 1072, apud Ordericum Vitalem, lib. IV Hist. eccl., statuitur, can. 1, *ut chrismatis, et olei baptismatis, et unctionis consecratio competenti hora, id est post nonam, secundum statuta Patrum fiat.* Quæ consecratio inter Missarum solemnia celebratur, ut ex nostris Sacramentariis planum est.

259. *Dalmaticas.* Quid sit dalmatica docet sanctus Isidorus, lib. XIX Origin., cap. 22: *Dalmatica, vestis primum in Dalmatia provincia Græciæ texta, est tunica sacerdotalis cum clavis ex purpura.* Et Glossæ veteres: *Dalmata* (lege *dalmatica*) *vestis sacerdotalis candida cum clavis purpureis.* Quid autem sit clavus, explicant Glossæ Cyrilli: πορφύρα ὑφασμένη, *clavus plurale non habet*, id est, purpura vesti assuta, seu intexta. Sed quod dicit non habere plurale, adversatur locis citatis. Sunt igitur clavi notæ, plagulæ quædam ex purpura togis olim senatorum assutæ, Græci σημεῖα, et ab ejusmodi latis clavis vestis senatoria dicitur laticlavium, seu latus clavus, πλατύσημος et πλατύσημον. Glossæ Cyrilli: πλατύσημον, *laticlavium.* Onomasticon vetus, *latus clavus*, πλατύσημον. Lexicon vetus, *latus clavus*, πλατύσημος. Et ab angustis clavis angusticlavia. Idem Lexicon, *angusticlavia*, ψειχόσημα. Plura vide in commentariis doctissimi viri Joannis Savaronis ad epist. 9 lib. I Apollinaris (*Cap. quid significent vestimenta*). Dalmaticam aliter describit Alcuinus, lib. de Offic. divinis, antiquo ritu mutato. Est inconsutilis, formam habet crucis, in sinistra parte fimbriæ sunt, largas habet manicas, seu brachia, ut ille loquitur. Amalarius, lib. II de Officiis eccl., cap. 21, addit duas lineas coccineas retro, similiterque in anteriori parte, atque etiam in utroque humero. Id videre est in Oratione sacerdotis dalmaticam induentis in Missa antiqua a Matthia Illyrico edita: *Indumento hoc typico priscorum Patrum ritu in modum crucis, tramitibus purpureis contexto, vestitus pos ulo*, etc. Ita hunc locum interpunxi; ut vestis sit in modum crucis juxta præfatos auctores, et tramitibus purpureis contexta, secundum Amalarium. Fuit indumentum episcoporum et diaconorum, ut scribit auctor Quæstionum utriusque Testamenti, inter opera sancti Augustini, quæst. 46: *Quasi non hodie diaconi dalmaticas induantur, sicut episcopi.* At subdiaconi tunicis induebantur iisque lineis, ut con-

[a] Nunc ad calcem Registri leguntur gesta et canones hujus Rom., synodi.

s'at ex lib. VII Regesti [a] sancti Gregorii, epist. 63 : *Unde habent ergo hodie ut subdiaconi lineis tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt?* Ubi nota distinctos olim habitus diaconi et subdiaconi. Siquidem diaconus induebatur dalmatica, subdiaconus tunica. Quod etiam videre est in antiquo ritu celebrandæ Missæ Joannis Abrincatensis episcopi, in appendice hujus libri Sacramentorum.

260. *Ampullæ.* Quid sit ampulla docet sanctus Isidorus, lib. XX Orig., cap. 5 : *Ampulla quasi ampla bulla. Similis est enim rotunditate bullis quæ ex spumis aquarum fiunt, atque ita inflantur vento.* Glossæ veteres : *Ampulla*, λήκυθος. Λήκυθος autem est ἀγγεῖον ἐλαιοδόχον, inquit auctor veteris etymologici, id est vas in quo oleum reconditur. Unde *lecythus olei*, III Reg. XVII. Bene igitur in ampullis reconditur oleum, seu chrisma, juxta morem antiquum, quem videre est apud Optatum Milevitanum, lib. II adversus Parmenianum : *Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt.* Porro olim liberum fuit episcopis sacrum chrisma omni die conficere, ut patet ex concilio Toletano I, can. 20 : *Episcopo sane certum est, quod omni tempore licet chrisma conficere.* Postea tamen mos invaluit ut duntaxat in Cœna Domini conficeretur, ut planum est ex omnibus nostris Sacramentariis, et Euchologio Græcorum. Idem videre est in homilia 8 sancti Eligii de Cœna Domini : *Et quia in hac die sacratissima fiunt plurima in sancta Ecclesia quæ necessario debet scire vestra industria, sicut pœnitentium reconciliatio, sacri olei benedictio, sancti chrismatis confectio, fraterna pedum ablutio.* Et in sermone de unctione chrismatis inter opera sancti Cypriani : *Dies ista multiplicibus mysteriis honoratur. Hac die primum* **326** *commendata est nobis fractio panis. Hodie in Ecclesia cum cæteris unctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum, in participationem dignitatis et nominis, sacrum chrisma conficitur.* Et statuitur in concilio Meldensi, can. 46, *ut nemo sacrum chrisma, nisi in quinta feria majoris hebdomadæ, id est in Cœna, quæ specialiter appellatur Dominica, conficere præsumat.*

261. *Ut accepto balsamo*, etc. Chrisma non est simplex oleum; sed ei balsamum admiscetur, ut liquet ex suprà citato sermone de unctione chrismatis : *Sacrum chrisma conficitur, in quo mistum oleo balsamum regiæ et sacerdotalis gloriæ exprimit unitatem;* Gregorio magno, expositione in cap. II Cantici canticorum : *In Engaddi balsamum gignitur, quod cum oleo pontificali benedictione chrisma efficitur, quo dona Spiritus sancti exprimuntur.* Et concilio Cabillonensi, cap. 9, apud Burchardum, lib. IV, cap. 93 : *quidam fratres dixerunt antiquæ consuetudinis fuisse, ut pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, sive pro luminaribus ecclesiæ concinnandis, binos vel quaternos denarios presbyteri darent.* Græci in chrismatis confectione diversas fragrantis odoris materias admiscent, ut testatur sanctus Dionysius, cap. 4 eccl. Hierarchiæ : ἡ τοῦ μύρου σύνθεσις συναγωγή τίς ἐστιν εὐπνόων ὑλῶν. Id est, unguenti seu chrismatis compositio quædam collectio est fragrantium materiarum. Admiscent autem præter vinum at oleum sufficiens sex et triginta genera seu aromatum, seu herbarum, ut habetur in eorum Euchologio.

262. *Cereostatis.* Cereostata sunt candelabra quorum usus est in altaribus. Hanc vocem sæpius videre licet apud Anastasium Bibliothecarium in Vitis pontificum Romanorum.

263. *Pax vobis.* Formula est salutationis qua utitur pontifex in sacris maxime. Pontifex enim in ecclesia inter ipsa sacra sæpius populo dabat pacem, sive diceret *Pax vobis*, seu *Pax vobiscum*, seu *Pax omnibus.* Optatus Milevitanus, lib. III adversus Parmenianum : *Non enim unamquamque domum semel* (Legendum *simul*) *seducere potuistis; sed aut ibi uxor* (Nempe ad ecclesiam vestram), *aut resedit maritus; aut parentes seducti sunt, et filii sequi voluerunt; aut stetit frater sorore migrante; persuasionibus vestris divisa sunt corpora, et nomina pietatis. Et non potuistis prætermittere quod legitimum est, utique dixistis Pax vobiscum*, nempe in conventibus et sacrificiis ecclesiasticis. Dicit autem *legitimum* id quod in ipsis sacris sancitum est faciendum ; in lib. II adversus Parmenianum : *Nam quis dubitet nos illud legitimum in sacramentorum mysterio præterire non posse? offerra vos dicitis pro Ecclesia.* Quod frustra quidam interpretantur Canonem Missæ. Quod si ita esset, dicendum erat *illud legitimi.* Sanctus Joannes Chrysostomus, homil. 3 in Epistolam ad Colossenses : Ἐν ταῖς ἐκκλησίαις εἰρήνην ἐν ταῖς λιταῖς, ἐν προῤῥήσεσιν, καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς, καὶ τρὶς, καὶ πολλάκις αὐτὴν δίδωσιν ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς, Εἰρήνη ὑμῖν, ἐπιλέγων. Id est : In Ecclesiis pacem in precibus, in Præfationibus, et semel, et bis, et ter, et sæpe dat Ecclesiæ præsul dicens Pax vobis. Ubi tamen non legendum est ὑμῖν, sed πᾶσιν. Nam paulo post dicit : Καὶ οὐ λέγει ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς, Εἰρήνη ὑμῖν, ἁπλῶς, ἀλλὰ, Εἰρήνη πᾶσιν. Id est : Et non dicit Ecclesiæ præpositus Pax vobis, simpliciter, sed Pax omnibus. Causamque subjungit, quia non cum uno aut altero pax habenda est, sed cum omnibus, ita ut etiam in mente nostra omnia tranquilla et pacata sint. Quod confirmatur ex homilia 16, in Epist. primam ad Corinth. : Εἰρήνην, καὶ νῦν πᾶσιν ὁ τῆς Ἐκκλησίας προεστὼς ἐπεύχεται. Id est : Et nunc pacem omnibus deprecatur Ecclesiæ præsul. Et in liturgiis sanctorum Basilii et Chrysostomi sacerdos dicit : Εἰρήνη πᾶσιν, id est : Pax omnibus, ut in liturgiis sanctorum Jacobi et Marci, et in liturgia Præsanctificatorum. Quod confirmatur ex Theoria mystica sancti Germani patriarchæ Constantinopolitani, in qua hæc verba enarrans dicit : Εἰρήνη πᾶσιν· ὁμογνωμοσύνην, καὶ ἀγάπην καὶ ταυτότητα συνάπτοντες, etc. Id est : *Pax omnibus; concordiam* **327** *et dilectionem, et eumdem sensum inter nos invicem coaptantes Domini imitationem accipiamus, pacem suam relinquentis et dantis.* Sed illud *Pax omnibus* Græcorum est, ut citati loci testantur; at τὸ *Pax vobis*, seu *Pax vobiscum*, est Latinorum, ut ex Optato Milevitano supra citato, libro nostro Sacramentorum et Codice Ratoldi mox citando manifestum est. Aliquando olim, in Occidente, et maxime in Hispania, dictum fuit *Dominus sit vobiscum*, ut videre est in concilio Bracarensi I, can. 21 secundæ constitutionis : *Item placuit ut non aliter episcopi, aliter presbyteri, sed uno modo salutent, dicentes : Dominus sit vobiscum.* Ubi cum postea scribit *omnis retinet Oriens*, legendum puto *Occidens*, quia in Ecclesia Orientali alium fuisse usum testimonia producta satis manifestant. Circa hanc salutationem, *Pax vobiscum*, hæc notanda veniunt ex Codice Ratoldi abbatis : *Postea, pax vobiscum ; etiamsi non soleat dicere episcopus, nisi tantum diebus festis.*

Porro ante Missam, in Codice Rhemensi habetur reconciliatio pœnitentium, de qua infra commodius dicetur. Post Missam sequitur : *Item feria 5 Missa chrismalis.* Oratio : *Domine Deus, qui in regenerandis plebibus tuis.*, etc. Secunda : *Da nobis, omnipotens Deus, remedia conditionis humanæ*, etc. Super oblata : *Hujus sacrificii potentia, Domine, quæsumus*, etc. Præfatio : *Clementiam tuam suppliciter exorare, ut spiritalis lavacri baptismo renovandis creaturam chrismatis in sacramentum*, etc. Infra Actionem : *Communicantes*, etc., ut in Codice sancti Eligii. Item alia : *Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt ob diem in qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, placatus accipias, et pietate concedas, ut per multa curricula annorum salvi et incolumes munera sua tibi*

[a] Nunc lib. IX.

Domino mereantur offerre. Quam oblationem, etc. Tandem sequitur: *Item in ultimo, antequam dicatur Per quem hæc omnia, Domine, benedicis oleum pro infirmis, sive pro populo, his verbis*, etc. Benedictione completa olei, et chrismatis, dictisque in Missa quæ sequuntur, Post Communionem: *Concede, Domine, ut per cœptum* (Lege *perceptum*) *novi sacramenti mysterium*, etc. Super populum: *Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut de præteritis*, etc. Sequitur: *Item in oleo exorcizato confectio: Exorcizo te creatura olei*, etc. Deinde sequitur hæc Præfatio: *Qui mysteriorum secreta revelans*, etc. Tandem: *Ad Missam sero: Deus, a quo et Judas*, etc., ut in hoc Codice sancti Eligii. Hactenus Codex Rhemensis; in quo tres Missæ notandæ sunt hac feria quinta, Prima pœnitentium, secunda chrismatis, tertia serotina. Olim in quibusdam Ecclesiis hac eadem feria duæ Missæ celebrabantur, altera mane propter eos qui hac feria non jejunabant, sed lavabant et relaxabant; altera sero propter eos qui jejunabant, ut notat sanctus Augustinus epist. 118, ad Januarium, agens de hac solemnitate: *Et quia*, inquit, *nonnulli etiam jejunium custodiunt, mane offertur propter prandentes, quia jejunia simul et lavacra tolerare non possunt, ad vesperam vero propter jejunantes.*

264. *Hodierna tradit one.* Corporis et sanguinis sui videlicet.

265. *Distraxit.* Id est, vendidit. Distrahere enim interdum vendere significat: Nonius Marcellus, cap. 4: *Distrahere est vendere.* Lucilius, lib. XXIX, *dividant, differant, dissipent, distrahant.* Regula Magistri, cap. 85: *Cum unaquæque ars aliquid perfectum supervacaneum usibus monasterii habuerit, vel mittendarum eulogiarum abundaverit, interrogata qualitate pretii, quantum a sæcularibus distrahi potest, tantum infra nummorum minori semper distrahatur pretio.* In Concordia regularum, cap. 64, § 4.

266. *Quem nec sacrati cibi collatio.* Cum cæteris apostolis in ultima cœna corpus et sanguinem suum Dominus noster Jesus Christus Judæ traditori **328** porrexit. [a] Hoc multi Patres asserunt: sanctus Augustinus, lib. II adversus litteras Petiliani, cap. 106: *Aut communicaverunt furto et sceleri Judæ prædecessores ejus apostoli, quia cum eo jam Domini venditore sacrosanctam cœnam communicarunt.* Auctor quæstionum mistim ex utroque testamento inter Opera sancti Augustini, quæst. 102. *Judas ergo cum esset inter discipulos, contagione sua non eos maculavit, dissentientes utique a furtis ejus; et Eucharistiam inter eos accipiens non polluit innocentes, nec Dominus ei quem latronem sciebat corpus suum denegavit.* Sanctus Leo, serm. 3 de Passione Domini: *Exspectasses consummationem criminis tui, et donec sanguis Christi pro omnibus funderetur peccatoribus, informis lethi suspendium distulisses; cumque conscientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa saltem te a præcipitio tuo sacramenta revocassent quæ in paschali cœna jam de perfidia tua signo divinæ scientiæ detectus acceperas.* Sanctus Eligius, homil. 8: *Quam multi de altari accipiunt, et moriuntur! Unde et dicit Apostolus: judicium sibi manducat, et bibit. An non bucella Domini venenum fuit Judæ?* Sanctus Joannes Chrysostomus, homil. 27, in Epistolam I ad Cor.: καὶ οὐδὲ τοῦτον ἐξέβαλεν, καὶ ἄλλων αὐτῷ μετέδωκε, καὶ τῶν μυστηρίων κοινωνὸν ἐποίησεν. Id est: Non illum (Judam) exegit, sed eum fecit mensæ participem ac mysteriorum. Sanctus Anastasius Sinaita, sermone de Synaxi: Οὐκ ὁρᾷς πῶς Ἰούδας ἀναξίως, καὶ δολίως τοῦ σώματο; μεταλαβὼν τοῦ δεσποτικοῦ εὐθέως κατεκρίθη; id est: Nonne vides quomodo Judas, cum indigne ac fraudulenter corpus Christi sumpsisset, statim condemnatus est? Hincmarus archiepiscopus Rhemensis, in epist. ms. biblioth. monasterii sancti Remigii Rhemensis: *Ac deinde dictum est: post bucellam introivit in eum Satanas, quia cum intravit sanctus panis in plenum de iniquitate ventrem, intravit hostis antiquus, qui dicitur diabolus et Satanas, in crudelem et impiam mentem.*

267. *Quo Dominus noster Jesus Christus pro nobis traditus est.* Ita in Editis et in aliis Codicibus nostris mss. ut apud Pamelium.

268. *In qua Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis suis*, etc. Ita in Codicibus citatis.

269. *Tunc offertur pontifici oleum.* Incipit consecratio olei infirmorum, quæ proxime fit ante illa verba: *Per quem hæc omnia semper bona creas*, ut videre est in hoc Codice sancti Eligii. Nec credendum est proxime post illa verba, *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, consecrari, quamvis hæc verba, *tunc offertur pontifici oleum*, etc., sequantur. Quod ideo scriptor fecit, quia totum nolebat scribere Canonem.

270. *Chrisma.* Hoc vocabulum non ita stricte et proprie hoc loco usurpatur.

271. *Et respiciens ad Orientem.* Antiquus et laudabilis mos Ecclesiæ fuit, atque a temporibus apostolicis ad nos usque deductus, ut orantes Christiani obversam Orienti faciem habeant. Sanctus Basilius, lib. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, cap. 27, agens de traditionibus apostolicis: Τὸ πρὸς ἀνατολὰς τέτραφθαι κατὰ τὴν προσευχὴν ποῖον ἐδίδαξεν ἡμᾶς γράμμα; Id est: Converti ad orientem in Oratione quæ Scriptura nos docuit? Auctor Quæstionum ad orthodoxos, inter opera sancti Justini martyris, quæst. 118, in responsione hac de re agens ita scribit: Τοῦτο δὲ παρὰ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, id est, hoc vero manat a sanctis apostolis. Sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus, in Theoria mystica, τὸ κατ' ἀνατολὰς εὔχεσθαι παραδεδομένον ἐστὶν, ὡς καὶ τὰ λοιπὰ, ἐκ τῶν Ἀποστόλων. Id est: Orientem versus orare traditum est, ut et reliqua, ab apostolis. Hujus consuetudinis meminit Tertullianus in Apologetico: *Denique inde suspicio quod innotuerit nos ad Orientis regionem precari*; et lib. I ad Nationes: *alii plane humanius solem Christianorum Deum existimant, quod innotuerit ad Orientis partem facere nos precationem.* Sanctus Augustinus, **329** lib. II, de Sermone Domini in monte, cap. 9: *Cujus rei significandæ gratia, cum ad Orationes stamus, ad Orientem convertimur.* De hac re pluribus agunt sanctus Joannes Damascenus, lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 13, et auctor Quæstionum ad Antiochum (*Inter opera sancti Athanasii*). Meminit etiam Gregentius archiepiscopus in disputatione cum Herbano Judæo: κατ' ἀνατολὰς ἐδιδάχθημεν προσεύχεσθαι. Id est: Orientem versus orare didicimus. Duas subjungit causas, quia invenimus Deum illic Hominem creasse, et paradisum fecisse. Sanctus Basilius, cap. citato, aliam profert, quæ tamen a secunda non multum discrepat, quia veterem quærimus patriam paradisum, quem Deus plantavit in Eden ad Orientem. Cui suffragantur sanctus Joannes Damascenus, cap. citato, auctor Quæstionum ad Antiochum quæstione citata; et sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus, libro citato; qui aliam etiam profert rationem: propterea quod spiritalis Sol justitiæ Christus Deus noster in terra apparuit, in Orientalis solis sensibilis partibus. Aliam profert auctor Quæstionum ad orthodoxos, quæst. citata, quia τιμιωτέρα ἐστὶν ἡ ἀνατολὴ τῶν ἄλλων μερῶν τῆς κτίσεως, id est, nobilior est Oriens aliis mundi partibus. Alias producit auctor Quæstionum ad Antiochum, quæst. citata: quia steterunt pedes Christi in monte Olivarum, et quia Deus lumen verum est. Alias profert sanctus Joannes Damascenus, cap. citato: quia Deus est lux intelligibilis, Sol justitiæ, et Oriens in Scripturis nominatur Christus, quia antiquum Moysi tabernaculum ad Orientem habebat velum, et propi-

[a] Paulo infra, ubi legitur: *Patitur mitis Dominus*, etc. In Ms. Fiscanensi habes: *Pascit igitur mitis Dominus.*

tiatorium: et tribus Juda, ut honorabilissima, ad Orientem castra ponebat; et in famigerato Salomonis templo porta Domini Orienti erat obversa. Quia Christus crucifixus est respiciens Occidentem, et sic illum adoramus ad eum aspirantes. Tandem, quia Christus assumptus in cœlum ad Orientem ferebatur, ut habetur Psal. LXVII: *Psallite Deo, qui ascendit super cœlum cœli ad Orientem*, et sic eum apostoli adoraverunt. Hinc factum est ut sacræ ædes Orientem spectarent ut plurimum, juxta sanctum Paulinum, epist. 12. Id videre est apud [a] Apollinarem, lib. II, epist. 10:

> Ædes celsa nitet, nec in sinistrum
> Aut dextrum trahitur; sed arce frontis
> Ortum prospicit æquinoctialem.

Sic olim Chalcedone sacrarium in quo sepulcrum sanctæ Euphemiæ reconditum erat orientalem plagam respiciebat, ut testatur Evagrius, lib. II, hist., cap. III; Εἴσω δὲ τοῦ θόλου πρὸς τὰ ἕω εὐπρεπής ἐστι σηκὸς, ἔνθα τὰ πανάγια τῆς μάρτυρος ἀπόκειται λείψανα. Id est: Intra testudinem ad Orientem est sacrarium, in quo sunt sanctissimæ Martyris reliquiæ.

Id patet etiam ex Socrate, lib. V, Hist. Eccl., cap. 21, ubi scribit Antiochiæ basilicam contrarium aliis habere situm, cum ejus altare non ad Orientem, sed ad Occidentem respiciat, et ex Stephano Tornacensi, epist. 105, ubi agens de basilica Sancti Benedicti Parisiis sita: *Ecclesiæ illius* (inquit) *forma dissimilis est, et dissidens ab aliis ecclesiis; a parte sanctuarii respicit Occidentem, ab introitu Orientem*. Si igitur ecclesia Antiochiæ, et basilica Sancti Benedicti Parisiis sita, ortum solis non respiciebant, contrario aliis sacris ædibus situ, sed occasum, signum est alias ecclesias, aut saltem maximam partem earum Orienti obversas fuisse. Postea tamen ita composita est prælata Sancti Benedicti basilica, ut modo a parte sanctuarii respiciat Orientem ab introitu occidentem, ut ab aliis situ non discreparet. Nunc vero mutatur antiquus usus, maxime Parisiis. Siquidem in tanta multitudine ædium sacrarum, quæ in illa civitate XL, ab hinc annis ædificatæ sunt, vix unam aut alteram quæ Orienti sit obversa reppereris, cum etiam ibidem nonnullas veteres olim regionem spectantes Orientis, jam mutata facie, Occidentem respicere videamus. Quod spectat ad paganorum templa (ut de illis aliquid dicamus) illa etiam ut plurimum erant Orienti obversa. Ita enim templa construenda docet Vitruvius, lib. IV, de Architectura, cap. 5: *Regiones autem*, inquit, *quas debent spectare ædes sacræ deorum immortalium sic erunt constituendæ, uti, si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit* **330** *potestas ædis, signum quod erit in cella collocatum spectet ad vespertinam cœli regionem, ut hi qui adierint aram immolantes aut sacrificia facientes spectent ad partem cœli Orientis, et simulacrum quod erit in æde; et ita vota concipientes contueantur ædem, et Oriens cœlum; ipsaque simulacra videantur exorientia contueri supplicantes et sacrificantes, quod aras omnes Deorum necesse esse videatur ad Orientem spectare*. Cui subscribit sanctus Isidorus, lib. XV, Orig., cap. 4: *Sed et locus designatus ad Orientem a contemplatione templum dicebatur: cujus partes quatuor erant, antica ad Ortum, postica ad Occasum, sinistra ad Septentrionem, dextra ad Meridiem spectans. Unde et quando templum construebant, Orientem spectabant æquinoctialem; ita ut lineæ ab Ortu ad Occidentem missæ fierent partes cœli dextra sinistra æquales, ut qui consuleret ac deprecaretur rectum aspiceret Orientem*. Sed hæc potissimum de sacris Romanorum ædibus sunt intelligenda; nam priscorum, Græcorum templa ut plurimum altaria ad Occidentem, januas ad Orientem habebant conversa, ut scribit Porphyrius in libro de antro Nympharum. Quod spectat ad Judæos, templum Salomonis ad Occidentis regionem respiciebat, ut clarum est ex cap. VIII, Ezechielis: *Et introduxit me in atrium domus Domini interius; et ecce in ostio templi Domini inter vestibulum et altare quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, et facies ad Orientem, et adorabant ad ortum solis*. Et sane Judæi ad solis occidentalem conversi regionem Deum orabant, ut testatur Gregentius archiepiscopus in disputatione supra citata, ita loquens Herbano Judæo; Ἐπὶ τὴν δύσιν γὰρ ὑμεῖς προσκυνεῖτε. Id est: vos enim versus Occidentem adoratis; quod ideo faciebant ne viderentur, quemadmodum gentiles, Solem adorare.

272. *In consecratione chrismatis*. Antiquus est Ecclesiæ mos sanctum chrisma benedicere et consecrare. Sanctus Cyprianus, epist. 70: *Porro Eucharistia et unde baptizati unguntur oleum in altari sanctificatur*. Optatus Milevitanus, lib. VII, adversus Parmenianum: *oleum nominant, illum scilicet liquorem qui ex nomine Christi conditur, quod chrisma postquam conditum est nominatur*. Basilius, lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 27, qui ritum ad tempora apostolorum refert: Εὐλογοῦμεν τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος, καὶ ἔλαιον τῆς χρίσεως. Id est: benedicimus aquam baptismatis et oleum unctionis: Quod et confirmatur auctoritate Dionysii magni, qui de chrismatis consecratione pluribus agit cap. 4, lib. de Hierarchia ecclesiastica.

273. *Per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit*. Ita Tertullianus, lib. de Baptismo: *Quemadmodum post aquam diluvii, quibus iniquitas aliqua purgata est post baptismum (ut ita dixerim) mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris annuntiavit de missa ex arca, et cum olea reversa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur; eadem dispositione spiritalis effectus terræ, id est carni nostræ emergenti de lavacro post vetera delicta columba sancti Spiritus advolat, pacem Dei afferens emissa de cœlis, ubi Ecclesia est arca figurata*. Cassiodorus, in Psalmum XXII: *Sed quid est quod species ipsa Benedictionis sanctæ frequenter adhibetur: unxit prophetas, consecravit reges. Non immerito, quia arbor ipsa pacis etiam præstabat indicium; quod ejus specialiter munus noscitur esse divinum, liquor arboreus, pinguedo lætificans, magnarum gratia dignitatum, cujus folia in viriditatis suæ pulchritudine perseverant. Hæc etiam Noe per columbam nuntiavit terris redditam sospitatem, ut merito tantæ Benedictionis capax esse videatur, quæ fructus sui magno decore simul et utilitate perfruitur*. Sanctus Joannes Damascenus, lib. IV de Fide orthodoxa, cap. 13: *Et misericordiam Dei nobis annuntians per Spiritum sanctum*. Ἐπεὶ καὶ κάρφος ἐλαίας τοῖς ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ περισωθεῖσιν ἡ περιστερὰ κεκόμικεν. Id est: *Postquam et ramum olivæ servatis ex diluvio columba obtulit*. **331** Quare in Græcorum Euchologio hic ramus recte appellatur καταλλαγῆς σύμβολον, σωτηρίας ἀπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ, καὶ χάριτος μυστήριον. Id est, reconciliationis symbolum, salutis et gratiæ post diluvium mysterium.

274. *Unde unxisti sacerdotes*. Levitici VIII, ubi Aaron a Mose unctus est in sacerdotem. Ritus hujus mentio fit Exodi cap. XXIX: *Vestem autem sanctam qua utetur Aaron habebunt filii ejus post eum, ut ungantur in ea, et consecrentur manus eorum*.

275. *Reges*. Unctionis regum mentio fit lib. I Reg. cap. IX: *Et unges eum ducem super populum meum Israel*. Et cap. X: *Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput ejus, et deosculatus est eum, et ait: Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in principem*. Et alibi passim in libris Regum.

276. *Prophetas*. Unctionis prophetarum mentio fit lib. III Reg. cap. XIX: *Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te*.

277. *Et martyres*. Percipiendo Confirmationis sacramentum, cujus beneficio divinitus robur ad resistendum diabolo ejusque satellitibus perceperunt.

278. *Qua expleta benedicit ampullam olei*. Hoc oleum

[a] Nimirum Sidonium Apollin.

benedicitur ad ungendum catechumenum accedentem ad sanctum regenerationis lavacrum, ut constat ex subjecta Oratione, et Codice Ratoldi: *Deinde recipiat subdiaconus ab acolyto oleum ad baptizandum.* Hoc autem oleum benedicitur juxta antiquum morem, cujus meminit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus catech. 2 mystag.: Οὕτω καὶ ἐπορκιστὸν ἔλαιον ἐπικλήσει Θεοῦ καὶ εὐχῇ δύναμιν τηλικαύτην λαμβάνει. Id est: Sic et exorcizatum oleum per invocationem Dei et Orationem tantam virtutem accipit. De hac unctione agitur in Questionibus ad orthodoxos, quæ exstant inter opera sancti Justini martyris, quæst. 137. Meminit Fortunatus, carmine IV, lib. V, de Judæis a sancto Avito Arvernæ episcopo baptizatis:

Hinc oleari ovium perfunditur unguine vellus:
Aspersuque sacro fit gregis alter odor.

Apud Latinos ungitur baptizandus in pectore, scapulis, et inter scapulas. Jesse Ambianensis, in epistola de Baptismo: *Tangitur etiam de oleo sancto pectus, ut immundo Spiritui prohibeatur introitus. Scapulæ enim signantur oleo, ut undique munitione crucis firmetur.* Et Paulo post: *Inter scapulas tangitur, ut consecratus humerus cum scapulis totum se subjiciat potestati Dei.* Theodulphus Aurelianensis episcopus, lib. ms. biblioth. Corbeiensis de Ordine baptismi, cap. 10, meminit tantum unctionis scapularum et pectoris: *Unde etiam his qui baptizandi sunt pectus de oleo et scapulæ tanguntur.* Rationem subjicit, ut homo sit retro et ante munitus. Ita etiam in Codicibus Rhemensi, et Ratoldi abbatis. At Græci totum corpus ungunt, ut videre est in eorum Euchologio, et apud Severum patriarcham Alexandrinum, libro de Ritibus baptismi: *Et ponit sacerdos oleum olivarum in vola manus suæ, totum corpus ejus qui baptizatur ungit.* Apud sanctum Cyrillum Hierosolym., catech. 2 mystag.: Εἶτα ἀποδυθέντες ἐλαίῳ ἠλείφεσθε ἐπορκιστῷ ἀπὸ ἄκρων τριχῶν κορυφῆς ἕως τῶν κάτω. Id est: Deinde exuti vestibus oleo exorcizato uncti estis a summis verticis capillis usque ad infimos pedes. Id etiam planum est ex sancto Dionysio, lib. de Hierarchia eccl., cap. 2: *Dum vero ministri eum penitus exuunt, sacrum oleum offerunt sacerdotes.* Ὁ δὲ τῆς χρίσεως διὰ τοῦ σφραγίσαι τρὶς ἀπαρξάμενος, τὸ λοιπὸν τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἄνδρα χρῖσαι πανσώμως παραδούς. Id est: *Pontifex vero ut trino signaculo inchoavit unctionem sacerdotibus hominem tradit toto corpore ungendum.* Id etiam testatur sanctus Joannes Chrysostomus, hom. 6, in epist. ad Colossenses: *Ungitur, sicut athletæ stadium ingressus; simul enim nascitur, et non sicut primus ille qui paulatim, sed statim; non sicut olim sacerdotes solo capite, imo vero amplius; nam illi quidem capite, aure, dextra manu, ut ad obedientiam,* **332** *et bona opera excitaret eum:* Οὗτος δὲ τὸ πᾶν. Οὐ γὰρ διδαχθησόμενος ἔρχεται, ἀλλὰ ἀθλήσων, καὶ γυμνασθησόμενος, id est, hic autem totus ungitur. Non enim solum venit ut doceatur, sed etiam ut certet et exerceatur. Eamdem rationem profert sanctus Dionysius, capite citato. De eadem unctione explicanda sunt verba Joannis Moschi, cap. 3 Prati spiritualis, αὐτὸς ἔχριεν καὶ ἐβάπτιζεν, id est, ille ungebat et baptizabat. Et infra: Τῇ ἐπαύριον χρίσας ἐβάπτισεν τὴν Περσίαν, id est, in crastina cum unxisset Persiam puellam, eam baptizavit. Et hæc puella nuda inungenda erat, ut videmus in interpretatione Latina: *Quadam vero die venit puella ex Perside, quæ ita speciosa erat, ac tantæ pulchritudinis, ut non posset presbyter nudam eam oleo ungere.* In qua sane interpres agnovit vocabulum γυμνήν, id est, nudam, quod ex Græca Editione excidit. Ibi enim agitur de quodam Conone monacho presbytero, cui archiepiscopus baptizandi provinciam demandaverat; qui cum gravem tentationem pateretur in feminarum unctione, sæpius de monasterio deserendo cogitaverat, ex quo tandem cum abiisset, rediit a sancto Joanne Baptista non sine miraculo hac tentatione carnis sanatus. At si ejusmodi feminæ erant duntaxat ungendæ in vertice, nulla subesse poterat tantæ occasio tentationis, quæ potius excitanda fuisset in ipsa mersione, quam in unctione verticis. Præterea in verbis citatis videmus unctionem præmitti baptismo; igitur de hac totius corporis unctione Orientalium more intelligenda sunt potius quam de verticis unctione, quæ baptismo postponitur. Si autem baptizaret episcopus, prius ab eo catechumenus ungebatur trino signaculo, postea toto corpore a sacerdotibus ungendus, ut notat sanctus Dionysius loco supra citato. Tandem notandum tria in Cœna Domini sanctificari ab episcopo, oleum infirmorum, sanctum chrisma, et oleum baptizandorum, seu catechumenorum, ut planum est ex nostris Sacramentariis. Unde in concilio Meldensi, apud Ivonem I parte Decret., cap. 269: *Statuit ut presbyter in Cœna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad catechumenos ungendos, tertiam ad infirmos juxta sententiam apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ.*

279. *Projectum spiritualium.* In Excusis et in Codice Rhemensi additur τὸ *remunerator.* In Codice Ratoldi abbatis his omissis legitur: *Deus, qui virtute sancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas.*

280. *Refugis virtutibus.* Id est, apostatis angelis, seu dæmonibus. Siquidem refuga est apostata, desertor. Prudentius, ode 1 Peristephani:

Ductor aulæ mundialis
Ire ad aram jusserat,
Idolis litare nigris,
Esse Christi refugas.


Sanctus Pacianus in exhortatione ad pœnitentiam: *Dei refugæ aut extra Ecclesiam constituti,* etc. Sanctus Augustinus, lib. XX de Civitate Dei, cap. 19: *Quoniam nisi venerit refuga primum, et revelatus fuerit homo peccati.* Et Paulo post: *Nulli dubium est eum de Antichristo ista dixisse, dieque judicii. Hunc enim diem Domini non esse venturum, nisi prior ille venerit quem refugam vocat, utique a Domino Deo. Quod si de omnibus impiis dici potest, quanto magis de isto?* Ubi nota interpretem loci citati a sancto Augustino, ex II Thess. II, legisse ἀποστάτης, id est, refuga, desertor, non ἀποστασία, id est, *discessio,* ut vulgo in textu Græco habetur, et in versione communi. Sanctus Valerius abbas, de genere monachorum: *Et Domino, cujus fidelissimos servos persequuntur, odiuni inimici, refugæ odibiles, et exteri fiunt.* Consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 6, § 7.

281. *Et communicat omnis populus ordine suo.* Ita in Editis. Hæc populi communio hac feria 5 in Cœna **333** Domini habetur etiam in Codice Ratoldi. Olim populus in triduo Paschæ communicabat, ut videre est in Capitulari Theodulphi, cap. 41: *Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos qui excommunicati sunt, sacramenta corporis et sanguinis Christi sumenda sunt, et in Cœna Domini, et parasceve, et in vigilia Paschæ.* In hoc Codice sancti Eligii in magna parasceve jubentur omnes communicare; in Sabbato sancto sola fit mentio communionis eorum qui baptizantur. Ibi tamen non definitur an hæc communio ad solos recens baptizatos spectet.


282. *Et servant de ipso sacrificio in crastinum.* Ita in Excusis et in Codicibus Rhemensi et Ratoldi. Quia in parasceve majoris hebdomadis non consecratur corpus Christi, sed sacerdos in Missa utitur præsanctificatis, id est hostiis antea consecratis tum pro se, tum pro omni populo. Quod per totam Quadragesimam observant Græci, exceptis Dominicis, Sabbatis et festo Annuntiationis, in quibus peragunt corporis et sanguinis dominici sacrificium ex antiquo more, quem reperire est in can. 52 sextæ synodi: *In omnibus sanctæ Quadragesimæ jejunii diebus, præterquam Sabbato et Dominica, et sancto Annuntiationis die,* γινέσθω ἡ τῶν προηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία, id est, *fiat sacra præsanctificatorum liturgia.* gamus nos invicem. *Ps.* Ecce quam bonum. *Antiph.* Idem reperire est in can. 49 concilii Laodiceni, in

quo tamen nulla fit mentio præsanctificatorum. Ὅτι οὐ δεῖ τῇ τεσσαρακοστῇ ἄρτον προσφέρειν, εἰ μὴ ἐν σαββάτῳ καὶ Κυριακῇ. Id est, quod non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi in Sabbato, et Dominica. Ad quos dies transferunt solemnitates martyrum in Quadragesima occurrentes, juxta canonem 51 ejusdem concilii. Ὅτι οὐ δεῖ ἐν τεσσαρακοστῇ μαρτύρων γενέθλιον ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων μνείαν ποιεῖν ἐν τοῖς Σαββάτοις καὶ Κυριακαῖς. Id est, quod non oportet in Quadragesima natalitium martyrum celebrare, sed in Sabbatis, et Dominicis diebus eorum memoriam facere. Hæc autem ita apud Græcos instituta sunt, quia Sabbatis et Dominicis diebus non jejunant, ut notat Theodorus Balsamon in hunc canonem. Inter liturgias Græcorum exstat Liturgia προηγιασμένων, id est, præsanctificatorum. Liturgiæ præsanctificatorum mentio fit in Chronico Alexandrino, seu, ut alii loquuntur, in fastis Siculis, olympiade 348, anno 5 post consulatum Heraclii, cum scribitur quod sub Sergio patriarcha Constantinopolitano a prima Hebdomade Quadragesimæ, indictione 4. Post τὸ κατευθυνθείτω, id est *Dirigatur*, dum præsanctificata dona e sacrario ad altare inferuntur, et sacerdos dixit κατὰ τὴν δωρεὰν τοῦ Χριστοῦ σου, id est, *juxta donum Christi tui*, cœptum est psalli a populo : Νῦν αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σὺν ἡμῖν ἀοράτως λατρεύουσιν. Ἰδοὺ γὰρ εἰσπορεύεται ὁ βασιλεὺς τῆς δόξης. Ἰδοὺ θυσία μυστικὴ τελειωμένη δωροφορεῖται. Πίστει καὶ φόβῳ προσέλθωμεν, ἵνα μέτοχοι ζωῆς αἰωνίου γενώμεθα. Ἀλληλουΐα. Id est : *Nunc virtutes cœlorum nobiscum invisibiliter Deum adorant. Ecce enim ingreditur Rex gloriæ. Ecce sacrificium mysticum offertur. Cum fide et timore accedamus, ut vitæ simus participes æternæ. Alleluia.* Hæc quidem Chronicon Alexandrinum ; sed in liturgia præsanctificatorum est aliqua diversitas. Siquidem in illa post τὸ κατευθυνθείτω, id est, *Dirigatur*, non sequuntur proxime hæc verba sacerdotis κατὰ τὴν δωρεάν, etc., sed multa sunt interjecta. Secundo id quod psallitur populo in eadem liturgia non est integrum, sed post τῆς δόξης posito Alleluia, cætera desunt. Tertio in eadem liturgia sacerdos assumit sancta, et in altare transfert post decantata superiora illa verba a populo, et postquam sacerdos dixit : *sicut prodigus filius*, etc. At in citato Chronico transferuntur sacra cum populus præfatam oden cantat. Ex quibus clarum est in ejusmodi liturgia nonnulla fuisse addita, detracta et immutata a recentioribus. In Cod. Ratoldi abbatis sequitur : « *Pulsantur signa, vespertinæ canuntur. Et cantor incipit Antiph.* Calicem. *Ps.* Credidi. *Antiph.* Cum his, qui oderunt. *Ps.* Ad Dominum cum tribularer. *Antiph.* Ab hominibus iniquis. *Ps.* Eripe me. *Antiph.* Custodi me a labiis. *Ps.* Domine, clamavi. *Antiph.* Considerabam. *Ps.* Voce mea. *Antiph.* De manu filiorum. *Ps.* Benedictus Dominus. ℣ Christus factus est pro nobis. *In Evangelio:* 334 Cœnantibus autem. *Antiph.* Accepto pane. *Antiph.* Si male locutus sum. *Ad Complendum :* Refecti vitalibus alimentis, *etc. Dicat episcopus :* Dominus vobiscum. ℟ Et cum spiritu tuo. *Et diaconus :* Ite missa est. ℟ Deo gratias. » Hactenus Codex Ratoldi. Ubi nota, 1° Vespertinam synaxim includi in ipsa missa, ut in Sabbato sancto (*Infra in Pontificali Rothomagensi*) ; 2° ipsas Vesperas sex Antiphonis et totidem Psalmis comprehendi quos versiculus sequitur ; 3° hæc verba, *in Evangelio*, significare *ad Magnificat ;* 4° ad ipsum canticum tres dici Antiphonas.


In eodem Codice Ratoldi hæc sequuntur : « *Et stat unusquisque ad mensam. Deinde post refectionem prandii lavantur pedes. Et dum hæc aguntur, canantur hæ Antiphonæ reciprocis Psalmis.* Mandatum novum. *Ps.* Beati immaculati. *Antiph.* In diebus illis. *Ps.* Magnus Dominus. *Antiph.* Postquam surrexit Dominus. *Ps.* Deus misereatur nostri. *Antiph.* Ante diem festum. *Antiph.* Vos vocatis me. *Antiph.* Si ego Dominus et Magister. *Ps.* Beati immaculati in via. *Antiph.* Diligamus nos invicem. *Ps.* Ecce quam bonum. *Antiph.* In hoc cognoscent omnes. *Ps.* Magnus Dominus. *Hymnus de passione Domini* » (quem hic ponimus cum antiquis cantus notulis) :




Tel- lus ac æthra ju- bi- lant




In ma- gni cœ- na prin- ci- pis,



Quæ pro- to- plas- ti pec- to- ra



Vitæ pur- ga- vit fer cu- lo.



Hac noc- te fac- tor om- ni- um




Po- ten- ti sat mys- te- ri- o,
Carnem suam cum sanguine
In escam transfert animæ.


A celsis surgens dapibus,
Præbens formam mortalibus,
Humiliatis gratia,
Petri petens vestigia.

Pallet servus obsequio
Cum angelorum Dominum
Ferendo lympham linteo
Cernit cœno procumbere.


Permitte, Simon, ablui,
Acta figurant mystica,
335 Dum summus ima bajulat,




Ci nis- que ser- vit ci- ne- ri.




Læ- va tor- to ris ac- cu- bat,



Verbi- que fa- vos ag- ge- rat,



Quos in- ter, hos- tem de- no- tat,



Ne- cis qui do- los ru- mi- nat.
Trux lupe, Juda pessime,
Fers Agno mili basia,
Dans membra loris regia,
Quæ sorde tergunt sæcula.

Nexi solvuntur hodie
Carnis ac cordis carcere ;
Unguen sacratur chrismatis
Spes inde crescit miseris.

Victori mortis inclytam
Pangamus laudis gloriam
Cum Patre Sancto Spiritu
Qui nos redemit obitu.

Hac expleta, osculetur episcopus Evangelium, et omnes qui circum eum stant. Deinde dicant Dominicam Orationem tacite. Finita, dicat episcopus, et ne nos inducas in tentationem; Ecce quam bonum; Suscepimus Deus; Tu mandasti; Tu lavasti pedes discipulorum, opera manuum tuarum; Adesto, quæsumus, Domine, officiis nostræ servitutis, qui dignatus es lavare pedes tuis discipulis, etc.

Porro lotionis pedum quæ in Cœna Domini servatur in Ecclesia meminit sanctus Eligius, serm. 8: *Sancti chrismatis confectio, fraterna pedum ablutio*; et Magister in regula, cap. 43: *In cœna Domini mittant manus pro benedictione ad lavandos pedes abbatis, et postea omnibus præpositis cum solatio fratrum. Inchoando tamen abbas lavet simul et ostiariis*, etc. Idem videre est in concilio Toletano 17, can. 3, ubi omnibus Galliciarum Ecclesiis hoc sanctum opus lotionis pedum in Cœna Domini peragendum præcipitur, ob quasdam Ecclesias quæ illud intermitterant. Meminit etiam sanctus Augustinus, epist. 119, ad Januarium, ubi scribit multos illo die non lavasse pedes, ne lotio pertinere videretur ad baptismum. Constantinopoli olim eadem feria imperator duodecim pauperibus solebat lavare pedes. Ritum descr bit Codinus, de Officiis, etc., in hunc modum: Πρὸ τῆς λειτουργίας τῆς αὐτῆς μεγάλης πέμπτης **336** γίνεται ὁ νιπτὴρ οὕτω, etc., id est: Ante liturgiam die ejusdem magnæ hebdomadis quinto, lotio pedum fit in hunc modum: Præparantur pauperes duodecim, et induuntur eis subuculæ, sive tunicæ, brevia tibialia, et soleæ; positoque in cella imperatoris polubro, protopapa foris illius ad januam agens canit *Benedictum*; et dicit Trisagium. Deinde, legente eodem Evangelium, quando dicit: *aquam mittit in pelvim*, infundit imperator aquam in polubrum. Postea pauperes illos præparatos adducunt sigillatim quemque ferentem cereum accensum, protopapa, ut dictum est, legente Evangelium et dicente: *cœpit Jesus lavare pedes discipulorum*, idque persæpe videlicet usque dum omnes loti fuerint. Lavat imperator dextrum cujusque pedem; et ubi sindone quæ pendet ante ipsum, absterserit lotum pedem, osculatur eum. Et hoc facto, consummantur ea quæ ad ritum lotionis pedum pertinent. Et dantur unicuique eorum aurea numismata tria. Post illud, liturgia celebratur. » Hæc Codinus.

His subjungere non pigebit antiquum ordinem seu ritum olim in Ecclesia Rothomagensi, seu Rhemensi servatum in feria quinta Cœnæ Domini, quem ex veteri Pontificali ms. qui asservatur in sacristia ecclesiæ Rothomagensis mihi transmisit vir doctissimus *Joannes le Prevost* ejusdem ecclesiæ Rothomagensis canonicus et bibliothecarius, quia multa notatu digna continet, quæ non sunt hodierni usus.

Incipit ordo in die Cœnæ Domini, feria quinta majoris hebdomadæ, id est in Cœna Domini.

Mane primo mansionarii ordinent omnia quæ sunt necessaria ad consecrationem chrismatis, ampullas tres de oleo mundissimo plenas ponentes in sacrario: unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chrisma, tertiam vero ad oleum ad catechumenos ungendos. Chrisma debet fieri [*Leg.* cooperiri] *de albo serico, alias autem de alio serico cooperias. Et pontifex provideat de balsamo. Hora tertia sonet signum, et omnes veniant in ecclesiam, in qua chrisma debet consecrari. Ipso die sonentur campanæ ad Missam et ad cæteras horas, sicut mos est diebus festis, et sic sileant usque in Sabbato sancto. Presbyteri vero et cæteri clerici induant se vestimentis solemnibus, et diaconi dalmaticis, et subdiaconi albis sericis* (Ita in Ordine Romano); *et stent in ordine suo singuli in ecclesia, exspectantes usque* A *dum veniat pontifex cum processione plenaria ad Missam, sicut diebus solemnibus solet cum septem diaconibus, thuribulis cum incenso.*

Stans autem pontifex et presbyteri cum cæteris in ordine ante altare, dicunt: Confiteor Deo omnipotenti, *etc. Interim cantor et schola, ut jussum fuerit, imponant introitum ad Missam:* Nos autem, *etc.* Deus misereatur, *etc. Et iterum:* Nos autem, *etc.* Gloria Patri. *Iterum:* Nos autem. Kyrie eleison ter., Christe eleison ter., Kyrie eleison ter. *Deinde incipiat pontifex* Gloria in excelsis *cum presbyteris. Dum cantatur* Gloria in excelsis *sonat totum classicum, donec finiat. Quo finito, dicat pontifex cum presbyteris:* Pax vobis. Oremus. Deus a quo et Judas, *etc. Alia Oratio in consecratione chrismatis:* Deus qui regenerandis plebibus tuis ministerio uteris sacerdotum, tribue nobis perseverantem in tua voluntate famulatum, ut dono gratiæ tuæ in diebus nostris et merito et numero sacratus tibi populus augeatur. Per. Ad Corinthios: Fratres, convenientibus vo- B bis, *etc.* ℟ Christus, *etc.* ℣ Propter quod, *etc. Ante Evangelium ascendat pulpitum solus diaconus qui lecturus est Evangelium cum subdiacono, præeunte cruce et candelabro et thuribulo:* Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. In illo tempore, ante diem festum Paschæ, etc. *Perlecto Evangelio dicat pontifex cum presbyteris:* Credo in unum Deum, *etc. Tunc dicat pontifex cum presbyteris:* Dominus vobiscum, et cum Spiritu tuo. Oremus. Off. Dextera Domini, *etc. Presbyteri et cæteri qui voluerint, tunc peracto* [*Id est,* adducto] *calice cum vino et aqua et oblatis, de quibus communicent presbyteri et diaconi et* **337** *cæteri, et de quibus servetur usque mane die parasceve, inclinati ante altare pontifex et presbyteri persequuntur secreta Missæ dicentes:* In Spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum, ut a te suscipiatur hodie, et placeat tibi, Domine Deus meus. Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam C tibi offero in memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, *etc.*, Jesu Christi, et in honore omnium sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, et eorum quorum hodie festa celebrantur, et quorum hic nomina et reliquiæ habentur, ut illis, *etc.*, ad salutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Per eumdem Dominum nostrum. Orate, fratres, pro me ad Dominum, ut meum et vestrum in conspectu ejus fiat acceptum sacrificium. *Secreta:* Ipse tibi, Domine, *etc. Alia Secreta:* Oremus. Hujus sacrificii potentia, quæsumus, ut vetustatem nostram clementer abstergat, et novitatem nobis augeat et salutem. Per. Dominus vobiscum. Sursum corda, *etc.* Quem in hac nocte inter sacras epulas increpantem, *etc.* Te igitur, *etc.* Cum famulo tuo papa nostro. *Ill.* et antistite nostro *Ill.* [Et rege nostro *Ill.*] Memento, Domine, *etc.*, tibi reddunt vota sua æterno, *etc.* Simili modo, postquam cœnatum est, benedixit, dedit discipulis, *etc.* Unde et memo- D res, Domine, nos servi tui, *etc.* Domini Dei nostri tam beatæ, *etc.* Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum *Ill.* Ipsis et omnibus fidelibus defunctis, *etc.*, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

« *Tunc offeratur pontifici oleum ad ungendos tam infirmos, quam energumenos. Et benedicat illud tam ipsi* [Forte leg. *ipse*], *quam omnes presbyteri qui adsunt. De auctoritate apostolica, quam habemus de oleo infirmorum. De oleo quo unguntur infirmi auctoritatem habemus apostolicam, dicente beato Jacobo apostolo:* Infirmatur quis in vobis; inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum; et si in peccatis sit, dimittentur ei. *Unde patet ab ipsis apostolis hunc morem sanctæ Ecclesiæ esse traditum, ut energumeni vel alii quilibet ægroti ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato. Consecratur enim in ipso officio consecrationis corporis et sanguinis Domini. Non enim habet proprium*

officium. Id est, non in capite verba salutationis, hoc est Dominus vobiscum, nec, Oremus. Nec in fine concluditur, ut cæteræ Orationes, Per Dominum nostrum Jesum Christum, sed tantum, In nomine Domini nostri Jesu Christi. In eo vero loco ubi solemus uvas benedicere, consecratur oleum pro infirmis, concluditurque conclusione, Per quem hæc omnia semper, Domine, bona creas, etc. Unde intelligimus embolim [Id est, id quod interjicitur seu interponitur] esse supradicti officii. De eodem oleo sic continetur in Sacramentario. Antequam dicatur Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, levantur de ampullis quas offerunt populi, et benedicat tam dominus papa quam omnes presbyteri. Mos est Romanæ Ecclesiæ (nota), ut in confectione corporis et sanguinis Domini assint presbyteri et simul cum pontifice verbis et manibus conficiant. Oportet ut simili modo simul cum pontifice oleum presbyteri conficiant. Exorcismus olei pro infirmis et pro populo. Antequam dicatur : Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, exorcisetur oleum, ut tantum possit a circumstantibus audiri, ita : Exorcizo te, immundissime Spiritus, etc. Item benedictio ejusdem : Oremus, Emitte, Domine, etc. Tunc oleum reportetur, et in loco suo honorifice reservetur. Pontifex autem et Presbyteri prosequantur : Per quem hæc omnia, Domine, etc. Per omnia, etc. Libera nos, etc. Per omnia sæcula sæculorum, Amen. Tunc dicat diaconus Humiliate vos ad Benedictionem. Et episcopus, versus ad populum, dicat : Benedicat vos omnipotens Deus, qui per Unigeniti Filii sui passionem, etc. Tunc versus ad altare more solito, sancta tenens, dicat : Et pax ejus sit semper vobiscum, et cum Spiritu tuo. Schola cantet Agnus Dei, ter. Non datur pax. Oratio, quando sancta mittit : Hæc sacrosancta commistio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi **338** fiat nobis et omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam capessendam æternam præparatio salutaris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Oratio ad Patrem : Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi hoc corpus et sanguinem Christi, etc. Oratio ad Filium : Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc. Tunc communicet solus pontifex, et non frangat oblatas, nisi eam solam unde ille communicat. De sanguine autem reservet in calice ad communionem presbyterorum, et reliqui cleri. Oratio quando sumit : Perceptio corporis et sanguinis, etc. Alia : Quod ore sumpsi, Domine, mente capiam, ut de corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi fiat mihi remedium sempiternum. Per eumdem Christum Dominum nostrum, Amen. Tunc cooperiatur calix cum sanguine, et oblatæ; et dominus episcopus adhibeat presbyteros et diaconos, qui sollicite custodiant.

« Tunc dominus episcopus vadat ad sedem suam cum diaconibus et exspectet; exspectante vero in sede sua pontifice, veniant ad sacrarium duodecim presbyteri, et cæteri clerici, quantum opus sit, ad deferendum cum omni decore oleum chrismale, et etiam oleum catechumenorum et neophytorum, usque in Ecclesiam, ante episcopum. Sint enim parati iidem presbyteri, et cum eis cæteri clerici casulis et solemnibus vestimentis. Tunc duo acolythi accipientes duas illas ampullas quæ ad chrisma et ad oleum catechumenorum consecrari debent, et procedant (Ita in Ordine Romano); et ordinent se illi Presbyteri et prædicti clerici, rite et ordinabiliter, ita ut primum ambulent duo acolythi cum candelabris, et ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces, et inter illas medium chrismale oleum. Post eas portentur duo thuribula cum incenso, et inter illa medium oleum catechumenorum. Deinde portetur Evangelium, ut impleatur omne donum. Postea sequantur bini et bini illi duodecim presbyteri testes et cooperatores ejusdem sacrosancti chrismalis mysterii, acolythi et subdiaconi, etc. Stent in ordine suo secundum gradum eorum, ubi ascenditur ad altare, tantum ut diaconus sit sextus in eminentiori loco, et juxta archidiaconum, qui Evangelium legebat; et ita involutam ampullam suscipientes per ordinem ut ascendat; et cum pervenerit ad archidiaconum, ille perferat eam ita involutam ante pontificem. Interim autem unus subdiaconus deferens vasculum cum balsamo alii diacono offerat, et ille pontifici.

« Tunc ordinentur circa episcopum hinc et hinc eadem candelabra, et cruces et thuribula, atque Evangelium, necnon et prædicti duodecim presbyteri testes et adjutores ejusdem mysterii, ita ut diaconi post dorsum episcopi stent. Presbyteri vero a dextris et a sinistris, cruces vero et cætera utrinque inter illos media. (Idem statuitur in concil. Roth., apud. Ord. Vitalem, lib. IV Hist. eccl.)

« His ita statutis, convertat se episcopus, aut cui ille præcepit, tam ad clerum quam ad populum, et faciat sermonem de consecratione chrismatis congruentem. Tunc convertat se episcopus, et intret in consecrationem principalis chrismatis, et misceat balsamum cum oleo. Deinde halat ter super ipsam ampullam, et dicat lenta voce exorcismum chrismatis olei. Exorcismus sacri olei : Exorcizo te, etc. Tunc dicat episcopus cum presbyteris alta voce : Per omnia sæcula, etc. Vere dignum, etc. Qui in principio inter cætera, etc. Finita autem benedictione dominus episcopus salutat chrisma nudum, et qui juxta eum sunt dicendo : Ave, sanctum chrisma. Et iterum per ordinem descendit, sicut ascendit, et deferatur omnibus cooperta ad salutandum. Hoc facto summo honore procuretur, usque dum altera ampulla ascendat, et iterum descendat, ut ambæ honorifice ad locum suum redeant. De eo quod ampulla quibusdam nuda, quibusdam vero cooperta ad salutandum defertur, dicit libellus Romani Ordinis in consecratione chrismatis. Continuo duo acolythi involutas duas ampullas cum sindone albo de serico teneant in brachio sinistro, ita ut videri possint a medio. Ampulla antequam veniat ad episcopum ad altare, media pars ejus est cooperta, et media nuda. **339** Ampulla cum chrismate quomodo [Leg. quodam modo] significat corpus Domini sumptum de Virgine, quod antequam transiret ad altare crucis, aliquo tempore erat coopertum, aliquo nudum. Primo tempore erat coopertum, quando ita fugit in Ægyptum, quasi non esset rex regum; et quando ita portatus est in templum, quasi non esset omnipotens, et quando ita erat subditus parentibus, quasi auctor non esset parentum. In his et similibus coopertum latebat. Nudum erat postquam miracula cœpit facere, simulque prædicare, et se Deum demonstrare, ut inquit : Ego et Pater unum sumus. In his et aliis nudum erat. Ampulla vero postquam benedicta fuerit, ab altari redit, quæ a pontifice et ministris altaris visibilis et nuda salutatur. Hoc significat, quod Christus, postquam ab altari crucis exivit, præsentiam corporalem eis præbuit, quos testes suæ resurrectionis esse voluit. Quod cæteris invisibilis et cooperta ad salutandum defertur, significat quod Christus rediens in cœlum invisibilis hominibus factus est, ut ipse testatur : Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem. Nos vero quamvis præsentiam ejus corporalem non videamus, tamen venerando quotidie eum salutamus.

« Incipit exorcismus olei, quo ungendi sunt catechumeni. Descendente autem ampulla cum chrismate, statim alia cum oleo catechumenorum ascendat, sicut prior, usque ante episcopum; et halet in ipsam, sicut in priorem; et in primis faciat ei exorcismum, et benedicat eam quasi legens lectionem. Exorcismus Græce, Latine conjuratio seu sermo increpationis est adversus diabolum, ut discedat; et concluditur per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem. In illo oleo unguntur catechumeni, ut si quæ maculæ adhæserunt corpori aut menti, postquam ad scrutinium accesserunt, recedant [Adde particulam et], deinceps munimentum habeant per hanc unctionem, ut non possit diabolus repedare; ut hæc verba Orationis demonstrant dicendo : Ut si quæ illis adversantium spirituum inhæserint maculæ, ad tactum sanctificati olei hujus omnes abscedant. Exorcismus ejusdem olei : Exor

cizo te, creatura olei, *etc. Tunc dicatur:* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo: Oremus. Deus incrementorum, *etc. Tunc Dominus pontifex, et qui juxta eum sunt, salutent prædictam ampullam, dicendo:* Ave, sanctum oleum. *Et descendat per ordinem, sicut altera, et deferatur omnibus ad salutandum.*

« *His ita peractis, eodem ordine et ductore quo ascenderunt in ecclesiam redeant ambæ ad sacrarium. Tunc pontifex lavet manus, et diaconi vadant ad altare, et discooperiant sancta, et pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendum; et sumat de ipsis oblatas integras ad reservandum mane die parasceves; de quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consummatur. Et schola dicat Communionem* Dominus Jesus, *etc. Fractis oblatis, communicent presbyteri et diaconi, et cæteri omnes, et ita perficiatur Missa in ordine suo. Tunc dicantur Vesperæ. Antiph.* Calicem, *etc. Ps.* Credidi. *Antiph.* Cum his, *etc. Ps.* Ad Dominum. *Antiph.* Ab hominibus iniquis, *etc. Ps.* Eripe me. *Antiph.* Custodi, *etc. Ps.* Domine, clamavi. *Antiph.* Considerabam ad dextram, *etc. Ps.* Voce mea. *Antiph.* Cœnantibus, *etc. Ps.* Magnificat. *Tunc vertat se pontifex et dicat* Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus. *Postcommunionem*: Refecti vitalibus alimentis, *etc. Alia Postcommum.* Oremus. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut perceptum novi sacramenti mysterium et corpore sentiamus et mente. Per Dominum nostrum, etc. Dominus vobiscum, *etc. Diaconus:* Ite Missa est. Deo gratias. *Oratio post Missam ante altare:* Placeat tibi, Domine Deus sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ; et præsta ut hoc sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile; mihique, et **340** omnibus pro quibus oblatum est, sit, te miserante, propitiabile. Per Dominum. *Tunc pontifex depositis pontificalibus indumentis, descendat in sacrarium mandans presbyteris quod voluerit.* » *Hactenus ritus feriæ* 5 *in Cœna Domini et Pontificali Rothomagensi ms.*

283. *Feria sexta.* Describitur solemnitas sanctæ parasceves; cujus cæremoniæ eædem ferme habentur apud Alcuinum, lib. de divinis Officiis, c. de feria 6.

284. *Hora tertia conveniant omnes presbyteri.* Ita in Editis. Sed nihil simile habetur in aliis Codicibus nostris mss.

285. *In Sacramentario.* Nota distinctionem inter Sacramentarium et librum Sacramentorum. Cum enim hoc Codex sancti Eligii inscribatur liber Sacramentorum, citetque Sacramentarium, nemo est qui non videat Sacramentarium a libro Sacramentorum distingui.

286. *Ascendit ad sedem.* Pontifex dicitur ad sedem ascendere, eo quod sedes sive sella episcopi cæteris esse debeat eminentior in ecclesia, ut fert mos antiquus Ecclesiæ, quem videre est apud Burchardum, lib. XI, cap. 10, ex epistola Urbani papæ, in qua motis hujus causa profertur: *Quod autem sedes episcoporum in ecclesia excelsæ constitutæ et præparatæ esse inveniuntur, in throno speculationem et potestatem judicandi, solvendi atque ligandi a Domino sibi datam materiæ docent.* Ita docet sanctus Ambrosius lib. de Dignitate sacerdotali, cap. 6: *Nam quid aliud interpretatur episcopus, nisi super inspector? maxime cum in solio, in ecclesia editiore sedeat.* Et sanctus Augustinus, in Psalmum CXXVI: *Nam ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant.* Ita statuitur in concilio Carthag. IV, can. 35: *Ut episcopus in ecclesia in consessu presbyterorum sublimior sedeat.* Id videre est apud Eusebium, lib. X Hist. eccl., cap. 4, in descriptione magnifici illius templi, quod Tyri a Paulino episcopo ædificatum est: Ἀλλὰ γὰρ ὧδε καὶ τὸν νεὼν ἐπιτελέσας, θρόνοις τέ τοῖς ἀνωτάτω εἰς τὴν τῶν προέδρων τιμὴν, etc. Id est: Porro templo hoc ita absoluto atque perfecto, thronisque quibusdam in altissimo loco ad præsidum Ecclesiæ honorem collocatis, subselliis præterea ordine cæteræ clericorum turbæ dispensatis decenter exornato. Et apud Prudentium, in passione sancti Hippolyti, ubi appellatur tribunal, quemadmodum apud sanctum Isidorum, lib. XV Origin., cap. 4.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, antistes prædicat inde Deum.

Nec obstant hæc Sulpitii Severi verba, dialogo 2: *Sicut quemdam nuper (testor Dominum) non sine meo pudore vidi sublimi solio, quasi regio tribunali, celsa sede residentem.* Nam cujusdam episcopi fastum ibi damnat, qui hac in re modum excedebat, nec tanquam episcopus, sed tanquam rex in ecclesia sedebat, ut sancti Martini humilitatem extollat, qui solebat in humili sella in templo sedere. Idem dicendum est de excelso throno quem sibi in ecclesia statuerat Paulus Samosatensis, ob quem in epistola episcoporum reprehenditur; nam ille thronus excedebat modestiam episcopalem, non ut Christi discipulum decet, sed ut mundi principem secretum habens, et nominans, ut loquitur Eusebius lib. VII Hist. eccl., cap. [a] 24.

287. *Sicut in quarta feria habentur.* Hæc addidi ex Editis, quia in hoc sancti Eligii Codice omnes istæ Orationes hic repetuntur.

288. *In oratorio.* Ita in excusis; lege tamen *in orario*, ut apud Alcuinum. Estque oblongus tapes instar orarii, qui substernitur crucem adoraturis, pertinens a loco ubi crux posita est, **341** usque ad medium chorum circiter, quod etiam hoc tempore fieri solet in quibusdam Ecclesiis.

289. *Adoratam deosculetur crucem.* Mos antiquus fuit adorare crucem die magnæ parasceves. Idque olim fiebat Hierosolymæ, cum eadem die episcopus crucem Christi veram populo adorandam exhiberet, ut testatur sanctus Paulinus, epist. 11: *Experimento resurrectionis inventa et probata crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita in loco basilicæ, quæ auratis coruscat laquearibus, arcano positum sacrario crucem servat: quam episcopus urbis ejus, quotannis, cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantium promit; neque præter hunc diem qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsaque sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solemnitatis insigne profertur; nisi interdum religiosissimi postulent, qui ea tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi ejus revelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur.* Ubi hæc verba, *neque præter hanc diem qua ipsius crucis mysterium celebratur*, satis indicant τὸ Pascha hoc sancti Paulini loco pro solemnitate sanctæ parasceves usurpari.

290. *Et alter.* Ita in Editis. Apud Alcuinum, cap. citato, additur τὸ *subdiaconus*.

291. *Canitur semper.* Reposui τὸ *semper*, ex Editis, cum in Codice nostro male scriptum esset τὸ *super*.

292. *Psal.* CXVIII. Apud Alcuinum hæc adduntur: «*Item* crucem tuam adoramus, etc. *Ps.* Deus misereatur. *Alia*: dum fabricator. » At in Codice Ratoldi plura habentur, quæ quia notanda et ab hodierna consuetudine non parum dissident, non pigebit hic subjicere: « *Post has Orationes pergant duo diaconi in sacrarium aut retro altare. Cantant:* Popule meus. *Presbyteri vero duo stant ante crucem, cum salutatione respondeant:* Agios o Theos. *Item chorus:* Sanctus Deus, sanctus Fortis. *Deportetur crux paululum in antea, et iterum cantant diaconi:* Ego quidem eduxi te per desertum. *Presbyteri vero,* Agios o Theos. *Et chorus iterum,* Sanctus Deus, sanctus Fortis. *Item deportatur paululum;* Quid ultra debui facere. Agios. *Item.* Sanctus Deus. *Iterum tertio deportetur crux ante altare, et discooperietur linteo quo erat præcincta, a duobus presbyteris; et dicant ipsi, elevata cruce, Antiph.* Ecce lignum crucis. *Ps* Deus misereatur. *Tunc veniens pontifex cum duobus diaconibus, prosternens se ter, et adorantes crucem more solito. Post hos sequuntur sacerdotes et levitæ. De*

[a] In edit. Henrici Valesii est cap. 30.

inde omnis clerus, exinde omnis populus, femineusque sexus. Interim cantant has Antiphonas: Crucem tuam adoramus, Domine. *Ps.* Beati immaculati. *Antiph.* Adoramus crucis. *Antiph.* Dum fabricator mundi. *Hymnus Fortunati*, Pange lingua gloriosi. » Hactenus Codex Ratoldi. Ubi ante hæc verba, *quid ultra debui facere*, supplenda sunt ista, *et iterum cantant diaconi;* et ante *Agios*, subaudi *presbyteri vero*; et ante *Sanctus Deus*, subaudi *et chorus iterum*. Hæc autem verba, *prosternens se ter*, etc., corrupta sunt, et sic legenda, *prosternent se ter adorantes crucem.*

293. *De sancta.* Ita in Editis. Apud Alcuinum: *sumitur de sancto pane.* Cujus verba sequentia notanda, et explicanda sunt: *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Hæc enim non ita capienda sunt quasi vinum non consecratum per ejusmodi admistionem transeat in sanguinem Christi, sed quod sanctificationem quamdam exteriorem ex ejusmodi commistione percipiat. Ex quo notanda est antiqua consuetudo, quæ adhuc viget, quod nimirum celebrans in sancta parasceve sub unica duntaxat panis specie communicaret.

294. *Nihil dicens.* Apud Alcuinum legitur *silendo;* qui hæc subjungit: **342** Pax Domini *non dicit, quia non sequuntur oscula circumstantium.*

295. *Et communicant omnes.* Tam clerici quam laici, ut supra ex Theodulpho probatum est. Olim in monasterio cujusdam antiqui monachorum patris, qui in sua regula Magister appellatur, et floruit non multo post sanctum Gregorium I papam, monachi eodem sanctæ parasceves die communicabant, ut clarum est ex cap. 45 regulæ ejus in Concordia regularum, cap. 51, § 4: *Sacramenta vero altaris in patena majore vitrea finiantur, ut cum feria sexta Judæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipso die mentibus nostris reclusus, ut Sabbato nobis per resurrectionem in novo sacramento appareat. Jam qui sexta feria refecturi sunt sine communione reficiant, ut agnoscatur jamque sexta feria injuste refici sine Christo.* At secus olim in Hispania. Si quidem illo die nec Missarum solemnia, nec communio peragebantur, ut manifestum est ex concilio Toletano IV, cap. 6, ubi de feria sexta passionis dominicæ hæc statuuntur: *Ideoque oportet eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis annuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem dominicæ resurrectionis remissis iniquitatibus suscipere mereamur, corporisque ejus et sanguinis sacramentum mundi a peccato sumamus.* Ubi vides hoc die passionis postulandam esse criminum indulgentiam, ut dominicæ resurrectionis die corpus et sanguis Domini sumantur. Id etiam clarum est ex concilio Toletano XVI, can. 8: *Excepto Passionis dominicæ die, quando altaria nudata persistunt, nec cuiquam in eodem die Missarum licet solemnia celebrare.*

Ne quis autem dicat non licere quidem eo die corpus et sanguinem Christi consecrare, sed posse cum præsanctificatis celebrari, obstant hæc verba, *quando altaria nudata persistunt.* Non potest enim celebrari, etiam cum præsanctificatis, nudato altari. Si autem illo die Missa non celebratur, nec communio, quæ olim in basilicis seu ecclesiis extra Missarum solemnia non sumebatur.

296. *Et expleta sunt universa.* In Editis hæc sequuntur: *Hoc facto dicit pontifex:* In nomine Patris, et Filii, et Spiritu sancti, quæ in nullis Codicibus nostris mss. reperiuntur.

297. *Nuda sint altaria.* Nudatio altarium olim fiebat hac feria 6, ut videre est in regula Magistri ms., cap. 45, in Concordia regularum, cap. 50, § 4, *in qua feria sexta altaris velamen, vel diversus oratorii ornatus subtrahatur; simul et lucernæ, et cicendeli totum intra monasterium negetur aspectus.* Ubi particula *vel* sumitur copulative. Sed fuit diversa consuetudo. Nam olim etiam in quibusdam locis nudabantur in Cœna Domini, ut nunc; quemadmodum videre est in Ordine Romano de hac feria: *Statim duo acolythi parati cum nigris casulis incipiant nudare altaria.* Et ex Alcuino, lib. de Offic. divinis, cap. de Cœna Domini: *His finitis nudantur altaria jam circa noctem.* Quod videtur etiam can. 8 concilii Toletani XVI, ubi, agens de sancta parasceve, dicit: *Quando altaria denudata persistunt;* nam τὸ *persistunt* indicat eo die non fuisse denudata, sed pridie juxta morem, qui etiam confirmatur ex concilio Toletano XVII, can. 2: *Ita ut nisi in Cœnæ Domini celebritate, quando more solito altaria debent devestiri, eadem debeant ostia reserari.* Id etiam probatur ex lotione altarium, quæ olim fiebat eodem die simul cum lotione parietum, ac pavimenti templi, et vasorum; de quibus hic breviter agemus.

Supra, in eodem capite regulæ Magistri, cum agit de feria sexta majoris hebdomadæ, hæc habentur: *Lotio vero rerum, vel apparatus paschalis ipso die procuretur.* Quæ intelligenda sunt de lotione altarium, parietum et pavimentorum templi, et sacrorum vasorum purificatione **343** quæ etsi in patria ipsius Magistri, et fortasse alibi fierent in sancta parasceve, tamen Romæ fiebant feria 5 in Cœna Domini, ut constat ex Ordine Romano, ubi agit de hujus diei solemnitate: *Eodem die altaria templi et parietes, sive pavimenta Ecclesiæ laventur, et vasa Domino sacrata purificentur.* In Gallia, ut planum est ex octava sancti Eligii Noviomensis episcopi homilia de Cœna Domini: *Et propter humilitatis formam commendandam, eo die pedes eorum lavit; et hinc est quod eodem die altaria templique parietes lavantur et vasa purificantur.* In Hispania, ut clarum est ex sancto Isidoro, lib. I de Offic. eccl., cap. 28, cum de eadem feria scribit: *Hinc est quod eodem die altaria, templique parietes, et pavimenta lavantur, vasaque purificantur, quæ sunt Domino consecrata.*

Porro in Codice Ratoldi, in fine hujus solemnitatis hæc notanda sunt: *Ex expleta sunt universa. Et post paululum Vesperam dicit unusquisque privatim, et sic vadunt ad mensam.* Eadem habentur in Ordine Romano, cum agitur de hac feria sexta. Quod fit hodie in quibusdam Ecclesiis, clericis sive monachis in ipso choro genibus flexis sub silentio privatim Vesperam recitantibus.

298. *Sabbato.* Describitur solemnitas Sabbati sancti.

299. *Hora octava.* Id est, secunda postmeridiana. Aliter in concilio Rothomagensi supra citato: *Item statutum est ut in Sabbato Paschæ officium ante nonam non incipiatur.*

300. *Notarii.* Notarii hoc loco sunt scribæ episcopi, qui, ut plurimum, assumebantur ex lectorum collegio. Ita in Bibliotheca Photii, num. 256, in Politia sanctorum Metrophanis et Alexandri, videmus Paulum lectorem et notarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui postea fuit ejusdem Ecclesiæ patriarcha; et apud Ennodium, in Vita sancti Epiphanii episcopi Ticinensis. Nam ubi scripsit eum allectum fuisse in lectorum sodalitium, paulo post subjungit: *Notarum in scribendo compendia, et figuras varias verborum multitudinem comprehendentes brevi assecutus, in Exceptorum numero dedicatus enituit.* Ubi exceptores sunt notarii dicti ab illis notarum compendiis de quorum in scribendo velocitate Martialis lib. 14:

> Currant verba licet, manus est velocior illis,
> Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Et Ausonius, epigrammate 137.

> Puer notarum præpetum
> Solers minister advola,
> Bipatens pugillar expedi,
> Cui multa fandi copia,
> Punctis peracta singulis,
> Ut una vox absolvitur, etc.

Sanctus Hieronymus, epist. ad Julianum, tomo primo: *Et tamen ille apposito notario cogebat loqui, quæ velociter edita consequeretur manus, et linguæ celeritatem prenderent signa verborum.* Et epist. ad

Principiam, tom. III : [a] *Quem notarium possumus intelligere, quodam signorum compendio breviatum Evangelii strictumque sermonem exaravit.* Unde in Glossis Philoxeni : *Notarius*, σημειογράφος, id est, notarum scriptor, qui a Synesio, epist. 61, ταχυγράφος, id est, velociter scribens, et a Philostrato, lib. I de Vita Apollonii, cap. 13, εἰς τάχος γράφων dicitur.

Cæterum in Ordine Romano, in Codicibus Rhem. et 344 Ratoldi, et in quibusdam aliis Sacramentariis hic ante lectiones exstat benedictio cerei paschalis, cujus præludium est : *Exsultet jam angelica turba cœlorum*, quod quidem exstat in Ordine Missæ Ambrosianæ, sed reliqua Benedictionis formula multum ab usitata discrepat. In Codicibus Rodradi et Rhemensi formula benedictionis in duobus a vulgari differt, primo quia diffuse satis apum laudes persequitur in hunc modum : [b] *Apes cæteris quæ subjecta sunt homini animantibus antecellit* (Virgil. IV Georg.) : *cum sit minima corporis parvitate, ingentes animos angusto versat in pectore; viribus imbecillis, sed fortis ingenio. Hæc explorata temporum vice, cum canitiem pruinosa hiberna posuerunt, et glaciale senium verni temporis moderata deterserint, statim prodeundi ad laborem cura succedit, dispersæque per agros, libratis paululum pennis, cruribus suspensis insidunt, partim ore legere flosculos, partim oneratæ victualibus suis ad castra remeant; ibique aliæ inæstimabili arte cellulas tenaci glutino instruunt, aliæ liquentia mella stipant, aliæ vertunt flores in ceram, aliæ ore natos fingunt, aliæ collectis e foliis nectar includunt. O vere beata, et amabilis apes, cujus nec sexum masculi violant, fetus non quassant, nec filii destruunt castitatem; sicut sancta concepit virgo Maria, virgo peperit, virgo permansit.* Deinde sequitur : *O vere beata nox, quæ exspoliavit Ægyptios*, etc. Secundo in fine Benedictionis nominatur tantum papa, nulla mentione facta episcopi, regis, aut imperatoris.

Hujus Benedictionis cerei mentio fit in concilio Toletano IV, cap. 8 : *Lucerna et cereus in prævigiliis Paschæ apud quasdam Ecclesias non benedicuntur, et cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut sacræ Resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in Benedictione sancti Luminis suscipiamus.* Ita in secunda Editione Garsiæ; nam in prima τὸ *Paschæ* desideratur, sed parum refert, siquidem sequentia satis indicant canonem esse de cerei Paschalis Benedictione intelligendum.

Hanc institutionem Alcuinus, lib. de Officiis divinis, cap. de Sabbato sancto, et Amalarius, lib. de Offic. eccl., cap. 18, papæ Zosimo tribuunt, quibusdam reclamantibus qui illam Zosimo antiquiorem esse contendunt, quod exstet apud Prudentium, qui ante Zosimum floruit, hymnus de cereo paschali; sed immerito : nam ille hymnus non est de cereo paschali, sed hymnus vespertinus est de lumine, quod olim vespere quotidie in Ecclesia solemni quodam ritu accendebatur, ut fuse docuimus ad § 2, cap. 24, Concordiæ regularum. Sed quidquid sit, ritus sane antiquus est, siquidem apud Ennodium Ticinensem episcopum, qui obiit anno post Christum natum 521, duæ cerei paschalis exstant Benedictiones eleganti sane stylo conscriptæ in opusculis miscellaneis 9 et 10, quibus tamen non præmittitur supra memorata Præfatio, [c] *Exsultet jam angelica turba cœlorum*. In Ordine Missæ Ambrosianæ habetur etiam cerei paschalis Benedictio; sed an ab ipso sancto doctore sit composita, non mihi compertum est. Præterea notandum est in Codice Ratoldi ad hæc verba, *incensi hujus*, super τὸ *hujus* crucem esse depictam; similiter ad hæc verba, *in honorem nominis tui consecratus*, super etiam τὸ *consecratus*, quæ in codice Rodradi depicta est super τὸ *nominis*.

De mysticis cerei paschalis significationibus consule Alcuinum, Amalarium, Bartholomæum Gavantum, et cæteros, qui de officiis seu ritibus ecclesiasticis scripserunt.

Sed non sunt omittendi ritus benedicendi paschalis cerei 345 qui exstant in Codicibus Rhemensi et Ratoldi. In illo quidem ita habetur : *Primitus enim octava hora diei mediante procedunt ad ecclesiam et ingrediuntur in sacrarium, et induunt se vestimentis, sicut mos est; et incipit clerus litaniam, et procedit sacerdos de sacrario cum ordinibus sacris : veniunt ante altare, stant inclinato capite, usque dum dicant Agnus Dei. Deinde veniens sacerdos ab Oratione, vadit retro altare, accipiens de lumine quod sexta feria absconsum fuit, faciens crucem super cereum et illuminans eum, completur his Orationibus.* In hoc vero sic : *Hora sexta ingrediatur pontifex in sacrarium cum levitis et ministris, et induant se sacris vestibus, et ordinent se sicut in crastina die Paschæ continetur; et jubeat acquiri novum ignem cum ampulla a sole illuminatum, sive a silice excussum. Deinde faciant crucem de incenso in cereo, et scribatur annus Domini, atque A et Ω, et tunc portetur cereus ante episcopum cum processione, cum candelabris, et thuribulis, tamen sine lumine. Et sic stipatus incedat episcopus in medio choro, et ibi ponatur cereus. Episcopus autem finita oratione pergit ad altare, et ibi hora sessionis sedeat. Non ascendat ad sedem usque ad tempus, dum dicat :* Gloria in excelsis Deo. *Inde levita postulans Benedictionem ab episcopo eat ad cereum, et consecret. Processio vero dividet se, pars in dextera, et pars in sinistra. Interim episcopus sedendo benedicat ignem et incensum, ut audiant circumstantes. Cereus vero non illuminetur, usque dum pervenerit diaconus* Ignis accendit. Hactenus Codex Ratoldi. Hæc autem verba in Codice Rhemensi *completur his Orationibus*, intelliguntur de Orationibus quibus supradictum ritum concludit episcopus, quas sequitur cerei Benedictio, *Exsultet*, etc., quæ tamen ibidem non exstant. Ordo processionis ad altare qui hic præcipitur in Codice Ratoldi, ut in crastina Paschæ, habetur supra ad finem libri Sacramentorum. Oratio cujus est hic mentio est prima Missæ Oratio. Processio quæ debet dividi est cœtus presbyterorum, diaconorum et ministrorum, qui comitati sunt eumdem episcopum e sacrario ad altare, debentque toto Missæ tempore illi assistere. His verbis, *ut audiant*, videtur præponenda particula *ita*.

In Ordine Romano sunt alii ritus qui etiam ab hodiernis discrepant, inter quos ille est; nam ut primum pontifex e sacrario processit, accenditur quidam cereus in loco mundo, et pontifex, sive presbyter faciens super eum crucem, benedicit eum humili voce, schola interim cantante septem Psalmos pœnitentiæ, hoc modo incipiens : Dominus vobiscum, etc. Oremus. Deus mundi conditor, auctor luminis, etc. Quæ Benedictio etiam habetur in veteri libro Sacramentorum ms., cujus mihi copiam fecit vir doctissimus Joan. Aubertus litterarum Græcarum regius interpres, et succedit vulgari cerei paschalis Benedictioni, tanquam illius altera Benedictio. Quam, quia prolixior est præfata Benedictione Ordinis Ro-

[a] In Edit. nova, tomo II, col. 684, explicat sanctus Doctor Psalm. XLIV, et ad hunc versum : *Lingua mea calamus scribæ*, etc., ait : *Mea autem lingua in similitudinem scribæ velocis, quem notarium possumus intelligere, quodam*, etc.

[b] Eadem leguntur tum in nostris Cod. mss., tum in Missalibus Gothico et Gallicano editis a Mabill. lib. de Liturg. Gallic.

[c] Legitur eadem fere in Calensi et in duobus Theod. At in Gemet. prolixior est ab his verbis, *apis*, sive, ut legitur in ms., *apes mater eduxit*, multaque attexuntur in apum laudem. In vet. Sacram. Gallic., de cujus antiquitate consule Mabill. tom. Musei Italici tom. I, parte II, legitur : *Benedictio cerei sancti Augustini episcopi, quam cum adhuc diaconus esset, cecinit dicens : Exsultet*, etc., ut in Editis, nonnullis tamen additis.

mant, et in quibusdam variat, hic apponere placuit :

« Deus mundi conditor, auctor luminis, siderum fabricator, Deus qui jacentem mundum in tenebris luce perpetua retexisti, Deus per quem ineffabili potentia omnis claritas sumpsit exordium, te in tuis operibus invocantes in hac sacratissima noctis vigilia de donis tuis cereum tuæ suppliciter offerimus Majestati, non adipe carnis pollutum, nec profana unctione vitiatum, non sacrilego igne contactum, sed cera, oleo, atque [a] papyro constructum, in tui nominis honore succensum obsequio religiosæ devotionis offerimus. Magnum igitur mysterium, et noctis hujus mirabile sacramentum dignis necesse est laudibus cumulare, in quo dominicæ Resurrectionis miraculo diem sibi introductum tenebræ inveteratæ senserunt; et mora quæ olim fuerat æterna nocte damnata, inserto **346** veri fulgoris lumine, captivam se trahi dominicis triumphis obstupuit. At quod prævaricanti primo plasto tenebrosa præsumptione fuerat in servitute damnatum, hujus noctis miraculum splendore libertatis irradiat. At hujus ergo festivitatis reverentiam fervore spiritus descendentes, quantum devotio humana exigit, tibi Deo fulgore flammarum placida luminaria exhibemus, ut dum hæc fide integra persolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia extollantur. Flammæ lux quippe dicenda est, per quam potestas deitatis Moysi apparere dignata est. Quæ de terra servitutis populo exeunti salutifero lumine ducatum exhibuit, quæ in tribus pueris in camino sententia tyranni depositis vitam blandimentis mollioribus reservavit. Nam ut præcedente hujus luminis gratia tenebrarum horror excluditur, ita, Domine, lucescente majestatis tuæ imperio peccatorum sarcinæ diluuntur. Cum igitur hujus substantiæ miramur exordium, apum necesse est laudemus originem. Apes vero sunt frugales in sumptibus, in procreatione castissimæ, ædificant cellulas cereo liquore fundatas, quarum humanæ peritiæ ars magistra non exæquat. Legunt pedibus flores, et nullum damnum in floribus invenitur; partus non edunt, sed ore legentes concepti fetus reddunt examina. Sicut exemplo mirabili Christus ore paterno processit. Fecunda est sine partu virginitas, quam utique Dominus dignatus carnalem se Matrem habere virginitatis amore constituit. Talia igitur, Domine, digna sacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari Christiana religio non ambigit. Veniat ergo, omnipotens Deus, super hunc incensum larga tuæ benedictionis infusio, et hunc nocturnum splendorem invisibilis regnator intende, ut non solum sacrificium, quod hac nocte litatum est, arcana luminis tui admistione refulgeat, sed quocunque loco ex hujus aliquid sanctificationis fuerit mysterio deportatum, expulsa diabolicæ fraudis nequitia virtus tuæ Majestatis assistat. Per Dominum. »

Hactenus cerei benedictio : circa quam notandum est, primo olim papyrum, hoc est juncum seu cannam, quæ in riparum marginibus crescit, adhibitam fuisse in cereorum, lucernarum et lampadum usum. Ennodius, in Benedictione prima cerei paschalis : *papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit*. Sanctus Gregorius Turonensis, in Vitis Patrum, capite 8 : *Lychni in ea jugiter accenduntur. Unus igitur ex his per quadraginta dies totidemque noctes, ut ipse ædituus asseruit, absque ullius fomenti adjutorio perduravit splendens, in quo nec papyrus addita, nec gutta olei est stillantis adjecta*. In his verbis, *quarum humanæ peritiæ*, deesse videtur τὸ *industriam*, vel, quid simile, ut legatur *quarum industriam*. De apum industria in fingendo melle, cellulis componendis, deque earum virginitate, lege sanctum Ambrosium, lib. v in Hexameron, cap. 21; Aristotelem, Plinium, Ælianum, Virgilium et alios. Hæc autem verba, *sed quocunque loco ex hujus aliquid sanctificationis mysterio*, etc., intelligenda sunt de particulis cerei paschalis, quas Christiani domi asservabant, ut earum beneficio adversus tempestates et diabolicos incursus tuti essent, ut liquet ex Ennodio, Benedictione prima : *Et si quis hinc sumpserit adversus flabra ventorum, adversus spiritus procellarum tua jussa faciens, sit illi singulare profugium; sit murus ab hoste fidelibus*. Et Benedictione secunda : *Tu resurrectionis tuæ tempore, quo vernat anni reviviscentis infantia, sumptum ex hoc contra procellas et omnes incursus fac dimicare particulam*. Quam vim habebant agni cerei, qui olim in Sabbato sancto loco cerei paschalis Romæ ab archidiacono benedicebantur. Siquidem olim in Romana Ecclesia cereus paschalis non benedicebatur; sed mane primo Sabbati sancti, archidiaconus ingrediebatur ecclesiam, ceramque in mundo vase liquefactam cum oleo miscebat, eamque benedicens in agnorum similitudinem efformabat, quos in octava Paschæ **347** post communionem fidelibus distribuebat; qui eos pro quacunque necessitate in suis ædibus ad fumigandum incendebant, ut docent Ordo Romanus in ordine de Sabbato sancto; Alcuinus, Amalarius, capitibus citatis. Sed hic ritus tantum incœpit, cum desiit Romæ benedicendi cerei paschalis consuetudo, quæ videtur esse instaurata a Theodoro papa; quod forte ansam præbuit nonnullis dicendi eum fuisse hujus ritus auctorem, quod quam falsum sit, Benedictiones supra ex Ennodio, qui multis annis ante hunc papam vixit, prolatæ convincunt. Aut si mavis dicere a Zozimo quidem institutum fuisse, ut cereus paschalis benediceretur per parochias, ut testatur Pontificale Damasi, at vero decretum fuisse a papa Theodoro ut infra Romanam civitatem seu Romæ benediceretur.

301. *In ambonem*. Græcis proprie ἄμβωνες λέγονται ὀρεινοὶ καὶ ὑψηλοὶ τόποι, id est, ambones dicuntur montani et excelsi loci. Et ἄμβων προσανάβασις, καὶ ὑπεροχὴ καὶ ὄρους λόφος, id est, ambon, ascensus, excellentia, et montis vertex, inquit auctor veteris etymologici; et Hesychio ἄμβωνες αἱ προσαναβάσεις τῶν ὀρῶν, id est, ascensus montium; unde translatum nomen est ad significandum ecclesiæ pulpitum sive suggestum, qui est locus in ecclesia excelsus, de quo lectores divinas Scripturas legebant, et psaltæ canebant. Concilium Laodicenum, can. 15, πλὴν τῶν κανονικῶν ψαλτῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, id est, exceptis canonicis psaltis in ambonem ascendentibus. Sozomenus, lib. IX Hist. eccl., cap. 2, εἰκάζω αὐτὴν κεῖσθαι περὶ τὸν ἄμβωνα, βῆμα δὲ τοῦτο τῶν ἀναγνωστῶν, id est, conjicio eam jacere circa ambonem, quod est suggestum lectorum. Cedrenus, in Leone Basilii filio : *Jamque ei ingressuro, et sacris foribus succedenti*, ἄνθρωπός τις ἐκπεπηδηκὼς τοῦ ἄμβωνος, etc., id est, homo quidam ex ambone prosiliens, crasso et valido fuste ictum in caput ingerit, eoque ictu imperatorem necasset, nisi inter feriendum fuste in suspensum impacto candelabrum violentiam ictus nonnihil remisisset. Ubi vides ambonem esse locum editum et sublimem in ecclesia. Latini pulpitum appellant. Glossæ mss. bibliothecæ Corbeiensis : *Ambo, pulpitum*. Id videre est in epist. 34 sancti Cypriani : *Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem testimonio et miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat, illustrem quid aliud quam super pulpitum, id est super tribunal ecclesiæ, oportebat imponi, ut loci altioris dignitate subnixus, et plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuus, legat præcepta et Evangelium Domini, quæ fortiter et fideliter sequitur*.

302. *Lectio Isaiæ prophetæ. Hæc hæreditas.* [b] Hæc desiderantur in Excusis.

303. *Venit*. Hoc verbum deest in Excusis, quod tamen non adeo necessarium est.

304. *Litaniam septenam*. Litania septena est quæ

[a] De papyro ad lucernas adhibita, consule notam *b* in cap. 5 libri primi Dialog.

[b] Leguntur in Ms. Calensi.

fit a septem choris, [a] ut videre est apud sanctum Gregorium, cap. 2 Regesti, lib. XI. *Proinde, fratres charissimi, contrito corde, et correctis operibus, crastina die, primo diluculo ad septiformem litaniam juxta distributionem inferius designatam devota mente cum lacrymis veniamus.* Postea enumerat septem choros hujus litaniæ, primam clericorum, secundam virorum, etc.

305. *Et illa duo cereostata.* Antiquus mos fuit Ecclesiæ ut cerei ardentes præferantur episcopis. Theodoretus, lib. V Hist. eccl., cap. 34, agens de reditu sancti Joannis Chrysostomi : ἅπαντες γὰρ ὑπήντησαν **348** τὰς ἐκ κηροῦ λαμπάδας προάπτοντες. Id est : Omnes enim cum cereis accensis ei obviam fiunt. Et gestator lampadis ante pontificem dicitur λαμπαδάριος. Vide Lexicon Græcobarbarum Joannis Meursii.

306. *Et stans benedicit fontes.* Vetus Ecclesiæ est consuetudo, ut aqua eorum qui baptizandi sunt, solemni ritu ab episcopo benedicatur. Sanctus Dionysius, lib. de Eccl. Hierar., cap. 2 : Καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καταγιάσας. Id est : Cujus aquam postquam sanctis invocationibus sanctificavit. Sanctus Basilius, lib. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, cap. 27 : Εὐλογοῦμεν δὲ τὸ ὕδωρ τοῦ βαπτίσματος. Id est : Benedicimus aquam baptismatis, et recenset inter traditiones apostolicas. Sanctus Ambrosius lib. de iis qui initiantur, cap. 5 (*Imo lib.* I *de Sacramentis, cap.* 5) : *Quare prior Christus descendit, postea Spiritus sanctus, cum forma baptismatis et usus hoc habeat ut ante fons consecretur, et tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit, secundo super creationem aquæ invocationem, postea et precem defert, ut sanctificetur fons, et adsit præsentia Trinitatis æternæ.* Sanctus Cyprianus, epist. 70, ad Januarium : *Oportet ergo mundari et sanctificari aquam prius a sacerdote, ut possit baptismo suo peccata hominis qui baptizatur abluere.* Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3 : Οὕτως ἐπεναντίας τὸ λιτὸν ὕδωρ Πνεύματος ἁγίου καὶ Χριστοῦ πρὸς τὴν ἐπίκλησιν λαβὸν δύναμιν, ἁγιότητος ἐπικτᾶται. Id est : Sic aqua nuda, ad invocationem, Spiritus sancti et Christi virtutem accipiens, sanctitatem consequitur. Sanctus Gregorius Nyssenus, Oratione in baptismum Christi : Ἀντάκουε τοίνυν καὶ παρ' ὑμῶν ὡς ὕδωρ εὐλογούμενον καθαίρει καὶ φωτίζει τὸν ἄνθρωπον. Id est : Contra igitur audi nos quomodo aqua benedicta purgat et illuminat hominem. Victor Uticensis, lib. II de Persecutione Vandalica : *Et illa hora, qua benedicet fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem, continget oculos tuos et aperientur, et videbis lumen.* Et paulo post : *Attendens quoque Eugenius inverecundam credulitatem, ut qui jam tempus urgebat, pergit cum eo, comitante officio clericorum ad fontem, ubi, fixis genibus cum ingenti gemitu pulsans singultibus cœlum, crispantem benedixit alveum fontis.*

Porro aquæ benedictæ institutionem ad Alexandrum primum nonnulli referunt, Constitutiones apostolicæ (*Lib.* VIII, *c.* 28) ad sanctum Matthæum apostolum. Et antiquus mos est statuere in ecclesiæ vestibulo vas aqua benedicta plenum ad populi ingredientis purificationem, ut videre est apud Synesium, epist. 121 : Ὡς ἐστί γε τὸ δημόσιον ξίφος οὐχ ἧττον, ἢ τὰ ἐν τοῖς προτεμενίσμασι χέρνιβα, πόλεως καθαρτήριον. Id est : Siquidem publicus gladius non minus quam lustralis aqua, quæ in templorum vestibulis civitatis est piaculum, ubi χέρνιβον proprie est vas aquæ lustralis, quod hic sumitur metonymice pro ipsa aqua lustrali, alias χερνιβόξεστον. Id est, malluvium politum. χέρνιβον autem dicitur a χέρνιψ, quod barytonum aquam lustralem significat apud ethnicos; cujus conficiendæ rationem et usum ita describit Athenæus, lib. IX : Ἔστι δὲ ὕδωρ εἰς ὃ ἀπέβαπτον δαλὸν ἐκ τοῦ βωμοῦ λαμβάνοντες, ἐφ' οὗ τὴν θυσίαν ἐπετελοῦν, καὶ τούτῳ περιῤῥαίνοντες τοὺς παρόντας ἥγνιζον. Id est : Aqua in qua mergebant titionem ex ara raptum, in qua sacrificium perfecerant, illaque assistentes aspergentes purificabant. Quod etiam clarum est ex Euripide, in Hercule furente, Actu IV :

Μέλλων δὲ δαλὸν χειρὶ δεξιᾷ φέρειν,
Εἰς χέρνιβ' ὡς βάψειεν Ἀλκμήνης τόκος.

Id est, cumque jam torrem laturus esset dextera, ut in aquam lustralem filium Alcmenæ mergeret; et ex Aristophane in Pace : Φέρε δὴ τὸ δαδίον, τὸ δὲ ἐμβάψω λαβών. Id est : Affert torrem, illumque cum accepero, immergam. **349** Meminit Sophocles in Œdipode tyranno.

..... μήτε χέρνιβας νέμειν.

Neque lustralis aquæ participem esse, et Æschylus in Eumenidibus.

Ποία δὲ χέρνιψ φρατέρων προσδέξεται;

Id est : Qualis sodalium aqua lustralis suscipiet? Χερνιψ vero oxytonum malluvium significat apud eumdem Athænæum, lib. citato. Χερνίψ etiam barytonum est τὸ κατὰ χειρὸς ὕδωρ, id est, aqua ad manus, ut notat ex Homero Julius Pollux, lib. II, Onomast., cap. 2.

307. *Cujus spiritus super aquas.* Ita sanctus Ambrosius, lib. de iis qui mysteriis initiantur, cap. 3.

308. *Conciperet.* In Editis legitur, *reciperet*, male.

309. *Qui nocentis mundi crimina.* Ita sanctus Ambrosius, capite citato, et lib. II de Sacramentis, cap. 1.

310. *Gentibus innovandis.* Ita Lucianus, sive quis alius antiquior in Philopatri agens de baptismo : δι' ὕδατος ὑμᾶς ἀνεκαίνισεν, id est, per aquam nos innovavit.

311. *In modum crucis.* Antiqua est Ecclesiæ consuetudo ut aqua baptismalis per signum crucis benedicatur, ut constat ex sermone sancti Augustini 181, de Tempore : *Hoc enim signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis.* Et tractatu 118, in Joan. : *Quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquæ ex qua regenerantur,* etc.

312. *Subripiat*, id est, subrepat [c].

313. *In mundi creatione.* Hæc verba non exstant in Editis, nec in Ord. Romano.

314. *Cujus Spiritus super te ferebatur.* Optatus Milevitanus, lib. VII contra Parmenianum. *O aqua, quæ dulcis a Deo creata es, super quam ante ipsius Natalem mundi sanctus Spiritus ferebatur.*

315. *Qui te de paradiso manare.* Hæc non habentur in Editis.

316. *Qui te in deserto amaram.* Optatus, libro citato : *O aqua, quæ sub Moyse, ut naturalem amaritudinem perderes, indulcata ligno, tot populorum pectora suavissimis haustibus satiasti.* Sanctus Ambrosius, lib. de His qui mysteriis initiantur, cap. 3, et lib. I de Sacramentis, cap. 4, et sanctus Gregorius Nyssenus, orat. de non differendo Baptismo.

317. *Hic mittantur duo cerei intus in baptisterio.* Hoc loco baptisterium est aqua baptismatis; nam in Ordine Romano dicitur : *Hic deponitur benedictus cereus in fontem;* et in cod. Rhem. : *Hic deponunt cereos in fontes.* Alias baptisterium est quoddam ædificium juxta ecclesiam, in quo olim fideles baptizabantur, de quo infra.

318. *Sufflat tribus vicibus in aquam.* Hanc sufflationem videre est in tractatu Severi Alexandrini Patriarchæ, de Ritibus baptismi, per quam designatur adventus Spiritus sancti in aquas, quemadmodum Christus, Joan. XX, dans suis discipulis Spiritum sanctum insufflavit. Hic autem ritus in Cod. Rhem.

[a] Hæc sancti Gregorii Oratio nunc habetur ad calcem tom. I, post homilias in Evang.

[b] Hoc est, *super creaturam aquæ*; sic enim in his Benedictionibus et exorcismis legitur : *Benedico te, creatura aquæ. Exorciso te, creatura aquæ.* In novissima quoque Editione locus hic ita nunc legitu. : *Exorcismum facit secundum* (hoc est prope) *creaturam aquæ, invocationem postea,* etc. Vide notam in hunc locum.

[c] In aliis sancti Gregorii operibus, ut a mss. Cod. repræsentantur, nihil frequentius occurrit quam *subripere*, pro *subrepere*.

sequitur hæc verba : *Plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti* ; in Cod. Ratoldi ista : *Tu benignus aspira*; in Cod. Rodradi ista : *Purificatis mentibus efficaces*.

319. *Fundit chrisma in fonte.* In **350** fontem baptismalem infundi chrisma mos est antiquus, ut constat ex sancto Dionysio mox citando, sancto Gregorio Turonensi, lib. I de Gloria Martyr., c. 24 : *Tunc cum exorcismo sanctificatam, conspersum desuper chrisma omnis populus cum devotione haurit*; et lib. I Hist., cap. 31 : *Baptisterium componitur, balsama diffunduntur*; Hincmaro in Vita sancti Remigii : *De quo chrismate fundit venerandus pontifex in fontem sacratum*. Porro in loco citato sancti Gregorii Turonensis, ex lib. I de miraculis discimus populum haurire aquam benedictam, jam chrismate sacro perfusam, quod postea tamen prohibitum est, ut palam est ex lib. VI Capitul. Caroli et Ludovici imperatorum, tit. 77 : *Quod in Sabbato sancto Paschæ vel in Sabbato Pentecostes, si qui velint aquam consecratam ad aspersionem ad domus suas recipere, ante chrismatis infusionem accipiant.*

320. *In modum crucis.* Chrisma infunditur in aquam baptismalem in modum crucis ex more antiquo, quem videre est apud Dionysium magnum, cap. 2 et 4 ecclesiasticæ Hierarchiæ : Ὅθεν, ὡς οἶμαι, ἐν τῷ καθαρτικῷ βαπτιστηρίῳ τὸ μύρον ἐν σταυροειδέσι βολαῖς ἐπιχέων ὁ ἱεράρχης. Id est : Unde, ut opinor, unguentum in expiatorium baptisterium immissionibus in formam crucis expressis fundens pontifex; idque faciunt Græci et Orientales tribus vicibus, ut constat ex eodem Dionysio, cap. 2 eccl. Hierarchiæ: Καὶ τὸ ταύτης ὕδωρ ταῖς ἱεραῖς ἐπικλήσεσι καθαγιάσας, καὶ τρισὶ τοῦ παναγεστάτου μύρου σταυροειδέσι χύσεσι τελειώσας αὐτό. Id est : Cujus aquas postquam sacris invocationibus sanctificavit, illasque tribus sacratissimi unguenti infusionibus perfecit. Idem apparet ex Euchologio Græcorum, in sequentia sancti baptismi, ποιεῖ σταυροὺς τρεῖς μετὰ τοῦ ἐλαίου ἐν τῷ ὕδατι. Id est, tres facit cum oleo cruces in aqua, ubi oleum sumitur pro unguento vel chrismate. Ita enim aliquando a Patribus usurpatur, ut infra apparebit ex locis Prudentii et sancti Augustini citandis. Idem ritus videtur in libro Severi patriarchæ Alexandrini de ritibus baptismi. Idem etiam facere consueverunt Æthiopes, ut ex ordine baptismi Ecclesiæ Æthiopicæ clarum est.

321. *Quis vocaris?* Ex hac interrogatione palam est olim nomina non in ipso baptismo, sed ante illum fuisse infantibus, seu pueris imposita. Siquidem cum baptismus celebraretur tantum in diebus Paschæ et Pentecostes, et in multos annos sæpe rejiceretur, non est credibile tunc infantes nomine caruisse; nisi forsan id asserendum velimus de infantibus illis qui octavo vel ante octavum natalis sui diem baptizabantur, de quibus nobis infra dicendum erit. Credibile est enim tunc illis in ipso baptismate nomina imposita fuisse. Quare cum videamus apud Gregorium Turonensem, lib. II Hist., infantes Ingomerem et Clodomerem filios Clodovæi regis, et, lib. X, Clotarium secundum filium Chilperici regis, in ipso baptismate nomina accepisse, id contigisse certum est, quia extra prædicta tempora, non multo post natalium suorum diem sacris tincti sunt aquis.

Olim apud Romanos nono ab ipso natali die maribus, et octavo feminis nomina imponebantur, iique dies a lustrandis pueris lustrici appellabantur. Macrobius, lib. I Saturn., cap. 16 : *Est etiam Nundina Romanorum dea a nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. Est autem lustricus dies quo infantes lustrantur et nomen accipiunt; sed is maribus nonus, octavus est feminis.* Festus : *Lustrici dies infantium appellantur, puellarum octavus, puerorum nonus, quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur.* Græci decimo die nomina infantibus imponebant, ut testatur Hesychius : Δεκάτη θύομεν. Τῇ δεκάτῃ ἡμέρᾳ τὰ ὀνόματα τοῖς βρέφεσιν ἐτίθεσαν. Ὁ δὲ Ἀριστοτέλης τῇ ἑβδόμῃ φησί. Id est : Decima sacrificamus. Decima die nomina imponebant. Aristoteles autem dicit septima. Quod fiebat observatis quibusdam superstitionibus, quæ a quibusdam **351** circa focum gyris ἀμφιδρόμια appellabantur, ut notant Hesychius, Harpocration, Suidas, et auctor veteris etymologici. Veteres Franci infantibus nono die nomen imponebant, ut colligere est ex lege Salica, tit. 26, § 5 : *Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum, antequam nomen habeat, infra novem noctes occiderit.* Itaque puto antiquos Christianos in imponendis nominibus sua consuetudine usos fuisse, posita omni superstitione paganica. Hodie Græci nomina infantibus imponunt octavo natalis eorum die, ipsis ab obstetricibus ante fores ecclesiæ allatis, et a presbytero signatis in fronte, ore et pectore, ut videre est in eorum Euchologio.

Quidam nobis opponunt canonem 30 primi Nicæni concilii, eorum videlicet qui ex Arabica lingua conversi sunt, in quo oppositum nostræ sententiæ statuitur. Sed cum hic canon et hujus similes sint dubiæ fidei, nec vulgo recepti, nostram sententiam minime labefactare possunt. Objiciunt etiam locum Dionysii Alexandrini apud Eusebium lib. VII Hist. ecclesiasticæ, cap. 2, ubi scribit infantes a parentibus accipere nomina Petri vel Pauli, vel Joannis, sed frustra, nam eo loci nulla fit baptismi mentio. Nec valet id quod producunt ex sancto Dionysio, cap. 2 lib. de eccl. Hierar., ubi dicit in baptismo nomen dari. Sed nunquam ita sanctus Dionysius scripsit, sed ista : καί τινος ἱερέως ἐκ τῆς ἀπογραφῆς αὐτὸν καὶ τὸν ἀνάδοχον ἀνακηρύξαντος. Id est : Cum sacerdos quidam e scripto illum et susceptorem proclamaverit; ad quæ verba optime sanctus Maximus scribit : Σημείωσαι καὶ περὶ τῆς ἀπογραφῆς τοῦ βαπτιζομένου, καὶ τοῦ ἀναδόχου. Id est : nota descriptionem baptizati, et susceptoris. Siquidem olim competentes, id est catechumeni illi qui diu satis inter audientes conversati baptismum petebant, dies aliquot ante baptismum nomina sua referenda in matriculam dabant. Id planum est ex sancto Augustino, lib. de Cura pro mortuis habenda, cap. 12: *Pascha jam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes*; et lib. de Fide et operibus, cap. 6 : *Hoc fit multo diligentius et instantius iis diebus quibus competentes vocantur, cum ad percipiendum baptisma nomina jam dederunt.* Sancto Cyrillo Hieros., in præfatione ὀνοματογραφία τέως ἡμῖν γέγονε, id est, jam nominum inscriptio facta est; sancto Gregorio Nysseno, oratione de iis qui baptismum differunt : Δότε μοι τὰ ὀνόματα, ἵνα ἐγὼ αὐτὰ ταῖς αἰσθηταῖς ἐγχαράξω βίβλοις, καὶ γράψω τῷ μελάνι, Θεὸς δὲ ἀφθάρτοις πλαξὶν ἐνσημαίνηται. Id est : date mihi nomina, ut ego ea in sensibilibus scribam libris; Deus vero in tabulis signet incorruptibilibus. Ita statuit concil. Carthag. IV, can. 85 : *Baptizandi nomen suum dent.*

Scribebantur etiam nomina infantium, ut liquet ex Codice Rhemensi : *Ut autem venerint ad ecclesiam, scribuntur nomina infantium ab acolytho; et vocantur in ecclesia per nomina sua, sicut scripti sunt*, etc. Et in Codice Ratoldi : *Ut autem venerint ad ecclesiam, scribuntur nomina infantium ab acolytho, et vocantur ante ostium ecclesiæ per nomina, sicut scripti sunt.* Idem videre est in epistola Jesse Ambianensis episcopi de baptismo : *Tertia hebdomada in Quadragesima, secunda feria, hora tertia veniant ad ecclesiam, et antequam in ecclesiam introeant, scribantur nomina infantium, et eorum qui eos suscepturi sunt ab acolytho; et tunc vocantur ipsi infantes ab acolytho infra ecclesiam*, etc. Ex his patet infantes ante baptismum nomina olim habuisse, ac proinde in ipso baptismo non accepisse. Quare cum idem Jesse infra in eadem epistola dicit : *Ibi etiam nominatur infans sicut Joannes in Apocalypsi.* Hæc infantis nominatio nihil aliud est quam nominis prius impositi repetitio, quæ certe non ubique vigebat; nam in Codicibus Ratoldi et Rhemensi, in quibus baptismi cæremoniæ enucleate describuntur, nihil simile repereris. Locus videtur intelligi de mutatione nominis, et novi impositione, ut videntur innuere hæc verba : *Sicut Joannes in Apo-*

calypsi. Et olim si quando nomen mutandum esset, **352** mutabatur in baptismo, ut de Eudocia Theodosii junioris conjuge refert Theophanes, lib. XIV ad annum 1177. *Quam cum imperator ducturus esset uxorem, Christianam Atticus fecit episcopus; et in baptismate, cum prius vocaretur Athenais, Eudociæ nomen imposuit.*

322. *Credis in Deum Patrem*, etc. Hæc et similes interrogationes sunt juxta priscum Ecclesiæ morem, quem tangit Dionysius Alexandrinus epist. ad Xistum papam, apud Eusebium, lib. VII Hist. eccl., cap. 8, agens de quodam, qui ab hæreticis baptizatus, et in Ecclesia receptus, *καὶ τῶν ἐπερωτήσεων, καὶ ἀποκρίσεων ἐπακούσας*. Id est, cum interrogationes et responsiones audisset, voluit iterum baptizari; et sanctus Cyrillus testatur catech. 2 mystag. καὶ ἠρωτᾶτο ἕκαστος, εἰ πιστεύει εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς, etc., id est, et interrogatus est unusquisque, si credit in nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, et confessi estis salutarem confessionem, et ter mersi estis. Sanctus Cyprianus epist. 70: *Sed et ipsa interrogatio quæ fit in baptismo testis est veritatis. Nam cum dicimus: Credis in vitam æternam, et remissionem peccatorum per Ecclesiam*, etc., et epist. 75: *Baptizaret quoque multos usitata et legitima verba interrogationis usurpans, ut nihil discrepare ab ecclesiastica regula videretur.... maxime cui nec Symbolum Trinitatis, nec interrogatio legitima et ecclesiastica defuit.* Optatus Milevitanus, lib. V adversus Parmenianum: *Quoque enim interrogante qui credidit, Deo credidit; et post unum illius Credo, tu exigis alterum Credo.* Ita loquitur, quia cum Donatistæ refugas iterum baptizarent, eos ante baptismum rursus de Symbolo interrogabant, et ab eis alterum Credo exigebant, cum antea illud in Ecclesia catholica respondissent. Sanctus Ambrosius, lib. IV de Sacramentis, cap. 7, infra citandus. Sanctus Hieronymus, dialogo adversus Luciferianos: *Præterea cum solemne sit, et in lavacro post Trinitatis confessionem interrogare: Credis sanctam Ecclesiam? credis remissionem peccatorum?* Sanctus Augustinus, lib. V contra Donatistas, cap. 20. *Et ubique cum baptizatur etiam de sancta Ecclesia interrogatur;* lib. de Anima et ejus origine cap. 10: *Et ideo cum baptizantur, etiam Symbolum reddunt, et ipsi pro se ad interrogata respondent.*

Si vero parvuli rationis usum nondum adepti baptizarentur, pro illis susceptores interrogati respondebant. Sanctus Augustinus, epist. 23, ad Bonifacium: *Interrogamus eos a quibus offeruntur, et dicimus: Credit in Deum? de illa ætate, quæ utrum sit Deus ignorat, respondent: Credit.* Tertullianus, lib. de Baptismo, etsi morem vellicare videatur. *Itaque pro cujusque personæ conditione, ac dispositione, etiam ætate, cunctatio baptismi utilis, præcipue tamen circa parvulos. Quid enim necesse sponsores etiam periculo ingeri? quia et ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, et proventu malæ indolis falli.* Auctor de dogmatibus Ecclesiæ inter opera sancti Augustini: *Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non sapiunt, respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi.*

323. *Et ego baptizo te*, etc. Ita in Editis, in Ordine Romano, Cod. Ratoldi, et apud Pamelium. Particula *et* additur propter emphasim, quæ desideratur in Cod. Rhemensi, ut sequens pronomen *ego*. Hic autem et in Editis est unica mersio. At in aliis Codicibus nostris mss. Rhemensi et Ratoldi, in Ordine Romano, tum Editis, tum ms. bibliothecæ Corbeiensis, et apud Pamelium, quemadmodum et apud Alcuinum, lib. de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancto, Theodulphum Aurelianensem, cap. 13 libri de Ordine baptismi, et Jesse Ambianensem episcopum, epistola supra citata, est [a] trina immersio juxta priscum Ecclesiæ morem, quem videre est in can. 50 apostolorum, et apud antiquos Patres, sanctum Dionysium, lib. de Hierarchia eccl., cap. 2; Tertullianum, lib. de Corona militis, cap. 3, qui ritum refert **353** inter veteres Ecclesiæ traditiones: *Dein ter mergitamur, amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit;* sanctum Cyrillum Hierosolymitanum, catech. 2 mystag.: καὶ ἀπεδύετε τρίτον εἰς ὕδωρ, καὶ πάλιν ἀνεδύετε, id est, ter mersi estis in aqua, et rursus emersistis; sanctum Gregorium Nyssenum, oratione catechetica, cap. 35: ἡ δὲ εἰς ὕδωρ κάθοδος, καὶ τὸ τρὶς ἐν αὐτῷ γενέσθαι τὸν ἄνθρωπον ἐμπεριέχει μυστήριον, id est, descensus vero in aquam, et quod ter in eam sit homo demissus, habet mysterium. sanctum Basilium, lib. de Spiritu sancto, ad Amphilochium, cap. 27, qui hunc ritum inter traditiones apostolicas recenset: Τὸ δὲ τρὶς βαπτίζεσθαι τὸν ἄνθρωπον πόθεν: id est, jam ter immergi hominem unde? et apud sanctum Leonem, epist. 4, qui cum sanctis Cyrillo et Gregorio Nysseno supra citatis scribit hac triduana immersione et ab aquis elevatione significari triduanam Christi sepulturam, et post triduum resurrectionem. Alia est etiam hujus ritus ratio, nempe Trinitatis personarum memoria, ut vult sanctus Gregorius papa, epist. 41 [b] lib. 1 Regesti. Unde Eunomium, quod sanctam Trinitatem non crederet, unicam immersionem invexisse ferunt.

Aliis tamen placet unicæ hujus mersionis auctores fuisse Theophronium Cappadocem et Eutychium prius Eunomii sectatores, ut videre est apud Sozomenum, lib. VI Hist. eccles., cap. 26. Et Eunomianos unica mersione baptizatos jubet iterum baptizari concil. Constantinopolitanum primum, can. 7, quia falsa baptismi forma utebantur, quam videre est apud sanctum Epiphanium, lib. III, hæresi 56. Quare prædicti concilii decretum non involvit Catholicos, qui recte de Trinitate sentientes, et recta baptismi forma utentes, unica mersione baptizati sunt. Quam in Hispanis catholicis probavit sanctus Gregorius papa epist. supra citata ad sanctum Leandrum, quamvis huic unicæ mersioni multum adversetur Alcuinus. Siquidem ille, epist. 69, ad Lugdunenses, damnat Hispanos, quod unica duntaxat mersione in baptismo uterentur. Et epist. seq. et 81 in eamdem unicam mersionem invehitur; et quia se urgeri videt epistola sancti Gregorii, illam in dubium revocat. Sic enim ait epist. 10: *Epistolam vero quam a beato Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in epistolari suo libro qui de Roma nobis allatus est non invenimus; alias vero omnes perspeximus in eo libro, quem ad occidentalium partium Ecclesias, pontifices, vel reges scripserat; ideo dubii sumus an illius sit, an ab aliquo hujus sectæ auctore sub illius nomine scripta sit.* Hæc ille; sed immerito. Nam hujus epistolæ stylus idem est cum aliis sancti Gregorii epistolis. Et quamvis exemplar epistolarum sancti Gregorii Roma ipsi Alcuino allatum hanc epistolam non habuerit, id efficere non potest ut de ea dubitemus. Nam Joannes Diaconus, auctor Vitæ sancti Gregorii, qui Romæ hanc vitam scripsit tempore Caroli Calvi, ac proinde non adeo remotus ab Alcuini ætate, cap. 53 Vitæ ejusdem, hanc eamdem epistolam agnoscit tanquam verum et germanum sancti Gregorii fetum; qui sane cum Romæ scriberet hanc vitam, non habebat exemplar ab Hispania avectum. Sed et concilium Tolet. IV, can. 5, cui præfuit sanctus Isidorus Hispalensis episcopus, frater sancti Leandri, cui missa fuit hæc epistola, idem testatur: *Beatæ ergo memoriæ Gregorius Romanæ Ecclesiæ pontifex, qui non solum partes Italiæ illustravit, sed et longe existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro episcopo de hac Hispaniæ diversitate, quid potius esset sequendum, inter cætera rescribens sic ait: de trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi sentitis*, etc.

Porro in trina mersione semel duntaxat forma proferebatur, et Alcuinus, epist. 81, redarguit eos qui

[a] Ita quoque in Cod. Gemet. ac Theod. In Cod. Reg. Sueciæ nulla aut unicæ aut trinæ mersionis fit mentio. Ms. Calensis cum Editis convenit.

[b] Nunc est 43.

ter eam repetebant; sed ad singulas mersiones singulæ personæ nominabantur, ut patet ex codice Ratoldi abbatis: *Deinde baptizat sacerdos sub trina mersione tantum sanctam Trinitatem semel invocans, et dicens: Et ego baptizo te in nomine Patris (et mergat semel) et Filii (et mergat* **354** *iterum et Spiritus sancti (mergat tertio)*. Ita etiam habetur in veteri Ordine ms. biblioth. Corb. His astipulantur Ordo Romanus et Alcuinus, lib. de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancto. Nec abhorret Euchologium Græcorum in sequentia sancti baptismalis: Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, ἀμήν. Καὶ τοῦ Υἱοῦ, ἀμήν· Καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος, ἀμήν. Νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. Ἑκάστῃ προσρήσει κατάγων αὐτὸν, καὶ ἀνάγων. Id est: Baptizatur servus Dei *Ill*, in nomine Patris, amen; et Filii, amen; et Spiritus sancti, amen; nunc et semper, et in sæcula sæculorum, amen; ad singulas appellationes, personarum videlicet, demergens eum et attollens. Hunc ritum clare satis videmus apud Tertullianum, lib. adversus Praxeam: *Et novissime mandans ut tinguerent in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, non in unum, nam nec semel, sed ter ad singula nomina in singulas personas tinguimur*. Tamen fuit aliquando usitatum apud Græcos, ut ter ipsa forma repeteretur, quod videtur apud Cedrenum in compendio Historiæ sub M. Antonino: Ἐκ τρίτου ἐπέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν, τρίτον λέγων, Βαπτίζεται Θεόδωρος, etc. Id est: Ter infundit super caput ter dicens: Baptizatur Theodorus, etc. Apud sanctum Ambrosium, lib. IV de Sacramentis, cap. 17, his mersionibus interponuntur interrogationes in hunc modum: *Interrogatus es: Credis in Deum Patrem omnipotentem? dixisti Credo, mersisti. Interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, et in crucem ejus? dixisti Credo, et mersisti*, etc. *Tertio et interrogatus es: Credis et in Spiritum sanctum? dixisti Credo, tertio mersisti*. Hæc ille; qui quamvis nullam formæ mentionem facit, eam tamen satis innuit lib. III de Spiritu sancto, cap. 18: *Quomodo igitur non omnia habet quæ Dei sunt, qui cum Patre et Filio a sacerdotibus in baptismo nominatur*.

An vero hæc vocabula, *ego baptizo te*, spectent ad necessitatem formæ hujus sacramenti, an invocatio sola personarum sanctissimæ Trinitatis ad validitatem hujus sacramenti sufficiat, dicendo tantum, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, disputat Stephanus Tornacensis, epist. 5. Cum enim quidam vir diœcesis Claromontanæ inopia sacerdotis filium suum *undejasset* (ut ipse loquitur) eumque immergendo his verbis omissis, *ego baptizo te*, dixisset tantum, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, hæc resciens Petrus Claromontanus episcopus consuluit venerabilem Mauricium Parisiorum episcopum; qui ut respondit nullum esse ejusmodi baptismum, non contentus Petrus scripsit Stephano Tornacensi episcopo, qui rescripsit ejusmodi formam esse sufficientem, et ejusmodi verba, *ego baptizo te*, non spectare ad essentiam formæ baptismalis, ac proinde ejusmodi baptisma validum fuisse; hocque nervis omnibus probare nititur. Hæc tamen opinio theologorum scholæ adversatur.

Græci nominationi trium personarum sanctissimæ Triadis præmittunt hæc verba: Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, id est: Baptizatur servus Dei, et nomen illius qui baptizatur, ut clarum est ex eorum Euchologio supra citato, formaque est indicativa, ut liquet etiam [a] ex Severo Joan. Moscho, cap. 176 Prati spiritalis: Βαπτίζεται Θεόδωρος εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς, id est: Baptizatur Theodorus in nomine Patris, etc.; Theodoro lectore, ecloga 2: Βαπτίζεται Βάρβας εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς, etc., id est: Baptizatur Barbas in nomine Patris, etc.; Cedreno, loco supra citato: Βαπτίζεται Θεόδωρος, etc., et sub Anastasio imperatore: Βαπτίζεται Βάρβαρος, lege, Βάρβας.

Ex quibus locis nota consensum priscorum et recentiorum Græcorum in hac forma baptismi indicativa. Unde miror cur quidam scholastici scripserint Græcos proferre solitos *baptizetur*. Nota præterea ex locis citatis priscos Græcos non protulisse hæc vocabula in forma baptismi, ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ, id est, servus Dei, sed a recentioribus addita fuisse.

355 Notandus est etiam error Cedreni, cum historiam Theodori Judæi, qui primo arena baptizatus est, deinde aqua, ad tempus Marci Antonini imperatoris refert, cum multis post annis contigerit. Nam Joannes Moschus, qui eamdem historiam cap. citato refert, vixit circa annum Domini sexcentesimum, scribitque Patrem quemdam Andream huic baptismati interfuisse, et cum eo aliquando collocutum fuisse. Tandem observandum Græcos ad cujusque personæ sanctissimæ Triadis appellationem respondere Amen. Idque ex antiquo more, quem videre est apud Joannem Moschum, cap. citato: Ἡμῶν ἐπακουσάντων τὸ ἀμὴν καθ' ἕκαστον ὄνομα τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τῆς προσκυνητῆς Τριάδος. Id est: Nobis respondentibus Amen per singula nomina sanctæ et consubstantialis adorandæ Trinitatis. Ita etiam habetur in tractatu Severi Alexandrini patriarchæ.

324. *Qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice in vertice*. Ita in Codicibus Rhemensi, Rodradi et Ratoldi, et apud Pamelium. Fuitque vetus consuetudo ut baptizati statim chrismate in vertice ungerentur. Id testatur Jesse Ambianensis episcopus in epist. ad sacerdotes de baptismo: *Baptizato autem facit presbyter signum crucis de chrismate in vertice*; et infra: *Tunc chrismate caput perungitur*. Theodulphus episcopus Aurelianensis, lib. ms. de Ordine baptismi, cap. 15: *Baptizatorum itaque capita chrismate liniuntur; et* [Leg. *ut*] *in regno et sacerdotio Ecclesiæ delibuti, et Christiani nominis prærogativam accipiunt, et ejus membra, qui eos redemit, et eorum caput est, effici valeant*. Id etiam liquet ex Fortunato, lib. V, carm. 4, ubi agit de Judæis a sancto Avito episcopo Arvernæ baptizatis:

Vincens Ambrosios suavi spiramine odores,
Vertice perfuso chrismatis efflat odor;

sancto Ambrosio, lib. III de Sacramentis, cap. 1: *Accipis autem mysterium, hoc est unguentum supra caput, quia sensus sapientis in capite ejus, Salomon ait*. Hac de re agunt sanctus Isidorus, lib. II de Offic. eccl., cap. 25 et 26; sanctus Innocentius, in epist. ad Decentium episcopum, et alii nonnulli.

325. *Deus omnipotens Pater*, etc. Hæc eadem in unctione formula, saltem juxta sensum, exstat apud sanctum Ambrosium, lib. II de Sacramentis, cap. 7: *Ergo mersisti, venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus*, inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam*.

326. *Cum linteis in manibus*. Ad involvendos baptizatos, ut primum e fonte pedem extulerint, juxta antiquam consuetudinem. Nudi enim e lavacro surgentes a susceptore linteo involvebantur, ut clarum est ex Victore Uticensi, lib. III Hist. Vandalicæ persecut.: *Qui cum, Elpidoforo sedente et fremente, honorabilis senior cœpisset extendi, priusquam exueretur, clam furto nescientibus cunctis, illa quibus eum suscipiens de fonte dudum texerat sabana bajulabat; quibus ventilatis, simulque in ostensione cunctorum extensis, in his verbis totum ad fletum et lacrymas commovisse dicitur civitatem. Hæc sunt linteamina, Elpidofore, minister erroris, qui te accusabunt, dum Majestas venerit, custodiente diligentia mea, ad testimonium tuæ perditionis ad demergendum te in abysso putei. Hæc te immaculatum cinxerunt de fonte surgentem*. Et epist. 6 Pauli papæ ad Pipinum regem: *sabanum videlicet in quo nostra dulcissima atque amantissima spiritalis filia sacratissimo lavacro abluta suscepta est*. Sabanum autem est linteum. Glossæ veteres mss. bibliothecæ Corbeiensis: *Sabanum linteum vel*

[a] Forte legendum *Eucrate*, quo cognomine Joannes Moschus apud Græcos notus.

tosum. De hoc vocabulo consule observationes nostras ad Concordiam regularum cap. 41, § 11.

327. *Ut cum vestiti fuerint*. Albis videlicet. 356 Nam educti e fonte baptismali induebantur albis vestimentis in signum candoris et puritatis mentis, de quibus agunt Dionysius magnus, cap. 2 Eccl. Hierar.; sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 4; sanctus Ambrosius, lib. de His qui mysteriis initiantur, cap. 7; sanctus Paulinus, epist. 12, ad Severum:

> Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos,
> Infantes niveos corpore, corde, habitu;

Fortunatus, lib. III, carm. 7, de Saxonibus a Felice episcopo baptizatis:

> Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
> Et grege de niveo gaudéa pastor habet;

et lib. V, carm. IV, de Judæis baptizatis ab Avito Arvernæ episcopo:

> Lacteus hinc vesti color est, hinc lampade fulgor
> Ducitur, et vario lumine picta dies;

Joannes Moschus, cap. 207: Οἱ οὖν γείτονες ἰδόντες αὐτὴν λευκοφοροῦσαν, εἶπον αὐτῇ· Τίς σε ἐβάπτισεν, id est: Vicini videntes eam albatam, dixerunt ei: Quis te baptizavit? sanctus Gregorius Turonensis, lib. II Hist., cap. 29: *In ipsis sicut regeneratus fuerat albis obiit*; Jobius, lib. III de Verbo incarnato, cap. 18 (*In biblioth. Photii, n.* 222): Διὰ τοῦτο φωτιζόμενοι ἑπτὰ ἡμέρας λαμπροφοροῦσι. Id est: Propterea ii qui baptizantur septem dies candidas gerunt vestes; et infra, eodem capite: Τὸ μέντοι λαμπροφορεῖν τοὺς βαπτιζομένους τῆς τῶν Ἀγγέλων ἐστὶ σύμβολον λαμπρότητος, τὸ καθαρὸν ἐκείνοις τοῦ νοῦ καὶ ἀμιγὲς τῆς ὕλης καὶ τῶν παθῶν διατυπούσης. Id est: Quod baptizati candidis vestibus utantur, signum est candoris angelici, significantis eam quæ in illis inest puritatem mentis, et separationem a materia et passionibus; Theodulphus, lib. ms. de Ordine baptismi, cap. 14: *Et nos albis post baptismum induimur vestibus, ut munditiem teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione, servantes et nostram innovationem, et angelici splendoris decorem*. Jesse Ambianensis epist. citata: *Tunc albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis, castitatem vitæ, et Angeli splendoris decorem*.

Nota citatorum auctorum rationes. Idem videre est apud Socratem, lib. VII Hist. eccl., cap. 17, in quo agitur de baptismo cujusdam Judæi: Ἐσθῆτα δὲ αὐτῷ λαμπρὰν ὠνησάμενος. Id est: cum emisset ei vestem candidam. Et in Chronico Alexandrino, de sancto Gelasino martyre, qui in Theatro per risum baptizatus, ad Christum conversus est: Βαπτισθεὶς, καὶ ἀνελθὼν ἐκ βουττίου φορέσας ἱμάτια λευκά. Id est: baptizatus, et egressus e labro alba veste indutus, noluit deinceps mimum agere, dicens: Christianus sum.

328. *Qui etiam prohibentur lactari ante sacram communionem*. Ita in Excusis. Aliter præcipitur in Cod. Rhemensi: *Illud tamen providentes, ut postquam baptizati fuerint, nec ablactentur, antequam communicent*. Quemadmodum in Cod. Ratoldi: *Illud autem providendum est baptizatis, ut nullus cibum accipiat, nec ablactetur atque communicet, nisi post missas*. Non puto tamen pueros et infantes communicasse jejunos, cum officium Sabbati magni in his Sacramentorum libris incipiat tantum hora octava, id est secunda post meridiem; sed alicubi observatum fuisse, ut post susceptum baptismum nullum sumerent cibum vel lac ante Eucharistiæ sumptionem, reverentiæ causa. Olim autem Eucharistiæ sacramentum cum ipso baptismo sumebatur, ut planum est ex sancto Ambrosio, libro de Iis qui mysteriis initiantur, cap. 8; sancto Justino martyre, apologia 2 pro Christianis, cum scribit diebus Dominicis, celebrato baptismo, divina mysteria corporis et sanguinis confici, et assistentes communicare; et Origene, homil. 4 in cap. XLIII Josue: *Si vero ad mysticum baptismi veneris fontem, et consistente sacerdotali et levitico ordine initiatus fueris venerandis illis magnificisque sacramentis, quæ norunt illi quibus nosse fas est, tunc etiam sacerdotum ministeriis*, 357 *Jordane digresso, terram promissionis intrabis*.

Nec soli adulti, sed etiam ipsi infantes simul cum baptismo sumebant Eucharistiæ sacramentum. Id testantur Codices sancti Eligii, Ratoldi et Rhemensis; sanctus Dionysius, cap. 7 de cœlesti Hierarchia: Μεταδίδωσι δὲ τῷ παιδὶ τῶν ἱερῶν συμβόλων ὁ ἱεράρχης, etc. Id est: *Porro pontifex puerum consortem facit sacrorum mysteriorum, ut in eis educetur, neque agat vitam aliam quam eam quæ divina semper spectet*. Ibi autem loquitur de puero qui careat usu rationis, nam paulo ante agit de illius susceptore qui spondere pro illo debeat, et ad singulas abrenuntiationes et interrogationes respondere. Sanctus Paulinus, epist. 12, ad Severum:

> Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos
> Infantes niveos corpore, corde, habitu.
> Circumdansque rudes sacris altaribus agnos,
> Cara salutiferis imbuit ora cibis.

Sanctus Augustinus, epist. 102, ad Vitalem Pelagianum: *Unde et ipsi, sicut dixi, si in illa parva ætate moriuntur, utique secundum ea quæ per corpus gesserunt, id est tempore quo in corpore fuerunt, quando per corda et ora gestantium crediderunt, vel non crediderunt; quando baptizati, vel non baptizati; quando carnem Christi manducaverunt, vel non manducaverunt; quando et sanguinem biberunt, vel non biberunt*. Auctor libri de eccl. Dogmatibus inter opera sancti Augustini, cap. 52: *Si vero parvuli sunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiant, respondeant pro illis qui eos offerunt juxta morem baptizandi; et sic, manus impositione chrismate communiti, Eucharistiæ mysteriis admittantur*. Jesse Ambianensis, epistola toties citata: *Novissime autem corpore et sanguine Christi confirmatur infans, ut ejus possit esse membrum qui pro eo passus est, et resurrexit, ipso Domino attestante, qui dixit: Qui manducat meam carnem, in me manet*.

329. *Majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui*. Hujus ritus visuntur adhuc quædam antiquæ imagines.

330. *Patrini sui*. Patrini sunt qui offerunt baptizandos, eosque baptizatos de sacro fonte suscipiunt: Gallice *parrains*. Concilium sextum Arelatense, can. 9: *Et patrini eos quos de lavacri fonte suscipiunt*, etc. Capitulum Herardi Turonensis archiepiscopi, cap. 27: *Ut patres et patrini filios suos et filiolos erudiant et enutriant*. Qui et dicti sunt susceptores. Jesse Ambianensis episcopus, epist. citata: *Et signent ipsos infantes in frontibus eorum susceptores viri vel feminæ, id est patrini, vel matrinæ*. Dicuntur et sponsores. Tertullianus, lib. de Baptismo: *Quid enim necesse sponsores etiam periculo ingeri*. Sanctus Dionysius, cap. 2 et 7 eccl. Hierar., appellat ἀναδόχους, id est susceptores.

331. *Levata manu super capita omnium*. Ita in Excusis. In Ordine Romano: *Elevata et imposita manu super capita omnium*. In Codice Tiliano: *Elevata et composita manu super capita omnium*. Apud Alcuinum, cap. de Sabbato sancto: *dat pontifex super eos Orationem, imposita scilicet manu super capita eorum*, etc. In Pontificali Romano: *Tunc extensis versus confirmandos manibus dicit*. Quæ verba sunt prætermissa in Cæremoniali episcoporum auctore Andrea Piscara Castaldo, lib. II, sect. 15. Sic enim ait: *Tunc deposita mitra surgit, et conversus ad confirmandos, junctis manibus ante pectus, dicit*: Spiritus sancti gratia, etc. *Deinde signans se a fronte ad pectus, dicit Vers.* Adjutorium, *subdens postea Versus et Orationem*: Omnipotens, etc. 358 Quod miror, nam ad hanc impositionem seu extensionem manuum per Orationem pontificis Spiritus sanctus advocatus et invitatus accipitur, ut clarum erit ex auctoribus citandis: Tertulliano, lib. de Baptismo; *Dehinc manus imponitur per*

Benedictionem advocans et invitans Spiritum sanctum; et lib. de Resurrectione carnis : *Caro manus impositione adumbratur, ut et anima Spiritu illuminetur*; sancto Cypriano, epist. 72 : *Eo quod parum sit eis manus imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant et Ecclesiæ baptismum*; et epist. 73, ad Jubaianum : *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur; et per nostram Orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consignentur*; sancto Augustino, lib. XV de Trinitate, cap. 26 : *Neque aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos, quibus manum imponebant, non ipsi eum dabant, quem morem in suis præpositis etiam nunc servat Ecclesia*. Quæ sane verba notanda sunt, et mirum in modum illustrant hunc veterum Sacramentariorum, Ordinis et Pontificalis Romani locum, in quo clare videmus manus imponi et invocari Spiritum sanctum a pontifice, dicendo Orationem subjectam : *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Unde præclare sanctus Isidorus, lib. II de Officiis divinis, cap. 26, scribit : *Spiritum autem sanctum accipere possumus, dare autem non possumus, sed ut detur, Deum invocamus*. Id palam est ex cap. Act. VIII : *Qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Jesu. Tunc imponebant manus super illos et accipiebant Spiritum sanctum*. Theodulphus tamen et multi alii dicunt Spiritum sanctum dari a pontifice, sed id facit non ut causa principalis, sed ut instrumentalis.

332. *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Habetur in Ordine et Pontificali Romano, in quibus ad singulas combinationes donorum Spiritus sancti interponitur *Amen*. In Cod. Rodradi præfigitur hic titulus : *Oratio ad infantes consignandos*. Apud Amalarium Fortunatum, lib. I de Officiis Eccl., cap. 27, hæc Oratio incipit tantum a verbo *emitte*. Illam videtur innuere sanctus Ambrosius, lib. II de Sacramentis, cap. III, cum ait : *Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi. Quia post fontem superest ut perfectio fiat, quando ad invocationem sacerdotis infunditur Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii atque virtutis, Spiritus cognitionis atque pietatis, Spiritus sancti timoris*.

333. *Pontifex, tincto pollice in Chrismate*, etc. Ita apud Alcuinum, cap. de Sabbato sancto, et in excusis Sacramentariis. Unctionis chrismatis mentio fit apud sanctum Dionysium, cap. 2 et 4 eccl. Hierar.; sanctum Cyrillum Hierosolymitanum, catech. 3 mystag., quemdam anonymum, in sermone de Chrismate inter opera sancti Cypriani; Tertullianum, lib. de Baptismo, et de Resurrectione carnis; sanctum Augustinum, lib. XV de Trinitate, cap. 26, et aliis locis infra citandis; concilium Hispalense, can. 7, infra citando; auctorem lib. de Dogmatibus ecclesiasticis, inter opera sancti Augustini; Innocentium papam, epist. ad Decentium Eugubinum episcopum; sanctum Isidorum, lib. II de divinis Officiis, cap. 26; Jesse Ambianensem episcopum : *Confirmet eum episcopus in fronte de chrismate*. Theodulphum episcopum Aurelianensem, lib. citati cap. 17 : *Nam presbyteris sive absentibus, sive præsentibus episcopis baptizare, et baptizatos Chrismate ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; nec tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum tradunt Spiritum sanctum*; sanctum Gregorium papam, lib. III Regesti, cap. 26 [a]; sanctum Gregorium Turonensem, lib. II Hist., cap. 3, et multos alios.

359 Vides ergo hic duplicem hujus sacramenti ritum, primum manus impositionem, alterum unctionem chrismatis in fronte, qui comprehendit signationem, quia ungendo imprimitur signum crucis. Hos duos actus distinguit Alcuinus, lib. de Officiis ecclesiasticis, cap. de Sabbato sancto toties citato, conformiter Ordini, et Pontificali Romano, et nostris Sacramentariis : *Et postquam induti fuerint, dat pontifex super eos Orationem, imposita scilicet manu super capita eorum cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti.* . Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare. *Hac finita facit crucem de chrismate cum pollice in frontibus eorum, dicens*. Guillelmus Parisiensis, lib. de Sacramentis : *præmissa enim Oratione super confirmandos pingitur signum crucis de chrismate in frontibus eorum; et impositis manibus super capita eorum dicitur eis* : Pax tecum. *Siquidem ad impositionem manuum apostolorum solebat dari Spiritus sanctus, et datur modo ad impositionem manuum episcoporum*. Concilium Hispalense 2, can. 7 : *Nec licet eis* (Presbyteris) *per impositionem manus fidelibus baptizatis, vel conversis ex hæresi paracletum* Spiritum *tradere, nec chrisma conficere, nec baptizatorum frontes signare*. Sanctus Cyprianus, epist. 73, ad Jubaianum : *Quod nunc quoque apud nos geritur, ut qui in Ecclesia baptizantur præpositis Ecclesiæ offerantur, et per nostram Orationem et manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, et signaculo dominico consignentur*. Tertullianus, lib. de Resurrectione carnis : *Scilicet caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur; caro manus impositione adumbratur, ut et anima spiritu illuminetur*. Ubi et diversos effectus unctioni, et manuum impositioni attribuit. Ex illo etiam textu observandum aliquando manus impositionem fuisse unctioni postpositam, quod videtur etiam in loco supra ex Guillelmo Parisiensi citato.

Hæc autem chrismatis unctio fuit tempore apostolorum, quemadmodum et manus impositio, quamvis Jacobus de Vitriaco, cap. 37 Hist. occidentalis contrarium asseruerit : *Hoc sacramentum partim institutum est ab apostolis, quantum ad manus impositionem, partim ab Ecclesia, quantum ad unctionem chrismatis, quod non legimus apostolos fecisse*. Contrarium enim apparet ex sancto Paciano antiquissimo scriptore. Siquidem ille epistola 1 scribit ad episcopos ligandi et solvendi auctoritatem fluxisse ab apostolis, sicut baptismatis et chrismatis. *Hoc ergo* (inquit) *superædificavimus, quod apostolorum doctrina fundavit. Denique et episcopi apostoli nominantur, sicut de Epaphrodito Paulus disserit* : FRATREM ET COMMILITONEM (*inquit*) MEUM, VESTRUM AUTEM APOSTOLUM. *Si ergo et lavacri et chrismatis potestas majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit, et ligandi quoque adfuit, atque solvendi*. Et paulo post : *Ergo nec chrisma, nec baptisma, nec criminum remissio, nec innovatio corporis sanctæ potestati ejus indulta est, quia nihil propria usurpatione mandatum est, totumque ut ex apostolico jure defluxit*. Imo et praxim fuisse ostenditur tempore apostolorum, ut notum est ex historia, quam ex Clemente Alexandrino refert Eusebius, lib. III Hist. eccl., cap. 17, ubi de quodam episcopo qui baptizaverat quemdam juvenem sibi a sancto Joanne apostolo commendatum, scribit : Ὡς τὸ τέλειον αὐτῷ φυλακτήριον ἐπιστήσας τὴν σφραγῖδα τοῦ Κυρίου. Id est : Ubi signaculo Domini tanquam perfecta animi custodia signasset. Quod non potest aliter intelligi quam de chrismatione, quæ eo quod fiat in modum crucis in ipsa fronte, ut postea dicetur, recte signaculum Domini appellatur; quemadmodum et in ecloga Vitæ sancti Athanasii in Bibliotheca Photii, num. 258 : Τούτους ἐπιχρίσας διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν. Id est : Qui cum eos inunxisset, Christi signaculo consummavit. Agitur enim ibi de pueris illis a puero Athanasio baptizatis quibus postea sanctus Alexander pontifex confirmationis sacramentum **360** contulit. Unde et dicuntur signari Christiani apud sanctum Athanasium

[a] Nunc lib. IV, epist. 26.

ep. 1, ad Serapionem : Εἰ δὲ κτίσματα ἐν τούτῳ χρίεται καὶ σφραγίζεται. Id est : Si creaturæ in illo (Spiritu sancto) unguntur et signantur. Et apud Tertullianum, lib. de Resurrectione carnis : *Caro signatur, ut et anima muniatur*; et lib. de Præscriptionibus hæreticorum, ubi probat diabolum simiam esse divinorum mysteriorum : *Et si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos*. Quod etiam satis indicat τὸ φυλακτήριον, id est, custodia; signatio enim illa est robur et custodia animæ; unde recte Tertullianus subjunxit : *ut et anima muniatur*. Et merito Clemens adjunxit epitheton τέλειον, id est perfectum, quia hujus unctionis et signationis est perficere et consummare baptizatos; quocirca a sancto Dionysio dicitur τελειωτικὴ χρίσις, cap. 4 eccl. Hierar., id est consummans et perfectiva unctio. Et in citata ecloga Vitæ sancti Athanasii dicitur : Διὰ τῆς ἐν Χριστῷ σφραγῖδος ἐτελείωσεν. Id est : Christi signaculo consummavit.

Accedit auctoritas sancti Augustini, qui hunc chrismationis sive signationis ritum appellat sacramentum; ergo ab apostolis manavit, quia a Christo institutum est. Siquidem ita nos docet lib. II contra litteras Petiliani, cap. 104 : *Et in hoc unguento sacramentum chrismatis interpretari vultis, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus*. Et in Psalmum CXLI : *Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus; quædam, sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus, quædam fronte per signum crucis*.

234. *Facit crucem in fronte*. Unctio chrismatis fit in fronte in modum crucis ex antiqua Ecclesiæ consuetudine. Sanctus Augustinus, in Psalmum CXLI : *Insultet illic Crucifixo; videam ego in frontibus regum crucem Crucifixi*; et paulo post : *Multa sacramenta aliter atque aliter accipimus, quædam, sicut nostis, ore*, etc. Sanctus Gregorius papa, lib. III Regesti, cap. 26 [a]. Bachiarius, epist. ad Januarium : *Restruatur porta in Anathoth, quæ interpretatur respondens signum, quod suspicamur esse frontis patibulum, ubi signum salutis nostræ et dominicæ sanctitatis accipimus, quod est aurea lamina ubi pontifex nomen Domini scriptum mandatur accipere tetragrammaton. Vis scire quia non incongrue portam Anathoth, quæ interpretatur respondens signum, pro patibulo frontis accipimus? Jungit propheta huic portæ unguentariorum loca, quæ per tropologias nominum ab aliis virtutibus dicuntur esse restructa. Unguentariorum autem loca quæ sunt, nisi illa quæ chrismatis sanctificatione tanguntur?* Victor Uticensis, lib. I de Persecutione Vandalica : *Et frontem, in qua Christus vexillum suæ fecerat crucis, rugatam descendentes atque rugientes ostenderent nervi*. Sanctus Gregorius Turonensis, lib. II Hist., cap. 3 : *Igitur rex omnipotentem Deum in Trinitate confessus baptizatus est in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, delibutusque sacro chrismate cum signaculo crucis Christi*. Prudentius, in Psychomachia :

> Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
> Unguentum regale datum est, et chrisma perenne.

In Cathemerino hymno qui inscribitur pro omni hora :

> Dic trophæum passionis,
> Dic triumphalem crucem,
> Pange vexillum notatis
> Quod refulget frontibus.

Et in Apotheosi :

> Ipse quoque exanimis posito diademate princeps
> Pallet, et astantes circumspicit; ecquis alumnus
> Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
> Qui Zoroastræos turbasset fronte susurros.

361 Agit de Juliano apostata, qui cum sacris magicis operam daret, ob præsentiam cujusdam juvenis satellitis baptizati turbati dæmones, nullo dato responso, aufugerunt. Jesse Ambianensis, epistola supra citata : *Post hæc confirmet eum episcopus de chrismate in fronte*. Hinc capiendus est Tertullianus, lib. de Præscriptionibus hæreticorum : *Tingit et ipse quosdam utique credentes et fideles suos, expositionem delictorum de lavacro repromittit; et si adhuc memini, mithra signat illic in frontibus milites suos*. Et hic quidem ritus Latinorum.

At Græci olim non solum frontem ungebant, sed etiam aures, nares et pectus, ut docet sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 3 mystag. : Καὶ πρῶτον ἐχρίσθε ἐπὶ τὸ μέτωπον, ἵνα ἀπαλλαγῆτε τῆς αἰσχύνης, ἣν ὁ πρῶτος παραβάτης ἄνθρωπος πανταχοῦ περιέφερε, etc. Id est : *Et primo uncti estis in fronte, ut amoveatur a vobis pudor, quem primus transgressor homo circumferebat, simulque ut possitis amoto velo a fronte gloriam Domini inspicere. Deinde vero aures unguntur, ut aures ad divina mysteria percipiatis; de quibus Isaias dixit :* ET ADDIDIT MIHI DOMINUS AD AUDIENDUM; *et Dominus in Evangelio :* QUI HABET AURES AUDIENDI, AUDIAT (*cap.* IX *Matth.*, 1). *Postea in naribus, ut divinum percipientes unguentum dicatis :* CHRISTI BONUS ODOR SUMUS, ET IN IIS QUI SALVANTUR (*II Cor.* II). *Tum vero in pectore, ut induti thoracem justitiæ, fortes adversus insultus diaboli consistatis*.

In libro Severi patriarchæ Alexandrini de baptismate signantur et unguntur chrismate omnia eorum membra, frons vero tribus vicibus. Apud Æthiopes vero omnia fere eorum membra unguntur, frons, oculi, nares, et labia; aures, dorsum et granum pectoris, seu os stomachi; tibiæ et ulnæ; genua et carpes juncturæ; sola pedum et spina, ut clarum est ex Ordine mysteriorum quod vocant. Hodie apud Græcos unguntur frons, oculi, nares, os, aures, pectus, manus et pedes, ut videre est in eorum Euchologio. Et hæc de unctione, seu signatione.

Tandem notandum est in hoc nostro Codice sancti Eligii nulla exstare verba, seu formam, quæ inter ungendum proferantur, quemadmodum [b] nec in editis, nec in vetusto Pontificali ms. quod asservatur in Ecclesia Rothomagensi, putaturque esse Anglicanum. Olim tamen invocationem sanctissimæ Trinitatis adhibitam fuisse videmus apud Alcuinum, lib. de divinis Officiis, cap. de Sabbato sancto. Idque ex more Ecclesiæ Romanæ : *De hac re apostolicus apud Romanos ita agit : Postquam pontifex baptizaverit, vel quibus jusserit ipse, levant ipsos infantes in manibus*, etc. Infra : *Et postquam induti fuerint, dat pontifex super eos Orationem, imposita scilicet manu super capita eorum cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti*. Oremus : Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare. *Hac finita, facit crucem de chrismate cum pollice in singulorum frontibus, ita dicendo :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tibi. *Respondent omnes :* Et cum Spiritu tuo. Apud Amalarium, lib. I de Offic. eccl., cap. 2, idem habetur : *Dicit Romanus libellus, de quo sæpe commemoravimus. Oratione expleta, facit crucem cum pollice ex chrismate in singulorum frontibus, ita dicendo :* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tibi, et cum Spiritu tuo. In Ordine Romano præmittuntur hæc verba : Confirmo te. *Oratione expleta interrogantibus diaconibus nomina singulorum, pontifex, tincto pollice in chrismate, faciat crucem in frontibus singulorum, ita dicendo :* Confirmo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. ℟. Amen. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo. In Ordinibus mss. Tiliano, et sancti Germani a Pratis sic habetur : Confirmo te et signo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. 362 Pax tecum, et cum Spiritu tuo. Apud Guillelmum Parisiensem, lib. de Sacramentis, hanc formulam

[a] Nunc lib. IV, epist. 26.

[b] In Edit. Vatic. et Gussanvil., consentientibus mss. et Theodor. legitur : *Ut autem surrexerit a fonte, ille qui eum suscipit offerat eum uni presbytero, qui faciat signum crucis de chrismate cum pollice, in vertice ejus, dicens :* Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te regeneravit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum, ipse te liniat chrismate salutis in vitam æternam. *Resp.* Amen.

reperire est : Consigno te, et cruce confirmo te. *Quia autem* (inquit) *pontifex dicit, pingendo characterem,* Consigno te et cruce confirmo te, *intelligenda est consignatio.* Apud Albertum magnum ms. bibliothecæ sancti Victoris in Suburbio Parisiensi, in 4 sent., pag. 234, hæc forma confirmationis exstat : Confirmo te signo crucis, et chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. In alio Pontificali ms. quod asservatur in Ecclesia Rothomagensi hæc videre est : *Tunc faciat crucem in fronte eorum chrisma* (*Lege chrismate*) *dicens :* Consigno te signo crucis et confirmo chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pax vobiscum, *vel,* tecum. Et cum spiritu tuo. Tandem in Pontificali Romano sic habetur : Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; ut implearis Spiritu sancto, et habeas vitam æternam. ℟. Amen. Græci vero, præmissa hac Oratione, ut habetur in eorum Euchologio, *αὐτὸς δέσποτα παμβασιλεῦ εὔσπλαγχνε χάρισαι αὐτῷ καὶ τὴν σφραγῖδα,* etc., id est : Tu Domine, omnium Rex et misericors, dona ei et signaculum largitionis sancti, et omnipotentis adorandique tui Spiritus. Inter ungendum dicunt *σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου,* id est, signaculum doni Spiritus sancti. Quæ quidem formula exstat in can. 7 concilii primi Constantinopolitani, in quo statuit concilium ut Novatiani, Macedoniani, Apollinaristæ, et quidam alii hæretici, qui abjurata hæresi Ecclesiæ catholicæ reconcilientur, chrismate ungantur in fronte, oculis, naribus, ore et auribus, dicendo : *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου.* Apud Severum patriarcham Alexandrinum, lib. de Ritibus baptismi hanc formam videre licet : Chrismate sancto suavitatis odoris Christi Dei, sigillo veræ fidei, complemento pignoris Spiritus sancti obsignatur talis. N, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti ad vitam sæculi sæculorum. Amen.

Hactenus de sacramentis baptismi, et confirmationis. Sed quia multa quæ ad baptismi ritus spectare videntur prætermisimus, non abs re erit si his quæ scripsimus libellum Theodulphi episcopi Aurelianensis de ordine baptismi subjiciamus, quem ms. ex bibliotheca Corbeiensi habuimus, in quo omnia quæ ad sacramentum baptismi spectant, enucleate satis cum mystica interpretatione exponuntur, cui etiam elucidationis gratia quasdam notationes adjungemus.

Theodulphi libellus de ordine baptismi.

« Reverentissimo atque charissimo fratri Joanni episcopo, Theodulfus salutem.

« Præceptum tuum, vir venerabilis Joannes, peregi; etsi non solerti efficacia, plena tamen obedientia. Præcepisti enim mihi, imo per te charitas præcepit ut quibusdam quæstionibus de ordine baptismi a domino et glorioso imperatore Carolo tibi transmissis breviter et cito responderem. Coarctantibus itaque me hinc brevitate, qua cogebar brevi sermone res magnas expedire, illinc temporis angustia, qua cito quod jusseras adimplere volebam quod jussisti.

« Quod opus utinam esset tam efficaciter expletum quam est libenter susceptum! Quanquam ergo mihi spatiose tractandi, et Patrum volumina revolvendi, quibusdam occupationibus præpedientibus, facultas nulla suppeteret, et me ad jussionem implendam charitas promoveret, de singulis quæ mihi occurrere potuerunt, celeri cursu scripsi, et vestræ fraternitati misi, ut si non habuerint responsa emolumentum, saltem obedientia habeat fructum. Quæstiones interea istæ, ut ego te nosse certus sum, a regali celsitudine non sunt factæ necessitate discendi, sed studio docendi, nec, ut ipse, his absolutis, de nescitis valeat imbui, **363** sed ut alii de somno desidiosi corporis ad rerum absolvendarum utilitatem valeant excitari; quippe cui hoc semper familiare est, ut exerceat præsules ad sanctarum Scripturarum indagationem et sanam sobriamque doctrinam, omnem clerum ad disciplinam, philosophos ad rerum divinarum humanarumque cognitionem, monachos ad religionem, omnes generaliter ad sanctitatem, primates ad consilium, judices ad justitiam, milites ad armorum experientiam, prælatos ad humilitatem, subditos ad obedientiam, omnes generaliter ad prudentiam, justitiam, fortitudinem, temperantiam, atque concordiam. His et similibus rebus ille virorum optimus Deo sibi propitio sanctæ Ecclesiæ fastigium accumulare non cessat, et admirabili in rerum ecclesiasticarum sive civilium administratione strenuus, et sapientiæ fonte redundat, et virtus [*Leg.* virtutis] exhibitione triumphat.

Incipiunt capitula

« I. Cur infans catechumenus efficitur. II. Quid sit catechumenus. III. Cur exsufflatur. IV. Cur exorcizatur. V. Cur catechumenus accipit salem. VI. Quæ sit interpretatio Symboli secundum Latinos. VII. De credulitate, quomodo credendum sit in Deum Patrem omnipotentem, et in Jesum Christum Filium ejus natum et passum, et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, et cætera quæ sequuntur in eo Symbolo. VIII. De scrutinio. IX. Cur tanguntur de sputo nares et aures. X. Cur pectus de oleo ungitur, vel scapulæ signantur, vel liniuntur. XI. Quid sit abrenuntiatio. XII. De abrenuntiatione Satanæ et omnibus operibus ejus, atque pompis, vel, quæ opera diaboli, et pompæ. XIII. De sacramento baptismi. XIV. Cur albis induitur vestibus. XV. Cur sacro chrismate caput perungitur. XVI. Cur mystico tegitur velamine. XVII. Cur ab episcopo confirmetur [et] per manus impositionem accipiat septiformis gratiæ Spiritum. XVIII. Cur corpore et sanguine Dominico confirmetur

« I. Antiquus mos servatur; quicunque enim ad apostolos credentes baptizandi veniebant, instruebantur et docebantur ab eis, et instructi, et docti de sacramento baptismatis et de cæteris regulis fidei, accipiebant sacrosanctum mysterium baptismatis. Unde ait Apostolus : *An ignoratis, fratres, quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus.* In quibus verbis ostenditur non eos ignorasse sacramenti baptismatis arcana, qui baptizabantur. Sed et Dominus non utcunque ait : Ite, baptizate; sed, *ite et docete omnes gentes, baptizantes eos,* ut nosse possimus primum instruere, et docere eum qui baptizandus est, et postea baptizare. Infantes ergo, et audientes et catechumeni fiunt, non quo in eadem ætate et instrui, et doceri possint, sed ut antiquus mos servetur, quo apostoli eos quos baptizaturi erant primum docebant et instruebant, sicut jam dictum est.

« II. Catechumenus autem audiens, sive instructus interpretatur. Genus enim humanum audit, et instruitur antequam ad baptismum veniat, et quod per Moysen quondam audierat : *Audi, Israel, Dominus Deus unus est.* Et per legem et prophetas instruebatur ad unius veri Dei cultum : modo per sacerdotum ministerium et audiens efficiatur [*Leg.* efficitur], et [*Leg.* ut] instrui valeat; ut relicto ritu quo creaturæ deserviebat, soli creatori Deo deserviat. Sic enim catechumeni in Christum credunt, ut adhuc sua peccata portent : de quibus puto in Evangelio dictum, qui dum crederent in Jesum, ipse Jesus non se credebat eis. Quicunque ergo a Joanne docebantur, sive instruebantur, quia baptismum ejus peccata delere non poterat, catechumenorum typhum [*Leg.* typum] prætulisse noscendi sunt.

« III. In quorum etiam facie a sacerdote per exsufflationem signum crucis fit, ut et diabolus fugetur, et Christo via præparetur, ut qui illecebrosa persuasione sua generis humani, quod in primordio sui spiraculum vitæ acceperat, habitator erat, ejus virtute et sacratissimo signo, per ministerium sacerdotum, ut exire cogatur, qui **364** et in discipulos suos insufflasse, et Spiritus immundos increpasse legitur.

« IV. Unde et exorcizatur idem malignus Spiritus, ut exeat et recedat ab illo plasmato [*Leg.* plasmate]

quod jamdudum per peccatum primi hominis possidebat. Et quia non est, juxta Apostolum, *conventio Christi ad Belial, nec societas luci ad tenebras*, egrediebantur tenebræ, et lux vera Christus ingrediebatur. Qui et in Zacharia typice propter peccata nostra, quæ in corpore suo portavit, sordida vestimenta habuisse legitur; et increpans Satan [*Leg.* Satanam] Jerusalem elegit sanctam, videlicet Ecclesiam, quæ est visio pacis, quam quotidie prole nova fecundat, cui per prophetam dicitur: *Filii tui de longe venient, et filiæ tuæ in latere surgent.* Exorcismus præterea est sermo increpationis. Unde in Actibus apostolorum exorcistæ fuisse leguntur, et sancta Ecclesia inter gradus ecclesiasticos exorcistarum etiam ministerium habet. Sciendum namque est quia cum exorcizatio fit, ille procul dubio exorcizatur qui et baptismo et saluti fidelium, et omnibus virtutibus ejus contrarius est. Illo enim exorcizato sive expulso, divini verbi condimentum credentibus datur.

« V. Et idcirco hi qui baptizandi sunt salem in sacramento accipiunt, ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant, neque a sapore Christi desipiant, et sint insulsi et fatui. Qui enim dixit discipulis suis: *Vos estis sal terræ*, ipse dixit: *Nemo mittens manum suam in aratro, et respiciens retro, regno cœlorum aptus esse potest.* Ut autem qui baptizantur regno cœlorum apti sint, et ne præterita peccata iterantes respiciant retro, et efficiantur statua salis, et remanentes insensati exemplo pœnæ suæ alios condiant, debent accipere salem sapientiæ, ut quidquid in eis fluxum et fluidum est verbi Dei sale curetur, et juxta Apostolum memores esse uxoris Loth. Et sicut Elisæus salis immissione sterilitatem aquæ curavit, ita nimirum verus Elisæus Dominus noster Jesus Christus verbi sui sapore fluidam generis humani sterilitatem ad dulcem fidei et bonorum operum saporem perducit: cujus fidei firmitas tunc jam clare lucescit, cum is qui audierat solius Dei cultum esse tenendum, unde audiens vocatus est; et instrui cœperat de veræ religionis cultu, unde catechumenus vocatus est; et per exsufflationem, et exorcizationem, et maligno Spiritu [*Leg.* Spiritui] erutus est, et in datione salis jam habere cœpit gustum divini verbi. Tradatur [*Leg.* Traditur] ei Symbolum, id est veræ fidei integra et inconvulsa confessio, ut domus, prisco [*Leg.* a prisco] habitatore derelicta, fide ornetur; et de qua spinæ incredulitatis evulsæ sunt, incipiant in ea veræ fidei documenta plantari. Prius enim evellendæ sunt incredulitatis suæ vitiorum spinæ, et postea plantanda sunt fidei et bonorum operum rudimenta. Unde et Dominus ante faciem filiorum Israel septem gentes [a] typhum [*Leg.* typum] vitiorum tenentes contrivit, in quarum loco in typho [*Leg.* typo] virtutum Israeliticum populum collocavit. Et ad Jeremiam prophetam dicit: *Ecce constitui te hodie super gentes, et super regna, ut evellas, et destruas, et dissipes, et disperdas, et ædifices, et plantes.* Prius enim dixit evulsionem, et destructionem, et dissipationem, et dispersionem; et postea subjecit ædificationem, et plantationem. Et per eumdem prophetam ait: *Sicut vigilavi super eum, ut evellerem, et demolirer, et dissiparem et dispergerem, sic vigilabo super eos, ut ædificem, et plantem.* Et hoc ideo, quia post exorcizationem et exsufflationem Symboli, sequitur traditio.

« VI. Quod Symbolum Latine indicium, vel signum, vel collatio interpretatur. Indicium, quia per id indicatur fidei integritas; signum, quod ab eo bene retento et intellecto fideles ab infidelibus discernuntur; collatio, quia in eo apostoli omnem fidei integritatem contulerunt. Quod autem omnes pari fidei sinceritate corde retinebant, ore confessi sunt, et singuli proprias sententias conferentes Symbolum, id est totius fidei collationem ediderunt. Discessuri enim ab invicem normam futuræ prædicationis in commune statuerunt, ne, localiter ab invicem discedentes, diversum aliquid vel dissonum prædicarent. Decentissimum namque et utile erat, ut quibus erat una anima et cor unum in Domino, et quos sancti Spiritus afflatus vegetabat, unius etiam fidei confessio exornaret. Nec enim dirimi in aliquo vel poterant, vel debebant, qui unius fidei vinculo nectebantur. Plerumque [*Leg.* plerique] interea Verbum abbreviatum, per Isaiam prophetatum, in Symbolo et Oratione Dominica intelligi volunt. In altero enim fidei, in altero precum continetur integritas, ut et in duodecim verbis duodecim apostolorum doctrina, et in septem petitionibus omne contineatur quidquid ad præsentis et futuræ vitæ pertinet dispensationem. Quamvis etiam totius doctrinæ verbum dici possit abbreviatum quia quod prius lex et prophetæ continebant in latitudine præceptorum veniens Dominus pronuntiavit, et dixit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex totis viribus tuis, et proximum tuum tanquam teipsum. In duobus mandatis tota lex pendet et prophetæ.* In quo evidenter prophetas et legem duobus his sermonibus breviavit. Hæc de Symbolo et nomine ejus dicta sunt.

« VII. Cæterum fides quæ in hoc Symbolo continetur ita ab his qui baptizandi sunt intelligi debet, ut credant in Deum Patrem omnipotentem, creatorem omnium visibilium et invisibilium, qui solus, quia non est de alio, ideo appellatur ingenitus; et Jesum Christum Filium ejus, per quem omnia facta sunt, verum Deum, Unigenitum, verumque Dei Filium, non factum, aut adoptivum; sed genitum, et unius cum Patre substantiæ, atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec potestate esse possit inferior, tantumque esse illum qui est genitus quantus est ille qui genuit. Credant etiam eum natum de Spiritu sancto, et Maria semper virgine, id est ut, Spiritu sancto cooperante, verum sibi corpus ex Virgine, id est Dei Filius assumpserit, ut qui erat in divinitate Dei Patris Filius, ipse factus sit in humanitate hominis matris filius. Credant etiam eum descendisse ultimo tempore pro redemptione mundi a Patre, qui nunquam desiit esse cum Patre; et hominem verum factum, ut humanum genus homo liberaret, et ipse qui ab initio æternitatem cum Patre et Spiritu sancto possidet, in fine sæculorum perfectum naturæ nostræ hominem susceperit, et Verbum caro factum sit, assumendo humanitatem, non permutando divinitatem. Credant etiam eum pertulisse passionem et mortem non in virtute divinitatis, sed in infirmitate humanitatis; mortuum vera carnis morte, resurrexisse vera carnis resurrectione, et resurrectione sua spem nobis resurrectionis contulisse; ita dumtaxat ut sicut ille tertia die resurrexit vivus a mortuis, ita et nos in fine sæculorum resurgamus in eadem qua nunc vivimus carne. Credant etiam eum in eodem corpore quod de Virgine assumpsit et passionem sustinuit et resurrexit, ascendisse in cœlum, et in eodem et nunc esse, et ad judicium venturum esse, et, resuscitatis omnibus, dare aliis pro peccatis supplicii æterni sententiam, aliis pro justitiæ meritis æternæ beatitudinis præmium. Credant et in Spiritum sanctum Deum verum ex Patre Filioque procedentem, æqualem per omnia Patri et Filio voluntate, potestate, æternitate, substantia; nec esse in hac sancta Trinitate ullos gradus quibus aliquis inferior superiorve dici possit. Credant etiam sanctam Ecclesiam catholicam, id est universalem; non in sanctam Ecclesiam, ut credentes in Trinitatem. Credant ejusdem sanctæ Trinitatis domum esse sanctam Ecclesiam; a cujus communione discedentes schismatici et hæretici vocantur, æterna [*Leg.* in æterna] damnatione puniuntur. In ejus vero communione permanentes, et membra Christi esse, et remissionem peccatorum percipere, ut [*Leg.* et] ad vitam

[a] De usurpatione vocis *typi* pro *typho*, et vice versa, lege quæ diximus lib. xxxi Moral., num. 25.

æternam pertinere. Quia ergo parvuli necdum ratione utentes hæc minime capere possunt, oportet ut cum ad intelligibilem ætatem pervenerint, doceantur, et fidei Sacramentis, et confessionis suæ mysteriis, ut ea et veraciter credant, et diligenti cura custodiant. Confessionem suam plane diximus, quia quamvis **366** illi necdum loqui possint, pro illis et confitentur et loquuntur qui eos de lavacro fontis suscipiunt: nec immerito; dignum est ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum etiam confessione per mysterium baptismatis remissionem originalium percipiant peccatorum.

« VIII. Qui vero illius sunt jam ætatis ut rationem credulitatis suæ reddere possint, diligenti examine scrutandi sunt, utrum veraciter credant, an alicujus falsitatis in eis macula celetur, necdum [*Leg.* nedum] aut timore aut favore terrenarum potestatum, aut acquisitione quarumdam rerum ad baptismatis sacramentum ignorantibus ministris Ecclesiæ perveniunt, tradatur sanctum canibus, et margaritæ mittantur inter porcos, et lupi ovina pelle vestiantur. Hunc enim morem Ecclesia servare consuevit, ut per aliquod dierum spatium hi qui in solemnitate paschali baptizandi sunt scrutentur, ut instructis et doctis, et simplici corde ad fidem veram venientibus vitæ sacramenta impertiantur; quibus, ut aptiores inveniantur baptismatis sacramento, et eorum fides probabilior sit, quædam fiunt corporaliter quæ spiritali gustu degustata mysticum quid et spiritale sapiant.

« IX. Tanguntur itaque de sputo nares, et aures, et dicis, Effeta: nares, ut Christum in odore unguentorum sequantur, et dicant: *trahe me, post te curremus*; et cum Apostolo profiteantur dicentes: *Christi bonus odor sumus Deo;* et illius membra efficiantur cui dicitur: *Et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata*. Quem odorem tunc bene habere poterit [*Leg.* poterunt], sicut Maria, quæ interpretatur domina, sive luminatrix, alabastrum unguenti, hoc est sacræ fidei puritatem, et ungueant [*Leg.* ut ungant] pedes Jesu, apostolorum videlicet monita complentes, vel prædicatorum quorumlibet, per quos Christus inambulat; et domus, mundus videlicet, sive universitas sanctæ Ecclesiæ eorum bona opinione, quasi quodam dulci et suavi odore, repleatur; et quia plerumque odoris suavitas et diversa thymiamata dissolutis et amatoribus conveniunt, isti e contrario et continentes, et Christi amatores effecti, illius solummodo salutiferum semper amplectantur odorem. Tanguntur et aures, ut audientes verba Dei, et facientes ea, similes sint, secundum Evangelium, *viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram;* et spiritali auditu semper spiritalia auscultent, ut cum David dicere possint: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus;* et cum Isaia: *Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico, retrorsum non abii*, ut quæ spiritaliter dicuntur audientes, ad spiritalium operum emolumenta perveniant. Cum itaque Dominus in Evangelio dicit: *Qui habet aures audiendi, audiat*, et Joannes in Apocalypsi sua: *Qui habet aures audiendi, audiat quid Dominus dicat Ecclesiis*, hic non aures carnales, sed spiritales quæruntur, et per aurium nomen interioris hominis auditus designatur. In sacro etenim eloquio plerumque per membra corporis spiritalis animæ virtutes intelliguntur. Quia ergo divinitas hominem assumens quoddam ex commistione duarum substantiarum in una Dei Filii persona collyrium fecit, unde genus humanum, quod cæcum a primis parentibus natum erat, illuminaret, * non [*Leg.* nunc] a sputo aures tanguntur, et nares, ut exspuens linguam muti tetigerat, et sputo lutum fecerat, et oculos cæci nati aperuerat; nunc per ministerium sacerdotum et auditum spiritalem his qui baptizati sunt tribuat, et recte loquendi, id est fidem veram confitendi facultatem præbeat, et nares, quibus bonum Christi odorem capiant, aperiat. Pectus enim illius qui baptizatur refertum semper esse debet, et divini odoris nectare, et spiritali unctione delibutum.

« X. Unde etiam his qui baptizandi sunt, pectus de oleo et scapulæ tanguntur, ut illius olei sancti videlicet Spiritus unctione liniti de quo Apostolus ait: *sicut unctio ejus docet nos de omnibus*, ante et retro muniti, id est contra omnia prospera sive adversa sint circumspecti, et cœlestium animalium imitatione ante et retro pleni sint oculis, id est præteritum et futurum respicientes, salutis suæ custodiam non amittant. Tangitur eis pectus, **367** ut cum David dicere possint: *Et misericordia ejus præveniat me*. Tanguntur scapulæ, ut cum eodem dicant: *Et misericordia ejus subsequatur me*. Id est, anteriora, ut bene velint; posteriora, ne frustra velint. Bene autem velle et perficere a Deo nobis datur, a quo est omne datum optimum, et omne donum perfectum. Et quoniam in cordis nomine sæpe mens designatur, sicut est illud: *in toto corde meo exquisivi te*, et in olei nomine intelligitur unctio sancti Spiritus, sive opera luminis et misericordiæ, cordis locus unctione utrinque munitur, id est anterius et posterius, ut undique mens Christiani et pinguedine sancti Spiritus, et operibus luminis et misericordiæ exuberet.

« XI. Quibus bene exuberat, si abrenuntiando diabolo, et operibus ejus, dominationem illius aspernetur, et jugum quod se premebat illius olei unctione fatiscat; et impleatur illud propheticum: *Computrescet jugum a facie olei* (*Isai.* x). Abrenuntiare etenim poni solet pro eo quod est spernere, rejicere, contradicere, sive aliud quidquid hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Quamvis enim illius verbi quod est *nuntio* sensus in promptu sit cum sine præpositione profertur, et accepta præpositione interdum a sua significatione non longe recedat, ut est illud, *narrabo et renuntiabo*; interdum vero in alium sensum vertatur, ut est illud: *Sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quæ possidet non potest meus esse discipulus*; abrenuntiare tamen semper in eo sensu poni consuevit quem superius diximus. Abrenuntiare etenim se fatetur Satanæ, et omnibus operibus ejus, et omnibus pompis ejus. Quam abrenuntiationem recte confessio sanctæ Trinitatis sequitur, ut ubi abundavit peccatum, superabundet gratia, et ubi computruit jugum diaboli a facie unctionis Spiritus sancti, adveniat illius jugum, qui dixit: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris; jugum enim meum suave est, et onus meum leve*. Satanas enim, qui et diabolus nuncupatur, a fidelibus abrenuntiatur, ut Domino Salvatori liberius serviatur, quia, juxta ejusdem Domini vocem, *nemo potest duobus dominis servire*.

« XII. Abrenuntiatur etiam operibus ejus, quia opera illius contraria sunt operibus Salvatoris; et quia ille armis suis, id est vitiis, genus humanum sibi subjecit, Dominus armis suis, id est virtutibus, illum debellavit. In illius enim militia, id est peccatis nostris, servitus permanens [*Leg.* permanentem] accepit mortem; in istius militia, id est virtutibus, accipimus vitam æternam. Septem itaque principalia vitia, quibus diabolus genus humanum infestat, non incongrue opera Satanæ dicere possumus, quibus opponuntur septem principales virtutes, quæ opera sunt procul dubio salutaria. Nec minus interea pompis ejus abrenuntiatur, quæ utique opera sunt Satanæ. Sed eo quasi discerni videntur a cæteris operibus ejus, quia in ejus superbia, cujus ille auctor, et quæ eum dejecit, quodammodo designatur. Pompæ igitur ejus sunt ambitio, arrogantia, vana gloria, et cætera hujuscemodi, quæ de fonte superbiæ procedere dignoscuntur. Pompam enim ambitionem sive jactantiam et his similia intelligi debere propheticus sermo demonstrat, cum dicit: *Væ qui opulenti estis in Sion et confiditis in monte Samariæ, optimates capita populorum, ingredientes pompatice domum Israel*. Sed et Clemens Prudentius disertissimus atque christianissimus poeta in hac significatione pompam posuit in libro Psychomachia, ubi ait:

Pompa ostentatrix vani splendoris inani
Exuitur nudata peplo.

Quamvis ergo omne peccatum superbia dici possit, quia quando quis peccat Deo qui peccare prohibuit contraire videtur, aliud tamen est desidiose, aliud maliliose, aliud scienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter peccare. Quolibet autem modo quis peccet, si pœnitere contemnit, in magnum se superbiæ baratrum immergit; de quo nonnisi per confessionem peccatorum suorum, et emendationem morum, et salutaris pœnitentiæ adminiculum **368** egredi potest. Duobus enim modis homo Deo superbit, cum aut præceptis ejus inobediens existit, ea quæ prohibita sunt committit, aut commissa pœnitere negligit. Unde sive hi qui baptizandi sunt, sive nos qui baptismi sacramentum jam percepimus, ante oculos ponere debemus pactum quod cum Deo in baptismate fit, ubi abrenuntiatur Satanæ, et operibus ejus, et pompis ejus; quod pactum tunc irritum fit, si aut in fide quis permanendo vitiis, aut a fide exorbitando, idolorum cultibus aut hæresum erroribus subdatur.

¶ XIII. Quia igitur constat pactiones credentium esse duas, unam in qua abrenuntiatur diabolo, et pompis ejus, et omnibus operibus ejus; in altera qua se credere confitentur in Patrem, et Filium, et in Spiritum sanctum; oportet has inconvulsæ mentis intentione teneri, et ut temerate [*Leg.* intemerate] custodiri possint, illius semper adjutorium quærere qui baptismi sacramentum ad salutem generis humani contulit, cujus mysterium, et in veteri testamento per Moysen præfiguratum est, cum populus in nube et in mari baptizatus est, et in novo per Mediatorem Dei et hominum apertissime demonstratum. Ipse enim ait: *Quoniam nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non poterit introire in regnum cælorum.* Et Joannes de eo ait: *Ego baptizo vos; veniet autem*, etc., *ipse vos baptizavit* [id est, *baptizabit*] *in Spiritu sancto et igni.* Per hoc qui nascimur mundo, renascimur Deo, et qui per peccatum eramus filii iræ, per gratiam efficimur filii Dei. Hac enim tinctione et hoc lavacro Ecclesia vegetatur. Ex osse parentis protoplasti mulier ædificata est; ex latere Christi in cruce dormientis Ecclesia formata est. Profluxerunt enim ex ejus latere sanguis et aqua, duo sanctæ Ecclesiæ præcipua sacramenta, ut in altero consecratio, in altero mundatio eidem tribueretur Ecclesiæ. Regeneramur namque ex lavacro, ut consecramur et sanguine. Unde et populus mare Rubrum transiit, quia baptismus Christi sanguine consecratur. Quia ergo elementum aquæ in hoc mundo omnibus elementis purgandi, vivificandi, recreandi gratia aptius est, non immerito ei baptismi dignitas confertur, quia et regenerandorum hominum efficaciam cum Spiritus Dei in mundi primordio super id ferebatur, concipiebat, et purgandorum, cum ex latere Christi proflueret, dignitatem capiebat. Per hoc etenim visibile elementum res illa invisibilis signatur, ut sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter ejus ministerio per Spiritum sanctum purificetur et animus. Invocato namque Deo, descendit Spiritus sanctus de cœlis, et sanctificatis aquis, tribuit eis vim purgationis. Inde homo ad imaginem reparatus sanctæ Trinitatis, ad quam conditus fuerat, expellitur; et qui vetus in eas per peccatum primi hominis intraverat, novus ex eis per Christi gratiam egreditur, et Spiritu gratiæ in melius immutatus longe aliud quam fuerat efficitur. Fœdus enim erat deformitate peccatorum, illi redditur pulcher dealbatione virtutum. Nullatenus itaque baptismi mysterium perfici potest, nisi sub invocatione sanctæ Trinitatis, quia et Dominus ad apostolos dixit: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et idem Dominus hoc sacramentum firmavit, cum in suo baptismate Pater declaratus est in voce, Filius in corpore, Spiritus sanctus in columbæ ostensione. O præclarum et admirabile sacramentum, quod de filiis iræ facit filios Dei, de veteribus novos, de fœdis pulchros! in quo et regeneramur, et purgamur, et exemplum mortis Christi imitamur. Quomodo ergo hoc exemplum imitemur dicat Apostolus: *An ignoratis*, inquit, *quia quicunque baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti ergo sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quemadmodum resurrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitæ ambulemus.* Morimur ergo peccato, quando abrenuntiamus diabolo, et omnibus quæ ejus sunt. Consepelimur Christo, cum sub invocatione sanctæ Trinitatis sub trina mersione in fontem lavacri, quasi in quoddam sepulcrum descendimus. Consurgimus Christo cum exuti omnibus peccatis de fonte, **369** quasi de sepulcro, egredimur. Sed neque mysterium trium dierum ac noctium, quibus in sepulcro Jesus fuisse legitur, præteritur, cum invoti [*Leg.* invocata] sancta Trinitate, quæ utique vera lux est, in fontem descendimus. Lux est enim Pater, et in lumine ejus, qui est Filius, lumen videmus Spiritum sanctum. Facimus autem et tres noctes, cum tenebrarum et ignorantiæ patre [*Leg.* patri] una commendatio [*Leg.* cum mendacio], quod ex eo natum est, quod mendax est, sicut et pater ejus, contradicimus. Sed et tertio loco spiritum erroris destruimus, qui inspirat pseudoprophetas, ut dicant: Hæc dicit Dominus, quos Dominus non misit. Destruimus enim hæc, et conculcamus, si consepulti sumus Christo, etiam secundum illud quod ipse dicit: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.* Quæ singula ita sunt contraria sanctæ Trinitati, ut nox diei, et tenebræ luci, ut mendacium veritati. Fons quoque baptismi similitudinem gerit sepulcri Christi, quod novum fuisse legitur. Quia quicunque in eo consepelitur Christo, et ei consurgit, secundum eumdem Apostolum, in novitate vitæ ambulare debet. Cujus fontis septem gradus, tres in descensu tres noctes, et tres in ascensu tres dies significare videntur, de quibus superius dictum est. Septimus vero, qui et quartus, ille est de quo quidam ait: *Et aspectus quarti similis Filio Dei*, qui fornacem ignis exstinguit, qui est stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo, juxta Apostolum, inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Idcirco autem baptismus non iteratur, quia et Christus non amplius quam semel moritur. Peccata enim quæ post baptismum committuntur pœnitentiæ lacrymis, eleemosynis, et cæteris bonorum operum exhibitionibus, non baptismatis iteratione delentur. Dominico interea corpori sepeliendo mundissima linteamina, et aromata adhibentur, quia et is qui Christo consepeliri desiderat, si jam ætas permittit, quamvis mortuus sit per originale peccatum, quod adhuc portat, debet tamen bonorum operum exhibitione fragrare, mundis indui vestibus, de quibus propheta sacerdotes indui orat cum dixit: *Sacerdotes tui induantur justitiam.* Si ergo antequam renascatur, et originali peccato purgetur, et Christo consepeliatur, debet fragrare, odorem præstare, et mundissimis vestibus indui; quanto magis renatus, purgatus, Christo convivificatus, in novitate vitæ ambulans, nova creatura effectus, et odoris fragrantia exuberare, et candidorum vestimentorum clarescere debet nitore!

¶ XIV. Ut ergo nos, qui mundo morimur, Christo consurgimus, bonorum operum nitore induamur, et cœlestium gaudiorum spe confirmemur, decentissima ratione angelus qui ejus resurrectionem nuntiat in albis vestibus sedere describitur; et qui ejus reditum apostolis nuntiant in albis vestibus apparent, et nos albis post baptismum induimur vestibus, ut munditiam teneamus in opere, quam accepimus in regeneratione, servantes et nostram innovationem, et angeli splendoris decorem [*Leg.* ut], dentur nobis singulæ stolæ albæ, spes videlicet immortalitatis, et æternæ felicitatis, ut cum propheta dicere possimus: *Gaudens gaudebo in Domino; et exsultavit Spiritus meus in Deo meo, quia induit me vestimentum salutis, et indumentum justitiæ circumdedit me.* Ille vestimenta ista

nos custodire faciat, qui ea dedit, ut de nobis dici possit quod in Apocalypsi scriptum est : *Beatus qui vigilat, et custodit vestimenta sua.* Quia ergo omnia in baptismi ratione redolent mysteriis, et exuberant sacramentis, opportunum erat ut novus homo nova acciperet vestimenta, et, purgatus veteris noxæ colluvione, candidarum vestium indueretur nitore. Moyses enim Aaron et filios ejus prius aquis lavit, et post lineis induit vestimentis, quia et noster verus Moyses, qui populum de Ægyptia servitute, de gentilitatis videlicet errore liberat, qui est Mediator Dei et hominum, sui nos inenarrabili sacramenti unda purificat, et bonorum operum indumentis exornat. Cujus facies, manifestatio videlicet Divinitatis ejus, testimonio legis et prophetarum in monte Ecclesiæ, ut sol, resplendet, et vestimenta ejus, id est sancti omnes efficiuntur, sicut **370** luna [*Leg.* lana] alba, vel sicut nix. Cui cum Apocalypsi gratias agamus, qui lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nostrum [*Leg.* nos] regnum sacerdotes [*Leg.* et sacerdotes] Deo et Patri suo, cui est gloria in sæcula sæculorum. Hoc etenim regnum, et sacerdotium, et visibili chrismatis unguento per ministerium sacerdotum, et invisibili Spiritus sancti gratia a Domino linitur.

« XV. Cujus unguenti sacramentum a Moyse primum, jubente Domino, in Exodo legitur compositum, et in Novo Testamento a Domino veraciter declaratum, qui unctus est a Patre oleo lætitiæ præ consortibus tuis [*Leg.* suis], cui non ad mensuram dat Deus Spiritum; quoniam in ipso habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter. Ipsi enim Ecclesia dicit : *Oleum effusum est nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Quia videlicet et a chrismate Christi, et a Christo Christianorum nomen exortum est. Ante adventum etenim ejus reges solummodo ungebantur et sacerdotes, qui etiam Christi vocabantur; post adventum vero ejus non solum reges et sacerdotes, sed omnis hac unctione consecratur Ecclesia, quia constat eam esse regnum et sacerdotium, et filios ejus reges et sacerdotes. Baptizatorum itaque capita chrismate liniuntur, et [*Leg.* ut] in regno et sacerdotio Ecclesiæ delibuti, et Christiani nominis prærogativam accipiant, et ejus membra qui eos redemit et eorum caput est effici valeant.

« XVI. Quia igitur idem Redemptor noster Rex est cui per Prophetam dicitur : *Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum, et dominatio tua in omni generatione et generationem*, qui diabolum, mortem et mundum mirifice triumphavit; et Sacerdotes [*Leg.* sacerdos est], cui per eumdem Prophetam dicitur : *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*, qui se Deo Patri in sacrificium obtulit; decentissimum est ut sancta ejus Ecclesia, quæ utique corpus ejus est, et regnum sit et sacerdotium, et nos in ea regenerati, qui ejus membra sumus, reges simus et sacerdotes : reges, ut et contra diabolum viriliter dimicemus, et administrationem vitæ nostræ admirabili dispensatione gubernemus; et sacerdotes, et in templo Dei sancto, quod sumus nos, altare fidei ædificantes bonorum operum ei hostias pacificas offeramus, et cum Apostolo dicamus : *Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos in omni Benedictione spiritali in cœlestibus, in Christo.* De quo altari fumus Orationum nostrarum ei quotidie ascendat, juxta illud quod ait Propheta : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo.* Capita itaque eorum qui regenerantur ex aqua et Spiritu sancto mystico velamine tegunt, ut eis per Petrum dicatur : *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Ut hoc velamine, et diadema regium, et sacerdotalis capitis velamentum significetur; et quia per caput mens plerumque in sacro eloquio accipi solet, juxta illud : *Respicite et levate capita vestra*, mens renatorum et regiæ dignitatis habeat ornamenta, et sacerdotalis verticis habeat tegumentum, ut et contra vitia sacerdotali velamine muniatur, et virtutum gemmis spiritaliter exornetur, et unctione sacrosancti chrismatis liniatur : quibus etiam septiformis gratiæ Spiritus per chrismatis unctionem conceditur, ut non solum sancti Spiritus, qui unius est cum Patre et Filio substantiæ, sed totius sanctæ Trinitatis habitaculum effici mereantur.

« XVII. Quod ergo presbyteris baptizatos chrismate ungere licet, Spiritum vero sanctum per manus impositionem tradere non licet, antiquus iste mos ab apostolis Ecclesiæ est traditus. Sic enim scribitur in Actibus apostolorum : *Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi, ut Paulus, peragratis superioribus partibus, veniret Ephesum, et invenisset quosdam discipulos, dixitque ad eos : Si Spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum : Sed neque si Spiritus sanctus est audivimus. Ille vero ait : In quo ergo baptizati estis? qui dixerunt : In Joannis baptismate. Dixit autem Paulus : Joannes baptizavit baptismo pœnitentiæ populum dicens in eum qui venturus est post ipsum ut crederent, hoc est* **371** *in Jesum. His auditis baptizati sunt in nomine Domini Jesu ; et cum imposuisset manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos, et loquebantur linguis, et prophetabant.* Item alio loco : *Cum audissent apostoli, qui erant Hierosolymis, quia recepit Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Joannem : qui cum venissent, oraverunt pro ipsis, ut acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Denique sciendum est quia sicut cætera baptismatis sacramenta per sacerdotes visibiliter fiunt, per Deum invisibiliter consecrantur, ita nimirum et Spiritus sancti gratia per impositionem manuum et ministerium episcoporum fidelibus traditur. Presbyteri vero, licet sint sacerdotes, pontificatus tamen apicem non habent. Hoc autem solis pontificibus deberi ut vel signent, vel Paracletum Spiritum tradant, non solum consuetudo ecclesiastica demonstrat, verum et superior illa lectio Actuum apostolorum, quæ asserit Petrum et Joannem esse directos, qui jam baptizatis traderent Spiritum sanctum. Nam presbyteris, sive absentibus sive præsentibus episcopis, baptizare et baptizatos chrismate ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; nec tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis, cum tradant [*Leg.* tradunt] Spiritum Paracletum. Qui Spiritus Paracletus septiformis etiam gratiæ dicitur, propter septenarii numeri mysterium, in quo summa perfectio intelligitur. Est enim compositus ex toto primo pari, et toto primo impari; ex toto primo pari, qui dividi potest, et ex toto primo impari, qui dividi non potest. Habet enim in septenario [*Leg.* ternario] mysterium Trinitatis, in quaternario Evangelii. Sive enim tres per quatuor, sive quatuor per tres multiplicentur, ad duodenarium numerum surgit. Quia mysterium sanctæ Trinitatis, et doctrina Evangelii per duodecim apostolos in quatuor mundi partes, Orientem videlicet et Occidentem, Septentrionem et Meridiem derivata est. Hic enim numerus in sacro eloquio pro perfectione poni consuevit. Consummatis enim Deus operibus suis, septimo die requievit. Et Enoch, qui septimus est ab Adam, cum Domino ambulavit, et ejus translatio spem nobis æternæ requiei contulit. Unde et jubilæus annus, in quo plenaria requies signatur, septem hebdomadibus conficitur. Septies enim septem fiunt XLIX, qui monade addito nostræ adunationis impletur. Hujus numeri perfectionem Propheta commendat, cum dicit : *Septies in die laudem dixi tibi.* Quod in alio Psalmo quasi exponens aperit, cum dicit : *Semper laus ejus in ore meo.* Nam et Joannes in Apocalypsi sua quod septem scribit Ecclesiis, generaliter universæ catholicæ creditur scripsisse Ecclesiæ. Unde ipse ait : *Qui habet aures audiendi audiat quid Spiritus dicat Ecclesiis.*

« De septenario interea numero qui in quibusdam Scripturæ locis universitatem seu perfectionem, in

quibusdam vero septiformis gratiæ spiritum significat, multa et in Veteri et in Novo Testamento habentur, quæ persequi longum est. Nunc videamus qualiter Isaias propheta ejusdem Spiritus septiformis dona enumeret. Cum enim de Christo, qui est virga virtutis Domini, prophetaret, ait : *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiæ et pietatis, et replebit eum Spiritus timoris Domini.* Super hunc florem, qui de virga Jesse, id est beatæ Mariæ semper virginis partu egressus est, requievit Spiritus Domini. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem divinitatis habitare corporaliter. Nequaquam per parentes [*Leg.* partes], ut in cæteris sanctis, quibus alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alii gratia virtutum, et cætera quibus unicuique datur secundum mensuram, sed plenissime. Unde et Apostolus ait : *Non ad mensuram dat Deus spiritum.* Et propheta : *Ecce puer meus quem elegi, electus meus, in quo* **372** *complacuit animæ meæ; ponam Spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* Ut enim in eo perpetua habitatione requiesceret, ad eum venit, juxta Joannis Baptistæ testimonium, qui ait : *Vidi Spiritum descendentem, quasi columbam, de cœlo, et mansit super eum, et ego nesciebam illum ; sed qui misit me baptizare, ille mihi dixit : Super quem videris Spiritum descendentem, et manentem super eum, ipse est qui baptizat in Spiritu sancto.* Qui Spiritus Domini [a] adimpleatur, et Spiritus sapientiæ [*Forte leg.* qui Spiritu... Spiritu sapientiæ], quia de Christo, qui est sapientia Dei, scriptum est : *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil;* et Psalmis [*leg.* in Ps.] canitur : *Quam magnificata sunt opera tua! Domine, omnia in sapientia fecisti.* Et in alio loco, ubi Trinitas aperte demonstratur, scriptum est : *Verbo Domini cœli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Quia per Christum, qui est Verbum Domini, id est Patris, de quo scriptum est : *In principio erat Verbum*, cœli, videlicet, sancti prædicatores, qui enarrant gloriam Dei, facti sunt, et Spiritu sancto, qui est eorum consubstantialis, qui ab utroque procedit, omnis virtus eorum. Quia omnium sanctorum ornatus Spiritus sancti inspiratione subsistit. Et Apostolus scribit : *Christus Dei virtus, et Dei sapientia.* Et in Proverbiis legitur : *Deus in sapientia sua fundavit terram, et paravit cœlos in prudentia.* Et quomodo idem sermo Domini vocatur lux et vita et resurrectio; sic Spiritus sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, et scientiæ et pietatis, ac timoris Domini nuncupatur. Non quod diversus sit juxta differentias nominum, sed unus atque idem cunctarum virtutum fons sit atque principium. Absque Christo igitur nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec plenus timore Domini. Et hoc sciendum est, quod Spiritus Domini, sapientiæ et intellectus, consilii et fortitudinis, scientiæ et pietatis, ac timoris Domini, id est septenarius numerus, qui septem oculi in uno lapide dicuntur Zachariæ, requiescat super virgam ac florem qui de Jesse, ac per hoc [*Leg.* hunc] stirpe David surrexit. Hunc enim Spiritum, qui a Patre Filioque procedit, idem Dominus apostolis, et per apostolorum et eorum successorum ministerium sanctæ suæ tribuit Ecclesiæ : cujus dona, quanquam eximius [*Leg.* eximii] [b] Spiritus fonte procedant, videntur quodammodo quasdam habere proprietates. Aliud enim est sapere, aliud intelligere. Quia multi æterna quidem sapiunt, sed hæc intelligere minime possunt. Sapientia ergo mentem quam insederit de æternorum spe [c] æternitudine replet. Intellectus eo quod secreta penetrat, cor quod tetigerit, reficiendo, ejus tenebras illustrat. Consilium dum esse aliquem præcipitem prohibet, ratione animum replet. Fortitudo vero cum adversa non metuit, trepidanti menti fiduciam præbet. Scientia cum ignorantiam fugat, lumine suo eum quem repleverit illustrat. Pietas misericordiæ operibus eum quem repleverit exuberare concedit. Timor dum premit mentem, ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei refectione confortat. Sic enim quodam adminiculo sui invicem sibi succurrunt, ut dum alia aliæ suffragatur, vitæ ordo et status decentissime componatur. Minor quippe est sapientia si intellectu careat, et valde inutilis intellectus est, si ex sapientia non subsistat, quia cum altiora sine sapientiæ pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruituram levat. Vile est consilium, cui robur fortitudinis deest, quia quod tractando invenit, carens viribus usque ad perfectionem operis non perducit; et valde fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur, quia quod [*Leg.* quo] plus se posse conspicit, eo virtus sine rationis moderatione deterius in præceps ruit. Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet, quia dum bona cognita exsequi negligit, se ad judicium arctius stringit. Et valde inutilis est pietas, si scientiæ discretione caret, quia dum nulla hanc scientia illuminat, quomodo misereatur ignorat. Timor quoque ipse has etiam virtutes si non habuerit, ad nullum opus procul dubio bonæ actionis surgit; **373** qui dum ad cuncta trepidat, ipsa sui formidine bonis omnibus torpens vacat.

Summopere itaque observandum est, et ipsius sancti Spiritus adjutorium implorandum, ne sapientia elevet; ne intellectus, dum subtiliter currit, aberret; ne consilium, dum se multiplicat, confundat; ne fortitudo, dum fiduciam præbet, præcipitet; ne scientia, dum novit ut [*Leg.* et] non diligit, inflet; ne pietas, dum se extra rectitudinem inclinat, intorqueat; ne timor, dum plus justo trepidat, in desperationis foveam mergat.

Sciendum sane quod hæ donorum spiritalium distributiones in corpore Christi, quod est Ecclesia, his fulciantur adminiculis; in eo vero, qui est fons luminis et origo bonitatis, plene atque perfecte, incomparabiliter atque ineffabiliter regnent. Sapientia namque, quæ et in Virginis utero sibi corpus, et in mundo Ecclesiam ædificavit, habet Spiritum sapientiæ, quo omnia sapienter; intelligentiæ, quo cuncta arcana secretorum rimatur; consilii, quo cuncta cum magna dispensatione gerit, quia est magni consilii angelus; fortitudinis, quia attingit omnia a fine usque ad finem fortiter, et a nullo vinci potest; scientiæ, quia nihil ignorat, exceptis his quibus dicturus est nescio vos; pietatis, quia hominem, [d] quem bonitatem [*Leg.* per bonitatem] creavit, in justitia damnavit, pietate redemit; timoris, propter eos qui timore Domini indigent, quia parvuli sunt, quibus per prophetam dicit : *Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos.* Quia ergo ille, ad infirma nostra descendens, exinanivit semetipsum; formam servi accipiens, humiliavit semetipsum usque ad mortem, et inclinavit se ad ipsum, ut nos jacentes ad se erigeret, non inconvenienter Spiritus Domini, qui super eum requiescit, a sapientia incipit, et per decentissimos gradus ad timorem usque descendit. Nos vero a timore quem foras charitas mittit, venientes ad timorem castum qui permanet in sæculum sæculi, [e] pervenimus ad pietatem [*Leg.* a pietate], ut pietatis operibus exornati veniamus ad scientiam non quæ inflat, sed quam charitas ædificat, a scientia ad fortitudinem, ut scientiæ decore exornati fortiter contra vitia dimicemus; a fortitudine ad consilium, ut ea quæ fortiter agimus consilii gravitate muniamus; ut actibus nostris consilio obtemperatis [*Leg.* attempe-

[a] Legendum *appellatur*, ut in Editione Sirmondi.

[b] Legendum *ex unius spiritus fonte.*

[c] Lege *et certitudine.*

[d] In Ed. Sirm., *quem bonitate creavit, justitia damnavit.*

[e] Lectio hæc mihi præferenda videtur; neque placet notata in margine animadversio.

ratis], ad arcana intellectus intrantes ad eam veniamus sapientiam quæ initium habet timorem Domini, ut sapienter omnia complentes, et intellectum bonum faciendo habentes, illi sapientiæ admitti valeamus per quam facta sunt omnia, quæ et ante sæcula a Patre ineffabiliter genita est, et in fine sæculorum carnem, nostræ salutis causa, dignata est accipere, cum carnem fidelibus suis edendam tribuit, cum dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

« XVIII. Propter hanc vitam adipiscendam et baptizamur, et ejus carne pascimur, et ejus sanguine potamur. Quia nequaquam possumus in ejus corpus transire, nisi his sacramentis imbuamur. Sic enim ipse ait: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; et qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo.* In illo est enim sacrificium salutare. Quod et in veteri testamento Melchisedech rex Salem in typo corporis et sanguinis Domini obtulit, et in novo idem Mediator Dei et hominum antequam traderetur, adimplevit, cum accipiens panem et calicem, et benedicens eis, et tradens discipulis suis, hæc in sui commemorationem fieri præcepit. Hoc ergo mysterium offerre de sacrificii relictis ac finitis veteribus hostiis Ecclesia celebrat, offerens panem propter panem vivum qui de cœlo descendit, vinum pro eo qui dixit: *Ego sum vitis vera*, et [*Leg.* ut] per visibilem sacerdotum oblationem, et visibilem [*Leg.* invisibilem] Spiritus sancti consecrationem, panis et vinum in corporis et sanguinis Domini transeant dignitatem. Cui sanguini admiscetur aqua, sive quia de latere Domini cum sanguine fluxit; quia, ut majores intelligi volunt, sicut per vinum **374** Christus, ita et per aquam populus significatur. Vinum enim et aqua inseparabiliter in calice miscentur, quia et Ecclesia capiti suo inseparabiliter injuncta cohæret. Morem ergo accipiendæ Eucharistiæ a Domino traditum Ecclesia tenet, ut cum ex aqua et Spiritu sancto quis renascitur, corpore Domini pascatur, et sanguine ejus potetur; ut in corpore Christi trajecto ille maneat, et Christus in eo; ut istius cibi fortitudine roboratus, exemplo Eliæ, veniat usque ad montem Dei, Christum videlicet, qui mons domus Domini præparatus in vertice montium, et ejus dono ad æternæ beatitudinis gloriam perveniat, ubi satietur in bonis desiderium ejus, et cum Propheta dicere possit: *Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo, satiabor cum manifestabitur gloria tua.* » Hactenus Theodulphus de ordine baptismi, in quem paucula hæc notare libuit.

In epistola dedicatoria auctor se Theodulphum nominat, qui sane non est alius quam Theodulphus episcopus Aurelianensis, qui doctrina et pietate floruit, imperantibus Carolo Magno (cujus meminit in hac epistola) et Ludovico Pio. Joannes ille cui libellum dedicat Theodulphus, fuit episcopus Arelatensis ipsi Theodulpho æqualis sub iisdem imperatoribus. Illius mentio fit in præfatione concilii Arelatensis VI, sub Carolo Magno celebrati. Mittitur cum Theodulpho [illegible] a Ludovico Pio obviam Stephano IV papæ Rhemos appropinquanti, ut testatur auctor Vitæ Ludovici Pii, quem nonnulli Ademarum esse putant. In eadem epistola hæc vocabula, [a] *quod jussisti*, redundare videntur. Primates sunt regni proceres, magnates, summates, legis Visigothorum lib. III, titul. 1, l. 5, *Ut quicunque ex palatii nostri primatibus.*

Cap. 1 agitur de catechumenis. Quid sit catechumenus docet sanctus Isidorus lib. VIII Orig., cap. 14: *Catechumenus dictus pro eo quod adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum percepit; nam* Κατηχούμενος *Græce auditor dicitur.* Quod etiam clarum est ex Luciano, in Philopatri: Ἀλλὰ κατηχούμενος πείθου παρ' ἐμοῦ, εἴπερ ζῆν χρήζεις εἰς τὸν αἰῶνα. Id est: et catechumenus factus a me persuadearis, si in ævum vivere cupis. Quare a Latinis Patribus catechumenus dicitur *auditor, et audiens.* Ita loquitur Tertullianus, lib. de Pœnitentia: *Nemo ergo sibi aduletur, quia inter auditorum tyrocinia deputetur.* Et paulo post: *Hæc enim prima audientis instinctio est, metus integer.* Et paulo post: *Itaque audientes optare intinctionem, non præsumere oportet.* Et sanctus Cyprianus, epist. 13: *Audientibus etiam, si qui fuerint periculo præventi, et in exitu constituti, vigilantia vestra non desit.* Et epist. 24: *Optatum inter lectores doctorem audientium constituimus.* Erant et alii audientes, sed pœnitentes, qui erant in secundo pœnitentium gradu, ut infra docebitur. Duplex fuit olim catechumenorum gradus: primus est incipientium, rudium et imperfectiorum; secundus est perfectiorum, qui competentes dicebantur, omnesque ii tum competentes tum incipientes in Ecclesia Scripturas audiebant. Incipientes et rudes erudiebantur summatim tantum de Dei operibus, de mundi atque hominis creatione, de iis præsertim quæ sunt in utroque Testamento admirabiliora, et de charitate pura, et minime ficta, ut planum est ex cap. 3 libri sancti Augustini de catechizandis Rudibus: *Narratio plena est cum quisque primo catechizatur ab eo quod scriptum est: Fecit Deus cœlum et terram, usque ad præsentia tempora Ecclesiæ; non tamen propterea debemus totum Pentateuchum, totosque Judicum et Regnorum et Esdræ libros, totumque Evangelium et Actus apostolorum, vel si ad verbum ea edidicimus, memoriter reddere, vel nostris verbis omnia quæ his continentur voluminibus narrando volvere et explicare, sed nec tempus capit, nec ulla necessitas postulat, sed cuncta summatim generalimque complecti, ita ut eligantur quæ mirabiliora, quæ suavius audiantur*, etc. Hæc patent etiam ex Luciano, **375** in Philopatri, ubi Triephon Christianus ea quæ quondam a sancto Paulo eductus fuerat, quemdam Critiam, qui Christianus fieri cupit, docet in hunc modum: Ἐγὼ γάρ σε διδάξω τί πᾶν, καὶ τίς ὁ πρὸ τῶν πάντων, καὶ τί τὸ σύστημα τοῦ παντός. Id est: Docebo te quid sit universum, et quis fuerit ante omnia, et quæ sit universi constitutio, etc. Et infra: TRIEPHON: *Legistine aliquando Aristophanis comici fabulam, aves?* CRITIAS: *atque admodum.* TRIEPHON. *Scriptum ab eo tale quippiam ibi est.*

Χάος ἦν, νὺξ, ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον, καὶ τάρταρος εὐρύς
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν.

Id est: *A principio chaos erat, et nox et tenebræ nigræ erant, et tartarus altus, nulla autem terra, aer, aut cœlum adhuc.* CRITIAS: *Recte dicis, quid autem postea?* TRIEPHON. Ἦν φῶς ἄφθιτον, ἀόρατον, ἀκατανόητον, ὃ λύει σκότος, etc. Id est: *Erat lux incorruptibilis, incomprehensibilis, quæ dissolvit tenebras, et informitatem ubegit, verbo solo dicto ab ipsa, quemadmodum tardilinguis iste* (Moysen intelligit) *descripsit. Terram formavit super aquas, cœlum explanavit, stellas formavit fixas, cursum ordinavit, quas tu veneraris ut Deus. Terram autem et floribus exornavit, hominem ex nihilo ad essentiam perduxit, estque in cœlo aspiciens justos pariter et injustos, et in libris describens cujusque res et actiones*, etc. Et infra: *Bona verba, neque quidquam contemptum, et vile de Deo dextero loquaris, sed* κατηχούμενος *persuadearis a me, si cupis in ævum vivere*; εἰ οὐρανὸν ὡς δέῤῥιν ἐξήπλωσε, γῆν δὲ ἐφ' ὕδατος ἔπηξεν, etc. Id est: *Nam si cœlum explanavit ut pellem, terram autem firmavit super aquas, stellas formavit, hominem ex nihilo produxit, quid mirum adeo, si res quoque omnium ita describantur.* Audiebant quidem mysteria, sed non intelligebant; audiebant Scripturas, sed sensum earum ignorabant, ut planum est ex sancto Cyrillo in præfatione Catecheseon. Perfecti autem erant, qui primo gradu defuncti, dato nomine, tanquam Dei militiæ inscripti, divina mysteria docebantur, ut clarum est ex eodem Cyrillo, præfatione citata. Eis symbolum tra-

[a] Quæ supra inter uncinos includuntur.

debatur, hoc est omnes illius articuli enucleatius illis exponebantur, ut videre est quatuor libris sancti Augustini de symbolo ad catechumenos; quod non fit in libro de catechizandis Rudibus, cum prioris gradus catechumenorum gratia duntaxat scriptus sit. Id etiam planum est ex sancto Joanne Chrysostomo, catechesi prima, in qua scribit perfectiores post annum catechumenatus triginta dierum spatio μυσταγωγεῖσθαι, id est, mysteriis imbui religionis. Hujusmodi catechumeni dicebantur competentes, eo quod baptismum peterent, ut scribit sanctus Isidorus lib. I de Offic. Eccl., cap. 27, et lib. II, cap. 21; et lib. VII Orig., cap. 14 : *Competens vocatur qui post instructionem fidei competit gratiam Christi, unde et a petendo competens vocatur.* Sed cum dicit : *post instructionem fidei*, intelligendus est de illa rudiorum catechumenorum instructione quibus audire mysteria nefas erat. Et sanctus Augustinus, lib. de Fide et operibus, cap. 6 : *Cum fontis illius sacramenta peteremus, atque ob hoc competentes etiam vocaremur.* Competentium meminit sanctus Ambrosius, lib. V, epist. 33 : *Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.*

Fiebant autem catechumeni per signum crucis quo in frontibus signabantur, ut palam est ex sancto Augustino, lib. I Confessionum, cap. 11, infra citando; et lib. II de Symbolo ad catechum. : *Non quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in utero sanctæ matris Ecclesiæ jam concepti estis.* Et lib. IV : *Dum per sacratissimum crucis signum vos suscepit in utero sancta mater Ecclesia, quæ, sicut et fratres vestros, summa cum lætitia spiritaliter pariet*; lib. de catechizandis rudibus, cap. 20 : *Cujus passionis et crucis signo in fronte tanquam in poste signandus es, omnesque Christiani signantur*; et cap. 26 ejusdem lib. : *Quod si responderit solemniter, utique signandus est, et Ecclesiæ more tractandus*; et lib. II de peccatorum Meritis et remissione, cap. 26, mox citando. In Codice Ratoldi signatur catechumenus in fronte et in pectore, ut habetur in his ejusdem Codicis **376** formulis : *Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in fronte tua pono. Signum Salvatoris Domini nostri Jesu Christi in pectore tuo pono.* Ita etiam in Codice Rhemensi, in formula faciendi catechumeni ex gentilitate conversi, quæ unica est in hunc modum : *Accipe signum crucis tam in fronte quam in corde*, etc.

Præter signum crucis manus impositio etiam adhibebatur, ut testatur sanctus Augustinus, lib. II de peccatorum Meritis et remissione, cap. 26 : *Nam et catechumenos secundum quemdam modum suum per signum crucis et Orationem manus impositionis puto sanctificari.* Idem patet ex Codice Rhemensi, in creatione catechumeni ex gentilitate conversi, ubi et mentio sit sufflationis : *Gentilem hominem cum suscipere* (subaudi τὸ vis) *in primis catacizas eum divinis sermonibus, et das ei monita, quemadmodum post cognitionem veritatis vivere debeat : et post hæc facis eum catechuminum, et sufflas in faciem ejus, et facis ei crucem, et ponis manum super caput ejus in his verbis : Accipe signum*, etc., supra. Hæc manus impositio non exstat in Codice Ratoldi.

Sal etiam in os catechumeni immittebatur, sed de hac re infra. Cap. 2 Hierarch. eccl. Dionysii mentio fit signi crucis, et manus impositionis, quæ tamen ibi non adhibentur ineunte catechumenatu, seu fidei tyrocinio, cum tyro Christianus primis religionis imbuitur elementis, sed cum accedit ad baptismum, ut ibidem videre est.

In cap. 3 fit signum crucis per exsufflationem. Insufflationis seu exsufflationis meminere Dionysius, cap. citato; Cyrillus, catechesi 2 mystag.; sanctus Augustinus, lib. IV de Symbolo ad catechumenos, et multi alii. Ter insufflatur Satanas converso catechumeno ad plagam occidentalem, ut scribit sanctus Dionysius cap. citato. Hac insufflatione significatur Christianum exsecrari et abominari Satanam. Sed duplex hujus exsufflationis apparet modus; nam apud Dionysium, cap. citato, catechumenus a pontifice jussus ipsum Satanam exsufflat : Ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῷ τρὶς διακελεύεται τῷ Σατανᾷ, id est, ter Satanam insufflare jubet. At apud Alcuinum, cap. de Sabbato sancto, lib. de Offic. divinis, et in epist. ad Carolum Magnum, Theodulphum, hoc loco, et in Codice Rhemensi, exsufflatio fit a sacerdote, seu clericis. Quod etiam testatur auctor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus inter opera sancti Augustini, cap. 31 : *Illud etiam quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu, cum sive parvuli, sive juvenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem vitæ adeant quam exorcismis et exsufflationibus clericorum spiritus ab eis immundus abigatur.* Quod satis innuere videtur sanctus Cyrillus, cum ait, citata catech. : Ὥσπερ γὰρ τὰ ἐμφυσήματα τῶν ἁγίων, etc., id est : *Nam ut insufflationes sanctorum et nominis Dei invocatio tanquam vehementissima quædam flamma urit dæmonas, et in fugam convertit.* Utrumque modum nunc observant Græci, ut manifestum est ex eorum Euchologio, ubi primo sacerdos ter in catechumeni faciem insufflat, et post tertium exorcismum idem sacerdos insufflat in os, frontem et pectus catechumeni, et post abrenuntiationem jubetur catechumenus insufflare et conspuere Satanam. In concilio Constantinopolitano primo, can. 7, mentio fit insufflationis, et insufflatur catechumenus in faciem et in aures. In eodem capite Theodulphi, in his verbis, *ut exire* τὸ *ut* redundat. His verbis, *qui et discipulos suos*, etc., hæc sunt præponenda vocabula, *exemplo Christi*, aut his similia.

Cap. 4 agitur de exorcismo, quem ipse Theodulphus scribit esse sermonem increpationis, juxta sanctum Isidorum lib. II de Offic. divinis, cap. 20, quia exorcistæ diabolum multis increpationibus lacessunt. Exorcismorum ante baptismum meminere sanctus Cyrillus in præfatione Catecheseon; sanctus Gregorius Theologus, orat. in sacrum lavacrum : Μὴ διαπτύσῃ ἐξορκισμοῦ θεραπείαν, id est : Ne rejicias exorcismi medicinam; sanctus Augustinus, lib. de Fide et operibus, lib. IV **377** de Symbolo ad catechumenos, et nonnullis aliis libris; sanctus Joannes Chrysost., catech. 1; sanctus Ambrosius, lib. I de Sacramentis, cap. 5 : *Nam ubi primum Sacerdos ingreditur, exorcismum facit*; et multi alii. Nulla tamen habetur mentio explicita cap. 2 Hierar. eccl. Dionysii. Quidam tamen putant Orationem illam quam dicit a pontifice una cum tota Ecclesia absolvi, esse exorcismum, cum videamus in Euchologio Græcorum tertium exorcismum esse in modum Orationis. Qui exorcizabantur, velata facie audiebant exorcismos, ut scribit sanctus Cyrillus in præfatione Catecheseon, ἐσκέπασταί σου τὸ πρόσωπον, id est, tua velatur facies; et rationem reddit, ne vagis oculis mens etiam vagetur : stabant discincti, ablata veste, cum sola tunicella, et nudis pedibus, ut videre est catechesi supra citata sancti Joannis Chrysostomi, ἀπολύσαντες ὑμᾶς, καὶ ἀποδύσαντες γυμνοὺς καὶ ἀνυποδέτους μετὰ τοῦ χιτωνίσκου μόνου πρὸς τὰς τῶν ἐξορκιζόντων παραπέμπουσι φωνάς. Id est : Discingentes vos, et exuentes, et sine calceis cum sola tunicella mittunt ad exorcizantium voces. Cap. 2 eccl. Hierar. sanctus Dionysius : ἀπολύει μὲν αὐτὸν, καὶ ἀπαμφιέννυσι διὰ τῶν λειτουργῶν. Id est, discingit eum, et exuit per ministros, et infra in Theoria, γυμνὸν καὶ ἀνυπόδετον ἵστησι πρὸς δυσμὰς ἀφορῶντα. Id est : nudum et discalceatum statuit respicientem ad Occidentem.

Hanc pedum nuditatem sanctus Augustinus infra citandus appellat humilitatem pedum. Quod etiam hodie observant Græci, ut ex eorum Euchologio manifestum est. In pedes erigebantur, ut colligitur ex sancto Basilio in exhortatione ad baptismum : Οὐκ ἐπὶ πόδος διαστῆναι, id est, non in pedes erigi; ibi loquitur de clinicis, qui morbi gravitate coacti baptismum accipiebant; nec, ut statutum erat, poterant

pedibus stare, qui et in Oratione genu flectebant, ut ibidem videre est, Οὐ κλίναι γόνυ εἰς τὴν προσκύνησιν, id est, nec genu flectere in adoratione. Quid simile videtur in epistola Jesse Ambianensis, et in Codicibus Rhemensi et Ratoldi : *Et admonentur a diacono : Orate, electi, Flectite genua. Postquam oraverint, iterum dicit : Levate.*

Capite 5, agitur de sale quod ibi sacramentum catechumenorum appellatur. Hæc verba, *ut ejus gustu condimentum sapientiæ percipiant*, *neque a sapore Christi desipiant*, sumpta sunt ex sancto Isidoro, lib. II de Offi. ecclesiasticis, cap. 20, ex quo reposui verbum *desipiant*, cum in Cod. ms. nostro legatur corrupte *decipiantur*, et subaudiendum est τὸ *alieni* vel quid simile. Hujus ritus meminit Isidorus cap. citato, et sanctus Augustinus, lib. I Confess., cap. 11 : *Audieram enim ego adhuc puer de vita æterna nobis promissa per humilitatem Filii tui Domini Dei nostri descendentis ad superbiam, et signabar jam signo crucis, et condiebar ejus sale.* Etsi nonnulli hæc ultima vocabula de sale divinæ gratiæ interpretentur, qua nimirum ille conditus erat, quod non ita facile admiserim; etenim si adhibito maturo judicio res pensitetur, ibi de suo catechumenatu agit sanctus Augustinus qui consistit in his tribus quæ hic recensentur, auditu, signo crucis et salis susceptione, quo divinæ sapientiæ sal, quo debet condiri catechumenus, significatur, abstinendo a vitiis per Dei gratiam, et virtutes amplectendo, a qua vitæ ratione multum aberrabat ipse Augustinus, ob ejus pueritiam multis vitiis conspurcatam, ut videre est antecedentibus et consequentibus ejusdem libri capitibus, qui quidem sal materiale susceperat, et ab eo quod per illud significatur toto cœlo recesserat, sale mundi jam infatuatus. Mentio etiam exstat in concilio Carth. III, can. 5 : *Item placuit ut etiam per solemnissimos paschales dies sacramentum catechumenis non detur, nisi solitum sal, quia si fideles per illos dies sacramentum non mutant, nec catechumenis oportet mutari.* Hinc capiendus est sanctus Augustinus, lib. II de peccatorum Meritis et remissione, cap. 26 : *Et quod accipiunt, quamvis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, et sanctius quam cibi quibus alimur, quoniam sacramentum est.* Et cap. 26 libri de catechizandis Rudibus : *De sacramento sane quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit signacula quidem rerum divinarum esse visibilia,* **378** *sed res ipsas invisibiles eis honorari.* Nec credendum est duobus his sancti Augustini locis intelligi Eulogias, hoc est panem benedictum, nam ex concilio supra citato unicum erat catechumenorum sacramentum, nempe sal, quod nunquam mutari debet, neque per solemnissimos paschales dies, quia fideles, hoc est baptizati per dies illos non mutant sacramentum. Neque hoc concilio panis benedictus prohibitus est catechumenis, sed ne mutetur eorum sacramentum etiam per dies paschales, quia his diebus baptizati non mutant. Cum igitur sanctus Augustinus his duobus locis non explicet quid sit sacramentum catechumenorum, rite per citatum concilii locum explicatur quid sit catechumenorum sacramentum apud sanctum Augustinum. Nec dicendum est morem hunc fuisse tempore sancti Augustini dari catechumenis panem benedictum sacramenti loco, quia id manifeste repugnat concilio cui sanctus Augustinus interfuit, in quo sal solitum dicitur esse catechumenorum sacramentum, sed abusus qui sensim introducebatur ab eo tollitur. Sacramentum autem his locis citatis non sumitur pro sacramento proprie dicto, sed pro eo quod mysticum est. Græci hoc ritu carent; qui non inveniuntur apud antiquos eorum Patres, nec in libro Severi Alexandrini patriarchæ, neque in eorum Euchologio in sequentia de baptismo.

Cap. 6 agit Theodulphus de Symboli significatione, illiusque institutione juxta Rufini lib. de Expositione symboli, et sancti Isidori, lib. II eccl. Offic., cap. 1, doctrinam. Hoc Symbolum dabatur competentibus, hoc est illis catechumenis quibus fidei mysteria explicare fas erat, ut testatur sanctus Isidorus cap. citato. Traditionis Symboli meminit sanctus Augustinus lib. II de Symbolo ad catechumenos : *Purgata itaque familia Redemptoris, posteaquam cantavit canticum salutis, accepit Symboli remedium contra antiqui serpentis venenum; ut si quando voluerit adversarius diabolus denuo insidiari, noverit redemptus cum Symboli sacramento et crucis vexillo ei debere occurri*; et sanctus Ambrosius, lib. V, epist. 33, *sequenti die* (*erat autem Dominica*) *post lectiones atque tractatum dimissis catechumenis Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ.* Tradebatur Symbolum competentibus in Dominica Palmarum, ut refert sanctus Isidorus, lib. I de Offic. eccl., cap. 27 ; additque rationem : *Hoc die competentibus traditur propter confinem Dominicæ Paschæ solemnitatem, ut qui jam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confiteantur agnoscant.* In Gallia idem fere mos olim servabatur; nam ante octo dies Paschæ competentibus Symbolum tradebatur, ut statuitur in concilio Agathensi, can. 12 : *Symbolum etiam placuit in omnibus Ecclesiis una die, id est ante octo dies Dominicæ Resurrectionis publice in Ecclesia competentibus tradi.* Hæc autem traditio Symboli nihil aliud est quam mysteriorum quæ in eo continentur expositio. Dicit Theodulphus fidei nostræ Symbolum ab apostolis fuisse compositum, quod præter Rufinum et Isidorum supra citatos confirmat sanctus Hieronymus epist. ad Pammachium adversus errores Joannis Hierosolymitani : *In Symbolo fidei, et spei nostræ, quod ab apostolis traditum, non scribitur in charta et atramento*, etc.

Cap. 7, exponit fidem Theodulphus, quæ in Symbolo continetur. Sed cum ait Christum non esse Filium Dei adoptivum, ostendit se esse orthodoxum, nec consentire hæresi suo tempore in Hispania natæ, quam Elipantus Toletanus, et Felix Urgelitanus pontifices defendebant, asserentes Christum esse Filium Dei adoptivum, quos multis libris refutavit Alcuinus. Dicit Theodulphus Christum natum esse de Spiritu sancto, quia olim in quibusdam exemplaribus Symboli ita scriptum fuit, ut videre est apud sanctum Augustinum, lib. I et II de Symbolo, et apud Rufinum, in expositione Symboli. Sed statim mentem suam aperit Theodulphus : *Id est ut Spiritu sancto cooperante verum sibi corpus ex Virgine Dei Filius assumpserit.* Hæc verba, *id est Dei Filius*, corrupta sunt, et legendum est *qui est Dei Filius.* Notandum etiam illud est quod infra scribit Spiritum sanctum ex Patre Filioque **379** procedere, in quo etiam se ostendit orthodoxum, maxime cum illius ætate mota quæstio esset de processione Spiritus sancti a Joanne monacho Hierosolymitano, qui negabat Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere; cujus rei causa Carolus Magnus, anno Domini 809, concilium episcoporum Aquisgrani coegit, misitque Bernharium episcopum, et Adalardum abbatem Corbeiensem ad Leonem III papam, hujus quæstionis definiendæ gratia, ut scribunt Eginhardus in gestis Caroli Magni, quidam monachus Egolismensis, in Vita Caroli Magni, anonymus, in Vita ejusdem imperatoris, et Annales Fuldenses ad præfatum annum.

Cap. 8 agitur de scrutinio, hoc est de examine, ut vocat sanctus Augustinus, baptizandorum : non temere olim dabatur baptismus, sed baptizandorum vita et intentio diligentius examinabantur, ut testatur Tertullianus lib. de baptismo : *Cæterum baptismum non temere credendum esse sciant, quorum officium est. Omni petenti te dato, suum habet titulum, proinde ad eleemosynam pertinentem. Imo illud potius perspiciendum. Nolite sanctum dare canibus, et porcis projicere margarita vestra.* Sanctus Augustinus, lib. de Fide et operibus, scrutinii meminit, cum ait : *Quales sint ipsis diebus, quibus catechizantur, scrutantur, exorcizantur, scrutantur.* Vide eumdem, lib. de catechizandis Rudibus. Subjungit Theodulphus : *Hunc enim morem Ecclesia conservare consuevit, ut per aliquod dierum spa-*

tium, etc. His verbis agit de competentibus qui Dominica Palmarum nomen suum dabant, et scrutinium subire tenebantur, ut supra docuimus. Hi se conferebant in Ecclesiam, humiliata cervice prostrato cilicio nudis pedibus, insufflabantur, exorcizabantur, Satanæ renuntiabant ejusque pompis et operibus, symbolum eis tradebatur, id est exponebatur, jejunia eis indicebantur, quæ usque ad baptismi diem servare deberent cum abstinentia ab uxoribus, quæ omnia plana fient ex subjectis sancti Augustini locis, et primo quidem ex lib. II de Symbolo ad catechumenos, cap. 1 : *Quid est, dilectissimi, quod in vobis celebratum est? quid est quod hac nocte circa vos actum est? quod præteritis noctibus actum non est, ut ex locis secretis singuli produceremini in conspectu totius Ecclesiæ, ibique cervice humiliata, quæ male antea fuerat exaltata, in humilitate pedum cilicio substrato in vobis celebraretur examen, atque ex vobis exstirparetur diabolus superbus, dum super vos invocatus est humilis altissimus Christus. Omnes itaque humiles eratis, humiliterque petebatis, orando, psallendo, atque dicendo : Proba me, Deus, et scito cor meum; probavit, examinavit corda servorum suorum.* Et cap. 1 lib. IV : *Omnia sacramenta quæ acta sunt et aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritalibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, humilitate pedum, pavor iste omni securitate appetendus*, etc., et lib. de Fide et operibus, cap. 6 : *Quo sine dubio non admitterentur, si per ipsos dies, quibus eamdem gratiam percepturi, suis nominibus datis, abstinentia, jejuniis, exorcismisque purgantur, cum suis legitimis et veris uxoribus se concubituros profiterentur, paucis ipsis solemnibus diebus nullam continentiam servaturos.* Traditionis nominis hoc loco fit mentio, traditionis symboli lib. II de Symbolo, cap. 1 : *Purgata itaque familia Redemptoris, accepit Symboli remedium contra antiqui serpentis venenum;* et lib. IV, cap. 1 : *Accepistis et Symbolum protectionem parturientis contra venena serpentis.* Renuntiationis diabolo meminit lib. I de Symbolo ad catechumenos, cap. 1 : *Si adjutorium vestrum in nomine ejus est, renuntiemus diabolo et pompis et angelis ejus. Hoc audistis, hoc et vos professi estis renuntiare vos diabolo, et pompis et angelis ejus.* Pœnitentiæ ante baptismum meminit etiam Tertullianus lib. de Baptismo sub finem : *Ingressuros baptismum Orationibus crebris et jejuniis geniculationibus et pervigiliis orare oportet, et cum confessione omnium retro delictorum;* et concilium Carthaginense IV, **380** can. 85 : *Baptizandi nomen suum dent, et diu sub abstinentia vini et carnium*, etc., ubi legendum puto [a] *aliquandiu*, pro *diu*. Nam sanctus Augustinus, cap. 6 libri de Fide et operibus dixit : *Paucis ipsis solemnibus diebus;* cui subscribit sanctus Isidorus lib. I de Offic., cap. 27, cum ait competentes creari Dominica Palmarum, ii enim erant qui exorcismis et ejusmodi pœnitentiæ subjiciebantur, ut videre est apud sanctum Augustinum eodem capite; ac proinde liquido constat hanc pœnitentiam non fuisse diuturnam; quod satis innuit Tertullianus loco citato, cum dixit τὸ *ingressuros.*

Apud Orientales seu Græcos fuit hæc quadraginta dierum pœnitentia, ut planum est ex præfatione sancti Cyrilli ad eos catechumenos qui nomen dederant ut baptismum susciperent : Πολλὴ σοι ἡ προθεσμία, τεσσαράκοντα ἡμερῶν μετάνοιαν ἔχεις. Id est : Tempus præscriptum tibi multum est, quadraginta dierum pœnitentiam habes. Ibi sanctus Cyrillus loquitur ad eos catechumenos qui dato nomine baptismum appetebant, admonens eos quanta cum puritate cordis hoc sacramentum suscipere debeant; quod si forte peccandi voluntatem non omnino exuerint, hortatur ut dum quadraginta dierum tempus pœnitentiæ præstitutum habent, omnem prorsus peccati affectum a se procul amendent. Nec dicendum est ejusmodi hominum baptismum in Pentecosten usque perendinari, quo sapere discant, ac proinde hos quadraginta dies esse de illis quadraginta diebus qui sunt ante Pentecosten intelligendos, eo quod hæc præfatio paucis ante Pascha diebus a sancto Cyrillo recitata sit. Sed prior sententia potior est : 1° quia probari non potest ejusmodi præfationem fuisse paulo ante Pascha a sancto Cyrillo recitatam. 2° Si paucos dies saltem hebdomaden sumamus ante Pascha, ab initio illius hebdomades septem et quinquaginta dies intercedent usque ad Pentecosten. 3° vocabulum προθεσμία, quod tempus præscriptum seu præstitutum significat, contrariæ sententiæ adversatur. Si enim tempus quadraginta dierum præscriptum est catechumenis baptisma petentibus ad eos instruendos et agendam pœnitentiam, signum est omnes huic præscripto obnoxios fuisse. Sed hoc XL dierum spatium amplius probatur ex ipso Cyrillo, siquidem catech. 1, adhortans baptismum petentes ad ea quæ mundi sunt ableganda, sic ait : *Mundana hæc omnino postpone, parva enim sunt quæ relinquis, maxima vero quæ dantur a Domino. Relinque præsentia, et crede futura. Tot annorum circulos transegisti, mundo frustra operam navans :* Καὶ τεσσαράκοντα ἡμέρας οὐ σχολάσεις τῇ προσευχῇ, etc. Id est : *Et quadraginta diebus non vacabis Orationi propter animam tuam.* Catech. 4, sectione 1, ad eosdem : *Ante vero fidei traditionem præclare mecum actum videtur, si nunc summatim dogmatum necessariorum capita repetam, ne dicendorum multitudo*, καὶ τὸ μεταξὺ διάστημα τῶν ἡμερῶν τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς ἁπάσης, id est, *et intercessurum dierum sanctæ Quadragesimæ totius intervallum oblivionem inducat nostrarum rerum earum quæ ad cogitandum sunt solidiores.* Quod confirmatur ex catechesi 18, quæ est ultima illarum catecheseon, ubi sic scribit : *De tradita namque vobis ad profitendum sancta et apostolica fide, quantum catechesis capere potuit, per Dei gratiam diximus*, ἐν ταῖς διελθούσαις ταύταις τῆς τεσσαρακοστῆς ἡμέραις, id est, *præteritis hisce Quadragesimæ diebus.* Et paulo post subjungit, ἐνιστώσης τὸ λοιπὸν τῆς ἁγίας τοῦ Πάσχα ἡμέρας, etc., id est instante autem deinceps sancto Paschate, et vestra in Christo regeneratione. Itaque cum prædicta præfatio ad supra memoratas catecheses pertineat, signum est eam initio quadraginta illorum dierum, qui institutionis plenioris et pœnitentiæ causa baptismum petentibus concedebantur, recitatum fuisse. Hi autem dies videntur initium duxisse paulo ante jejunium quadragesimale.

Verum etsi quadraginta dies competentibus Græcis præstitutas fuisse ex sancto Cyrillo constet, tamen apud sanctum Joannem Chrysostomum triginta tantum catechesi prima **381** videre licet : Ἀλλ' ἔτι τριάκονταν ἡμέρας. Id est : *Sed supersunt adhuc triginta dies, et revocabit nos non Pharao, sed cœlorum Rex ad supernam patriam.* Et infra loquens de eorumdem annorum spatio : *Quare igitur Patres præterito toto anno*, ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ μυσταγωγεῖσθαι τὰ τέκνα τῆς Ἐκκλησίας ἐνομοθέτησαν; id est, *hoc tempore (triginta dierum) secretioribus mysteriis Ecclesiæ filios imbui voluerunt?* Sed non fuit una ubique consuetudo. Per hos dies ejusmodi competentes omnia retroactæ vitæ peccata confitebantur, ut patet ex sancto Cyrillo, catechesi 1 : Ἐξομολόγησαι τὰ πεπραγμένα τὰ ἐν λόγῳ, τὰ ἐν ἔργῳ, τὰ ἐν νυκτί, τὰ ἐν ἡμέρᾳ. Id est, confitere actus tuos sive in verbo, sive in opere, sive noctu, sive interdiu.

Id etiam supra de Latinis notavimus ex Tertulliano. Sed hæc confessio quemadmodum et pœnitentia, non erat sacramentalis, quia nullum sacramentum ante baptismum confertur, ut vulgo docent theologi. Siquidem tum confessio tum pœnitentia erant tantum quædam dispositio ad baptismum rite et ut par est suscipiendum. Alia erat catechumenorum

[a] In novissima Conciliorum recensione et Editione, servatum est *diu*, quamvis *aliquandiu* præferendum videatur.

sive perfectorum, seu imperfectorum pœnitentia, si orte in ipso catechumenatus curriculo capitale crimen aliquod admisissent, de qua agitur in conciliis Niceno I, can. 14, et Neocæsariensi, can. 5.

Cap. 9 declaratur qualiter fiat scrutinium, nempe cum tanguntur saliva nares et aures, quod fit juxta usum Ecclesiæ Romanæ, ut videre est apud Alcuinum, lib. de Offic., capite de Sabbato sancto, cum ritum Romanæ Ecclesiæ in dando baptismo explicat: *Inde vero tangit ei nares, et aures de sputo, et dicit ad aurem dextram* Ephetα, *quod est, adaperire; ad nares: in odorem suavitatis.* Juxta alium usum apud eumdem Alcuinum, capite citato, tanguntur tantum aures et nares sine sputo, quemadmodum apud sanctum Ambrosium, cap. 1 libri de His qui mysteriis initiantur: *Aperite igitur aures, et bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere sacramentorum carpite; quod vobis significavimus, cum, apertionis celebrantes mysterium, diceremus* Epheta, *id est, adaperire.* Et rationem subjungit, *ut venturus unusquisque ad gratiam, quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet.* Et lib. I de Sacramentis, cap. 1: *Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem et ad eloquium sacerdotis.* Et infra: *ideo propter gratiam operis et muneris non tangit os episcopus, sed nares. Quare nares? ut bonum odorem accipias pietatis æternæ, ut dicas: Christi enim bonus odor sumus Deo, quemadmodum dixit Apostolus sanctus, et sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.* Hoc ritu Græci carent, non enim exstat in eorum Euchologio, nec Patres Græci meminere. Theodulphus tantum meminit tactus narium et aurium, agens de scrutinio, quasi solus ille adhiberetur; sed insufflatio, exorcizatio, abrenuntiatio, et unctio scapularum et pectoris, sunt etiam scrutinii ritus.

Erant autem septem scrutinia: primum incipiebat tertia Dominica Quadragesimæ, juxta Ordinem Romanum et Codicem Ratoldi, vel quarta Dominica Quadragesimæ, juxta Codicem Rhemensem, ultimum Sabbato sancto fiebat: eaque inter Missarum solemnia, sed post lectiones dimittebantur baptizandi cum cæteris catechumenis. Olim in Hispania hoc scrutinium fiebat viginti diebus ante baptismum, ut statuitur in concilio Bracarensi II, can. 1: *Sin autem minime, docere debent ignaros, et hæc modis omnibus præcipere, sicut antiqui canones jubent, ut ante dies viginti baptismi ad purgationem exorcismi concurrant catechumeni, in quibus viginti diebus omnes catechumeni symbolum, quod est Credo in Deum Patrem omnipotentem, specialiter doceantur.* Cum enim præcipit concilium catechumenis ut accedant ad ecclesiam ad purgationem exorcismi, haud dubie loquitur de scrutinio, cum exorcismus inter præcipua scrutinia censendus sit. Sed temporibus sancti Augustini, et sancti Isidori incipiebat scrutinium Dominica palmarum, ut supra docuimus. Apud Græcos fiebant per quadraginta, aut triginta dies, ut **382** supra notavimus. In ipsis scrutiniis separabantur mares a feminis, ut habetur in præfatis Codicibus, et apud sanctum Cyrillum Hierosolymitanum in præfatione: Ἄνδρες μετὰ ἀνδρῶν, καὶ γυναῖκες μετὰ γυναικῶν, id est, masculi cum masculis, feminæ cum feminis. Mares in parte dextra, feminæ in sinistra collocabantur, ut testantur citati Codices. Cum autem essent juxta fontes, statim baptizandi stabant trementes, demisso vultu, se mutuo manibus tenentes, ut habetur in synodo Constantinopolitana sub Mena, actione 5, in formata adversus Petrum Apameæ episcopum: Ἵστανται τὸ σχῆμα τοῦ ἀγῶνος ἀποπληροῦντες, κάτω νεύοντες καὶ τὰς χεῖρας συμπλέκοντες, καὶ τρέμοντες εὐκαίρως, et. Id est: Stant speciem certaminis explicantes, innuentes deorsum, se manibus tenentes, in tempore trementes, diabolique invidæ astutiæ resistentes. In versione Latina legitur *non resistens*, sed negatio abest a Græco. In eodem capite Theodulphi notanda sunt hæc verba: *Per membra corporis spiritales animæ virtutes intelliguntur.* Sic Vincentius Victor, qui optime sentiebat Deum non esse corporeum, cum nomina membrorum, quæ passim in Scripturis Deo tribuuntur, ei objicerentur, recte dicebat per hæc incorporeas intelligendas esse virtutes. At cum ille diceret animam hominis esse corpoream, suamque opinionem stabiliret ex quibusdam membrorum nominibus quæ in Scripturis animæ hominis tribuuntur, sanctus Augustinus, lib. IV de anima et ejus origine adversus eum agens retorquendo solutionem sic infit: *Quia Deum rectissime defendis non esse corporeum, quid igitur causæ est, cur nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? An vero quando de creatura hæc dicuntur, proprie accipienda sunt; quando autem de Creatore, tropice atque translate.*

In eodem capite notanda sunt hæc verba, *quia ergo Divinitas hominem asumens.* Ita supra locutus est, cap. 7: *perfectum naturæ nostræ hominem susceperit*, juxta communem loquendi usum sanctorum Patrum, qui dicunt Filium Dei assumpsisse hominem, nec ideo astruunt duas Christo personas, sed nihil aliud intelligunt per τὸ hominem quam naturam humanam. Unde statim subjungit Theodulphus, eodem cap. 7: *Et verbum caro factum sit assumendo humanitatem*, id est, naturam humanam. Cum autem dicit *perfectum hominem*, id propter Apollinarem facit, qui, ut scribit Vincentius Lirinensis, cap. 17 libri pro catholicæ fidei antiquitate et universitate, dixit: *In ipsa Salvatoris nostri carne, aut animam humanam penitus non fuisse, aut certe talem fuisse cui mens et ratio non esset:* vel, ut scribit sanctus Paulinus, epist. 25: *hominem a Deo assumptum animam mentis humanæ vacuam, qualis est pecorum et jumentorum, habuisse.* Quod si ita esset, Christus homo perfectus non esset.

Tandem in hoc capite 9 notandum est, cum Theodulphus dicit ex commistione duarum substantiarum in una Filii Dei persona factum esse collyrium, eum non intelligere duas substantias in Christo divinam et humanam inter se permistas in tertiam coaluisse, ut in mistis usu venire solet, quod blasphemum est; sed usum fuisse vocabulo commistionis improprie, ratione allegoriæ ex collyrio sumptæ. Nam supra, capite 7, dixit Filium Dei verum hominem factum fuisse, eumque perfectum naturæ nostræ hominem suscepisse, juxta superiorem interpretationem, et Verbum carnem factum fuisse assumendo humanitatem, non permutando divinitatem, quæ omnia commistioni duarum substantiarum adversantur, et a Monophysitarum hæresi longe abalienata sunt. Admittunt quidem theologi in Christi persona compositionem, at commistionem negant. Vide divum Thomam, 3 p., quæst. 2, art. 4. Adversus hanc commistionem fuse disputat Boetius lib. de duabus Naturis, et de una persona Christi.

Cap. 10 agit Theodulphus de unctione pectoris et scapularum, de qua fuse satis a nobis actum est supra.

Cap. 11 agit de abrenuntiatione, per quam catechumenus abrenuntiat diabolo, operibus ejus et pompis. Hujus abrenuntiationis meminit Optatus Milevitanus, lib. V adversus Parmenianum; Tertullianus, lib. de Spectaculis: **383** *Cum aquam ingressi Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renuntiasse nos diabolo, et pompæ, et Angelis ejus ore nostro contestamur.* Et libro de Corona militis: *Aquam adituri ibidem et aliquanto prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, et pompæ, et angelis ejus.* Sanctus Augustinus, lib. II de Symbolo ad catechumenos: *Hoc audistis, hoc professi estis renuntiare vos diabolo........ et angelis ejus.* Sanctus Cyprianus, epist. 7, et alibi passim, dixit sæculo renuntiare, brevitatis gratia: *Sæculo*, inquit, *renuntiaveramus, cum baptizati sumus.* Apud Theodulphum renuntiatur diabolo, pompis et operibus ejus, quemadmodum et in Codicibus Rhemensi, et Ratoldi. Apud Salvianum, lib. VI de Providentia Dei, renuntiatur diabolo, pompis, spectaculis et operibus ejus: *Quæ est enim* (inquit) *in baptismo salutar*

Christianorum prima confessio? quæ, scilicet, nisi ut renuntiare se diabolo ac pompis ejus atque spectaculis et operibus protestentur; et paulo post: *Abrenuntio (inquis) diabolo, pompis, spectaculis et operibus ejus.* Et hic pompas et spectacula pro uno eodemque sumit. Sanctus Augustinus et Tertullianus, supra citati, et sanctus Cyrillus mox citandus, pompas diaboli interpretantur spectacula, hoc est theatri lasciviam, amphitheatri crudelitatem, clamores, et insaniam circi.

Vulgo terna fit abrenuntiatio, ut habetur capite 2 Hierar. eccl. sancti Dionysii, in Græcorum Euchologio, in Codicibus Rhemensi et Ratoldi. Sanctus Cyrillus, catechesi 1 myst., addit renuntiationem quartam, nimirum cultui diaboli: *Verumtamen*, inquit, *audi quod manu extensa tanquam ad præsentem dicitur*, ἀποτάσσομαί σοι Σατανᾶ, id est, renuntio tibi Satanæ; et infra: *Doceris mox alteram renuntiationis partem addere*, καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις σου, id est, et omnibus operibus tuis; et infra: *Deinde dicis:* Καὶ πάσῃ τῇ πομπῇ αὐτοῦ (lege σου) et omni pompæ tuæ; et infra: *dicis præterea:* Καὶ πάσῃ σου λατρείᾳ, id est, et omni cultui tuo. Ubi per cultum diaboli intelligit omnem qui idolis exhibetur honorem, auguria, aruspicia, artes magicas, et scelerata sacrificia. Apud sanctum Ambrosium, lib. I de Sacramentis, cap. 2, duplex duntaxat habetur abrenuntiatio: *Quando te interrogavit, Abrenuntias diabolo, et operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo et operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto cautionis tuæ, et nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.* Quæ ultima verba confirmant duplicem hanc renuntiationem, quæ tunc erat in Ecclesia Ambrosiana. Renuntians convertebatur ad Occidentem, ut scribit sanctus Dionysius, cap. supra citato, sanctus Hieronymus mox citandus, et sanctus Cyrillus, catech. 1 mystagogica: *Primum ingressi estis in porticum domus baptisterii*, καὶ πρὸς τὰς δυσμὰς ἑστῶτες, etc., id est, *et stantes versus Occidentem*, etc. Ita habetur in Euchologio Græcorum. Apud Dionysium renuntians Satanæ manus obtrudit, apud Cyrillum et in Euchologio extendit. Abrenuntiatione facta vertebatur ad Orientem, ut patet ex eodem Dionysio, cap. citato, sancto Hieronymo, in cap. VI Amos prophetæ: *Unde et in mysteriis primum renuntiamus ei qui in Occidente est, nobisque moritur cum peccatis; et sic versi ad Orientem pactum inimus cum sole justitiæ, et ei servituros nos esse promittimus;* et sancto Cyrillo, catechesi citata, qui hanc hujusce ritus causam profert. Cum enim baptizandus renuntiavit Satanæ principi tenebrarum, rescissis pactis antiquis, convertitur ad Orientem ubi est paradisus, quem Deus in Oriente plantavit. Sic conversus manus tollebat sursum, ut docet sanctus Dionysius, cap. citato, et sanctus Basilius in exhortatione ad baptismum, qui dixit: Χεῖρας ἆραι εἰς οὐρανόν, id est, tollere manus in cœlum, et sic profitebatur se Christo serviturum, et adhæsurum, quod vocant Græci συντάσσεσθαι sanctus Dionysius, Euchologium, et sanctus Gregorius theologus, qui oratione de baptismo dixit: Ὅλῃ θεότητι συντασσόμενος, id est, toti Divinitati adjunctus, adhærens. Sanctus Basilius, oratione citata, dixit: Θεῷ συνθέσθαι, id est, pacisci cum Deo, nisi legendum sit συντάσσεσθαι, cui contrarium est ἀποτάσσεσθαι, id est, renuntiare, abrenuntiare, apud præfatos auctores et Palladium in Lausiaca.

384 His ita rite peractis, baptizandus recitat Symbolum, ut habetur in Euchologio Græcorum, idque ex antiqua consuetudine, quam videre est apud sanctum Cyrillum, catech. 1 mystag: *Tunc admonebaris, ut diceres:* Πιστεύω εἰς τὸν Πατέρα, καὶ εἰς τὸν Υἱὸν, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα ἅγιον, καὶ εἰς βάπτισμα μετανοίας, id est: Credo in Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, et in baptisma pœnitentiæ. Et cum subjungit: *De quibus in superioribus catechesibus, quantum divina concessit gratia, latius disseruimus*, satis innuit totum reddendum esse symbolum, quia supra, catechesi 4, totum illud exposuit. Id etiam notum est ex Salviano, lib. V de Providentia Dei: *Abrenuntio enim (inquis) diabolo, pompis, spectaculis et operibus ejus, et quid postea? Credo (inquis) in Deum Patrem omnipotentem et in Jesum Christum Filium ejus. Ergo primum renuntiatur diabolo, ut credatur.* Et ex sancto Augustino, lib. de anima et ejus origine, cap. 10: *Ideo cum baptizantur, symbolum reddunt, et ad interrogata respondent.* Hinc capiendus est Optatus, lib. V adversus Parmenianum: *Contra nos peccatores (ut vultis) interrogemus alterum gentilem, an renuntiet diabolo, et credat, etc., et dicat, renuntio et credo.* Et Rufinus, in libro de Expositione Symboli: *Et mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismi suscepturi sunt publice, id est fidelium populo audiente, Symbolum reddere.* Quod Symbolum Theodulphus appellat professionem sanctæ Trinitatis.

In Euchologio Græcorum, post abrenuntiationes et responsa ad aliquot interrogationes, baptizandus recitat Symbolum. Apud sanctum Dionysium, cap. II eccl. Hierar., trinam facit professionem, quæ nihil aliud est quam Symboli recitatio. In Codice Rhemensi sacerdos ipse recitat Symbolum: *Postea vero tangis ei pectus, ut inter scapulas, de oleo exorcizato, et vocato nomine ejus, singulis dicens:* Abrenuntias Satanæ? *R.* Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? *R.* Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? *R.* Abrenuntio. Et ego linio te oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro. *Inde vero dicis Symbolum imposita manu super capita eorum.* Hæc autem manus impositio habetur apud Dionysium, capite citato, post trinam illam professionem: *Et cum ter professus est*, ἐπευξάμενος εὐλογεῖ, καὶ χειροτονεῖ, id est, Oratione facta benedicit, et manum imponit.

Cap. 12 explicat Theodulphus quid sint pompæ, et opera diaboli, dicitque per ea septem intelligi capitalia peccata.

Cap. 13 cum dicit per sanguinem et aquam quæ de Christi latere fluxerunt, significari duo præcipua Ecclesiæ sacramenta; per sanguinem, quo consecramur, intelligit Eucharistiam quæ olim una cum baptismo dabatur. Quidam intelligunt per aquam et sanguinem omnia Sacramenta, quidam Ecclesiam. Vide Cyrillum, catech. 13. In eodem capite sequuntur hæc verba: *Invocato namque Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis*, etc. Tertullianus, lib. de Baptismo: *Igitur omnes aquæ de pristina originis prærogativa sacramentum sanctificationis consequuntur, invocato Deo. Supervenit enim statim Spiritus de cœlis, et aquis superest, sanctificans eas de semetipso, et ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt.* Ubi isti duo auctores dicunt per Dei invocationem, id est formam, aquam sanctificari, et per eam vim sanctificationis consequi.

In eodem capite fit mentio trinæ mersionis de qua supra. Qui vero baptizabantur ita in fontem olim demergebantur, ut etiam totum caput mergeretur. Sanctus Hieronymus, dial. adversus Luciferianos: *Nam et multa alia quæ per traditionem in Ecclesiis observantur auctoritate sibi scriptæ legis observarunt, velut in lavacro ter caput mergitare.* Quod satis innuit sanctus Cyrillus, catech. 17, cum ait: Ὥσπερ γὰρ ὁ ἐνδύνων ἐν τοῖς ὕδασι καὶ βαπτιζόμενος πανταχόθεν ὑπὸ τῶν ὑδάτων περιβάλλεται. Id est: Ut enim is qui subit aquas, et baptizatur, undique ab aquis circumdatur.

385 Tandem notandum est quod dicit de fonte baptismi, seu baptisterio, cui simile est illud sancti Isidori, lib. XV Orig., cap. 4: *Fons autem in delubris locus regeneratorum est, in quo septem gradus in Spiritus sancti mysterio formantur, tres in descensu, tres in ascensu; septimus vero is est qui et quartus, id est similis Filio hominis, exstinguens fornacem ignis, stabilimentum pedum, fundamentum aquæ, in quo plenitudo divinitatis habitat corporaliter.*

Ex his Isidori et Theodulphi locis notandum est olim fuisse in baptisteriis septem gradus, tres per quos ascensus ad illud erat, tres per quos in illud descensus; septimum vero fuisse in medio baptiste-

rii, in quo fons ipse fundatus erat, in quo stabant ii quorum opera baptismo erat necessaria, unde appellatur fundamentum aquæ et stabilimentum pedum. Super ipsum fontem erat appensa columba aurea vel argentea Spiritum sanctum repræsentans, ut videre licet in synodo Constantinopolitana sub Mena, actione 5, in supplicatione clericorum et monachorum Antiochiæ ad Joannem patriarcham, etc.: *Præsumptum est autem ab ipso et hoc; nam columbas aureas et argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra et altaria appensas una cum aliis sibi appropriavit.*

Cap. 14 agit Theodulphus de vestibus albis quibus post sanctum lavacrum neophyti induantur, et de quibus supra fuse satis a nobis actum est.

Cap. 15 agit de unctione chrismatis quæ fit a presbyteris in recens baptizatorum vertice, de qua etiam supra scripsimus. Sed quia multi Patres agunt de unctione chrismatis confuse satis, non distinguendo inter unctionem chrismatis quæ fit in vertice a presbytero, et inter eam quæ fit in fronte ab episcopo, quam quidem ferunt, ut habetur in Pontificali Damasi, institutam fuisse a sancto Sylvestro papa, ut presbyter liniat chrismate levatum de aqua.

Dico Patres omnes qui ante sanctum Sylvestrum locuti sunt de unctione chrismatis, esse intelligendos de ea unctione quæ fit in fronte ab episcopo, et spectat ad sacramentum confirmationis, etsi aliquando utuntur olei nomine; nam illis locis oleum sive a Græcis Patribus sive a Latinis pro unguento seu chrismate usurpatur.

Secundo notandum est, quoniam Græci ea unctione quæ fit a presbytero in vertice carent, omnes eorum antiquos Patres, cum de unctione chrismatis agunt, de illa unctione quæ fit ab episcopo in fronte esse intelligendos.

Tertio, quia rara est apud sanctos Patres mentio unctionis chrismatis quæ fit a presbytero in vertice, dico cum simpliciter et sine adjuncto de chrismate seu illius unctione agunt, esse de illo chrismate seu unctione quæ ad confirmationis sacramentum spectant intelligendos, maxime si ex nulla circumstantia deprehendi possit eos fuisse locutos aut de chrismatis unctione qua utuntur presbyteri, aut de ea qua nonnulli hæretici ad Ecclesiam redeuntes reconciliantur. Nec obstant variæ interpretationes mysticæ, nam una eidem unctioni non semper attribuitur, sed non raro indifferenter, quemadmodum et unctioni quæ baptismum præcedit.

Et ut omnis ambiguitas tollatur, notandum est olim quando baptizabat episcopus, quod sæpe sæpius contingebat (rarius enim baptizabant presbyteri et diaconi), statim conferebat sacramentum confirmationis, in fronte ungendo chrismate neophytum, ut videre est apud sanctum Ambrosium, Cyrillum, Dionysium, Severum, auctorem Quæstionum inter opera sancti Justini, quæst. 137, ad orthodoxos, et alios; nec ungebatur neophytus in vertice a presbytero, cum ejusmodi unctio instituta sit ob defectum episcopi, etsi postea adhibita fuerit neophyto e fonte levato quam mox subsecutura esset unctio chrismatis in fronte ab episcopo, ut videre est in nostris Sacramentariis mss. et in Ordine Romano. Quod ideo notavi quia hic a nonnullis recentioribus unctionem verticis cum unctione frontis confundi animadverto in locis Patrum qui vulgo citantur a tractatoribus.

386 Cap. 16 agit Theodulphus de mystico velamine, quo recens baptizati caput post unctionem verticis tegitur, de quo agunt Jesse Ambianensis, in epistola de baptismo, et Alcuinus, lib. de Officiis divinis, cap. de Sabbato sancto: *Tunc sacro chrismate caput perungitur, et mystico tegitur velamine, ut intelligat se diadema regni et sacerdotii dignitatem portare juxta Apostolum: vos estis genus electum, regale, sacerdotale, offerentes vosmetipsos Deo vivo hostiam sanctam et Deo placentem.* Sed cum Theodulpho dicitur significari hoc velamine sacerdotalis capitis operimentum, ad antiquæ legis sacerdotes respicere videtur, siquidem illius ætate novæ legis antistites nondum in sacris velamento capitis utebantur.

Cap. 17 de manus impositione, de dignitate chrismationis et septenarii numeri, et maxime de septem Spiritus sancti donis tractat. Hæc verba, *nec tamen frontem ex eodem oleo signare*, etc., satis indicant chrismationem ab impositione manuum distingui, ut supra probavimus, satisque declarat Optatus Milevitanus, lib. IV adversus Parmenianum: *Lotus cum in Joannis manibus haberetur, secutus est ordo mysterii, et complevit Pater quod rogaverat filius, et quod nuntiaverat Spiritus sanctus. Apertum est cœlum Deo Patre ungente, spiritale oleum statim in imagine columbæ descendit, et insedit capiti ejus, unde cœpit dici Christus, quando unctus est a Deo Patre; cui ne manus impositio deesse videretur, vox addita est Dei de nube dicentis: Hic est filius meus, de quo bene sensi, hunc audite.* Quæ autem hic dicuntur de numero septenario sumpta videntur ex sancto Gregorio, cap. 6 expositionis lib. I in Job, et homil. 7 in Ezechielem. Quod dicitur de Jubilæo ob quinquagenarium numerum, qui ex monade et numero septenario septies revoluto constat, id etiam dicunt sanctus Augustinus, epist. 119 ad Januarium, et sanctus Basilius, lib. de Spiritu sancto ad Amphilochium, cap. 27, de Pentecoste, id est de illo numero quinquagenario qui inter Christi resurrectionem et adventum Spiritus sancti interjacet.

Tandem multa eaque præclara de donis Spiritus sancti subjungit Theodulphus, et merito sane, quia sacramenti confirmationis hoc proprium est, peculiari et excellenti quodam modo Spiritus sancti dona animæ fideli conferre, quorum beneficio in statu Christiani illa maxime perficitur. Est enim confirmationis sacramentum hominis Christiani perfectivum, ut supra ex sanctis Patribus docuimus (*Catech. Rom.*, *pag.* 2, *cap.* 3, *sect.* 19). Illud enim confirmationi tribuitur, quod baptismi gratiam perficit; qui enim per baptismum Christiani effecti sunt, quasi infantes modo geniti teneritatem adhuc et mollitiem quamdam habent; ac deinde chrismatis sacramento adversus omnes carnis, mundi et diaboli impetus robustiores fiunt, et eorum animus fide omnino confirmatur ad confitendum et glorificandum nomen Domini Jesu Christi. Et huic sacramento nomen impositum est, quod hujus sacramenti virtute Deus in nobis id confirmat quod baptismo operari cœpit, nosque ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit. Nec vero confirmat solum, sed etiam auget, de quo Melchiades ita testatur (*Ejusdem sect.* 20): Spiritus sanctus, qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Deinde non auget modo, sed admirabili quadam ratione auget. Hæc omnia ostendunt quanta sit hujus sacramenti dignitas, utilitas et necessitas.

Quare ii graviter peccant qui hoc sacramentum, cum id commode fieri potest, suscipere negligunt, et gravius episcopi qui omnem diligentiam non adhibent ut sibi commissi sacramentum hoc percipiant.

Sed ii non mediocriter hallucinantur, qui scribunt ejusdem esse virtutis chrismari seu ungi in vertice a presbytero, ac chrismari in fronte ab episcopo. Hæc enim chrismatio verticis non est sacramentum, nec gratiam ex opere operato conferre, nec Spiritum sanctum donare valet; sed datur ut intelligat baptizatus se ab eo die Christo capiti tanquam membrum conjunctum esse, atque ejus corpori insitum, et ea re Christianum a Christo, Christum vero **387** a chrismate appellari, ut habetur in catechismo Romano (*Part.* 2, *cap.* 2, *sect.* 72), et docet Theodulphus, cap. 15: *Baptizatorum itaque capita chrismate liniuntur, ut in regno et sacerdotio Ecclesiæ delibuti, et Christiani nominis prærogativam accipiant, et ejus membra qui eos redemit et eorum caput est ef-*

fici valeant. Sed de his satis : plura vide in defensione ecclesiasticæ Hierarchiæ doctissimi viri Francisci Hallier, cap. 2.

Cap. ultimo agit Theodulphus de corpore et sanguine Christi, quæ olim cum baptismo sumebantur, etiam ab infantibus, ut supra fuse docuimus, et constat etiam ex Theodori Antiocheni opere contra asserentes peccare homines natura, non voluntate, in Biblioth. Photii, num. 177, et de aqua in calice miscenda. Hæc autem verba, *Hoc ergo sacrificium offerre de sacrificii relictis*, etc., corrupta sunt, et, expuncto verbo *offerre*, quod redundat, legendum est : *Hoc ergo mysterium, derelictis ac finitis veteribus sacrificiis et hostiis, Ecclesia celebrat*, etc.

Sequitur de miscenda aqua vino in calice sanctificando, qua de re agit sanctus Cyprianus epist. 63, adversus eos qui sola aqua sine vino mysterium sanguinis Christi peragebant, qui postea sunt appellati Hydroparastatæ, in can. 32 synodi sextæ. Fuerunt alii, Armeni videlicet, qui solo vino in sanguinis Christi mysteriis usi sunt, quos damnat eadem synodus canone eodem. Sed his sic ad Theodulphum notatis, redeamus ad propositum.

335. *Gloria in excelsis*. Ita statuitur in concilio Rothomagensi apud Ordericum Vitalem, lib. IV Hist. eccl., cum agitur de Missa hujus Sabbati sancti : *Ob cujus reverentiam*, [a] *Gloria in excelsis Deo et Alleluia cantatur*.

336. *Et cum spiritu tuo*. Vox est populi ex antiquo ritu Ecclesiæ, cum pontifici sibi bene precanti respondens vicissim illi bene precatur, ut videre est in concilio Bracarensi I, can. 21 : *Et ut respondeatur a populo : Et cum spiritu tuo*. Et apud sanctum Joannem Chrysostomum, homilia 18 in epistolam II ad Corinthios : Ἐπ' αὐτῶν πάλιν φρικωδεστάτων μυστηρίων ἐπεύχεται ὁ ἱερεὺς τῷ λαῷ, καὶ ἐπεύχεται ὁ λαὸς τῷ ἱερεῖ· τὸ γὰρ, Μετὰ πνεύματός σου, οὐδέν ἐστιν, ἢ τοῦτο. Id est : In ipsis tremendis mysteriis bene precatur pontifex populo, et populus bene precatur pontifici; illud enim, *cum spiritu tuo*, nihil aliud est quam hoc. In liturgiis sanctorum Jacobi, Marci et Petri, interdum hæc responsio populi effertur in dandi casu : Καὶ τῷ πνεύματί σου, id est, Et spiritui tuo. Quam etiam agnoscit sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Theoria Mystica, cum eam sic exponit : Καὶ τῷ πνεύματί σου, τουτέστι τὴν πρός σε ἀδιαίρετον ἕνωσιν δὸς ἡμῖν, ἵνα τῷ πνεύματι εἰρηνεύοντες, ἀχώριστοι τυγχάνωμεν. Id est : Et spiritui tuo, id est tecum unionem individuam da nobis, ut, spiritu pacem agitantes, inseparabiles simus. Et sanctus Joan. Chrysost., hom. 33, in Matth. : *Et cum dixero : Pax vobis*, εἶτα εἴπητε, Καὶ τῷ πνεύματί σου, id est, *deinde dixeritis : Et spiritui tuo*.

337. *Deus qui hanc sacratissimam noctem*. Ita apud Alcuinum, quia Sabbati sancti officium *Ad noctem Dominicæ Resurrectionis respicit*, ut habetur in concilio Rothomagensi apud Ordericum Vitalem, lib. IV Hist. eccl. Siquidem parasceve et Sabbato hebdomadæ sanctæ non celebratur corporis et sanguinis Christi sacramentum, ut docetur in eodem concilio ex libro Officialis : *Narrat liber Officialis quod in hoc biduo non fit sacramenti celebratio. Vocat autem hoc biduum sextam feriam et Sabbatum, in quo recolitur luctus et mœstitia apostolorum*. Liber Officialis est Antiphonarius, ut **388** docet Agobardus epist. ad cantores Lugdun.

338. *Non cantent Offertorium*. Alcuinus rationem reddit cap. citato : *Quod autem post Evangelium non cantatur Offerenda, et cantores tempore sacrificii silent, ad memoriam reducitur sacrificium, seu silentium mulierum*.

Porro in Cod. Ratoldi exstat benedictio lactis et mellis in hunc modum : *Benedic, Domine, hanc creaturam lactis et mellis*, etc., ut in Ord. Rom. Deinde sequitur : *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Id autem fiebat propter recens baptizatos, qui post sanctum lavacrum lac et mel gustare jubebantur quasi modo geniti infantes ; quo ritu significabatur Christianis, omni exuta malitia, simplicitatem infantis esse amplectendam. Id videre est in ordine mysteriorum Æthiopum, ut vocant, in quo, baptizatis sacro perunctis chrismate, hæc legere est : *Diaconus deinde dat illis lac et mel, et dicit : Lac et mel immaculatum in regenerationem. Amen. Sacerdos autem dicit : Lac et mel immaculatum in regenerationem per Jesum Christum. Amen*. Apud sanctum Hieronymum, dialogo adversus Luciferianos : *Velut in lavacro ter caput mergitare, deinde egressos lactis et mellis prægustare concordiam ad infantiæ significationem*. Et apud Tertullianum, lib. de Corona militis : *Inde suscepti lactis et mellis concordiam degustamus*. Hinc capienda sunt illa concilii Carthaginiensis Græci, can. 40 : Ἀπαρχὴ δὲ εἴτε μέλι, εἴτε γάλα, ὡς εἴωθεν, προσφερέσθω ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ἐθίμῳ εἰς τὸ τῶν νηπίων μυστήριον. Id est : Primitiæ sive mel sive lac offerantur uno die consueto ad infantium mysterium. Agitur enim hic de mellis et lactis benedictione in altari. Hæc autem verba, *Ad mysterium infantium*, significant ideo a baptizatis degustandum esse lac et mel, quod per baptisma omni posita malitia debeant semper infantium simplicitatem servare. Alia ratio profertur in ipsa benedictione, quia baptizati, relicto Ægypto, id est sæculo, ingrediuntur in Ecclesiam, terram melle et lacte manantem, id est omnibus deliciis spiritalibus affluentem.

339. *Neque agnus Dei*. Ita apud Alcuinum. Nota vero nullas hic esse Vesperas, quemadmodum nec in codicibus Rodradi et Rhemensi, juxta antiquum morem de quo Alcuinus cap. de Sabbato sancto : *In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nil agitur neque ante Missam, neque post Missam, quia, secundum Augustinum et alios doctores, istud Sabbatum non habet vesperam*. Reperire est tamen in Codice Ratoldi abbatis, in quo post Benedictionem episcopalem sic habetur : *Interim dum communicat populus, inchoat cantor* Alleluia. *Psal*. Laudate Dominum, omnes gentes. *Antiph. ad Evangelium* : Vespere autem. *Psal*. Magnificat. *Post hæc surgat episcopus de sede sua, pergat ad altare, et dicat Collectam* : Spiritum nobis, Domine, tuæ charitatis infunde, ut quos sacramentis paschalibus satiasti, tua facias pietate concordes. Per Dominum. *Et post hæc dicit diaconus* : Ite, Missa est.

340. *In die sancto Paschæ*. Appellatur sanctum Pascha ob diei reverentiam; qua de re consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 56, § 1. In Cod. Ratoldi hic habetur Missa integra paschalis cum suis ritibus et cæremoniis, quam rejecimus in appendicem.

341. *Qui* [b] *mortem nostram moriendo destruxit*, etc. Morte Christi mors nostra destructa est, et resurrectione vita reparata est. Corippus, lib. IV de Laudibus Justini minoris :

389 Calcavit mortem moriens, vitamque resurgens
Vita dedit cunctis in se credentibus ipse.

Et præclare Ennodius, hymno 7 :

> Necavit ante funera,
> Lethum sepultus expulit,
> Mors mortis impulsu ruit,

[a] Hymnus hic angelicus, ut modo canitur, legitur integer in Sacramentario Gallicano Musei Italici D. J. Mabillonii, tom. I, parte 2, col. 281.

[b] Hæc Præfatio longe prolixior est in duobus Theod. et omnino discrepat a Præfatione Sabbati sancti, cujus initium tantum reperitur in Vulgatis. Contestatio seu Præfatio quæ pro die sanctæ Paschæ in Sacramentario Gallic. tam sæpe laudato assignatur, est etiam omnino diversa ab editis. Pro Sabbato sancto vero præscripta eadem ipsa est quæ modo legitur : *Te quidem, Domine, omni temp., sed in hac potiss. nocte gl. præd., cum Pascha nostrum*, etc.

Cantate factum, sæcula.
Funus subegit tartarum,
Vicit peremptus exitum :
Mors inde luget pallida,
Præsumpsit unde gaudium.

342. *Omisit*. Id est, dimisit, ut infra in Apologia ultima : *Si quam vitio tepiditatis meæ, vel incuria contraxerunt, vel contrahunt labem, omitte*.

343. *Sacramentum vivendo teneant*. Id est, gratiam sacramentalem recte vivendo conservent. Est metonymia, causa pro effectu. Nam sacramentum est causa gratiæ sacramentalis.

344. *Seipsum tibi sacram hostiam*, etc. Præclare sanctus Paulinus, epist. 5, ad Severum : *Ipse enim pro nobis et animam et carnem suam posuit, et recepit; qui et sacerdos et hostia, et agnus et pastor est; qui pro ovibus suis pastor, et pro pastoribus suis agnus occisus est. Ipse enim Dominus hostia omnium sacerdotum est, qui, semetipsum pro omnium reconciliatione Patri libans, victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit*.

345. *Continua in nostris mentibus perseveret*. Per suum effectum et pium affectum.

346. *Nascitur*. Quia qui sumit corpus Christi, vitam habet in semetipso, juxta illud Joan. VI : *Nisi manducaveritis*, etc., *non habebitis vitam in vobis;* in Miss. Rom. legitur *pascitur*.

347. *Et qui vobis*. Ibi incipit tertium membrum hujus Benedictionis ; ac proinde his verbis præponendum τὸ *Amen*.

348. *Quod irasceris*. Id est quo, vel ob quod irasceris. Est Hellenismus.

349. *Solus omnium sacerdotum peccati remissione non eguit*. Ut Hebr. VII : *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, etc.

350. *Potius*. Ita in Codice Rhemensi, lege, *totius*.

351. *Perficiat*. Id est, faciat. Sæpe apud Tullium.

352. *Dominica octavas Paschæ*. Id est, Dominica octavæ Paschæ, seu in octava Paschæ. Et τὸ *octavas* est indeclinabile juxta usum illorum temporum. Sic in vetustis Codicibus passim legitur *Vitas Patrum*, id est, Vitæ Patrum. In Cod. Rhem. legitur *octabas*, *b* pro *u*, secundum usum antiquum scribendi, ut **390** notavimus ad Concordiam regularum. In Codicibus Rodradi et Ratoldi hic titulus ita habetur : *Die Dominico post Albas*. Recte in Missa Ambrosiana scribitur, *Dominica in Albis depositis*. Quia pridie a baptizatis albæ seu alba vestimenta deponebantur. Alcuinus, lib. de Offic. Eccl., cap. de Sabbato in Albis : *Hodie albati, qui in Sabbato sancto baptizati fuerant, vestibus albis exuuntur*. Quare cum in Missali et Breviario Romano scribitur, *Dominica in albis*, subaudi τὸ *depositis*.

353. *Aliæ orationes Paschales*. Hic Codices variant ; in aliis plures, in aliis pauciores sunt Orationes.

354. *Nos per id quod nostri est similis*, etc. Id est, humanitate sua nos reconciliet, divinitate absolvat. Illud autem *quod*, id est *quo*, phrasis Græca est, ut illud Virgilii :

Os humerosque Deo similis,

etc., sumptum ex Homero, Iliad. B :

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ.

Porro in Codicibus Ratoldi, Rodradi, in appendice, et Rhemensi, sequitur : *Idus Aprilis, natale sanctæ Euphemiæ* [a]. Hæc est illa Euphemia celebris virgo et martyr Chalcedonensis, cujus natalis eodem die annotatur in Martyrol. ms. biblioth. Corb. : *Idus Aprilis, in Chalcedonia, natale sanctæ Euphemiæ virginis et martyris*. Idem habetur in Kalendario præfixo Codici Ratoldi, et in martyrologio ms. sancti Hieronymi : *Idus Aprilis, in Chalcedone, natale sanctæ Euphemiæ*. In parvulo Martyrolog. ms., ad calcem Codicis Rhem. : *Idus Aprilis, in Chalcedonia, natale sanctæ Euphemiæ*. In Martyrologio Rabani : *Idibus Aprilis, in civitate Chalcedonia, natalis Euphemiæ*. Et in Martyrolog. Notkeri, eodem die : *In Chalcedone, sanctæ Euphemiæ*. In Novella Emmanuelis imperatoris ejus solemnitas annotatur 11 Junii, quo die passa est, ut videre est in Menologio Græcorum. In Martyrol. Rom. annotatur 16 Septembris. Missam sanctæ Euphemiæ excipit in eodem Codice Ratoldi *Missa in Pascha annotinum*, quæ exstat etiam in Codice Rodradi, in appendice, et in Codice Rhemensi.

Quid sit Pascha annotinum ita explicat Micrologus, lib. de ecclesiasticis Observationibus, cap. 56 : *Romani annotinum Pascha quasi anniversarium Pascha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, in sequenti anno eodem die ad Ecclesiam convenere, suæque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt*. Hæc ille. Non puto tamen hoc Pascha annotinum celebrari solitum in Sabbato, quo die illi baptizabantur, quia unica duntaxat Missa eodem die et nocte quidem celebrabatur. Sed existimo ejusmodi Pascha fuisse post Dominicam in Albis celebratum, maxime cum in Codicibus nostris mss. ejus Missa assignetur tantum post prædictam diem. In [b] Codice Rhemensi exstat : *Tertio Idus Aprilis, natale sancti Leonis papæ*. Hic est sanctus Leo primus, de quo tamen nihil exstat in Codicibus sancti Eligii, Rodradi et Ratoldi, et apud Pamelium.

355. *Hæc nobis dona beata sanctificet*. Est hypallage, id est nos his donis beatis sanctificet.

356. *Dona*. Ita in Editis, et in Codicibus Rodradi et Ratoldi, et apud Pamelium. In Missali Romano legitur *dono*.

357. VII *Kalend. Maii, nat. sancti Marci*. Ita **391** in Editis, in quibus nulla [c] est etiam litaniæ mentio ; sed in aliis Codicibus nostris mss., ut apud Pamelium, hoc die annotatur litania major, cujus officium vide in Rogationibus.

In Codicibus Rhemensi et Ratoldi sequuntur Missæ pro secunda et tertia die. In Cod. Rhem. adduntur tres Orationes pro quarta die. In iisdem vero Codicibus Rodradi, Rhemensi et Ratoldi nulla habetur Missa de sancto Marco, quemadmodum nec Rogationes ante Ascensionem.

358. *Perveniret ad Martyrii palmam*. Ex hoc loco discimus sanctum Marcum martyrem fuisse. Ita docet Gelasius papa, in synodo Romana ; et sanctus Gregorius Turonensis, lib. I Hist., cap. 24 : *Tunc et Jacobus frater Domini, et Marcus evangelista pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt*. Idem patet ex Missa Ambrosiana : *Deus, qui hunc diem sancti Marci evangelistæ et Martyris tui sanguinis roseo consecrasti cruore perfusum ;* et ex Liturgia Æthiopica : *Ac sancti Marci evangelistæ et martyris, et sancti Stephani archidiaconi protomartyris*. Consentiunt Rabanus et Notkerus in suis Martyrologiis, qui etiam ejus martyrium describunt.

[a] Consentiunt Gemet. et duo Theodericenses.

[b] Eodem die in priori Theod. et in Gemet. notatur festum sancti Leonis. In utroque vero Theod. ac in Gemet. habetur Missa de sancto Georgio martyre. Codex Calens. hæc omnia festa, imo etiam sancti Marci diem Natal. omittit. Idem die de Gallicano Sacrament. Mabillonii, in quo paucissimæ sunt Missæ de sanctis, quas suo loco indicabimus.

[c] In nostris Mss., si Calensem excipias, litaniarum fit mentio. In Sacram. Gallic. occurrit *Missa in litanias dicenda* ; et prius *in litanias legenda* ; sed immediate ante Ascensionem. Pamelio qui meminit litaniæ majoris concinit Codex Reg. Sueciæ. At ubi legitur apud Pam. *ad Pontem Olbi*, legitur in Codice *Molbi*, quo nomine intelligendus forte Pons Milvius. In Theod. legitur quoque *Molvi*.

359. *Sancti Vitalis.* In Missa Ambrosiana additur [a] sancta Valeria, et Missa est de pluribus Martyribus.

360. *B. R.* Id est, Benedictionem require, nempe in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

361. *Sancti Alexandri*, etc. In Codice Rhemensi eodem die Missa de sancto Juvenale habetur, quæ horum sanctorum Missam præcedit. Exstat etiam in appendice Codicis Rodradi.

362. [b] *Inventio sanctæ crucis.* Hoc festo Græci carent; nulla enim illius mentio fit in eorum Menologiis, nec in sanctione Emmanuelis Comneni imperatoris de festis, apud Theodorum Balsamonem, in Nomocanonem Photii, tit. 7, cap. 1.

363. *Passionis tuæ miracula suscitasti.* Quia in crucis inventione, ut crux Domini ab aliis internosci posset, mortuus homo dominicæ cruci admotus revixit, quemadmodum in Christi passione multa corpora sanctorum multis in sancta civitate visa sunt, ut testatur sanctus Paulinus epist. 11: *Postremo dominicam crucem prodit resurrectio; et ad salutaris ligni tactum, morte refuga, funus excussum et corpus erectum est.* Idem scribit Severus Sulpicius, lib. II Hist.: *Duabus prius frustra crucibus admotis, ubi Christi patibulo attactum est, dictu mirabile, trepidantibus cunctis, funus excussum, et inter spectatores astitit;* et Sozomenus, lib. II Hist. eccl., cap. 1.

364. *Qui per passionem crucis*, etc. In Codicibus Rodradi et Rhemensi est alia Præfatio longe prolixior: *Præcipue in ista die, in qua Filii tui Unigeniti a Judæis abditus gloriosus inventus est triumphus*, etc. Ubi τὸ *triumphus* crucem Christi significat. Ita capit sanctus Ambrosius in obitu Theodosii: *Tria patibula confusa reperit quæ ruina contexerat, inimicus absconderat; sed non potuit oblitterari Christi triumphus.*

392 365. *Quæ sit ejusdem crucis latitudo*, etc. Ex III cap. ad Ephesios; quem locum ita de cruce explicat sanctus Augustinus, tract. 118, in Joan.: *Lata quippe est in transverso ligno quo extenduntur pendentis manus, et significat opera bona in latitudine charitatis. Longa est a transverso ligno usque ad terram, ubi dorsum pedesque figuntur, et significat perseverantiam in longitudine temporis usque ad finem. Alta est in cacumine quod transversum lignum sursum versus excedit, et significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur. Quoniam cuncta quæ latitudine et longitudine bene ac perseveranter fiunt, propter altitudinem divinorum facienda sunt præmiorum. Profunda est in ea parte qua in terram figitur; ibi quippe et occulta est, nec videri potest; sed cuncta apparentia et eminentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiæ Dei, quæ comprehendi et dijudicari non potest, universa procedunt.*

366. *Dignatus est redimere.* In Codicibus Rhemensi et Rodradi hæc sequuntur: *Tu qui es lignum vitæ, paradisi reparator.*

367. *Natalis sancti Joannis*, etc. Hoc festum [d] non exstat in Excusis.

368. *Sanctorum Gordiani et Epimachi.* In Codice Ratoldi legitur *Gordiani, Cyrilli, atque Epimachi.* Sed in Missa nulla fit Cyrilli mentio. De illo agit Martyrologium sancti Hieronymi eodem die: *Item Cyrilli, Dionysii.* In Codice Rhemensi legitur: *Natalis sancti Gordiani*, nulla facta mentione sancti Epimachi, et Missa est de solo sancto Gordiano.

369. *Sancti Pancratii.* In Codicibus Rhemensi et Ratoldi, et apud Pamelium, adduntur Achilleus et Nereus, quibus in Missali Rom. adjicitur Domitilla. Sed in Codice Ratoldi duæ sunt Missæ, prior de sancto Pancratio, altera de sanctis Achilleo et Nereo. Et apud Pamelium prior Missa est de sanctis Achilleo et Nereo, secunda de sancto Pancratio.

370. *R. B.* Id est, require Benedictionem, infra videlicet in communi de uno martyre.

371. *Salutatione.* Lege *salvatione* [d].

372. *Natalis sanctæ Mariæ ad Martyres.* Hæc festivitas non exstat in Excusis. [e] Habetur in omnibus aliis nostris mss. Codicibus. In Codice Rhemensi est sub hoc titulo: *Dedicatio Ecclesiæ beatæ Mariæ ad Martyres.* Hoc festum olim instituit Bonifacius IV papa, converso Romano Pantheo in ecclesiam sanctæ Mariæ et omnium Martyrum. Qua de re agit Paulus Diaconus, lib. IV Hist. Longob., cap. 37 et lib. V, cap. 11. Hoc Pantheon ædificatum est a Marco Vipsanio Agrippa: quod ita appellatum est, vel quod in simulacris Martis et Veneris multas deorum imagines acciperet, vel quod forma convexa fastigiatum cœli similitudinem ostenderet, inquit Dio Cassius, lib. LIII Hist. In eo templo fuisse Veneris simulacrum constat etiam ex Macrobio, lib. III Saturnal., cap. 17: *Dissectusque est, et factæ ex una margarita duæ, impositæque simulacro Veneris, ut monstruosæ magnitudinis in templo quod Pantheon dicitur.*

Olim in pago Bethelia dicto, prope Gazam Palæstinæ civitatem **393** fuit etiam templum in arce manufacta collocatum, quod Pantheon appellatum est, ut refert Sozomenus lib. V Hist. eccl., cap. [f] 14. Fuit olim Athenis θεοῖς τοῖς πᾶσιν ἱερὸν κοινὸν, id est, diis omnibus commune templum, quod ædificavit Adrianus imperator, ut scribit Pausanias in Atticis.

373. *Sancti Urbani.* Hoc festum [g] non exstat in Codice Rhemensi.

374. *Sacrificium.* In Missali Romano legitur *Ad sacrificium.*

375. *Et tui muneris misericordiam postulare.* In Codice Rhemensi legitur *de tuo munere postulantes.*

376. *Ipso opitulante.* In Codice Rhemensi hæc vocabula desiderantur.

377. *Benedictio.* Superioris Dominicæ videlicet.

378. *Et Majestatem tuam indefessis precibus exorare.* Hæc verba desunt in Codice Rhemensi.

379. *Paschale mysterium studeamus habere perpetuum.* Id est, sempiternam in cœlis studeamus habere felicitatem.

380. *Feria secunda in litania majore.* Hæc [h] litania major est Rogationum, quæ in triduo ante dominicam Ascensionem celebrandæ institutæ sunt a sancto Mamerto Viennensi Pontifice, ut scribit sanctus Gregorius Turonensis, lib. II Hist., cap. 34: *Referens* (Avitus) *in quadam homilia, quam de Rogationibus scribit, has ipsas Rogationes, quas ante Ascensionis Dominicæ triumphum celebramus, a sancto Mamerto ipsius Viennensis urbis episcopo, qui et hic eo tempore præerat, institutas fuisse, dum urbs illa multis terreretur prodigiis.*

[a] In nostris Codd. nulla nisi sancti Vitalis fit memoria.

[b] Sacrament. Gallic. exhibet Missam *in inventione sanctæ Crucis*, sed a vulgata prorsus diversam.

[c] Habetur in utroque Theod. et in Gemet. Iidem Codices meminerunt sanctorum Gordiani et Epimachi, minime autem sancti Cyrilli et sanctæ Domitillæ, ubi infra Missa de sanctis Nereo, Achilleo et Pancratio exhibetur.

[d] Sic legitur apud Pamel. et in Ed. Vatic., ad quam excusa est Guss.

[e] Ita quoque in nostris; in Gemet. legitur *Dedicatio sanctæ Mariæ.*

[f] In Editione ab Henrico Valesio adornata nunc ista leguntur, cap. 15, in hunc modum: *Pantheon colli cuidam manu facto velut arci impositum.*

[g] Abest a duobus Theod., non autem a Gemet., ubi prius notatur *natale sancti Dunstani;* ac VII Kalend. Junii *sancti Augustini episcopi*, sc. Cantuariensis.

[h] Hæc Litania dicitur etiam major in nostris Codd. In Missali Gothico Thomasii tres sunt Missæ de Rogationibus pro triduo ante Ascensionem Domini. Missale vet. Gallicanum unicam habet. De Rogationibus plurima scitu digna legesis apud Mabillonium de Liturgia Gallic., maxime lib. II, pag. 122 et seq.

Sed ipsa verba sancti Aviti, sermone de Rogationibus audiamus. Qui postquam descripsit varias urbis suæ calamitates, tandem sic ait : *Tracta sunt hæc inter rumores publicos et rumores privatos usque ad imminentem solemnium noctem vigiliarum qua celebrari festum dominicæ Resurrectionis annua consuetudo poscebat. Siquidem hanc horam laborum opem, malorum finem, metuentium securitatem communibus animis operiebantur. Adfuit igitur nox illa venerabilis, quæ ad spem publicæ absolutionis votivum solemne patefecerat. Sed mox illic multo vehementior strepitus, ictus flagelli gravius ferientis insonuit, utpote quem jam eminentis gradibus superlativum nihil sequi aliud quam chaos intelligeretur. Ædes namque publica, quam præcelso civitatis vertice sublimitas immensiter fastigiata prætulerat, flammis terribilibus conflagrare crepusculo cœpit. Interpellatur nuntio discriminis jucunditas solemnitatis, pleno timoribus populo Ecclesia vacuatur. Omnes namque similem facultatibus vel domibus propriis casum de præeminentis incendii arce metuebant. Perstitit tamen coram festivis altaribus invictus antistes; et calore fidei suæ accedens, flumine lacrymarum, permissam ignibus potestatem, igne abscedente, compescuit. Desperatione deposita redilur ad ecclesiam, restincta flammarum luce, claressit luminum pulchritudo. Nec sane ulterius trahitur de arripiendo compunctionis medicamine mora. Prædecessor namque meus, et spiritalis mihi a baptismo pater Mamertus* [Al., *Mamercus*] *sacerdos, cui ante non paucos annos pater carnis meæ accepto, sicut Deo visum est, sacerdotii tempore successit, totas* [Leg. *toto*] *in ea quam supra diximus vigiliarum nocte, concepit animo Rogationes, atque ibi cum Deo tacitus definivit quidquid hodie Psalmis ac precibus* **394** *mundus inclamat. Evoluta solemnitate paschali, non jam quid, sed quomodo, aut quando fieri debeat, secreta primum collatione tractatur. Putabatur a quibusdam Viennensis senatus, cujus tunc numerosis illustribus curia florebat, inventis non posse* [a] *adici, cum vix acquiesceret legitimis inclinari. Sed pius ac sollicitus pastor sapientiæ salibus largus mansuefaciendarum ovium prius orando animum quam perorando mollivit auditum. Pandit igitur dispositionem, indicit ordinem, exponit salubritatem. Et verum* [Leg. *viri*] *tam religiosi quam solertis ingenii parum fuit, si obedientibus propositum tantummodo institutionis promeret, nisi inter initia etiam vinculum consuetudinis assignaret. Inspirante igitur compunctorum cordibus Deo, auditur a cunctis, confirmatur, attollitur. Eligitur pro tempore triduum præsens, quod inter Ascensionis sacræ cultum diemque Dominicam, quasi quodam opportunitatis propriæ limbo circumpositis solemnitatibus marginaretur.* Et paulo post : *Secutæ sunt suo ciduo tempore quædam Ecclesiæ Galliarum rem tam probabilis exempli : sic tamen quod hoc ipsum non apud omnes iisdem diebus quibus penes nos institutum fuerat celebretur* [Leg. *celebraretur*]. *Nec porro magni interest quod triduum, dummodo Psalmorum officia lacrymarumque functionibus annuis persolverentur. Tamen cum dilectione Rogationum etiam sacerdotum crescente concordia, ad unum tempus, id est ad præsentes dies universalis observantiæ cura concessit.* Hæc Avitus; quæ transcripsi ex codice ms. Bibliothecæ Floriacensis, quamvis hic sermo jam pridem a Johanne Gagneio editus fuerit.

Idem testatur Apollinaris Sidonius, lib. I, epist. 7, ad sanctum Mamercum : *Solo tamen invectarum te auctore Rogationum palpatum auxilio*, etc.; et epist. 14, lib. VII : *Quidquid illud est, quod otio vel negotio vacas, in urbem tamen (nisi fallimur) Rogationum contemplatione revocabere ; quarum nobis solemnitatem primus Mamercus pater et pontifex reverentissimo exemplo, utilissimo experimento invenit, instituit, invexit.* Quibus verbis nihil clarius dici potest.

Ita docet Aimoinus, lib. I de Gestis Francorum. Similia referuntur a Burchardo, lib. XIII, cap. 7, ex conc. Aurelianensi. Ita docent alii veteres, qui constanter asserunt harum triduanarum ante Ascensionem Domini Rogationum auctorem fuisse sanctum Mamertum; non vero instauratorem, ut nonnullis recentioribus placet ob sequentia Sidonii verba : *Quippe prius (quod salva fidei pace sit dictum) vagæ infrequentesque, ut, ne sic dixerim, oscitabundæ supplicationes.* Quæ tamen assertioni nostræ minime nocent. Etsi enim ante sanctum Mamertum fuerint Rogationes, hoc est supplicationes, seu Processiones, aut litaniæ, ut vocant, erant tamen vagæ, id est non statæ, nec certo die stabiles, sed indictæ, quas ob varias calamitates descriptas a sanctis Avito et Gregorio Turonensi, et aliis, pridie ante Ascensionem Domini instituit celebrandas. Itaque τὸ *vagæ* non ita capiendum est, quasi olim populus in Rogationibus circa templa vagaretur equitando.

Neque huic explicationi favent ea que habentur apud Burchardum, cap. citato : *Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant.* Et in concilio Moguntino, cap. 33 : *Placuit ut litania major observanda sit a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, et sicut sancti Patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti.* Nam aliud est vagari circa templa, aliud est in ipsa processione equitare; præterea ejusmodi concilia sunt posteriora ætate sancti Mamerti. Nec valet quod dicunt sanctum Augustinum, serm. 173, meminisse hujusmodi Rogationum, siquidem hic sermo non est sancti Augustini, qui etiam in quibusdam ejus **395** Codicibus non exstat, nec illius stylum sapit, sed est sancti Cæsarii Arelatensis, habeturque inter ejus sermones trigesimus septimus. Imo Rogationes hujusmodi sancti Augustini doctrinæ adversantur; quod patet ex illius epist. 119, ad Januarium, ibi enim abunde ac diserte agit de vacatione a jejunio, quæ contingit inter Pascha et Pentecosten, rationemque dierum illorum quinquaginta enucleatius explicat, quam triduanum illud jejunium intercidens prorsus labe actaret. Sic enim ait : *Qui dies quinquagesimus habet aliud sacramentum, quod septies septem quadraginta novem fiant ; et cum reditur ad initium, quod est octavus, qui et primus dies, quinquaginta complentur post Domini Resurrectionem jam in figura non laboris, sed quietis ; propter quod et jejunia relaxantur, et stantes oramus, quod est signum Resurrectionis.* Quare Amalarius Fortunatus, in lectione sancti Augustini apprime versatus lib. I de Offic. eccl., cap. 37, præclare dicit : *Sequitur una varietas inter octavas Paschæ et vigilias Pentecostes, hoc est jejunium triduanum in vigilia Ascensionis Domini. Miror quomodo inolevit consuetudo præsentis jejunii in nostra Ecclesia, quæ tamen non tenetur per omnes Orientales Ecclesias ; cum sancti Patres, quos memoravimus, Ambrosius, Hieronymus et Augustinus dicant relaxanda jejunia tempore Pentecostes, necnon etiam venerabilis presbyter Beda.* Postea refert institutionem ad sanctum Mamertum, quemadmodum et Ordo Romanus, qui insuper addit eam a Gallis ad Romanos fluxisse.

Quoniam autem hic agitur de litania majore, non erit absurdum his subjicere veterem litaniæ formulam, quæ exstat in Codice ms. Bibliothecæ Corbeiensis octingentis abhinc annis circiter scripto, cujus titulus est : *Incipit ordo Orationum.*

Incipit litania.

Kyrie eleison. *tribus.*
Christe eleison. *tribus.*
Christe audi nos. *tribus.*
Christe miserere nobis.
Sancte sanctorum Deus, miserere nobis.
Sancta Virgo virginum, intercede pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, intercede pro nobis.
Sancta Maria, ora

[a] Id est *adjici ;* sic enim in Mss. legitur.

Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Taddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Sixte, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Dionysi, ora.
Sancte Rustice, ora.
Sancte Eleutheri, ora.
Sancte Quintine, ora.
Sancte Luciane, ora.
Sancte Firmine, ora.
Sancte Crispine, ora.
Sancte Crispiniane, ora.
Sancte Maurici, cum sociis tuis, ora.
Sancte Silvester, ora.
396 Sancte Elari [*Leg.* Hilari], ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Cassiane, ora.
Sancte Remegi, ora.
Sancte Medarde, ora.
Sancte Vædaste, ora.
Sancte Germane, ora.
Sancte Gaurice, ora.
Sancte Amande, ora.
Sancte Eligi, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cecilia, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Eufemia, ora.
Sancta Columba, ora.
Sancta Genofeva, ora.
Sancta Aldegundis, ora.
Sancta Gertrudis, ora.
Omnes sancti, orate pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, libera nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni tentatione diabolica, libera nos, Domine.
Ab omni cogitatione mala, libera nos, Domine.
Ab omni iniquitate, libera.
Ab omni immunditia, libera
Per crucem tuam, libera.
Peccatores, te rogamus audi.

Ut pacem nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut tranquillitatem pacis Ecclesiæ tuæ largiri digneris, Domine, te rogamus.

Ut iram tuam a populo Christiano amovere digneris, te rogamus.

Ut ab hostium periculis nos defendere digneris, te rogamus.

Ut indulgentiam delictorum nostrorum nobis donare digneris, te rogamus.

Ut remissionem peccatorum nostrorum nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut intercessionem sanctorum tuorum nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut fidem rectam nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut spem firmam in tua bonitate nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut vitam æternam nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut lumen perpetuum nobis donare digneris, Domine Jesu, te rogamus.

Ut nobis laudem sanctorum nomini tuo donare, Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere. Christe, audi nos. *tribus.* Kyrie eleison, *tribus.* Christe eleison. *tribus.* Kyrie eleison. *tribus.* Pater noster.

Oratio post litaniam.

Deus exercituum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, Deus patriarcharum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus confessorum, Deus virginum, Deus omnium sanctorum, quem trinum in personis, unum in substantia confitemur, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, etc.

Circa hanc litaniam observandum est ad τὸ *tribus* subaudiendum esse τὸ *vicibus*, et ad τὸ *miserere* supplendum esse, τὸ *nobis*, et ad τὸ *ora* τὸ *pro nobis;* et in precibus, ubi non est τὸ *Domine Jesu*, illud esse subintelligendum.

397 Tandem ex his notandum est olim non dici solitum *Audi nos*, ad illud *Te rogamus*, nisi in his duabus supplicationibus, *Fili Dei* et *Peccatores*. Quod videre est etiam in litania Ratperti, etsi versibus scripta, apud Canisium, tom. v antiq. Lect., p. 2 :

Nos peccatores audi, te, Christe, rogamus.
Ut pacem nobis dones, te, Christe, rogamus.
Crimen ut omne tuis solvas, te, Christe, rogamus.
Auræ temperiem dones, te, Christe, rogamus.
Ut fruges terræ dones, te, Christe, rogamus.
Ut populum cunctum salves, te, Christe, rogamus.
Ecclesiamque tuam firmes, te, Christe, rogamus.
Fili celsithroni, nos audi, te te rogamus.

Ubi vides ad illas precationes, *Peccatores*, et *Fili Dei*, tantum interseri verbum *audi*, quod poterat fieri etiam in aliis precationibus, sublatis quibusdam vocabulis, salva sensus et carminum integritate, verbi gratia :

Ut pacem dones, audi, te, Christe, rogamus.
Ut crimen solvas, audi, te, Christe, rogamus.

Et sic de cæteris. Et sane clarior sensus est, cum ab his precibus abest τὸ *audi nos*. Apud Arnoldum Wionem, lib. iv Ligni vitæ, cap. 12, habetur litania, quam testatur ille esse sancti Gregorii Magni, seque in Codice ms. Casinensis monasterii reperisse. Sed nemo est, vel leviter antiquitatis ecclesiasticæ studiis imbutus, qui ejusmodi litaniam illius esse arbitretur, ut omittam de invocatione ejusdem sancti Gregorii, et quorumdam sanctorum adhuc cum habita est viventium, quæ in illa continetur.

381. *Mentem familiæ tuæ*, etc.

Hæc et similes Orationes ante Missam dicuntur ad Collectam seu Processionem, id est in loco ad quem clerus et populus pervenere.

382. *Fatigari.*

Id est, percuti. Nonius Marcellus, cap. 4, *Fatigare, percutere. Virgilius, lib.* ix :

. . . . Versaque juvencum
Terga fatigamus hasta.....

Et ita non semel usurpatur in hoc Sacramentorum libro, ut infra, feria 3 : *Nostris fatigamur offensis.* Id est, ob nostra delicta percutimur.

383. *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus*, etc. In Excusis sequuntur Orationes in campo, quæ non exstant in Codicibus nostris mss. nec apud Pamelium

384. *Jejunii vestri et precum vota.* Id est, devotas oblationes jejunii vestri et precum.

385. *Nostris fatigamur offensis.* Id est, ob delicta nostra corripimur, et percutimur.

386. *Veræ credulitatis instrumentis*. Id est, veræ fidei scripturis, libris, id est doctrinis. Estque metonymia continens pro contento. Instrumentum autem aliquando pro libro usurpatur. Tertullianus, lib. v adversus Marcionem : *Quantas autem foveas in ista vel maxime epistola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de nostri instrumenti integritate patebit*. In Apologetico : *Primam instrumentis istis auctoritatem summa antiquitas indicat*. Et infra : *Sed quoniam edidimus antiquissimis Judæorum instrumentis sectam istam esse suffultam*.

387. *In ascensu Domini*. Ascensa id est ascensio. Magister, in regula Mss., cap. 28 : *Quia ascensa Domini ipso die omni tempore occurrit*. Hæc autem lectio habetur in Codicibus Rhem. et Rodradi.

388. *Concede, quæsumus*, etc. Alcuinus, lib. II adversus Elipantum archiepiscopum Toletanum hanc Orationem citat, ut probet Jesum Christum **398** esse verum Dei Filium, non adoptivum : *Item in Ascensione Domini. Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui hodierna die Unigenitum tuum ad cœlos ascendisse credimus*.

389. *Dona*. Id est, Spiritum sanctum.

390. *Suis participibus*. Id est, apostolis.

391. *Ante descensum fontis*. Id est, ante descensum in fontem, baptismi celebrandi gratia videlicet, juxta vetus Ecclesiæ institutum, quo in solemnitatibus Pentecostes et Paschæ baptismus conferebatur, ut docet Tertullianus lib. de Baptismo : *Diem baptismo solemniorem Pascha præstat*. Et paulo post : *Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est*. Id etiam notum est ex epist. 4 et 8 sancti Leonis, historia Socratis, et conciliis mox citandis. De baptismo Paschali luculentum habemus testimonium apud Fortunatum, lib. III, carm. 7, ubi agens de solemnitate Paschali hæc sub carminis finem scribit :

> Rex sacer ecce tui radiat pars magna triumphi,
> Cum puras animas sacra lavacra beant.
> Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
> Atque vetus vitium purgat in amne novo.
> Fulgentes animas vestis quoque candida signat,
> Et grege de niveo gaudia pastor habet.

De baptismo Pentecostes hæc habet idem Fortunatus, lib. v, carm. 4, agens de Judæis a sancto Avito Arvernæ episcopo ipso die baptizatis :

> Ecce dies aderat quo Spiritus almus ab alto
> Missus apostolicis fluxit in ora viris.
> Rex sacra ruricolas, urbanos excitat omnes,
> Certatimque aditus ad pia festa ferunt.
> Abluitur Judæus odor baptismate divo,
> Et nova progenies reddita fertur aquis.

Idem videre est apud sanctum Hieronymum, epist. ad Pammachium, adversus errores Joannis Hierosolymitani : *Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses circa dies Pentecostes, cum, obscurato sole, omnis mundus jamjamque venturum judicem formidaret, quadraginta diversæ ætatis et sexus presbyteris tuis obtulimus baptizandos*. Et paulo post mentionem facit baptismi paschalis. Constantinus Magnus imperator ipse Pentecostes baptizatus est die, ut testatur Eusebius in ejus Vita, cap. 64. Quia vero in ipso solis occubitu solemnitas Paschalis incipiebat olim, hoc est vespere Sabbati, et ipsa nocte baptisma celebrabatur, ut constat ex officio Sabbati sancti, et epistola Paschasini Lilybetani ad sanctum Leonem papam, hinc fit ut juxta vulgarem loquendi modum dicatur baptisma in ipso Sabbato Paschæ celebrari; et ita loquitur sanctus Gregorius, lib. IV Dial., cap. 32 : *Quidam curialis sacratissimo paschali Sabbato juvenculam cujusdam fideliam in baptismate suscepit*. Idemque de Sabbato Pentecostes dicendum est.

Postea vero quidam baptizaverunt in solemnitatibus martyrum; quod tandem prohibitum est a sancto Leone papa, epist. 80, et a concilio Matisconensi 2, can. 3. Quidam etiam baptizaverunt in solemnitate Epiphaniæ; quem morem, cum in Sicilia inolevisset, sustulit sanctus Leo papa, epist. 4. Qui etiam cum in Gallia obrepsisset, saltem in Neustria, seu Normania, sublatus est in concilio Rothomagensi celebrato, anno Domini 1072 : *Vigilia, vel die Epiphaniæ, ut nullus, nisi infirmitatis necessitate baptizetur, omnino interdicimus*.

Hæc tamen consuetudo post sanctum Leonem papam perseveravit in Africa, ut notum est ex Victore Uticensi, lib. II **399** de persecutione Vandalica, tempore sancti Eugenii episcopi Carthaginiensis, qui non multo post sanctum Leonem floruit : *Fuit* (inquit) *in eadem civitate, id est Carthagine, quidam cæcus civibus civitatique notissimus, nomine Felix. Hic visitatur a Domino, prædiciturque ei nocte per visum (dies enim Epiphaniorum illucescebat) : Surge, vade ad servum meum Eugenium episcopum, et dices ei quia ego te ad illum direxi ; et illa hora qua benedicit fontem ut baptizentur accedentes, continget oculos tuos et aperientur*. Olim etiam in Lycia baptismus celebratus est in die Epiphaniæ, ut ex his Joannis Moschi, cap. 214. Prati spiritualis videre licet : *Soruba vicus quidam est ad radices montis, in quo sita est Cæanensium civitas : in eo baptisterium est quod in sanctis epiphaniis sudat, qui sudor per tres horas continuis incrementis augetur, et post baptisma peractum decrescere incipit, et tribus aliis horis sensim deficit*. Quod autem præfatus vicus sit in Lycia idem Moschus testatur capite sequenti.

In quibusdam vero Galliæ partibus baptismi celebritas videtur usitata in natali Domini. Siquidem Clodovæus, primus Francorum Rex Christianus, eodem die baptizatus est, ut testatur Avitus episcopus Viennensis epist. ad eumdem regem : *Si quidem et occiduis partibus in rege non novo novi jubaris lumen effulgurat ; cujus splendorem congrue Redemptoris nostri nativitas inchoavit, ut consequenter eo die ad salutem regenerari ex unda vos pateat, quo natum redemptioni suæ cœli Dominum mundus accipit. Igitur qui celeber est natalis Domini, sit et vestri, quo vos scilicet Christo, quo Christus ortus est mundo; in quo vos animam Deo, vitam præsentibus, famam posteris consecrastis* (*Tom. I Conc. Galliæ Jacobi Sirmondi*). Hæc ille ; etsi Fredegarius, cap. 11 Hist. Francorum, et Hincmarus, in Vita sancti Remigii citata ab Herivæo archiepiscopo Rhemensi, in epist. ad Vitonem archiepiscopum Rothomagensem, scribant eum in die Paschæ fuisse baptizatum; tamen potior est Aviti, quippe Clodovæo æqualis, auctoritas. Sententiam hanc confirmat miraculum quod Ebreduni olim in Natali Domini et in Cœna dominica quotannis contingebat circa baptisterium ædificatum a sancto Marcellino quondam illius urbis episcopo. Illis namque diebus quotannis in illo lavacro seu baptisterio aqua divinitus oriebatur, de quo etiam ad aliud lavacrum, baptismi gratia, aqua deferebatur, ut scribit sanctus Gregorius Turonensis, cap. 69 libri de Gloria confessorum. Quod sane miraculum in Natali Domini non contigisset, si baptisma illo die conferri non debuisset. Sic olim in Sicilia, in possessione quæ Meltinus dicitur, fons baptisterii quotannis in die Paschæ divinitus implebatur, ut refert Paschasinus episcopus Lilybetanus, in epist. ad sanctum Leonem papam.

Si tamen intercidisset mortis periculum, citra prædictas solemnitates baptizabantur ægroti, ut planum ex epistolis sanctorum Cornelii et Cypriani mox citandis, ex concilio Matisconensi supra citato, ex epistola Gregorii II, ad clerum et plebem Thuringorum, et ex concilio antissiodorensi, can. 8 : *Non licet absque Paschæ solemnitate ullo tempore baptizare, nisi illos quibus mors vicina est, quos grabatarios dicunt*. Ubi nota grabatorios esse eos qui in lecto seu grabato per aspersionem aut perfusionem aquæ ob mortis periculum baptizabantur, quos aliter clinicos, a κλίνη, id est lectus, vocant, ut manifestum est ex epist. 73 sancti Cypriani, qui hanc baptizandi rationem merito defendit, etsi de ea Cornelius papa du-

bitare videatur in epist. ad Fabium episcopum Antiochenum apud Eusebium, lib. vi Hist. Eccl., cap. 35. Erant tamen ejusmodi baptizati irregulares, ut loquuntur, nec ad clerum adsisci poterant, ut testatur Cornelius papa epistola citata.

Sed Thessalorum severior quam par erat disciplina fuit, **409** qui extra solemnitatem Paschalem neminem prorsus baptizabant, ita ut paucis exceptis omnes sine baptismate e vivis excederent, ut scribit Socrates, lib. v Hist. Eccl., cap. 21. Si vero de infantibus sermo sit, usitatum fuit aliquando priscis illis temporibus ut citra solemnitatem Paschæ et Pentecostes baptismum susciperent, ut discimus ex sancto Cypriano, epist. 59, ubi disputat in quemdam qui asseverabat infantes non esse tertio aut altero natalis sui die baptizandos, sed, quemadmodum in circumcisione, octavum diem esse exspectandum. Si enim tum moris fuisset in parvulis illis Paschæ et Pentecostes protelare diem, frustra sanctus Cyprianus eos ante octavum natalitiorum diem posse baptizari contenderet.

392. *Qui sacramentum.* In aliis Codicibus nostris mss. habetur Præfatio : *Qui ascendens super omnes cœlos*, etc., ut in Missali Romano.

Et diem sacratissimum Pentecostes prævenientes. Ita in Editis et in Codicibus Ratoldi et Rhem., et apud Pamelium. In Codice Rodradi legitur : *Et diem sacratissimum Pentecostes celebrantes.* Optime, quia cum in ipsa nocte quæ lucescit in Dominica hæc Missa olim celebraretur, post Vesperam videlicet Sabbati, jam ipse Pentecostes dies incœptus erat juxta morem Ecclesiæ, ut supra de Paschate dictum est, non vero juxta sæculi consuetudinem.

394. *Qui ascendens super omnes cœlos*, etc. In Codice Rhem. est alia [a] Præfatio : *Qui hodie sancti Spiritus celebramus adventum*, etc., ut in Missa Ambrosiana, in qua rectius legi ur τὸ *quia*, his in ejus fine additis : *Quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat*, quæ desiderantur in Cod. Rhem. In eadem Ambrosiana Missa legitur : *Distributor idem et fidei unius effector*, cum in dicto Cod. Rhem. scriptum sit, *distributor idem, et unus effector*.

395. *In igneis.* Optime. In Editis et aliis Codicibus nostris mss. et apud Pamelium legitur [b] *innumeris*.

396. *A spe ad speciem pervenire.* Est paronomasia, id est a spe ad fruitionem æternorum bonorum pervenire ad contemplationem faciei Dei; nam species faciem significat. Nonius Marcellus, cap. 4 : *Species dicitur effigies, facies. Livius Ægisto : Jamne oculis specie læta viri optabili.* Unde, cap. 1, ait : *Ut ab aspectu species, et a fingendo figura, ita a factura corporis facies.* Species ergo hoc loco est clara Dei visio. Ita apud Tertullianum, lib. de Resurrectione carnis : *Itaque confisi semper et scientes quod cum immoramur in corpore, peregrinamur a Domino; per fidem enim incedimus, non per speciem.*

397. *Feria* 5. Hæc feria non est in Codicibus Rodradi et Rhemensi, de qua ita monent Ordo Romanus, et Alcuinus : *Feria 5 deest officium et Missa; et ideo debes cantare de Dominica Pentecostes.* In Cod. Ratoldi abbatis Missa hujus feriæ quintæ est ut in feria 6 hujus Codicis sancti Eligii.

398. *Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ*, etc. In Codice Ratoldi abbatis est hic alia Missa, Præfatione excepta.

399. *Si in Jejunio fuerit.* Hæc verba desiderantur in Editis et in aliis Codicibus nostris mss. et apud Pamelium. Notanda tamen, quia olim jejunium quarti mensis non semper cadebat in hebdomadem Pentecostes; qua de re infra.

401 400. *Ut nos spiritus tui lumen infundat.* Id est, ut nobis Spiritus tui lumen infundatur. Est hypallage.

401. *Dominica octavas Pentecostes.* In Editis legitur, *Dominica in nocte Pentecostes* (*Vide Microl., cap.* 59) Sed quid hæc sibi velint non satis capio. In Cod. Rodradi ita habetur : *Die Dominico vacat.* Assignantur tamen tres Orationes in hunc modum : *Deprecationem nostram, Domine, quæsumus, exaudi*, etc. Super oblata : *Munera, Domine, oblata sanctifica*, etc. Ad Completa : *Hæc nos communio, Domine, purget a crimine.* Verum in appendice ejusdem Codicis habetur : *Dominica in octabis Pentecostes;* cujus Orationes sunt ut Codicibus Ratoldi et Rhemensi, in quibus nulla est mentio sanctissimæ Trinitatis ; sed in serie Præfationum ejusdem Codicis Rodradi in octavis Pentecostes exstat præfatio de sancta Trinitate eadem cum Missali Romano et hoc s. Eligii Codice, quam etiam reperire est in Codicibus Ratoldi et Rhemensi. In benedictione Codicis Ratoldi primus versiculus meminit sanctissimæ Trinitatis in hunc modum : *Benedicat vos Trinitatis divinæ Majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus; talesque inveniat dies examinationis, quales emisit fons regenerationis. Amen.* At in Benedictione Codicis Rhemensis, ne verbum quidem de Sacratissima Trinitate videre est.

Hæc diversitas officii inde manavit, quod quidam affirmarent octavam Pentecostes esse celebrandam, aliis negantibus; quam controversiam in Gallia diversatus Berno abbas Augiensis, ut ipse testatur, cap. 3 libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, agitari vidit, et in fine capitis tandem concludit celebrandam esse octavam Pentecostes.

Micrologus, cap. 16 libri de eccl. Observationibus, negat plane celebrandum esse festum sanctissimæ Trinitatis, quia Dominici dies ejus honori deputati sunt, scribitque officium de sancta Trinitate fuisse compositum a Stephano Leodiensi, illudque repudiatum fuisse a sede apostolica; et Alexandrum papam requisitum de die sanctæ Trinitatis, respondisse, juxta Ordinem Romanum nullum diem specialiter ascribi debere solemnitati sanctæ Trinitatis, sicut nec sanctæ Unitatis, præcipue cum in omni Dominica, imo quotidie, utriusque memoria celebretur. Tamen, cum hoc festum habeatur in nostro Codice sancti Eligii, et in Sacramentariis editis ex Vaticano, non est dubium quin fuerit olim celebratum, sed postea intermissum, tandemque a Romanis pontificibus instauratum. Et miror sane id quod scribitur ab eodem Micrologo de Præfatione sanctæ Trinitatis a Pelagio papa instituta, cum ait illam diebus Dominicis frequentari; nam in omnibus nostris Sacramentariis mss. et in Editis ex Vaticano, ejusmodi Præfatio in nulla Dominica (si octavam Pentecostes exceperis) reperitur, sed singulis Dominicis propria sua tribuitur Præfatio; qui sane codices mss. ipso Micrologo sunt antiquiores, qui proinde solam suæ tempestatis usus in quibusdam Italiæ locis rationem habuisse videtur, non satis explorato usu antiquiore. Quare ex his quæ supra notata sunt ejusmodi [c] Præfatio videtur a Pelagio instituta ob festum sanctæ Trinitatis.

402. *Qui cum unigenito filio*, etc. Recte Corippus, lib. de Laudibus Justini minoris :

> . . . . Illic pia cernitur esse.
> Indivisa manens Patris, Genitique potestas,
> Spiritus et sanctus substantia creditur una.
> Tres sunt personæ, subsistunt, nomina fulgent.
> Utque Pater Deus est, Genitus Deus æquus honore,
> Spiritus et sanctus pariter Deus.

403. *Dedicatio basilicæ sancti Nicomedis.* Hæc Missa non habetur in Editis, exstat tamen in omnibus aliis codicibus nostris mss., et apud Pamelium, [d] in quo deest τὸ *basilicæ*. In Codice Rhemensi obrepsit error in titulo; legitur enim *Nicodimi*, qui tamen abest ab

[a] Est etiam omnino diversa in vet. Sacram. Gallic., ubi festum hoc appellatur *in Quinquagesimo;* at eadem in Codice Reg. Sueciæ et in aliis Mss. nostris.

[b] In Cod. Reg. Suec. legitur : *Apostolos plebem-que credentium præsentia suæ Majestatis implevit.*

[c] Nulli e Mss. nostris habent Præfationem hanc Dominica seu hebdomada secunda post Pentecosten

[d] In Cod. Calensi legitur : *Natale sancti Nicomedis*

Orationibus ejusdem Codicis, in quibus legitur τὸ *Nicomedis* et *Nicomede*.

Hæc dedicatio eodem die exstat in Martyrologiis Bedæ, Usuardi et Adonis; et in Martyrologio ms. biblioth. Corb.: *Romæ, dedicatio sancti Nicomedis martyris, cujus martyrium* XVII *Kalend. Octobris ibidem celebratur.* In Martyrologio Rabani: *Kalend. Juniis, sancti Nicomedis martyris ecclesiæ dedicatio:* et in Martyrologio Notkeri eodem die: *Romæ, dedicatio sancti Nicomedis presbyteri et martyris, cujus martyrium* XVII *Kalend. Octobris celebratur.* In Martyrol. ms. sancti Hieronymi fit quidem eodem die mentio sancti Nicomedis, sed non dedicationis ecclesiæ: *Romæ, Juvenci, Cyrici, Nicomedis martyris, Exsuperantii, Eracliæ.* In parvulo Martyrologio ms. Cod. Rhem. assuto: *Kalend. Junii, dedicatio sancti Nicomedis in Thessalonica.* Ubi hæc verba, *in Thessalonica*, non spectant ad hanc dedicationem; sed quia hujus Martyrologii dies singuli unica linea comprehenduntur, cum ad finem lineæ perventum est, cætera a scriptore sunt omissa, quæ ad hæc vocabula spectant, quod planum est ex Martyrologio Rabani, in quo proxime post dedicationem sancti Nicomedis sequitur: *In Thessalonica natale Octavii*, et ex Martyrologio sancti Hieronymi, in quo statim post nominatos sanctum Nicomedem et cæteros subjungitur: *in Thessalonica Luciæ Virginis*, etc. cum priorem nominasset in limine istarum Kalendarum sanctum Octavium, *in Thessalonica sancti Octavii.* Hujus Ecclesiæ sancti Nicomedis mentio fit in concilio Romano I, sub Symmacho papa. Porro in Codice Ratoldi abbatis habetur, VI *Idus Junii, natale sancti Medardi confessoris.*

404. *Natale sanctorum Primi et Feliciani.* Hic dies festus non exstat in Cod. Rodradi, quemadmodum nec sequens.

405. *Et quod illis contulit excellentia sempiterna.* Legitur in Cod. Rhemensi: *Et quod illis contulit excellentiam sempiternam*, id est, meritum passionis illorum, quod eis gloriam contulit sempiternam, fructibus nostræ devotionis applicetur.

Porro in Codicibus Ratoldi et Rhemensi habetur XVII Kalend. Julii natale sancti Viti, cui in Missali Romano adjunguntur Modestus et Crescentia.

406. *Per quam.* Lege ut in Cod. Ratoldi, *per quem*, ut referatur ad τὸ *Domine;* vel *per quæ*, ut in Cod. Rhemensi, ut referatur ad τὸ *mirabilia.*

407. *Denuntiatio jejuniorum.* Denuntiatio illa jejuniorum olim fiebat in Missa post illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum, et cum Spiritu tuo*, ut videre est in Codice Rhemensi in Orationibus quotidianis ad Missas: *Pax Domini sit semper vobiscum, et cum spiritu tuo. Post hæc commonenda est plebs pro jejunio primi, quarti, septimi et decimi mensis temporibus.*

408. *Die vero Sabbati*, etc. Juxta sanctum Leonem papam, serm. 9 de jejunio septimi mensis: **403** *Sabbato vero, apud beatum Petrum apostolum vigilias celebremus.*

409. *Mensis* IV, *feria* IV. In Editis male legitur: *Feria* IV *mensis septimi, hoc est Septembris.*

410. *Si post hebdomadam Pentecostes advenerit.* Hæc non reperiuntur in Editis, nec in aliis Codicibus nostris mss. Quæ tamen scripta sunt juxta morem illorum temporum, in quibus celebrabatur jejunium mensis quarti hebdomade secunda Junii, ex quo sæpe contingebat hoc jejunium peragi post hebdomadem Pentecostes, ut videre est in concilio Moguntino sub Carolo Magno, in quo XXX episcopi et XXV abbates convenerunt, can. 34: *Similiter in mense Junio Hebdomada secunda, feria 4 et 6, et Sabbato jejunetur usque ad horam nonam.* Quod citatur a Burchardo, lib. II, cap. 14, sed contractius; et a Micrologo, cap. 24 et 25, de Observationibus eccl. Sed videtur intelligere aliud concil. Moguntinum, cum ait illud fuisse sub Henrico secundo celebratum, eique interfuisse duodecim episcopos. Idem statuitur in concilio Rothomag. celebrato anno 1072. *Item quatuor temporum observatio competenti tempore secundum divinam institutionem communi observantia a nobis servetur, id est prima hebdomada Martii, secunda Junii*, etc., ut refert Ordericus, lib. IV Hist. eccl. Hæc pro ratione temporum illorum. Fuit sane antiquior usus jejunii hujus celebrandi in ipsa Pentecostes hebdomade, ut clarum est ex sancto Isidoro, lib. I de Offic. eccl., cap. 37, et sancto Leone papa, serm. 1, 2, 3 et 4, de jejunio Pentecostes: qui tandem in Ecclesia revixit auctoritate Gregorii VII, ut docet Micrologus, cap. 25, et Urbani II, in concilio Claromontano, in quo sic statuitur: *Jejunium secundum semper in hebdomade Pentecostes celebretur*, ut refert Ordericus Vitalis, lib. IX Hist. eccl. Sic olim jejunium primum quatuor temporum peragebatur in hebdomade prima mensis Martii, ut videre est eodem can. concilii Moguntini supra citati: *Constitutum est ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id est in mense primo, Hebdomada prima*, etc. Et concilio Rothomagensi supra citato: *Communi observantia observetur a nobis, id est prima Hebdomada Martii.* Sed postea idem Gregorius VII transtulit illud in hebdomadem primam Quadragesimæ, ut docet Micrologus, cap. 24, et ita statutum est in concilio citato Claromontano: *Omni tempore primum jejunium quatuor temporum prima hebdomada Quadragesimæ celebretur*, ut refert Ordericus Vitalis libro citato.

411. *Post benedictiones.* Id est, post recitatum hymnum trium puerorum: *Benedicite omnia opera Domini Domino*, etc.

412. *Natale sanctorum Gervasii et Protasii.* In Codicibus Rhemensi et Ratoldi, pridie hujus festi, est vigilia eorumdem sanctorum cum eodem officio in utroque Codice, cujus prima Oratio et super oblata sunt ut in Missa Ambrosiana, in vigilia eorumdem sanctorum.

413. *Sanctorum martyrum*, etc. In Codicibus Rodradi et Ratoldi est alia Missa [a].

414. *Intercessione beatorum*, etc. In Missa Ambrosiana legitur: *Protasio et Gervasio martyribus.* Ubi nota *Protasium* priorem Gervasio nominari, quod semper fit in utraque Missa liturgiæ Ambrosianæ, et in Codice Rodradi, etsi vulgo sanctus Gervasius **404** præponatur. In Cod. Rhemensi hæc verba, *et intercessione*, desiderantur.

415. *Fulciatur.* In Missa Ambrosiana, et in Codice Rhemensi legitur, *firmetur.*

416. *Vigilia* [b] *sancti Joannis Baptistæ.* In Cod. Rhemensi legitur: *In jejunio sancti Joannis Baptistæ.*

417. *Exhibentes solemne jejunium*, etc. In Codice Rhemensi habetur quidem eadem Præfatio, sed paulo fusior, multisque verbis immutatis.

418. *In prima missa de nocte.* Ita in Cod. Rhem. In Cod. Rodr. et Rat. legitur, *in prima mane;* apud Pamelium, *in mane prima.* Missa non exstat in Editis nec in liturgia Ambrosiana. Alcuinus, lib. de Offic. eccl., cap. de sancto Joanne, ait tres Missas in festo sancti Joannis Baptistæ celebrari, inter quas recenset Missam de vigilia, quæ proinde, et quia jejunium celebre erat, dicebatur post solis occubitum, in quo pro more

mart., consentiente secundo Theod. In Gemet.: *Dedicatio sancti Nicomedis mart.* In priori Theod.: *Dedicatio eccl. sancti Nicom.* In Cod. Reg. Suec.: *Dedicatio basilicæ sancti Nicomedis.*

[a] Et in Cod. Reg. Suec. In Ed. Pamel. hæc legitur, sed intra uncinos contenta.

[b] Ante hanc vigiliam legitur in vet. Sacramentario Romano, sæculo nono saltem exarato, nunc in bibliotheca Vallicellana Patrum Oratorii Romæ asservato: *Mense Junio die 22 sanctorum martyrum* MCCCCLXXX, *quorum vigilia cum silentio et jejunio est celebranda, et concessum est eis pro illo uno die annum dimittere in pœnitentia.* Quæ observo ob antiquum indulgentiæ concessæ exemplum.

ecclesiastico dies festi tunc incipiebant; rationemque reddit in hunc modum : *Ideo tres Missæ celebrantur in festivitate sancti Joannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit; ad hoc enim venit, ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis, qui triumphus celebratur in vigilia ejusdem. Per ministerium baptismi claruit insignis; hujus ministerii triumphus in prima Missa recolitur. Nazaræus permansit in utero matris; hoc donum recolitur in die.* Idem videtur in Ordine Romano : *Ideo tres Missæ celebrantur*, id est, *una in vigilia ejusdem, duæ in die nativitatis ejus, quia tribus triumphis refulsit insignis;* id est, *officio Præcursoris*, *Baptistæ ministerio*, *et quia Nazaræus in utero matris remansit.*

419. *Et adhuc clausus in utero*, etc. Ita præclare Ennodius, in dictione Maximo episcopo missa : *Cujus senior gratia, quam natura, dum ante lucis ingressum pii vatis implesset officium, lumen vitæ hujus virtute signavit.* Et Prudentius in Apotheosi :

> Primus et infantem non natus nuntiat infans.
> Jam nostrum vagire sibi nam pusio nondum
> Norat, et ora Deo reserabat garrula Christo.

420. *Qui et genitricis*, etc. Præclare Ennodius, dictione supra citata : *Nam uno eodemque tempore et matrem fecunditate nobilem fecit, et inofficiosa genitoris labia in loquelam pristinam usu remeante commovit.* In Cod. Rhem. sequitur vigilia sanctorum Joannis et Pauli, quæ in aliis Codicibus nostris mss. desideratur.

421. *Natale sancti Leonis papæ.* Hoc festum abest a Cod. Rhemensi.

422. *Ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio.* Ita in Editis, in Codice Ratoldi, et apud Pamelium. Subaudi *Ad gloriam*, vel, *Ad honorem*, ut explicat Innocentius III, de Celebratione Missarum, cap. 6, § 3. In Codice Rodradi legitur : *Ut intercedente beato Leone hæc nobis prosit oblatio.* In Missali Romano, *ut intercessione beati Leonis*, etc.

423. *Vigilia sancti Petri.* In Codicibus Rodradi, Ratoldi, et Rhemensi duplex **405** exstat Vigilia. Secunda est *in nocte*. Geminas hujus festi vigilias notat Amalarius, lib. de Ordine Antiphonarii cap. 69 : *Ex Romano Antiphonario posui duas vigilias in nostro Antiphonario. Primam solet apostolicus facere in initio noctis, quæ fit sine Invitatorio, quoniam ea hora non invitatur populus ad vigilias. Populus enim invitatur ad vigilias ea hora noctis de qua dicebat David propheta* : *Præveni in maturitate, et clamavi.* Ubi maturitas accipitur pro media nocte, ut idem explicat Amalarius ex sancto Augustino.

424. *Quando Apostolicus*, etc. Hæc verba desiderantur in Excusis, et in aliis Codicibus nostris mss. Hæc autem verba huic diei conveniunt, in quo est duplex Missa, tum sancti Leonis, tum vigiliæ apostolorum; et pontifex aliquando duas Missas, aliquando unam pro devotione faciebat. Olim enim uni sacerdoti plures Missas canere licebat. Sic papa olim, ut infra videbitur in solemnitate apostolorum Petri et Pauli duas Missas faciebat, alteram apud sanctum Petrum, alteram apud sanctum Paulum. Nec obstat quod sanctus Leo, epist. 80, Missarum celebrationem eodem die iterari prohibeat, nisi ob angustias Ecclesiæ omnis populus sacrificio interesse non potuerit; nam ejusmodi decretum videtur esse de una et eadem Ecclesia, quod etiam non erat amplius in usu tempore quo hic liber Sacramentorum scriptus est.

425. *Non lavat os.* Non tam propter periculum, ne pauxillum aquæ casu interfluat, quam quia id minime necessarium est. Si enim propterea a sancta communione esset abstinendum, hoc sæpe Satanæ malitia contingeret, ut scribit Timotheus patriarcha Alexandrinus in canone, interrogatione 15.

426. *Apostoli tui Petri fide et nomine consecrasti.* Cum videlicet Christum Dei vivi Filium esse confessus est, et Petri nomen a Christo accepit, Matth. XVI, ubi in textu Græco πέτρος est petra; nam apud Græcos πέτρος petram significat, ut clarum est ex Hesychio, et videtur apud Sophoclem in Œdipode Colonæo circa initium :

> Οὗ κῶλα κάμψον τοῦδ' ἐπ' ἀξέστου πέτρου.

Id est, ibi sede super hac aspera petra. Et τὸ Petrus Latinum recte a Græco deflexum est.

427. *Natale ejusdem Petri et Pauli.* In Cod. Rodradi legitur : *Natale sancti Petri.* In Cod. Rhem. : *Natale sancti Petri proprie.*

428. *Pontificium.* Pontificium est potestas. Vide superius observata.

429. *Natale sancti Pauli.* Ita in Editis et in aliis Codicibus nostris mss., quemadmodum et in Ordine Romano. At in Missali Romano est *Commemoratio sancti Pauli apostoli.* Micrologus, cap. 42 hujus festi translationem attribuit sancto Gregorio; id est, cum olim utraque solemnitas in die sancti Petri ageretur. Etenim papa eo die bis olim sacris operabatur, primo in basilica sancti Petri, secundo in basilica sancti Pauli, ut liquet ex Prudentio in Peristephanon, carm. 12.

> Transtyberina prius solvit sacra pervigil sacerdos;
> Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Erat etiam frequens ad utramque basilicam populi concursus, ut apparet ex eodem Prudentio ibidem :

> Aspice, per bifidas urbis Romula funditur plateas
> Lux in duabus fervet una festis.

406 Quare in hymno sancti Ambrosii, ubi scriptum est :

> Trinis celebratur viis
> Festum tantorum martyrum;

haud dubie legendum est τὸ *binis*.

430. *Præfatio et benedictio quæ supra.* Ita in Excusis, in quibus nulla est hic benedictio, sicut nec in toto volumine [a].

431. *Octava Apostolorum*, etc. Hæc octava non exstat in Codice Rodradi. Porro in Codice Ratoldi abbatis IV Nonas Julii, sequitur : [b] *Translatio sancti Martini*, quo die celebratur etiam ejusdem sancti ordinatio, et Ecclesiæ ejusdem dedicatio, ut videre est in Kalendario affixo huic Ratoldi Sacramentario : IV *Nonas translatio sancti Martini, et ordinatio et dedicatio basilicæ ipsius*; et in Martyrologio Rabani eodem die : IV *Nonas in Gallia Turonis civitate, ordinatio episcopatus, et translatio corporis sancti Martini episcopi et confessoris, et dedicatio basilicæ ipsius.* Idque ex doctrina sancti Gregorii Turonensis, qui lib. II Hist. Franc., cap. 14, scribit triplicem hanc solemnitatem hoc die celebrari : *Solemnitas enim ipsius basilicæ triplici virtute pollet, id est dedicatione templi, translatione corporis sancti, ordinatione ejus episcopatus. Hanc enim IV Nonas Julias observabis, depositionem vero ejus tertio Idus Novembris esse cognosces.* Qui idem scribit lib. IV de Miraculis sancti Martini, cap. 6. Ita in Martyrologio Adonis; sed in Martyrologio Usuardi nulla fit mentio dedicationis ecclesiæ.

Hæc autem ecclesia sancti Martini est quam ædificavit sanctus Perpetuus Turonensis episcopus super sepulcrum sancti Martini, deturbata priori ecclesia,

[a] Cum hæc etiam legantur in Edit. Vatic. et in Gussanv., in quibus tamen nullæ reperiuntur Benedictiones, inde necessario colligitur Codicem ex quo prius prodiit liber Sacramentorum, accurante Angelo Rocca, mutilum fuisse, aut ejus jussu a typographis omissas fuisse Benedictiones quas noster Codex habet.

[b] In Cod. Gemet. idem legitur; sed officium est diversum. In utroque Theod. hoc festum notatur, at in secundo dicitur : *Natale sancti Martini.* In illo Missa eadem est ac in Gemet.; in priori vero utraque, scilicet tam quæ habetur in Cod. Ratoldi quam quæ in Gemet., continetur.

quod angustior esset, ut docet idem sanctus Gregorius Turonensis, cap. citato, et lib. x, cap. 31, et Sidonius, lib. iv, epist. 18, qui ad preces ejusdem sancti Perpetui composuit epigramma hujus templi parietibus incidendum, cujus clausula est ejusmodi :

Dumque venit Christus populos qui suscitat omnes,
Perpetuo durent culmina Perpetui.

Translatio vero corporis est cum ex illius sepulcro in absidem majoris ecclesiæ ab eodem sancto Perpetuo translatum est, ut scribit sanctus Gregorius Turon. lib. x Hist. Franc., c. 31 : *Hic* (Perpetuus), *submota basilica quam prius Briccius episcopus ædificaverat super sanctum Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere, in cujus absida beatum corpus ipsius venerabilis sancti transtulit*. Missa autem sic habetur in Cod. Ratoldi : *Oratio :* Deus, qui nobis diei hujus solemnitatem in honore sancti Martini confessoris tui atque pontificis consecrasti, adesto familiæ tuæ precibus, ut cujus festa colimus, ejus meritis auxilio sublevemur. *Super oblata :* Respice, Domine, populum tuum ad viam [*leg.* vitæ] sacramenta currentem in præsenti festivitate confessoris tui atque pontificis Martini, quod [*leg.* ut quod] in honore nominis tui detulerunt, cunctis prosit ad veniam. *Præfatio :* Vere dignum et justum est. Qui beatum Martinum confessorem tuum atque pontificem lætificas in regeneratione, in beatitudine sempiterna fine, ut omnia possit videre in tua claritate cum omnibus sanctis, ubi temperantia spiritalis, et suavitas mirabilis, ubi refrigerium mirabile, et lætitia inenarrabilis, ubi præsentia salutaris Filii tui Domini nostri, in quo semper lætantes proficere [*leg.* prospicere] desiderant angeli adorant. *Ad Complendum :* Gratias agimus 407 tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, qui nos cœlesti medela reparare dignatus es, de peccatis nostris venia n, sicut beato Martino confessori tuo dedisti sedem pontificatus. Per.

432. *Septem fratrum*. Filiorum sanctæ Felicitatis videlicet. In Missali Romano adduntur sanctæ Rufina et Secunda sorores, quæ non habentur in Excusis, neque apud Pamelium, neque in aliis Codicibus nostris mss.

In Codice Ratoldi eodem die sequitur : *Vigilia sancti Benedicti abbatis*. Oratio : *Concede, quæsumus, Domine, alacribus animis, beati Benedicti confessoris tui solemnia celebrare*, etc. Super oblata : *Oblatio confessoris tui Benedicti honore*, etc. Ad Complendum : *Quos cœlestibus, Domine, recreas alimentis*, etc. In eodem Codice die sequenti ita habetur : v *Idus Julii, natale sancti Benedicti*, quemadmodum in Codicibus Rhemensi et Rodradi, in quibus Missa est de communi unius abbatis, *intercessio*, etc., cum reliquis, ut in Missali Romano. At in Codice Ratoldi hæc habetur Missa : *Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna luce carnis eductum ergastulo sanctissimum confessorem tuum Benedictum sublevasti ad cœlum*, etc. Super oblata : *Oblatis, Domine, ad honorem beati Benedicti confessoris tui placare muneribus*, etc. Præfatio : *Et gloriam tuam profusis precibus exorare*, etc. Ad Complendum : *Fidelium tuorum, quæsumus, Domine, vota serenus intende; et interventu beati Benedicti, cujus depositionis diem celebramus*, etc. Non tamen propterea existimandum est natale sancti Benedicti in hanc diem fuisse translatum propter Quadragesimam, quia in eodem Codice Ratoldi exstat ejusdem sancti Benedicti natale xii Kalend. Aprilis, sub hoc titulo : xii *Kalend. Aprilis, natale sancti Benedicti abbatis*. [a] In Præfatione Missæ fit commemoratio obitus illius : *Honorandi Patris Benedicti gloriosum celebrantes diem, in quo hoc sæculum triste deserens ad cœlestis patriæ gaudia migravit æterna*, etc. Quemadmodum et in Oratione post communionem : *Perceptis, Domine, Deus noster, salutaribus sacramentis, humiliter deprecamur, ut, intercedente beato confessore tuo Benedicto atque abbate, quæ pro illius venerando agimus obitu nobis proficiant ad salutem*.

Quare sciendum est olim in die translationis reliquiarum diem depositionis celebratum fuisse, nulla translationis facta mentione, ut infra videbitur in translationibus sanctorum Remigii et Vedasti : ac proinde Orationes sive Missa superius productæ opinionem de translatione corporis sancti Benedicti in Floriacense monasterium labefactare non possunt, de qua fuse egimus in nostris observationibus ad Martyrologium Benedictinum. In eodem Codice Ratoldi Dominicam quartam post Pentecosten excipit octava sancti Benedicti, cujus Missa est de communi unius abbatis, ut in Missali Romano. In eodem Codice sequitur : xii [b] *Kalend. Augusti, natale sanctæ Praxedis*, quæ in prima Missæ Oratione martyr appellatur : *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Praxedis martyris tuæ natalitia colimus*, etc. Aliter tamen vulgo existimatur. In eodem Cod. sequitur : x *Kalend. August., nat. sancti Apollinaris*.

433. *Sancti Jacobi apostoli*. In Missali Rom. hic habetur commemoratio sancti Christophori martyris, cujus nulla mentio fit in nostris Codicibus tam editis quam mss.

In Cod. Ratoldi hæc sequuntur : *Eodem die natalis sancti Cucuphatis martyris*. Martyrium passus est Barcinone in Hispania. Unde Prudentius in Peristephano :

Barcinon claro Cucuphate freta
Surget.

408 Prima Missæ Oratio : *Deus, per quem fides ignem non sentit et infidelitas sine igne exuritur, qui beato Cucuphati martyri tuo flamma tui Spiritus succenso superare tribuisti incendia tormentorum*, etc. Super oblata : *Sacrificium laudis*, etc. Hæc Oratio prolixior est solito. Post communionem : *Sit nobis, Domine, intercedente beato Cucuphate*, etc. Ex prima Oratione discimus hunc sanctum martyrem flammarum incendio excruciatum fuisse, quod testatur Notkerus in Martyrologio : *In Hispania, civitate Barcilone, Cucufatis martyris; qui ex civitate Scyllitana oriundus fuit, Barcilone sub Galerio proconsule et Maximiano et Rufino passus; primo gravissime tortus et cæsus, deinde catenis astrictus; in craticula superextensus, aceto et synapi perfusus assari jussus est. Cumque ab igne et flammarum globis illæsus apparuisset, ex præcepto impii judicis extra civitatem ductus, in ignem copiosum iterum projectus est : quo, divino nutu, exstincto, iterum ferro vinctus in custodiam detrusus est. Ubi, divino splendore consolatus, iterum carduis ferreis et taureis crudelissime cæsus, in ultimo, gladio perimente consummatus est*. Hæc ille. Ubi tamen hæc verba : *Sub Galerio proconsule, et Maximiano, et Rufino passus*, transposita sunt, et legendum : *Sub Rufino proconsule et Galerio Maximiano passus*.

Ejus corpus postea translatum est in monasterium sancti Dionysii secundo a Lutetia Parisiorum lapide, ubi adhuc videtur in capsa, in apside ejusdem ecclesiæ conditum, ejusque passio exstat in breviario, et veteribus lectionariis ejusdem cœnobii. De hac translatione agit Notkerus ibidem : *Cujus corpus a Christianis ibidem tunc temporis sepultum, sed postmodum inde translatum non longe a civitate Parisiaca in ecclesia beatorum martyrum Dionysii, Rustici et Eleutherii translatum, et usque ad hæc Normannorum tempora omni cum honore cultum est*. Hujus martyris mentio fit in Martyrologio ms. sancti Hieronymi : *In Hispania, Barcilona civitate, passio sancti Cucufatis martyris*.

434. *Sancti Felicis*. Ita in Excusis. In Cod. Ro-

[a] In nostris quoque Mss. duplex sancti Benedicti festum assignatur, ejus sc. depositio xii Kal. Aprilis, et v Idus Julii natale seu translatio.

[b] Nostri Codices exhibent hoc festum. In Theod. assignatur alia Missa.

dradi : [a] *Sancti Felicis et Simplicii, Faustini et Beatricis.* Missa tamen est tantum de sancto Felice, eadem cum Codice sancti Eligii. In Cod. Rhem. habetur : IV *Kalendas Augusti, natale sanctorum Simplicii, Faustini.* In eorum Orationibus reperitur etiam nomen sanctæ Beatricis. Postea sequitur in eodem codice : IV *Kalendas Augusti natale sancti Felicis*, cum sua Missa, cujus prima Oratio est : *Sancti Felicis, Domine, martyris tui confessio recensita conferat nobis piæ devotionis augmentum*, etc. Super oblata : *Hostias pro commemoratione sancti Felicis*, etc. Ubi legendum est : *Hostias tibi, Domine, pro commemoratione*, etc. Post communionem : *Repleti cibo potuque cœlesti*, etc. At in Cod. Ratoldi habetur, IV *Kalend. August. natale sanctorum Felicis, Simplicis* (lege *Simplicii*) *Faustini, et Beatricis*, cum iisdem Orationibus, quæ sunt in Cod. Rhem. Postea sequitur in eodem Codice Ratoldi : *Item propria Missa sancti Felicis*, cujus Oratio super oblata est ejusmodi : *Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio*, etc. Reliqua, ut in Cod. sancti Eligii.

Hic autem Felix [b] est sanctus Felix II, subrogatus Liberio exsulanti, papa, qui a Constantio Constantini Magni filio Ariano ob fidem catholicam a sua sede dejectus martyrio coronatus est, ut videre est in Martyrologiis Romano, Usuardi, Rabani, et Notkeri, qui duo ultimi scribunt eum fuisse capite truncatum. De eo hæc habet Martyrologium ms. bibliothecæ Corbeiensis : *Romæ via Aurelia sancti Felicis episcopi et martyris, sub Constantino* (lege *Constantio*) *filio Constantini.* In Martyrologio sancti Hieronymi nulla fit illius mentio hac die, sed **409** tantum cujusdam in Africa Felicis. Sed his contraria leguntur in excerptis ex Vita sancti Athanasii in Bibliotheca Photii, n. 258 : καὶ ἀντιχειροτονεῖται Φῆλιξ, ὃς παραχρῆμα μὲν ποινῇ θεηλάτῳ τῇ τῶν ὀφθαλμῶν πηρώσει ὑποβάλλεται. ὕστερον δὲ καὶ λοιμικῇ νόσῳ κατασχεθεὶς διαφθείρεται. Id est : Pro illo (Liberio) ordinatur Felix, qui statim divinitus immissa oculorum cæcitate plectitur, et postea peste consumptus interiit. Sed hæc falsitatis suspicione non carent, quia veteres historiæ ecclesiasticæ scriptores, Socrates, Theodoretus et Sozomenus, nihil simile scripserunt. Vide Baronium, tom. III Annal., ad ann. 357.

435. *Et quos.* Optime. Et sic construendum : *Et nos quos propriæ actionis pondus*, etc. In Missali Romano legitur *et quia*.

436. *Sennes.* In nominandi casu recte satis. Siquidem in Martyrologiis sancti Hieronymi, Rabani et Notkeri, in genitivo legitur *Sennis*. Ita ut hoc nomen sit pro cujusque arbitrio aut declinabile, aut indeclinabile. [c] Porro in Cod. Ratoldi sequitur : *II Kalend. Augusti, nat. sancti Germani.* Quod de sancto Germano antistite Autissiodorensi est intelligendum.

437. *Ad sanctum Petrum ad vincula.* In Cod. Rhem. additur : *Et catenæ ejus osculantur ipso die.* In appendice Rodradi : Et catenas ejus *osculando* (leg. *osculantur*). *Item ipso die, natale Machabæorum.* In Martyrologiis Rom. Bedæ et Usuardi : *Dedicatio sancti Petri ad Vincula.* In Martyrologiis sancti Hieronymi et Rabani : *Romæ, dedicatio primæ ecclesiæ a beato apostolo constructæ et consecratæ.* In Martyrologio Notkeri : *Romæ statio ad sanctum Petrum ad Vincula, quam ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit, et consecravit.* Hinc capienda sunt illa sancti Leonis papæ, serm. de Machabæis : *Duplex enim causa lætitiæ est, in qua et natalem ecclesiæ colimus, et martyrum passione gaudemus.*

In Cod. Ratoldi hic habetur Missa duplex : prior sancti Petri, altera sanctorum Machabæorum, ut in Cod. Rodr. Sed Missa Machabæorum est in appendice. In Cod. Rhemensi una habetur Missa Machabæorum, nulla sancti Petri, etsi titulus solemnitatis sancti Petri in eo præcedat titulum celebritatis Machabæorum [d].

438. *Sancti Sixti.* Ita legitur in Codicibus Rhemensi, Rodradi et Ratoldi ; et ita legit sanctus Hieronymus, lib. I adversus Pelagianos : *Quod librum Xysti Pythagorici hominis absque Christo atque ethnici, immutato nomine Sixti martyris et Romanæ Ecclesiæ episcopi, prænotavit.* Ita etiam scribitur in Martyrol. ms. sancti Hieronymi. Ita etiam in Martyrol. ms. biblioth. Corb. et in Martyrologiis Rabani et Notkeri ; vulgo tamen dicitur [e] Xystus, ut in parvulo Martyrol. ms. Biblioth. Corb. et apud Eusebium, lib. VII Hist. Eccl., cap. 8. ξύστος

439. *Præfatio uvæ.* — Id est, Præfatio ad uvam benedicendam, quæ tamen Præfatio hic desideratur, quemadmodum etiam in Cod. Rodradi presbyteri, [f] quamvis hæc eadem verba in eo reperiantur, quæ desiderantur in Codicibus Ratoldi et Rhemensi.

440. *Benedictio uvæ.* — Hæc desunt in Codice Rhemensi. In Cod. Ratoldi additur, *sive fabæ*. Eodem die in Græcorum Euchologii fine **410** exstat uvæ Benedictio sub eadem fere verborum formula.

Consuetudo sane vetus fuit Ecclesiæ uvam maturam et fabas benedicere in altari ex institutione Eutychiani papæ, ut patet ex Pontificali Damasi : *Hic instituit fruges fabæ et uvæ in altario benedici*, et ex Martyrologiis Rabani et Notkeri. In concilio Carthag. III, c. 3, frumenti et uvæ mentio fit, quæ in altari benedicantur, juxta versionem Græcam et veteres Codices, quemadmodum in concilio Trullensi, can. 28 : *Primitiæ uvæ et frumenti offerantur in altari benedicendæ sua peculiari Benedictione.* Et in can. 5 apostolorum, juxta veterem interpretationem : *Offerre non liceat aliquid ad altare, præter novas spicas vel uvas.* Constantinopoli offeruntur uvæ in altari templi Blachernarum a patriarcha in die dormitionis sanctæ Mariæ, ut refert Theodorus Balsamo in citatum canonem. Porro in Cod. Rhem., VII Idus August., habetur Missa de sancto Donato episcopo.

441. *Cyriaci Martyris.* — Ita in Excusis et in aliis Codicibus nostris mss. In Missali Rom. adduntur Largus et Smaragdus.

442. *In prima Missa de nocte.* — Hæc Missa non exstat in Excusis. Habetur tamen in aliis codicibus nostris mss. et apud Pamelium. In Cod. Ratoldi legitur *in prima* tantum. In Codicibus Rodradi et Rhem. *In prima Missa.* Apud Pamelium, *In primo mane.* Itaque illud *de nocte*, non ita stricte accipiendum est.

443. *Replente.* — Recte. Ita in aliis Codicibus nostris mss. vulgo habetur *Repleti*.

444. *In die solemnitatis hodiernæ.* — In Cod. Rhem. : *In die solemnitatis hodiernæ, qua beati Laurentii hostiam tibi placitam, et castum corporis*, etc. leg. *et holocaustum corporis* [g].

[a] Ita quoque in Calensi et in Cod. Reg. Suec. In Gemet., post festum sancti Felicis, legitur, *eodem die, nat. sanctorum Simplicii, Faustini et Beatricis.* Ita se habet Edit. Pamel. Jungitur sanctus Felix cum cæteris in Kalend. Rom.

[b] In Kalend. Rom. dicitur *sancti Felicis papæ.*

[c] In Kalend. Rom. legitur : *sanctorum Abdon et Sennes.*

[d] In Cod. Reg. Suec. nulla est Machab. memoria, nec in Kalend. Rom. In Gemet. et altero Theod. legitur VII *fratrum martyr. cum matre*, dissimulato Machabæorum nomine.

[e] Sic legitur in Cod. Reg. Suec. et apud Pamelium, necnon in vet. Missali Gothico, ubi exstat *Missa in natale sancti Sixti papæ urbis Romæ.*

[f] In duobus Theod. legitur etiam *Præfatio uvæ*; nec tamen habetur. Eodem modo legitur apud Pamel. et in Cod. Reg. Suec., ubi tamen Præfatio deest. Benedictionem autem uvæ continent laudati Codices.

[g] In priori Theod. legitur eadem Præfatio, ubi nihil mutandum mihi videtur, optimo enim sensu legitur : *Hostiam tibi placitam et castam corporis. . . suscepisti.* At male Codex Rhemensis habet, *castum.*

445. *Oblatus est.* — Ita in Codice Ratoldi abbatis. In Excusis legitur *Oblata est*, non ita recte.

446. *Votiva.* — Id est devota, Deo oblata, et consecrata.

447. *Sancti Tiburtii.* — In Miss. Rom. additur Susanna.

448. *Auxilium nobis tuæ propitiationis adfore precamur.* — In Cod. Rhem. legitur: *Auxilium nobis tuæ propitiationis acquirimus.*

449. *Quoniam credimus*, etc. — In eodem Cod. legitur: *Nec desperamus de venitate quam per eos qui tibi placuere deposcimus.* Ubi τὸ *venitate*, id est, venia, aut certe legendum est: *venia quam a te per eos qui tibi placuere deposcimus*, ita ut hæc ab amanuensi confusa fuerint.

450. *Vitæ præsentis auxilium et futuræ.* — Id est, auxilium ad præsentem vitam recte ducendam, et ad futuram capessendam.

451. *Sancti Hippolyti.* — In Missali [a] Romano ei Sanctus Cassianus martyr Fori Sempronii adjungitur, de quo Prudentius in Peristephano.

411 452. *Et tuam Clementiam*, etc. — In Cod. Rhem. est alia Præfatio: *Quia non solum malis nostris bona retribuis, sed et miseris uberiora dona concedis, qui digne pro nobis possint intercedere, contulisti; ut quod nostra scientia non habebit, intercessio supplicaret gratia justorum.* Sed hæc corrupta sunt, et primo legendum est: *Sed ut miseris uberiora dona concedas, sanctos tuos, qui digne*, etc. Secundo, pro *scientia* legendum est *sufficientia*.

453. *Eusebii confessoris.* — Quia multis tormentis pro fide orthodoxa toleratis superstes fuit, eadem ratione confessor appellatur qua supra sanctus Felix Nolanus.

454. *Vigilia Assumptionis*, etc. — Hæc Vigilia in Codice Rhemensi desideratur.

456. *Faciat.* — Ita in editis et in Codicibus Rodradi, et Ratoldi, et apud Pamelium. In Missali Romano legitur *facias*.

455. *Assumptio sanctæ Mariæ.* — Hoc festum [b] a Codino, lib. de Officiis palatii, et a Theodoro Balsamone in canonem tertium apostolorum dicitur κοίμησις τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου, id est, dormitio sanctissimæ Deiparæ; in novella Emmanuelis Comneni imperatoris appellatur ὑπερένδοξος τῆς ἁγίας θεοτόκου μετάστασις, id est, gloriosissima sanctæ Dei matris emigratio, et in Euchologio Græcorum ἡ σεβασμία μετάστασις τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας, id est, emigratio veneranda sanctissimæ Dominæ nostræ Dei Genitricis et semper virginis Mariæ.

457. *Veneranda nobis*, etc. — Hæc Oratio est ad Processionem seu Collectam, cum postea sequatur Oratio ad Missam.

458. *Inter quas intemerata*, etc. — Hæc contractius habentur in Codice Rhemensi.

459. *Deus qui per*, etc. — Ita in Cod. Ratoldi, in quo tamen quarta pars adjicitur ante conclusionem præter consuetudinem harum benedictionum episcopalium, quod et alibi non semel in eodem Codice occurrit.

Porro in Codice Rhemensi sequitur octava sancti Laurentii. Orationes ut apud Pamelium. Præfatio: *Beati Laurentii natalia repetentes, cui fidem confessionemque non abstulit ignis ingestus*, etc., ut in liturgia Ambrosiana. Habetur etiam hæc octava in Cod. Ratoldi, cujus prima Oratio: *Iterata festivitate beati Laurentii*, etc., aliæ orationes, et Præfatio ut in Codice Rhem.

460. *Sancti Martyris tui Agapiti*, etc. — In Codicibus Rodradi et Ratoldi habetur hæc Oratio: *Lætetur Ecclesia*, etc., ut in Missali Romano.

Porro in Codicibus Rhemensi et Ratoldi sequitur: XIV *Kalend. Septemb. natale sancti Magni.* [c] Eodem die in Martyrologio Romano: *Anagniæ, sancti Magni episcopi et Martyris, qui in persecutione Decii necatus est.* Fuit et alius Magnus tantum martyr, non episcopus, de quo eodem die agit Petrus in catalogo, lib. VII, cap. 76, et Martyrologium ms. sancti Hieronymi: *Et natale sancti Magni martyris.* Hic et Andreas appellatur, cumque multis aliis passus est, ut videre est in Martyrologio Usuardi: *Natale sancti Magni, seu sancti Andreæ martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem.* Et in Martyrol. ms. biblioth. Corb. *Natale sancti Magni, seu Andreæ martyrum* (lege *martyris*) *cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem.* In Kalendario libri Sacramentorum Ratoldi abbatis mentio fit 412 etiam ejusdem sancti Magni martyris, sed Andreæ nomine suppresso: *Sancti Magni cum sociis suis* MMDXCVII. Qui quamvis hic martyr non appelletur, id tamen internosci potest ex circumstantiis. In parvulo Martyrologio Codici Rhemensi assuto mentio fit sancti Magni sine adjuncto, in hunc modum: *Et natale sancti Magni.* De hoc autem ultimo puto nostra Sacramentaria esse capienda, cum in eorum Collectis martyr duntaxat appelletur, episcopus neutiquam. Collectæ utriusque Codicis similes sunt et communes.

461. *Sancti Timothei martyris.* — Ita in Excusis et in Codicibus Rodr. et Rhem. Sed in Cod. Rat. hic duæ sunt missæ, prior sancti Timothei, altera sancti Symphoriani, nulla facta mentione sancti Hippolyti, de quo in Missali Romano conjunctim cum aliis.

462. IX *Kalend. Septemb. sancti Bartholomæi.* — Hoc festum hoc die annotatur in omnibus antiquis Martyrologiis, et in Codicibus nostris mss. Rodradi et Rhem. Sed in Cod. Rat. assignatur VIII Kalend. Sept., quo Romæ celebratur, quod eo die corpus ejus sit translatum in insulam Tiberinam; qua de re vide Baronium. Puto tamen Codici Ratoldi mendum obrepsisse unius notæ defectu, quia in ejus Kalendario hoc festum notatur IX Kalend. Septemb.

463. *Non deseris.* — Ita in Codice Ratoldi. At in Cod. Rhem. legitur *Non deserens.* Porro in Codicibus Rhem. et Ratoldi sequitur: VI *Kalend. Septemb.*, *natalis sancti Rufi.* [d] Idem officium est in utroque Codice, et Orationes sunt vulgares. In Oratione super oblata utriusque Codicis hic sanctus Rufus martyr appellatur: *Oblatis, quæsumus, Domine, placare muneribus, et intercedente beato Rufo martyre tuo*, etc.

Hic martyr fuit Capuæ, discipulus sancti Apollinaris primi Ravennatis episcopi. De eo Martyrologium Usuardi hoc die: *Apud Capuam, natale sancti Rufi martyris, quem docuit beatus Apollinaris Petri apostoli discipulus, cum esset patriciæ dignitatis.* Martyrologium Adonis addit *et baptizavit.* Martyrologium Notkeri: *Apud Capuam nativitas sancti Rufi martyris docti et baptizati a sancto Apollinare.* Martyrolog. ms. biblioth. Corb.: *Apud Capuam, natale sancti Rufi martyris.* Martyrologium ms. sancti Hieronymi: *In Capua, sanctorum Rufi, Magni.* Kalendarium ms. Sacramentarii Ratoldi abbatis: *In Capua, natale sancti Rufi martyris.* Martyrologium parvum Sacramentario Rhemensi annexum: *In Capua, natale sancti Rufini* (lege *Rufi*) *martyris.* Quæ omnia

Ex his discimus non facile mutandos correctionis gratia veteres libros.

[a] Non ita nostris in Codicibus.

[b] Hoc festum olim celebratum esse XV Kal. Feb.; hoc est 18 Januarii optime probat Mabillonius, lib. II de Liturgia Gallic., pag. 118. In Lectionario Luxov. notatur post Dominicam secundam ab Epiphania, et in Missali Gothico inter Epiphaniam et sanctæ Agnetis natale. Consule notas et observationes Mabillonii.

[c] In priori Theod. habetur festum seu nat. sancti Magni mart., at IX Kalend. Septembris. In Gemet. vero XIV Kalend. ejusdem mensis.

[d] Codices nostris meminerunt quoque sancti Rufi

non dissident a memorati hujus sancti Rufi Missa, in qua duntaxat martyr (ut antea monui) appellatur, non episcopus, etsi in Martyrologio Romano episcopus et martyr appelletur: *Capuæ in Campania, sancti Rufi episcopi et martyris*, etc. In quo statim subjungitur: *Ibidem, sanctorum martyrum Rufi et Carpophori, qui sub Diocletiano et Maximiano passi sunt.* Sed alibi non legitur hunc Rufum episcopum fuisse nec in Vita sancti Apollinaris apud Surium, nec duos Rufos illius civitatis martyres fuisse.

464. *Beatum Augustinum*, etc. — In Codice Rhemensi est alia Præfatio in hunc modum: *Et omni loco et tempore omnipotentiæ tuæ gloriam celebrare: per quod pietatis officium in commemoratione beati Augustini confessoris tui atque pontificis sacrificium tibi laudis offerimus, et magnificentiam tuam in mortificatione ipsius adoramus, tua in omnibus operante virtute, ut, nullis illecebris corporis, nulla promissa blandimentorum fallacium virtute, tuo ignitus Spiritu vinceretur* **413** *amore*, etc., ut in nostro Codice beati Eligii. Hæc autem ultima verba corrupta sic castiganda sunt: *Ut nullo promissorum blandimentorum fallacium, virtute tui ignitus Spiritus, vinceretur amore.*

465. *Intercessio, Domine*, etc. In Codicibus Rodradi et Ratoldi alia exstat oratio: [a] *Deus, qui beatum Hermetem martyrem tuum virtute constantiæ*, etc., ut in Missali Romano. Hujus meminit Agobardus, epist. ad imper. Ludovicum: *Pensate, pensate, fratres, quam longe est mens vestra ab illa petitione qua in celebrationibus Missarum soletis dicere Deo, non voluntate, sed voce: Da nobis pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare.*

466. *Quas sancti Hermetis*, etc. In Codice Rhemensi legitur: *Quas sancti Hermetis confessoris tui confessione præsenti confidimus adjuvandas. Per Christum.*

467. *Exaudi nos, Deus*, etc. In Codicibus Rodradi et Ratoldi sunt aliæ in hac Missa Orationes, eæque vulgares.

468. *Ab ipso in Spiritu baptizatus.* Nota sanctum Joannem Baptistam ab ipso Christo fuisse baptizatum.

469. *Frueretur.* In Codice Rhemensi legitur *serviretur.*

470. *Deinde capitalem sententiam subiit*, etc. In eodem Cod. hæc aliter leguntur: *Exinde capite plectitur qui plus erat quam propheta. Quia Judæi Christum, qui Dominus et caput prophetarum est, amiserunt. Joannes autem et fidelis pronuntiatus implevit officium præcursoris, ut Redemptorem mundi, quem superius digito demonstraverat, etiam ad inferos pretiosa morte præcederet.*

In eodem Codice, et in Cod. Ratoldi sequitur: *Kalend. Septemb., natale sancti Prisci.* [b] Hic sanctus Priscus martyr est, ut constat ex Collectis utriusque Codicis. Fuit unus ex Septuaginta duobus Christi discipulis, qui passus est Capuæ, via Aquaria. De quo hac die in Martyrologiis Romano, Usuardi, et Notkeri, et in Martyrolog. ms. sæpius citato bibliothecæ Corb., in parvulo Martyrologio ms. Codici Rhemensi affixo, et in Martyrologio ms. sancti Hieronymi, in quo sic legitur: *In Capua aquaria natale sancti Prisci martyris.*

471. *Ad processionem.* Id est, ad Collectam, synaxim, cœtum. Nam processio hic nihil aliud est quam id quod supra in Purificatione sanctæ Mariæ virginis Collecta dicitur. Hoc satis indicat Oratio ad Processionem, quæ non dicitur in ipso incessu, seu deambulatione, sed in ipso templo, populo jam in eo collecto et congregato.

Quod etiam palam est ex concilio Laodicensi, can. 17: *In processionibus Psalmos non connectere.* Nam ibi Processiones non sunt solemnes illæ deambulationes, seu lustrationes, quæ modo fiunt festi alicujus gratia, sive publicæ necessitatis causa, quas vulgo vocant supplicationes, rogationes, Processiones; sed conventus, cœtus populi in ecclesia, ut ex Græco texto ejusdem concilii perspicuum est: Περὶ τοῦ μὴ δεῖν συνάπτειν ἐν ταῖς συνάξεσι τοὺς ψαλμούς, id est, quod non oportet connectere Psalmos in conventibus. Ubi vides in illa veteri interpretatione concilii Processiones esse synaxes, id est cœtus seu conventus. Quod etiam ex sequentibus liquet: Ἀλλὰ διὰ μέσου καθ' ἕκαστον ψαλμὸν γίνεσθαι ἀνάγνωσιν, id est, sed ad unumquemque Psalmum interjecto spatio lectionem fieri; nam in ipsa ecclesia, non vero inter eundum lectiones fiunt.

Quare optime Theodorus Balsamon totum hunc canonem explicat de conventu ecclesiastico, in quo divina **414** officia peraguntur. Et ita capiendus est locus epist. 81 sancti Leonis papæ ad Dioscorum episcopum Alexandrinum: *Quapropter quod remeanti filio Possidonio presbytero hanc ad fraternitatem tuam epistolam dedimus perferendam, qui nostris Processionibus atque ordinationibus frequenter interfuit, et, toties admissus, quid in omnibus apostolicæ auctoritatis teneremus agnovit.* In hac enim epistola agitur de Missarum celebratione, et clericorum ordinatione. Et verbum procedere est ad ecclesiam convenire juxta antiquam loquendi formulam. Sanctus Augustinus, lib. XXII, de Civitate Dei, cap. 8: *Inde ad me curritur, ubi sedebam, jam processurus*, nempe in ecclesiam. Unde paulo post subjungit: *Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia.*

Ennodius in Vita sancti Epiphanii Ticinensis episcopi: *Procedendum censuit omnibus in quolibet aeris errore maturius, ita ut vigiliarum formam lectoribus antecedens ad ecclesiam præberet episcopus.* Ubi vides procedere esse ad ecclesiam ire. Sanctus Hieronymus, epist. 22, tom. I, ad Eustochium: *Rarus sit egressus in publicum, martyres tibi quærantur in cubiculo tuo; nunquam causa deerit procedendi, si semper, quando necesse est, processura sis.* Redarguit virginem quod sæpius quam par esset ad templa martyrum se conferret. In ea enim desiderabat raros excursus, cum procedendi ad ecclesiam, videlicet, causa deesse non posset, si quando necesse esset, nempe verbi Dei audiendi, aut Eucharistiæ sumendæ gratia, id faceret.

Quare id quod opponitur ex Tertulliano, lib. II, ad Uxorem: *Si procedendum est, nunquam magis familiæ occupatio obvenit*, infirmum est. Etenim ibi sermo non est de circuitionibus et rogationibus illis quæ vulgo Processiones appellantur, quæ sane tempore Tertulliani nondum erant in usu, cum tum Christiani in latibulis, cryptis et locis occultis sacra peragerent paganorum metu, qui sane Christianos per plateas canentes trucidassent; quod si factum fuisset, nullæ unquam martyrum historiæ conticuissent. Sed prædicti loci explicatio est emendicanda ex altero loco Tertulliani, libro de Cultu feminarum (qui sane omnino adversatur ejusmodi publicis lustrationibus), ubi agens de tribus causis ob quas debeant procedere Christiani, sic ait: *Nam nec templa circumitis, nec spectacula postulatis, nec festos gentilium nostis. Propter enim ipsos conventus, et mutuum videre et videri, omnes pompæ in publicum proferuntur, aut ut luxuria negotietur, aut gloria insolescat. Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica; aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo administratur.* Quæ tria postrema cum olim fierent a Christianis clanculum et sine pompa, non indigebant in his mulieres ornatu ad ostentationem. Itaque hæc verba Tertulliani, lib. II ad Uxorem, *si procedendum est*, referenda sunt ad tres illas Processionis causas, aut cum visitandus erat infirmus frater, aut sacrificium offerendum, aut verbum Dei audiendum, quæ Christiana mulier pagano

[a] Habetur in utroque Theod.

[b] Ita in Gemet et Theod.

nupta ob crebra familiæ impedimenta vix obire poterat.

Nec ad rem facit id quod objicitur ex epist. 63 sancti Basilii, in qua scribit tempore sancti Gregorii Neocæsariensis episcopi litanias in Ecclesia fuisse usitatas. Quod admitto quidem; sed hoc loco litaniæ sunt quædam preces, nempe, Kyrie eleison, etc., quales habentur in regula sancti Benedicti, cap. 9 : *Post hos lectio Apostoli sequatur ex corde recitanda, et versus et supplicatio litaniæ*, id est, *Kyrie eleison. Et sic finiantur vigiliæ nocturnæ* Et cap. 17. Non vero lustrationes et obambulationes, quarum nullus erat tempore præfati Gregorii in Ecclesia usus, ob supra dictam causam : qui sane primo cœpit Constantinopoli, sub sancto Joan. Chrysostomo, ad frangendum Arianorum fastum, qui, diluculo portis civitatis egressi, hymnos quosdam hæresi suæ aptos decantando contendebant ad loca **415** ubi conventus agebant, ut refert Sozomenus, lib. VI, Hist., cap. 8.

Notandum tamen a sancto Avito, sermone de Rogationibus, Processiones usurpari pro his solemnibus lustrationibus et supplicationibus.

472. *Sancti Adriani*. Ita in Editis. Sed in aliis Codicibus nostris mss. nulla hic sancti Adriani nec Missa nec mentio [a] est. Porro in Editis et in Codice Ratoldi habetur natale sancti Gorgonii martyris v Idus Septembris, quod abest a Codicibus sancti Eligii et Rodradi.

473. *Beati Proti*, etc. Ita in omnibus aliis Codicibus nostris mss. Vulgo *Beatorum Proti*, etc.

474. *Exaltatio sanctæ Crucis*. Ita appellatur a Græcis ὕψωσις, id est, exaltatio, ut palam est ex Novella Emmanuelis Comneni imperatoris, apud Theodorum Balsamonem, in Photii Nomocanonem, tit. 7, cap. 1, ὕψωσις τοῦ ζωοποιοῦ σταυροῦ, id est, exaltatio vivificæ crucis; et apud Codinum, lib. de officiis Constantinopolis, dicitur et σταυροφάνεια, id est, crucis manifestatio, ut clarum est ex Chronico Alexandrino : Τούτοις τοῖς ὑπάτοις γέγονε τὰ ἐγκαίνια τῆς Ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου σταυροῦ τῆς οἰκοδομηθείσης ὑπὸ Κωνσταντίνου, ἐπὶ Μακαρίου Ἐπισκόπου μηνὶ Σεπτεμβρίῳ ιζ'. Ἐντεῦθεν ἤρξατο ἡ σταυροφάνεια. Id est, his consulibus (Dalmatio, et Anicio Paulino) facta sunt encænia ecclesiæ sanctæ crucis ædificatæ a Constantino, sub Macario episcopo, Septemb. 17. Inde incœpit festum manifestationis sanctæ crucis. Sed puto errorem esse in notis arithmeticis, et legendum ιδ', id est, 14. Ubi nota festum exaltationis sanctæ Crucis initium sumpsisse imperante Constantino Magno post illius inventionem. Quod etiam clarum est ex Menologio Græcorum apud Henricum Canisium, tom. II antiq. lect. : *Exaltatio pretiosæ et vivificæ crucis sub imperatore Constantino Magno*.

475. *Deus, qui Unigeniti tui*, etc. In Codice Rhemensi, *Deus, qui nos hodierna die exaltationis*, [b] etc., ut in Missali Romano.

476. *Devotas, Domine*, etc. In Codice Ratoldi nulla hic habetur Oratio super oblata, quæ sane omissa fuit ab amanuense aliud forsitan agente. In eodem Codice exstat hæc Benedictio : *Deus, qui redemisti genus humanum per beatæ crucis patibulum*, etc.

477. *Jesu Christi*, etc. In Codice Rhemensi sequitur : *Ad crucem salutandam, Deus, qui Unigeniti tui*, etc., ut supra. Apud Pamelium Orationem super populum multæ excipiunt Orationes, quarum ultima est ejusmodi : *Deus, qui Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi vivificæ crucis vexillum sanctificare voluisti*, etc. Quam citat Alcuinus, lib. II adversus Elipantum : *Item ad elevationem sanctæ crucis : Deus, qui Unigeniti tui pretioso sanguine vivificatæ crucis vexillum sanctificare voluisti*. Ubi legendum est *vivificæ*, ut apud Pamelium.

Olim eo die sub finem Missæ a pontifice crux extollebatur, ut a populo adoraretur; et hæc vel similis Collecta recitabatur, quod ex Codice Rhemensi colligere est, ubi sub finem Missæ exstat Oratio ad crucem salutandam constatque ex loco citato Alcuini.

478. *Eodem die, natale sanctorum Cornelii*, etc. In Excusis, et in omnibus aliis Codicibus nostris mss., et apud Pamelium, horum festum martyrum eodem die exaltationis sanctæ crucis solemnitas peragitur, qui est passionis illorum dies. Sed postea translatum est in diem **416** XVI Kalend. Octobris, ut videre est in Missali Romano.

479. *Beatorum martyrum*, etc. In Codicibus Rodradi et Ratoldi : [c] *Infirmitatem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice, et mala omnia quæ juste meremur sanctorum tuorum intercessione averte. Per.*

480. *Tuamque in sanctorum tuorum*, etc. In Codice Ratoldi hanc Præfationem excipit altera propria sancti Cypriani : *Beati Cypriani natalitia recensentes : ut qui in conspectu tuo clarus exstitit dignitate sacerdotii, et palma martyrii, et in præsenti sæculo sua nos intercessione foveat, et ad misericordiam sempiternam pius interventor perducat. Per Christum.*

At in appendice Rodradi exstat Missa propria sancti Cypriani in hunc modum : Oratio : *Salutarem nobis edidit hodierna festivitas beati Cypriani sacerdotis et martyris in tua, Domine, virtute lætitiam*, etc. Secreta : *Sacrificium nostrum, Domine, quæsumus, ipsa tibi sit actione placabile.* Post communionem : *Satiati, Domine, muneribus sacris, tuum nobis quæsumus adesse præsidium*, etc.

481. *Suscipiens*, id est, colens, venerans.

482. *Apostolici reverentia culminis offerentes tibi sacra mysteria*. In Codicibus Rhemensi et Ratoldi aliter legitur : *Apostolicæ reverentiæ culmen offerimus sacris mysteriis imbuendum, præsta, Domine, quæsumus*, etc. Sed existimo lectionem Codicis nostri sancti Eligii, quæ cum Editis conspirat, longe præstare. In Codice Rodradi aliud est hujus Orationis initium, nempe : *Præsta, quæsumus, ut beati Matthæi*, etc.

483. *Hic*. Hoc vocabulum deest in Codice Rodradi.

484. *Regni Cœlestis*. Id est, honoris et cultus Dei, per quem Deus in anima fideli regnat.

485. *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus*, etc. In Cod. Rhem. : *Sit, Domine, beatus Matthæus evangelista nostræ fragilitatis adjutor*, etc. Quam excipit altera : *Præsta, quæsumus*, etc. Ut in hoc Codice sancti Eligii.

In Cod. Ratoldi sequitur : x *Kalend. Octob.*, [d] *natale sanctorum* (lege *sancti*) *Mauricii cum sociis*. Missa est ejusmodi : Oratio : *Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos sanctorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentis, et Vitalis, et sociorum eorumdem, lætificet festiva solemnitas*, etc. Super oblata : *Respice, quæsumus, munera quæ in sanctorum martyrum tuorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentis, et Vitalis, et sociorum eorumdem commemoratione deferimus*, etc. Præfatio : *Quoniam cognovimus, quantum apud te sit præclara vita sanctorum*, etc. Ad Complendum : *Cœlestibus repleti sacramentis et gaudiis*, etc. In eodem Codice sequitur altera Missa eorumdem martyrum : *Omnipotens et misericors Deus, qui sanctis martyribus tuis Mauricio, Exuperio, Candido, et Victori cum sociis eorum coronam martyrii præstitisti*, etc. Super oblata : *Hostias*,

[a] In Kalend. Rom. notatur hoc festum, et in utroque Theod. necnon in Gemet. Abest ab Ed. Pamel., licet in Cod. Reg. Suec. contineatur.

[b] In Gemet. ac utroque Theod. leguntur duæ Orat. hic assignatæ. In Cod. Reg. Suec. exstat tantum prior.

[c] In Gemet. eadem legitur. Ipsam exhibent Theod. at secundo loco. Prior Missa differt ab ea quam habent libri vulgati; scilicet *salutarem*, etc., ut infra ex appendice Rod.

[d] In Gemet. quoque : *Sanctorum Mauricii cum sociis*.

quæsumus, Domine, solemniter immolandas, etc. Ad Complendum: *Sumptis, Domine, cœlestibus sacramentis et præmiorum gaudiis;* In prima autem Missa, pro [a] *Innocentis*, legendum est **417** *Innocentii*, ut in Martyrologio ms. sancti Hieronymi, Romano, et aliis nonnullis. Sancti Vitalis meminit Ordericus Vitalis, lib. XIII Hist. eccl., sub finem, scribitque unum esse ex sancti Mauricii sociis: *Nomenque Vitalis pro angelico vocamine, quod Normannis absonum censebatur, mihi impositum est; quod ab uno sodalium sancti Mauricii martyris, cujus tunc martyrium celebrabatur, mutuatum est.*

486. *Deus, qui tribus pueris*, etc. In Codice Rhemensi: *Deus, cujus adorandæ potentia Majestatis, flammæ sævientis incendium sanctis tribus pueris in splendorem mutatum est*, etc. Cui Orationi in eodem Codice præfigitur τὸ *Post Benedictiones*, id est, post canticum *Benedicite omnia opera Domini*, etc.

487. *Restrictis*. In Codice Rhemensi legitur *strictis*.

488. *Custodiat custodia* τὸ *custodia* redundat.

489. *Adesto plebi tuæ*, etc. In Codicibus Rhemensi et Ratoldi subjungitur: *Perpetuum nobis, Domine, tuæ miserationis præsta subsidium*, etc., ut apud Pamelium. Quam in Codice Ratoldi sequitur alia: *Da nobis, omn. Deus, beati Michaelis archangeli*, etc.

Porro in Excusis, et in Codice Ratoldi sequitur: II *Kalend. Oct.*, [b] *natale sancti Hieronymi;* sed diversæ sunt Orationes, quæ in Codice Ratoldi sunt ejusmodi: *Sancti tui Hieronymi nos, Domine, quæsumus, interventio gloriosa commendet.* Super oblata: *Suscipe, Domine, propitius Orationem nostram*, etc. Præfatio: *Et tuam misericordiam deprecari, ut mentibus nostris beati Hieronymi presbyteri repetita solemnitate spiritalis lætitiæ tribuat jugiter suavitatem*, etc. Ubi hæc verba, *repetita solemnitate*, subindicant olim in Ecclesia fuisse duplicem [c] sancti Hieronymi solemnitatem, etsi in hoc Ratoldi Codice sit unica duntaxat. Ad Complendum: *Votiva, Domine, beati Hieronymi dona percepimus*, etc.

In eodem Codice Rhemensi sequitur: *Pridie Kalend. Octob.*, [d] *vigilia sancti Remegii.* Oratio: *Hæc nobis solemnitas beatissimi Remegii confessoris tui atque pontificis meritis inchoata*, etc. Super oblata: *Descendat, quæsumus, Domine, super hoc sacrificium misericordia tua*, etc. Contestada. Vere dignum..... *quo igitur interveniente beato Remegio confessore tuo supplices pietatis tuæ misericordiam postulamus*, etc. Post Communionem: *Credimus magnum istum pietatis mysterium.* Ubi notandum est in multis mss. Codicibus scribi *Remegii*, pro *Remigii*, ut in hoc Codice. Unde et in multis Codicibus mss. et antiquis Excusis, mutato *g* in *d*, scribitur *Remedii*, ita ut hic pontifex *Remigius*, et quidem usitatius, interdum *Remegius*, aliquando *Remedius*, dicatur.

Præterea notandum est hoc vocabulum [e] *Contestada*, quod non memini me in alio Codice legisse, hic pro Præfatione usurpari, ut supra notatum est.

In eodem Codice Rhemensi sequitur: *Kalend. Octob.*, *natale sancti Remegii episcopi et confessoris.* Oratio: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut intercedente beato Remegio confessore tuo*, etc. Super oblata: *Ut hæc oblatio accepta sit, Domine*, etc. Præfatio: *Semper gratias agere, atque in laudibus tuis cum lætitia et exsultatione, sancti Remegii confessoris tui præconia dicere, laudes attollere, atque jugiter exsultare, cujus hodie annua solemnitate depositionis festa celebramus*, etc. Post communionem: *Præsta, quæsumus, ut intercedente sancto* **418** *antistite tuo cujus hodierna die in conspectu Majestatis tuæ beatitudinis gloriam dignis laudibus celebramus*, etc. Super plebem: *Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, meritis sancti antistitis et confessoris tui Remegii hanc plebem tua solita miseratione custodi*, etc.

Quamvis autem huic Missæ præfigatur *natale sancti Remegii*, et in Præfatione hæc verba habeantur: *Depositionis festa celebramus*, et in Oratione post communionem: *beatitudinis gloriam dignis laudibus celebramus*, non tamen est hic dies natalis, seu obitus sancti Remigii, qui Idibus Januarii obiit, ut testatur Flodoardus lib. I Hist. eccl. Rhemensis, cap. 17, et omnia Martyrologia, sed est dies translationis sacri illius corporis, quo bis Kalend. Octobris, non eodem anno, translatum est. Prima translatio facta est angelorum ministerio in novam cryptam post altare, ut testatur Flodoardus ejusdem lib. I cap. 20. Secunda ab Hincmaro archiepiscopo Rhemensi tempore Caroli Calvi imperatoris, quod testatur Hincmarus bis versibus apud Flodoardum ejusdem libri cap. 21:

> Tertius et Carolus regni componeret actus,
> Octember primam cum daret atque diem.

Ex quo confirmatur quod supra dictum est, olim in die translationis sanctorum non ipsam translationem celebratam fuisse, sed eorum natale, seu depositionis diem.

In eodem Codice Ratoldi habetur, *Kalend. Octobris*, *natale sancti Vedasti.* Et in Martyrologio Notkeri, eodem die: *Atrebatis civitate, beati Vedasti episcopi*, qui est dies translationis reliquiarum illius, ut videre est in Martyrologio ms. Codicis biblioth. Corb., Kalendis Octobris: *Eodem die, translatio corporum sanctorum confessorum Remigii Rhemensis episcopi, et Vedasti Atrebatensis.* Et in Kalendario Sacramentarii Ratoldi eodem die: *Nobiliaco monasterio, translatio sancti Vedasti.* Consule notas doctissimi viri Georgii Colvenerii ad caput 19 libri I Chronici Cameracensis mox citandum.

In eodem Codice Ratoldi habetur altera Missa de sancto Vedasto VIII Idus Februarii. Hæc autem translatio facta est ex æde sanctæ Mariæ ad Nobiliacum monasterium vere nobile, quod nunc de nomine hujus sancti antistitis appellatur, a sancto Autberto Cameracensi episcopo, et sancto Audomaro Tarvarnensi pontifice, ut scribunt Alcuinus in Vita sancti Vedasti, et Baldricus, lib. I Chronici Cameracensis, capitibus 9 et 19. Missa autem est ejusmodi: Oratio: *Deus, qui nos devota beati Vedasti confessoris tui atque pontificis instantia ad agnitionem nominis tui vocare dignatus es*, etc. Super oblata: *Hostias, Domine, laudis tuis altaribus adhibemus*, etc. Præfatio: *Diemque natalitium beati Vedasti summa cum devotione venerari suppliciter obsecrantes, ut ipsum apud tuam misericordiam*, etc. Ad Complendum: *Beati Vedasti confessoris tui atque pontificis, Domine, precibus confidentes*, etc. Alia: *Deus, qui nos sanctorum tuorum temporali tribuis commemoratione gaudere*, etc. In qua Missa (ut in superiori de sancto Remigio notatum est) vides in sanctorum translatione non ipsam translationem, sed natalitium diem celebrari juxta temporum illorum consuetudinem, de qua supra ad mensem Julium egimus.

490. *Marci papæ*. In Missali Romano additur Sergius, Bacchus, Marcellus, et Apuleius martyres. In Codice Rhemensi sequitur: [f] *Eodem die, natale sanctorum Marcelli et Apulei.* Quod desideratur in aliis Codicibus nostris mss., ut in Excusis et apud Pamelium.

[a] Sic nihilominus legitur in Gemet.

[b] Festum hoc notatur in Mss. nostris.

[c] In priori Theod. legitur: *Nonis Octob.*, *octava sancti Hieronymi*, quæ potest appellari *repetita solemnitas*.

[d] Consentiunt Theod. In Gemet. nulla assignatur vigilia festi sancti Remigii, cui junguntur alii tres sancti confessores, sc. Germanus, Vedastus, et Bavo. In Theod. quoque post officium de sancto Remigio sequitur alia Missa de quatuor illis sanctis.

[e] *Contestada*, idem est ac *Contestatio*, quod in veteri Sacram. Gallic. semper legitur pro *Præfatio*.

[f] Consentiunt Mss. Theod. et Gemet., in quo ante sancti Marci Missam habetur: VI *Non. Octob.*, *sancti Leodegarii episc.*

419 In eodem Codice, et in Codice Ratoldi habetur : [a] VII *Idus Octobris, vigilia sanctorum Dionysii Rustici et Eleutherii* et sequenti die natale eorumdem sanctorum. Missæ diversæ sunt in utroque Codice. *Et* VIII *Kalend. Novembris*, in eodem Ratoldi Codice habetur octava eorumdem sanctorum.

491. *Assumpto scuto fidei*, etc. In Codice Rhemensi hæc aliter leguntur : *Qui assumens scutum fidei quo inimici jacula ignea exstingueret, et galeam spem salutis, et gladium spiritus, quod est verbum tuum, fortiter oppugnantibus passionibus vitiorum restitit. Ideoque precamur, exercituum Domine, qui eum post mortificationem corporis stigmata perferentem remunerasti, ejus triumphalibus et informemur exemplis, et meritis adjuvemur. Per Christum.*

492. *Manavit*. Mano hoc loco sumitur transitive.

493. *Nos eorum exemplis informemur*, etc. In Codice Rhemensi hæc aliter leguntur : *Ita nos etiam quæ exercuere sectantes convenientius eorum natalitia celebremus. Et ideo cum angelis*, etc.

494. *Quæ tua possimus*, etc. In Codice Rhemensi aliter : *Quæ audere possis pro nobis. Per Christum.*

495. *Natale sancti Cæsarii*. Hoc festum exstat in Excusis, et in Codicibus nostris mss. Rhemensi et Ratoldi.

Hujus sancti Cæsarii acta [b] exstant apud Surium, eodem die. Ubi dicitur passus *tempore illo quo Claudius necavit matrem*. Quæ verba, si sana sunt, de nullo alio imperatore quam de Claudio Nerone intelligi possunt. Fuit natione Afer, dignitate diaconus; passus est Tarracinæ cum Juliano presbytero, ut eadem Acta testantur. Martyrologia Usuardi, Rabani, Adonis, et illud quod nomine Bedæ circumfertur, dicunt illum sub Claudio imperatore passum esse.

Difficultas est tamen non mediocris in Actis sanctorum Nerei, Achillei, et Domitillæ, in quibus Cæsarius diaconus dicitur sepelisse Tarracinæ corpora sanctæ Domitillæ, et sociarum ejus, quæ sub Trajano passæ sunt. Ex quo quidam efficiunt sanctum Cæsarium non fuisse passum sub Claudio imperatore, sive intelligas Claudium Neronem matricidam, seu intelligas Claudium illum imperatorem, quem mirum in modum laudat Trebellius, qui ejus Vitam scripsit, eo quod vixerit sanctus Cæsarius sub Trajano imperatore. Quod sane mihi vix ac ne vix quidem persuadere possum. Quia auctoritas Vitæ sancti Cæsarii et aliorum auctorum citatorum, si me non fallit animus, non videtur postponenda solis Actis sanctorum Nerei et Achillei, quæ si non sunt hac in parte mendosa, duos olim Cæsarios Tarracinæ floruisse diverso tempore dicendum est.

Quare cum apud Surium dicitur sanctus Cæsarius passus *tempore illo quo Claudius necavit matrem*, credendum est hunc locum ab ignaro quodam homine fuisse corruptum.

496. *Deus, qui nos*, etc. Huic Orationi in Codicibus Rhemensi et Ratoldi hic titulus præfigitur : *Ad Missam*. In quibus huic Orationi præponitur altera cujus titulus est in Codice Rhemensi : *Ad Collectam, ad sanctum Cosmam et Damianum*. In Codice Ratoldi, [c] *Collecta ad sanctum Cosmam et Damianum*. Rectius : *Ad Collectam*, etc. Oratio autem est ejusmodi : *Adesto, Domine, martyrum deprecationi sanctorum; et quos pati pro tuo nomine tribuisti, fac tuis fidelibus suffragari. Per.* Ubi per sanctos martyres **420** intelligendi sunt Cosma et Damianus, in quorum ecclesia recitabatur hæc Oratio ad Collectam seu Processionem, juxta rationem a nobis supra explicatam.

497. *Natale omnium sanctorum*. De hac solemnitate nihil [d] exstat in Codicibus Rodradi et Rhemensi Hoc festum instituit Gregorius tertius pontifex maximus, ut scribit Usuardus in Martyrologio : *Tertius vero Gregorius pontifex postmodum decrevit eamdem in honore omnium sanctorum solemniter observari perpetuo ab omni Ecclesia.* Quod in Gallia celebratum est sub Ludovico Pio, ut testatur Ado in Martyrologio ms. : *Monente sanctæ recordationis Gregorio pontifice piissimo, Ludovicus imperator, omnibus regni et imperii sui episcopis consentientibus, statuit ut solemniter festivitas omnium sanctorum in præfata die annuatim perpetuo ageretur.*

Hic autem Gregorius quartus est hujus nominis, ut testatur Sigebertus, ad annum Christi 853. Quod tamen decretum non statim ubique tenuit. Etenim in Codice Rodradi, qui scriptus fuit tempore Caroli Calvi imperatoris, nullum exstat hujus solemnitatis officium.

Dicendum est tamen ante Ludovicum Pium imperatorem hoc festum in nonnullis Galliæ locis fuisse celebratum. Siquidem illius officium assignatur ab Alcuino in libro de divinis Officiis, qui tempore Caroli Magni floruit in Gallia; quamvis sub Carolo Magno nullum esset de hujus solemnitatis observatione decretum. Nam in concilio Moguntino, quod eodem Carolo imperante, celebratum est, can. 36, in quo de festorum observatione agitur, nulla est festi sanctorum omnium mentio.

498. *Quatuor coronatorum nomina hæc sunt*, etc. Ita in Editis. In aliis Codicibus nostris mss. et apud Pamelium hic titulus desideratur [e].

499. *Quorum dies natalis per incuriam neglectus*, etc. Ita in Editis. Aliter in Ordine Romano : *Quatuor Coronatorum nomina per incuriam neglecta, Deo revelante hæc sunt : Severus, Severianus, Victorinus, et Carpophorus; solemnitas tamen eorum, ut statuta fuerat, in aliorum sanctorum nomine celebris permansit*, nempe quinque martyrum, qui in hac Missa nominantur. Ita fere Usuardus in Martyrologio hac die : *Horum nomina cum minime potuissent reperiri (quæ Domino revelante interjectis annis postea ostensa sunt), statutum est ut anniversaria dies ipsorum sub nominibus supra dictorum quinque martyrum recoleretur.*

His suffragatur Martyrologium Romanum : *Horum autem nomina (quæ postmodum, interjectis annis, Domino revelante, ostensa sunt), cum minime reperiri tunc potuissent*, etc. Ita etiam Ado in Martyrologio apud Surium : *Cum autem nomina minime reperirentur, statuit beatus Melchiades episcopus, ut anniversaria quatuor Coronatorum dies sub nominibus sanctorum quinque martyrum recoleretur.*

Sed qui fieri potest ut horum quatuor Coronatorum nomina oblivioni mandarentur tempore Melchiadis papæ, cum tum illorum recens esset Romæ memoria? Illi enim passi sunt sub Diocletiano, quo imperante beatus Melchiades sedebat, eorum Actis exstantibus salvis et integris, multis præterea superstitibus Christianis qui eos noverant.

Alcuinus, cap. 31 de divinis Officiis, aliter, qui nec solum mentionem oblivionis nominum, sed etiam diei passionis facit : *Quatuor Coronatorum nomina hæc sunt :* **421** *Severus, Severianus, Victorinus, et Carpophorus; quorum nomina et dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat; ideo statutum est ut in eorum ecclesia quicumque cæterorum martyrum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur, id est Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, atque Simplicii*, etc., unde in illis conciliandis frustra laborari censet.

[a] Hæc vigilia in duobus Theod. et Calensi notatur VIII Idus Octobris. In Gemet. nulla assignata vigilia legitur : VII *Idus Octobris, nat. sanctorum Martyrum Dionysii*, etc.

[b] De his Actis male sentit doctissimus Tillemontius, tomo II Commentariorum ad Hist. ecclesiast. pertinentium, pag. 614, nota 4, *de sancto Cæsario*. Saniora non judicat alia Acta sanctorum Nerei,

[c] Ita in Edit. Pamel., consentiente Cod. Reg. Suec.

[d] Habetur in Calensi, Gemet. et Theod.

[e] Legitur hic titulus in utroque Theod. In omnibus vero tam excusis quam manu exaratis libris Missa sanctorum quatuor Coronatorum exstat.

rii, ut cum istis eorum quoque memoria pariter fieret. Quæ sane descripta videntur ad verbum ex libro Sacramentorum. Unde illa vocabula, *nomina et*, videntur ab aliquo oscitante interposita; quæ si amputentur, locus solœco carebit, qui etiam ad calcem hujus capituli dubio procul hæc adjecit : *Postea vero eorum nomina revelata sunt, solemnitas tamen, ut statuta fuerat, in aliorum sanctorum nomine celebris permansit.* Quorum membrum ultimum exscriptum est ex Ordine Romano.

At in veteri Martyrologio ms. biblioth. Corb., quod videtur esse Adonis, nihil de ejusmodi nominum et diei natalis oblivione reperitur : *Ipso die, natale sanctorum quatuor Coronatorum, id est, Severi, Severiani, Carpophori et Victorini. Hi cum impellerentur ad sacrificandum reluctantes, nec omnino consensum impiis præbentes, perstiterunt in fide. Nuntiatum est Diocletiano imperatori, quos illico jussit ut ante simulacrum Asclepii ictibus plumbatarum cæsi deficerent. Quorum corpora jussit in platea canibus jactari, quæ jacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pii Christiani venerunt, et collecta corpora sanctorum martyrum sepelierunt in via Lavicana, milliario ab urbe tertio, in arenario juxta corpora sanctorum martyrum Claudii, Nicostrati, Symproniani, Castorii et Simplicii.* Nihil etiam tale repereris in Martyrologio ms. ejusdem bibliothecæ toties a nobis citato : *Ipso die sanctorum quatuor Coronatorum, id est, Severi, Severiani, Carpophori et Victorini.* Quemadmodum nec in Martyrologio ms. sancti Hieronymi. *Et quatuor Coronatorum Severi, Severiani, Carpophori et Victorini.*

Ex quibus omnibus planum est lectionem Codicis nostri sancti Eligii et Sacramentarii ex Vaticano editi non esse omnino rejiciendam.

Circa hos martyres exsurgit altera difficultas ex Anastasio Bibliothecario, qui in Leone IV distinguere videtur *quatuor Coronatos* a sanctis Severo, Severiano, Carpophoro et Victorino. *Nam* (inquit) *et corpora sanctorum martyrum quatuor Coronatorum solerti cura inquirens reperit; pro quorum desiderabili amore basilicam quæ sanctorum nomini fuerat consecrata, quam ipse, dum ad pontificii deductus est apicem, prudentissimo moderamine rexit, quæ per olitana curricula temporum quassata vetustatis defectu, et pene ruinis confracta diu antiquitus videbatur et convulsa, supernæ virtutis annuente clementia, splendidiorem pulchrioremque statum a fundamentis construxit, et ad laudem Dei eorum sacratissima corpora cum Claudio, Nicostrato, Simproniano, et Castorio, et Simplicio, necnon Severo, Severiano, Carpophoro et Victorino, etc., collocavit.* Sed cum hic liber mendis scateat, de hujus loci depravatione nihil dubitandum est, his quatuor ultimis nominibus a nescio quo perperam additis.

500. *Claudium, Nicostratum*, etc. Ita in Editis et in omnibus Codicibus nostris mss., juxta hujus festi rubricam : *Ideo statutum est ut in eorum ecclesia horum quinque sanctorum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur.*

501. *Symphonianum.* In Codice Rhemensi legitur *Simphronianum.* In Codicibus Rodradi et Ratoldi, [a] *Simphorianum.* In Martyrologio sancti Hieronymi appellatur Symphronius. Apud Anastasium, et in Martyrologiis mss. Usuardi bibliothecæ sancti Germani et Adonis biblioth. Corb. dicitur *Sympronianus.*

422 502. *Cujus munere beatus Martinus*, etc. In Codice Rhemensi exstat alia Præfatio in hunc modum : *Te in beati Martini pontificis atque confessoris tui laudibus adorare, qui, sancti Spiritus tui dono succensus, ita in ipso tyrocinio fidei perfectus inventus est, ut Christum tegeret in paupere, et vestem quam egenus acceperat mundi Dominus indueret. Digne ei Arianorum subjacuit feritas, digne tanto amore martyrii persecutoris tormenta non timuit. Quanta putamus erit gloriatio passionis, quando pars chlamydis sic exstitit gloriosa! Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate vestis exiguæ et vestire Dominum meruit et videre.*

Porro his verbis : *Et vestem, quam egenus acceperat*, etc., simile est illud Ennodii hymno 20, de sancto Martino :

> Qua veste nudum texerat,
> Hac Rex nitebat ætheris.

Per hæc verba, *Digne ei Arianorum subjacuit feritas*, significatur ab eo fuisse Arianorum tormenta superata, a quibus flagellatus est. Unde Ennodius, hymno citato :

> Flagella passus est libens,
> Quibus coronam nexuit.

503. III. *Kalendas Decembris Nat. sancti Saturnini.* In Cod. Rhem. additur [b] *et Chrysanthi;* et communes sunt utriusque martyris Collectæ, et recte quidem. Nam ita habetur in Martyr. ms. biblioth. Corb. ad tertium Kalend. Decembris : *Ipso die, Romæ, natale sanctorum Chrysanthi et Dariæ virginis.* In Martyrolog. ms. sancti Hieronymi : III *Kalendas Decembris, Romæ, Arosonis, Saturnini, Chrysanthi, Dariæ, Mauri et aliorum* LXXII. In Adonis Martyrol., ad eumdem diem : *Ipso die, Romæ, natale sancti Chrysanthi, et Dariæ virginis.* In Kalendario Codicis Ratoldi abbatis ad eumdem diem : *Romæ passio sancti Saturnini, Crisanti, Dariæ virginis.* In parvulo Martyrol. ms. ad calcem Codicis Rhemensis : III *Kalendas Decembris, Namnetis civitate, natale sanctorum Saturnini, Crisanti, Eulaliæ, Dariæ.* Ubi miror scriptum esse *Namnetis civitate.* Quod exstat etiam in Martyrologio Rabani : *Namnetis Saturnini episcopi et martyris.* Ubi continuo narratur passio sancti Saturnini Tolosani episcopi, quæ eodem die contingit, ut planum est ex omnibus Martyrologiis. Sed puto utrobique mendum esse, et post τὸ *Namnetis* interserendum esse nomen alicujus sancti, qui ad hanc Aremoricæ regionis civitatem pertineat.

Præterea notandum in omnibus his Martyrologiis nominatis, Rabani excepto, nihil de sanctis Chrysantho et Daria annotari VIII Calendas Novembris, qui est vulgaris eorum dies.

Quod autem spectat ad officium hujus festi, diversæ sunt in Codice Rhemensi Orationes a Codicibus sancti Eligii, Rodradi, et Ratoldi. Sed in Codice Ratoldi habetur hæc Præfatio : *Cujus gratia beatum Saturninum elegit in sacerdotium, doctrina ad prædicandum erudiit, potentia ad perseverandum confirmavit, ut per sacerdotalem infulam perveniret ad martyrii palmam, docensque subditos prædicando, instruens vivendi exemplo, confirmans patiendo, ut ad te coronandus perveniret, qui persecutorum minas intrepidus superasset; cujus interventu, nos, quæsumus, a nostris mundet delictis, qui tibi placuit tot donorum prærogativis. Per quem*, etc. Quæ Præfatio exstat etiam inter Præfationes Codicis Rodradi. Ex qua sole clarius est **423** Missam quæ est in his Codicibus Rodradi et Ratoldi spectare ad sanctum Saturninum Tolosatium antistitem et apostolum martyrii laurea etiam coronatum, cum neutiquam convenire possit sancto Saturnino Romæ passo, cum Sisinnio diacono sub Maximiano, qui nunquam fuerit presbyter, nec episcopus. Quamvis non inficias ierim Missas Codicum sancti Eligii et Rhemensis spectare ad hunc sanctum Saturninum Romæ passum.

504. *Sacrandum.* [c] In Codice Ratoldi abbatis legitur *sacrificandum.*

505. *Et majestatem tuam suppliciter exorare*, etc. In cod. Rhemensi est alia Præfatio : *Reverentiæ tuæ dicato jejunio gratulantes, quod apostolicæ beati An-*

---

[a] Sic etiam legitur in mss. nostris, præsertim in Cod. Reg. Suec. cui concinit Editio Pamel.

[b] In Theod., post natale sancti Saturnini legitur : *Eodem die, nat. sanctorum Saturnini et Chrysanti.*

[c] In Cod. Reg. Suec. est Præfatio ab his duabus discrepans. In editione autem Pamel. nulla.

dreæ merita desiderantibus prævenimus officiis, ut ad eadem celebranda solemniter præparemur; quæ tamen corrupta et transposita ita sunt castiganda: *Ut qui apostolica beati Andreæ merita desiderantibus prævenimus officiis, ad eadem*, etc.

506. *Quoniam adest nobis*, etc. Initium hujus Præfationis corruptum est in Codice Rhemensi.

507. *Nec pendens taceret in cruce.* Quia in ipsa cruce biduo fidem Christi prædicavit, ut in ejus actis scriptum est.

508. *In natali.* Sanctorum apostolorum Petri et Pauli.

509. *Per quos.* Apostolos, videlicet.

510. *Incipit ordo ad ecclesiam dedicandam.* Habetur ecclesiæ dedicatio in Codicibus Rhemensi et Ratoldi abbatis. Non exstat in Codice Rodradi, in editis, et apud Pamelium.

511. *Illuminentur duodecim candelæ.* Ita in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, in Ordine et Pontif. Rom. et in cod. Tiliano. Ita docet Petrus Damiani, serm. 1 de Dedicatione ecclesiæ, et Ivo Carnotensis, Serm. de Dedicatione: *Cum ecclesia dedicatur, duodecim candelæ sunt accensæ interius.*

Per ejusmodi candelas duodecim intelliguntur apostoli, qui sunt Ecclesiæ luminaria et, juxta Christi effatum, lux mundi. Codex autem Ratoldi, qui, ut recentior, plures addit cæremonias, sic incipit: *Primitus enim decet ut episcopus cum cæteris ministris eat ad ecclesiam antiquam, et ibi recondant vespertino tempore reliquias, et jubeat exercere ibi vigilias per totam noctem. In crastina autem eat pontifex ad ecclesiam, quæ sacranda est, et ordinet in ea quæ ordinanda sunt; et illuminentur jussu suo duodecim candelæ; et expelluntur omnes foras, nisi solus archidiaconus clauso ostio ibi maneat. Tunc pontifex cum sacro ordine redeat ad antiquam ecclesiam, et induant se sacris vestibus, et faciant litaniam prout hora dictaverit; qua expleta dicat hanc Orationem:* Oremus: **Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni**, etc. *Et tunc incipiens Responsorium:* Domine, si conversus fuerit populus tuus. *Item aliud:* Exaudisti, Domine, orationem servi tui. *Item aliud:* Tu Domine universorum, qui nullam habes indigentiam.

Ex his notandum est, primo episcopum cum clericis agere vigilias in basilica aliqua veteri coram reliquiis in basilica nova collocandis, deinde se ad basilicam novam conferre, qua consecrata, reverti ad veterem basilicam et inde reliquias sublatas solemni processione in novam ecclesiam transferre; quod videre est cap. 20 lib. de Gloria confessorum sancti Gregorii Turonensis: *Qua diligenter composita, et altari ex more locato, ad basilicam sanctam vigiliis noctem unam ducentes, mane vero venientes* **424** *ad cellulam, altare quod erexeramus sanctificavimus, regressique ad basilicam, sanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique martyrum, vel etiam beati Illidii, exinde solemniter radiantibus cereis crucibusque admoremus.*

512. *De cambutta sua.* Cambutta, seu cambuta, est virga pastoralis episcoporum. Glossæ veteres mss. bibliothecæ Corbeiensis: *Cambuta, baculus episcoporum.* Est etiam abbatum. Acta sancti Galli abbatis apud Surium: *Qui et baculum ipsius, quem vulgo cambotam vocant*, etc. Ordericus Vitalis, lib. VI Hist. ecclesiasticæ, agens de translatione sancti Ebrulphi abbatis Uticensis in diœcesi Lexoviensi: *Herluinus quidem, quia sacerdos erat, et abbas canonicorum sancti Petri, et capellæ ducis capellanorum maximus, caput et majorem partem ossium sancti Ebrulphi, librum quoque et arculam argento coopertam, et cambutam atque cinctorium, chartasque donationum sibi retinuit.*

Est enim cambuta baculus flexus, et sustentamen. Papias, in Vocabulario ms.: *Cambuta sustentamen, vel baculus flexus, pedum, vel crocia*, Gallice, *crosse.* Et baculus quo sustentantur claudi et debiles. Petrus diaconus, in supplemento Chron. Casin., cap. 76: *Ob ejus facti memoriam cambuttæ claudi ante fores ecclesiæ sancti Benedicti suspensæ sunt.*

Baculi autem episcoporum mentio fit in concilio Toletano, IV, can. 27: *Si episcopus est, orarium, annulum, et baculum.*

513. *Tollite portas*, etc. In Codice Ratoldi sequitur: *Psalmus*, Domini est terra. *Deintus autem minister respondens dicat:* Quis est iste rex gloriæ? *Et sic pergat omnis legio in circuitu Ecclesiæ, ter cantando hanc Antiphonam cum Psalmo et cum gloria. Tertio autem percusso ostio ab episcopo, et dicto*, Tollite portas, *et responso ter a ministro:* Quis est iste Rex gloriæ? *Respondeat pontifex:* Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ. *Et aperto ostio intrans dicat ter:* Pax huic domui, crux pellit hostem, crux Christi triumphat.

Hic autem fit mentio circuitus ecclesiæ, quem fuisse ternum cum aquæ benedictæ aspersione scribit Ivo Carnotensis, in sermone de Dedicatione ecclesiæ, et quidam anonymus ms. biblioth. Corb., in sermone etiam de ecclesiæ Dedicatione. Hic vero ritus aperiendæ ecclesiæ est etiam a Græcis usitatus, appellaturque ἄνοιξις, et ἀνοίξιον, id est, apertio, ut videre est apud Theodorum Balsamonem, in can. 31 sextæ synodi, et in can. 7 synodi septimæ.

514. *Et aperto ostio intrantes dicant: Pax*, etc. In Cod. Rat.: *Et aperto ostio intrans dicat ter: Pax*, etc. In Ordine Rom.: *Tunc statim ostio aperto intrans ecclesiam cum ministris duobus, vel tribus; et cum mansionario et acolyto dicat: Pax huic domui.*

515. *Vel tenitæ.* In Codice Rhemensi legitur, *vel lente*, male.

516. *Stramenta.* Sunt tapetes qui substernuntur, a sternendo. Et sanctus Benedictus, cap. 51 regulæ, dixit stramenta lectorum, ea quæ in lecto sternuntur. *Stramenta lectorum*, inquit, *sufficiant matta, sagum, læna, et capitale.*

517. *Deinde incipiat pontifex de sinistro angulo*, etc. In Cod. Ratoldi hæc ita habentur: *Deinde incipiat pontifex de sinistro angulo ab Oriente scribens per pavimentum cum cambuta sua hæc elementa A, B, C; et dicat hanc Antiphonam:* Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, Alleluia. *Psalmus:* Exsurgat Deus, *cum gloria. Tum vadens ad dextrum angulum occidentalem, incipiens iterum a dextro angulo orientali A, B, C, scribens usque in sinistrum occidentalem angulum, canendo Antiphonam aliam:* **425** Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ. Alleluia, alleluia. *Psalmus:* Benedic anima mea Domino, Domine Deus meus.

518. *A, B, C.* Ita in Codice Ratoldi. In Codice Rhemensi habetur, ABCTURIUM, quod perinde est; ex quibus notandum has tres litteras duntaxat in dedicatione basilicæ depingi olim solitas. Nunc describuntur duo alphabeta, alterum Græcum, alterum Latinum, id est, omnia elementa, tum Græca, tum Latina, ut in Ordine et Pontificali Romano, et in Codice ms. Tiliano.

Quidam olim episcopi adjiciebant alphabetum Hebraicum, ut patum est ex sermone ms. cujusdam anonymi supra citato de ecclesiæ Dedicatione, in quo etiam causa redditur: *Verumtamen quia ecclesiastica doctrina Hebraico, Græco Latinoque sermone utitur, maxime ideo a quibusdam episcopis tria hæc alphabeta conscribuntur.* Petrus Damiani, sermone citato generatim hæc scribit: *Alphabeta ex transverso quadrangula ratione describit.* Quæ intelligenda sunt secundum hodiernum usum de alphabetis Græco et Latino, nam in eo sermone remittit lectorem ad Ivonem Carnotensem, ut infra probabitur, qui in opere suo de ecclesiæ Dedicatione hæc duo alphabeta tantum agnoscit.

519. *Deinde veniens ante altare.* Tò *Altare* aberat ab hoc Codice sancti Eligii, sed illud supplevi ex Codicibus Rhemensi et Ratoldi.

520. *Absque Alleluia.* Ita in Ord. Rom. et in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, et in serm. ms. supra

citato, in quo causa additur : *Quia nondum est domus Domini.*

521. *Deinde sequitur exorcismus aquæ.* In Cod. Rhem. legitur : *Benedictio salis et aquæ.* In Cod. Ratoldi : *Deinde benedicens salem et aquam cum cinere, et dicat hanc Orationem : Deus qui ad salutem humani generis*, etc., ut in Benedictione aquæ diebus Dominicis, exstatque in Codice Rhemensi.

522. *Discede, immunde Spiritus.* Formula est dæmonis exorcizandi, cujus similis hæc est apud Optatum Milevitanum, lib. IV adversus Parmenianum : *Vos rebaptizando exorcizatis hominem fidelem; et dicitis Deo habitanti : Maledicte, exi foras.* In codicibus præfatis Rhem. et Rat., ad exorcismum aquæ habentur hæc verba : *Exorcizo te, creatura aquæ*, etc. Quæ quodammodo conveniunt cum illis exorcismis quibus utitur Ecclesia diebus Dominicis in aquæ Benedictione.

Hic autem aqua benedicitur quæ ecclesiæ dedicationi inserviat. Est enim antiqua consuetudo ut ecclesia aquæ exorcizatæ seu benedictæ aspersione sanctificetur; quam videre est apud sanctum Gregorium, [a] lib. IX. epist. 71 : *Aqua benedicta fiat, et in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur.* Mentio fit in epist. 2 Vigilii papæ, ubi tamen ait id minime esse necessarium.

523. *Sacramentis.* Olim vocabantur sacramenta non solum septem illa a Christo Domino instituta, quæ sunt vasa gratiæ sanctificantis, sed etiam quivis ritus qui ad aliqualem sanctificationem spectant, quæ vulgo sacramentalia dicuntur. Consule sanctum Augustinum epist. 118, ad Januarium.

524. *Sanctificare*, etc. Hæc Oratio non exstat in Codicibus Rhemensi et Ratoldi.

525. *In molem durata.* Ita sanctus Ambrosius, lib. III de Spiritu sancto, cap. 4 : *Ut tanquam congelascentibus fluctibus in medio maris aquarum* 426 *quidam murus insurgeret ad transitum Judæorum.*

526. *Per te aridis.* Hæc verba usque ad illa, *at tu, Domine*, sumpta sunt ex sancto Ambrosio, cap. 22 lib. X in Lucam; sed ibi fusius, hic vero contractius.

527. *Domine, Deus Pater*, etc. Hæc Præfatio non exstat in præfatis Codicibus, et in Ordine Romano.

528. *Exorcizo te, creatura salis*, etc. Hic exorcismus desideratur in Codicibus præfatis et in Ordine Romano.

529. *Divina oris voce*, etc. Ita in Ordine Romano.

530. *Et per Apostolum suum*, etc. Ita etiam in Ordine Romano.

531. *Gravedines.* Gravedo est dolor, tristitia, molesta. Glossæ veteres : *Gravedo*, ἀχθηδών, id est, molestia, tristitia, dolor.

532. *Et misceatur sal et cinis*, etc. Ita in Ordine Romano, et in Codicibus Rhemensi, et Ratoldi. Sed in Cod. Rhem. τὸ *ter* desideratur. Infra autem mentio fit vini. Petrus Damiani, serm. citato addit hyssopum : *Tunc benedicit aquam sale, cinere, vino, hyssopoque conspersam.*

533. *Æterne omnipotens Deus*, etc. In Cod. Ratoldi, alia exstat Oratio : *Deus invictæ virtutis auctor*, etc., ut in aquæ Benedictione die Dominica, quæ habetur etiam in Ordine Romano. In Codice Rhem. nulla exstat Oratio.

534. *Traduci.* Id est, quæ a protoparente ad posteros traducta est, et manavit.

535. *Creator.* In Cod. Rat. legitur : *Deus Creator.* In Ordine et Pontific. Romano : *Omnipotens sempiterne Deus Creator.*

536. *Permitte.* Ita legitur in Codicibus Rhem. et Ratoldi; in Ordine Romano, *mitte.* In Pontificali, *emitte.* Itaque *permitte* hoc loco idem est quod *emitte;* de quo vocabulo infra.

537. *Armata.* Ita in Cod. Rhem. In Codice Ratoldi legitur *arma*, corrupte.

538. *Inde facit crucem digito suo* etc. Ita in Cod. Rhemensi. In Codice Ratoldi hæc præmittuntur : *Et mittat in eam chrisma, et condat ex ipsa aqua calcem, et faciat maldam, unde recludere debet ipsas reliquias.* Ubi lege τὸ *maltham.*

Maltha autem est calx aqua subacta cum pice liquida et axungia, Gallice *ciment*, ad parietes, tecturas, vel similia resarcienda; de qua agit Palladius, lib. I de Re rustica, cap. 17. Est etiam pix cum cera mista, ut scribit Festus. Unde in Glossis Philoxeni, *maltana* (lege *maltha*) πισσόκηρον, id est, resina ceræ commista. Dicitur etiam apud Julium Pollucem, lib. X Onomast., cap. 14, ἐνὼν τῇ πινακίδι κηρὸς, ἡ μάλθα, id est, cera tabulæ adhærens, maltha. Et apud Hesychium, μάλθη μεμαλαγμένος κηρὸς, id est, cera subacta, macerata. Ibidem, μάλθα, ῥύπος ξηρὸς, id est, maltha, cera sicca. Hic autem est calx aqua subacta.

Porro in Ordine et Pontificali Rom. antequam fiant cruces in cornibus altaris, fit crux de eadem aqua in medio altaris.

539. *Per quatuor cornua altaris.* Ita 427 in Cod. Rhem. In Codice Ratoldi additur : *Canendo Antiphonam Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor.*

540. *Cum hyssopo aspergit ipsum altare septem vicibus.* Ita Petrus Damiani, sermone citato : *Altare septies ex eadem aqua respergit.* Is autem auctor, in eo sermone sæpius citato, postquam ritus quosdam dedicationis attigit, tandem subjungit : *Quis hujus abyssi caliginem sermonis claritate possit illuminare? Attigissemus tamen quantulumcunque, nisi nostris temporibus quidam, qui Carnotensi præsidet Ecclesiæ, vivacissimo mentis igne lucidius omnia declarasset.*

Hic autem episcopus Carnotensis, de quo loquitur, est Ivo Carnotensis, qui scripsit sermonem de Sacramentis dedicationis, quem videre est cum aliis auctoribus qui de divinis Officiis scripserunt, Coloniæ editis anno Dom. 1558 cura Melchioris Hittorpii, quique æqualis est ipsi Petro Damiani. Uterque enim floruit sub Henrico IV imperatore et Gregorio VII. Non vero Fulbertus episcopus Carnotensis, qui claruit Roberto Francorum rege, anno 1035, ut scribit Glaber, lib. IV Hist., c. 4, qui nihil scripsit de ecclesiæ dedicatione, ne quidem in epistola ad Deodatum, quamvis nonnulli contrarium teneant.

541. *Cum ipso psalmo.* Nempe, *Miserere mei, Deus*, ut habetur in Cod. Rhem. In Cod. Ratoldi desideratur τὸ *ipso.*

542. *Usque dum veniens iterum ante altare*, etc. Ita in Cod. Rhem. in Cod. Ratoldi aliter in hunc modum : *Et tunc sparget aquam per pavimentum in modum crucis, in longitudine et in latitudine, canendo Antiphonam* Fundamenta templi hujus sapientia sua fundavit Deus, etc., *et Psalm.* Fundamenta. *Deinde per parietes intrinsecus Ecclesiæ, canendo Antiphonam* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, etc. *Psalm.* Magnus Dominus. *Antiph.* In dedicatione hujus templi, etc. *Psalm.* Laudate Dominum de cœlis. *Antiph.* Lapides pretiosi, etc. *Psalm.* Lauda, Jerusalem, Dominum. *Antiph.* Erit mihi Dominus in Deum, etc. *Psalm.* Deus noster. *Antiph.* Hæc est domus Domini, etc. *Psalm.* Ecce quam bonum.

Porro ex his et sequentibus patet multos Psalmos in basilicæ dedicatione cantari, atque ex antiqua consuetudine, quam videre est etiam in epist. 16 sancti Paulini, qui quosdam profert, qui tamen non exstant in Codicibus nostris mss. nec in Ordine Rom. *Fatemur*, inquit, *venerandæ pietati tuæ;* et paulo post : *Ita exsultasse Spiritum nostrum in Deo salutari nostro, ut tanquam in præsenti dedicationum cœtibus interessemus, et illa de Psalmis prophetici gaudii verba cantaremus : Exsultate Deo adjutori nostro, sumite Psalmum, et date tympanum. Tollite hostias, et introite in atria Domini, adorate Dominum in aula sancta ejus; vel illud ejusdem Prophetæ : Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis*

[a] Nunc lib. XI, ep. 76.

tuæ. Sacerdotes tui induant salutarem, et sancti tui exsultent.

543. *Vel Ecclesiæ.* Particula *vel* hic sumitur copulative.

544. *Canendo Antiphonam Sanctificavit.* In Cod. Rhem. legitur *Canendo Antiphonam* Qui habitat in adjutorio altissimi, *cum ipso Psalmo.*

545. *Qui extrinsecus Ecclesiæ parietes una voce psallant.* Locus corruptus; lege, ut in Codice Rhemensi : *Qui extrinsecus Ecclesiæ parietes una voce psallentes spargunt.* In Cod. Ratoldi habetur in hunc modum : *Deinde p rgat extra ecclesiam cum omni schola, spargendo ter per parietes in circuitu, et desuper canendo Antiphonam* Benedic, Domine, domum istam, etc. *Psalm.* Deus misereatur nostri. *Antiph.* Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. *Psalm.* Beati immaculati in via. *Antiph.* Benedic, **428** Domine, domum istam, etc. *Finito hoc, ingrediatur pontifex in ecclesiam cum omni schola, et incipiat antiphonam* O quam metuendus est locus iste, etc. *Psalm.* Verba mea. *Antiph.* Qui habitat in adjutorio Altissimi. *Psalm. idipsum. Antiph.* Beati qui habitant in domo tua, Domine. *Psalm.* Quam dilecta. *Et tunc ponat in censum inacerra, et dicat hanc Orationem,* etc. Hactenus Ratoldi Codex.

Quid sit acerra docet Festus : *Acerra, ara quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur. Aliqui dicunt arculam esse thurariam, scilicet, ubi thus reponebant.* Hic sumitur pro thuribulo.

546. *Faciendo crucem super pavimento.* Olim basilicas signo crucis adhibito dedicari certum est, ut videmus serm. 19, inter opera divi Augustini : *Cum ejusdem crucis charactere basilicæ dedicantur.* In quibusdam Editionibus hic sermo est 75, de Diversis.

547. *Deus, qui loca nomini tuo,* etc. Post hanc Orationem in Cod. Ratoldi hæc sequuntur : *Et tunc ex incenso boni odoris infumat totam ecclesiam, et stans in medio dicat Antiphonam* Domus mea domus Orationis. *Versus* Narrabo nomen tuum, *cum Gloria.*

548. *Et sequitur oratio.* In Cod. Rhemensi legitur : *Et sequitur Oratio consecrationis ecclesiæ.* In Cod. Ratoldi post hanc Orationem sequitur : *Præfatio in medio ecclesiæ.* Sursum corda, etc. Adesto precibus nostris, adesto sacramentis, etc., ut in Ordine Romano.

549. *Ipsa expleta incipit Antiphonam,* etc. Ecclesiæ dedicationem excipit altaris consecratio. In Codice Ratoldi, antequam altare consecretur, extenditur velum psallendo Antiphonam *Introibo ad altare Dei.*

De consecratione autem altaris insignis hic locus sancti Gregorii Nysseni, oratione in Christi baptismum, notandus venit : Ἐπεὶ καὶ τοῦτο θυσιαστήριον ᾧ παρεστήκαμεν, λίθος ἐστὶ κατὰ φύσιν κοινὸς, οὐδὲν διαφέρων τῶν ἄλλων πλακῶν αἳ τοὺς τοίχους ἡμῶν οἰκοδομοῦσι, καὶ καλλωπίζουσι τὰ ἐδάφη. Ἐπειδὴ καθιερώθη τῇ τοῦ Θεοῦ θεραπείᾳ καὶ τὴν εὐλογίαν ἐδέξατο, ἔστι τράπεζα ἁγία, θυσιαστήριον ἄχραντον. Id est : Et hoc altare sanctum, cui assistimus, lapis est sua natura communis, nihil differens ab aliis crustis, ex quibus nostri exstruuntur parietes, et pavimenta ornantur. Sed quoniam Dei cultui consecratum est, et benedictionem accepit, mensa sancta est, altare immaculatum.

550. *Et fundit quod remansit de ipsa aqua,* etc. Ita in Cod. Rhem. et in Ord. Rom. In Cod. Ratoldi, legitur : *Et fundat aquam super altaria, et abstergat linteo, et benedicat tabulam ex aqua sancta.* Sequunturque ibi hæ duæ Orationes : *Singulare illud propitiatorium,* etc. Item alia : *Deus omnipotens universarum rerum rationabilis artifex,* etc., ut in Ordine Romano.

551. *Postea offert incensum.* Thurificationis usus in Ecclesia antiquus est; illius meminit sanctus Dionysius, cap. 3 Hierarchiæ : Ὁ μὲν Ἱεράρχης εὐχὴν ἱερὰν ἐπὶ τοῦ θείου θυσιαστηρίου τελέσας, ἐξ αὐτοῦ τοῦ θυμιᾶν ἀρξάμενος ἐπὶ πᾶσαν ἔρχεται τὴν τοῦ ἱεροῦ χώρου περιοχήν. Id est : Sacerdos, sacra precatione in ipso altari perfecta, et ab eo thurificationis initio ducto, universum circuit sacri loci ambitum. Sanctus Joannes Chrysostomus in liturgia : Ὁ δὲ διάκονος θυμιᾷ γύρωθεν τὴν ἁγίαν τράπεζαν, καὶ δίπτυχα. Id est : Diaconus per circuitum incensat sacram mensam et diptycha. Canon 3 Apostolorum : *Ne liceat autem aliquid aliud ad altare offerre quam oleum ad lucernam,* καὶ θυμίαμα καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς, id est, et incensum tempore sanctæ oblationis.

Concilium Chalcedonense, actione 3, in libello Ischyrionis diaconi Alexandrinæ Ecclesiæ, ubi conqueritur de Dioscoro patriarcha Alexandrino, qui pecunias a clarissima **429** femina Peristeria legatas in pauperum subsidium, scortis et mimis distribuerat : *Ut neque incensum ex oblatione illius clarissimæ memoriæ Peristeriæ (quantum ad eum pertinuit) Deo offerretur.* Gregorius Turonensis, in Vitis Patrum, in Vita sancti Lupicini : *Dispositis in itinere psallentium turmis cum crucibus, cereis, atque odore fragrantis thymiamatis :* et Corippus, lib. II de Laudibus Justini minoris :

> Ilicet angelici pergens ad limina templi,
> Imposuit pia thura focis, cerasque micantes
> Obtulit.

Unde Cosroes Persarum rex, inter alia donaria ecclesiæ sancti Sergii martyris, thuribulum aureum misit, ob prolem ejus intercessione susceptam, ut scribit Theophylactus Simocatta, lib. v Hist., cap. 14.

552. *In medio crucem faciens, et super quatuor angulos.* Antiquus ritus est, quem olim observavit sanctus Germanus Antissiodorensis episcopus, cum Encolismæ in Aquitania altare de nomine apostolorum principis dedicaret, ut refert Erricus in supplemento ms. miraculorum ejusdem pontificis, cap. 3 : *Ubicunque et quoties per altaris cornua mediumque crucis effigiem sanctificati unguinis liquore signavit, ita marmor impressione pollicis liquefactum subterfugit, ut ad impulsum digiti niveam putares cessisse mollitiem.*

Quod autem olim altaria cum signo crucis solerent consecrari, clarum est tum ex citato loco, tum ex sermone supra citato sancti Augustini : *Cum ejus crucis charactere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur.*

553. *Fundamenta.* In Cod. Ratoldi, *quam dilecta.* In Cod. Rhem., *quam amabilia,* quod perinde est.

554. *Et unguit cum manu sua ipsum lapidem.* Unctionis altarium usus antiquus est. Illius mentio est in epistola sancti Damasi papæ ad Numidiæ episcopos : *Nec altare erigere, nec ungere, nec sacrare;* et in epist. 88, quæ vulgo sancto Leoni tribuitur : *Sicut constitutio altaris, ac Benedictio, vel unctio.*

Idem videre est in decreto Felicis IV, apud Burchardum, lib. IV, cap. 58 : *Et mensis Domino sacratis, et sacra unctione a pontificibus delibutis;* et in epistola Isidori junioris ad Luitfridum : *Ad episcopum pertinet basilicarum consecratio, unctio altaris.* Et in supplemento supra citato, et aliis auctoribus infra, de chrismatis unctione, laudandis.

555. *Expleto psalmo mittit iterum oleum,* etc. Ita in Codice Rhemensi, quæ tamen desunt in Codice Ratoldi.

556. *Mane surgens Jacob, cum Psalmo Bonum est,* etc. Aliter in Codice Rhemensi : *Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, cum Psalmo Deus noster refugium.*

557. *Mittit chrisma.* Ita in Codice Rhemensi et in Ordine Romano. In Cod. Ratoldi sic habetur : *Post hæc ponat incensum et chrisma, dicat :* Ecce odor filii mei, sicut odor agri, cui benedixit Dominus. *Psalm.* Ecce quam bonum. *Antiph.* Erit mihi Dominus in Deum, etc. *Psalm.* Deus noster. *Antiphona.* Vidit Jacob scalam. *Psalm.* Fundamenta.

Hic autem altare chrismate perungitur juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, quæ clara est ex concilio Agathensi, can. 14 : *Altaria placuit non solum unctione chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione*

sacrari. Ex concil. Epaonensi, can. 26 : *Altaria non lapidea chrismatis unctione non sacrentur.* Ex sancto Dionysio, cap. 4 Eccl. Hierar. : *Hæc etiam sancte observa, ut sacratissimorum illa lex mysteriorum altaris consecrationem* ταῖς τοῦ ἱερωτάτου μύρου τελετουργεῖ παναγίαις ἐπιχύσεσιν, id est, *sacratissimi unguenti sanctissimis perficit infusionibus.* Petrus vero Damiani, sermone supra citato, de ecclesiæ Dedicatione ita scribit : *Altare vero mistura chrismatis oleique perungit.* Sic enim loquitur, quia altare prius oleo, deinde chrismate perungitur, ut ex nostris Sacramentariis liquet, et ex Ivone, serm. de Sacramentis Dedicationis.

558. *Dextro in dextro.* Hic desideratur particula *de*, quæ exstat in Cod. Rhem. Sed legendum est *De dextro usque in dextrum.* In Codice Rat. sic legitur : *Deinde faciens cruces per parietes in circuitu de ipso chrismate cum pollice dicat Antiphonam* Sanctificavit. *Alia Antiph.* Lapides pretiosi. *Psalm.* Lauda Jerusalem. *Antiph.* Mane surgens Jacob. *Et tunc in circuitu intrinsecus mittet incensum boni odoris, et dicat : O*remus. Omnipotens sempiterne Deus, effunde super hunc locum gratiam tuam, etc. *Item alia :* Deus qui de vivis et electis lapidibus, etc. In Ord. Romano aliter habetur : *Deinde in circuitu ecclesiæ vadat Pontifex, et faciat crucem per parietes cum pollice suo de ipso chrismate in duodecim locis, tres in Oriente, tres in Australi, tres in Occidente, tres in Septentrione ; primo in dextra parte, et sic in circuitu dicens per singulas cruces Sanctificetur hoc templum*, etc. Hæc Ordo Romanus.

Sed notandum est ex Petro Damiani, sermone primo de ecclesiæ Dedicatione, impressas fuisse in interioribus templi parietibus cruces duodecim, quæ a pontifice chrismate ungerentur : *Cruces duodecim*, inquit ille, *in interiori circuitu ecclesiæ imprimuntur.* Et paulo post : *Cruces chrismate, altare vero mistura chrismatis oleique perungit.* Ita etiam Ivo Carnotensis, in sermone de Sacramentis dedicationis : *Hinc est quod consecrato altari chrismantur in parietibus illæ duodecim cruces, quæ typum gerunt apostolicum, qui et primitias Spiritus acceperunt, et crucis mysterium populis et gentibus manifestare studuerunt.* Quod paulo ante eorum ætatem videtur esse institutum, cum Ordo Romanus aliter scribat, nisi forte ipse Ordo hac in parte mutationem aliquam subierit.

Græci etiam ipsum templum chrismate perungunt, quod clarum est ex Theodoro Balsamone in can. 7 synodi septimæ : καὶ ἅπας τούτου ἀπαρτισμὸς ὑπ' ἁγίου μύρου χριομένου, id est : Et omnis illius (templi) perfectio sacro chrismate inuncti.

559. *Inde faciens crucem incensi super altare.* In Cod. Rhem. deest particula *inde.* In Ordine Romano sic habetur : *Tunc iterum redeat ad altare, et offerat ibidem crucem incensi super illud, et dicat Antiphonam Ecce odor filii mei*, etc. In Cod. Ratoldi, nulla crucis mentione facta, hæc reperire est : *Tunc eat ad altare, et ponet incensum, et dicat : Oremus Dei Patris omnipotentis misericordiam*, etc. *Alia : Deus omnipotens, in cujus honore altare hoc*, etc. *Præfatio super altare*, ut in Ordine Romano. Deinde sequitur : *Majestatem tuam, Domine, imploramus humiliter*, etc., ut in Ordine Romano.

560. *Sub invocatione nominis tui.* Altaria per invocationem nominis Dei consecrantur, et sanctificantur. Optatus Milevitanus, lib. vi contra Parmenianum : *Nam si sit invocatio nominis Dei, ipsa invocatio sanctificat et quod pollutum esse videbatur.* Ibi enim agit de altaribus aut rasis, aut remotis, aut fractis a schismaticis.

561. *Deinde tenentibus*, etc. In Codice Ratoldi abbatis additur : *Cum aqua sancta et incenso.*

562. *Linteamina.* Altaris videlicet, quorum antiquus est in Ecclesia usus, qui videtur apud Optatum Milevitanum, lib. vi adversus Parmenianum : *Quis fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri?* Ubi ligna sunt ipsa altaria lignea, quæ tum in Africa erant usitata, ut clarum est ex eodem Optato, supra, eodem libro : *Sed, ut existimo, alio loco copia lignorum frangi jussit, alio ut raderent lignorum inopia imperavit, ut removerentur ex parte verecundia jussit.* Nam refert causas cur schismatici alibi altaria fregerint, alibi raserint, alibi removerint. Cur in quibusdam locis fregerint, in causa fuit lignorum copia ; quare alibi raserint, lignorum inopia, ne forsitan novis altaribus erigendis ligna deessent ; cur demum in quibusdam locis tantum removerint, id fecit verecundia. Et paulo post : *Quid perditorum conductam referam multitudinem, et vinum in mercedem sceleris datum? quod ut immundo ore a sacrilegis hostibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est.* Id est, calefecerunt aquam de fragmentis altarium ; et infra, *inter sacramenta* (id est, inter Missarum solemnia) *velamen potuit tangi, non lignum ; aut si tactu potuit penetrari velamen, ergo penetrantur et ligna*, etc. Ibi refert causam cur non debuerint radere altaria, quia tacta non sunt a sacerdotibus catholicis, sed tantum velamen inter offerendum. Quod si tactu potuit penetrari velamen, ergo lignum ; quod si lignum, ergo et terra ; ac proinde concludit quod debuerint schismatici terram ipsam, in qua fundata sunt altaria, radere, seu effodere.

Hinc capiendus est sanctus Augustinus, lib. v de Bapt. contra Donatistas, cap. 20 : *Cur ergo ad verba quæ procedunt ex ore homicidæ possit tamen Deus oleum sanctificare, et in altari quod hæretici posuerunt non possit? nescio, nisi forte quem cor hominis fallaciter conversum intus non impedit, lignum fallaciter positum impedit foris, quominus sacramentis suis adesse dignetur nullis hominum falsitatibus impeditus?* Ubi τὸ *lignum* sumitur metonymice pro altari ligneo.

Olim etiam in Gallia quibusdam in locis fuit usus altarium ligneorum ; nam in concilio Epaonensi, can. 26, cautum est : *Ut altaria, nisi lapidea, chrismatis unctione non sacrentur.* Fuerunt etiam olim in Oriente, tempore sancti Athanasii Magni, altaria lignea, ut ex ejus epistola ad solitarios perspicuum est : Ἁρπάσαντες τὰ συμψέλλια, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὴν τράπεζαν, ξυλίνη γὰρ ἦν, καὶ τὰ βῆλα τῆς Ἐκκλησίας. Id est, cum rapuissent subsellia, et cathedram, et mensam (erat enim lignea) et vela Ecclesiæ.

563. *Omnipotens et misericors Deus*, etc. Hæc Oratio desideratur in Codice Rhemensi, et in Ordine Romano.

564. *Purificare, sanctificare, benedicere.* In Codice Ratoldi abbatis ad singula verba hæc singulæ cruces apponuntur.

565. *Omnipotens sempiterne Deus, a quo omnia*, etc. Hæc Oratio non exstat in Codicibus Ratoldi et Rhem. Sed loco illius hæc habetur : *Domine Deus omnipotens, sicut ab initio hominibus utilia*, etc., ut in Ordine Romano, in qua hæc verba sequentia notanda veniunt : *Hæc linteamina in usum altaris tui, ad tegendum involvendumque corpus et sanguinem Filii tui Domini nostri Jesu Christi ;* quibus intelliguntur pallæ corporales, quæ corporalia vulgo dicuntur, quæ ita olim amplæ erant, ut involverent ipsum Christi corpus et calicem ; de quibus consule observationes nostras ad Concordiam regularum, in cap. 66, § 1.

Porro in Codice Ratoldi sequitur : *Benedictio ad omnia ornamenta Ecclesiæ : Dignare, Domine Deus omnipotens, Rex regum*, etc. In Codice Rhemensi sequitur ordo inferendarum Reliquiarum in basilicam.

566. *Benedictio super munus quodvis.* Munus hoc loco intelligitur de his omnibus quæ a fidelibus offeruntur ad ecclesiæ ornatum, ut videre est in ipsa Benedictionis formula, quæ abest a Codicibus Ratoldi et Rhemensi ; et ab Ordine Romano. Siquidem olim in ipsa templi dedicatione omnia ejus donaria, seu munera in usum templi a fidelibus oblata, ab episcopis consecrabantur, ut factum est in dedicatione templi, quod Constantinus imperator Hiero-

solymæ ædificavit, quemadmodum testatur Sozomenus, lib. II Hist., cap. 25.

567. *Ad consecrandam patenam.* In Codice Ratoldi legitur : *Consecratio patenæ, fac crucem de oleo.*

568. *Consecramus*, etc. Hæc formula consecrationis patenæ non exstat in Ordine Romano.

569. *Inde faciens signum crucis de sancto oleo*, etc. Ita in Codice Rodradi et Rhemensi. Sed in Codice Ratoldi aliter : *Item Benedictio patenæ. Et fac crucem de chrismate.* Consecrare, etc. Et nota in hoc Codice adhiberi oleum et chrisma, at in Ordine Romano chrisma tantum.

570. *Benedictio patenæ. Domine Deus omnipotens*, etc. Hæc non exstant in Codicibus Ratoldi et Rhemensi, neque in Ordine Romano.

571. *Ad calicem benedicendum.* In Ordine Romano legitur : *Præfatio calicis.* Consecrationis seu Benedictionis vasorum altaris habetur mentio apud Burchardum, lib. III, cap. 58, ex epist. Felicis IV : *Eaque divinis precibus et sanctis unctionibus cum altaribus et vasis, vestibus quoque et reliquis ad divinum cultum explendum utensilibus devote et solemniter sacrare.* Hic tamen notandum nullam in Benedictione calicis adhiberi unctionem, ut in Codicibus Rhemensi, Rodradi, et Ratoldi, cum tamen in Ordine Romano unctio chrismatis adhibeatur.

572. *Pia famuli tui ill. devotione.* In Cod. Ratoldi hæc vocabula, *pia famuli tui ill.* non exstant. Post hanc Orationem in Ordine Romano hæc habentur : *Et faciat crucem de chrismate super ipsum calicem per latera*, quæ non exstant in Codicibus nostris mss. sancti Eligii, Rodradi, Rhemensi et Ratoldi.

573. *Deus, qui Moysi famulo tuo*, etc. Non exstat in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, sed in Cod. Rhem. sequitur : *Præfatio chrismalis : Oremus, fratres charissimi, ut Deus omnipotens hoc ministerium corporis Filii sui Domini nostri Jesu Christi gerendum benedictionis, sanctificationis tutamine, defensionis donatione implere dignetur orantibus nobis. Per.* Ubi chrismalis, seu chrismal, sive chrismale, sumitur pro vase in quo Christi corpus servatur. Quod clarum est ex Ordine Romano, ubi hic titulus præfigitur : *Præfatio vasculi in quo Eucharistia reconditur.* Ibi vasculum haud dubie pro chrismali usurpatur. Id etiam patet ex lib. VI Halitgarii ms. biblioth. Corb. : *Qui autem perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet*, etc.

Sumitur etiam pro corporali, seu palla corporali, ut notum est ex Glabro, lib. V Hist. cap. 1 : *De chrismale etiam, quod a quibusdam corporale appellatur, plurimum expertum est præstare remedia.* Et paulo post : *Apud monasterium Reomense, tempore venerabilis Willelmi abbatis, contigit ut incendium circumjacentia monasterii popularetur ; arripientes autem ejusdem loci fratres chrismale conto impositum, elevarunt illud contra incendii flammas dire flagrantes ; statim vero idem ignis in sese retorquens, minime amplius quam invaserat arripere valuit ; pannus tamen ille dominicus, aura flante, a contulo elapsus, plus minus duabus milliariis avolavit*, etc.

In eadem Præfatione Codicis chrismale dicitur ministerium, recte. Nam ministerium pro vase sumitur, et vasa **433** aurea vel argentea ecclesiæ dicuntur ministerium. In concilio Rhemensi, can. 22, apud Flodoardum, lib. II Hist. Eccl. Rhemensis, cap. 5 : *Si episcopus (excepto si evenerit ardua necessitas pro redemptione captivorum) ministeria sancta frangere pro qualicunque conditione præsumpserit, ab officio cessabit ecclesiæ.* In epistola 20 [a] sancti Gregorii, lib. II Registri : *Ut tam ministeria ecclesiarum, quam usuale argentum, et quidquid aliud, idem brevis a vobis conscriptus, veraciter rerum facta inspectione, contineat.* Et lib. III, epist. 15 [b] : *Pervenit ad nos diversos Italiæ sacerdotes in Siciliam confugientes plurima secum Ecclesiarum suarum ministeria detulisse.* Concilii Arvernensis, can. 8 : *Ne ad nuptiarum ornatum ministeria divina præstentur.* Concil. Aurelianensis III, can. 23 : *De rebus ecclesiasticis, vel de sacro ministerio alienare.* Apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. de Gloria confessorum, cap. 22 : *Ac ipse sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro ministerium quotidianum, id est patenulam parvam cum calice.* Apud Fortunatum, lib. I, carm. 15 :

> Muneribusque piis dotasti altaria Christi,
> Cum tua vasa ferunt munera sancta Dei.
> Nam cruor et corpus Domini libamina summi
> Rite ministerio, te tribuente, venit.

Id est, corpus et sanguis Domini in ministerio collocantur, te largiente. Unde a sancto Paulino, epist. 12, *Sacri pompa ministerii* pro vasis omnibus altaris, sive aureis, sive argenteis, quæ in ecclesiæ secretario servantur, sumitur :

> Hic locus est veneranda penus, qua conditur, et qua
> Ponitur alma sacri pompa ministerii.

Ita capiendus est hic locus, non pro Eucharistia, quæ in altari, non in secretario, servatur ; vasa autem altaris servari solita esse secretario, seu sacrario, lippis et tonsoribus notum est. Et in libris ethnicorum sumitur ministerium pro vasis aureis seu argenteis quæ sternendo triclinio sunt necessaria, ut videre est apud Lampridium in Alexandro Severo : *Ducentarum librarum argenti pondus ministerium ejus nunquam transiit.* Hujus vocabuli mentio fit in Glossis veteribus, sed metonymice sumitur pro abaco seu mensa, quæ ipsa vasa continet. *Abaci* (lege *Abacus*) *delfica* μινιστέριον, ὡς Ἰουβενάλιος, id est, ministerium, ut Juvenalis. Locus illius exstat satyra 13 :

> Lectus erat Codro Procula minor, urceoli tres
> Ornamentum abaci ; necnon et parvulus infra
> Cantharus, et recubans sub eodem marmore Chiron.

Unde in Glossis veteribus mss. biblioth. Corb. abacus sumitur pro mensa marmorea calices continente : *Abacus vel abax pars capitelli, vel tabula lusoria, vel mensa marmorea, in qua antiqui mittebant calices.* Quæ verba illustrant locum Juvenalis, qui abacum marmor appellavit, id est mensam marmoream.

Usurpatur etiam ministerium pro tapetibus, palliis, et similibus ecclesiæ ornamentis, ut videre est in concilio Arvernensi, can. 3 : *Observandum ne palliis vel ministeriis divinis defunctorum corpora obvolvantur.* Tandem in eodem Codice Rhemensi sequitur : *Item alia, Omnipotens Deus, Trinitas inseparabilis, manibus nostris opem tuæ Benedictionis infunde, ut per nostram benedictionem hoc vasculum sanctificetur, et corporis Christi novum sepulcrum Spiritus sancti gratia perficiatur. Per Dominum nostrum.*

434 574. *Deinde vadunt ad locum in quo reliquiæ*, etc. Describit ritum inferendarum Reliquiarum in templum. Antiquum est Ecclesiæ institutum, basilicas reliquiarum sanctarum illatione et appositione dedicare, quarum præsentia ecclesia sanctificatur. Sanctus Ambrosius, lib. X, epist. 85, ab Marcellinam sororem : *Nam cum basilicam dedicassem, multi tanquam uno ore interpellare cœperant, dicentes : Si in Romana basilica dedices? respondi : Faciam, si martyrum reliquias invenero.* Sanctus Paulinus, epist. 11, ad Severum : *Testis est autem Dominus, quod si vel scrupulum sacri cineris habuissemus supra quam nobis ad basilicam, quæ proxime in nomine Domini consummabitur, dedicandam necessarium erat, misissemus unitati vestræ.* Et paulo post : *Invenimus quod digne et ad basilicæ sanctificationem vobis et ad cinerum cumulandam Benedictionem mitteremus, particulam de ligno divinæ crucis.* Et epist. sequenti : *Verum hanc quoque basiliculam de benedictis apostolorum et martyrum re*

[a] Nunc epist. 25, olim erat 19.

[b] Est modo 16 lib. IV, olim lib. III, ind. 12, epist. 16.

liquiis sacris cineribus in nomine Christi sanctorum Sancti, martyrum Martyris, et dominorum Domini consecrabunt. Sanctus Gregorius, * lib. v, epist. 145: *Basilicam beati Stephani martyris, quam fraternitas vestra incendio asserit concrematam, quam etiam nuper esse instauratam commemorat, facultatem etiam tribuimus dedicandi, in quam etiam reliquiarum sanctuaria ejusdem beati Stephani martyris volumus collocari.* Sanctus Gregorius Turonensis, lib. de Gloria confessorum, c. 20: *Regressique ad basilicam, sanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique martyrum, vel etiam beati Illidii exinde solemniter radiantibus cereis crucibusque admovimus.* Ibi enim agitur de oratorii dedicatione. Theophanes, in Justiniano imperatore, lib. xvi: *Post, Junio mense, facta sunt encœnia apostolorum apud Constantinopolim, et recondita sunt λείψανα Andreæ et Lucæ apostolorum. Et transiit Menas episcopus cum sanctis λειψάνοις sedens in carruca aurea imperatoria lapidibus insignita, tenens tres thecas sanctorum apostolorum in genibus suis, et ita encœnia celebravit.*

Ita Sanctus Gaudentius episcopus Brixiensis, cum haberet multas reliquias sanctorum, et maxime sanctorum, Quadraginta martyrum Cæsarea Cappadociæ advectas, ecclesiam dedicavit, quam ideo concilium sanctorum appellari jussit, ut clarum est ex tractatu ejusdem de ecclesiæ Dedicatione. Et ita statuitur synodi septimæ can. 7: Ὅσοι οὖν σεπτοὶ ναοὶ καθιερώθησαν ἐκτὸς ἁγίων λειψάνων μαρτύρων, ὁρίζομεν αὐτοῖς κατάθεσιν γίνεσθαι λειψάνων μετὰ καὶ τῆς συνήθους εὐχῆς. Ὁ δὲ ἄνευ ἁγίων λειψάνων καθιερῶν ναὸν καθαιρείσθω, ὡς παραβεβηκὼς τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις. Id est: Quæcunque ergo templa consecrata sunt absque reliquiis martyrum, in eis fieri statuimus reliquiarum depositionem cum solitis orationibus. Qui vero templum sine sanctis reliquiis consecravit, deponatur tanquam traditionum ecclesiasticarum transgressor. Hæ autem reliquiæ solemni pompa transferebantur in basilicam, ut ex loco Theophanis supra citato clarum est, et ex actibus sancti Virgilii episcopi Arelatensis, in Chron. sanctorum Lirinensium.

575. *Aufer a nobis*, etc. Non exstat in Codice Rhemensi, nec in Ordine Romano. Habetur in Codice Rodradi, atque etiam Codice Ratoldi, in quo præmittitur litania.

576. *Ambulate*, etc. Ita in Cod. Ratoldi, quæ non exstant in Codice Rhemensi. Plura in Ordine Romano reperire est.

577. *Cum crucibus et thuribulis, et candelabris, multisque luminaribus*, etc. Ita in Codice Rhemensi. In Codice Ratoldi nulla mentio luminarium est; in Ordine Romano nihil de thuribulis. Similem pompam in inferendis in basilicam recens consecratam sanctorum reliquiis videmus apud sanctum Gregorium Turonensem, **435** lib. de Gloria confessorum, cap. 20: *Regressique ab basilicam, sanctas ejus reliquias cum Saturnini Julianique martyrum, vel etiam beati Illidii, exinde solemniter, radiantibus cereis crucibusque, admovimus.* Ibi enim agitur de oratorii dedicatione.

Notandum hic quod non solum cerei, sed etiam cruces radiantes appellantur. Nam olim in publicis Processionibus ipsis crucibus cerei accensi imponebantur, ut clarum est ex eodem sancto Gregorio, lib. de Gloria confessorum, cap. 79: *Accensisque super cruces cereis atque ceroferalibus, dant voces in canticis, circumeunt urbem cum vicis.* Idque ex institutione sancti Joannis Chrysostomi, ut testatur Socrates, lib. vi Hist. Eccl., cap. 8: Ἐπενενόηντο γὰρ παρ' αὐτοῦ σταυροὶ ἀργυροῖ φέροντες φῶτα ἐκ τῶν κηρίνων λαμπάδων. Id est: Cruces enim argenteæ excogitatæ sunt ab eo quibus lucernæ cereæ imponebantur; et ita capiendus est Sozomenus, lib. viii Hist. eccl., cap. 8: καὶ γὰρ δὴ καὶ σταυρῶν ἀργυρᾶ σημεῖα ὑπὸ κηροῖς ἡμμένοις προηγοῦντο αὐτῶν. Id est, siquidem crucium argentea signa sub cereis ardentibus eos præcedebant. Quare non satis bene expressit interpres cum dixit duntaxat *facibus ardentibus*, et Sozomenus qui eamdem profert historiam, nihil aliud quam Socrates intelligit.

578. *Domum tuam, Deus*, etc. In Ordine Romano et in Codice Rhemensi hæc deest Oratio. In Codice Ratoldi ad ostium novæ Ecclesiæ hæc præmittuntur: *Deus, qui in omni loco dominationis tuæ dedicator assistis, exaudi nos, quæsumus, ut inviolabilis hujus Ecclesiæ permaneat consecratio, ut beneficia tui muneris, quæ supplicat, mereatur.* Item alia cum Antiphona: *Benedic, Deus, domum, tabernaculum hoc ingredere, quæsumus, omnipotens Deus sempiterne*, etc. *Hac expleta suscipiat episcopus reliquias a presbytero, et ponat eas in altario novo, extenso velo*, etc.

579. *Et extenso velo inter eos et populum.* Olim ad cancellos sacrarii seu chori, in quo stabant clerici, erat appensum velum, cujus meminit sanctus Dionysius in epistola ad Demophilum: Καὶ προϊόντες ἀγαθοειδῶς ἐπὶ τὰ ἔξω τῶν θείων παραπετασμάτων. Id est: Procedentesque benevole ad ea loca quæ sunt extra vela divina. Ejusmodi veli meminit etiam sanctus Joannes Chrysostomus, serm. 3, in epist. ad Ephesios: Ὅταν ἀκούσῃς, Δεηθῶμεν πάντες κοινῇ, ὅταν ἴδῃς ἀνελκόμενα τὰ ἀμφίθυρα, etc. Cum audieris Oremus communiter, et vela trahi videris, tunc diduci cœlum existimas. Quamvis haud ignorem, ἀμφίθυρα aliquando valvas bifores, ut Ovidius loquitur (*Lib.* II *Metamorph.*), significare, tamen pronomen ἀνελκόμενα ita interpretari vetat.

Confirmatur interpretatio nostra ex Evagrio, lib. vi, cap. 20, et Theophylacto Simocatta, lib. v, cap. 14, in epistola Cosroæ Persarum regis ad sanctum Sergium martyrem, in qua recensentur dona quæ rex ille sancto Sergio mittit, nempe crux et thuribulum aureum, καὶ ἀμφίθυρον Οὐννικὸν κεκοσμημένον χρυσῷ, id est, et Hunnicum velum ornatum auro; non est enim simile vero fores ad claudendum sacrarium ab ipso rege fuisse missas, sed potius magni pretii aliquod velum.

580. *In loco altaris.* Reliquias sanctorum in ipso altari recondere mos est antiquus, de quo sanctus Paulinus, epist. 12, ad Severum, de basilicæ Dedicatione: *Quorum venerandus cinis si sine crucis consortio subjiciatur altaribus, hic opertos titulus indicabit:*

> Pignora sanctorum divinæ gloria mensæ
> Velat apostolicis edita corporibus.

Et infra, de basilicæ Fundanæ Dedicatione:

> Ecce sub accensis altaribus ossa priorum
> Regia purpureo marmore crusta tegit.

In Codice Ratoldi legitur *In confessione altaris.* Ubi confessio locus est altaris cavatus in quo ab episcopo reliquiæ sanctorum reconduntur. Alias quid sit confessio, **436** vide in observationibus nostris ad Concordiam regularum, cap. 66, § 31.

In eodem Ratoldi Codice hæc sequuntur: *Et faciat crucem intus ex chrismate in quatuor angulis ita dicendo: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tibi.* ℟. *Et cum spiritu tuo*, ut in Ordine Romano. At Græci reliquias sanctorum recondentes, eas sacro perfundunt chrismate, ut videre est in eorum Euchologio: Ἐπιχέει τούτοις (λειψάνοις) ὁ ἱερεὺς μύρον, id est, infundit ipsis (reliquiis) unguentum sacerdos. Præterea sequitur in eodem Codice: *Et ponat tres portiones corporis Domini intus, et tres de incenso. Recluduntur tunc reliquiæ, canentes Antiph.* Exultabunt sancti in gloria. *Psalm.* Laudate Dominum de cœlis. *Antiph.* Sub altari Domini sedes accepistis. *Psalm.* Beati immaculati in via. Quod autem dicitur hic de tribus portionibus corporis Domini

* Nunc lib. vi, epist. 4*.

et incensi, in confessione simul cum reliquiis sanctorum reponendis, idem habetur in utraque dedicatione Ordinis Romani.

Tandem in eodem Codice Ratoldi hæc sequuntur : *Et tunc ponatur tabula, super quam faciet cruces quatuor ex oleo et sancto chrismate; et designantur per quatuor angulos cum cultro, et dicat pontifex Orationem hanc : Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum*, etc. Aliter in Ordine Rom. sic habetur : *Tunc ponat tabulam super reliquias, et det Orationem hanc: Oremus, Deus, qui ex omni coaptatione sanctorum*, etc. *Deinde liniat eam cum calce, quæ antea fuerat præparata; et postquam linita fuerit, faciat crucem desuper cum chrismate dicendo sicut prius : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum spiritu tuo. Et mittat chrisma per quatuor cornua altaris, ipsa suprascripta verba dicendo et crucem faciendo; et canent Antiphonam Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivent nomina eorum in æternum, cum Gloria.* Hæc in prima quidem dedicationis descriptione : sed in secunda paulo aliter in hunc modum : *Et accipiens tabulam, quæ super reliquias poni debet, antea confirmet eam subtus cum chrismate, dicendo : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et ponat tabulam super reliquias, et dicat hanc Orationem : Oremus. Deus qui ex omni coaptatione sanctorum. Deinde liniat eam cum calce, quæ ante fuerat præparata. Et postquam fuerit linita, faciat crucem desuper cum chrismate dicendo, ut supra; et faciat crucem similiter cum chrismate per quatuor angulos altaris desuper, dicendo ut supra.*

581. *Cum psalmo Laudate Dominum de cœlis*, etc. In Codice Rhemensi hæc desunt usque ad illa verba : *Inde revertatur pontifex in sacrarium.*

582. *Post hæc vestiatur altare.* In Cod. Ratoldi additur *Cum aqua benedicta et incenso.* Vestitur autem altare pallis linostimis, atque etiam palliis sericis, ut factum est in dedicatione templi Hierosolymitani sub Constantino Magno, ut scribit Theodoretus, lib. I Hist. cap. 31. Et Apud Synesium, epist. 67, inter ea quæ ad basilicam necessaria sunt dedicandam, recensetur καταπέτασμα μυστικόν, id est velum mysticum.

583. *Cum Antiphona.* Pro his in Cod. Ratoldi habetur : *Dicat episcopus Antiphonam* Ornaverunt templum coronis aureis, etc. *Antiph.* Zachæe, festinans descende, etc. *Dum ornantur altaria, canantur hæc, et pontifex dicat Orationem :* Descendat, quæsumus, Domine Deus noster, Spiritus sanctus tuus super hoc altare, etc.

584. *Revertatur pontifex in sacrarium.* Horum loco hæc in Codice Ratoldi reperire est : *Deinde incipiat cantor Antiphonam* Terribilis est locus iste. *Deinde* Gloria in excelsis Deo. *Collecta ad Missam.* Deus qui sacrandorum tibi auctores munerum, etc. *Lectio libri Apocalypsis Joannis apostoli.* In diebus illis, vidi civitatem sanctam Jerusalem. ℟. Locus iste a Deo factus est. **437** ℣. Deus cui adstat angelorum chorus. *Allel.* Adorabo ad templum. * *Sanctum Lucam.* In illo tempore dixit Jesus Discipulis suis : Non est arbor bona. *Offert.* Domine Deus in simplicitate. ℣. Majestas. ℣. Fecit Salomon. *Super oblata.* Omnipotens sempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum. *Præfatio.* Per quem te suppliciter deprecamur ut altare hoc. *Benedictio.* Benedicat et custodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc sui numinis [*In ms. muneris*] præsentia illustrare, etc. *Communio.* Domus mea domus Orationis vocabitur. *Ad Complendum.* Quæsumus, omnipotens Deus, ut in hoc loco, etc. *Inde procedens ad fontes et consecret.* Omnipotens sempiterne Deus, hoc baptisterium cœlesti visitatione dedicatum Spiritus sancti tui illustratione sanctifica, ut quoscunque fons iste lavaturus est, trina ablutione purgati indulgentiam omnium delictorum tuo munere consequantur. Per. *Item alia :* Multiplica, Domine, Benedictionem tuam, et Spiritus tui munere fidem nostram corrobora, ut qui in hæc fluenta descenderint, in libro vitæ ascribi mereantur. Per.

Hæc consecratio baptisterii seu fontium baptismalium est breviuscula, fusiorem in Ordine Romano require. Consecrationis baptisterii meminit Sidonius, lib. IV, epist. 15 : *Nam baptisterium quod olim fabricabamini, scribitis posse jam consecrari.* Baptisterium autem est ædificium prope ecclesiam in quo erat piscina seu fons, sive naturalis sive artificiosus, baptizandis Christianis idoneus. Prudentius, in Peristephano, baptisterium describens, in loco ubi quondam martyres passi fuerant :

> Electus Christo locus est, ubi corda probata
> Provehat ad cœlum sanguine, purget aqua.

Fortunatus, lib. II, carm. 12, de baptisterio Moguntiæ ædificato :

> Ardua sacrati baptismatis aula coruscat,
> Qua delicta Adæ Christus in amne lavat.

Paulinus, epist. 12, ad Severum, de ejus baptisterio :

> Dives opum Christi, pauper sibi, pulchra Severus
> Culmina sacratis fontibus instituit.

Ennodius, epigrammate 149, *de Fonte baptisterii sancti Stephani, et aqua quæ per columnas venit :*

> En sine nube pluit sub tectis imbre sereno,
> Et cœli facies pura ministrat aquas.
> Proflua marmoribus decurrunt marmora sacris,
> Atque iterum rorem parturit ecce lapis.
> Arida nam liquidos effundit pergula fontes,
> Et rursus natis unda superna venit.
> Sancta per æthereos emanat lympha recessus,
> Eustorgi vatis ducta ministerio.

Id etiam patet concil. Toletano XVII, can. 3 : *Licet initio Quadragesimæ baptizandi generaliter claudatur mysterium, tamen, ut ecclesiasticæ consuetudinis ordo deposcit, necesse est ut ostia baptisterii eodem die pontificali manu et annulo signata claudantur.*

585. *Celebretur ibi solemniter Missa.* Juxta decretum Evaristi papæ, apud Ivonem 3 p., c. 32 : *Omnes basilicæ cum Missa semper debent dedicari.* Sic in consecratione templi Hierosolymitani sub Constantino Magno, quidam episcopi θυσίαις ἀναίμοις καὶ μυστικαῖς ἱερουργίαις τὸ θεῖον ἱλάσκοντο, id est, sacrificiis incruentis et mysticis consecrationibus numen divinum placabant, ut scribit Eusebius, lib. IV de Vita Constantini, cap. 45. Consule epistolam secundam Vigilii papæ.

438 586. *Tota vero Hebdomade Missæ publicæ in ea fiant.* Ita in Codice Ratoldi, in quo hæc sequuntur : *Et in ipsis octo diebus ibi luminaria ante altare, aut de cera, aut de oleo debent esse, absque luminaribus et officiis nocturnis diurnisque, in prædictis octo diebus, ullo modo reperiatur, usque dum octo dies compleantur.* Ubi lege : *Nullo modo reperiatur;* sup.l. *basilica.*

Ex quibus notare oportet ad celebriorem dedicationis solemnitatem, olim per octo integros dies dedicationis festum tum sacris concionibus, tum sacrificiis incruentis, aliisque divinis officiis fuisse celebratum. Quod satis innuunt hæc Apollinaris verba, lib. IX, epist. 3 : *Cum in Lugdunensis ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris ut perorares.* Nam festa hebdomadalia dedicatæ ecclesiæ nihil aliud sunt quam quod illa per integram hebdomadem fuere celebrata.

587. *In anniversario dedicationis basilicæ.* Anniversarius dedicationis basilicæ dies ex veteri consuetudine celebratur in Ecclesia; de qua Felix papa IV, in epist. apud Burchardum, lib. III, cap. 58 : *Solemnitates vero dedicationum ecclesiarum et sacerdotum per singulos annos solemniter sunt celebrandæ, ipso Domino exempla dante, qui ad festum dedicationis templi omnibus faciendum dans formam, cum reliquis populis celebraturus venit.* Quod etiam patet ex Sozo-

* Id est, *secundum Lucam.*

meno, lib. II Hist. Eccl., cap. 25, ubi scribit dedicationis templi Hierosolymitani, conditi olim a Constantino Magno, diem anniversarium, per octo dies quotannis celebrari solitum : Ἐξ ἐκείνου δὲ ἐτήσιον ταύτην ἑορτὴν λαμπρῶς μάλα ἄγει ἡ τῶν Ἱεροσολύμων Ἐκκλησία, etc., id est : Quo tempore Ecclesia Hierosolymitana hoc festum quotannis spendide admodum celebrat, adeo ut eo initiationes sacrorum peragantur, et dies octo deinceps conventus fiat.

Porro his ita de basilicæ dedicatione notatis, subjungendus est ordo in benedictione signi, hoc est nolæ, seu campanæ, qui exstat in Codicibus Rhemensi et Ratoldi abbatis. In Codice igitur Rhemensi ita habetur : *Ad signum Ecclesiæ benedicendum.* Benedic, Domine, hanc aquam Benedictione cœlesti, etc. In Cod. Ratoldi : *Ad signum Ecclesiæ benedicendum. In primis intingue ter in aqua, et laves in ea quæ benedicenda est his verbis :* Benedic, Domine, hanc aquam benedictione cœlesti, etc., ut in Ordine Romano : *Post hæc cantabis Psalmos sex, id est : Lauda, anima mea, Dominum usque ad finem Psalterii. Interim laves eum de aqua* (benedicta, videlicet, ut præcipitur in Cod. Rhemensi), *cum oleo et sale; et dic :* Deus, qui per Moysen legiferum tubas argenteas fieri præcepisti, etc., ut in Ord. Rom. *Tunc extergis eum linteo, et dicas Vers.* Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas, *usque in finem Psalmi. Post hæc tangis eum de chrismate septem vicibus foris, intus quaternis. Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui ante arcam fœderis, etc., ut in Ordine Rom. (In Codice Rhemensi legitur in hunc modum : *Et dicis Antiphonam cum capite.* Vox Domini, etc.). *Tunc pones incensum in ucerna* (lege *acerra*, id est, thuribulo) *et myrrham, et faciat fumum intus et extra; et cantes,* ℣. Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ, *usque ad finem Psalmi.* Omnipotens Dominator Christe, cui (lege *quo*) secundum assumptionem carnis dormiente in navi, etc., ut in Ordine Romano. In Codice Rhemensi sic habetur : *Tunc imponis incensario, et thymiamata, et myrrham, et erigis cloccam, et dicis Antiphonam,* Deus, in sancto via tua, quis Deus magnus sicut Deus noster. ℣. Viderunt te aquæ, Deus, *usque ad finem Psalmi, et dicis Collectam* Omnipotens Dominator Christe, etc. Et hæc de signi Benedictione.

Clocca autem cujus est in Codice Rhemensi mentio, signum est, nola, campana, Gallice *cloche.* Ita docet Otholonus, lib. II de Vita sancti Bonifacii episcopi Moguntini : *Interea signum ecclesiæ quod vulgo appellari solet* 439 *glocca* (lege *clocca*) *absque humano motu sonare cœpit.* Mentio fit in epistola Gutberti ad sanctum Lullium, quæ 89 est inter epistolas ejusdem sancti Bonifacii : *Et cloccam, qual m ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus.*

588. *In vigilia apostolorum.* Sequitur commune sanctorum, ut vocant, in cujus initio hæc reperire est in Codice Rhemensi : *Denuntiatio natalis unius martyris. Noverit vestra devotio, sanctissimi fratres; quod beati martyris illius anniversarius dies intrat quod diaboli tentationis exuberant* (lege *quo diaboli tentationes exsuperans*) *universitatis Creatori gloriosa passione conjunctus est. Per pluralitatem* (id est, si solemnitas plurimorum sit denuntianda), *quod* (lege *quo*) *diaboli tentamenta vincentes universitatis Creatori gloriosa passione conjuncti sunt. Ideoque Dominum collaudemus, qui est mirabilis in sanctis suis, ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa villa, illa feria hanc eamdem festivitatem sollicita devotione celebremus.*

Hæc est antiqua formula festi alicujus annuntiandi antequam Martyrologia publice in Ecclesia legerentur; cujus lectionis mentio fit in additione prima Capitularis Ludovici imperatoris, tit. 69 : *Ut ad capitulum primitus Martyrologium legatur, et dicatur versus, deinde regula, aut homilia quælibet legatur; deinde, Tu autem, Domine, dicatur.* Sed vix ante hujus Ludovici Pii ætatem, lectionem Martyrologii in usu fuisse crediderim, ut patet ex his quæ ex Codice Rhemensi, qui tempore Caroli Magni scriptus est, produxi; in quo, ut obiter id notem, * nihil exstat de communi apostolorum.

589. *Martyris antecedit.* In Codice Rhemensi legitur : *Martyris confessor antecedit.* Sed τὸ *confessor* redundat.

590. *Restaurantur.* In eodem Codice corrupte legitur, *restaurator.*

591. *Pretiosa passione quam præimus.* In eodem Codice male legitur : *Pretiosa passione et solemnia.* Sed legendum est, ut in Codice Rodradi, *Pretiosa passione et solemnitate.*

592. *Votivos.* Id est, devotos Papias : *Votivus, devotus*, id est, promptus et alacris ad Dei cultum.

593. *Item alia præfatio.* Hæc tertia Præfatio est pro martyre pontifice.

594. *In vigilia plurimorum martyrum.* Hæc vigilia deest in Codice Rhemensi. Sed et alia Missa est in natali plurimorum martyrum.

595. *Igniantur.* Id est, inflammentur.

596. *Confessoris.* Confessores illos vocat Ecclesia qui, pietate insignes, virtutibus et miraculis illustres, sine martyrio tranquilla et placida morte in Christo quieverunt. Sidonius, lib. IV, epist. 18 : *Basilicam sancti pontificis confessorisque Martini, Perpetuus episcopus, dignissimus tanto prædecessore successor, multum priori quæ fuit hactenus capaciorem novavit.* Et infra :

> Quæ confessori non erat æqua suo.

597. *Ut postquam Virgo de Virgine prodiit,* etc. Id est, postquam Christus virgo de Maria virgine prodiit, tum Virginis partu victa est libido, ut præclare canit Prudentius in Psychomachia :

> 440 Numquid et intactæ post partum Virginis ullum
> Fas tibi jam superest.

Et infra :

> Nec mea post Mariam potis es confringere jura.

598. *Et in quo fuit peccandi facilitas,* etc. Elegans est paronomasia.

599. *Alia Missa.* Deest in Codice Rhemensi. In Cod. Rodradi legitur : *Missa in natali virginis confessæ.* Ubi nota confessam appellari sanctam virginem quæ non sit martyr, quemadmodum appellantur confessores viri sancti non martyres. Quod tamen vocabulum aliquando sanctis mulieribus attributum fuisse videmus; nam in concilio Toletano quarto Editionis Garsiæ, sancta Leocadia confessor appellatur.

600. *Vel viduæ.* Hæc verba non exstant in Editis. De viduæ professione, et vestis impositione ab episcopo, hæc habet concilium arausicanum primum, can. 27 : *Viduitatis servandæ professionem coram episcopo in secretario habitam, imposita ab episcopo veste viduali indicandam,* etc.

601. *Benedictio virginis.* Virgines Deo sacrare antiquus mos est Christianorum, quem etiam tangit Ammianus Marcellinus, licet paganus, lib. XVIII, sub finem : *Inventas tamen alias virgines Christiano ritu cultui divino sacratas custodire intactas, et religioni servire, solito more, nullo vetante, præcepit.*

602. *Ab episcopo dicenda.* Episcopi est virgines consecrare. Sanctus Hieronymus, epist. ad Demetriadem, lib. I : *Scio quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale sanctum operuerit caput.* Et epist. 83, ad Oceanum, lib. II : *Heri catechumenus,*

* In utroque Theod. Gemet. et Cal. sunt Missæ *in natali unius apostoli.* Item *in nat. plurimorum apostolorum*, ideoque de communi. In Theod. sunt Missæ tum de vigilia, tum de natali unius evangelistæ, quas sequitur Missa in nat. sanctorum doctorum.

hodie pontifex; vespere in circo, nunc in altario; dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Id etiam patet ex concil. Carthagin. II, can. 3 : *Ab universis episcopis dictum est, ut chrismatis confectio, et puellarum consecratio, a presbyteris non fiant.* Quod si aliquando faciant presbyteri, id inconsulto episcopo facere non debent, ut habetur in concil. Carthag. III, can. 36 : *Ut presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret.*

603. *Quæ fit in Epiphania.* Ita in Editis, in Codice Rhemensi, et in Ordine Romano. Ita etiam statuitur in epistola Gelasii papæ ad episcopos Lucaniæ : *Devotis quoque Deo virginibus nisi aut in Epiphaniarum die, aut in Albis paschalibus, aut in apostolorum natalitiis, sacrum minime velamen imponant.*

604. *Vel secunda feria Paschæ.* In Ord. Romano, *Vel in Albis paschalibus.* Ita in præfata Gelasii epistola. Apud sanctum Ambrosium, in ipsa Resurrectionis Dominicæ solemnitate, lib. ad Virginem lapsam, cap. 5 : *Non es recordata diei sanctæ dominicæ Resurrectionis, in quo divino altari te obtulisti velandam.*

605. *Aut quando apostolorum natalitia celebrantur.* Juxta decretum Gelasii papæ epistola super citata.

606. *Et vestimenta nigra forinsecus gestant.* Hæc desunt in Ordine Romano, et in Codice Rhemensi. Olim virgines Deo sacræ pulla veste induebantur. Sanctus Hieronymus, epist. 15, lib. I de Laudibus Asellæ : *Et tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, induta.* Et epistola ad Gaudentium, lib. II : *Solent quidam cum futuram virginem spoponderint, pulla tunica eam et furvo operire pallio*, ut videlicet a teneris unguiculis assuescat hujus generis vestimento.

441 607. *Quorumdam bonorum.* Nempe castimoniæ, cujus excellentia in cœlo magis perspecta erit, ut sequentia satis indicant.

608. *In novo.* Ita in Codice Rhemensi, et in Ordine Romano. In Editis legitur *in hoc*, male.

609. *Quæ tibi devotionem suam offert.* Id est, quæ tibi propositum et firmam tibi perpetuo serviendi voluntatem offert.

610. *Votum.* Id est, desiderium et voluntatem.

611. *In jejunio cibus.* Spiritalis videlicet, quo mens pascatur, dum caro jejunat. Nam devotis virginibus olim fuere :

Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,

inquit Prudentius de illis scribens, lib. II contra Symmachum.

612. *Quatenus centesimi fructus*, etc. Ita Prudentius, lib. citato, de Virginibus agens :

Hinc decies deni rediguntur in horrea fructus.

Vide superius annotata.

613. *Ad ancillas Dei velandas.* Olim virgines Deo sacræ solemni ritu velabantur. Præter locos supra citatos, id etiam videre est apud sanctum Hieronymum, lib. I, epist. 48, ad Sabinianum : *Post apostoli Petri basilicam, in qua Christo flammeolo consecrata es.* Et Prudentium lib. citato :

Sunt et virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus.

Id autem fiebat post diuturnam virginitatis probationem eo quod in ejusmodi velatione propria quædam sit virginis consecratio, et strictissima cum Christo sponso conjunctio. Quocirca olim virgines ante annum ætatis suæ quadragesimum non velabantur, ut statuitur in concilio Agathensi, can. 19 : *Sanctimoniales, quamlibet vita earum et mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Et in concilio Cæsaraugustano, can. 8 : *Item lectum est non velandas esse virgines, quæ se Deo voverint, nisi XL annorum probata ætate.* Et in Novella Majoriani : *Sancimus filias quas pater materve, a sæcula i permistione translatas, Christianæ fidei servare præcepta continuata virginitate censuerint, non ante suscepto honorato velamine consecrare, quum quadraginta annos ætatis emensæ, talibus infulis inoffensa meruerint observatione decorari.*

Nec obstat id quod statuit sanctus Basilius, epist. 1, ad Amphilochium, can. 18, ut virginum ὁμολογία, id est, professio excipiatur anno ætatis 16, vel 17. Siquidem susceptio veli a professione seu voto virginitatis distincta est; nec semper eodem tempore ista agebantur, sed aliquando diversis temporibus, ut clarum est ex concilio Cæsaraugustano supra citato, in quo votum virginitatis et susceptio veli distinguuntur. Et ex epist. 1 sancti Innocentii papæ ad Victricium Rothomagensem episcopum, cap. 12 et 13 : *Item quæ Christo spiritualiter nupserunt, et velari a sacerdote meruerunt, si postea vel publice nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se conjunxerant de sæculo decesserit, etc. Hæ vero quæ nondum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginitatis semper manere promiserint, licet velatæ non sint, si forte nupserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est*, etc.

Præter velum solebant mitra seu mitrella virgines ornare caput, quæ erat ex lana, auro purpuraque contexta, ut videre est apud Optatum Milevitanum, lib. II adversus Parmenianum : *Interea supra memoratus Felix, inter crimina sua* **442** *et facinora nefanda, ab eo comprehensam puellam, cui mitram ipse imposuerat, a qua paulo ante Pater vocabatur, nefarie incestare minime dubitavit.* Et lib. VI : *Idem illud quam stultum, quam vanum, quod ad voluntatem, et quasi ad dignitatem vestram vocare voluisti : ut virgines Dei agerent pœnitentiam discentes; ut jamdudum professæ signa voluntatis capitibus postea, vobis jubentibus, immutarent; ut mitrellas aureas projicerent, alias acciperent.* Et paulo post : *Nec ulla sunt præcepta conjuncta, vel de qua lana mitrella fieret, aut de qua purpura pingeretur; non enim in panno hoc potest virginitas adjuvari.* Idque faciebant ad sponsarum imitationem; ut, repudiatis sæculi viris, se Christo nupsisse indicarent, ut constat ex eodem Optato ibidem : *Et tamen virginitas, si illæsa sit, sine mitrella tuta esse potest. Spiritale nubendi hoc genus est; in nuptias Sponsi jam venerant voluntate et professione sua, et ut sæcularibus nuptiis se renuntiasse monstrarent.*

Aliam causam profert sanctus Isidorus, lib. II de Offic. eccl., cap. 17, ubi et velum a mitra distinguit : *Quæritur cur feminæ virgines in Benedictione velentur, quarum hæc causa est. In gradibus enim vel officiis ecclesiasticis feminæ nullatenus præscribuntur. Nam neque permittitur eis loqui in ecclesia, vel docere; sed neque tingere vel offerre aliquid virilis muneris, aut sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. Ideoque hoc tantum, quia virgo est, et carnem suam sanctificare proposuit, idcirco venia fit illi, ut in ecclesia notabilis vel insignis introeat, et honorem sanctificati corporis in libertate capitis ostendat, atque mitram quasi coronam virginalis gloriæ præferat in vertice.* Quæ omnia fere sumpta sunt ex Tertulliano, lib. de velandis Virginibus, et male apud sanctum Isidorum legitur *contingere*, pro *tingere*.

De virginum mitra illud ejusdem Isidori, lib. XIX Originum, cap. 31, intelligendum est : *Mitra est pileum phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum.* Ubi devotæ sunt virgines Deo dicatæ et consecratæ, quemadmodum in concilio Toletano I, can. 16 : *Devotam peccantem non recipiendam in Ecclesiam, nisi peccare desierit.* Et can. 19 : *Episcopi, sive presbyteri, sive diaconi filia, si devota fuerit, et peccaverit, et maritum duxerit*, etc. Unde virgo devota et virginitas devota Ausonio dicitur, in Parentalibus, epig. 7 :

Æmilia Hilaria matertera virgo devota,
Feminei sexus odium tibi semper, et inde
Crevit devotæ virginitatis amor.

Quia vero mitra appellatur *pileum phrygium*, inde factum est ut mitra, seu tiara Romani pontificis

appellata sit *frigium*, vel potius *phrygium*, juxta correctiorem orthographiam. Sugerius abbas sancti Dionysii, in Vita Ludovici Grossi Francorum regis agens de Alexandro papa secundo : *Cumque Turonis apud sanctum Martinum, ut mos est Romanis, frigium ferens, Lætare Jerusalem celebrasset.* Ubi male legitur *friguum*. Et infra agens de Callixto II papa, ubi describitur ejusmodi phrygium : *Ibique more Romano seipsos præparantes multo et mirabili ornatu, circumdantes capiti ejus fugium* (leg. *frigium*) *ornamentum imperiale instar galeæ circulo aureo circumcinctum imponunt.*

Tandem virginum crines sparsi et soluti erant instar sponsarum, ut manifestum est ex eodem Optato, lib. VI : *Spiritali Sponso solverant crinem, jam cœlestes celebraverant nuptias.* Et infra : *Invenistis igitur hujusmodi virgines quæ jam spiritaliter nupserant, quasi secundas coegistis ad nuptias, ut crines iterum solverent imperastis.* Nam schismatici catholicas virgines ad suas partes raptas vel allectas, pœnitentia prius imposita, iterum consecrabant. Ex hoc Optati loco manifestum est olim virgines non fuisse tonsas, quod etiam confirmatur ex sancto Ambrosio, cap. 8, lib. ad Virginem lapsam : *Amputentur crines qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt.* Ibi enim injungit virgini lapsæ pœnitentiam acturæ **443** de peccato crinium tonsionem, juxta priscum morem, quem etiam observare est ex lib. VI Optati, quod signum est eam ante lapsum intonsam fuisse; et ex sancto Hieronymo, epist. ad Sabinianum, ubi refert de quadam virgine Romæ professa, quæ cum Bethlehem venisset ut morem gentis servaret, tonsa est, crinemque amatori Sabiniano dedit. Et ex concilio Gangrensi, can. 17 : Εἴ τις γυναικῶν διὰ τὴν νομιζόμενην ἄσκησιν ἀπεκείρετο τὰς κόμας, etc. ἀνάθεμα ἔστω. Id est : Si qua mulier propter eam quæ existimatur exercitatio, id est ob vitam monachicam tondeat comam, etc., excommunicetur.

At contrarius usus fuit in partibus Ægypti et Syriæ, siquidem illic olim sanctimoniales seu virgines seu viduæ tondebantur, ut docet sanctus Hieronymus, epist. citata : *Moris est Ægypti et Syriæ monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint et sæculo renuntiantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matri offerant desecandum.* Refertque causam, ne a pediculis opprimantur, quia balnea non adeunt, nec oleo unguntur. Quod hodie apud nos observatur, etiam apud Græcos, ut scribit Theodorus Balsamon in canonem citatum.

614. *Oratio ad abbatem faciendum.* Ritum ordinandi tum abbatis, tum abbatissæ, quære in Ordine Romano.

615. *Hebdomada secunda.* Sequitur Ordo hebdomadarum per annum a Pentecoste usque ad Adventum Domini. In Editis legitur : *Dominica* 2, 3, 4, et sic deinceps.

616. *Post tempora feliciter dilatata.* Id est, post vitam longam feliciter ductam.

617. *Et solum sine peccati macula sacerdotem.* Juxta illud Apostoli ad Hebræos VII : *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex sanctus innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*, etc.

618. *Cujus est totum quod est optimum.* Τὸ *optimum* hoc loco bonum significat, estque phrasis Græca, superlativum pro positivo. Etenim omne bonum, in quocunque gradu et differentia consideretur, Dei est, et a Deo est. Unde Jacobi I, juxta textum Græcum, omne datum bonum, et omne donum perfectum desursum est : Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, id est, in versione communi, omne datum optimum, pro positivo, ut habetur in textu Græco. Et optime sanctus Jacobus datum bonum, et datum perfectum, id est optimum, Deo attribuit. Quia omne bonum, qualecunque sit, Dei est, et a Deo est. Unde Marcus Philosophus imperator dicere solebat πάντα ἄνωθεν, id est, omnia desursum, ut refert Dio Prusæus.

619. *Tibi Litare.* Litare est sacrificare hoc loco a λιτή, id est, Oratio, ut docet Festus.

620. *Sanxisti.* Hoc est, sanctificasti. Sancire aliquando est sanctificare. Tertullianus, libro de Resurrectione carnis : *Anima non lavatione, sed responsione sancitur.* Et lib. de jejunio, ex Joele : *Joel exclamavit : Sancite jejunium.* Nam sacrificia veteris legis, suam dignitatem et sanctitatem emendicant ab eucharistico novæ legis sacrificio, ut figura a suo prototypo.

621. *Ut quod singuli obtulerunt.* Ita loquitur, quia fideles in Missarum solemniis communicaturi singuli panem et vinum in suam communionem offerebant, qua de re infra.

622. *Spiritum cogitandi quæ recta sunt.* Recte Spiritum cogitandi quæ recta sunt petit Ecclesia, quia nulla est sine Dei auxilio in homine bona cogitatio, **444** juxta illud Pauli II Cor. III : *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ubi in his verbis, *non quod*, est anastrophe, pro *quod non*. Nam reddit causam cur fiduciam debeamus habere per Christum ad Deum, eo quod non simus sufficientes cogitare aliquid recti vel sancti, videlicet a nobis, quasi ex nobis. Ita definitur in concilio Arausicano II, can. 7 : *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquid quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicæ, prædicationi consentire posse affirmat, absque illustratione et inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo veritati, hæretico spiritu fallitur.*

623. *Pertinere.* Id est, pertingere.

624. *Subripientium.* Pro τὸ *subrepentium*, quod passim occurrit in veteribus Codicibus manuscriptis.

625. *Opus nostræ Redemptionis exercetur.* Tum quoad repræsentationem, quia sacrificium altaris incruentum est rememorativum sacrificii cruenti, quod in ara crucis consummatum est; tum quoad applicationem, quia per altaris sacrificium nobis applicatur passionis Christi meritum.

626. *Et terrore cogas.* Non quod Deus per terrorem inferat vim voluntati, tollatque liberi usum arbitrii; sed juxta vulgarem loquendi modum hæc dicuntur, ut cum minitando alicui dicimus : Nisi id sponte feceris, invitus facies.

627. *Et factum est visibile quod latebat.* Nempe mundus, qui cum in divinis ideis lateret, a Deo creatus, visibilis factus est.

628. *Ecclesiam tuam inter adversa crescere tribuisti.* Id tot Martyriorum experientia patet, testaturque sanctus Justinus martyr, in dialogo cum Tryphone Judæo, ubi Ecclesiam pulchre viti comparat, ex qua si quis excidat fruticantes surculos, ut alios virides et fructiferos palmites proferat efficiet. Tertullianus ad Scapulam : *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tu magis ædificari scias eum cædi videtur.* Et sanctus Nilus, homil. 2 de Christi Ascensione : Τὰ τῆς Ἐκκλησίας κατεκόπτετο κλήματα, καὶ ὁ τῆς πίστεως μᾶλλον ἐπεδίδου καρπὸς, καὶ ἄνθος ἀμάραντον ἔφερε. Id est, Ecclesiæ palmites succidebantur, et fructus fidei magis progressus est, et florem immarcessibilem ferebat.

629. *Et qui vobis tribuit supplicandi affectum.* Supplicandi affectus a Deo tribuitur, quia sine Dei gratia Deo supplicare potest nemo. Quo spectat illud concilii Arausicani II, can. 3 : *Si quis ad invocationem humanam gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere ut invocetur a nobis, contradicit Isaiæ prophetæ, vel Apostolo idem dicenti : Inventus sum a non quærentibus me, palam apparui his qui me non interrogabant.*

630. *Munere.* Id est, gratia.

631. *Nostris sensibus.* Id est, nostris opinionibus plerumque fallacibus et erroneis.

632. *Ut non noster sensus in nobis*, etc. Id est, ut non ducamur nostris cupiditatibus, sed cœlestis gratiæ operatione. *In nobis*, id est *nos*, phrasis Hebraica.

633. *Ut quod immeritis contulisti*, etc. Id est, ut bonam voluntatem tibi serviendi, quam nobis contulisti per tuam gratiam, ad affectum redigas.

634. *Meritorum*. Id est, peccatorum. Vide supra in Canonis Missæ expositione.

445 635. *Gerimus*. Id est, administramus, operamur.

636. *Indemnes*. Id est, nulli damnationi ob aliquod crimen aut reatum obnoxii, hujusce mundi adversis patienter propter Deum toleratis.

637. *Per hujus sacrificii veneranda commercia*. Hæc metaphorice dicta sunt. Et sensus est : per sacrificia, vel pro sacrificiis quæ Deo offerimus, veluti mutuo quodam commercio, ille nos summæ suæ divinitatis participes facit.

638. *Et præsentiæ corporalis mysteriis non deserat*, etc. Hæc duo verba, *deserat* et *relinquat*, videntur hoc loco sumi pro destituat, privet.

639. *Req. Ben*. Id est, require Benedictionem, semper in Hebdomade præcedente.

640. *Hebdomada* v *ante Natale Domini*. Ita in Ex-rusis. In Codice Rhemensi habentur etiam quinque Dominicæ seu hebdomadæ de Adventu Domini eodem numerandi ordine, de quibus hæc habet Amalarius lib. III de Offic. ecclesiast., cap. 40, de Adventu : *In antiquis libris Missalium, et Lectionariorum, reperitur scriptum : Hebdomada quinta ante Natalem Domini. Totidem enim lectiones habentur in Lectionario, et totidem Evangelia a tempore memorato per dies Dominicos usque ad Nativitatem Domini*. In Codicibus Rodradi et Ratoldi, et apud Pamelium sunt [a] quatuor duntaxat Hebdomadæ et Dominicæ de eodem Adventu Domini, converso numerandi ordine; ita ut ea quæ remotior est a Natali Domini prima Dominica, seu hebdomada, appelletur, quæ vero proxima est dicatur quarta. Et Berno Augiensis, cap. 4 libri de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, scribit hanc esse Dominici Adventus rationem in Gregorianis Codicibus : quod tamen vix mihi persuadere possum, cum Editi ex Vaticano, Rhemensis, et sancti Eligii Codices, qui Gregoriani sunt, reclament. In Missis Ambrosianis apud Pamelium sex videre est Dominicas de Adventu Domini, quia ibi Dominica prima Adventus proxime sequitur festum sancti Martini. Quod etiam testatur Radulphus Tungrensis, propositione 16 *Ambrosianus Adventus habet sex septimanas, et incipit Dominica post Martini*. Hoc officium institutum est pro reverentia Natalis Domini, quemadmodum et jejunium, quod varium fuit pro diversitate temporum et locorum. Sanctus Perpetuus, Turonensis episcopus, inter cætera jejunia per anni curriculum instituit : *A depositione domni Martini usque Natale Domini terna in septimana jejunia*, ut refert sanctus Gregorius Turonensis, lib. IX Hist. In concilio Matisconensi I, celebrato sub Guntranno rege, anno 531, can. 9 : *Statuitur, ut a feria sancti Martini ad Natale Domini secunda, quarta et sexta Sabbati jejunetur*. lib. VI Capitul. regum Caroli et Ludovici, tit. 183, statuitur jejunium quadraginta dierum ante Natale Domini : *Quare admoneant sacerdotes ut jejunia tria legitima in anno agantur, id est quadraginta dies ante Nativitatem Domini, et quadraginta ante pascha; ubi decimas anni solvimus, et post Pentecosten quadraginta dies*. De eodem jejunio agit Rabanus, lib. II de Institutione clericorum cap. 22 : *Hac ergo auctoritate divinæ Scripturæ Ecclesia morem obtinuit, et universale jejunium hac observatione celebrat. Quod tamen jejunium incipiens a nono mense in decimum extenditur, id est usque ad Natalem. Congrua itaque dispositione a magistris Ecclesiæ hoc loco jejunium quadragesimale constitutum est, ut ante diem Natalis Domini jejunio et abstinentia nos castigemus*.

In Kalendario quod præfigitur Sacramentario Ratoldi abbatis 446 XVIII Kalendas Novembris notatur Quadragesima ante Natale Domini. Sanctus Cutbertus Lindisfarnensis episcopus quadraginta ante Natale Domini dies jejunare solebat, ut scribit Beda in ejus Vita, cap. 42.

Eamdem etiam jejunii consuetudinem observant Græci, ut manifestum est ex Georgio Codino, libro de Officiis palatii Constantinopolitani, ubi agens de cæremoniis mensæ imperatoriæ in Natali Domini sic scribit : καὶ ποιῶν εὐχὴν ἐπὶ τῆς τραπέζης διὰ τὸ τὴν τεσσαρακοστὴν παρελθεῖν, ἀρχὴν δὲ κρεοφάγου λαβεῖν, λαμβάνει ἄρτον καὶ μίνσον. Id est : Et facta Oratione ad mensam, quia, præterita Quadragesima, principium temporis quo eduntur carnes advenit, accipit panem et missum. Ad cujus distinctionem ab eodem Codino infra Quadragesima paschalis appellatur ἁγία καὶ μεγάλη τεσσαρακοστὴ, id est, sancta et magna Quadragesima. Quod tamen jejunium quadragesimale ante Natalem Domini non est apud Græcos adeo antiquum. Non erat enim tempore concilii Trullensis, imo nec Theodori Balsamonis ætate, qui floruit anno Domini 1191. Ita enim scribit ad can. 52 præfati concilii : Σημείωσαι οὖν καὶ ἀπὸ τοῦ παρόντος κανόνος, ὅτι κυρίως μία ἐστὶ τεσσαρακονθήμερος, etc. Id est : *Nota autem ex hoc canone quod proprie est una Quadragesima. Si enim alia esset, cautum fuisset ne in illa fieret sacrum mysterium per perfectum sacrificium, sed per præsanctificata, quemadmodum quoque cautum est ne fiat in magni paschæ quadragesima*. Hæc ille, quæ sane non scripsisset, si tum Natalis Domini Quadragesima apud Græcos in usu fuisset.

Aliter olim monachi in Gallia. Siquidem in concilio Turonensi, celebrato anno 567, sub Chariberto rege, decernitur ut monachi, juxta antiqua statuta, *de Decembri usque ad Natale Domini omni die jejunent*. Romani olim exordium Adventus a Dominica post festum sanctæ Catharinæ virginis ducebant, ut testatur Radulphus Tungrensis, propositione 16 : *Adventus Domini apud Romanos incipit Dominica prima post crastinum Catharinæ*. Quod etiam de jejunio intelligendum est. Nam paulo post subjungit : *Apud Romanos etiam in Adventu Domini jejunium agitur*. Sed hoc Adventus spatium non adeo antiquum est apud Romanos, cum festum sanctæ Catharinæ non reperiatur in antiquis Sacramentariis, ut nec hodiernum, quod constat tribus hebdomadibus integris et aliquot diebus sequentis, quodque proinde frustra quidam putant ita fuisse institutum a sancto Petro. Huic enim sententiæ adversantur antiquiora Sacramentaria supra citata, in quibus Adventus Domini est quinque Dominicarum.

Nec audiendus est quidam recentior, qui ut probet antiquitatem Adventus Domini, hunc producit locum sancti Joannis Chrysostomi, ex homil. 3 in Epist. ad Ephesios : *Si ingrueret, inquit, solemnis Epiphaniæ dies, addo etiam si tempus Adventus Domini sacri, nedum, Epiphaniæ, et Quadragesimæ*. Sed ista nihil efficiunt, nec sensum auctoris assequuntur, ut constabit ex textu Græco : Ἂν ἐπιστῇ, φησὶν, ὁ τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς καιρὸς, οἷος ἂν ᾖ τις, μετέχει τῶν μυστηρίων· ἂν ἐπιστῇ τῶν Ἐπιφανίων ἡμέρα. Καίτοι καιρὸς οὐ τοῦτο προσόδου· οὐ γὰρ Ἐπιφάνια, οὐδὲ τεσσαρακοστὴ ποιεῖ ἀξίους τοῦ προσιέναι, ἀλλὰ ψυχῆς εἰλικρίνεια καὶ καθαρότης. Id est : Si advenerit, inquit, tempus Quadragesimæ, qualiscunque quispiam fuerit, mysteriorum fit particeps. Si advenerit dies Epiphaniæ. Atqui hoc in tempore accedendi minime situm est. Non Epiphania, non Quadragesima dignos faciunt qui accedant. Hoc in loco invehitur in illos qui raro Eucharistiam sumebant, dicebantque se eam in Epiphania et Quadragesima sumpturos; quibus respondet

[a] In vet. Sacram. Gallic. sunt tantummodo tres.

hoc in tempore quo acceditur ad sacram mensam situm non esse cum ejusmodi homines quales fuerint sive in Epiphania, sive in Quadragesima, ad communionem accedere soleant, et Epiphaniam, et Quadragesimam non facere dignos, sed sinceritatem et puritatem animæ. Est ergo hic dialogismus inter desidem qui moram trahit in sumenda Eucharistia, et sanctum Joannem Chrysostomum. Piger enim ait; si venerit tempus Quadragesimæ, 447 ad sacram mensam accedam, videlicet; respondet sanctus Doctor, qualis quisque tum fuerit, fit mysteriorum particeps. Dicit piger, in Epiphania; subaudi, accedam ad communionem respondet sanctus Doctor, hoc in tempore accedendi minime positum est; nam Epiphania et Quadragesima non dignos faciunt, etc.

641. *Excita, Domine, potentiam tuam*, etc. In Codice Rhemensi adjicitur altera: *Conscientias nostras, quæsumus, omnipotens Deus, quotidie purifica*, etc., ut in Missali Romano.

642. *Primi adventus mysterium*, etc. In Codice Rhemensi est alia Præfatio: *Qui nos tanquam nutrimentis instruet parvulorum, dispensatis mentis et corporis alimentis*, etc.

643. *Cui proprium ac singulare quod bonus es*. Per essentiam videlicet. In Codice Ratoldi abbatis est præfatio superioris Missæ.

644. *Constet esse perfectum*. In eodem Codice pro his verbis legitur, *proficiatur*. Corrupte. Sed legendum est *perficiatur*.

645. *Quod vatum oraculis fuit ante promissum*. In Codice Rhemensi legitur: *Quod per Verbi Dei Evangelium promisisti*.

646. *Percipiant dignitatem adoptionis*, etc. In eodem Codice aliter legitur, in hunc modum: *Et habeat plenitudo adoptionis quod pertulit testificatio veritatis*. Et in eodem Codice sequuntur aliæ tres Missæ, quæ desunt in Exeusis, et in Codicibus nostris mss.

647. *Qui tuo inenarrabili munere præstitisti*, etc. In Cod. Ratoldi est alia Præfatio: *Cui proprium est, et singulare, quod bonus es*, etc., ut supra. Item in Codice Rhemensi: *Cui proprium est veniam delictis impendere*, etc., ut in Ordine Missæ Ambrosianæ, Dominica 4 Adventus.

648. *Antiquæ Virginis*. Id est, Evæ, quia paradisus terrenus omni libidinis contagione caruit, ut vulgo theologi docent.

649. *Deus cujus adventus*, etc. In Codice Ratoldi deest vocabulum, *Deus*.

650. *Alia ad Missam*. In Codice Rhemensi legitur *Post Benedictiones*, id est post canticum *Benedicite omnia opera Domini*.

651. *Dominica prima ante Nat. Dom.* In Codicibus Rhemensis, Rodradi, et Ratoldi legitur, [a] *Dominica vacat*.

652. *Orationes de Adventu*. In Cod. Rhem. pauciores quam hic reperiuntur. Non exstant in [b] Codicibus Rod. et Ratoldi.

653. *Orationes pro peccatis*. Plures sunt in Codice Rodradi presbyteri; sed in Codicibus Rhemensi et Ratoldi abbatis nullas reperire est.

654. *Orationes quotidianæ*. Non exstant in Codicibus Rhemensi et Ratoldi. Plures sunt in Codice Rodradi. Existimo has Orationes olim dictas fuisse in feriis communibus.

655. *Orationes vespertinales*. In Codice Rodradi legitur: *Orationes matutinales, seu vespertinales*. In quo, etsi multo plures sint quam hic, 448 nulla tamen harum quatuor exstat, et quæ ibi habentur a suo titulo dissident. In Codicibus Rhemensi et Ratoldi nullæ sunt.

656. *Orationes ad crucem*. Desiderantur in aliis Codicibus nostris mss.

657. *Orationes ad completorium*. Neque istæ reperiuntur in aliis Codicibus nostris mss.

658. *Orationes matutinales*. Pauciores sunt in Codice Rodradi, nullæ in Codicibus Rhemensi et Ratoldi abbatis.

659. *Ad matutinos lucescente die*. Istæ Orationes desiderantur in aliis Codicibus nostris mss. ut et sequens Oratio ad primam.

660. *Ad clericum faciendum*. Mos est vetustus Ecclesiæ Romanæ, ut clericalis dignitas per comæ tonsuram tribuatur. Unde Arator, epist. ad Parthenium:

> Namque ego Romanæ caulis permistus amœnis
> Ecclesiæ, tonso vertice, factus ovis.

Idque ante ullam ordinum susceptionem, ut clarum est ex Vita sancti Germani Antissiodorensis episcopi, auctore Constantio presbytero: *Glomerata secum turba clericorum atque nobilium, injiciens manus apprehendit Germanum, et, invocato nomine Domini, cæsariem ejus capiti detrahens, habitu religionis, rejectis sæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit*. Et sancti Patrocli abbatis, auctore sancto Gregorio Turonensi: *Abiit ad Arcadium Bituricæ urbis episcopum, petiitque sibi comam capitis tonderi acciríque in ordinem clericorum; quod episcopus, Domino volente, sine mora complevit; nec multo post primus diaconatus officium sumens*. Unde in testamento sancti Rhemigii dicitur: *Et si quis in ordine clericali a presbytero usque ad tonsum*, etc. Aliter Græci; nam apud eos in lectoris ordinatione, qui gradus modo ex minoribus solus ordinibus apud eosdem confertur, tonsura clericalis datur, ut videre est in eorum Euchologio in lectoris ordinatione: Προσαγόμενος τῷ Ἀρχιερεῖ ὁ τοσοῦτος, εἰ μὲν κοσμικός ἐστι, μετὰ ἱματίου, εἰ δὲ μοναχὸς, μετὰ μανδίου, καὶ σφραγίζεται τρίτον τὴν κεφαλὴν παρὰ τοῦ Ἀρχιερέως, καὶ κείρεται παρ' αὐτοῦ σταυροειδῶς, λέγοντος etc. Id est: talis adducitur ad pontificem, si quidem sæcularis est, cum vestimento suo; si vero monachus, cum pallio monachico; et ter signatur in capite a pontifice, et tondetur ab eo in modum crucis, dicente, etc. Id patet etiam ex Vita sancti Euthymii abbatis (*Apud Sur.*, 20 *Januar.*): *Cum eum baptizasset, et pilos, qui ex lege tondentur pueris, totondisset, in gradum lectorum eum cooptat*.

Mos tamen ille non videtur universalis, quia in septima synodo, can. 14, videmus pueros per tonsuram in clerum allectos fuisse, qui tamen lectores non erant per manuum impositionem ab episcopo ordinati, etsi de suggestu publice in ecclesia legerent, quod vetat synodus, statuens ne deinceps ejusmodi clerici in ecclesia legere præsumant, nisi prius lectores ab episcopo fuerint instituti.

Tonsuræ ecclesiasticæ auctor fuit sanctus Petrus, apostolorum Princeps, ut testatur sanctus Gregorius Turonensis, lib. I de miraculis, cap. 28: *Petrus apostolus ad humilitatem docendam caput desuper tonderi instituit*, idque ad instar coronæ spineæ Domini nostri, ut docet Beda, lib. V Hist. Angl., cap. 22; quam coronæ formam improbans quidam recentior, et locum Bedæ misere distorquens, eo devenit ut scriberet tempore sancti Isidori: *Duas clericos habuisse tonsuras, alteram in summo vertice, alteram inferius circum tempora; illaque tiaram sacerdotalem, hac vero* 449 *regium diadema significari*, idque auctoritate ipsius sancti Isidori, et apertissime quidem, ut loquitur. Sed illius hallucinationem ipsa sancti Isidori verba, lib. II de Officiis Eccl., cap. 2, apertissime demonstrant: *Quod vero, detonso capite superius, inferius circuli corona relinquitur, sacerdotium regnumque Ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotis, hæc*

[a] In nostris Mss. ita legitur.

[b] In Theod. et Gemel. multæ sunt Orationes de Adventu a vulgatis plerumque discrepantes. Verum ab istis manuscriptorum Codicum differentiis annotandis abstinendum duximus.

ex bysso confecta rotunda erat, quasi sphæra media; et hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem latitudo est aurei circuli, quæ regum capita cingit. Ubi, amabo, hic tonsura duplex? Unica sane est, capitis superius videlicet detonsi quo tiara exprimitur, non summi apicis, ut hodie fit, at vero inferior circulus capillorum coronam significat.

Hæc est sane antiqua corona sancti Petri et priscorum clericorum referens coronam Christi spineam, quam etiam videre est in concilio Toletano IV, can. 40: *Omnes clerici vel lectores sicut levitæ et sacerdotes, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquant. Non sicut hucusque in Galliciæ partibus facere lectores videntur, qui, prolixis, ut laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent*, etc. Quæ verba nihil aliud sonant quam sancti Isidori dicta, quæ sane clara sunt ac manifesta, neque a Bedæ sententia dissident, qui unicam agnoscit in clericis tonsuram, non duplicem. Consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 62, § 10.

661. *Orationes et preces, super pœnitentem confitentem*, etc. Hæ Orationes non sunt in loco sibi debito, qui est feria quarta Quinquagesimæ, in capite jejunii, ut in Cod. Rod. et Rat. et in Ord. Rom. Unde in Cod. Rod. recte additur: *Feria 4 in Quinquagesima.* In qua dicebantur hujusmodi Orationes super eum qui peccata sua confessus esset, ut videre est in Ord. Rom. et in Codice Ratoldi, ex quo hanc assumendæ pœnitentiæ rationem proferam: *Feria 4 caput jejunii. Incipit ordo ad dandam pœnitentiam. Psal.* Domine, ne in furore tuo, *bis per totum.* Exaudi, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, etc. *Inde dicit alium Psalmum:* Benedic, anima mea, Domino, *usque*, renovabitur ut aquilæ juventus tua. *Oratio.* Adsit, quæsumus, Domine, huic famulo tuo inspiratio gratiæ salutaris. *Psalm.* Miserere mei, Deus, *usque*, redde mihi lætitiam. *Oratio* Præveniat hunc famulum tuum, etc. *Psal.* Quid gloriaris in malitia, *usque*, videbunt justi. *Oremus.* Adesto, Domine, supplicationibus nostris; nec sit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miseratio, etc. *Psalm.* Deus in nomine tuo, *totum. Oremus.* Domine, Deus noster, etc. *Deinde Oratio* Pater noster, *et Vers.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. Et anima mea turbata est valde. Convertere, Domine, et eripe animam meam. Domine, vide humilitatem meam et laborem. Illustra faciem tuam super servum tuum. Salvum fac servum tuum. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto. Domine, exaudi. *Oremus.* Da, quæsumus, Domine, huic famulo tuo continuam purgationis suæ observantiam, etc. *Alia Oratio.* Deus cujus indulgentia nemo non indiget, etc. *Modo surgendi sunt. Benedictio cineris.* Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, fragilitatem conditionis humanæ benignissime respice, etc. *Alia* Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus, propitiare supplicibus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui † benedicat et † sanctificet cineres istos, etc. *Hic mittit cineres super capita eorum cum aqua benedicta, et expellentur extra ecclesiam. Incip. Resp.* In sudore. Et prosternent se ante ostium. *Psalm.* Inclina, Domine. *Oratio* Precor, Domine, clementiæ et misericordiæ tuæ Majestatem, etc. *Et postmodum eant in circuitu ecclesiæ cantando Antiphonam.*

In Codice Rhemensi hæc habentur eadem feria: *De agentibus publicam pœnitentiam feria 4 mane in capite Quadragesimæ. Et cooperis eum cilicio, oras pro eo, et includis usque ad cœnam Domini. Qui eodem die in gremio* **450** *præsentatus Ecclesiæ, et prostrato eo omni corpore in terram; et dat Orationem pontifex super eum ad reconciliandum in quinta feria, Cœna Domini. Orationes et preces super pœnitentem*, subaudi confitentem peccata sua. De hac pœnitentiæ assumptione, feria 4, in capite jejunii, agitur in Concilio Meldensi, cap. 76, ubi præscribitur ut nemo comitum, aut quisquam ex judiciaria potestate, placitum aut mallum tenere præsumat: *Post quartam feriam, quæ caput jejunii nominatur, in qua omnes pœnitentes manuum impositionem, ad vacandum solum pœnitentiæ, et divinis Officiis, accipiunt.* Idem videre est apud Burchardum, lib. XIX, cap. 2: *Presbyteri admonere debent plebem subjectam, ut omnis qui se sentit mortifero peccati vulnere sauciatum, feria 4 ante Quadragesimam cum omni festinatione recurrat ad vivificatricem matrem Ecclesiam; ubi quod male commisit, cum omni humilitate et contritione cordis, simpliciter confessus, suscipiat remedia pœnitentiæ secundum modum canonicis auctoritatibus præfixum.* Quæ quidem citantur ex divo Augustino, sed falso. Nam ista nihil minus quam Augustinum sapiunt, tum propter stylum, tum quia tempore sancti Augustini, non exspectata hac feria 4, omni tempore pœnitentia offerebatur. In Ordine Romano eadem feria 4 habetur etiam ordo ad dandam pœnitentiam. In Codice ms. monasterii sancti Remigii exstat: *Ordo ad pœnitentiam dandam, sicut sancti Patres constituerunt.* Incipitque ab interrogationibus circa fidem: *Credis in Patrem, Filium, et Spiritum sanctum*, etc., ut apud Burchardum lib. XIX, cap. 4.

Quod autem supra, in Codice Ratoldi scriptum est, cineres immitti in capita pœnitentium, eosque aqua benedicta lustrari, id fit ex antiquo more qui habetur in concilio Agathensi, apud Burchardum, lib. XIX, cap. 26, et Ivonem, part. XV decreti, cap. 45: *Tunc surgens ab Oratione, juxta quod canones jubent, manus eis imponat; aquam benedictam super eos spargat; cinerem prius mittat, deinde cilicio capita eorum cooperiat.* Et videtur apud Optatum Milevitanum, lib. VI adversus Parmenianum, ubi, agens de schismaticis qui Virgines Catholicas pœnitentiam suscipere cogebant: *Cum consecratas Deo aspersistis immundis cineribus, crines jussistis etiam aqua falsa perfundi.* Etsi enim schismatici essent, tamen quoad ritus sacros ab Ecclesia non dissidebant. Idem patet de cinere ex Tertulliano, lib. de Pœnitentia: *In asperitudine sacci et horrore cineris;* sancto Isidoro, lib. II de Offic. eccl., cap. 16: *Cinere autem asperguntur, ut sint memores quia cinis et pulvis sunt.* Et Codice Tiliano: *Deinde mittendus est cinis super caput pœnitentis, dicendo: Memento homo quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Ex quo manavit ritus imponendi cineres capitibus Christianorum in feria 4, in capite jejunii, dicendo: *memento homo*, etc., qui utinam cum vera cordis contritione susciperentur.

In Cod. Rhem. supra laudato pœnitentes cilicio induuntur, quod est pœnitentium vestis. Idem videre est in loco citato concilii Agathensis: *Deinde cilicio capita eorum cooperiat.* Et apud sanctum Eligium, serm. 8: *Cur ergo in sinistra parte ecclesiæ positi estis? Non sine causa usus Ecclesiæ hoc obtinuit; verum quia Dominus in judicio oves, hoc est justos a dextris, hædos vero, id est, peccatores, a sinistris ponet. Hædi enim significant peccatores. Unde et cilicia, quæ sunt indumenta pœnitentium, et pilis hædorum et caprarum fiunt.*

Tandem pœnitentes capillos et barbam promittebant, ut liquet ex capite supra citato sancti Isidori: *Hi vero qui pœnitentiam agunt, proinde capillos et barbam nutriunt.* Ex Orderico Vitali, lib. VIII Hist. eccl., *olim pœnitentes, et capti, et peregrini, intonsi erant.* Hinc capienda sunt hæc verba Pœnitentialis ms. sancti Columbani abbatis Luxoviensis: *Pœnitentes fratres, quamvis opera difficilia et sordida efficiant, non lavent capita nisi in die Dominico, id est, octavo. Sin autem, nisi in quintodecimo aut certe propter fluentium capillorum incrementum.*

Id autem fiebat juxta consuetudinem priscorum Romanorum, **451** qui in luctu crines et barbam promittebant. Aliam causam profert sanctus Isidorus, capite supra citato, quia hoc signo peccatorum multitudo notatur. Contrarium tamen ritum videmus in concilio Agathensi, sub Alarico rege, can. 15: *Pœ-*

nitentes tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur. Si autem comas non deposuerint, aut vestimenta non mutaverint, abjiciantur. Sed hæc facile conciliari possunt. Nam quæ scripta sunt ab Isidoro, Columbano et Orderico, juxta communem Ecclesiæ consuetudinem scripta sunt; at quæ in concilio Agathensi decreta sunt, ea Gothorum gratia, in quorum regione celebratum est, constituta fuere. Siquidem illi ex more gentis ad decorem et majestatem promissis gaudebant crinibus, et in prolixa cæsarie triumphabant, et exsultabant, ut clarum est ex Sidonio, lib. I, epist. 2, cum Theodorici Gothorum in Gallia regis formam et habitum describit: *Sicut mos gentis est, crinium superjacentium flagellis operiuntur.* Ex Claudiano, lib. de bello Getico:

> Crinigeri sedere patres, pellita Getarum
> Curia....

Et Jornande libro de rebus Gothicis: *Reliquam vero gentem capillatos dicere. Quod nomen Gothi pro magno suscipientes, adhuc in suis cautionibus reminiscuntur.* Cum igitur esset e re pœnitentium ut, omni cultu et decore corporis posito, in sordibus jacerent, statutum est a concilio ut comam et omnem crinium ornatum a se amandarent.

Tandem in eodem Codice Ratoldi eliminantur ecclesia pœnitentes, canentibus clericis responsorium *In sudore vultus tui*, juxta consuetudinem antiquam, quæ apparet in concilio citato apud præfatos auctores Burchardum et Ivonem: *Et cum gemitu et crebris suspiriis eis denuntiet quod sicut Adam projectus est de Paradiso, ita et ipsi ab ecclesia pro peccatis abjiciuntur. Post hæc jubeat ministris ut reos extra januas ecclesiæ expellant. Clerus vero prosequatur eos cum Responsorio In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Arceantur impii et scelerati ecclesia, templo, sacris, et communi hominum societate, juxta priscum Ecclesiæ morem, qui etiam fuit antiquorum gentilium multis in nationibus communis, ut Græcorum, quemadmodum videtur apud Euripidem in Hercule furente, actu 5:

> . . . . . Οὔτε ἐμαῖς φίλαις
> Θήβαις ἐνοικεῖν ὅσιον, ἢν δὲ καὶ μένω,
> Εἰς ποῖον ἱερὸν, ἢ πανήγυριν φίλων
> Εἶμι;

Id est:

> . . . . Nec adamatis mihi
> Thebis habitare fas est; et si autem mansero,
> In quod templum aut conventus eam amicorum?

Ibi enim deflet Hercules cædem liberorum a se patratam, ob quam, si revertatur Thebas, dicit sibi nullum fore ad templa et amicorum conventum aditum. Et apud Theonem Sophistam: Διὰ τοῦτο χερνίβων εἰργέσθω (homicida) σπονδῶν, κρατήρων, ἀγορᾶς, ἱερῶν. Id est: propterea aqua lustrali arceatur (homicida) fœderibus, conviviis, foro, templis. Et apud Sophoclem in Œdipode Tyranno: *Prohibeo, ne quis hujus terræ in qua impero, ejusmodi hominem, quisquis sit:*

> Μήτε εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
> Μήτε ἐν Θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι
> Κοινὸν ποιεῖσθαι.....

Id est:

> **452** Suscipiat, nec alloquatur, neque participem faciat
> Precum divinarum et sacrificiorum.

Hic mos etiam apud Gallos ex Druidum institutione in usu fuit, ut testatur Julius Cæsar, seu Celsus, lib. VI de bello Gallico: *Si quis aut privatus, aut populus eorum* (Druidum) *decreto non steterit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos est gravissima. Quibus ita est interdictum, ii numero impiorum ac sceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant, neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur.* Atque etiam in Germania, ut scribit Cornelius Tacitus libro de Moribus Germanorum: *Nec sacris adesse, nec concilium inire ignominioso fas est.*

661. *Secunda pars: Pœnitentem confitentem peccata sua.* Confessio ejusmodi pœnitentium erat ampla admodum, varia, et multa peccata complectens, quæ vix in uno homine reperiri queant. Quam videre est in Ordine Romano in hunc modum: *Confiteor tibi, Domine cœli et terræ, tibique bone et benignissime Jesu, una cum sancto Spiritu coram sanctis Angelis tuis, et coram sanctis tuis, coram hoc altari, et sacerdote tuo, quia in peccatis conceptus, et in peccatis natus, et in peccatis nutritus, et in peccatis post baptisma usque ad hanc horam sum conversatus. Confiteor etiam quia peccavi nimis in superbia, inani gloria, in extollentia tam oculorum quam vestium, et omnium actuum meorum, in invidia, in odio, in avaritia tam honoris quam pecuniæ, in ira, in tristitia, in acedia, in ventris ingluvie, in luxuria sodomitica, in sacrilegiis*, etc. Similem reperire est priscorum Germanorum apud Goldastum libro de rebus Germanicis.

Exstat etiam confessio sancti Isidori Hispalensis episcopi, litteris consignata a Redempto ejus clerico, cum, impendente morte, palam confessus est in æde sancti Vincentii generatim duntaxat, nihil particulatim exprimens.

Exstat etiam confessio Rotberti Cenomanensis episcopi, edita a doctissimo viro Jacobo Sirmondo societatis Jesu, tom. III Conciliorum Galliæ, quam morti proximus misit per epistolam, ad episcopos qui erant in obsidione urbis Andegavensis cum Carolo Calvo imperatore; in qua etiam nullum speciale crimen confitetur, sed tantum se abominabilem et exsecrandum peccatorem esse profitetur.

In vetustissimo Codice ms. Bibliothecæ Corbeiensis, cui titulus est, *Ordo Orationum*, habetur confessio sancti Fulgentii, quam hic subjicere non pigebit:

« *Incipit* [a] *confessio sanctii Fulgenti episcopi ad pœnitentian dandam.*

« Ego confiteor tibi, Domine, Pater cœli et terræ coram hoc altari tuo sancto, et istius loci reliquiis, et coram hoc sacerdote tuo, omnia peccata mea, et omnia quæcunque Dei pietas ad memoriam reducit de cogitationibus turpibus, sive sermonibus otiosis, et immundis, et quod ego contra præceptum Dei feci. Confiteor etiam omnia cordis et corporis mei vitia, sacrilegium [*Leg.* sacrilegia], invidias, detractiones, perjuria, furta, maledicta, convicia, turpiloquia, scurrilitates, mendacia, irrisiones, insultationes, simulationes, murmurationes, adulationes, tristitias, vigilias inutiles et Deo despicabiles, carnales concupiscentias pessimas, et propter corporis mei suavitatem et delectationem, Dei præcepta postposui, et transgressus fui per superbiam et elationem, et desidiam et pigritiam. Voluntates [*Leg.* voluptates] immundas perpetravi, fornicationes, pollutiones, luxurias, ebrietates, **453** comessationes, homicidia manifeste et occulte in corpore et animo peregi. Patri meo, et matri meæ, fratribus et sororibus, patruis et amitis, et consobrinis, sive omnibus propinquis, et parentibus meis secundum Dei præceptum et Dei voluntatem honoris obsequium non exhibui. Seniorem carnalem, et amicos plus in malo quam in bono auscultavi, et obediens fui. Omnes Christianos, sicut Deus præcepit, non dilexi. Semper aliis malum, non bonum exemplum et documentum præbui et ostendi, Dominicos dies et solemnitates sanctorum non digne, nec Deo acceptabiliter duxi, nec custodivi, et nescien-

[a] Ad hanc confessionis formulam multas observationes a nobis olim factas in tractatu Gallico *de Confessione*, adversus Dallæum, I parte, cap. 12, consulere potest pius et eruditus lector.

tibus non annuntiavi, sed ebriose et luxuriose in ipsis me pollui, et alios ad hoc incitavi. Latrocinium et fructum [*Leg.* furtum] abscondi et comedi, et abscondentibus consensi. Infirmos et in carcere positos non visitavi, nudos non operui. Hospites propter Deum non suscepi, nec eorum pedes lavi; esurientes non refeci; dolentes et flentes, non consolatus sum; inter se discordantes sive parentes sive omnes Christianos rixantes plus ad iram quam ad pacem provocavi. Ego confiteor quia multum peccavi in visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu; et multa mala cogitavi et perpetravi. Ego confiteor quia in sancta Ecclesia multa mala cogitavi, et locutus fui inordinate et superbe; in sancta ecclesia steti, sedi, osculatus sum, aspexi, perrexi, jacui, consensi. Vasa sancta, et omne ministerium sanctum pollutus tetigi. Osculo nefando pollutus sum. Et super sanctum altare, et in consecrata eccles a, et in benedicta cruce, et super sanctas reliquias juravi, et verba perjuria [*Leg.* perjura], et mendacia protuli, et perjuravi. Confiteor etiam quia tibi omnipotenti Deo, et omnibus sanctis, et omnibus bonis hominibus inobediens fui, et interius exteriusque infidelis et molestus fui, contentiosus, odiosus, invidus, iracundus, avarus, cupidus, rapax, incredulus, immitis. Et meam Orationem negligenter in conspectu Dei effudi propter cogitationes inanes, et duro corde. Ego corpus Domini, et sanguinem ejus polluto corde et corpore sine confessione et pœnitentia sciens indignus accepi. Episcopos, et probos abbates [*Leg.* presbyteros], monachos, canonicos, et omnem clerum Ecclesiæ Dei non amavi, non dilexi, nec eis obsequium honoris præbui, sicut Deus præcepit. Meipsum per carnalia desideria, et per malas cogitationes, et per malam voluntatem, et per mala opera contaminavi, dehonestavi, perdidi, et voluntate diabolo consensi. De his omnibus et aliis innumerabilibus, quæ propter multitudinem peccatorum, criminum et scelerum meorum recordari non sufficio, et quod ego contra Dei voluntatem, et omnium sanctorum, et legem Christianam feci, et duro corde perpetravi, sive ignoranter, sive scienter, sive in cogitatione mala, sive in verbo, seu in opere, vel etiam assiduitate vel delectatione peccati, sive in die, sive in nocte, horis atque momentis, sive vigilans, sive dormiens, seu qualicunque causa cogitassem aut facere voluissem, et opere perpetrassem contra Dei voluntatem. Sic ego hodie omnia tibi Deo ac Domino cœli et terræ confiteor coram sancto altari tuo in pura et vera confessione, et voluntate ad emendandum, et hæc peccata deinceps dimittenda, ut tu, Deus omnipotens, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, miserearis, et parcas, et remittas, et deleas omnia peccata, crimina, atque facinora, et delicta mea præterita, præsentia, et futura, et perducas me ad vitam æternam. Amen. Supplico te, Dei sacerdos, ut de his omnibus sis mihi testis in die judicii, ne gaudeat de me inimicus meus, et dignare pro me Dei misericordiam deprecari, ut donet mihi veniam indulgentiæ, et omnium peccatorum meorum remissionem.

« *Responsio Sacerdotis.*

« Misereatur tui omnipotens Deus, et donet tibi **454** veram indulgentiam de peccatis tuis, et ulciscatur te de omnibus inimicis tuis invisibilibus, donet tibi Deus consilium in isto sæculo, et perducat te feliciter ad vitam æternam. »

Hactenus confessio sancti Fulgentii episcopi. Sed ex duobus celebribus Fulgentiis, cujus sit hæc confessio, an sancti Fulgentii episcopi Ruspensis in Africa, an sancti Fulgentii Astigitani episcopi in Hispania, fratris sanctorum Leandri et Isidori, non in promptu est dicere. In supra citato Codice ms. monasterii sancti Remigii, Rhemis siti, est alia [a] confessio huic similis; sed quia eadem habetur in Ordine Romano, a qua tantum paucissimis verbis discrepat, non mihi visum est illam hic exscribere. Hanc in eodem Codice ms. excipit hæc unica *Responsio sacerdotis :*

« Misereatur tui omnipotens Deus, et dimittat tibi omnia peccata tua; liberet te ab omni opere malo, conservet te in omni opere bono, et perducat te per intercessionem omnium sanctorum ad gloriam sempiternam. Amen. »

In eodem Codice ms. sancti Remigii hæc sequuntur: « Item cum venerit pœnitens ad sacerdotem, projiciat se ad pedes ejus humiliter veniam postulans. Cumque hoc facto eum surgere sacerdos præceperit, dicat ei ut exspectet modicum donec intret in cubiculum suum ad Orationem. Si autem locus cubiculi defuerit, tunc sacerdos in corde suo dicat hanc orationem :

« *Oratio.* — Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, » etc., ut infra in Pœnitentiali Romano.

Tandem in eodem Codice ms. monasterii sancti Remigii hæc sequuntur :

« Interim itaque dum sacerdos intrat in cubiculum ad Orationem, dicat pœnitens qui venerat ad confessionem, hanc Orationem :

« Conditor et Redemptor meus Christe, omnipotens Domine Deus, propitius esto mihi peccatori, qui me redemisti tuo sanguine pretioso; et da mihi tua inæstimabili misericordia peccata mea pleniter cognoscere, digne deflere, puriter confiteri, veraciter pœnitere, dignos pœnitentiæ fructus agere, omniumque peccatorum plenissimam indulgentiam mihi digneris, quæso, tua pietate tribuere, atque a malis omnibus liberatum sanctorum consortio sociare. Omnibus quoque mihi familiaritate et consanguinitate conjunctis ex quorum eleemosynis sustentor, vel quandocunque suscepi, et pro quibus orare jussus sum, vel ipse disposui, cunctisque fidelibus tuis dimitte omnia peccata sua. Libera eos ab omni malo, conserva in omni bono, et perduc ad gaudia sempiterna. Illis vero qui in me quocunque modo inquinati sunt, perfectam remissionem delictorum suorum concede; et ut eos secundum mandatum tuum diligere, illisque ex animo possim remittere, cor meum, peto, digneris tua benignitate solita modifacere. Cunctis etiam familiaribus et consanguineis meis, et quorum eleemosynis sustentor, et quandocunque suscepi, et pro quibus orare jussus sum, vel ipse disposui, quorum tu, Domine, nosti nomina, qui in libro vitæ sanctorum tuorum scribis vocabula, omnibusque in nomine tuo defunctis humillime deprecor perpetuam [*Leg.* per tuam] misericordiam vitam largiaris æternam.

« *Item alia Confessio.*

« Confiteor Domino, et tibi, Pater, in toto corde meo, quia ego miser peccator et infelix, peccavi nimium coram Deo et sanctis angelis ejus, in superbia, inobedientia, et contentione, in gula, in crapula, et ebrietate ante horam et post horam sine licentia **455** et Benedictione; in fornicatione, et adulterio, et in peccatis sodomiticis, et in omnibus modis quibuscum potui, meipsum coinquinavi infelix per cogitationem immundam, per visum, per tactum, per osculum, per amplexum. Propriis manibus etiam frequenter memetipsum jejunus, et ebrius pollui. Ipso die quo accepi Eucharistiam cecidi in fornicationem. Diebus Dominicis et festis, et præcipuis quadragesimis oblationem obtuli immundam, et communicavi ante confessionem et pœnitentiam per innumeros dies et annos. In avaritia, in furto, in invidia,

[a] Similes confessiones collegit noster D. Edm. Martene, de antiquis Ecclesiæ Ritibus in sacramentorum administratione, parte II, cap. 6, art. 7.

in ira, in mendacio, et perjurio, in tristitia, in rancore animi et desperatione, in tædio cordis, et somnolentia, et pigritia boni operis, in vana gloria, in hypocrisi, in discordia et detractione, in dando et accipiendo contra præceptum regulæ, et in cunctis vitiorum generibus, visu, auditu, gustu, odoratu, et tactu; cogitatione, sive locutione atque actione perditus sum infelix. Multa quidem et innumerabilia sunt peccata mea, quæ recordari nequeo, in factis, in dictis, in cogitationibus, pro quibus omnibus misera mens mea compungitur, et acri interdum pœnitentia cruciatur. Ideoque consilium, imo judicium tuum, qui sequester, ac medius inter Deum et peccatorem hominem ordinatus es, supplex deprecor, et ut pro eisdem peccatis meis intercessor existas humiliter imploro.

« *Responsio sacerdotis.*

« Misereatur tui omnipotens Deus, et donet tibi veram indulgentiam, et emendationem, et veniam de peccatis tuis, et remissionem, et ulciscatur te de omnibus inimicis tuis visibilibus, et invisibilibus; donetque tibi Deus verum consilium in isto sæculo, et perducat te feliciter ad vitam æternam. Amen. »

Hactenus Codex ms. monasterii sancti Remigii. Hæc autem confessio est monachorum; quod patet primo ex his verbis : *Ante horam*, *et post horam* (refectionis videlicet) *sine licentia et Benedictione*. Quia non licet monachis extra horam refectionis comedere, vel bibere, ut liquet ex cap. 43 regulæ sancti Benedicti : *Nec quisquam præsumat ante statutam horam vel postea quidquam cibi*, *aut potus præsumere*. Vide cap. 52 Concordiæ regularum. Secundo hæc verba, *In dando et accipiendo contra præceptum regulæ*, id etiam testantur; nefas est enim monacho dare aut accipere aliquid, nisi permissus fuerit ab abbate, ut cautum est cap. 33 regulæ sancti Benedicti : *Ne quis præsumat aliquid dare, aut accipere sine jussione abbatis*. Vide cap. 42 Concordiæ regularum.

Possem his addere nonnullas alias confessionis formulas, sed quia nihil aut parum a supra memoratis discrepant, et brevitati studendum est, ab earum relatione supersedeo. Notandum tamen est has et similes confessionis formulas suggillari ab auctore operis de visitatione infirmorum, lib. II, cap. 5, tom. IX operum sancti Augustini : *Ne quidem*, inquit, *sicut quidam faciunt*, *cum quadam calliditate alloquaris presbyterum*, *quoniam talis allocutio tui ipsius foret deceptio. Accedunt siquidem deceptiosi ad sacerdotes, ita eis præsentibus confitentes : Ego peccator*, *Domine sacerdos*, *peccavi perjurando*, *adulterando*, *fornicando*, *hominem occidendo*, *mentiendo*, *sacrilegium committendo*, *furando*, *rapiendo. Hæc omnia commisi mea culpa*, *vel opere vel voluntate*. Hæc ille. Quamvis superiores formulæ confitendi non essent deceptiosæ, quia fuerunt ab Ecclesia institutæ, sane non mihi multum probarentur, nisi alia confessio præcedere consuevisset, in qua numerus peccatorum cum necessariis circumstantiis declaratur, quam videre est in Ordine Romano, cum ait : *Deinde jubeat eum sedere sacerdos contra se*, *et colloqui cum eo de suprascriptis vitiis*, *sive exhortationibus*, *ne forte præ verecundia*, *aut ignaria*, *sive oblivione aliquid putridum in corde remaneat*, *per quod iterum diabolus ad peccati vomitum reducat*, etc. Et paulo post : *De qualitate etiam peccatorum*, *et hominum*, *inter continentem*, *et non continentem*, *utrum voluntate*, *vel casu*, *vel in abscondito*, *quali compunctione* **456** *emendet*, *necessitate vel voluntate*, *loca vel tempora discernat*, etc.

Tandem in eodem Ordine Romano sacerdos interrogat pœnitentem de articulis fidei, an libenter inimicis suis parcat, et de quibusdam aliis, ut ibidem videre est. Quibus ita peractis, pœnitens recitat supra memoratam formulam confessionis : *Confiteor tibi*, *Domine*, *Pater cœli et terræ*, etc. Quod etiam liquet ex Burchardo, apud quem non est illa confessionis formula, sed sacerdos pœnitentem sua jam peccata confessum interrogat de multis aliis criminibus enucleate satis; quas omnes interrogationes videre est apud eumdem, lib. XIX Decretorum, cap. 5, ubi sic ait : *Videns autem sacerdos eum verecundantem*, *rursus prosequatur. Fortassis*, *charissime*, *non omnia quæ gessisti ad memoriam modo veniunt. Ego te interrogabo : Tu cave ne*, *diabolo suadente*, *aliquid celare præsumas. Et tunc eum ita per ordinem interroget. Fecisti homicidium voluntarie sine necessitate*, *non in hoste*, *sed per tuam cupiditatem*, etc., ubi τὸ *hostis*, sive *estis*, Gallice *ost*, significat exercitum, ut infra in eodem capite. Consule Glossarium Friderici Lindembrogii.

Sane viguit olim in Ecclesia consuetudo confitendi peccata sua particulatim, et non confuse, quam videre est apud Socratem, lib. V Hist., cap. 19, ubi agens de nobili quadam muliere Constantinopolitana sic scribit : καὶ κατὰ μέρος ἐξομολογεῖται τὰς ἁμαρτίας, etc., id est : *Et peccata*, *quæ post baptisma commiserat*, *particulatim confitetur*.

662. *Exaudi*, *Domine*, *preces nostras*, etc. Ita in Codicibus Rhemensi et Rodradi, et in Ordine Romano. In Editis hæc et sequentes Orationes desiderantur.

663. *Præveniat hunc famulum tuum*, etc. Ita in Ordine Romano.

664. *Adesto*, *Domine*, etc. Ita in Codicibus Rhemensi et Rodradi, et in Ordine Romano.

665. *Domine*, *Deus noster*, etc. Ita in eisdem Codicibus.

666. *Offensione nostra non vinceris*, etc. Ita in Codicibus Rhemensi et Rodradi. In Ordine Romano legitur : *Peccatis nostris offenderis*.

667. *Sed*. Hæc particula deest in Ordine Romano.

668. *Ut tibi pœnitentiæ excubias*. In Ordine Romano legitur : *Ut famulus tuus Pœnitentiæ tibi excubias*.

669. *Precor*, *Domine*, etc. Hæc Oratio etiam exstat apud Burchardum, lib. XIX, cap. 7, nec apud Henricum Canisium, tom. V antiquæ Lectionis, nec lib. VI Halitgarii episcopi ms. bibliothecæ Corbeiensis, et in Codice Ratoldi.

670. *Clementiam tuæ majestatis ac nominis*. Apud Canisium et Burchardum, locis citatis In Codice Ratoldi, et in lib. VI Halitgarii ms. legitur : *Clementiæ et misericordiæ tuæ Majestatem*.

671. *Ad caulas*. In citatis libris hæc vocabula desunt.

672. *Qui publicani precibus vel confessione placatus es*. Ita in Codice Rhemensi. In libro VI Halitgarii legitur : *Qui publicani precibus* (lege *preces*) *confessione placatus exaudisti*. Apud Henricum Canisium : *Publicani preces*, *confessione placatus exaudisti*. In Codice Ratoldi hæc desiderantur.

673. *Adsiste*. In Codice Rhemensi et Ratoldi, quemadmodum et apud auctores citatos, legitur *Aspira*.

674. *Permanens clementiam tuam celeriter exoret*. **457** Ita in Codice Rhemensi. In Codice Ratoldi, et apud auctores citatos legitur, *permaneat fletus ejus*, *et petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret*.

675. *Sanctis altaribus*. In Codice Rhemensi legitur : *Sanctis et sacris altaribus*. In Codice Ratoldi : *Sanctis altaribus et sacris*. Lib. VI Halitgarii : *Sanctisque altaribus et sacrificiis*. Apud Canisium : *Sanctisque altaribus et sacrariis*.

676. *Reformetur*. Ita in Codice Rhemen. In Codice Ratoldi, et in auctoribus citatis legitur : *Mancipetur*. Reformare est restituere; de quo verbo consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 38, § 3.

677. *Orationes ad reconciliandum pœnitentem*. In excusis Codicibus Orationes ad renonciliandum pœnitentem reperire est in quinta feria in Cœna Domini. Estque ille proprius earum locus. Nam vetus olim fuit Ecclesiæ Romanæ consuetudo, feria 5 in Cœna Domini absolvere, et reconciliare pœnitentes. Idque videtur in Ordine Romano, et in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, in quibus ea quæ ad pœnitentium recon-

ciliationem spectant eadem feria describuntur. Et notum est ex epistola Innocentii I papæ ad Decentium Eugubinum episcopum : *De pœnitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis, sive ex levioribus pœnitentiam gerunt (si nulla intervenit ægritudo) quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanæ Ecclesiæ consuetudo demonstrat.* Id etiam videre est in canone 15 Isaac Lingonensis episcopi, tom. III Conciliorum Galliæ : *Statutum est, et in sanctis canonibus prohibitum, ut nullus presbyter pœnitentiam publice, inconsulto episcopo, renonciliare præsumat ; sed omnes publice pœnitentes quinta feria ante Pascha, quæ est Cœna Domini, ad civitatem in cinere et cilicio in præsentiam episcopi prostrato vultu conveniant, et ibi ab episcopo canonice et ordinabiliter, sicut in Sacramentario et Romano Ordine continetur, reconcilientur*, etc. Apud Alcuinum, lib. de Divinis Officiis, cap. de Cœna Domini, et in homilia 4 sancti Eligii de Cœna Domini, qui hac in re morem Romanum secuti sunt, videmus pœnitentes eadem feria reconciliari : *Ut igitur audivit vestra dilectio, hæc omnis pedum lotio, nostrorum peccatorum est purgatio. Unde non incongrue hac ipsa die, sicut Ecclesiæ tenet consuetudo, pœnitentium fit reconciliatio.*

Hoc etiam constat ex sermone de unctione Chrismatis inter opera sancti Cypriani : *Hac die primum commendata est nobis fractio panis*, etc. Et paulo post : *Hodie reconciliantur Ecclesiæ peccatores, et ejecti foras ad matris ubera reducuntur, et exclusi a cœtu sanctorum ad communionem, qua caruerant, revertuntur.* Et ex cap. 71 libri V Capitularis Caroli et Ludovici imperatorum : *Duobus etiam annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre ; sed populo tantummodo in Oratione socientur, ut perfectionem septimo, in Cœna Domini, consequantur anno, id est per episcopi, vel ejus jussu, si ipse abest, aliorum sacerdotum manus impositionem, absolutione sacerdotalium precum communionis catholicæ gratiam recepturi.* Idem testatur Guillelmus Parisiensis, lib. de Sacramento pœnitentiæ, cap. 5. Hactenus de die absolutionis, et reconciliationis ; cujus totam rationem et modum huc ex Ratoldi Codice proferre non erit inutile.

« *Lecto Evangelio* Ante diem festum Paschæ, etc., *postea sedeat episcopus in sede juxta altare, et non dicat Dominus vobiscum ; sed archidiaconus legat coram eo et populo rotulam, in qua continentur quædam indita de pœnitentium renonciliatione. Post hoc oret episcopus ante sanctum altare. Hoc expleto pergat ad ambonem et ascendat ad eum, faciatque sermonem tam populis quam pœnitentibus, sicut Ordo præcipit Romanus. Tunc redeat ante altare, et prosternens se, tam ille quam omnis populus, etiam pœnitentes, tam illi qui intus sunt quam extra, et canent septem Psalmos. Finitis his Psalmis surgat solus, et dicat has Orationes tam pro se quam pro populo : Adesto, Domine,* **458** *supplicationibus nostris*, etc., ut in Ordine et Pontificali Romano.

« *Alia.* — *Præsta, quæsumus, Domine*, etc., ut in Ord. et Pontif. Rom.

« *Absolutio.* — *Sicut principali sententia constat*, etc., ut in Ordine Romano.

« *Alia.* — *Deus humani generis benignissime conditor*, etc., ut in Pontificali Romano, et in libro VI Halitgarii.

« *Item alia.* — *Precor, Domine, clementiam tuam*, etc., ut in Pontificali Romano, sed in quibusdam variat.

« *Item alia.* — *Deus, qui justitia tuæ legis, misericordiæ semper multiplicationem moderaris, dum delinquentibus pœnitentiam, dum ab his etiam providentiæ tuæ dona non subtrahis, et vindictam miserando suspendis. Per.*

« *Alia.* — *Deus misericors, Deus clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum*, etc., ut in Pontificali Romano. In ordine quidem habetur ; sed in fine variat.

« *Alia.* — *Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur*, etc., ut in Pontificali Romano. In Ordine quidem habetur, sed in medio et in fine variat.

« *Item alia.* — *Absolvimus vos vice beati Petri apostolorum principis, cui Dominus ligandi atque solvendi potestatem dedit, et quantum ad vos pertinet accusatio, et ad nos remissio. Sit vobis Deus omnipotens vita et salus, et omnium peccatorum vestrorum indultor ; et qui vobis compunctionem cordis dedit det veniam peccatorum, longævamque vobis atque felicem vitam in hoc sæculo largiatur, et in futuro cum Christo, et omnibus sanctis ejus sine fine manentem. Per eumdem Dominum nostrum.* » Hactenus Codex Ratoldi de pœnitentium absolutione. Circa hæc quædam notanda sunt.

Primo hanc absolutionem fieri in missa proxime post Evangelii lectionem. Quod etiam videtur in Codice Rhemensi, in quo, perfecta pœnitentium reconciliatione, subsequitur Oratio super Oblata. Priscis temporibus absolvebantur etiam inter Missarum solemnia pœnitentes, sed proxime ante Orationem Dominicam, ut constat ex Optato Milevitano, lib. II adversus Parmenianum : *Etenim inter vicina momenta, dum manus imponitis, et delicta donatis, mox ad altare conversi Dominicam Orationem prætermittere non potestis : Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita et peccata nostra.*

Secundo, septem hic esse Orationes ad reconciliandum pœnitentem, si, duabus Orationibus prioribus omissis quæ dicuntur pro episcopo et populo, numeraveris ab illa Oratione cui titulus est *Absolutio;* quod videtur esse secundum antiquum ritum, qui etiam tempore Ludovici Pii in Gallia vigebat, ut clarum est ex vita ejusdem Ludovici : *Et inter Missarum celebrationem, septem archiepiscopi, septem reconciliationis ecclesiasticæ Orationes super eum cecinerunt.*

Tertio notandum est id quod scriptum est : *Archidiaconus legat coram populo rotulam*, etc. Et quæ in eadem rotula continentur, nempe : *Adest, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ*, etc., ut in Ordine Romano.

Quarto notanda sunt hæc verba : *Sicut Ordo præcipit Romanus*, et quæ ibi scripta sunt, cum agitur de sermone quem habet episcopus ad pœnitentes, quia in Ordine Romano, qui nunc exstat, nulla fit sermonis hujus mentio. Ex quo patet etsi hic Ordo Romanus, qui nunc exstat, sit antiquus, in eo tamen quædam fuisse partim detracta, partim immutata, partim addita, ut in Præfatione observavimus. In Codice Rhemensi fit etiam mentio sermonis hujus, seu exhortationis in hunc modum : *Post hæc admonetur ab episcopo, sive ab alio sacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet.* Quemadmodum et in Pontificali Romano : *His dictis, pontifex surgens accedit cum ministris ad ostium Ecclesiæ,* **459** *choro non se movente, et stans in medio ostii facit brevem exhortationem.*

Quinto notanda est hæc forma absolutionis : *Absolvimus vos vice beati Petri*, etc., quæ non exstat in hoc Codice sancti Eligii, nec in Codicibus Rhemensi, et Rodradi, neque in lib. VI Halitgarii ms. toties citato, neque apud Henricum Canisium libro supra citato. In his enim omnibus pœnitentium reconciliationi Orationes tantum adhibentur. Quod etiam videre est apud Alcuinum cap. de Cœna Domini. Sed in Ordine Romano, et in Codice Tiliano ms. hæc formula absolutionis seu reconciliationis exstat, quæ cum formula Codicis Ratoldi satis convenit : *Nos etiam secundum auctoritatem nobis indignis a Deo commissam absolvimus vos ab omni vinculo delictorum vestrorum : ut mereamini habere vitam æternam. Per eum qui ven.* Non exstat in Pontificali Romano.

Hic subjiciam aliam absolutionis formulam notatu dignam, nuper inventam Petrachoricis in quodam sepulcro abbatiæ sancti Frontonis, quam profert R. P. Joannes du Puy Franciscanus Recollectus, in libro de statu Ecclesiæ Petrachoricensis, in Guillelmo de Montebrulpho episcopo. Effossis in dicta abbatia qui-

busdam veteribus sepulcris plumbea crux inventa est, in cujus altera parte hæc sunt sculpta reperta :

SACRO FONTE BAPTISMATIS ILLIANTE DONATUR, ELIE VOCATUR. OBIIT AUTEM KALENDAS MAII, ANNO DOMINI MILLESIMO SEPTUAGESIMO PRIMO, REGNANTE PHILIPPO FRANCORUM REGE.

In ejus medio hæc duo elementa : O. N. incisa sunt ; in altera parte hæc sunt exarata :

DOMINUS DEUS OMNIPOTENS, QUI POTESTATEM DEDIT SANCTIS APOSTOLIS SUIS LIGANDI ATQUE SOLVENDI, IPSE TE DIGNETUR ABSOLVERE F. ELIA A CUNCTIS PECCATIS TUIS, ET QUANTUM MEÆ FRAGILITATI PERMITTITUR SIS ABSOLUTUS ANTE FACIEM ILLIUS, QUI VIVIT ET REGNAT IN SÆCULA SÆCULORUM.

Hæc non possunt intelligi de absolutione ab excommunicatione, quia ibi nulla est talis absolutionis mentio, sed de absolutione a peccatis. Neque huc referri potest canon 39 concilii primi Arausicani : *Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manu eos communicare*, etc. Nam in ejusmodi absolutione nihil simile repereris. Deinde hic canon, regnante Philippo Francorum rege, primo videlicet, de quo præfata verba intelligenda sunt, jam obsoluerat. Puto ergo hunc monachum pio quodam devotionis motu voluisse baptismatis sui et absolutionis exemplar in hac cruce exaratum secum in sepulcro recondi. Hæc autem verba, *sis absolutus*, æquipollent nostræ formæ, *ego te absolvo*.

Intercessit olim controversia inter sanctum Thomam et quemdam doctorem de absolutionis forma, hoc asserente eam esse deprecatoriam : *Et quod vix triginta anni essent, quod omnes hac sola forma utebantur : absolutionem et remissionem tribuat tibi omnipotens Deus ;* illo contra contendente formam absolutionis esse enuntiativam seu indicativam per hæc verba, *ego te absolvo*, etc., quæ judiciariam sacerdotis potestatem indicant. Quem vide opusculo XXII.

Alexander de Ales, quæst. 60, art. 3, membro 2, scribit fuisse indicativam vel deprecatoriam : *Sed contra si objiciatur quod absolutio sacerdotis, quæ fit expressione talium verborum, ego absolvo te, vel Dominus absolvat te, magis exprimit absolutionem a peccato quam confessio pœnitentis.*

Fuit etiam aliquando hæc forma usitata, *Ego dimitto tibi peccata tua*, ut clarum est ex Radulpho Ardente, **460** concione in litania majore : *Confessio vero venialium alterutrum, et cuilibet, etiam minori potest fieri, quoniam propter venialia non separatur homo a Deo, nisi ultra modum per incuriam excedat, sicut nec per scabiem vel impetiginem aliquis in lege separabatur a castris. Fit autem hæc confessio, non quod possit a peccatis absolvere, sed quia propter propriam humiliationem, et peccatorum nostrorum accusationem, et fratris Orationem mundamur a peccatis. Unde et non dicimus,* EGO DIMITTO TIBI PECCATA TUA, *sed dicimus orando, misereatur tui omnipotens Deus*, etc. Ubi vides, cum ait in mundatione venialium non proferri, *dimitto tibi peccata tua*, sed orando, *misereatur tui omnipotens Deus*, signum est hanc fuisse formam absolutionis a mortalibus, *dimitto tibi peccata tua*, quæ nihil aliud sonat quam forma nostra vulgaris, *ego te absolvo*, etc.

Græci in absolutione a peccatis utuntur multis formulis deprecatoriis, quas videre est in eorum Euchologio ; cum tamen prius faciant mentionem potestatis absolvendi sibi divinitus concessæ : σὺ ὁ δέσποτα, etc., id est, *Tu, Domine, per sanctos apostolos tuos donasti iis qui in sancta Ecclesia successive per tempora sacerdotali funguntur officio facultatem in terris dimittendi peccata, ligandi atque solvendi omne vinculum injustitiæ; obsecramus itaque pro fratre nostro N. qui coram te astat; tribue ei tuam misericordiam, disrumpens vinculum peccatorum.* Et paulo post : *Omnia voluntaria et involuntaria peccata condona.* Et paulo post : *Hunc servum tuum a ligamine libera peccatorum*, etc. In quibusdam exemplaribus, quæ continent canones, ex quorum rigore injunguntur pœnitentibus satisfactiones, reperitur hujusmodi forma : *Dominus noster Jesus Christus, qui dedit apostolis suis potestatem, quæ per illos transiit ad nos*, συγχωρήσοι σοι, id est, *absolvat te*. Tamen præter formulas illas deprecatorias dicunt, ἔχω σε συγκεχωρημένον, id est, habeo te venia donatum. Et Petrus Arcudius, lib. IV de Sacramento Pœnitentiæ, cap. 3, existimat in his verbis sitam esse formam absolutionis a peccatis apud Græcos, probatque nihil aliud significari quam *Ego te absolvo a peccatis tuis*. Christus absolvens paralyticum, et peccatricem mulierem, dixit, Matth. IX, Marc. II, Luc. V et VII. *Dimittuntur tibi peccata tua*, et, *Remittuntur tibi peccata tua.*

Tandem notandum est olim non dari solitam absolutionem non modo ab excommunicatione, sed etiam a peccatis ante peractam integram pœnitentiam seu satisfactionem (nisi in mortis articulo, aut ad preces martyrum seu confessorum aliquid de ea episcopi remitterent, et indulgerent) ut manifestum est ex Ordine Romano, Codice Tiliano, Codicibus Rhemensi, Ratoldi, lib. VI Halitgarii ms., epist. sancti Innocentii supra citata ad Decentium episcopum, epist. 91 sancti Leonis : *Mediator enim Dei, et hominum, homo Christus Jesus, hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Ex Sozomeno, lib. VII Hist. eccl., cap. 16: *Stant autem in eo mœsti et veluti lugentes ; finitoque demum Dei sacrificio, participes non facti, quorum participes fieri puros Dei cultores fas erat, cum planctu et lamentatione semetipsos in terram pronos abjiciunt. Tum ex adverso lamentabundus episcopus accurrens, consimiliter humi cum ejulatu collabitur, ac tota denique ecclesiæ multitudo lacrymis suffunditur. Post episcopus primus exsurgit, et jacentes erigit, et, quantum satis est, pro peccatoribus pœnitentias agentibus precatus, eos dimittit. Privatim deinde sponte sua quisque vel jejuniis, vel lotionum ciborumque abstinentia, vel aliis quibus justus est seipsum affligens, tempus exspectat, in quantum Episcopus præstituit. Elapso demum præfinito die, pœna jam quasi debito quopiam exsoluta*, τῆς ἁμαρτίας ἀνίεται, καὶ μετὰ τοῦ λαοῦ ἐκκλησιάζει, id est, *a peccatis absolvitur, et populo in ecclesia conjungitur.* **461** Hæc ille, idque juxta usum Ecclesiæ Romanæ, et Occidentalium, ut supra docet.

Id etiam constat ex edicto illo Romani pontificis, quod suggillat temere Tertullianus, lib. de pudicitia : *Audio etiam edictum esse propositum, et quidem peremptorium. Pontifex scilicet maximus, quod est, episcopus episcoporum edicit : Ego et mœchiæ et fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto.*

Cum essent autem quinque gradus pœnitentiæ, ut videre est in epistola canonica sancti Gregorii Neocæsariensis episcopi, can. ultimo : 1. πρόσκλαυσις, id est, fletus, eorum qui extra portam ecclesiæ stantes in luctu pœnitentiæ flebant, et, exeuntium fidelium genibus obvoluti, eos ut pro se orarent enixius deprecabantur ; 2. ἀκρόασις, id est, auditio, eorum qui intra portam in narthece stabant, et divinas Scripturas audiebant, et cum catechumenis exibant; 3. ὑπόπτωσις, id est, substratio, eorum qui substernebant se, et capita supponebant episcoporum manibus, et cum catechumenis templo excedebant; 4. σύστασις, id est, eorum qui cum fidelibus orabant, nec cum catechumenis exibant, non tamen Eucharistiæ participes erant, qui quoad precum participationem non erant excommunicati, sed tantum quoad Eucharistiæ perceptionem ; 5. μέθεξις τῶν ἁγιασμάτων, id est, eorum qui expleta pœnitentia Eucharistiæ participes erant, qui non tam pœnitentes quam Ecclesiæ sacramentis restituti dicendi sunt ; quæritur in quo gradu, an in tertio, qui est substratio, an in quarto qui est consistentia peccatorum remissionem et omnimodam ab excommunicatione absolutionem consequerentur.

Ego, salvo meliori judicio, existimo pœnitentes

ejusmodi absolutionem consecutos fuisse in fine quarti gradus, hoc est, *συστάσεως*, id est, consistentiæ. Nam, primo, apud Sozomenum, capite supra citato, illi pœnitentes, qui Missæ intererant, nec tamen Eucharistiæ participes erant, et, finitis Missarum solemniis, cum planctu et fletu in terram corruebant, quibus occurrens pontifex similiter cum lacrymis collabebatur, et eos erigens pro illis orabat, quique deinde privatim jejuniis vel similibus pœnis se affligebant, quibus completis peccati veniam consequebantur, non erant in quarto gradu, hoc est substrati, siquidem illi cum catechumenis e templo exibant. Secundo, substrati, etsi se substernerent impositioni manuum pontificis, illis, de quibus hic loquitur Sozomenus, manus a pontifice non imponebantur; ergo restat ut locus intelligatur de consistentibus, qui non exibant cum catechumenis, sed erant participes precum cum fidelibus, sine tamen sumptione Eucharistiæ, non secus ac ii de quibus hoc capite Sozomenus scribit, qui in fine consistentiæ, ut diximus, absolvebantur. Quamvis autem substrati impositionem manuum acciperent a pontifice, non tamen hæc erat absolutio, sed tantum quædam precatio et benedictio, qua accepta cum catechumenis discedebant, et ita capiendus est canon 80, concilii IV Carthag. : *Omni tempore jejunii manus pœnitentibus a sacerdotibus imponantur.* Et illud canonis 19, synodi Laodicenæ : Καὶ τούτων προσελθόντων ὑπὸ χεῖρα, καὶ ὑποχωρησάντων, etc., id est, *et cum ii sub manum accesserint, et discesserint* (e templo videlicet) *fidelium preces fieri.*

678. *Adesto, Domine*, etc. Hæc et sequentes Orationes habentur in Codicibus Rodradi et Rhemensi.

679. *Præsta, quæsumus, huic famulo tuo*, etc. In Cod. Rhemensi hæ tres orationes adduntur : *Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo*, etc. *Omnipotens et misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti*, etc. Ubi celer confessio est prompta, parata, devota; non invita et coacta. *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, respice super hunc famulum*, etc. Quarum duæ priores exstant apud Henricum Canisium, et Halitgarium ms., lib. VI, qui Pœnitentialis dicitur, qui nondum editus est. Nam Canisius, tom. V antiquæ Lectionis, quinque duntaxat Halitgarii libros **462** in lucem edidit. Hujus sexti libri mentio fit in ejusdem operis ms. præfatione; quæ sub finem mutila est apud Canisium : *Sextus quoque* (inquit Halitgarius) *ponetur libellus ad pœnitentiam, qui non est ex labore nostræ excerptionis, sed assumptus de scrinio Romanæ Ecclesiæ, in quo multa et diversa continentur, quæ in canonibus non habentur; tamen simplicioribus, qui majora non valent capere, oportet prodesse.* Hujus autem præfatio sexti libri sic incipit : *Addimus et huic operi excerptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ assumpsimus.* In hoc libello inprimis reperiuntur ea quæ ad pœnitentiam dandam et ad reconciliandum pœnitentem spectant : quæ omnia, exceptis tribus capitulis, videre est apud Henr. Canisium, in fine libri V, quæ vir doctus optime conjecit esse Halitgarii. Hanc priorem partem excipit altera, cui hujusmodi titulus prælixus est : *Incipit judicium pœnitentis*, quæ decem capitibus absolvitur. His astipulatur Flodoardus, lib. II, Hist. eccl. Rhemensis, cap. 19 : *Hujus præsulis* (Ebbonis archiepiscopi Rhemensis) *hortatu, Alitgarius Cameracensis episcopus sex libellos de remediis peccatorum, et ordine, et judiciis pœnitentiæ conscripsit, ad quem talis ejus exstat epistola.* Deinde subjungit epistolam Ebbonis, postea responsionem Halitgarii ad Ebbonem. Subscribit Baldricus, lib. I Chron. Cameracensis, cap. 38 : *Hildouvardo vero Halicharius* (ita enim ubique scribit hoc nomen) *successit vir doctrina apostolicus, et fide catholicus. Hic precibus Ebbonis Rhemensis archiepiscopi sex libellos de remediis peccatorum, et ordine et judiciis pœnitentiæ, conscripsit ad quem Ebbonis talis exstat epistola.* Deinde addit Ebbonis epistolam, cui subnectit responsionem Halitgarii, prout exstant apud Canisium et in nostro Codice ms. biblioth. Corbeiensis.

Hic Halitgarius fuit episcopus Cameracensis, ut docet Baldricus, supra citato capite. Vixit temporibus Ludovici Pii, et Caroli Calvi, a quo ultimo missus est Constantinopolim ad Michaelem imperatorem; unde multas reliquias sanctorum attulit, quibus suam ecclesiam ditavit, ut scribit Baldricus, cap. 40, libri citati. Hunc autem sextum librum hic communicamus in gratiam studiosorum cum quibusdam castigationibus et notis, ob nonnullos errores qui obrepserunt. Burchardus in suo decretorum opere citat quædam ex Romano Pœnitentiali quæ partim hic reperiuntur, partim minime. Ex quo conjicere quis possit, aut duos olim fuisse Pœnitentiales Romanos, aut eum quem exscripsit Halitgarius non esse integrum, nisi forte dicamus eum fuisse mutilatum. Sane illius, quem damus, finis desiderari videtur. Erant et alii libri Pœnitentiales, ut Theodori Anglorum episcopi, et Bedæ, quos sæpe citat Burchardus. Quia vero multi non erant authentici, in concilio Turonensi III, can. 22, statuitur ut, *Cum omnes episcopi ad sacrum palatium congregati fuerint, ab eis doceatur cujus antiquorum liber Pœnitentialis potissimum sit sequendus.* Et in conciliis Cabillonensi II, can. 38, et Parisiensi III, can. 32, libelli Pœnitentiales sine certo auctore pervulgati, quique potius pœnitentes palpabant quam curabant, interdicuntur. At secus se habet is quem modo evulgamus :

« *Præfatio Halitgarii.*

« *Addimus* etiam huic operi exceptionis nostræ Pœnitentialem Romanum alterum, quem de scrinio Romanæ Ecclesiæ assumpsimus, attamen a quo sit editus ignoramus. Idcirco adnectendum præscriptis canonum sententiis decrevimus, ut si forte hæ prolatæ sententiæ alicui superfluæ sunt visæ, aut penitus quæ desiderat ibi de singulorum criminibus nequiverit invenire, in hac saltem brevitate novissima omnium scelera forsitan inveniet explicata.

« *Incipit qualiter suscipere debeant pœnitentem episcopi, vel presbyteri.*

« *Quotiescunque* Christiani ad pœnitentiam accedunt, jejunia damus, et nos communicare cum eis **463** debemus jejunio unam aut duas septimanas, aut quantum possumus, ut non dicatur nobis quod Judæorum sacerdotibus dictum est a Domino Salvatore : *Væ vobis, legisperiti, qui aggravatis homines, et imponitis super humeros eorum onera gravia, ipsi autem uno digito vestro non tangitis sarcinas ipsas.* Nemo autem potest sublevare cadentem sub pondere, nisi inclinaverit se, ut porrigat manum; neque ullus medicorum vulnera infirmantium potest curare, nisi fetoribus particeps fuerit; ita quoque nullus sacerdotum vel pontifex peccatorum vulnera curare potest, aut animabus peccata auferre nisi præstante sollicitudine et oratione lacrymarum. Necesse est ergo nobis, fratres charissimi, sollicitos esse pro peccantibus, quia sumus alterutrum membra; et si quid patitur unum membrum, compatiuntur alia membra. Ideoque et nos si viderimus aliquem in peccatis jacentem, festinemus eum ad pœnitentiam per nostram doctrinam vocare; et quotiescunque dederis consilium peccanti, simulque da illi pœnitentiam statim, quantum debeat jejunare, et redimere peccata sua, ne forte obliviscaris quantum eum oporteat pro suis peccatis jejunare, tibique necesse sit ut iterum exquiras ab eo peccata. Ille autem forsitan erubescens iterum peccata sua confiteri, et invenietur jam amplius ju

dicari. Non enim omnes clerici hanc scripturam usurpare aut legere debent, qui inveniunt eam, nisi soli illi quibus necesse est, hoc est presbyteri. Sicut enim sacrificium offerre non debent nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni cœlorum traditæ sunt, sic nec judicia ista alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit præsens, suscipiat diaconus pœnitentem ad sanctam communionem. Sicut ergo superius diximus, humiliare se debent episcopi, sive presbyteri, et cum tristitia, gemitu, lacrymisque orare, non solum pro suis delictis, sed etiam pro Christianorum omnium, ut possint cum beato dicere Paulo : *Quis infirmatur, et ego non infirmor, quis scandalizatur, et ego non uror?* Cum ergo venerit aliquis ad sacerdotem confiteri peccata sua, mandet ei sacerdos ut exspectet modicum, donec intret in cubiculum suum ad Orationem. Si autem cubiculum non habuerit, tamen tunc sacerdos in corde suo dicat hanc orationem :

« *Oremus.* — Domine Deus omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut condigne possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam misericordiam ministrum fecisti officii sacerdotalis, et me exiguum humilemque Mediatorem constituisti ad adorandum et intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum pro peccantibus, et ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque, Dominator Domine, qui omnes homines vis salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur et vivant, suscipe Orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ, pro famulis et famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

« Videns autem ille qui ad pœnitentiam venit sacerdotem tristem et lacrymantem pro suis facinoribus, magis ipse timore Dei perculsus, amplius tristatur, et exhorrescet peccata sua. Et unumquemque hominem accedentem ad pœnitentiam si videris acriter et assidue stare in pœnitentia, statim suscipe eum. Qui vero potest jejunare quod impositum est ei, noli prohibere, sed permitte. Magis enim laudandi sunt hi qui celeriter debitum pondus persolvere festinant, quia jejunium debitum est. Et sic date mandatum his qui pœnitentiam agunt. Quia si jejunaverit, et compleverit quod illi mandatum est a sacerdote, purificabitur a peccatis. Quod si iterum ad pristinam consuetudinem [vel] peccati reversus fuerit, sic est quomodo canis qui revertitur ad proprium vomitum. Omnis itaque pœnitens non solum debet jejunare quod illi mandatum est a sacerdote, verumetiam, postquam compleverit ea quæ illi jussa sunt, debet, quantum ipsi visum fuerit, jejunare sive tetradas, sive parasceve [*Leg.* parasceves]. Si enim **464** egerit ea quæ illi sacerdos præceperit, peccata ejus remittentur; si vero postea ex sua voluntate jejunaverit, mercedem sibi acquiret et regnum cœlorum. Qui ergo tota septimana jejunaverit pro peccatis, Sabbato et Dominica die manducet, et bibat quidquid aptum fuerit. Custodiat tamen se a crapula, vel ebrietate, quia omnis luxuria de ebrietate nascitur. Ideo beatus Paulus prohibuit dicens : *Noli inebriari vino, in quo est luxuria.* Non quia in vino est luxuria, sed in ebrietate. *Explicit prologus.*

« Si quis forte non potuerit jejunare, et habet unde dare ad redimendum, si dives fuerit, pro septem hebdomadibus det solidos xx. Si autem non habuerit tantum unde dare, det solidos x. Si autem multum pauper fuerit, det solidos III. Neminem vero conturbet, quia jussimus viginti solidos dare, aut minus. Quia si dives fuerit, facilius est illi dare solidos xx, quam pauperi solidos III. Sed unusquisque attendat cui dare debet, sive pro redemptione captivorum, sive super sancto altari, sive pauperibus Christianis erogandum. Et hoc scitote, fratres, ut dum venerint ad vos servi vel ancillæ, quærentes pœnitentiam, non eos gravetis neque cogatis tantum jejunare, quantum divites, quia non sunt in sua potestate, ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite.

« *Incipit ratio ad dandam pœnitentiam.*

« *In primis dicit Psalmum trigesimum septimum totum :* Domine, ne in furore tuo arguas me. *Et postea dicit* Oremus. *Et dicit Psalmum centesimum secundum :* Benedic, anima mea, Domino, *usque*, renovabitur sicut aquila juventus tua. *Et dicit Psalmum quinquagesimum :* Miserere mei, Deus, *usque*, iniquitates meas dele. *Post hæc dicit Psalmum* LIII : Deus in nomine tuo. *Et dicit* Oremus. *Et dicit Psalmum* LI : Quid gloriaris, *usque*, videbunt justi et timebunt; *et dicit :*

Oremus. — Deus, cujus indulgentia nemo non indiget, memento, Domine, famulo tuo illo, et qui lubrica terræque corporis fragilitate nudatus, quæsumus, ut des veniam confitenti; parce supplici, ut qui nostris meritis accusamur, tua miseratione salvemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

« *Alia.* — Deus sub cujus oculis omne cor trepidat, omnesque conscientiæ contremiscunt, propitiare omnium gemitibus, et cunctorum medere vulneribus; et sicut nemo nostrum liber est a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per Dominum.

« *Alia.* — Deus infinitæ misericordiæ, veritatisque immensæ, propitiare iniquitatibus nostris, et omnibus animarum nostrarum medere languoribus, ut miserationum tuarum remissione percepta, in tua semper Benedictione lætemur. Per Dominum.

« *Alia.* — Precor, Domine, clementiæ et misericordiæ tuæ Majestatem, ut famulo tuo illi peccata et facinora sua confitenti veniam relaxare digneris, et præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxisti, qui publicani precibus confessione placatus exaudisti. Tu etiam huic famulo tuo placare, Domine, tu ejus precibus benignus aspira, ut in confessione placabilis permaneat. Fletus ejus et petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, sanctisque altaribus et sacrificiis restitutus, spei rursum æternæ cœlestis gloriæ mancipetur. Per Dominum.

« *Item Oratio manus impositionis.*—Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus, **465** et petimus nos humiles tui sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuæ pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina, et peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro supplicibus [*Leg.* suppliciis] veniam, pro mœrore lætitiam, pro morte vitam. Ipse cœlestis apicis devolutus est, et de tua misericordia confidens ad bonam pacem præmiis [*Leg.* præmii] tui atque cœlestia pervenire mereatur ad vitam æternam. Per Dominum.

« *Incipit reconciliatio pœnitentis feria* 5 *in cœna Domini.*

« *In primis dicit Psalmum* L *cum Antiphona* Cor mundum.

« Deus, humani generis benignissime conditor, et misericordissime reformator, qui in reconciliatione lapsorum etiam me, qui misericordia tua primus indigeo, servire effectibus gratiæ tuæ per ministerium sacerdotale voluisti, ut cessante merito supplicis, mirabilior fieret clementia Redemptoris. Per Dominum nostrum.

« Omnipotens sempiterne Deus, confitenti tibi huic famulo tuo pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conscientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per Dominum.

« *Alia.* — Omnipotens et misericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confessione celeri posuisti, succurre lapsis, miserere confessis, ut quod delicto-

rum catena constringit, magnitudo tuæ pietatis absolvat. Per Dominum.

« *Oratio super infirmum.* — Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donasti, et famulum tuum a lecto ægritudinis tua magnitudo erigat ad salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

« I. *Incipit judicium pœnitentis.*

« Si quis episcopus aut aliquis ordinatus, homicidium fecerit, si quis clericus homicidium fecerit, decem annos pœniteat; tres ex his in pane et aqua. Si laicus, tres annos pœniteat, unum ex his in pane et aqua; subdiaconus, sex; diaconus, septem; presbyter, decem; episcopus, duodecim. Si quis ad homicidium faciendum consenserit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua. Si quis voluit, et non potuit facere, tres annos pœniteat, unum ex his in pane et aqua. Si quis laicus homicidium fecerit voluntarie, septem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua. Si quis infantem oppresserit, tres annos pœniteat, unum ex his in pane et aqua; similiter et clericus observet.

« II. *De fornicatione.*

« Si quis fornicaverit sicut Sodomitæ, decem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua. Si quis clericus adulterium commiserit, idem cum uxore vel sponsa alterius, si filium genuerit, septem annos pœniteat; si vero filium non genuerit, et in notitia hominum non venerit, si clericus est, tres annos pœniteat; unum ex his in pane et aqua. Si diaconus aut monachus, septem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua; episcopus duodecim, quinque in in pane et aqua. [a] Si quis clericus, id est cujus superior gradus est, qui uxorem habet, et post conversionem, vel honorem, iterum eam cognoverit, sciat se adulterium commisisse; idcirco, ut superius constitutum est, pœniteat. Si quis fornicaverit cum sanctimoniale, vel Deo dicata, cognoscat se adulterium commisisse; secundum superiorem sententiam unusquisque juxta ordinem suum pœniteat. Si quis per semetipsum fornicaverit, aut cum jumento, aut cum qualibet quadrupede, tres annos pœniteat; si gradum aut votum, tres annos pœniteat. Si quis concupiscit mulierem, et non potuerit peccare, id est quia non suscepit eum mulier, dimidium annum pœniteat in pane et aqua, et toto abstineat se anno **466** a vino et carne. Si quis clericus postquam se Deo voverit, ad habitum sæcularem redierit, sicut canis ad proprium vomitum, vel uxorem duxerit, sex annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua et postea in conjugio non copuletur. Quod si noluerit, sancta synodus, vel sedes apostolica separabit eos a communione catholicorum. Similiter et mulier, postquam se Deo voverit, si tale scelus commiserit, pari sententiæ subjacebit. Si quis laicus fornicaverit sicut Sodomitæ, septem annos pœniteat. Si quis de alterius uxore filium genuerit, id est adulterium commiserit, ac torum proximi sui violaverit, tres annos pœniteat, et abstineat a cibis luculentioribus, et a propria uxore, dans insuper pretium pudicitiæ marito uxoris violatæ. Si quis adulterare voluerit, et non potuerit, id est non fuerit susceptus, quadraginta dies pœniteat. Si quis fornicaverit cum mulieribus, id est viduis, vel puellis, si cum viduis, annum unum pœniteat; si cum puellis, duos annos pœniteat. Si quis virgo virgini conjunctus fuerit, si voluerint parentes, sit uxor ejus; tamen unum annum pœniteat, et sint conjugales. Si quis cum jumento fornicaverit, annum unum pœniteat. Si uxorem non habuerit, dimidium annum pœniteat. Si quis virginem, vel viduam rapuerit, tribus annis pœniteat. Si quis sponsam habens, sorori ejus forsitan vitium intulerit, et cohæserit tanquam suæ, hanc autem uxorem duxerit, id est desponsatam, illa vero quæ vitium passa est, si forte necem sibi intulerit, omnes hi qui in hujus facti consensu sunt, decem annos in pane et aqua redigantur, secundum statuta canonum. Si qua de mulieribus quæ fornicatæ sunt interfecerit quæ nascuntur, aut festinat avortivos facere, primum constitutum usque ad exitum vetat, * id quod verum definitum humanius aliquid consequantur, constituimus eos decennii tempore secundum gradus quæ sunt constituta pœniteat.

« III. *De perjurio.*

« Si quis clericus perjuraverit, septem annos pœniteat, tres ex his in pane et aqua; laicus tres; subdiaconus sex; diaconus septem; presbyter decem; episcopus duodecim. Si quis vero, coactus pro qualibet necessitate, aut nesciens, perjuraverit, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua, et animam pro se reddat, id est servum, vel ancillam de servitute absolvat, et eleemosynas multas faciat. Si quis perjuraverit per cupiditatem, totas res suas vendat, et donet in pauperibus, et tondeatur, et intret in monasterium, et ibi deserviat usque ad mortem.

« IV. *De furto.*

« Si quis clericus furtum fecerit capitale, id est quadrupedum, vel casam ruperit, vel fregerit, vel * qualibet meliorum præsidium furaverit, septem annos pœniteat; laicus quinque; subdiaconus sex; diaconus septem; presbyter decem; episcopus duodecim annos pœniteat. Si quis vero de minoribus semel, aut bis furtum fecerit, reddat proximo suo, et anno uno pœniteat in pane et aqua; et si reddere non potuerit, tres annos pœniteat. Si quis sepulcrum violaverit, septem annos pœniteat, tres in pane et aqua. Si quis laicus furtum fecerit, reddat proximo suo quod furaverit, tres quadragenas in pane et aqua; si reddere non potuerit, anno uno, et tres quadragenas in pane et aqua pœniteat; et eleemosynam de suo labore in pauperibus et sacerdotis judicio jungatur altari.

« V. *De maleficio.*

« Si quis maleficio aliquem perdiderit, septem annos pœniteat, tres in pane et aqua. Si quis pro amore maleficus sit et neminem perdiderit, si laicus est, dimidium annum pœniteat; si clericus, annum unum pœniteat in pane et aqua; si diaconus, tres annos, unum in pane et aqua; si sacerdos, quinque annos, duos in pane et aqua. Si autem per hoc mulieris partus quis deceperit, sex quadragenas unusquisque insuper augeat, ne homicidii reus sit. **467** Si quis immissor tempestatum fuerit, septem annos pœniteat, tres in pane et aqua.

« VI. *De sacrilegio.*

« Si quis sacrilegium fecerit, id est quos [*Leg.* quod] aruspices vocant, qui auguria colunt, superauguriaverit, aut quocunque malo ingenio, tres annos in pane et aqua. Si quis ariolus fuerit, quod divinos vocant, aliquas divinationes fecerit, quia hoc dæmoniacum est, quinque annos pœniteat, tres in pane et aqua. Si quis in Kalendis Januarii, quod multi faciunt, et in cervulo ducent [*Leg.* ducit], aut in vetula vadit, tres annos pœniteat. Si quis sortes habuerit, quas sanctorum * contrarationem vocant, vel aliquas sortes habuerit, vel qualecunque malo ingenio sortitus fuerit, vel divinaverit, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua. Si quis ad arbores, vel ad fontes, vel ad cancellum, vel ubicunque excepto in ecclesia, votum voverit, aut exsolverit, tres annos cum pane et aqua pœniteat, et hoc sacrilegium est, vel dæmoniacum. Qui vero ibidem ederit, aut biberit, unum annum pœniteat in pane et aqua. Si quis Mathematicus, id est per invocationem dæmonum hominis mentem tulerit, quinque annos pœ-

[a] Eadem pene leguntur in judicio pœnitentiali veteris Sacramentarii Gallic. ex quo multa hic videntur deprompta.

niteat, unum in pane et aqua. Si quis ligaturas fecerit, quod detestabile est, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua. Si qui simul edunt festivitatem in locis abominandis gentilium, et suam escam deferentes, comederint, placuit eos biennio subjacere, et sic suscipi, * quæ obedire oportet; et post oblationem unumquemque spiritum probare, et vitam singulorum cognoscere. Si quis manducaverit, aut biberit juxta fanum; si per ignorantiam, promittat deinceps quod nunquam reiteret, et quadraginta diebus in pane et aqua pœniteat; si vero per contemptum hoc fecerit, id est, postquam sacerdos ei prædicavit quod sacrilegium hoc erat, mensæ dæmoniorum communicaverit, * singuli tantum vitium hoc fecerit, tres quadragenas in pane et aqua pœniteat. Si vero pro cultu dæmonum, et honore simulacri hoc fecerit, tres annos pœniteat. Si quis secundo et tertio * immolatus per vim, tres annos subjaceat, et duobus sine oblatione communicet, tertio ad perfectum suscipiatur. Si quis manducaverit sanguinem, aut morticinum, aut idolis immolatum, et non fuit ei necessitas, jejunet hebdomadas duodecim.

« VII. *De quibusdam capitulis.*

« Si quis * quoquolibet membrum sibi voluntarie truncaverit, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua. Si quis avorsum fecerit voluntarie, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua. Si quis usuras undecunque exegerit, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua. Si quis per potestatem, aut quolibet ingenio, res alienas malo ordine invaserit, vel tulerit, super * jure sententia similiter pœniteat, et eleemosynas multas faciat. Si quis servum, aut quemcunque hominem quolibet ingenio in captivitatem duxerit, vel transmiserit, sicut supra pœniteat. Si quis aream vel domum voluntarie igne cremaverit, sicut supra pœniteat. Si quis per iram alium percusserit, et sanguinem fuderit, aut debilitaverit, solvat ei primo mercedem, et medicum quærat; si laicus est, quadraginta diebus; clericus duas quadragenas; diaconus septem mensibus; presbyter annum unum. Si quis venationes exercuerit, clericus annum unum pœniteat, diaconus duos, presbyter tres annos pœniteat. Si quis de ministerio sanctæ ecclesiæ * qualecunque opus quidlibet fraudaverit, vel neglexerit, septem annos pœniteat, tres in pane et aqua. Si quis cum animalibus peccaverit, qui amplius quam triginta annorum fuerit, quindecim annos subjaceat, * communionem mereatur. * Requiratur autem qualis sit eorum vita, si mereatur humanius aliquid, * incessanter ad peccandum. Si perseveraverit, longam habeat pœnitentiam. Qui autem superiore ætate, et uxores habentes, introierunt in hoc peccatum, viginti quinque annis subjaceant, ita ut post quinque communionem cum oblatione mereantur. Si autem aliqui et uxores habentes et amplius quinquaginta annorum, hoc peccatum fecerint, in exitu vitæ mereantur viaticum accipere.

« **468** VIII. *De ebrietate.*

« Inebriatur igitur quis a vino sive cervisia, contra indictum Salvatoris ac apostolorum ejus quod si votum sanctitatis habuerit, quadraginta diebus in pane et aqua culpam diluat; laicus vero septem diebus pœniteat. Episcopus faciens fornicationem degradetur, et sexdecim annos pœniteat. Presbyter autem et diaconus fornicationem naturalem faciens * prælato ante monachi votum tres annos pœniteat. Veniam omni hora roget, superpositionem unaquaque hebdomada, exceptis quinquagesimis diebus, faciat.

« IX. *De minutis causis.*

« Si causa negligens quis sacrificium perdat, relinquens foris, et ab aliquo devoratur, quadraginta diebus pœniteat; sin vero annum unum pœniteat. Si communicaverit ignorans excommunicatis ab ecclesia, diebus quadraginta pœniteat. Si sacrificium terra tenus negligendo ceciderit, superpositio sit. Pro bonis rebus offerre debemus, pro malis nequaquam. Presbyteri vero pro suis episcopis non prohibentur offerre. Qui præbet ducatum barbaris, tres annos pœniteat. Qui monasteria exspoliat, falso se dicere [*Leg.* dicens] captivos redimere, tres annos pœniteat, et omnia quæ abstraxit pauperibus donet. Qui manducat carnem animalium quorum mortem nescit, tertiam partem anni pœniteat. Priorum instituta patrum nostrorum pro manus [*Leg.* promanus]: pueri soli sermocinantes et transgredientes instituta seniorum tribus superpositionibus emendentur. Osculum simpliciter facientes, septem [*In Pœnit. Rom.* quinque] superpositiones. Illecebrosum osculum sine inquinamento octo superpositiones; cum inquinamento autem sive [*Leg.* sine] amplexu quindecim [*In Pœnit. Rom.* decem] superpositionibus corrigantur.

« X. * *De dissensibus sacrificium.*

« Qui non bene custodit sacrificium, et mus comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit suum chrismal, aut solum sacrificium in regione qualibet, ut non inveniatur, tres quadragenas vel annum pœniteat. Perfundens aliquis calicem super altare, quando auferuntur linteamina, septem diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium intra mensam, septem diebus pœniteat. Ut sumens sacrificium, gravatus saturitate ventris, viginti diebus pœniteat. Diaconus obliviscens oblationem offerre sine linteamine, donec offeruntur, similiter pœniteat. Si autem in farina, aut in aliquo siccato cibo, sive in melle, sive in lacte inveniantur istæ bestiolæ, quod circa illorum corpora est, foras projiciatur. Qui negligentiam circa sacrificium fecerit, ut si a vermibus consumptum, quod ad nihilum deveniat, tres quadragenas pœniteat. Si integrum sit inventum, et in eo fuerit vermis, comburatur, et sic cinis ejus sub altare abscondatur; et qui negligens, quadraginta diebus pœniteat. Si ceciderit sacrificium de manu offerentis terra tenus, et inveniatur aliquid, omne quodcunque inventum fuerit in loco in quo ceciderit comburatur, et cinis sub altare abscondatur, et sacerdos medium annum pœniteat; et si inventum fuerit, ut supra mundetur, et quadraginta diebus pœniteat. Si usque ad altare tantum fuerit lapsum, superponat. Si de calice per negligentiam stillaverit aliquid in terram, lingua lambatur, et tabula radatur, et in igne comburatur, et quadraginta diebus pœniteat. Si supra altare stillaverit calix, sorbeat minister, et linteamen quod tetigit stillam abluatur * vicibus, et tribus diebus pœniteat. Si titubaverit sacerdos super Orationem Dominicam, quæ dicitur periculosa, una vice quinquaginta Psalmos, secunda vice, centum plagis. Si autem duxerit viduam patris, vel fratris sui, isti tales non possunt judicari, nisi prius separentur ab invicem. Si aliquis expeditione publica occidit hominem sine causa, jejunet hebdomadas viginti unam; si autem forsitan se defendendo, aut parentes suos, aut familias suas, occidisset aliquem, ille non erit reus; si voluerit jejunare, in illius postate est qui coactus hoc fecit. Si homicidium in pace fecerit, et non fuerit turbata pro [*Leg.* per] potestatem aut inimicitiæ causam, ut res ejus capiat, jejunet hebdomadas XXVIII, et res ejus **469** quem occidit, reddat uxori vel filiis. Si quis autem ad pœnitentiam venit, et ægritudo evenerit, et non potuerit adimplere quod illi mandatum est a sacerdote, suscipiatur ad sanctam communionem; et si voluerit eum Deus salvare, jejunet postea. Si quis non pœnitet, et forsitan ceciderit in ægritudinem, et quæsierit communicare, non prohibeatur, sed date ei sanctam communionem, et mandate ei ut, si placuerit Dei misericordiæ, et evaserit de ipsa ægritudine, postea omnia sit confessus, et sic pœniteat. Si autem aliquis excommunicatus fuerit mortuus, qui jam sit confessus; et non occurrit, sed occupavit eum mors sive in via, sive in domo; si

est aliquis ex parentibus ejus, pro eo aliquid offerat ad sanctum altare, aut ad redemptionem captivorum, aut ad commemorationem animæ ejus. Si quis accepit filiam uxoris, hic [*Leg.* hos] non potestis judicare, nisi prius separentur. Postquam separati fuerint, unicuique eorum imponas hebdomadas quatuordecim, et iterum nunquam se jungant. Si autem voluerint nubere, sive vir, sive mulier, potestatem habeat, sed non * illa qui dimisit. Si quis acceperit cognatam, aut novercam, aut avunculi viduam, et hic qui uxorem patris sui, aut sororem suæ uxoris, grande judicium canonice damnetur. Si quis [aliquis] dum infans est, per ignorantiam gustaverit de iis quæ fuerint immolata idolis, aut morticinum, aut aliquid abominabile, idem jejunet hebdomadas tres. Propter fornicationem autem multi nesciunt numerum mulierum cum quibus fornicati sunt; illi jejunent hebdomadas quinquaginta. Si autem nesciens manducavit idolis immolatum aut morticinum, dabitur illi venia, quoniam nesciens hoc fecit; tamen jejunet hebdomadas tres. Si quis nolendo parentibus occidit hominem, jejunet hebdomadas octo. Si quis per necessitatem furaverit cibaria, vel vestem, sive quadrupedem, per famem aut per nuditatem, illi venia datur. Jejunet hebdomadas quatuor. Si reddiderit, non cogatis jejunare. Si quis caballum, aut bovem, aut jumentum, vel vaccam furaverit, sive cibaria, aut pecora, quæ totam familiam nutriunt, jejunet ut supra. Si qua mulier deceperit matris suæ maritum, illa non potest judicari, donec relinquat eum. Cum separati fuerint, jejunent hebdomadas quatuordecim. Si quis legitimam uxorem habens dimiserit illam, et aliam duxit, illa quam duxit non est illius. Non manducet neque bibat, neque omnino in sermone sit cum illa quam male accepit, neque cum parentibus illius. Ipsi tamen, si consenserint, sint excommunicati. Si mulier suaserit alteri mulieri maritum, sit excommunicata a Christianis. Si quis Christianorum Christianum viderit ambulantem, vel oberrantem parentem suum vendiderit, ille non est dignus inter Christianos requiem habere, donec redimat eum. Si autem non potuerit invenire locum ubi sit, pretium quod accepit det pro eo, et alium redimat de servitute, et jejunet hebdomadas viginti octo. Si cujuslibet hominis mortua fuerit uxor, habet potestatem accipere alteram, similiter et mulier. Si tertium acceperit, jejunet hebdomadas tres; si quartum aut quintum acceperit jejunet hebdomadas viginti et unam. Si quis comas incidit, aut faciem suam laniaverit cum gladio, aut ungulas [*Leg.* ungulis] post mortem parentum, jejunet hebdomadas quatuor; et postquam jejunaverit, sic communicet. Si qua mulier prægnans voluerit jejunare, potestatem habet. Herbarius vir aut mulier interfectores infantum, in extremum vitæ cum venerint, si quæsierint pœnitentiam cum luctu ac fletu lacrymarum. * Si cessaverit suscipere eum, jejunet hebdomadas quinquaginta. Si quis canis aut vulpis, sive acceptor mortificaverint, sive de fuste, sive de lapide, sive sagitta, quæ non habet ferrum, mortuum fuerit, hæc omnia suffocata sunt, non manducentur, et qui manducaverit jejunet hebdomadas sex. Si quis sagitta percusserit cervum, sive aliud animal, et post tertium diem inventum fuerit, et forsitan ex eo lupus, ursus, canis, aut vulpis gustaverit, nemo manducet, et qui manducaverit, jejunet hebdomadas quatuor. Si gallina in puteo mortua fuerit, puteus evacuetur; si sciens ex eo biberit, jejunet hebdomada una. Si quis mus aut gallina, aut aliquid ceciderit in vino, aut in aliqua [*Leg.* aqua], de hoc nullus bibat. Si in oleum aut mel ceciderit, **470** oleum expendatur in lucernam, mel vero in medicinam, vel in aliam necessitatem. Si piscis mortuus fuerit in piscina, non manducetur; qui manducaverit, jejunet hebdomadas quatuor. Si porcus vel gallina manducaverit de corpore hominum, non manducetur, neque servetur ad semen; sed occidatur, et canibus tradatur. Si quis lupus plagaverit animal, et mortuum fuerit, nemo manducet; et si vixerit, et postea eum homo occiderit, manducetur. Sive cum capra, sive cum pecore, aut cum alio animali si peccaverit homo cum ea [*Leg.* eo], nemo manducet carnem ejus; sed occidatur, et canibus tradatur. Si voluerit pro anima sua dare eleemosynam de his pecuniis, * quod fuit de præda suam egit pœnitentiam, potestatem habet. *Explicit.* (*Pœnitentialis Romanus*, seu lib. VI *Halitgarii*.)

Hactenus Pœnitentialis Romanus, circa quem nonnulla notanda et observanda veniunt.

In præfatione hæc vox, *alterum*, notanda. Hunc Pœnitentialem Romanum alterum dicit, quia antea, libro IV, posuit Pœnitentialem ex antiquorum conciliorum canonibus excerptum.

Primum caput citat Burchardus, lib. XIX, cap 35, usque ad hæc verba : *Non enim omnes clerici*, ex Pœnitentiali Theodori Anglorum episcopi paulo contractius. Hæc verba, *Consilium dederis pœnitenti*, sic exponenda sunt, id est monueris pœnitentem, qua ratione deinceps sit in peccatis vitandis cautior. Postea dicit injungendam esse pœnitentiam a sacerdote, dum confessorum peccatorum recordatur, ne si nolit pœnitens peccata retexere, severius judicetur a sacerdote. Hæc verba, *Suscipiat diaconus pœnitentem ad communionem*, sic explicanda sunt, quod urgente necessitate, præsertim periculo mortis, debeat diaconus pœnitenti, quem ex profusione lacrymarum vel similibus signis non ficte pœnitere novit, porrigere sanctam Eucharistiam, quamvis defectu sacerdotis non fuerit absolutus. Hunc locum profert Burchardus, lib. XIX, cap. 154, ex Pœnitentiali Romano. Idem prorsus statuitur in ordine Romano iisdem plane verbis in ordine feriæ 4, in capite jejunii; et quid simile factum legimus apud Eusebium, lib. VI Hist. eccl., cap. 36, quamvis non diaconi ministerio, in persona cujusdam Serapionis, qui, vi tormentorum victus, cum idolis immolasset, ab ecclesia ejectus est, et facti pœnitens frustra ad communionem fidelium admitti efflagitavit. Qui tandem gravi morbo conflictatus, triduo deinceps omni sensuum et vocis usu caruit, et ad se reversus, vocisque compos factus, nocte nepotem suum ad presbyterum misit, rogans eum, ut quantocius ad se veniret; sed presbyter morbo præpeditus cum ad senem ægrotum accedere non posset, ejus nepoti particulam Eucharistiæ dedit, præcipiens ut eam madefactam in os senis infunderet; quod cum ille a presbytero reversus fecisset, illico senex in pace quievit. Tria hæc verba : *Humiliare se debent episcopi, vel presbyteri*, etc., reperire est etiam apud Burchardum, lib. XIX, cap. 2. Idem præstabat sanctus Ambrosius, ut testatur Paulinus presbyter in ejus Vita : *Si quidem quotiescunque illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapsus suos confessus esset, ita flebat, ut et illum flere compelleret. Videbatur etiam sibi cum tacente jacere.* Ita olim cum, Missarum solemniis expletis, pœnitentes lacrymis perfusi ad pontificis pedes corruerent, sic pontifex lacrymis madefactus pœnitentium etiam pedibus provolvebatur, ut testatur Sozomenus lib. VII Hist. eccl. cap. 16. Quarto, is ritus, *mandet ei sacerdos*, etc., exstat etiam cap. supra citato, et in Ordine ms. biblioth. sancti Remigii Rhem., ad pœnitentiam dandam, cum Oratione subsequente; in qua, ut in præfato Ordine sancti Remigii, male legitur *ad adorandum*; sed legendum est *ad orandum*, ut apud Burchardum.

Sequens capitulum exstat apud Burchardum, cap. 32, citatum ex Pœnitentiali Romano, alicubi mutilum, non est in citato Ordine ms. sancti Remigii. Vocabulum *Tetradas* est a recto, *Tetras*, id est, quarta feria cujusque septimanæ, ut parasceve sexta, in quibus jejunant Christiani, præsertim Orientales, ex antiquo more, ut fuse docuimus in notis et observationibus ad concordiam regularum. **471** Infra,

in eodem capite dicitur, *Sabbato et Dominica die manducet*. Ita apud Burchardum; sed τὸ *Sabbato* additum videtur ab iis qui, morem Græcorum secuti, Sabbatis non jejunabant, maxime cum hic libellus Pœnitentialis sit Ecclesiæ Romanæ, ut clarum est ex Burchardo, qui sæpe illum sub hoc nomine citat. Tandem in fine hujus capituli hæc verba exstant, *explicit prologus*, sed puto esse ad finem capitis sequentis rejicienda, quod videtur membrum esse superioris. Hæc verba, *Si quis non potuerit jejunare*, usque ad ista, *et hoc scitote*, citantur a Burchardo, cap. 22, ex Pœnitentiali Theodori. Solidus apud veteres Romanos est nummus aureus, cujus valorem notat Cassiodorus, lib. 1 Var., epist. 10: *Sex milia denariorum solidum esse voluerunt*. Solidus Francicus olim quadraginta denariorum numero computabatur, ut docet Hincmarus in lib. de Vita sancti Remigii, patetque ex synodo Rhemensi II, can. 41. Tandem ad duodecim denariorum valorem redactus est.

Sequuntur quidam Psalmi ad dandam pœnitentiam, qui etiam exstant apud Burchardum, lib. XIX, cap. 7, sed ibi integri dicendi. Orationes totidem sunt, sed secunda et tertia diversæ sunt. Apud Canisium non habetur τὸ *Oremus*, sed *dic Orationem*.

Sequitur Oratio impositionis manus, quæ apud Burchardum secunda est inter Orationes præfatas. Hæc Oratio dicitur *impositionis manus*, quia olim sacerdos dando pœnitentiam manum capiti pœnitentis imponebat, Orationem hanc vel aliam similem recitando. Concilium Agathense, can. 15: *Pœnitentes, tempore quo pœnitentiam petunt, impositionem manuum, et cilicium super caput a sacerdote, sicut ubique constitutum est, consequantur*. Oratio sequens non est integra apud Henr. Canisium; integram habes in Ordine Romano, in ordine feriæ V in Cœna Domini. Reposui *etiam me*, quia in nostro Cod. ms., quemadmodum apud Canisium, male legitur *etiam ego*. In Oratione tertia legitur *ut quod*, quemadmodum et apud Canisium; at apud Burchardum, et in Ordine Romano, legitur *ut quos*.

In primo capite secundæ partis, hæc verba, *Si clericus homicidium fecerit*, videntur esse superflua. Ad hæc verba, *Si laicus*, subaudi, *non voluntarie*; quia paulo post agit de homicidio voluntario laici.

In secundo capite clericus *Cujus gradus est altior*, est episcopus, aut presbyter, aut diaconus. Ad illa verba, *Si gradum, aut votum*, subaudi τὸ *habuerit*. Finis capitis corruptus est, et ita, ut arbitror, castigandus: *Si qua de mulieribus quæ fornicatæ sunt interfecerit quæ nascuntur, primum constitutum usque ad exitum vetat* (supple) *communicare. Verum, ut juxta id quod definitum est humanius aliquid consequatur, constituimus ut eam decennii tempore, secundum gradus qui constituti sunt, pœniteat*. Et hæc nihil aliud sunt quam canon 21 concilii Ancyrani.

Cap. 3, de perjurio, 1° hæc verba, *Si quis vero coactus pro necessitate*, etc., a Burchardo, lib. XI, cap. 6, citantur ex Pœnitentiali Romano: *Tamen Pœnitentialis Romanus præcipit*, etc. *Si quis coactus pro vita redimenda, vel pro qualibet causa vel necessitate se pejerat, quia plus corpus quam animam dilexerat, tres Quadragesimas, alii judicant tres annos, unum ex his in pane et aqua pœniteat*. 2° Hæc etiam verba, *Si quis perjuraverit per cupiditatem*, etc., citantur a Burchardo, lib. XIX, cap. 7, ex Pœnitentiali Romano in hunc modum: *Tamen Pœnitentialis Romanus præcepit, si quis per cupiditatem se perjuraverit, omnes res suas vendat, et pauperibus distribuat, et monasterium ingressus jugi pœnitentiæ se subdat*.

Cap. 4, post τὸ *quadrupedem*, legendum *furaverit*, vel quid simile. Hæc verba, *vel qualibet meliorem præsidium*, corrupta sunt, et legendum arbitror *Vel quamlibet meliorem pecudum, si præsidium*. Hoc autem caput 4 citatur a Burchardo, lib. XI, cap. 58 ex Pœnitentiali Theodori, **472** sed contractius, ex quo, si cui prior emendatio forte non placuerit, illud corrigemus; legendum itaque: *Si quis clericus furtum fecerit capitale, id est quadrupedia tulerit, vel casam ruperit, vel fregerit, vel præsidium furaverit*. Ubi præsidium est substantia, quam quis in bonis mobilibus possidet. Concilium Aurelianense I, can. 14: *Præsidiis de omni commoditate in episcoporum potestate durantibus*. Concilium Parisiense IV, can. 8: *Comperimus, deficiente abbate, presbytero, vel his qui per titulos deserviunt, præsidium quodcunque in mortis periculo dereliquerint, ab episcopo vel archidiacono diripi*. Gregorius Tur., lib. VI Hist., cap. 4: *Irruerunt in domos Lupi, et, direpto omni præsidio, fingentes se illud in thesauro regis recondere, suis eum domibus intulerunt*. Marculphus, formula 67, de hæreditatis inter parentes divisione: *Accepit itaque ill. villas nuncupatas ill. sitas ibi cum mancipiis tantis ill. De præsidio vero drappos, fabricaturas, vel omne supellectile domus quidquid dici vel nominari potest æquivalentia inter se visi sunt divisisse*. Et formula 69 dixit: *Præsidium utriusque sexus*. Per quæ verba intelligere videtur servos et ancillas. Sequitur pœna in sepulcrorum violatores, qui ut eruerent thesauros mortuis pro more temporum illorum consepultos, sepulcra violabant, ut videre est apud Cassiodorum, lib. IV, epist. 18, de quodam Laurentio presbytero qui sepulcrum, ut inde aurum raperet, violaverat. In quod scelus olim multis ac diversis pœnis a legibus fuit animadversum. Edicto Theodorici regis, cap. 110: *Qui sepulcrum destruxerit, occidatur*. L. Salicæ tit. 17, lib. 2: *Si quis hominem mortuum effoderit, et exspoliaverit octo denariis, qui faciunt solidos ducentos, culpabilis judicetur*. Legis Langobardorum lib. I, tit. 12, l. 2: *Si quis sepulturam hominis mortui ruperit, et corpus exspoliaverit, componat parentibus mortui solidos octoginta*. Hæ leges et multæ aliæ similes latæ sunt ob thesauros, qui in sepulcris recondebantur, et pretiosas mortuorum vestes, de quibus supra.

Cap. 5, per hæc verba, *Si quis pro amore maleficus sit*, intelligitur is qui philtris seu incantationibus amatoriis ad se trahit amorem mulierum aut puerorum, ut videmus in pharmaceutriis Theocriti, et Virgilii, et in Pseudomante Luciani, qui eas vocat τὰς χάριτας ἐπὶ τοῖς ἐρωτικοῖς, id est, veneres, seu gratias ad amorem conciliandum. Maxima autem pars hujus capitis profertur ab Ivone Carnotensi, p. 15, cap. 116, ex Pœnitentiali Theodori; sed in quibusdam variat. In fine capitis adversus immissorem tempestatum pœna statuitur, quemadmodum apud Burchardum, lib. X, cap. 28, ex Romano Pœnitentiali. Sed ejusdem libri cap. 8, ex eodem Pœnitentiali Romano, statuitur pœna in eum qui credit esse aliquos tempestatum immissores, quæ secum pugnare videntur. Agobardus, Lugdunensis episcopus, libellum edidit, in quo damnat eos qui credunt esse aliquos tempestatum immissores; et auctor quæstionum inter opera sancti Justini martyris, quæst. 31, scribit non hæc posse fieri magorum industria; aitque ejusmodi homines appellari νεφοδιώκτας: Latini vocant *tempestarios*, ut scribunt Agobardus ibidem, et Benedictus Levita, lib. I Capit., tit. 64, et hæc tempestas dicitur *aura levatitia*, ut scribit Agobardus.

Cap. 6, notanda sunt hæc verba, [a] *Si quis in Kalendis Januariis, quod multi faciunt, et in cervulo ducit, aut in vetula vadit*, quæ sumpta sunt ex concilio Antissiodorensi, can. 1: *Non licet Kalendis Januarii vetula aut cervolo facere*. Meminit Burchardus, lib. XIX, cap. 5: *Fecisti aliquid tale quod pagani fecerunt, et adhuc faciunt in Kalendis januarii in cervolo et vegula*. Si

[a] In Jud. Pœnit. habes, art. 31: *Si quis Kalendas Januarias in cervolo vel vitola vidit, tres annos pœniteat*. Conjicit autem doctiss. Mabillonius legendum *vitola* pro *vitula*. Aliam ejusdem conjecturam vide ibidem, Musei Italici pag. 391.

fecisti, viginti dies in pane et aqua pœniteas. Et sanctus Pacianus episcopus Barcinonensis, Parænesi ad pœnitentiam : *Hoc etiam puto proxime cervulus ille profecit, ut eo diligentior fieret, quo impressius notabatur, et tota illa reprehensio expressi ac sæpe repetiti non compressisse videatur, sed erudiisse* 473 *luxuriam, me miserum! quid ego facinoris admisi? Puto, nescierant cervulum facere, nisi illis reprehendendo monstrassem.* Hæc erat superstitio, ut Kalendis Januarii homines, ferarum et pecudum formis assumptis, huc et illuc petulantius discursarent, ut docuimus in notis et observationibus ad Concordiam regularum, cap. 50, § 4. In eodem capite nostri Pœnitentialis hæc sequuntur : [a] *Si quis sortes habuerit quas sanctorum contrarationem vocant.* His similia refert Burchardus, lib. 10, cap. 9, ex Pœnitentiali Romano in hunc modum : *Auguria vel sortes quæ dicuntur falsæ sanctorum, vel divinationes, qui eas observaverint, vel quarumcunque scripturarum; vel votum voverint, vel persolverint ad arborem, vel ad lapidem, vel ad quamlibet rem, excepto ad ecclesiam, omnes excommunicentur.* Sequitur: *Si quis ad arbores vel fontes*, etc. Hæc [b] sumpta sunt ex conciliis Agathensi, can. 42, Turonensi II, can. 22, et Antissiodorensi, can. 3 et 4. Sequitur : *Si quis mathematicus*, etc. Ibi τὸ *mathematicus* est magus. Proprie tamen is est qui, hora nativitatis inspecta, quæ cuique ventura sunt perscrutatur. Sanctus Augustinus, lib. II de Doctrina Christiana, c. 21 : *Qui genethliaci propter natalium dierum inspectiones, nunc autem vulgo mathematici vocantur.* Spartianus, in Severo : *Tunc in quadam civitate Africana sollicitus mathematicum consuluisset, positaque hora ingentia vidisset astrologus.* Lampridius, in Antonino Diadumeno : *His diebus, quibus ille natus est, mathematici, accepta genitura ejus, exclamaverunt, et ipsum filium imperatoris esse, et ipsum imperatorem.* Et eorum ars dicitur mathesis. Spartianus in Ælio Vero, et in Severo : *Genituras sponsarum inquirebat, ipse quoque matheseos peritissimus.* Mentem hominis tollere est vim imaginativam ejus ita turbare, ut se existimet jumentum esse aut aliquod brutum, ut mulier illa apud Palladium quæ se jumentum esse credebat, quam beatus Macarius Ægyptius sanavit, et quondam Proeti filiæ, et ii quos Circe dementaverat, quemadmodum olim poetæ fabulati sunt. Lib. VI legis Wisigothorum, tit. 2, l. 3, dicitur : *Et hi qui per invocationem dæmonum mentes hominum conturbant.* Sequitur ligaturarum prohibitio, de quibus agit sanctus Augustinus, lib. II de Doctrina Christiana, cap. 20 : *Ad hoc genus pertinent omnes etiam ligaturæ, atque remedia, quæ medicorum quoque disciplina condemnat, sive in quibusdam notis, quas characteres vocant, sive in quibusdam suspendendis atque illigandis* Et cap. 29 : *Aliud est enim dicere : Tritam istam herbam si biberis, venter non dolebit; et aliud est dicere : Istam herbam collo si suspenderis, venter non dolebit.* Meminit Ammianus Marcellinus, lib. XV : *Si quis remedia quartanæ vel doloris alterius collo gestaret*, etc. Et sanctus Bonifacius, epist. ad Zachariam papam : *Dicunt quoque se ibi vidisse mulieres pagano ritu phylacteria et ligaturas in brachiis et cruribus habere.* Consule quæ de phylacteriis et amuletis scripsimus ad Concordiam regularum, cap. 3, § 6. Id quod sequitur : *Si qui simul edunt festivitatem*, etc., nihil aliud est quam can. 7 synodi Ancyranæ, ubi *biennio subjacere*, significat esse in tertio gradu Pœnitentium qui ὑπόπτωσις, id est, substratio dicitur ; qua pœnitentes hujus gradus substernunt se episcopis, cum eis episcopi manus imponunt, ut supra notatum est. Hæc autem verba, *Et sic suscipi*, sic explicanda sunt, ut ille post gradum substrationis suscipiatur in gradu consistentiæ, ut oret in Missa cum fidelibus, ut supra dictum est. Ista autem, *Quæ obedire oportet, et post oblationem*, etc., corrupta sunt, et ita ex eadem synodo castiganda : *Et postea an cum oblatione sint admittendi, oportet uniuscujusque spiritum probare, et vitam singulorum cognoscere.* Hæc verba, *Singuli tantum vitium hoc fecerit*, corrupta sunt, et legendum est. *Si gulæ tantum vitio hoc fecerit.* Hæc verba, 474 *Sine oblatione communicet*, capienda sunt de communione in Oratione et precibus, assistendo Missæ integræ cum fidelibus, sine tamen oblatione, hoc est sine Eucharistiæ sumptione. Sequitur tandem, *Si quis manducaverit sanguinem*, etc. Ferunt Act., XV cap., sanguinis comestionem prohibitam fuisse, ut etiam postea in VI synodo, can. 67, ubi prohibetur comestio sanguinis cujuscunque animalis, non solum quavis arte conditi, sed etiam quocunque modo comedatur ; et hæc pro more Ecclesiæ Orientalis. Quod etiam aliquando in Ecclesia Occidentali fuit observatum, ut liquet ex epist. Ecclesiarum Lugdunensis et Viennensis ad Ecclesias Asiæ et Phrygiæ, apud Eusebium, lib. V Hist. eccl., cap. 1, in qua Biblis martyr respondens calumniæ paganorum dicit : Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; id est : Quomodo illi infantes comederent, quibus ratione carentium animalium sanguinem edere non licet? Sed ubique usitatum in Occidentali Ecclesia non fuit. Nam quidam Actorum locum interpretantur de homicidio, et sanguinis humani effusione, ut sanctus Pacianus episcopus Barcinonensis in Parænesi ad penitentiam.

Cap. 7, statutum adversus membrorum sui ipsius mutilationem sumptum est ex canone 23 apostolorum, in quo statuitur ut laicus seipsum mutilans excommunicationi subjaceat tribus annis. Quod spectat ad avorsum voluntarie factum, hoc facinus capitali pœna plectitur lib. XXXIX, ff. de Pœnis, et can. 92 synodi Trullensis. Usurarum prohibitio sumpta est ex canone 17 synodi I Nicænæ, in quo usuræ prohibentur. Servi, alieni, videlicet, et ingenui venundatio interdicitur lib. V legis Wisigothorum, tit. IV, l. 11 et 17. In Pœnitentiali Theodori, apud Burchardum, lib. XIX, cap. 85, tribus annis pœnitentiæ hoc facinus animadvertitur. Hæc verba, *Si quis aream*, etc., ita citantur a Burchardo, lib. XIX, cap. 86, ex Pœnitentiali Romano : *Si quis domum vel aream cujuscunque voluntarie igne cremaverit, sublata vel incensa omnia restituat, et tribus annis pœnitentiam agat.* Et apud eumdem, lib. V ejusdem libri in examine pœnitentis hæc habentur : *Concremasti domum vel aream alterius odii meditatione? si fecisti, redde damnum, et unum annum per legitimas ferias pœniteas.* Hoc decretum, *Si quis per iram*, etc., in hunc modum ex Pœnitentiali Romano a Burchardo refertur, lib. XIX, cap. 101 : *Qui per rixam ictu debilem vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, et medium annum pœniteat. Si laicus per dolum sanguinem effuderit, reddat illi tantum quantum nocuit; et si non habet unde reddat, solvat in opera proximi sui, quandiu ille infirmus est; et postea, quadraginta dies in pane et aqua pœniteat.* Sequitur : *Si quis de ministerio Ecclesiæ*, etc. Ubi ministerium sanctæ Ecclesiæ sunt vasa sacra seu argentea. Deinde post τὸ *Ecclesiæ* videtur deesse præpositio *ad*; legendum igitur, [c] *Si quis de ministerio Ecclesiæ ad qualecunque opus*, etc. Tandem sequitur : *Si quis cum animalibus peccaverit*, etc. Quod nihil est aliud quam canon 16 synodi Ancyranæ, ubi legitur εἰκοσαετής, id est, viginti annorum, hic vero *triginta annorum*. Cætera mutila sunt. In his verbis *commu-*

[a] In judicio pœnit. Sacramentarii Gallic., art. 26 : *Si quis sortes sanctorum contra rationem invocat*, etc., ubi observat noster Mabillonius ejusmodi sortes fieri per sacros Codices. Quæ hic sequuntur id non obscure innuunt.

[b] Idem fere habetur in laudato Judicio pœnit., art. 27 : *Si quis ad arbores, vel ad fontes, aut cancellos.... votum voverit.... tres annos pœniteat*, etc.

[c] In Jud. pœnit. legitur, art. 38 : *Si quis aliquid de ministerio sanctæ Ecclesiæ fraudaverit, vel neglexerit, septem annos pœniteat*, etc.

nionem mereatur, deest τὸ *Orationum*. Postea adde : *Cum in communione quinque annos perseveraverit, oblationis sit particeps* Pro *eorum*, lege *ejus*. Hæc verba, *Incessanter ad peccandum*, redundant. His verbis, *Subjaceant*, adde, *et communionem precum consequantur*. Ad hæc verba, *quinque*, subaudi *annos*.

Cap. 8, hæc constitutio, *Episcopus faciens fornicationem*, etc., habetur can. 25 apostolorum, et apud Burchardum, lib. XVII, cap. 39, ex Pœnitentiali Theodori. Sed hic locus, *Prælato ante monachi votum*, corruptus est, et sic legendum est ex eodem Pœnitentiali Theodori, 475 *Presbyter autem, prælato monachi voto*, id est, qui nulli voto monachatus obnoxius est. Superpositio autem hoc loco abstinentia est a cibo die solido et integro; et superponere est integro die a cibo abstinere, est et jejunii superadditio, dilatatio; superponere est dilatare jejunium, Græce, ὑπέρθεσις, id est, superpositio, quo vocabulo utitur sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Catech. 18 : *Propter labores autem provenientes*, ἔκ τε τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς καὶ τῆς ἀγρυπνίας id est, ex superpositione, dilatatione, superadjectione jejunii parasceves, et vigiliæ; et ὑπερτίθεσθαι, id est, superponere, dilatare jejunium, superaddere; quo vocabulo utuntur Dionysius Alexandrinus in epistola ad Basilidem, et sanctus Epiphanius in expositione fidei. Tandem hoc vocabulum, *Quinquagesimis*, corruptum est, et legendum *Quinquagesimæ*, intelligiturque Quinquagesima paschalis, id est, dies illi quinquaginta qui intercedunt inter utramque solemnitatem Paschatis et Pentecostes, qui ex more antiquo jejunio vacant.

Cap. 9, *Si causa negligens*, lege *si causa negligentiæ*. In his verbis, *pro bonis rebus offerre*, τὸ *rebus* redundare videtur. Sed de hoc loco infra. Sequitur, *Si quis præbet ducatum barbaris*. Aliter apud Burchardum, et fusius hæc proferuntur lib. XIX, cap. 103, ex Pœnitentiali Romano : *Si quis præbet ducatum super Christianos, ut deprædentur, et non acciderit strages Christianorum, tres annos pœniteat; sin vero, ejectis armis, usque ad mortem mundo mortuus vivat*. Postea prohibetur manducare carnem animalium, quorum mors ignoratur, ne forte morticinium aut suffocatum comedatur. Hæc verba, *Pueri sermo inantes*, etc., usque ad finem capitis citantur ex Pœnitentiali Romano, a Burchardo, lib. XVII, cap. 36, ubi legitur *Pueri soli sermocinantes*, nempe de fornicatione cinædica, *intra semetipsos*, ut paulo ante dixit : Post τὸ *osculum*, in loco citato ponitur particula *non*, quod peccatum ibidem quinque superpositionibus animadvertitur.

Caput 10 sequitur, cujus titulus corruptus est, et legendum *De defectibus circa sacrificium*. Quædam ex his peccatis circa sacrificium Missæ exstant in Pœnitentiali ms. sancti Columbani abbatis Luxoviensis in Burgundia. Hoc autem caput prolixum est. Sed puto unico plura titulo comprehendi, et exscriptorem hujus Pœnitentialis usum fuisse corrupto Codice, aut certe ipsi defuisse diligentiam exscribendi. Quæ vero in hoc capitulo spectant ad sacrificium Missæ, exstant apud Burchardum, lib. V, capitibus 51 et 52, ex Pœnitentiali Romano; sed in quibusdam variant. Quid sit chrismal supra dictum est agendo de basilicæ dedicatione. Hæc verba, *Ut si mens gravatus*, etc., corrupta sunt, et legendum, *ut sumens sacrificium gravatus saturitate ventris*, etc. Sequentia, *Diaconus obliviscens oblationem offerre*, etc., corrupta sunt. Apud Burchardum, cap. 51 libri citati, legitur : *Diaconus obliviscens oblationem offerre, donec offeratur linteamen, quando recitantur nomina pausantium, similiter pœniteat*. Sequitur, *Si autem in farina*, etc. Videntur ante hæc verba quædam deesse. Pro *quadragenas*, apud Burchardum legitur *quadragesimas*.

Post τὸ *negligens* adde *fuerit*. Apud Burchardum legitur : *Et qui neglexerit, quaternis diebus suam negligentiam solvat*. Loco [a] istorum verborum, *Et inveniatur aliquid*, apud Burchardum legitur *Ut non inveniatur*. Prior lectio potior est, quia declaratur quid faciendum sit, cum aliquid de sacrificio invenitur. At hæc verba, *Et si inventum fuerit*, aliter leguntur apud Burchardum : *Si vero sacrificium inventum fuerit, locus scopis mundetur, et stramen, ut supra, ignetur, et cinis, et supra, recondatur, et Sacerdos viginti dies pœniteat;* ubi legendum, *igni detur*. Quod sequitur, *Si de calice per negligentiam*, etc., exstat apud Burchardum, lib. V, cap. 47, ex decretis Pii papæ, cap. 5, ubi corrupte legitur *linguabitur*, 476 seu scribendum *lingua lambatur*. In sequenti articulo, ubi τὸ *vicibus* scribitur, deest vocabulum numerum exprimens. In capite citato Burchardi deest τὸ *vicibus*. Appellatur hic Oratio Dominica *periculosa*, quia olim illam in Missa cum tanta reverentia et cautela recitabant Sacerdotes, ut grande piaculum se admisisse crederent, si inter recitandum vel leviter [b] titubassent. Hæc verba, *Si quis non pœnitet*, intelliguntur de his qui, dum sani sunt, ad pœnitentiam non veniunt, sed eam in infirmitate petunt. Hi autem tres articuli de pœnitentia sumpti sunt ex conc. Carthagin. IV, canonibus 76, 77, 78 et 79. Hæc verba, *Sed non illa, qui dimisit*, corrupta sunt, et legendum, *Sed non illi, quam dimisit*, id est, a qua separatus est. Hæc verba, *Si quis nolendo parentibus occidit hominem*, ita exponenda sunt : si quis, præter voluntatem suam, cognatorum aut propinquorum suorum servum occiderit. Nam hoc loco parentes sunt propinqui et cognati, et homo is est qui servilis est conditionis, de quo vocabulo consule Cujacium, Feud. lib. I, et Fredericum Lindenbrogium in Glossario, et in notatis ad Paulum Warnefridum, l. IV de Gestis Langobardorum, c. 3. Hæc verba, *Si qua mulier suaserit alteri mulieri maritum*, mutila sunt, sed addendum est τὸ *dimittere*, vel *relinquere*, vel quid simile. Hæc, *si quis Christianorum Christianum viderit ambulantem*, etc., sunt corruptissima, quæ ita castiganda esse conjicio, *Si quis Christianorum Christianum viderit ambulantem, vel oberrantem, et non monstraverit ei viam, sit excommunicatus*, vel quid simile reponendum est; quemadmodum sequentibus verbis, *parentem suum vendiderit*, hæc sunt præponenda, *si quis*, ut legatur, *si quis parentem suum vendiderit*.

Hæc constitutio, *Si tertium acceperit*, etc., notanda : quamvis enim bigamos, trigamos, etc., permittat Ecclesia, quia tamen hæc polygamia seu nuptiarum repetitio aliquid incontinentiæ in homine notat, ejusmodi homines præter irregularitatis notam quibusdam aliis pœnis olim subjacere voluit. Sanctus Basilius, epist. 1 canonica, ad Amphilochium, digamos duobus annis, trigamos quinque a fidelium societate segregavit. Constitutio Constantini Porphyrogennetæ imperatoris, facta anno mundi VICIƆIVCXXIX, quadrigamos, dum in hoc statu permanserint, ab omni cœtu ecclesiastico separari, et templi ingressu arceri jubet, ut refert Theodorus Balsamo ad epist. citatam. Quid sane statuisset ille imperator de illo homine qui Romæ tempore sancti Hieronymi viginti uxoribus superstes fuerat, et de illa muliere quæ jam duo et viginti maritos composuerat; qui tandem simul matrimonio conjuncti sunt, exspectantibus summo studio Romanis quis e duobus alterum efferret; quod cum viro contigisset, coronatus ille et palmam ferens uxoris feretrum præcessit, ut scribit sanctus Hieronymus, epist. ad Ageruchiam? Leo Philosophus imperator ecclesia ejectus est, quod quadrigamus esset, ut scribit Cedrenus.

Quod sequitur, *Si quis comas incidit*, etc., propter

[a] Judic. pœnitential., art. 46, ita habet : *Sacerdos qui offert, et ceciderit de manibus ejus Eucharistia in terra, et non invenerit eam, scopa munda scopet, et comburat igne*, etc.

[b] Jud. Pœnit., *si tatoaverit sacerdos super Oration. Domin., die uno in pane et aqua*. Vide notam Mabillonii ad hunc locum. *Tatoaverit* hic idem est ac *titubaverit*.

superstitionem paganicam statuitur. Nam pagani, dum mortuos efferebant, et sepeliebant, mercede conducebant mulieres, quæ mortuum flerent, laudarent, aliosque ad hoc excitarent, sibique crines inciderent, ac genas laniarent, quæ Præficæ dicebantur. Nonius Marcellus, cap. 1: *Præficæ dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solent funeri, ut flerent, et fortia facta laudarent.* Glossæ veteres: *Præfica* ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη, θρήνωδος ἐπ' ἐκφοράν, id est, quæ lectum præcedens in elatione mortui laniatur, quæ in elatione mortui lugubre carmen canit. Glossæ veteres mss. biblioth. Corbeiensis harum meminere: *Præficæ principes planctus.* Hunc morem nobis declarat Servius, in XII Æneidos: *Moris fuit apud veteres ut ante rogos humanus sanguis effunderetur vel captivorum, vel gladiatorum, quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas* **477** *suum effundebant.* Idque videtur in lege XII tabularum apud Ciceronem, lib. II de legibus, ubi ejusmodi insania prohibetur: *Mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Ubi lessus est carmen funebre quod alias nænia dicitur. Ejusmodi mulieres etiam capillos scindebant, ut hic prohibetur; hoc palam est ex Lucilio XXII, apud Nonium, loco citato: *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere multo, et capillos scindunt.* Tonsuræ et rasura capillorum in funeribus etiam Græcis usitata fuit, luctus causa. Euripides, in Alcestide, actu 1:

> . . . . . ἢ τεμῶ τρίχα
> Καὶ μέλανα στολμὸν πέπλοι
> Ἀμφιβαλώμεθ' ἤδη;

Id est, num comam secem, aut pullo cultu vestium jam indui oportet? Et actu II:

> Πένθος γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω
> Κουρᾷ ξυρήκει, καὶ μελαμπέπλῳ στολῇ.

Id est, hujus mulieris luctus jubeo esse participes comæ rasura, et pullis amiculis. Sic olim apud Ægyptios in quacunque domo canis mortuus fuerat, omnes domestici universo corpore raso magno luctu afficiebantur, ut scribit Eusebius, lib. II de Præparatione evangelica, cap. 1. Ungulæ, quarum in hoc capitis loco fit mentio, sunt instrumenta ferrea præcurva et acuta in modum unguis, lacerandæ carni idonea, quibus carnifices olim in martyrum suppliciis utebantur, quæ et fidiculæ dicuntur, ut clarum est ex sancto Isidoro, lib. V Originum, cap. 27: *Ungulæ dictæ quod effodiant; hæ et fidiculæ quia eis rei in eculeo torquentur, ut fides inveniatur.* Idem patet ex Glossis Cyrilli: Ὄνυχες οἱ εἰς τὰ βασανιστήρια, *fidiculæ*, id est, ungues seu ungulæ, quorum est usus in torturis, seu quæstionibus. Idem facile colligitur ex Prudentii Peristephano de sancto Romano martyre:

> . . . . Cum furens interserit
> Asclepiades, vertat ictum carnifex
> In os loquentis, inque maxillas manum
> Sulcosque acutos, et fidiculas transferat.

Et paulo post:

> Implet jubentis dicta lictor improbus
> Charaxat ambas ungulis scribentibus
> Genas....

Ubi vides, cum imperavit præses genas martyris lacerari fidiculis, postea a poeta subjungi genas martyris a ministris ungulis charaxari scribentibus: ex quo liquido constat hæc vocabula ejusdem esse significationis. Isidorus a fide nomen deducit; sed verbale est a præterito *fidi*, verbi *findo*. Hujusmodi ungulæ erant bisulcæ, seu bifidæ, id est duos mucrones habebant incurvos, ut clarum est ex eodem hymno:

> . . . . Sponte nudas offerens
> Costas bisulcis exsecandas ungulis.

Unde infra appellatur ungula, hiulcus mucro.

> Scindunt utrumque milites teterrimi
> Mucrone hiulco pensilis latus viri.

Et hæc de ungulis. τὸ *Herbarius*, quod sequitur, est veneficus, **478** ob herbas maleficas et herbarum venena quibus veneficus utitur. Unde vocabulum Gallicum *enherber*, id est veneno aliquem necar. Vetus poeta:

> Soubs gist le frais serpent en herbe,
> Fuyez, enfants, car il enherbe.

Ante hæc verba: *Si cessaverit suscipere eum*, desunt nonnulla; non enim cohærent ista superioribus. Vocabulum *acceptor* corruptum est; lege *accipiter*. Hic pœnitentia datur ob morticini et suffocati esum, qui etiam prohibetur can. 63 apostolorum, et can. 67 sextæ synodi. Huc spectat illud Burchardi, cap. 5 libri XIX: *Comedisti morticina, id est animalia quæ a lupis seu a canibus dilacerabantur, et sic mortua inventa sunt? si fecisti, decem dies in pane et aqua pœnitere debes. Comedisti aves quas oppresserat accipiter, et non prius occidisti eas ferro aliquo? si fecisti, quinque dies in pane et aqua pœniteas.* Sequitur: *Si gallina in puteo mortua fuerit*, etc. His fere similia referuntur a Burchardo, lib. XIX, cap. 106, ex Pœnitentiali Romano: *Si quis dederit alicui liquorem in quo mus, vel mustela mortua inventa sunt, si laicus est, septem dies pœniteat; si in cœnobiis contigerit, trecentos Psalmos cantet. Qui postea noverit quod talem potum biberit, sexaginta Psalmos cantet.* Sequitur: *Si quis mus, aut gallina*, etc. Haud absimile est id quod refertur a Burchardo, ex eodem Pœnitentiali Romano: *Qui comedit, vel bibit intinctum a familiari bestia, id est cane, vel cato, et scit, centum Psalmos cantet; si nescit, duos dies jejunet; vel si redimere voluerit, quinquaginta Psalmos cantet.* Sequitur: *Si piscis mortuus fuerit in piscina*, etc. Huic simile est illud Burchardi, lib. XIX, cap. 5: *Comedisti piscem, qui mortuus est in flumine inventus? si fecisti, tres dies in pane et aqua pœniteas.* In his verbis: *Nemo manducet carnem ejus*, τὸ *ejus* refertur ad τὸ *animalis* cum quo homo coierit. Sequentia, *Si voluerit pro anima sua dare*, etc., hæc corrupta sunt, nec satis superioribus cohærent, et sic legenda arbitror: *Si voluerit pro anima sua dare eleemosynam de his pecuniis quæ fuerunt de præda, et suam egit pœnitentiam, potestatem habet.*

Huc usque Codex Corbeiensis, in quo, ut arbitror, finis hujus Pœnitentialis desideratur. Hæc autem breviter perstrinximus, ut aliquam lucem huic Pœnitentiali afferre possemus. Nec plura de antiquorum pœnitentia Christianorum scribimus, cum ante nos multi docti viri in hoc campo decurrerint, ac præsertim Gabriel Albaspinæus, episcopus Aurelianensis, lib. II observationum; Joannes d'Artis, juris in Universitate Parisiensi antecessor et professor regius, in libro de Canonica Ecclesiæ disciplina circa sacramenta, etc.; et Dionysius Petavius, societatis Jesu, in Animadversionibus in sanctum Epiphanium, ad hæresim 59, quæ est Novatianorum; nec est nostræ consuetudinis omnia doctorum scripta congerere, ut faciunt hodie nonnulli immanium voluminum consarcinatores, qui librorum mole non tam musas ornant quam bibliothecas et bibliopolarum officinas onerant. Sed redeamus ad propositum.

680. *Missa pro episcopo defuncto.* Sequuntur Missæ [a] pro defunctis. quarum mentio est in concilio Bra-

[a] De defunctorum memoria, et pro eorum quiete orationibus, vide apud Epiphanium, de Expositione fidei n. 23. *Jam vero quod ad mortuos spectat nominatim illorum fit mentio; ac preces et sacrificia, mysteriaque frequentantur.* Consule animadversiones doctiss. Petavii Tom. II. p. 367. Plura de hoc argumento lege in notis ad lib. 4. Dialog. Cap. 55. De eleemosynis ad mortuorum refrigerium lege Paulinum.

carensi, 1 can., quarum causa aliquid de exsequiis defunctorum dicemus duobus hic descriptis exsequiarum officiis, uno ex Codice ms. Rhemensi, altero ex Codice ms. Ratoldi abbatis. Sic igitur Rhemensis Codex :

« *Incipit officium pro defunctis. In primis cantatur Psalmus* In exitu Israel, *cum Antiphona, vel* Alleluia : *Deinde has Orationes cantat presbyter :*

« Piæ recordationis affectu, fratres charissimi, commemorationem faciamus **479** cari nostri *ill.* quem Dominus de tentationibus sæculi assumpsit, obsecrantes misericordiam Dei nostri, ut ipsi retribuere dignetur placitam, quietam mansionem ; remittat omnes lubricæ temeritatis offensas ; ut, concessa plenæ indulgentiæ venia, quidquid in hoc sæculo proprius error attulit, totum ineffabili pietate ac benignitate sua compenset. Per Dom. *Collecta sequitur :* Diri vulneris novitate perculsi, et quodammodo cordibus sauciati, misericordiam tuam, mundi Redemptor, fidelibus vocibus imploramus, ut chari nostri animam, etc. *Collecta sequitur :* Tu nobis, Domine, auxilium præstare digneris, tu opem, tu misericordiam largiaris, Spiritum etiam famuli tui *ill.* ac chari nostri, etc. *Item alia :* Suscipe, Domine, animam servi tui revertentem ad te de Ægypti partibus, proficiscentem ad te. Emitte angelos tuos sanctos in obviam illi, et vias justitiæ demonstra ei, etc. *Item Præfatio defunctorum :* Antiqui memores chirographi, fratres dilectissimi, quo primi hominis peccato, et corruptioni addicta est humana conditio, sub cujus leges ibi unusquisque formidat quod alii accidisse videat, Omnipotentis Dei misericordiam deprecemur pro spiritu chari nostri, cujus hodie depositio celebratur ut eum in æterna requie suscipiat, et beata resurrectione repræsentet. Per. *Collecta nunc sequitur :* Deus, qui justis supplicationibus præsto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo N., cujus diem depositionis hodie officia pia præstamus, cum sanctis atque electis tuis beati muneris portionem. *Dicuntur capitula. In memoria, et rel.*; *Ne tradas bestiis, et rel.*; *Exsultent sancti, et rel.*; *Pretiosa est, et rel.*; *Exsultabunt sancti, et rel. Item oratio antequam ad sepulcrum deferatur. Præfatio.* Deum judicem universitatis, Deum cœlestium et terrestrium et infernorum Dominum deprecemur pro Spiritu chari nostri *ill.*, ut eum Deus in requiem collocare dignetur, et in parte primæ resurrectionis resuscitet. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Collecta sequitur :* Te, Domine sancte, Pater Omnipotens, æterne Deus, supplices deprecamur pro spiritu famuli tui illius, quem ab originibus hujus sæculi ad te arcessire præcepisti, etc. *Item nunc Præfatio :* Omnipotentis misericordiam deprecemur, cujus judicio aut nascimur aut finimur, ut spiritum fratris nostri *ill.*, quem Domini pietas de incolatu mundi hujus transire præcepit, requies æterna suscipiat, et eum beata resurrectione præsentet, et in sinibus Abrahæ, Isaac, Jacob collocare dignetur. Per Dominum nostrum. *Collecta sequitur :* Deus, qui universorum creator et conditor es, qui cum sis tuorum beatitudo sanctorum, præsta nobis petentibus, etc. *Item Oratio ad sepulcrum priusquam sepeliatur :* Oremus, fratres charissimi, pro spiritu chari nostri, *ill.*, quem Dominus de laqueo hujus sæculi liberare dignatus est, cujus corpusculum hodie sepulturæ traditur, ut eum Domini pietas inter sanctos et electos suos, id est in sinu Abrahæ, et Isaac, et Jacob, collocare dignetur, et partem habeat in prima resurrectione ad quam factus est, orantibus nobis per Dominum. *Collecta ejusdem sequitur :* Opus misericordiæ tuæ est, Pater Omnipotens, æterne Deus, rogare pro aliis, qui nobis non sufficimus. Suscipe, Domine, animam servi tui *ill.*, etc. *Præfatio post sepulturam :* Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur, ut hoc corpus a nobis in infirmitate septum, in virtute et ordine sanctorum resuscitet, ut ejus spiritum et fidelibus jubeat aggregari, cuique in judicio misericordiam tribuat, quemque morte redemptum, debitum [*Leg.* debito] solutum Patri reconciliatum, boni pastoris humeris reportatum, spiritu sancto protectum, in comitatu æterni regis perenni gaudio et sanctorum consortio perfrui concedat. Per Dominum. Omnipotens æterne Deus, qui humano corpori a te ipso animam inspirare dignatus es, etc. Redemptor animarum Deus, æternitatem concede functis, etc.* Commendamus tibi, Domine, animam fratris nostri *ill.*, etc. **480** Migrantium in nomine tuo de hac instabili et tam incerta sempiternam illam vitam ac lætitiam cœlestibus præsta salvam. Per Dominum nostrum. »

Hactenus officium sepulturæ ex Codice Rhemensi. In quod hæc paucula notanda sunt, et in primis hæc verba *vel alleluia*, ex quibus constat olim hanc lætitiæ vocem in defunctorum officium non fuisse prætermissam, ob lætitiam quæ toti Ecclesiæ ex morte Justorum obvenit, ut videre est apud sanctum Hieronymum, in epitaphio Fabiolæ : *Et jam fama volans tanti prænuntia luctus, totius urbis populum ad exsequias congregabat : sonabant Psalmi, et aurata tecta templorum in sublime quatiebat alleluia.* ᵃ Hæc lætitiæ vox a Græcis canitur in liturgia εἰς κοιμηθέντας, id est, de his qui dormierunt, finita Epistolæ lectione. Post hæc verba, *Cantat presbyter*, videtur deesse τὸ *Præfatio*, quia non est hæc Oratio, sed Orationis denuntiatio, quemadmodum infra scriptum est : *Item Præfatio defunctorum*, siquidem est denuntiatio seu invitatio presbyteri per quam invitat populum ad orandum, quemadmodum supra notavimus ad feriam quartam majoris hebdomadis.*

Itaque in sacris hoc nomen Præfatio bifariam usurpari notandum est, primo pro illa Præfatione, seu gratiarum actione, et dispositione ad consecrationem, quæ Canoni Missæ præmitti solet; secundo pro illa denuntiatione, seu invitatione ad orandum a presbytero pronuntiata, quæ Collectæ seu Orationi præponi solet, ut in hoc defunctorum officio facile est animadvertere. Postea sequuntur capitella qui sunt versiculi quidam, ut ex ipsomet officio constat. Idem patet ex concilio Agathensi, can. 33 : *Et in conclusione matutinarum vel vespertinarum Missarum, post hymnos capitella de Psalmis dicantur, et plebs, collecta Oratione, ad vesperam, ab episcopo cum Benedictione dimittatur.* Sumitur etiam pro Collecta seu Oratione. Gregorius Turonensis, lib. 1, de Miraculis sancti Martini, cap. 5 : *Nam noveritis fratrem meum Martinum sacerdotem egressum fuisse de corpore, me autem ejus funeri obsequium præbuisse, peractoque ex more servitio, capitellum vobis excitantibus non explevi.* Teridius, in regula monachorum, n. 21 : *Perfectis Missis, dicite Matutinos directaneo.* Exaltabo te, Deus meus et Rex. *Deinde* Confitemini. *Inde* Cantemus Domino. Lauda, anima mea, Dominum. *Benedictionem* (leg. *Benedictiones*) Laudate Dominum de cœlis. Te Deum laudamus. Gloria in excelsis. *Et capitello* (lege *capitellum*) *omni Dominica sic dicatur.* Post hæc verba, *Priusquam sepeliatur*, videtur desiderari τὸ *Præfatio*. Nam hæc quæ sequitur, Oratio non est, sed Præfatio.

His ita elucidatis exscribendum est officium sepulturæ ex Cod. ms. Ratoldi abbatis in hunc modum : « *Incipiunt Orationes in agenda mortuorum.* Cum

Ep. 33, ad Alethium : *Benedictæ conjugis tuæ animam refecisti, in illam transfundente Christi manu, quæ tua pauperibus erogabantur.* Et in fine ejusdem epistolæ : *Jam pascitur tuis panibus, et affluit tuis opibus.*

ᵃ Ad hæc referri potest quod legitur apud Vict. Vit., Hist. Vandal. persecut., cap. 5 : *Quis vero sustineat, ac possit sine lacrymis recordari, cum præciperet nostrorum corpora defunctorum, sine solemnitate hymnorum, cum silentio ad sepulturam perduci ?*

anima in agone sui exitus dissolutione corporis visa fuerit laborare, convenire studebunt fratres, vel cæteri quique fideles; et canendi sunt septem pœnitentiæ Psalmi, id est duo Domine, ne in furore tuo, *et duo*, Domine, exaudi. Beati quorum, *et* De profundis, *et* Miserere mei, Deus. *Atque agenda est litania, prout permiserit ratio temporis, et secundum quod in causa egressuri perspici poterit, vel æstimari. Finitis autem sanctorum nominibus, mox incipiatur ab omnibus responsus* Subvenite, sancti Dei. *Quo finito, dicat sacerdos hanc Orationem sive commendationem pro eo : Oratio.* Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui *ill.*, ut defunctus sæculo tibi vivat, etc. *Alia.* Misericordiam tuam, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, pietatis affectu rogare pro aliis cogimur, etc. *Si autem quidem supervixerit, canantur alii Psalmi, vel agatur litania, usque quo anima corpore corruptionis absolvatur : In cujus egressu dicatur Antiphona :* Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahæ angeli deducant te. *Psal.* In exitu Israel. *Sequitur Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori **481** animam ad similitudinem tuam inspirare dignatus es, etc. *Item Antiphona* Chorus Angelorum te suscipiat, et in sinu Abrahæ te collocet, ut cum Lazaro quondam paupere æternam habeas requiem. *Psalm.* Dilexi quoniam, *usque* Ad Dominum cum tribularer. *Sequitur Oratio :* Diri vulneris novitate perculsi, et quodammodo cordibus sauciati, etc. *Tunc rogat pro eo sacerdos orare :* Et ne nos inducas in tentationem. Requiem æternam. Anima ejus in bonis demorabitur. Et non intres in judicium. A porta inferi. Partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cœlis, per te Christe Jesu, qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. *Alia :* Deus, cui soli competit medicinam præstare post mortem, etc. *Tunc lavatur corpus defuncti. Oratio post lavationem corporis antequam de domo efferatur :* Oratio. Suscipe, Domine, animam servi tui N., quam de ergastulo hujus sæculi vocare dignatus es, etc. *Alia :* Suscipe, Domine, animam servi tui N., ad te revertentem; vestem cœlestem indue eam, et lava eam sancto fonte vitæ æternæ, etc. *Tunc cum Responso* Subvenite, Sancti Dei, *et aliis Responsis defunctorum deportatur; et cum appropinquatum fuerit Ecclesiæ, canitur Psalmus* Miserere mei, Deus, *cum Antiphona* Requiem æternam. *In ecclesia autem requiescet corpus defuncti, quoadusque pro ejus anima Missa canatur, et offeratur ab omnibus quibus fuerit visum. Incipiunt Missæ. Oratio.* Quæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famuli tui *ill.*, et a contagiis mortalitatis exutam, etc. *Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Thessalonicenses.* Fratres, Nolumus autem vos ignorare de dormientibus, etc. *Sequitur secundum Joannem.* In illo tempore dixit Martha ad Jesum : Domine, si fuisses hic, etc. *Super oblata.* Animam famuli tui *ill.*, Domine, ab omnibus vitiis et peccatis conditionis humanæ hæc absolvat oblatio, quæ totius mundi tulit immolata peccatum. Per Dominum. *Præfatio.* Æterne Deus : Quoniam quamvis humano generi mortis illata conditio [a] pectora humana mentesque contristet, et tamen clementiæ tuæ dono spe futuræ immortalitatis erigimur, ac memores salutis æternæ non timemus lucis hujus sustinere jacturam. Quoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur, sed mutatur; atque animæ corporeo ergastulo liberatæ horrent mortalia, dum immortalia consequuntur. Unde quæsumus ut famulus tuus *ill.* beatorum tabernaculis constitutus evasisse se carnales glorietur angustias, diemque judicii cum fiducia voto glorificationis exspectet. *Infra Actionem.* Hanc igitur oblationem quam tibi pro anima famuli tui *ill.* offerimus, quem hodie carnali corruptione liberasti, quæsumus, Domine, placatus accipias; et quidquid humanæ conditionis obreptione contraxit expedias, ut, tuis purificata remediis, ad gaudium sempiternum perveniat. Per Dominum nostrum Jesum Christum. *Ad Complendum.* Prosit, Domine, quæsumus, animæ famuli tui *ill. Post celebrationem denique Missæ stat sacerdos juxta feretrum et dicit hanc Orationem :* Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, *ill.*, quoniam nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum tribuatur remissio, etc. *Sequitur Responsorium :* Subvenite, sancti Dei. *Versus* Chorus angelorum eam suscipiat, et in sinu Abrahæ eam collocet. *Et ter* Kyrie eleison. *Item Oratio* Deus, cui omnia vivunt, et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, etc. *Sequitur Responsorium* Antequam nascerer, novisti me. *Versus* Commissa mea pavesco. *Et ter* Kyrie eleison. *Item Oratio* Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto *ill.* misericordiam, etc. *Tunc rogat pro eo orare sacerdos :* Et ne nos inducas. Requiem æternam. A porta inferi. *Oratio* Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices **482** deprecamur, etc. *Et sic levatur de ecclesia cum Antiphona* Aperite [b] illi portas justitiæ, *et Psalmo* CXVII, *id est,* Confitemini Domino quoniam bonus. *Et deportatur usque ad sepulcrum. Oratio ante sepulcrum.* Piæ recordationis affectu, fratres charissimi, commemorationem faciamus chari nostri *ill.*, quem Dominus de tentationibus hujus sæculi assumpsit, etc. *Sequitur Antiphona* Ingrediar in locum tabernaculi. *Psalm.* Quemadmodum desiderat. *Oratio* Obsecramus misericordiam tuam, omnipotens æterne Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, etc. *Sequitur Antiphona* Hæc requies mea in sæculum sæculi. *Psalm.* Memento, Domine, David. *Oratio* Deus apud quem mortuorum spiritus vivunt, et in quo electorum animæ, deposito carnis onere, plena felicitate lætantur, etc. *Sequitur Antiphona* De terra plasmasti me. *Psalm.* Domine, probasti me. *Et ponitur in sepulcro corpus defuncti. Orationes post sepultum corpus.* Oremus, fratres charissimi, pro spiritu chari nostri *ill.*, etc. *Alia.* Deus, qui justis supplicationibus semper præsto es, qui pia vota dignaris intueri, etc. *Item alia oratio.* Deus vitæ dator, et humanorum corporum reparator, qui te a peccatoribus exorari voluisti, etc. *Item alia.* Deus, qui humanarum animarum æternus amator es, etc. *Alia.* Deus, qui justis supplicationibus semper præsto es, etc., *ut supra sed superiore diffusior est. Item alia.* Temeritatis quidem est, Domine, ut homo hominem, mortalis mortalem, cinis cinerem tibi Domino Deo nostro audeat commendare, etc. *Alia.* Debitum humani corporis sepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, [c] suppliciter deprecemur, etc. *Tunc rogat pro eo orare sacerdos, et dicit capitula sicut superius :* Et partem beatæ resurrectionis obtineat, vitamque æternam habere mereatur in cœlis, per te, Christe Jesu, qui cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. *Psalm.* Miserere mei, Deus, secundum magnam. Requiem æternam. *Sequitur Oratio :* Absolve, Domine, animam famuli tui *ill.* ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum nostrum, etc. Amen. Requiescat in pace. Amen.

Hactenus officium exsequiarum ex Codice Ratoldi; in quo primo notandum est [d] agendam sumi pro officio divino. Sanctus Benedictus, cap. 13 regulæ : *Plane agenda matutina vel vespertina non transeat aliquando*, etc.

[a] In Ms., *peccata nostra contristet; tamen.* Sed error est manifestus.

[b] In Ms., *illi;* et eadem manu supra inter lineas, *mihi.*

[c] In Ms., *fideliter* sed male.

[d] In Edit. Pamel. legitur : *in agenda mortuorum Orationes.* In Cod. Reg. Suec., *item aliæ Orat. in agenda mortuorum.* Porro doctissimus Quesnellius censet *agendum*, in libris liturgicis idem significare

Secundo commendationem esse Orationem pro mortuis. Meminit concilium Milevitanum II, can. 12 : *Sive Præfationes, sive commendationes, sive manuum impositiones ab omnibus celebrentur.* Et concilium Toletanum IV, can. 12 : *Componuntur Missæ, sive preces vel Orationes, sive commendationes.* Est etiam officium pro defunctis. Concilium Carthagin. III, can. 29 : *Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive episcoporum, seu clericorum, sive cæterorum commendatio facienda est, solis Orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.*

Tertio notanda est lotio corporis defuncti juxta antiquam Christianorum consuetudinem, qui defunctis omnia pietatis officia exhibere solent, præsertim ob spem futuræ resurrectionis, quæ ab apostolis ad nos manavit, ut videre est Act. IX, de Tabitha Joppensi mortua, quæ sancti Petri ministerio revixit : *Quam cum lavissent, posuerunt eam in cœnaculo.* Hujus lotionis mentio est apud Eusebium, lib. VII Hist. eccl., cap. 17, ex Dionysio Alexandrino : *Quin etiam sanctorum corpora, manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, illis adhærescere, complecti,* λουτροῖς καὶ περιστολαῖς κατακοσμοῦντες, id est, *lavare et vestibus induere non gravati sunt.* Apud Gregorium Turonensem, cap. 5 lib. de Vita Patrum, de sancto Gallo Arvernæ episcopo : *Exinde ablutus* **483** *atque vestitus in ecclesiam defertur.* Et multis aliis locis. Nihil agitur hic de mortui corporis unctione, quæ tamen apud multos olim usitata fuit, ut clarum est ex Prudentio in Cathemerino hymno de exsequiis defunctorum :

> Aspersaque myrrha Sabæo
> Corpus medicamine servat,

Corippo, lib. III in laudem Justini minoris :

> Centum aliæ species, unguentaque mira feruntur,
> Tempus in æternum sacrum servantia corpus.

Quod sane etiam in primordiis nascentis Ecclesiæ factitatum fuisse constat ex Tertulliano, in Apologetico : *Thura plane non emimus. Si Arabiæ queruntur, scient Sabæi pluris et charioris suas merces Christianis sepeliendis profligari, quam diis fumigandis.*

Fuit alia defunctorum unctio, sed inter ipsas exsequias cum, divinis hymnis decantatis, *μετὰ τὸν ἀσπασμὸν ἐπιχέει τῷ κεκοιμημένῳ τὸ ἔλαιον ὁ ἱεράρχης*, id est, post salutationem defuncto oleum infundit pontifex, inquit Dionysius cap. 7 Hierar. eccl. Quæ quidem unctio non ad cadaveris conservationem in usu erat, sed ad declarandum eum qui defunctus est jam sacris certaminibus esse functum, quemadmodum ante baptismum oleo fuerat unctus in signum subeundorum ejusmodi certaminum, ut scribit idem Dionysius. Exstiterunt olim quidam hæretici, quos Theodoretus, in libro I de hæretic. Fabul., hæresi 15, Ascodrytas vocat, qui defunctos suos ungebant, sed vana quadam superstitione ducti, quam notat sanctus Irenæus, lib. I adversus hæreses, cap. 18 : *Alii sunt qui mortuos redimunt, in fine defunctionis mittentes eorum capitibus oleum et aquam, sive supradictum unguentum* (opobalsamum) *cum aqua, et cum supradictis invocationibus, ut incomprehensibiles et invisibiles principibus et potestatibus fiant, ut superascendat super invisibilia interior ipsorum homo, quasi corpus quidem ipsorum in creatura mundi relinquatur, anima vero projiciatur Demiurgo.* Unctos vestibus induebant, ut constat ex Joanne Moscho, cap. 78 Limonarii, de quadam puella, quæ ἐτάφη μετὰ πολλῶν τῶν ἱματίων, id est, sepulta est cum multis vestibus ; illæque pretiosæ erant, pro qualitate personæ, videlicet. Sanctus Hieronymus, in fine Vitæ sancti Pauli : *Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? an cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt?* Sanctus Augustinus, lib. IX Confess., cap. 13. *Namque illa, imminente die resolutionis suæ, non cogitavit corpus suum sumptuose contegi.* Gregorius Turonensis, lib. VIII Hist., cap. 21 : *In basilica urbis Metensis sepulta est cum grandibus ornamentis et multo auro.* Constantini magni corpus purpurea imperialique veste et diademate ornatum et in aurea capsa inclusum sepultum est, ut scribit Eusebius, lib. IV de Vita Constantini, cap. 66. Quali veste ornatus imperator Justinianus sepultus fuerit, sic describit Corippus, lib. I in laudem Justini minoris :

> Et tulit intextam pretioso murice vestem,
> Justinianorum series ubi tota laborum
> Necto auro insignita fuit, gemmisque corusca.
> Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
> Occisos reges subjectasque ordine gentes
> Pictor, acu tenui, multa formaverat arte.
> Fecerat et fulvum distare coloribus aurum,
> Omnis ut aspiciens ceu corpora vera putaret
> Effigies auro, sanguis depingitur ostro.
> Ipsum autem in media victorem pinxerat aula
> Effera Vandalici calcantem colla tyranni,
> Plaudentem Libyam fruges laurumque ferentem.
> **484** Addidit antiquam tendentem brachia Romam,
> Exerto et nudam gestantem pectore mammam
> Altricem imperii libertatisque parentem.
> Hæc ideo fieri vivax Sapientia jussit,
> Ornatum ut propriis funus regale triumphis
> Augustum in tumulum fatalis duceret hora.

Non dispare sepultus est ornatu Carolus Magnus, ut scripsit quidam monachus Engolismensis in ejus Vita : *Corpus ejus aromatizatum est, et in sede aurea positum est in curvatura sepulcri, ense aureo accinctus, Evangelium aureum tenens in manibus, reclinatis humeris in cathedra, et capite honeste erecto ligato aurea catena ad diadema et in diademate lignum sanctæ crucis positum est. Et repleverunt sepulcrum ejus aromatibus, pigmentis, balsamo et musco, et thesauris multis in auro. Vestitum est corpus ejus vestimentis imperialibus, et sudario sub diademate facies ejus operta est. Cilicium ad carnem ejus positum est, quod secreto semper induebatur ; et super vestimentis imperialibus pera peregrinalis aurea posita est, quam Romam portare solitus erat. Sceptrum aureum et scutum aureum, quod Leo Papa consecraverat, ante eum posita sunt dependentia. Et clausum et sigillatum est sepulcrum ejus.* Sanctus Gregorius Nyssenus, in epist. ad Melitinensem episcopum, de sepulcrorum violatoribus agens, sepultorum meminit ornamenti. Unde olim tot leges in sepulcrorum violatores. Non tamen hic mos ita fuit Ecclesiæ universalis, quin alicubi defunctorum corpora linteo candido involverentur; quod innuit Prudentius hymno supra citato :

> Candore nitentia claro
> Tendere lintea mos est.

Episcopi defuncti vestibus induebantur sacerdotalibus seu Pontificalibus. Beda, apud Amalarium, capite mox citando, agens de sepultura sancti Cuthberti Lindisfarnensium antistitis : *Vestimento sacerdotali indutus.* Flodoardus, lib. IV Hist. eccl. Rhem., cap. 48, agens de inventione sancti Merolilani Scoti : *Conspiciensque videt corpus integrum sacerdotalibus infulis redimitum.* Credibile est enim hunc sanctum virum episcopum fuisse, quia peregrini Scoti illi clerici, ut plurimum, erant episcopi, regionarii videlicet, sine titulo consecrati. Idem legitur de sancto Birino episcopo Dorcestrensi, apud Surium, tertio Decembris : *Inventus est quoque annulus, item crux plumbea, calix parvus, particulæ vestimentorum ejus,* quæ sane pontificalia sunt, ut ex circumstantiis clarum est ; et de sancto Gebhardo episcopo Constantiensi, lib. I Vitæ illius, cap. 22 : *Cum ergo lotus, et sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus, et feretro impositus ad ecclesiam fuisset deportatus.* (*Apud Henr. Can., tit.* 6, *ant. lect.*) Hinc capiendus est sanctus Gregorius Tu-

ac Missam ; et *Actionem* in Canone esse consecrationem ipsam ; laudatque eminentissimum card. Bona, lib. I, cap. 3, Rerum liturg. Lege integram notam 8 Quesnellii, ad epist. 11 sancti Leonis.

ronensis, cap. 3 libri de Vita Patrum, de sancto Gallo Arvernæ episcopo : *Exinde ablutus et vestitus in ecclesiam defertur*. Et cap. 4, de sancto Gregorio Lingonum episcopo : *Sed nec de ipso vestimento, quod cum eo positum fuit, aliquid ostensum est diminutum*. Sed et aliquando usitatum fuit ut sacrum Christi corpus, quod Eucharistiam seu oblatam vocant, super episcopi defuncti pectus in sepulcro collocaretur, ut docet Amalarius Fortunatus, lib. IV de Offic. eccl., cap. 42, ex Beda : *Aperte Dominus Beda declarat in exsequiis sancti Cutberti quomodo vestiri oporteat episcopum defunctum. Ita enim se ibit de ejus exsequiis. Postquam ergo sanctæ memoriæ Cutbertus episcopus, peracta communione, elevatis oculis ac manibus ad Deum, commendans ei animam suam et emittens spiritum, sedensque sine gemitu obiit in via Patrum, a navigantibus ad insulam nostram delatus, toto corpore levato, capite sudario circumdato, oblata super sanctum pectus posita, vestimento sacerdotali indutus, in obviam Christi calceamentis suis præparatus, in sindone cerata involutus animam habens cum Christo gaudentem*. Subjungit Amalarius **485** haud dubie hunc esse morem Ecclesiæ Romanæ, quod Angli ab illa per sanctum Augustinum sancti Gregorii discipulum fidem acceperint; qui tamen locus cum apud Bedam non reperiatur, nec libro IV Hist. Anglorum, in quo fuse de sancto Cutberto scribit, neque in Vita sancti Cutberti ab eo scripta, existimo aliquid in Excusis Bedæ exemplariis deesse, quia non arbitror adeo vecordem fuisse Amalarium, qui mendaciter ea finxerit. Id etiam videtur in Vita sancti Basilii, quæ nomine sancti Amphilochii circumfertur : *Et dividens panem in tres portiones, unam quidem suscepit cum timore multo, aliam vero servavit ad consepeliendum sibi, tertiam vero super columbam argenteam suspendit super altare* [a]. Neque hoc vetitum fuit in concilio Carthag. III, can. 6 : *Item placuit ut corporibus defunctorum Eucharistia non detur; dictum est enim a Domino : Accipite et edite; cadavera autem nec accipere possunt, nec edere*. Neque a concilio antissiodorensi, can. 12 : *Non licet mortuis nec Eucharistiam, nec osculum tradi*. Nam hæc concilia agunt in eos qui Eucharistiam in os defunctorum gratia communionis inferebant. Unde concilium Carthaginense recte subjungit : *Dictum est enim a Domino : Accipite et edite*, etc.; et Antissiodorense, *nec osculum tradi*, quia sumpturi Eucharistiam se mutuo osculabantur. Cum igitur loci ex Beda et Amphilochio citati nullo modo spectent ad mortui communionem, sed ad collocationem Eucharistiæ super illius pectus, nihil exstat in illis quod citatis conciliis adversetur. Unde S. P. N. Benedictus, sacrorum canonum haud ignarus, ut quem bis evomuerat terra puerum monachum repentina morte raptum in ædibus parentum, quos sine abbatis Benedictione convenerat, reciperet, ejus parentibus *manu sua protinus communionem corporis Dominici dedit, dicens : Ite, et hoc dominicum corpus super pectus ejus cum magna reverentia ponite, et sic sepulturæ eum tradite;* quod cum factum esset, terra puerum non amplius evomuit, ut scribit sanctus Gregorius, lib. II Dial., cap. 24.

Secundo in hoc officio Ratoldi abbatis sequitur elatio cadaveris cum cantu, quam etiam videmus apud Corippum, lib. III, in laudem Justini minoris :

> . . . . Nil plura moratus
> Augustus sublime feretrum
> Imperat, et tota populus processit ab aula.
> Omnis in exsequias sexus convenit et ætas.
> Quis numerare potest tantæ miracula pompæ,
> Hinc levitarum venerabilis ordo canentum,
> Virgineus tonat inde chorus, vox æthera pulsat.

Tertio super ipsum corpus in ecclesiam delatum, antequam terræ mandetur, celebratur sacrum Missæ sacrificium juxta antiquum morem, qui patet ex sancto Augustino lib IX. Confess., cap. 12 : *Cum corpus elatum est, imus et redimus sine lacrymis; nam neque in eis precibus quas fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretii nostri, juxta sepulcrum posito cadavere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet;* concilio Valentino Hispaniæ cap. 4 : *Post oblatum in ejus commendationem sacrificium Deo, mox sepulturæ tradat diligentissime ;* sancto Gregorio Turonensi, in Vitis Patrum, de sancto Lupicino : *Celebratis missis, cum summo honore gaudioque sepultus est ;* et multis aliis, quorum testimonia producere tædiosum esset.

Quarto nota cani *Kyria eleison*, juxta usum veterem, prout præcipitur in quodam concilio Arelatensi, apud Severinum Binium post concilium III Arelatense. Postquam enim concilium prohibuit in exsequiis defunctorum carmina diabolica et profana, subjungit : *Si quis autem cantare desiderat, Kyrie eleison cantet*.

Quinto notanda sunt hæc verba, *Et sic levatur de ecclesia*, cadaver scilicet, quod deportandum erat extra ecclesiam ; **486** ex quo apparet olim omnibus non fuisse licitum in ecclesiis seu basilicis sepulturam consequi. Id plano vetat concilium Nannetense, can. 6 : *Prohibendum etiam, secundum majorum instituta, ut in ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio aut in porticu, aut extra ecclesiam. Infra ecclesiam vero aut prope altare, ubi corpus Domini et sanguis conficitur, nullatenus habeat licentiam sepeliendi*. 13, quæst. 2, cap. *Præcipiendum*, idem decretum profertur ex concilio Vasensi : *Nulli in ecclesiis sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu, aut in exedris ecclesiæ*. Sed hoc decretum desideratur in duobus conciliis Vasensibus. Exstat in concilio Bracarensi I, cap. 36 : *Item placuit ut corpora defunctorum nullo modo intra basilicam sanctorum sepeliantur; sed si necesse est, deforis circa murum basilicæ usque adeo non abhorret*. Concilium Moguntinum, sub Carolo Magno celebratum, can. 52, excipit quasdam personas : *Nullus mortuus infra ecclesiam sepeliatur, nisi episcopi, abbates, aut digni presbyteri, vel fideles laici, qui per vitæ meritum talem vivendo suis corporibus locum acquisierint*. Hæc posteriora verba, *Qui per vitæ meritum*, etc., non exstant in tomo II Conciliorum Galliæ. Verum ante concilium I Bracarense liberum fuit Christianis infra septa Ecclesiarum sepeliri. Id clarum est ex quæstione illa sancti Paulini, qui interpellavit sanctum Augustinum, *Utrum prosit alicui, post mortem, quod corpus ejus apud sancti alicujus memoriam sepeliatur;* cui sanctus Augustinus respondens, egregium illum de Cura pro mortuis agenda librum composuit. De his plura vide lib. I, p. 3, cap. 14, reverentissimi ac doctissimi viri Henrici Spondani, Apamiarum episcopi, de Cœmeteriis sacris.

Sexto notandum est hic ad finem cujusque Psalmi qui ante sepulcrum canitur Orationem seu Collectam interponi ; quod fit ex prisca consuetudine, quam videre est apud Cassianum, lib. II de nocturnis Orationibus, cap. 7. *Apud illos* (monachos Ægypti) *non item; sed antequam flectant genua, paulisper orant, et stantes supplicatione majorem temporis partem expendunt. Itaque puncto brevissimo procidentes humi, velut adorantes tantum divinam clementiam, summa velocitate consurgunt. Et rursus erecti, expansis manibus, eodem modo, quo prius stantes oraverant suis precibus instantius immorantur*. Et paulo post : *Cum autem is qui Orationem collecturus est e terra surrexerit, omnes pariter eriguntur*. Ibi enim agitur de Orationibus quæ in ipsis Psalmorum intersitiis dicuntur.

In eodem Codice Ratoldi abbatis, in Missa pro sacerdote vel abbate, post Evangelium hæc Oratio notanda venit : *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero pro anima famuli tui ill., ut requiem æternam dones ei inter sanctos et electos tuos, ut in illorum consortio vita fruatur æterna. Per*. Quam sequitur Oratio super oblata.

In eodem Codice post supra memoratam Missam

[a] *Idem videre est in citata sancti Birini Vita*.

sequitur : MISSA PRO VIVIS VEL DEFUNCTIS SANCTI AUGUSTINI (ubi τὸ *vel* sumitur copulative). *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoro, ut pro quibus effundere preces decrevi*, etc., ut in Missali Romano, in Quadragesima. SECRETA : *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus, tribue, quæso, ut universorum, quos in oratione commendatos suscepi, vel omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber ascripta retineat.* POST COMMUNIONEM : *Purificent nos, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, sacramenta quæ sumpsimus*, etc., ut in Missali Romano ibidem.

681. *Item post lectionem.* Nominum fidelium defunctorum videlicet.

682. *Sive tertii, septimi*, etc. Consule observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 7, § 11.

487 683. *Incipit ordo*, etc. Jam dispositis quæ ad Missas et ad alia quædam spectant, agitur de ordinibus ecclesiasticis.

684. *Ad sacros ordines benedicendos.* Ita in Excusis. In Codice Rhemensi legitur, *Pro sacris ordinibus benedicendis.* Ubi nota omnes ordines tam majores quam minores, appellari sacros, quia per illos clerici ad summam illam latriam, quæ divinæ Majestati per Missæ sacrificium exhibetur, ordinantur et consecrantur, alii ut Missam ipsam faciant, alii ut ministrent, aut quoquo modo inserviant. Diuturnus tamen usus obtinuit, ut alii sacri ordines, alii non sacri appellentur; alii majores, alii minores.

685. *Majores gradus ante Evangelium*, etc. Ita in Excusis. Hodie contrarius est usus, quia minores priori loco dantur, secundo majores ; quemadmodum etiam in Codice Ratoldi abbatis, cujus seriem hic apponam. In Sabbato duodecim lectionum primi mensis, id est Martii, dicta Oratione *Populum tuum, quæsumus, Domine propitius respice*, etc., ordinantur ostiarii. Deinde, perlecta Deuteronomii lectione, cantato Responsorio, et dicta Oratione *Deus, qui nos in tantis periculis constitutos*, etc., fit lectorum ordinatio. Tum demum, perlecta lectione Deuteronomii, cantato Responsorio, et dicta Oratione *Protector noster aspice, Deus*, etc., ordinantur exorcistæ. Post lectionem Machabæorum et dictam Orationem, ordinantur acolythi. Lectionem libri Sapientiæ, Responsorium, et Collectam *Preces populi tui, quæsumus, clementer exaudi*, etc., excipit subdiaconorum ordinatio. Lectione item et Responsorio finitis, et dicta Oratione *Quæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice*, etc., ordinantur Diaconi. Post ordinationem diaconi interseritur Missa in ordinatione diaconi, quæ tamen, ut arbitror, tunc non dicebatur. Tandem Collectam *Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium*, etc., sequitur ordinatio presbyterorum ; qua perfecta, legitur epistola, et sic deinceps Missa absolvitur. Hæc Ratoldi Codex. In Codicibus Rhemensi et Rodradi minime exploratum est quis ordo teneatur, quia in illis ordinum ratio extra Missarum solemnia describitur.

686. *Minores quidem Dominicis diebus.* Ita in Excusis : Sed hæc jampridem antiquata sunt.

687. *Majores vero in Sabbatis duodecim lectionum.* Nempe in exordio noctis Sabbati, quæ in prima Sabbati lucescit, id est incipit, ita ut olim ineunte vespere Sabbati, quo juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem dies Dominicus incipit, sacerdotales et levitici ordines celebrarentur et susciperentur. Ita statuit ex antiquo more sanctus Leo papa I, epist. 81, ad Dioscorum episcopum Alexandrinum : *Quod ergo a Patribus nostris propensiore cura novimus observatum, a vobis quoque volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati, ejus noctis quæ in prima Sabbati lucescit exordia deligantur, hoc est sub lege divini officii substituantur, in quibus his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus, sacra Benedictio conferatur.* Et epist. 89 : *Nec sibi constare status sui noverit firmitatem, qui non die Sabbati vespere, quod lucescit in primam Sabbati, vel ipso Dominico die fuerit ordinatus. Solum enim majores nostri resurrectionis dominicæ diem honore dignum judicavere, ut sacerdotes qui sumuntur, hoc die potissimum tribuantur.* Ubi primo nota, cum dicitur, *vel ipso Dominico die*, ita capiendum est, ut fiat hæc ordinatio Dominico die, si Sabbati fuerit jejunium continuatum, ut scripsit epist. 81. *Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur.*

488 Quod etiam manifestum est ex concilio Claromontano sub Urbano II, pont. max., apud Ordericum Vitalem, lib. IX Hist. eccl. : *Ordines omni tempore in vespera Sabbati, aut perseverante jejunio, Dominica celebrentur.* Et ex concilio Rothomagensi, sub metropolita Joanne, anno Domini 1072, ex doctrina ejusdem sancti Leonis papæ, can. 7 : *Hoc etiam statutum est, ne in dandis sacris Ordinibus apostolicæ auctoritatis violatores inveniamur. Legitur enim in decretis Leonis papæ, quod non passim diebus omnibus sacri ordines celebrentur*, etc., *quod ejusdem observantiæ erit si mane ipso Dominico die continuato Sabbati jejunio celebretur*, etc., ut apud Ordericum Vitalem, lib. IV Hist. eccl. Secundo notandum apud sanctum Leonem per diem resurrectionis non præcise diem Paschæ intelligi, sed diem Dominicum qui in memoriam resurrectionis Christi celebratur. Unde epist. 81 statim subjungit : *A quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.* Unde etiam infra in eadem epistola postquam dixit : *Nunquam Benedictiones, nisi in die resurrectionis Dominicæ tribuantur*, scribit : *In hac denique promissus a Domino apostolis Spiritus sanctus advenit, ut cœlesti quadam regula insinuatum et traditum noverimus, in illa die celebranda nobis esse mysteria sacerdotalium Benedictionum, in quo collata sunt omnia dona gratiarum.* Nam ibi recenset diei Dominicæ prærogativas, quod Christus illa die resurrexerit, quod sit prima dierum, in qua cœlum et terra creata sunt, et quod eadem illa die Spiritus sanctus in apostolos missus fuerit, ratione quarum in illa die ordines sacri celebrari debeant. Et hi loci debent intelligi de Dominicis quatuor temporum, sive ordines celebrentur vespere Sabbati, sive Dominica mane, continuato jejunio, ut notavimus. Quod etiam statuit Gelasius papa, epist. ad episcopos Lucaniæ : *Ordinationes autem presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exercere non debent, id est, quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed et etiam quadragesimalis initii, et mediana Quadragesimæ die. Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Hodiernus tamen usus, quo ordines tam majores quam minores, simul in Sabbatis duodecim lectionum, id est IV temporum conferuntur, antiquus est. Nam Chrodegangus, qui floruit temporibus Caroli Majoris Pipini [*Forte* et Pipini] regis, episcopus Metensis, ita facere solebat, ut scribit Paulus Diaconus, in libro de episcopis Metensibus : *Hic consecravit episcopos quamplurimos per diversas civitates, presbyteros nihilominus ac diaconos, cæterosque ecclesiasticos ordines, sicut moris est Romanæ Ecclesiæ in diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni.*

688. *Ostiarius.* Ostiariorum mentio exstat in epistola sancti Cypriani 34, et in epist. sancti Ignatii ad Antiochenos, in epist. Cornelii papæ ad Fabium episcopum Antiochenum, apud Eusebium, lib. VI Hist., cap. 35, in quibus πυλωροὶ appellantur ; in concilio Laodiceno can. 34, et apud sanctum Epiphanium, in expositione fidei catholicæ, a quibus θυρωροὶ dicuntur. De ostiariorum ordinatione agitur in concilio Carthag. IV, infra citando.

689. *Postquam ab Archidiacono instructus fuerit*, etc. Ita in Excusis et in Codicibus mss. Rhemensi, et Rodradi, ita in concilio Carthagin. IV, can.

9. In Codice Ratoldi, et in Ordine Romano hæc A plurali numero efferuntur. In Pontificali Rom. sic habetur : *Deinde pontifex accipit et tradit omnibus claves ecclesiæ, quas successive manu dextra singuli tangunt, pontifice dicente : sic agite*, etc.

690. *Tradat ei Episcopus claves ecclesiæ*. In aliis Codicibus nostris mss. additur *de altari*, ut in concilio Carthag. IV, ubi legitur *de altario*.

691. *Et tradat ei Diaconus*. Ita 489 in Editis et in Codicibus Rhemensi et Rodradi ; sed videtur legendum τὸ *archidiaconus*, ut in Ordine et in Pontificali Rom. et in Codice Ratoldi, in quo hæc habentur : *Et ducat eos archidiaconus ad ostium ecclesiæ, et dicat : Per hoc ostium traditur vobis ministerium, ut sitis janitores templi, habeatisque potestatem recipiendi bonos, et rejiciendi indignos*. Ad quæ verba videtur alludere sanctus Isidorus, lib. II de Officiis eccl., cap. 13 : *Habent enim in potestate tam bonos recipiendi quam rejiciendi indignos*. Quæ quidem verba non exstant in concilio IV Carthagin. De officio ostiarii hæc habet Isidorus junior in epist. ad Luitfridum B Cordubensem episcopum : *Ad ostiarium pertinent claves ecclesiæ, ut claudat et aperiat templum Dei, et omnia quæ sunt intus extraque custodiat ; fideles recipiat, infideles et excommunicatos rejiciat*.

692. *Deum patrem omnipotentem*, etc. Ita in Codicibus Rodradi et Rhemensi. In Excusis, in Codice Ratoldi, in Ordine et Pontificali Romano, hæc pluraliter efferuntur.

693. *Ad distinctionem certarum horarum*. Quia veteres observabant horas ad siderum cursus, ut notavimus ad Concordiam regularum, cap. 54, § 11, etiam ad umbram corporis humani, quod videre est apud Bedam, lib. de Ratione temporum, qui hac de re composuit horologium, quod etiam exstat in veteri Codice ms. bibliothecæ Corbeiensis, unde librum Theodulphi de Ordine baptismi, et Pœnitentiale Romanum eruimus, ad cujus calcem hæc habentur : *Studeant summopere canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, et in his divinum officium C humiliter ac devote persolvere. Mox enim ut datum fuerit signum, festinato omnes ad ecclesiam conveniant, signa certis temporibus pulsent*. Horologium autem est ejusmodi in dicto Codice ms.

Januar. et Decemb., hora 1 *et* 11, *pedes* XXIX; *hora* 2 *et* 10, *pedes* XIX; *hora* 3 *et* 9, *pedes* XVII ; *hora* 4 *et* 8, *pedes* XV ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* XIII ; *hora* 6, *pedes* XI.

Februar. et Novemb., hora 1 *et* 11, *pedes* XXVII ; *hora* 2 *et* 10, *pedes* XVII ; *hora* 3 *et* 9, *pedes* XV ; *hora* 4 *et* 8, *pedes* XIII ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* XI ; *hora* 6, *pedes* IX.

Mart. et Octob., hora 1 *et* 11, *pedes* XXV ; *hora* 2 et 10, *pedes* XV ; *hora* 3 *et* 9, *pedes* XIII ; *hora* 4 *et* 8, *pedes* XI ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* IX ; *hora* 6, *pedes* VII.

April. et Septemb., hora 1 *et* 11, *pedes* XXIII ; *hora* 2 *et* 10, *pedes* XIII ; *hora* 3 *et* 9, *pedes* XI ; *hora* 4 *et* 8, *pedes* IX ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* VII ; *hora* 6, *pedes* V.

Maio et August., hora 1 *et* 11, *pedes* XXI ; *hora* 2 *et* 10, *pedes* XI ; *hora* 3 *et* 9, *pedes* IX ; *hora* 4 *et* 8, D *pedes* VII ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* V ; *hora* 6, *pedes* III.

Jun. et Jul., hora 1 *et* 11, *pedes* XIX ; *hora* 2 *et* 10, *pedes* IX, *hora* 3 *et* 9, *pedes* VII ; *hora* 4 *et* 8, *pedes* V ; *hora* 5 *et* 7, *pedes* III ; *hora* 6, *pedem* I. Sed in diversis parallelis variat umbra.

Series autem horarum sumitur hic ab ortu solis. Nam minores umbræ semper contingunt hora sexta, quæ est meridies.

694. *Benedictio*. Hujus vocabuli passim usus in sacris ordinationibus. Hinc capiendum est illud concil. Hispalensis II, can. 5 : *Et presbyter quidem illis contra ecclesiasticum ordinem Benedictionem dedisse*. Et Sidonii, lib. VII, epist. 6 : *Si Benedictione succidua non accipiat dignitatis hæredem*.

695. *Paret obsequia*. Ita in Codicibus Rod. et Rhem. In Editis legitur *Pareant obsequia*. In Cod. Ratoldi, *Pareant obsequia*. In Ordine et Pont. Rom., *Tuo pareant obsequio*, rectius.

490 696. *Lector*. Ἀναγνώστης. Lectorum mentio exstat in can. 43 apostol. ; in epist. sancti Ignatii ad Antiochenos; in epist. Cornelii papæ ad Fabium Antiochenum episcopum ; apud Eusebium, capite supra citato ; in epist. sancti Cypriani mox citanda ; in concilio Arelatensi I, sub sancto Sylvestro ; in concilio Laodiceno, can. 24 ; in conciliis Carthag. III et IV, mox citandis; apud sanctum Epiphanium, in Expositione fidei catholicæ ; in Concilio Toletano I, infra citando, et in gestis purgationis Cæciliani et Felicis. Lectores olim non solum maturioris ætatis, sed etiam pueriles fuere, utpote impuberes, cum visum fuit Ecclesiæ ut dociles et bonæ indolis pueri jugo ecclesiastico maturius assuescerent. Id clarum est ex concilio Carthag. III, can. 19 : *Placuit ut lectores cum ad annos pubertatis venerint, cogantur aut uxores ducere, aut continentiam profiteri*. Suffragatur Victor Uticensis, lib. IV Hist. Vandalicæ : *Tunc etiam Eugenio pastore in exsilio constituto, universus clerus Ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque maceratur, fere quingenti vel amplius, inter quos quamplurimi erant lectores infantuli, qui gaudentes in Domino exsilio traduntur*. Ubi τὸ *infantuli* non sumendum est pro his parvulis qui rationis usu carerent, et loqui non possent, sed pro his qui jam deposita infantia ad puerilem ætatem pervenerant. Nec credendum est lectores hic pro Psalmistis usurpari, ut quidam explicant, lato modo lectoris nomine sumpto, his Victoris fulti verbis : *De multitudine autem pergentium confessorum, suggerente quodam exlectore Teucharicæ perdito, quos ille noverat vocales strenuosque modulis cantilenæ, duodecim infantulos separari, quos ille, dum catholicus esset, discipulos habuit*. Nam quamvis illi duodecim infantuli essent apti modulis cantilenæ, nihil obest quin lectores ex psalmistis ordinati fuerint. Præterea si illi duodecim fuere vocales, alii utique non erant : si quidem præter eos alii erant lectores infantuli, cum dicat Victor quamplurimos lectores infantulos, ergo plures duodecim. Nec valet illa lectio, *lectores et infantuli*, quia non est apud Victorem et Usuardum conjunctio copulativa.

Nostram assertionem verba Zozimi papæ in Ordine Romano confirmant : *Hæc autem singulis gradibus observanda sunt tempora. Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis studium dederit, inter lectores usque ad vigesimum ætatis annum continuata observatione perduret*. Id etiam videre est in concilio Vasensi II, can. 1, ubi lectores juniores sub presbyteri cura constituuntur ; et in fine canonis subjungitur : *Cum vero ad ætatem perfectam pervenerint, si aliquis eorum pro carnis fragilitate uxorem voluerit, potestas ei ducendi conjugium non negetur*. Ubi vides eadem statui ac in concilio Carthaginensi supra citato. Id etiam patet ex sancto Paulino lib. IV de Vita sancti Felicis martyris :

> Seseque a puero pia mens cœlestibus edens [*Leg*. addens]
> Instituit servire Deo, nec gratia pauper
> Abfuit [*Leg*. adfuit], et [*Leg*. at] quantum sitiebat corde [capaci
> Lucis hians animus, tam largiter influa traxit
> Dona Dei, primis lector servivit in annis.

Epist. 25 lib. IV Sidonii : *Sanctum Joannem virum honestate, humanitate, mansuetudine insignem* (*Lector hic primum, sic minister altaris idque ab infantia*, etc) *collegam sibi consecrarunt*. Et ex Ennodio in Vita sancti Epiphanii Ticinensis episcopi, *qui sub decessore suo viro integerrimo Crispino Pontifice, militiæ cœlestis tyrocinium sortitus annorum ferme octo lectoris ecclesiastici suscipit officium*. Nec obstat quod in Africa tempore sancti Cypriani, ut notum est ex ejus epistolis 33 et 34, et nonnullis aliis solis provectæ ætatis hominibus, meritis et doctrina insignibus, lectoris munus demandaretur. Nam aliud est loqui de ætate sancti Cypriani, aliud de ævo citatorum a nobis Auctorum et conciliorum. Si usus obtinuit in superiore sæculo, non item in posteriore.

491 697. *Faciat de illo sermonem episcopus ad plebem*, etc. Ita in concilio Carthag. IV, can. 8, et apud sanctum Isidorum, lib. II de Offic. eccl., cap. 11 : *Primum de eorum conversatione episcopus verbum facit ad populum. Denique coram plebe tradit eis Codicem apicum divinorum, ad Dei verbum annuntiandum.*

698. *Tradat ei codicem.* In Codice Ratoldi abbatis legitur : *Tradat eis Codicem Isaiæ prophetæ.*

699. *De quo lecturus est.* Lectoris munus docet Isidorus junior, epistola supra citata : *Ad lectorem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quæ prophetæ vaticinarint populis prædicare.* Priscis illis Ecclesiæ temporibus lectores in ecclesia legebant Evangelium, et Epistolam, ut ex subjectis auctoritatibus notum est, sancto Cypriano, epist. 33, de Aurelio confessore in lectorem ordinato : *Quia et nihil magis congruit voci quæ Dominum gloriosa confessione confessa est quam celebrandis divinis lectionibus personare sublimia, quæ Christi martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde martyres fiunt.* Et epist. sequenti de sancto Celerino confessore in lectorem etiam creato : *Hunc ad nos, fratres dilectissimi, cum tanta Domini dignatione venientem testimonio, et miraculo ejus ipsius qui se persecutus fuerat illustrem, quid aliud super pulpitum, id est super tribunal ecclesiæ oportebat imponi, ut loci altioris celsitate subnixus, et plebi universæ pro honoris claritate conspicuus legat præcepta, et Evangelium Domini, quæ fortiter et fideliter sequitur ? Vox Dominum confessa in his quotidie quæ Dominus locutus est audiatur? Viderit an sit ulterior gradus, ad quem profici in Ecclesia possit?* Ex concil. Toletano I, can. 2 : *Item placuit ut pœnitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut usus coegerit; et tunc inter ostiarios deputentur, vel inter lectores, ita ut Apostolum aut Evangelium non legant.* Quod frustra prohibitum esset pœnitentibus postea in lectores ascitis, nisi lectorum munus fuisset legere Evangelium, et Apostolum, sive Epistolam, ut vulgo loquuntur.

Idem videre est can. 4, ubi subdiaconus bigamus rejicitur inter ostiarios et lectores, ita ut Evangelium et Apostolum non legat. Non enim prohibetur subdiacono bigamo inter lectores rejecto Evangelium legere, ut hoc honore privetur, quem habuisset antea ratione subdiaconatus, quia nunquam subdiaconi fuit legere Evangelium ; ergo ratione gradus lectoratus, in quem rejicitur, ut careat honore legendi Evangelii propter bigamiam, quem sibi posset gratia Lectoratus assumere. Ita loquitur concilium : *Subdiaconus autem, defuncta uxore, si uxorem aliam duxerit, ab officio in quo ordinatus fuerat removeatur, et habeatur inter ostiarios et lectores, ita ut Evangelium et Apostolum non legat* [a]. Hæc tamen ita scribo, ut non inficias ierim alium usum aliquando fuisse, ut infra de diaconis agendo dicemus. Munus etiam lectorum fuit sacros Codices servare, ut videre licet in actis purgationis Cæciliani et Felicis : *Cum ab eodem Marte quærerentur codices omnes, negavit se habere; tum Victor dedit nomina omnium lectorum*; et infra : *Paulus episcopus dixit: Scripturas lectores habent*; et infra : *Proferte Scripturas quas habetis. Catullinus, et Marcuclius dixerunt, plus non habemus, quia subdiacones sumus, sed lectores habent Codices.* Nam pagani judices sacros utriusque Testamenti Codices perquirebant, ut eos igni traderent.

700. *Accipe, et esto verbi dei relator*, etc. Ita in Editis, in canone citato concilii Carthag. et in Codicibus Rhemensi et Rodradi. In Pontif. et Ordine Romano, et in Codice Ratoldi hæc plurali numero efferuntur.

701. *Domine sancte Pater*, etc. Hæc benedictio ita habetur in aliis Codicibus nostris, 492 Mss. et in Pontif. Romano. In Ordine variat in quibusdam, in quo, quemadmodum et in Pontificali Romano, præmittitur hæc Oratio seu Præfatio : *Oremus, fratres charissimi, Deum omnipotentem*, etc.

702. *Distinctus.* Ita in Editis, et in Codicibus Rhemensi, Rodradi et Ratoldi, sed in hoc pluraliter effertur. In Ordine Romano scribitur *apti*; in Pontificali *instructi*.

703. *Atque ordinatus.* Ita in Editis. In Codice Ratoldi legitur, *atque ordinati*. In Codicibus Rhemensi et Rodradi, *atque ornatus*.

704. *Exorcista.* Recte creationem lectoris sequitur exorcistæ ordinatio juxta antiquum morem, qui patet ex lib. IV sancti Paulini de vita sancti Felicis, ubi videmus sanctum hunc martyrem primo ordinatum fuisse lectorem, deinde exorcistam :

> .... Primis lector servivit in annis,
> Inde gradum cœpit, cui munus voce fideli
> Adjurare malos, et sacris pellere verbis.

In epist. Firmiliani episcopi ad sanctum Cyprianum (75 *inter epistolas sancti Cypriani*), mentio exorcistarum fit ; in epistola Cornelii papæ ad Fabium pontificem Antiochenum; apud Eusebium, lib. VI Hist. ecclesiast., cap. 31 ; in epistola sancti Ignatii ad Antiochenos; in subscriptionibus concilii Arelatensis I, sub sancto Sylvestro papa ; in concilio Laodiceno, can. 24 ; in concilio Carthagin. IV, mox citando; apud sanctum Hilarium lib. de Synodis ; apud sanctum Epiphanium , in Expositione fidei catholicæ ; Severum Sulpicium, cap. 3 de Vita sancti Martini ; et multos alios. Ex paganis Lucianus meminit, epist. 30, etsi pro more veterator ille sacra æque ac profana contemnens irrideat.

> Δαίμονα πολλὰ λαλῶν ὀξοστόμος ἐξορκιστὰς
> Ἐξέβαλ' οὐχ ὅρκων, ἀλλὰ κόπρων δυνάμει.

Et Julius Firmicus, lib. III Matheseos, cap. 5 : *Erunt autem omnibus dæmonibus terribiles, quorum adventum pravi dæmonum spiritus fugiant, et qui sic laborantes homines non vi verborum, sed sola sui ostensione liberent ; et quamvis sit violentus dæmon, qui corpus hominum animumque quatiat, sive ille aereus sit, sive terrenus, aut infernus, istius hominis jussione fugiet, quia præcepta ejus cum quadam veneratione terrebitur. Hi sunt qui a vulgo exorcistæ dicuntur.* Hæc gentilis ille Dei virtutem ad constellationes revocans, qui cum tantam vim in dæmones attribuat exorcistis, non dubium est quin ad Christianos exorcistas ista pertineant, non ad paganos, qui nunquam tanta in dæmones auctoritate valuere, etsi quibusdam incantamentis illusoriis dæmones corporibus humanis abigere aliquando visi sunt. Et cap. 9 ejusdem libri : *In nono loco Mercurius cum sole ab horoscopo pariliter constitutus faciet Exorcistas, et qui laborantes dæmonum incursione homines aptis remediis liberent, unde ex his artibus maxima illis substantia conferatur.* Hoc vocabulum etiam in sacris reperire est Scripturis, Act. XIX, 13. *Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judæis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos nomen Domini Jesu, dicentes : Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat.*

705. *Cum ordinatur*, etc. Ita in concilio Carthag. 4, can. 7, et in omnibus aliis Codicibus nostris mss. Idem videre est apud sanctum Isidorum, lib. II de Offic. eccles., cap. 13 : *Hi enim cum ordinantur, sicut ait canon, accipiunt de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem manus imponendi super energumenos sive baptizatos, sive catechumenos.*

706. *Accipe et commenda memoriæ.* Ita in canone citato, ut in Codicibus Rhemensi et Rodradi.

493 707. *Habeto potestatem manum imponendi*, etc. In citato concilio Carthag. IV, can. 9, statuitur : *Omni die exorcistæ energumenis manus imponant.* Et hoc est proprium eorum munus, ut videre est apud sanctum Isidorum, capite supra citato, et lib. VII Originum, cap. 12, et apud Isidorum juniorem epistola supra citata.

708. *Præfatio exorcistæ.* In Codice Ratoldi legitur

[a] Id etiam infra patebit ex Gregorio Turonensi et Pachymere ad Missam Ratoldi citandis.

onsecratio exorcistarum; male, nam hæc est Præfatio, non consecratio, et in eodem Codice statim sequitur benedictio, id est consecratio.

709. *Deum Patrem*, etc. Ita in Codicibus Rhemensi et Rodradi. In aliis supra memoratis hæc habentur in numero plurali.

710. *Domine sancte Pater*, etc. Ita in Codicibus Rodradi et Rhemensi. In Excusis et in Codice Ratoldi atque in Pontificali et Ordine Romano hæc pluraliter efferuntur.

711. *Spirituum immundorum coercendorum*. In Ordine et Pontificali Romano legitur, *spiritus immundos coercendi*.

712. *Probabilis*. Id est, bonus. Regula cujusdam Patris: *Postea si probabilis ejus pœnitentia cognoscatur, tunc demum intra septa monasterii recipiatur.* Concilium Toletanum IV, can. 4: *Probabilis vita atque doctrina exstiterit.*

713. *Gratiæ curationum*, etc. Sic lib. VIII Const. Apost., cap. 27, dicitur exorcista gratiam accipere sanitatum.

714. *Acolythus*. Acolythorum mentio est apud sanctum Cyprianum, epist. 55, in epistola Cornelii papæ supra citata. Quid sit acolythus ita explicat auctor veteris etymologici, Ἀκόλουθος σημαίνει τὸν ὀπίσω τὴν κέλευθον ποιῶν, id est, acolythus significat eum qui retro iter facit. Hesychius: Ἀκόλουθος ὁ νεώτερος παῖς, id est, acolythus junior servus. Glossæ veteres: Ἀκόλουθος, *secutor, pedissequus consequens*, ab ἀκολουθῶ, id est, sequor. Quod spectat ad Ecclesiam, de acolythis hæc docet sanctus Isidorus, lib. VII Orig., cap. 12: *Acolythi Græce, Latine ceroferarii dicuntur a deportandis cereis, quando Evangelium legendum est, aut sacrificium offerendum; tunc enim accenduntur luminaria ab eis et deportantur, non ad fugandas tenebras, cum sol eo tempore rutilet, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur de qua in Evangelio legitur: Erat lux vera, quæ illuminat*, etc. Subscribit Papias: *Acolythi Græce, ceroferarii Latine dicuntur, a deportandis cereis.*

715. *Primum ab Episcopo doceatur.* Ita in concil. Carthag. IV, can. 6, in Ordine Romano, et in aliis Codicibus nostris mss.

716. *Ab Archidiacono accipiat ceroferarium*, etc. Ita in Editis, in concil. Carthag., can. citato, Ordine Romano, et in aliis Codicibus nostris mss. Aliter in Pontificali Romano: *Pontifex accipit et tradit omnibus candelabrum cum candela exstincta, quod successive manu dextra singuli tangunt, pontifice dicente Accipite ceroferarium*, etc. Ubi τὸ ceroferarium pro candelabro neutraliter sumendum esse arbitror, nam ceroferarius masculine acolythus est. Ceroferale dicitur a Gregorio Turonensi, lib. de gloria confess., cap. 79.

717. *Ad accendenda ecclesiæ luminaria.* Sanctus Isidorus, loco citato: *Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, et deportantur.* Isidorus junior, epist. supra citata: *Ad acolythum pertinet præparatio luminarium in sacrario.*

495 718. *Ita sibi dicente.* In Pontificali Romano et in Codice Ratoldi deest pronomen *sibi*.

719. *Accipite hoc gestatorium luminis*, etc. Ita in Codice Ratoldi. At in canone supra citato concilii Carthag., et in Codicibus Rodradi et Rhemensi, quemadmodum et in Editis, nulla hic verborum formula habetur; in Ordine et Pontificali Romano exstat quidem, sed contractior in hunc modum: *Accipite ceroferarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda ecclesiæ luminaria mancipari.*

720. *Accipiat et urceolum*, etc. Ita in Excusis, in Codicib. Rhemensi et Rodradi, quemadmodum et in canone 6 concilii Carthag. IV. At in Ordine Romano hæc adduntur: *Dicente sibi episcopo Accipite urceolum ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam corporis Christi.* Quæ formula exstat etiam in Pontificali Romano. In Cod. Ratoldi legitur: *Detur eis urceum vacuum: accipite urceum ad effundendum* (lege *fundendum*) *vinum in Eucharistia corporis Christi.*

721. *Ad fundendum.* Ita in Editis, et in Cod. Rodradi. At in Cod. Rhemensi, et præfato concilio, quemadmodum et in forma Ordinis et Pontif. Romani legitur *ad suggerendum*; cui convenit illud Isidori junioris in epist. ad Ludifredum: *Ipse suggesta pro Eucharistia subdiaconis ministrat.*

722. *Vinum.* Ita in Editis, et in Cod. Rodradi, atque etiam in canone citato concil. Carthag. At in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, atque in ipsa forma Ordini et Pontificali Romano [*Forte*, forma in Ordine et Pontificali Rom., *vel* forma Ordinis in Pontif. Rom.] additur τὸ *et aquam*.

723. *Omnipotens sempiterne Deus*, etc. Ita in Editis et in Codice Rodradi. Sed in Pontificali Romano tres Orationes huic Benedictioni præponuntur. In Codice Ratoldi additur secunda: *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui per Jesum Christum*, etc., ut in Ordine et Pontif. Romano, quæ est unica in Codice Rhemensi.

724. *Ordinatio subdiaconi.* Subdiaconorum mentio fit can. 43 canonum Apost., in epist. Cornelii sæpius citata, in epist. sancti Ignatii ad Antiochenos, in epist. 24 sancti Cypriani, apud sanctum Epiphanium in Expositione fidei, in concilio Laodiceno, can. 21, 22 et 25, ubi dicuntur ὑπηρέται, id est, ministri, et in Carthag. concilio mox citando. Nota hic subdiaconum habere locum inter minores ordines, quemadmodum in excusis, etsi sanctus Gregorius, lib. [a] IV, epist. 88, subdiaconos a minoribus ordinibus distinguat. Hoc ideo factum esse arbitror, quia olim subdiaconatus sacer ordo non erat, quod clarum est ex concilio Laodiceno, can. 21, in quo subdiaconis sacra vasa tangere prohibetur. Quod confirmatur auctoritate Petri Cantoris qui vixit anno 1197. Is enim in libro manuscripto de verbo mirifico biblioth. monasterii sancti Germani a Pratis, cap. 54, scribit non ita pridem ut subdiaconatus ordo sacer esset institutum esse: *Prima autem manus impositio*, inquit, *debetur diaconibus ordinandis; de novo enim institutum est subdiaconatum esse sacrum ordinem.*

725. *Sicut qui invitatus*, etc. Hæc [b] habentur epist. 110 lib. VII Gregorii, sed non continue, siquidem verbis quibusbam interpositis hæc sequuntur, *cur non perpendit*, etc. Hæc autem in Ordine Romano desiderantur.

726. *Removendus*, etc. Ita in aliis Codicibus nostris mss. In Editis legitur τὸ *admovendus*, ut apud sanctum Gregorium, epist. citata, quæ quidem lectio videtur plausibilior, etsi prior non sit omnino absurda, invitus enim ordinandus est nemo.

495 727. *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit*, etc. Ita in Excusis, et in aliis Codicibus nostris mss. Ita in concilio Carth. IV, can. 5. In Ord. Romano, et apud sanctum Isidorum, lib. II de Officiis eccl., cap. 10, et in Codice Tiliano.

728. *Patenam de manu episcopi accipiat*, etc. Idem videre est in concilio Toletano IV, can. 27: *Si Subdiaconus patenam et calicem.* Ibi enim agitur de restitutione degradati, qui juxta idem concilium in sua restitutione recipit quod prius acceperat in sua ordinatione.

729. *Urceolum.* Apud Isidorum legitur *Scyphum aquæ.* Urceolus diminutivum est ab urceo. Papias: *Urceus vas aquarum; unde urceolus diminutivum.* Hic tamen non sumitur pro vase aquarum. Notandum est in citato concilio Toletano nullam fieri urceoli, et aquamanilis, et manutergii mentionem in restitutione degradati subdiaconi.

730. *Aquamanili.* In citato concilio Carthag. legitur, corrupte, *aqua et mantile.* Glossæ veteres, *aquamanile*, χέρνιβον, id est, vas abluendis manibus aptum.

[a] Nunc gesta hujus synodi, quæ prius loco epistolæ 44 l. IV habebantur, ad calcem epistolarum sunt rejecta.

[b] Nunc lib. IX, epist. 125.

731. *Manutergium.* Est mantile tergendis manibus idoneum. Græce χειρόμακτρον, ut clarum est ex Julio Polluce, lib. VI, cap. 14. Quod etiam liquet ex Athenæo, lib. IX: Χειρόμακτρον δὲ καλεῖται ᾧ τὰς χεῖρας ἀπεμάττοντο ὠμολίνῳ, id est, chiromactron appellatur mantile lineum humeris impositum, quo manus tergebant. Meminerunt Moschopulus de Schedis, et Hesychius, χειρόμακτρον, μανδύλιον. Auctor veteris etymologici et Suidas, χειρόμακτρον ὁ παρὰ Ῥωμαίοις καλεῖται μανδύλιον. Quod autem dicunt a Romanis vocari μανδύλιον, intelligendum est de iis Romanis novæ Romæ, id est Constantinopolis incolis; est enim μανδύλιον, apud eos mantile, ut planum est ex Codino, libro de Officiis, καὶ ὁ πιγκέρνης αὐτίκα τὸ τοῦ οἰνοχείου φέρει σκουτέλιον, κρατῶν καὶ μανδύλιον, id est, pincerna vero statim affert vinariæ capidis scutellam etiam mantile tenens aut certe isti grammatici Græci halucinati sunt, aut ubique in locis citatis legendum est μαντίλιον, id est, mantile.

732. *Vide cujus ministerium tibi traditur*, etc. Ita in Codicibus nostris mss., sed in Cod. Ratoldi pluraliter efferuntur ut in Ordine Romano, in quo tamen hæc contractius referuntur. Sed Pontificale Romanum totam hanc formulam contraxit hoc modo: *Videte cujus ministerium vobis traditur; ideo vos admoneo, ut ita vos, exhibeatis, ut Deo placere possitis.* Cætera vero translata sunt in admonitionem quam postea facit Pontifex subdiaconis. Concilium Carthag. ista omnia prætermisit brevitatis gratia.

733. *Pallæ quæ sunt in substratorio.* Has pallas distinguit a pallis corporalibus quæ vulgo corporale appellantur. Illæ igitur pallæ sunt mappæ altaris, ut dicimus, vel mantilia, ut veteres appellarunt, quæ alias appellantur pallæ altaris, ut docuimus ad Concordiam regularum. Substratorium est id quod alicui substernitur, ut hodie in altari grossiores telæ, quæ pallis altaris substernuntur.

734. *In alio corporales pallæ.* Ita in concilio Meldensi apud Burchardum, lib. IV, cap. 43: *Similiter ad corporale lavandum, et ad pallas altaris propria vasa habeantur, in quibus nihil aliud fiat.* Et in concil. Rhemensi apud eumdem lib. III, cap. 48: *Vel quando abluitur* (corporale) *a sacerdote, diacono, vel subdiacono, primo in ecclesia in loco et vase ad hoc præparato abluatur: eo quod ex Dominico corpore et sanguine infectum sit.*

735. *Oremus Deum ac Dominum*, etc. Ita **496** in Codicibus Rodr. et Rhemensi. Sed in Cod. Ratoldi, in Ordine et Pont. Romano, hæc plurali numero enuntiantur.

736. *Domine sancte Pater omnipotens*, etc. Ita in Codicibus Rodr. et Rhemensi. Sed in Ordine et Pont. Romano, hæc pluraliter enuntiantur, quemadmodum et in Cod. Ratoldi, in quo tamen hæc ita habentur: *Spiritu sapientiæ et intellectus, amen; Spiritu consilii et fortitudinis, amen; Spiritu scientiæ et pietatis, amen.* In Ordine Romano sequitur: *Et episcopus det eis mappulas, dicendo in vestitione harum mappularum: Subnixe te, Domine, deprecamur*, etc. In Ordine ms. Sancti Germani habetur porrectio mappulæ in hunc modum: *Hic dat eis episcopus mappulam dicens: Accipe mappulam, imple ministerium tuum; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam.* Ubi mappula nihil est aliud quam manipulus quem immittit episcopus in brachium sinistrum cuilibet subdiacono dicens: *Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum*, ut videre est in Pont. Romano. Gestabaturque olim mappula ad oculorum et narium pituitam detergendam, ut docet Alcuinus, lib. de Offic. eccles., cap. de vestimentis. In eodem Pontificali Romano subdiacon, accepto manipulo, induuntur tunica a Pontifice sub hac verborum formula: *stola jucunditatis*, etc. Postea accipit et tradit singulis librum Epistolarum, manu dextra ipsum simul tangentibus, dicens: *Accipite librum Epistolarum*, etc. Quæ libri Epistolarum porrectio non exstat in concilio Carthag. IV, supra citato, neque in Ordine ms. sancti Germani a Pratis, neque in Pontificali ms. quod est in sacrario ecclesiæ Rothomag. quodque putatur esse Anglicanum, neque in Ordine Romano, nec in Sacramentariis excusis, nec in Codicibus nostris mss., neque in Cod. Tiliano, neque apud sanctum Isidorum, neque apud Rabanum, lib. I, cap. 8, de Institutione clericorum, neque apud Amalarium Fortunatum, lib. I de Offic. ecclesiast., cap. 11, ex cujus verbis clarum est olim Epistolarum librum non tradi solitum subdiacono in ejus promotione: *Miror*, inquit, *qua de re sumptus usus in Ecclesia nostra, ut subdiaconus frequenter legat lectionem ad missam cum hoc non reperiatur ex ministerio sibi dato in consecratione commissum, neque ex litteris canonicis, neque ex nomine suo subdiaconus, ut monstratum est, quia sub diacono positus est*, etc. Neque etiam habetur in concil. Toletano IV, cap. 26, in restitutione subdiaconi degradati.

737. *Ordo qualiter in Romana Ecclesia*, etc. Ita in Editis et in Cod. Ratoldi. At in Cod. Rhemensi additur *subdiaconi*, quia in illo Codice hæc præfiguntur *ordinationi subdiaconi.*

738. *De titulo ill. et ill.* Ita in Excusis, et in Cod. Rhemensi. Sed in Cod. Ratoldi istorum verborum loco hæc habentur: *Illum subdiaconum, vel diaconum. Tunc nominat illos de titulo sanctæ Mariæ, vel sancti Petri et aliorum.* Sed nihil ejusmodi repereris in Ordine Romano et in Cod. Tiliano. In Pontificali Romano hæc consuetudo antiquatur. Hæc autem specialiter intelligenda videntur de titulis, qui Romæ existunt, ad quos ordinantur diaconi vel presbyteri cardinales, qui ita appellantur, quod suis titulis seu ecclesiis sint veluti incardinati atque infixi, hoc est stabiles.

Mos etiam olim inoleverat ut nulli clerici ordinarentur nisi ad certam quamdam ecclesiam, martyrium, seu monasterium alicujus civitatis, aut pagi, ut statuitur can. 6 concil. Chalcedonensis. Quod si hoc tempore, quo mundus vagis sacerdotibus plenus est, observaretur, ad quantam gloriam et decus se res ecclesiastica attolleret, dici non potest.

739. *Presbyterum de titulo ill.* Ita in Editis. In Codicibus Ratoldi et Rhemensi, hæc **497** verba desunt, et rectius, ut arbitror. Nam hic tantum quæstio est de promotione subdiaconi ab diaconium, et diaconi ad presbyterium.

740. *Si quis habet aliquid*, etc. Olim de ordinandorum moribus, ingenio et capacitate diligenter perquirebatur, ut manifestum est ex edicto Theophili mox citando, ex sancto Leone, epist. 88: *Exspectarentur sane vota civium, testimonia populorum, quæreretur honoratorum arbitrium, electio clericorum, quæ in sacerdotum solent ordinationibus ab his qui norunt patrum regulas custodiri, ut apostolicæ auctoritatis norma in omnibus servaretur, quæ præcipit ut sacerdos Ecclesiæ præfuturus non solum attestatione fidelium, sed etiam eorum qui foris sunt testimonio muniatur;* concil. Carthag. III, can. 22: *Ut nullus ordinetur clericus, nisi probatus vel episcopi examine, vel populi testimonio;* sancto Cypriano, epist. 33: *In ordinationibus clericis, fratres charissimi, solemus vos ante consulere, ac mores et merita singulorum communi consilio ponderare.* Idem habetur epist. 68, et apud sanctum Basilium, epist. 181, ubi hæc materia fusius tractatur. Idem videre licet apud Lampridium in Alexandro Severo: *Ubi aliquos voluisset vel rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores*, id est, *rationales ordinare; nomina eorum proponebat, hortans populum ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis. Dicebatque grave esse quod id Christiani et Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus et fortunæ hominum committerentur et capita.*

Quare et publice ordinandi sunt clerici, ut episcopus de his palam sciscitetur a populo, ut in nostris Codicibus manuscriptis videtur, juxta antiquum mo-

rem, quem notare licet in edicto Theophili patriarchæ Alexandrini, can. 6: *De his qui ordinandi sunt hæc erit forma, ut quidquid est sacerdotalis ordinis consentiat et eligat, et tunc episcopus examinet, vel ei etiam assentiente sacerdotali ordine*, χειροτονεῖν ἐν μέσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ παρόντος τοῦ λαοῦ, καὶ προσφωνοῦντος τοῦ Ἐπισκόπου, εἰ καὶ ὁ λαὸς δύναται αὐτῷ μαρτυρεῖν. Χειροτονία δὲ λαθραίως μὴ γινέσθω. Id est: *Ordinet præsente populo, et episcopo alloquente, an possit, et populus ei ferre testimonium. Ordinatio autem non fiat clanculum.*

741. *Incipiunt omnes Kyrie eleison, cum Litania.* In Codice Rhemensi, et in Ordine Romano, nihil tale exstat. Hæc litania olim erat breviuscula, quam hic subjiciam ex Codice Ratoldi.

Kyrie eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti angeli, orate.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Omnes sancti apostoli, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Line, ora.
Sancte Clete, ora.
Omnes sancti martyres, orate.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Leo, ora.
498 Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes sancti confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Agatha, ora.
Omnes sanctæ virgines, orate.
Omnes sancti, orate.
Propitius esto, libera nos, Domine.
Per adventum tuum, libera, Domine.
Per nativitatem tuam, libera, Domine.
Per circumcisionem tuam, libera, Domine.
Per baptismum tuum, libera, Domine.
Per jejunium tuum, libera nos.
Per crucem tuam, libera.
Peccatores, te rogamus.
Ut apostolicum nostrum. Ut regem nostrum. Ut episcopum nostrum. Fili Dei, te rogamus, *ter*. Agnus Dei qui tollis, *ter*. Christe audi nos, *ter*.

Nota superiorem litaniam quam edidimus, esse antiquioris formæ hac præsenti, in qua ubi τὸ *nos* desideratur supplendum est.

742. *Solus episcopus qui eum benedicit, manus super caput illius ponat.* Ita in Editis, in Codicibus Rodradi, et Ratoldi, et in concilio Carthag. IV, can. 4. Hunc tamen ritum improbat Amalarius, lib. II, de Offic. eccl., cap. 12. Vultque manum imponi Diacono non solum ab episcopo, sed a cæteris presbyteris: *Est libellus quidam, inquit, apud nos de sacris Ordinibus, nescio cujus auctoritatis, qui dicit solum episcopum debere manus imponere super diaconum, quia non ad sacerdotium consecratur, sed ad ministerium. Nunquid scriptor libelli doctior atque sanctior apostolis, qui posuerunt plures manus super diaconos, quando consecrabantur?* Quod miror, quia concilium Carthag. IV, Ordo Romanus (ut librum Pontificalem omittam) libri Sacramentorum tam Editi, quam mss. conveniunt cum ipso libello; neque ratio Amalarii multum cogit, quia cum hæc prima ordinatio fieret ab apostolis simul congregatis, æquum erat ut omnes manus imponerent, quamvis id minime esset necessarium, cum unicus sufficere potuisset. Sed et communi huic doctrinæ favet magnus Dionysius, cap. 5 lib. de ecclesiast. Hierarch.: Ὁ δὲ λειτουργὸς ἕνα τοῖν ποδοῖν κλίνας ἐπίπροσθε τοῦ θείου θυσιαστηρίου ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου δεξιὰν, τελειούμενος ὑπ' αὐτοῦ ταῖς τῶν λειτουργῶν τελειωτικαῖς ἐπικλήσεσιν. Id est: Diaconus vero genu altero flexo ante altare, dexteram manum pontificis qui eum consecrat super caput habet, ab eo consecratus iis precationibus quibus diaconi consecrari solent. [a] Opinioni Amalarii favere videtur Pontificale ms. quod est in secretario ecclesiæ Rothomagensis, videturque esse Anglicanum, in quo hæc addduntur: *Reliqui vero sacerdotes juxta manum episcopi caput illius tangant, quia non ad sacerdotium*, etc.

743. *Oremus, dilectissimi*, etc. Ita in Editis, et in Cod. Ratoldi, atque in Ordine Romano. In Cod. Rhemensi, sicut in Pontificali Romano, hæc Oratio paulo prolixior habetur; quam præcedit, tum in Ordine, tum in Pontificali Romano ejusmodi allocutio Pontificis: *Commune votum*, etc. Quæ in Codice Rhemensi exstat post consecrationem *Adesto, quæsumus, omnipotens Deus*, etc., et ei præfigitur hic titulus *Ad consummandum diaconatus officium*. In Codice Ratoldi habetur in fine ordinationis sub eodem titulo.

744. *Exaudi, Domine, preces nostras*, etc. Ita in Editis, in Ordine Romano, et in Codicibus Rodradi et Ratoldi; exstat in Pontificali Romano.

499 745. *Adesto, quæsumus, omnipotens Deus*, etc. In Editis præfigitur *Vere dignum*, etc., ut in Pontificali Romano; quod non habetur in aliis Codicibus nostris mss. nec in Ord. Rom. Unde supra in hoc Codice sancti Eligii scriptum est: *Et non dicitur Vere dignum in consecratione.*

746. *Honorum.* Ita in omnibus aliis Codicibus nostris mss. et in Pontificali Rom. Sed in Excusis, in Cod. Tiliano, et in Ordine Romano legitur *bonorum*, non ita recte. Hæc enim vox *honor* dicitur de tribus excellentioribus ordinibus diaconatu, presbyteratu, et episcopatu. Ennodius, in Eucharistico: *Ordinasti ut per officium levitarum coactus sanarer, et impacti honoris sarcina quod premebat a me pondus amoveret.* Et in Vita sancti Epiphanii Ticinensis: *Post ad diaconii evectus infulas vicesimum annum ætatis ascendit, turbabatur suscepti honoris tyrocinio.* Sanctus Cyprianus, epist. 34: *Cæterum presbyterii honorem designasse nos illis, ut sciatis.* Epist. 65: *Fungeris circa eum potestate honoris tui, ut eum vel deponas, vel abstineas.* Et epist. 68: *Ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.* Optatus Milevitanus, lib. II adversus Parmenianum: *Honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes.* Et infra, agens de Donatistis qui diaconos, presbyteros et episcopos catholicos abdicaverant, et pœnitentiam agere coegerant: *Et cum possetis esse filii Dei, filii hominum esse voluistis, et ad infigendum morsum honoribus alienis, linguas acuistis in gladios. Implestis in vobis quod in psalmo* LVI *scriptum est: Filii hominum dentes eorum, arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus. Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis in mortes non corporum, sed honorum; jugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia vivi sunt homines, et occisi sunt honores a vobis: valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis.* Et infra: *Esuritis honores innocentium sacerdotum.* Et paulo post: *Gutturi vestro honorum funera non sufficiunt.* Sanctus Augustinus, lib. II adversus epistolam Parmeniani, cap.

[a] Circa ritum hunc variant Codices mss.; alii enim solum episcopum ordinando diacono manum imponere præcipiunt, ut Gemet. et vetustissimum Pontificale Egberti Eborac. arch. ante annos CM litteris Saxonicis scriptum; alii jubent astantes presbyteros, post impositionem manuum episcopi, caput ordinandi tangere, ut Codices Noviomensis et Reg. Nostrum Edm. Martene consule, de antiq. eccles. Ritibus, cap. 8, de Ritib. ad sacram. ord. spectantibus.

11 : *Et cum expedire non videatur Ecclesiæ ut præpositi eorum venientes ad catholicam societatem honores suos ibi non administrent, non eis tamen ipsa ordinationis Sacramenta detrahuntur, sed manent super eos.* Concilium Arelatens. IV, can. 1 : *Episcopatus vero vel presbyterii honorem nullum laicus ante præmissam conversionem, vel ante* XXX *ætatis annos accipiat.* Et can. 2 : *Sed nec reliqui Pontifices presbyterii vel diaconatus honorem conferre præsumant*, etc.

Ita apud Græcos de his tribus ordinibus dicitur vox τιμή, id est honor. Concilium Nicænum, can. 8 : Ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει : Id est, qui autem apud eos qui Cathari dicuntur episcopus nominatur, presbyteri honorem habebit. Concil. Ancyranum, can. 2 : Διακόνους ὁμοίως θύσαντας, μετὰ δὲ ταῦτα ἀναπαλαίσαντας, τὴν μὲν ἄλλην τιμὴν ἔχειν, id est, diaconos similiter qui sacrificaverint, postea autem reluctati sint, alium quidem honorem habere. Et can. 18 : Ἐὰν δὲ στασιάζωσι πρὸς τοὺς καθισθῶντας ἐκεῖ Ἐπισκόπους, ἀφαιρεῖσθαι αὐτοῖς τὴν τιμὴν τοῦ πρεσβυτερίου, id est, quod si adversus eos qui illic episcopi constituti sunt seditiones moverint, honorem presbyterii ab eis auferri. Synesius, epist. 67, agens de episcopis : Κρατοῦνται δὲ τὰς τιμὰς, id est, fruuntur honoribus, eo vagantes ubi majus compendium est. Et infra : Τάχυ γὰρ ἂν ἐπανέλθοιεν, εἰ περὶ τῆς τιμῆς κινδυνεύοιεν, id est, nam citius ad sua loca reverterentur, si honoris sui jacturam metuant.

Cum autem diaconatus sit honor in Ecclesia et supra sacer ordo appelletur, ex hoc internoscere possumus quanta sit hujus ordinis dignitas, quæ in hoc maxime consistit, **500** ut proxime assistat sacerdoti sacra facienti, sitque ejus in tanti mysterii celebratione adjutor, cui juxta sanctum Ambrosium, libro primo de Officiis, cap. 41, commissa est dominici corporis et sanguinis consecratio. Quod sic intelligendum est, Petro Cantore interprete, lib. ms. de Verbo mirifico, cap. 41 : *Experire etenim utrum ministrum idoneum elegeris, cui commisisti dominici corporis et sanguinis consecrationem, non ad conficiendum, sed ad assistendum : qui sicut secretarius altaris particeps est confectionis Eucharistiæ; non quia sumat et conficiat, non quia hoc sine eo non possit fieri; sed quia celebrius, et in majori reverentia conficitur corpus Domini cum præsentia ministri et testimonio ejus.* Ex quo Petri textu manifestum est locum [a] sancti Ambrosii esse corruptum; nam in veteribus et recentioribus illius Editionibus deest τὸ *corporis*, et in recentioribus τὸ *consecrationem* mutatum est in τὸ *dispensationem*. Cum in veteribus sit τὸ *consecrationem*, Basileæ editis anno 1492, ut in Cod. ms. biblioth. Corbeiensis, in quo non est τὸ *corporis*.

747. *Quæ sunt agenda concedere.* In Pontificali Romano hæc sequuntur interposita : *Hic solus pontifex manum dexteram extendens ponit super caput cuilibet ordinando, et nullus alius, quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur, dicens singulis : Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus in nomine Domini.* Quæ priora verba, *Hic solus pontifex*, etc., aut saltem similia non habentur hoc loco in Excusis, nec in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, nec in Codice Tiliano, nec in Ordine Romano, sed præmittuntur Orationi huic : *Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem*, etc. In Codice vero Rodradi nusquam habentur, quia in eo nullæ sunt rubricæ in ordinationibus episcopi, presbyteri, et diaconi. Posteriora vero illa verba, *Singulis dicens, accipe Spiritum sanctum ad robur*, etc., nullatus exstant in Editis, nec in aliis Codicibus nostris mss., hoc est, Rhemensi, Rodradi, et Ratoldi, nec in Ordine Romano, nec in Codice Tiliano.

748. *Quando stolam induis, per hoc signum vobis diaconatus officium*, etc. Hæc desiderantur in Codice Rodradi. In Codice Ratoldi formula verborum singulariter effertur. In Ordine et Pontificali Romano stola induitur sub alia verborum formula. In eodem Ordine Romano sequitur traditio lib. Evangeliorum sub hac forma : *Accipite potestatem legendi Evangelium*, etc., ut in Pontificali Romano, et in Codice Tiliano.

Sed hæc porrectio libri Evangeliorum cum sua forma abest ab Editis, et a Codicibus Rhemensi, Rodradi, et Ratoldi, nec habetur in concilio Carthaginensi IV, nec apud sanctum Isidorum, Amalarium, Alcuinum, et Rabanum; nec erat olim in antiquissimo Ordinario Ecclesiæ Aniciensis quo utebatur Durandus in ordinum collatione, ut ipse testatur in IV sent., dist. 24, quæst. 3 : *Sed contra hoc argui potest quia illud in quo imprimitur character debet observari, et probabile est quod observetur in omni Ecclesia, sed traditio libri in ordinatione diaconi non observatur in omni Ecclesia, nec antiquitus forsitan observabatur in aliqua Ecclesia. Unde secundum Ordinarium antiquissimum Ecclesiæ Aniciensis, cui præfuimus, liber Evangeliorum non tradebatur diacono in ordinatione sua; sed nos volentes nos conformare cæteris Ecclesiis, posuimus de manu nostra in margine dicti Ordinarii quod liber Evangeliorum tradatur cum consueta forma verborum. Quare non videtur quod in traditione libri imprimatur character diaconatus. Et ideo alia opinio est quod character imprimitur in impositione manuum. Per quod datur intelligi quia applicatur* **501** *ad magnum ministerium. Et huic videtur canon concordare 23, distinctione ubi dicitur quod cum ordinatur diaconus, solus episcopus ei manum imponit, eo quod ad ministerium applicetur.* Quare mihi videtur frigida responsio illorum (quæ nec in mentem Durandi venit) qui dicunt Ecclesiam Aniciensem in hoc errasse, cum manifestam videamus conformitatem hujus veteris Ordinarii præfatæ Ecclesiæ cum supra citatis Sacramentorum Codicibus, auctoribus, et concilio Carthag. IV. Nec obstat quod diaconi ex veteri consuetudine legant Evangelium, ut apparet ex epist. sancti Hieronymi ad Sabinianum : *Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas*, non enim semper et ubique in Ecclesia fuit, ut clarum est ex his quæ supra de lectoribus documus ex sancto Cypriano, et conc. Toletano I. Quod confirmatur ex Sozomeno lib. VII, cap. 19 : Ταύτην τὴν ἱερὰν βίβλον (εὐαγγέλιον) ἀναγινώσκει ἐνθάδε μόνος ὁ Ἀρχιδιάκονος, παρὰ δὲ ἄλλοις διάκονοι. Ἐν πολλαῖς δὲ ἐκκλησίαις οἱ ἱερεῖς μόνοι, ἐν δὲ ἐπισήμοις ἡμέραις Ἐπίσκοποι, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει κατὰ τὴν πρώτην ἡμέραν τῆς ἀναστασίμου ἑορτῆς. Id est : Sacrum hunc librum (Evangelium) legit hic (Alexandriæ) solus archidiaconus, apud alios vero diaconi, in multis Ecclesiis soli sacerdotes; diebus autem solemnibus, episcopi, ut Constantinopoli prima feria Resurrectionis dominicæ. Nec dicendum est hos presbyteros et episcopos etiam diaconos fuisse. Id enim minime certum est, cum olim, prætermisso diaconio, multi episcopi et presbyteri crearentur.

Huic doctrinæ favet quod cum diaconi primum instituti sunt, nondum erant scripta Evangelia. Tandem, in concilio Toletano IV, can. 27, diaconus degradatus accipit tantum orarium et albam cum suæ dignitati restituitur : *Si Diaconus*, inquit concilium, *orarium et albam*, nulla facta libri Evangeliorum mentione, recipit enim id quod prius in sua ordinatione acceperat, ut est in eodem canone, qui ita se habet : *Episcopus, presbyter aut Diaconus, si a gradu suo in-*

[a] Consule novam operum Ambrosii Editionem ad hunc locum, qui sic profertur : *Cui commisisti dominici sanguinis consecrationem.* Favent tamen lectioni Petri Cantoris decem Cod. mss. Gallic. et unus Vatic. De mutatione vocis *consecrationem* in *dispensationem*, lege notam eruditissimorum Editorum, qua locus hic luculentissime illustratur.

... ensis dejectus, in secunda synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu episcoporum; si episcopus est, orarium, annulum et baculum; si presbyter, orarium et planetam; si diaconus, orarium et albam; si subdiaconus, patenam et calicem. Sic et reliqui gradus ea in reparationem sui recipiant quæ, cum ordinarentur, perceperant. Ubi hæc verba: *Nisi amissos gradus recipiat*, non ita capienda sunt, quasi ejusmodi seu episcopus, seu presbyter, seu diaconus, seu subdiaconus, degradatus gradu suo penitus privatus sit, sed hæc amissio gradus intelligitur duntaxat quoad facultatem ministrandi in tali ordine, et quoad communionem clericalem, ita ut ejusmodi dejectus non posset amplius fungi ordinis sui ministerio, nec communicare cum clericis, sed cum laicis tantum. Quare restitutio ejusmodi instrumentorum non est iterata ordinatio, sed tantum ritus quidam exterior quo significatur ejusmodi dejectum posse jam suo ministerio fungi, et communicare cum clericis; B alioqui iteranda fuisset manus impositio quæ his ordinibus est essentialis (si subdiaconatum exceperis, qui per manus impositionem non confertur), quod tamen hic non apparet. In Pontificali ms. supra citato, quod Anglicanum esse creditur, exstat libri Evangeliorum traditio sub hac forma: *Accipe istud volumen Evangelii; lege et intellige, et aliis trade, et tu opere adimple.*

Tandem post indutam stolam in Ordine Romano, et in codice Rhemensi sic habetur: *Sequitur benedictio: Domine sanctæ fidei, spei, gratiæ*, etc. In Codice Ratoldi: *Benedictio post stolas super omnes: In nomine sanctæ Trinitatis, et unicæ divinitatis. Alia: Domine sanctæ fidei, spei, gratiæ*, etc. *Ad consummandum diaconatus officium. Commune votum permaneat, communis Oratio prosequatur*, etc.

In citato Pontificali Anglicano ms., post traditionem libri Evangeliorum diaconi manus unguntur; ita enim habetur: *Consecratio manuum diaconi de oleo atque chrismate.* **502** *Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, et sanctificentur per istam unctionem tuamque benedictionem, ut quæcunque benedixerint benedicta sint; et quæcunque sanctificaverint, sanctificata sint. Per.* C Et sane olim in Gallia hic mos inoleverat ut manus diaconis ungerentur; quod manifestum est ex epistola Nicolai papæ I, ad Rodulphum archiepiscopum Bituricensem (*Tom. III Conc. Galliæ*): *Præterea sciscitaris utrum solis presbyteris, an diaconibus debeant, cum ordinantur, manus chrismatis liquore perungi.* Quod non interrogasset pontificem maximum Rodulphus, nisi id moris esse in diaconorum ordinatione alicubi in Gallia compertum habuisset.

749. *Presbyter cum ordinatur*, etc. Ita in Editis et in manuscriptis nostris Codicibus Rhemensi, Ratoldi, Tiliano et sancti Germani a Pratis. In Ordine Romano, et in concilio Carthag. IV, can. 3, et in Pontificali ms., quod Anglicanum esse putatur, pro his verbis, *super ejus caput teneant*, legitur *super illius ponant caput*. In Pontificali Romano hæc omnia aliter in hunc modum habentur: *Pontifex stans ante faldistorium cum mitra, et nulla Oratione nulloque cantu præmissis, imponit simul utramque manum super capita cujuslibet ordinandi successive, nihil dicens, idemque faciunt post eum omnes sacerdotes qui adsunt.*

750. *Oremus, dilectissimi*, etc. Ita in Editis et in Cod. Rodradi et Ratoldi; ita etiam in Codic. Rhem. et in Ordine Romano, in quibus præmittitur allocutio ad populum in hunc modum: *Quoniam, dilectissimi fratres*, etc. In Pontificali Romano hæc Oratio plurali numero enuntiatur.

751. *Exaudi nos, quæsumus, Domine Deus noster*, etc. Ita in Excusis, et in Codicibus Rhemensi, Rodradi, et Ratoldi, atque etiam in Ordine et Pontificali Romano, in quibus præmittitur, *Flectamus genua, levate.*

752. *Consecratio.* Ita in Editis et in Codice Rodradi. A In Codicibus Rhemensi et Ratoldi additur τὸ *presbyteri.* In Pontificali Romano hæc duo vocabula desiderantur. In Ordine Romano legitur *consecratio eorumdem.*

753. *Domine sancte, Pater omnipotens*, etc. In Codice Ratoldi hæc præmittuntur, *Dominus vobiscum*, etc. *Sursum corda*, etc. In Pontificali Romano his præmittitur *Per omnia sæcula sæculorum.* In Codice Rhemensi hanc Orationem hæc sequuntur: *Consummatio presbyteri sit nobis, fratres, communis Oratio. Item Benedictio: Deus, sanctificationum auctor.* Quæ non exstant in Excusis, neque in Codice Rodradi. Habentur quidem in Codice Ratoldi, sed post unctionem manuum et capitis; in Ordine etiam Romano, sed post indutam casulam. At in Pontificali desideratur *consummatio presbyteri, sit nobis, fratres, communis oratio*, etc. Sed post indutam casulam dicitur: *Deus sanctificationum auctor.*

754. *Honorum.* In Editis, et in Ordine Romano, legitur τὸ *bonorum*, non ita recte. Vide paulo ante annotata.

755. *Pontifices summos.* Id est, episcopos. Ita enim appellati sunt episcopi. Fortunatus, lib. XI, epigr. 13:

> Pontifici summo nos commendare precamur;
> Regibus et dominis ferte salutis opes.

Intelligit enim ibi sanctum Germanum Parisiorum episcopum. Consule ob ervationes nostras ad Martyrologium sanctorum ordinis sancti Benedicti, et Joannem Savaronem, ad epist. 11 lib. IX Sidonii. Hanc autem Orationem in Codice Ratoldi subjecta sequuntur: *Modo convertat stolam in collo, et induatur casula. Per hæc indumenta stolam et casulam salutis indui merearis, et æternæ perpetuitatis plenitudinem cum sanctis sacerdotibus Christo ministrante capessere valeas.* In Ordine quidem et Pontificali Romano **503** idem ritus exstat, sed sub alia verborum formula: *Accipe jugum Domini*, etc. Exstatque idem ritus in Euchologio Græcorum in ordinatione presbyteri: καὶ φέρει τὸ ὄπισθεν ὀράριον αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ἔμπροσθεν τοῦ δεξιοῦ μέρους, id est, et posteriorem orarii illius partem transfert ad anteriorem ex parte dextra. Hinc capiendus est locus concilii Bracarensis III, can. 3: *Scilicet, ut cum sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat quam orario utroque humero circumseptus, sicut et tempore ordinationis suæ dignoscitur consecratus; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet* [*Alibi* præferat] *crucis. Si quis autem aliter egerit, excommunicationi subjaceat.*

Orarium autem est quod vulgo stolam dicimus, de quo vide Joannem Meursium in Lexico Græcobarbaro, et Isaacium Casaubonum, ad Flavium Vopiscum, in Vita Aureliani. Quod orarium sive stola detur in sua ordinatione presbyteris, patet etiam ex concilio Toletano IV, can. 27. Græcis dicitur ἐπιτραχήλιον, ut clarum est ex Theoria mystica sancti Germani patriarchæ Constantinopolitani, quia circum collum D componitur.

756. *Hic vestis et casulam. Benedictio Patris, et Filii*, etc. Ita in Editis, et in Codice Rhemensi. In Ordine et Pontificali Romano habetur: *Accipe vestem sacerdotalem*, etc. In Codice Ratoldi legitur: *Benedictio post casulas super omnes. Benedictio Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et his sacerdotalibus vestibus induti, protecti et muniti esse valeatis ab omnibus impugnationibus malignorum spirituum, et sitis benedicti in nomine Domini nostri et in virtute Spiritus sancti in ordine sacerdotali, et offeratis hostias placabiles pro peccatis atque offensionibus omnipotenti Deo, cui est honor et gloria.* In concilio Toletano IV, can. 27, presbytero in sua ordinatione planeta datur, quæ idem est ac casula.

757. *Consecrentur manus istæ*, etc. Ita in Editis, et in Cod. Rhemensi. In Codice Ratoldi legitur *Consecrentur manus istæ, quæsumus, Domine, de oleo*

suncto, et de chrismate sancto, etc. In Codice Tiliano, Ordine et Pontificali Romano, sic habetur: *Consecrare, et sanctificare digneris, Domine, manus istas.* In Codice Rodradi hæc manuum unctio desideratur. De unctione manuum presbyteri in ejus ordinatione hæc reperire est apud Burchardum, lib. II, cap. 55, ex dictis sancti Augustini loquentis ad presbyteros: *Unde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ consecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis, unctionis; ut nec ab eadem degeneretis, ne manus sacro unguine delibutas peccando polluatis.* Apud Amalarium lib. I de Offic. Eccl., cap. 13: *Hunc morem tenent episcopi nostri, manus presbyterorum ungunt de oleo.* Illius mentio fit in epistola Nicolai papæ I, ad Rodulphum Bituricensem archiepiscopum, in qua dicit eam non esse in Ecclesia Romana usitatam, dubitatque an ullibi fuerit aliquando; quod miror propter auctoritates supra citatas, et quosdam ex Codicibus nostris mss., qui usum Romanum sequuntur, ipso Nicolao papa antiquioribus, tum maxime quia remittit ipsum Rodulphum ad epistolam Innocentii I, scriptam ad Decentium Eugubinum, in qua de hac re, ut de Ordinationibus, ne γρὺ quidem, quarum tamen Nicolaus mentionem facit.

Hæc autem manuum unctio fiebat in modum crucis, ut planum est ex Ordine Romano: *Expleta autem Oratione accipiens oleum sanctum, faciat crucem super ambas manus*, etc. Hæc unctio aliter fit in Pontificali Romano. In Codice Ratoldi additur unctio capitis sub hoc titulo, et formula: UNGATUR CAPUT. *Ungatur caput tuum et consecretur cœlesti benedictione in ordine sacerdotali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Pax tibi.* Idem videre est in Pontificali ms. quod servatur in secretario ecclesiæ Rothomagensis, putaturque **504** esse Anglicanum: CONSECRATIO CAPITIS CUM OLEO. *Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti Benedictione in ordine sacerdotali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Pax tibi*, ℟. *Et cum Spiritu tuo.* Quæ quidem unctio capitis cum sua formula non exstat in Editis, neque in aliis Codicibus nostris mss. neque in Ordine et Pontificali Romano.

Sequitur in Codice Ratoldi: ITEM BENEDICIT MANUS SACERDOTUM. *Benedic, Domine, has manus, et sanctifica sacerdotem ill. ad consecrandas Hostias quæ pro delictis atque negligentiis populi offeruntur, et ad cætera benedicenda, quæ ad usus populi necessaria sunt; et præsta, quæsumus, ut quæcunque benedixerint benedicantur, et quæcunque sacraverint sacrentur, Salvator.* Tandem in Pontificali Romano sequitur traditio patenæ cum Hostia superposita, et calicis cum vino et aqua sub hac verborum forma: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini.*

In Ordinibus mss. sancti Germani a Pratis, et Tiliano, et in Ordine Romano exstat ejusmodi instrumentorum traditio cum sua forma, quæ tamen ibi pluraliter effertur: *Accipite potestatem*, etc., nec in eis ulla fit aquæ mentio. Sed hæc traditio cum sua forma deest in Sacramentariis excusis, ut in Codicibus mss. Rhemensi, Rodradi, sancti Eligii, et Ratoldi, atque etiam in Pontificali ms. quod putatur esse Anglicanum. Non habetur etiam in concilio Carthag. IV, toties citato, nec in concilio Toletano IV, can. 27, neque ulli antiqui Patres mentionem aliquando fecerunt; non sanctus Isidorus, non Amalarius; non Rabanus, non Constitutiones apostolicæ, lib. VIII, cap. 16 et sqq., non omnium antiquissimus Dionysius magnus, qui de sacris ordinibus dedita opera, et ex professo tractavere; nihilque simile in sacris Scripturis repereris; neque Christus, in suprema illa cœna apostolos instituens sacerdotes, illis ejusmodi porrexit instrumenta; neque tum tradidit eis panem et vinum, sed corpus suum et sanguinem sub speciebus panis et vini. His consentit Ecclesia Orientalis, seu Græca, quæ ejusmodi instrumentorum traditione in presbyterorum ordinatione non utitur, ut palam est ex eorum Euchologio, quod infra sumus producturi; nec tamen Ecclesia Romana unquam eorum ordinationem improbavit, quæ permittit ut apud nos Græci presbyteri Missas faciant, nobis eas audientibus, quemadmodum etiam in eorum regione facimus, illis celebrantibus; quod esset intolerabilis idololatria, si non essent vere ordinati. Neque in concilio Florentino, in quo Græci cum Ecclesia Romana sunt reconciliati, unquam de eorum ordinationibus dubitatum est; neque in unione Armenorum, cum ipsis Armenis Eugenius IV tradidit ritum Ecclesiæ Romanæ in ordinationibus observandum, pristinas eorum ordinationes irritavit; neque Clemens VIII Russorum episcopos, presbyteros et diaconos, qui ritum Græcorum servabant etiam in suis ordinationibus, cum eos in gratiam Ecclesiæ Romanæ recepit, iterum ordinari censuit. Itaque dicendum est materiam essentialem diaconatus, presbyteratus et episcopatus in manus impositione sitam esse.

Nihil aliud sonat Scriptura Actorum VI, in septem diaconorum ordinatione: *Orantes imposuerunt eis manus.* I Tim. IV: *Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii.* Et cap. V: *Manus cito nemini imposueris.* II Tim. I: *Propter quam causam admoneo te ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Confirmatur auctoritate Dionysii magni, cap. 5 Hierar. eccl., qui ex professo agens de præfatis tribus ordinibus, nihil præter manuum impositionem ad eorum materiem requirit.

Hoc patet etiam ex sancto Hieronymo, cap. LVIII Isaiæ: *Ordinatio non solum ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem impletur manuum*; divo Ambrosio, lib. de Dignitate sacerdotali, cap. 5: *Homo imponit manum, Deus largitur gratiam: sacerdos imponit supplicem* **505** *dexteram, Deus benedicit potenti dextera*; concil. Hispalensi II, can. 5: *Quinto judicio ad agnitionem nostri examinis Agabiensis diaconi relatu deductum est de quibusdam ipsius Ecclesiæ clericis, quorum dum unus ad presbyterium, duo ad levitarum ministerium sacrarentur, episcopus eorum, oculorum dolore detentus, fertur manum suam super eos tantum posuisse, et presbyter quidam illis contra ecclesiasticum ordinem benedictionem dedisse.* Quæ ordinationes a concilio irritantur, quia benedictio fuerat a presbytero pronuntiata. Quod etiam liquet ex Synesio, epist. 66: Ὑπὸ τῶν ἐκείνου χειρῶν ἐπίσκοπος ἀνεδείχθη τῆς Βιθυνῶν Βασινοπόλεως, id est, illius manibus episcopus Basinopolis in Bithynia consecratus est. Et epist. 76: καὶ ὧν τῇ θατέρου χειρὶ πρεσβύτερος ἀπεδέδεχθο, id est, quorum alterius manu presbyter sacratus fuerat.

Multos alios prætermitto, brevitatis causa. Non tamen multus et nimius ero, si auctoritatem recentioris scriptoris viri gravissimi et doctissimi Mariani Victorii, episcopi Amerini, protulero, qui ad epistolam sancti Epiphanii, quæ exstat inter epistolas sancti Hieronymi, tom. II, sic ait: *Ordinatio autem fiebat cum Oratione et manus impositione, quemadmodum nunc Ecclesia utitur*, etc.

Hic igitur vides ordinationem ad manuum impositionem impleri, et ad eamdem Spiritus sancti gratiam conferri; ac proinde efficitur manuum impositionem non esse ordinationi accidentariam, nec esse solam dispositionem ad gratiam, ut quidam volunt. Præterea non est credibile concilia et Patres tantum de his quæ sunt ordinationi contingentia locutos fuisse, de his vero quæ sunt illi essentialia tacuisse, præsertim concilium Carthaginense IV, quod enucleatius omnia quæ ad ordinum materiem spectant describit.

Nec valet id quod quidam respondent, concilium non omnia posuisse, quia librum Pontificalem non scribebat. Nam etsi concilium librum Pontificalem non scriberet, non erat tamen adeo difficile ac tædiosum traditionem instrumentorum in trium illorum ordinum hierarchicorum explanatione annotare,

cum id una aut altera linea fieri potuisset, ut in inferioribus ordinibus factum fuerat. Præterea libri Sacramentorum a nobis producti erant libri Pontificales, quibus utebantur pontifices in ordinum collatione, ergo in illis omnes essentiales materiæ assignantur; at nihil aliud continent quam concilium Carthaginense IV. Igitur in ipso concilio omnes ordinum materiæ essentiales continentur. Cum autem concilium in hac parte mire conveniat cum sacra Scriptura, aliis antiquis conciliis, Patribus ac libris Sacramentorum, necessario concluditur illud quoad materiæ essentialis assignationem in tribus illis ordinibus nihil prætermisisse. Deinde si concilium materias essentiales inferiorum ordinum tam diligenter assignavit, cur idem in aliis ordinibus quæ sunt gravioris ponderis et momenti non præstiterit? Si dicas ideo prætermissas fuisse, quia vulgares et notæ sunt, idem etiam de materiis inferiorum ordinum, quæ sunt æque vulgares ac notæ, dicendum erit.

Tandem hæc doctrina manifeste colligitur ex eodem concilio, can. 5, ubi agens de ordinatione subdiaconi sic ait : *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu episcopi accipiat vacuam, et calicem vacuum*, etc. Si igitur traduntur instrumenta subdiacono, quia non ei manus imponuntur, recte sequitur tribus illis superioribus ordinibus non esse necessariam instrumentorum traditionem, quia manus illis imponuntur, ac proinde nihil de materia illis essentiali a concilio fuisse prætermissum. Quare quemadmodum inferiores ordines sola instrumentorum porrectione sine manuum impositione, sic tres illi superiores sola manuum impositione sine instrumentorum traditione perfici possunt, et par utrobique ratio a contrario.

His accedit auctoritas Facultatis theologicæ Parisiensis aliarum facile principis, in cujus thesibus publicis hæc doctrina vulgo defenditur, ut in quadam thesi 7 Junii, anno 1633, quam profert reverendissimus ac doctissimus **506** Pater Jacobus Sirmondus, cap. 8 Antirrhetici, cui inditum est : *Quibus ordinibus impositio est manuum, his solam sufficere ad valorem firmitatemque sacramenti.* In thesibus Jacobi de Montrouge Parisini baccalaurei Navarrici, Ecclesiæ Andegavensis canonici, ordinarii reginæ eleemosynarii, die 19 Januarii, anno 1639, pro majore ordinaria in scholis theologorum regiæ Navarræ, præside S. M. N. Alberto de Saint-Gilles doctore Parisiensi, apud Carmelitas theologiæ professore, dedicatis illustrissimo viro Augustino Potier Bellovacensium præsuli, et magno reginæ eleemosynario, in quarum octava positione hæc habentur : *In ordinatione ministrorum reperitur symbolum seu ritus externus, scilicet manus impositio, quæ in episcopis, presbyteris et diaconis, ut essentialis designatur; cætera ad integritatem materiæ duntaxat spectant.* In thesibus Renati Roberille baccalaurei theologi, et rectoris Universitatis studiorum, 21 Junii, eodem anno, in exterioribus Sorbonæ scholis, pro majore ordinaria præside S. M. N. Jacobo Charton doctore theologo, et socio Sorbonico, Ecclesiæ Parisiensis canonico, et Pœnitentiario presbytero, dedicatis illustrissimo viro Domino Petro Seguier Franciæ cancellario, in quarum octava positione hæc videre licet : *Impositio manuum essentialis materia, librorum aut vasorum porrectio accessoria.* In thesibus Joannis Heleyes Bajocensis baccalaurei Navarrici, pro majore ordinaria, in aula regiæ Navarræ, 13 mensis Octobris, eodem anno, præside S. M. N. Joanne Nicolai apud prædicatores theologiæ professore, dedicatis illustrissimo viro domino Henrico Ludovico Habert de Montmort marchioni, comiti, etc., in quarum ultima positione hæc scripta sunt : *In episcopis, presbyteris et diaconis integrans materia instrumentorum porrectio, essentialis manus impositio.* In thesibus Michaelis de Beauharnois Aurelianensis, baccalaurei Sorbonici, 10 Decembris, anno 1639, pro minore ordinaria, in exterioribus Sorbonæ scholis, præside S. M. N. Jacobo Pereyret doctore theologo, et professore Navarrico, dedicatis sanctæ memoriæ Roberto de Sorbona, in quarum quinta positione hæc continentur : *Populus omnis Christianus ita est gens sancta et regale sacerdotium, ut non tamen quilibet fidelis offerendi sacrificii habeat potestatem, sed qui divina vocatione consecratus est in presbyterum per episcopalem manuum impositionem, quam hierarchicorum ordinum essentialem arbitror materiam.* In thesibus Antonii Arnaud Parisini, baccalaurei Sorbonici, Ecclesiæ Virdunensis canonici, pro majore ordinaria, die 13 Januarii, anno 1640, in scholis Sorbonicis, præside S. M. N. Juliano Joubert, apud prædicatores Parisienses theologiæ professore, dedicatis verum Israelem vero de cœlo pane pascenti, in quibus hæc reperire est positione tertia : *Essentialis ad diaconatum, cæterosque superiores ordines materia manus impositio esse videtur.* Plures alias ejusmodi theses producere possem; sed ne sim nimius, supersedeo.

Nec est quod quis nobis opponat Bullam Eugenii IV, in qua videtur materiam diaconatus et presbyteratus in traditione instrumentorum constituere, siquidem explicanda est de materia accessoria, vel de integrante, ut aliis placet. Nonnulli dicunt materias fuisse dilatatas. Si vero pontifex nullam facit mentionem impositionis manuum, id factum est quia jam erat in usu apud Armenos, quibus peculiarem Ecclesiæ Romanæ ritum tradere volebat. Plura vide apud Petrum Arcudium, lib. VI de Sacramento ordinis, cujus opus Romæ approbatum est auctoritate Pauli V, pontificis maximi.

His autem ita constitutis, quid sit manus, seu manuum impositio (quandoquidem de illa controvertitur) quærendum est. Manus impositio est positio manus super caput alicujus; id palam est ex sancto Dionysio, cap. 5 eccl. Hierar. : Ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα, id est, super caput habet divinitus tradita oracula, id est Evangelium, et manum pontificis; et paulo post de presbyteri ordinatione : *Sacerdos, flexis genibus ante divinum altare*, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὴν ἱεραρχικὴν δεξιάν, id est, **507** pontificis dexteram super caput habet; et similiter de ordinatione diaconi scripsit : *Minister uno poplite flexo ante divinum altare*, ἐπὶ κεφαλῆς ἴσχε τὴν τοῦ τελοῦντος αὐτὸν ἱεράρχου δεξιάν, id est, dexteram illius qui eum initiat super caput habet. Consentiunt apostolicæ Constitutiones, lib. VIII, cap. 16 et sequentibus, ubi dicitur, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθει αὐτός, id est, manum super caput ipse impone. Clarum est etiam can. 3 concilii Carth. IV, de Ordinatione presbyteri : *Episcopo eum benedicente, et manum super caput ejus tenente*; et can. 4 : *Solus episcopus qui eum benedicit manum super caput illius ponat.* Idem patet ex Sacramentariis editis, et mss. sancti Eligii, Ratoldi, Rhemensi, ex Ordinibus mss. Tiliano, et sancti Germani a Pratis, et ex Ordine et Pontificali Romano, in quibus omnibus nulla est manus impositio, nisi manus ponatur super caput. Id etiam planum est ex his Metaphrastæ verbis, cum agit de sancto Joannis Chrysostomi in presbyterum creatione : *Ut autem accesserunt ad sacrum altare, et ipse, ut lex est*, ὑπέσχε τῷ ἱεράρχῃ τὴν κεφαλήν, τοῦ τοῦ δὲ χεῖρες ἐπετίθεντο, id est, pontifici caput submisisset, illius vero manus impositæ fuissent. Id suadet versio Syra Actorum VI, in qua legitur, *posuerunt super eos manus*, cum in Vulgata interpretatione juxta textum Græcum legatur, *imposuerunt eis manus* (*Lib. VI, de Sacramento ordinis, cap.* 7).

Quæ cum ita sint, Petrus Arcudius nobis venit refutandus, qui scribit ipsam instrumentorum porrectionem esse manuum impositionem, quia pontifex eo ipso quod tradat instrumenta, manum imponit; et imprimi characterem, non tam propter instrumenta quam propter actionem et porrectionem ipsius pontificis, quam manuum impositionem appellat. Quod si verum est, dicendum erit baptismum conferri per

manus impositionem; nam is qui baptizat seu mersione, seu aquæ infusione juxta sensum Arcudii, manum imponat necesse est. Idem etiam de extrema unctione fatendum erit; nam qui ungit corpus, manum imponit, cum tamen hactenus hæc duo sacramenta per manus impositionem conferri scripserit nemo. Nec valet objectio de confirmatione; etenim hoc sacramentum manuum impositionem distinctam habet ab unctione, ut supra dictum est. Præterea ex ejusmodi explicatione impositionis manuum sequitur optime inferiores ordines in manuum impositione consistere; cum enim porrigit episcopus calicem et patenam subdiacono, librum exorcistæ et lectori, ostiario claves, æque illis manus imponit ac preshytero, cum ei offert instrumenta tangenda, quod tamen sine controversia veritati minime consentaneum est. Hoc enim adversatur concilio Carthaginensi IV, Ordini et Pontificali Romano, et antiquis Sacramentorum libris, in quibus manifesta inter traditionem instrumentorum et manuum impositionem apparet differentia, et hæc ad superiores ordines, illa ad inferiores spectat. Imo ejusmodi doctrina a communi sensu et usu loquendi abhorret; nam sequeretur eum qui porrigit pomum puero aut panem pauperi, illis imponere manum, quod tamen hactenus est inauditum.

Nec obest illud quod opponitur ex Marc. VII, cum Christus quibusdam rogantibus ut imponeret manus lunatico, linguam et aures tetigit. Non enim inde sequitur ejusmodi contactum esse manus impositionem, qualem hic requirimus; etsi enim illi Christum rogarent ut pro more suo manum ægroto imponeret, non tamen ille tenebatur hanc inire viam et rationem, nec eorum erat illi hanc legem imponere, qui mysterii cujusdam gratia alia quam illi putabant ratione uti voluit in hujus curatione lunatici, ac proinde non inde efficitur contactum linguæ et aurium esse manus impositionem.

His ita perfectis, breviter agendum est in eos qui dicunt manuum impositionem esse meram electionem, quæ fiebat per manus elationem, vel extensionem, non vero esse aliquem consecrandi ritum, quam ideo veteres appellabant χειροτονίαν, id est, electionem, et χειροτονεῖν. Fateor quidem in instrumentis ethnicalium scripturarum ista vocabula significare electionem, et eligere aliquem, in magistratum videlicet; et ita interdum usurpari a conciliis **508** et sanctis Patribus, cum agunt de electione episcoporum, sed non semper. Nam χειροτονεῖν, Actorum XIV, est constituere episcopum solemni ritu impositione manus : Χειροτονήσαντες δὲ αὐτοὺς πρεσβυτέρους κατ' Ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν. Quod confirmatur Act. VI : Καὶ προσευξάμενοι ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *et orantes imposuerunt eis manus.* Hic enim locus priorem explicat; nam ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας, id est, manus imponere, nullo modo significat extendere manus, sive eligere, ut infra docebimus.

Confirmatur ex primo canone apostolorum : Ἐπίσκοπος χειροτονείσθω ὑπὸ Ἐπισκόπων δυὸ ἢ τριῶν, id est, episcopus ordinetur a duobus episcopis vel tribus. Atque pleni sunt sanctorum libri, eligi episcopum olim solitum a clero et populo, a tribus vero episcopis consecrari; et can. 2, πρεσβύτερος ὑπὸ ἑνὸς ἐπισκόπου χειροτονείσθω, id est, presbyter ab uno episcopo ordinetur; et can. 4 concil. Nicæni; epist. 67 Synesii, ubi agitur de Siderio episcopo Palæbiscæ non legitime creato a Philone Cyrenensi episcopo, quia non fuerat Alexandriæ ordinatus, nec a tribus episcopis, καὶ εἰ τὸ σύνθημα τῆς χειροτονίας ἐκεῖθεν ἐδίδοτο, id est, etsi illic esset ordinandi facta potestas. Ubi χειροτονία, non sumitur pro electione, quæ supponitur facta, cum petitur ab Alexandrino patriarcha facultas ordinandi, sine cujus licentia id fieri non poterat, ut constat ex canone 6 concilii Nicæni. Quod clarum est etiam ex epist. 76; nam cum Antonius quidam presbyter omnium episcoporum et populi, qui convenerant, ut Olbiatis vici episcopum eligerent, suffragia tulisset, scribit Synesius Theophilo, ἑνὸς οὖν ἔτι δεῖ, τοῦ κυριωτάτου μέντοι τῆς ἱερᾶς σου χειρὸς, id est, unum igitur id opus est, sacra tua scilicet manus. Hæc differentia videtur etiam apud Sozomenum, lib. VIII Hist. eccl., cap. 19, ubi, episcopo civitatis exiguæ Geras defuncto, cives suffragiis suis decreverunt Nilammonem civitati suæ præficere episcopum : qui cum nervis omnibus obniteretur, accedens ad eum patriarcha Theophilus rogatus a civibus, συνεβούλευσε καταδέχεσθαι παρ' αὐτοῦ χειροτονίαν, id est, hortatur ut ordinationem a se acciperet. En electio civium et χειροτονία distinctæ : quæ aliter dicitur χειροθεσία, id est, impositio manus, et ἐπίθεσις τῶν χειρῶν, id est, impositio manuum, II Tim. I, et manus imponere ἐπιτιθέναι τὰς χεῖρας, Act. VI. Nec dicendum ista significare electionem, et eligere; nam citato loco Actuum eligere et manus imponere distinguuntur : *Et elegerunt Stephanum virum plenum fide et Spiritu sancto*, etc. *Hos statuerunt ante conspectum apostolorum, et imposuerunt eis manus.* Ubi primo vides electionem, deinde ordinationem per manuum impositionem. Sed de impositione manuum satis.

In Pontificali Romano hæc quæ præcedunt prolationem horum verborum : *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo*, etc., notanda veniunt : *Pontifex manus lavat et tergit*; *tum tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum Hostia, et ipsi illa accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tangunt, pontifice singulis dicente*, etc. Ita in veteri Editione Parisiensi anni 1520 legitur, et recte; nam hoc pronomen *illa* ad ea quæ tangenda sunt seu mediate, seu immediate, refertur. Quod si legas *illam*, ut in quibusdam recentioribus et apud Cataldum in Cæremoniali episcoporum legitur, non video horum verborum sensum, cum non possit ad solum nomen *Hostiam* referri. Sensus est enim ut omnia quæ offeruntur accipiantur; et postea modus acceptationis declaratur, nempe inter indices, et medios digitos, ita ut cuppa calicis et patena simul tangantur. Quæ cum ita sint, non illi audiendi qui dicunt Hostiæ seu panis contactum esse de præcepto in Pontificali, cum nihil tale in illo appareat; et multo minus ii qui scribunt contactum panis esse de necessitate sacramenti, ita ut qui panem non tetigerit sit rursum ordinandus. Nam moraliter loquendo ille acceptare dicitur qui instrumenta, seu vasa, in quibus sunt ea quæ offeruntur accipit, seu tangit, ut ille vere oblata poma acceptat, qui canistrum aut vas in quo sunt accipit sine pomorum contactu; hancque sententiam **509** multi graves auctores sequuntur, prætermissis illis qui instrumentorum seu vasorum contactum non esse de necessitate sacramenti asserunt, inter quos Albertus Magnus mss., in IV sent., pag. 313, col. 3, bibliothecæ monasterii sancti Victoris Parisiis, in responsione ad 3 : *Dicitur quod non exigitur nisi porrectio, et tactus est de bene esse, quia in hoc sacramento est forma significans traductionem potestatis, et hoc significatur in porrectione tota, non expresse dissentiente eo cui porrigitur. Intelligitur enim accepisse, quando non dissensisse se ostendit, quando ad acceptandum est præsentatus.*

Tandem in eodem Pontificali Romano expleta communione, etc., denuo pontifex imponit manus super capita singulorum dicens : *Accipe Spiritum sanctum; quorum remiseris peccata*, etc. Qui ritus cum sua forma non exstat in concilio Carthaginensi IV, neque in nostris Sacramentariis tam editis quam mss., neque in Codice Tiliano, neque in Pontificali ms. quod Anglicanum esse putatur, neque in Ordine ms. sancti Germani a Pratis, quæ postea tamen addita sunt in hujus Codicis margine, sed alia manu. Nec etiam reperire est apud sanctum Isidorum, Amalarium et Rabanum, nec in Ord. Rom.

Tandem in Cod. Ratoldi post manuum Benedictio-

nem sequitur: *Consummatio presbyterorum. Sit nobis communis Oratio, fratres, ut hi qui in adjutorium et utilitatem vestræ salutis eliguntur*, etc. Deinde. ITEM ALIA: *Sanctificationum omnium auctor, cujus vera consecratio, cujus plena Benedictio est, tu, Domine, super hos famulos tuos* ill. *quos presbyteratus honore dedicamus, gratiam tuæ Benedictionis infunde*, etc. Hac completa Oratione sequitur in eodem Codice: *Modo legatur Epistola, Tractus, et Evangelium, et tunc offerant omnes sacras oblatas.* Ubi legendum puto *sacrandas*, loco *sacras*. Nam olim omnes panem et vinum de quibus essent communicaturi in altari offerebant. Quod patet ex eodem Codice Ratoldi in consecratione episcopi, ubi post unctionem episcopi hæc sequuntur: *Legatur Evangelium secundum Lucam. In illo tempore facta est contentio. Et tunc offerat panem et vinum ipse et omnes.* Ubi τὸ *ipse* est episcopus qui ordinatur, et τὸ *omnes* sunt alii episcopi assistentes et cæteri clerici.

758. *Episcopus cum ordinatur.* In Editis ante hæc verba habetur examen seu interrogationes, eæque secundum usum Gallorum, ut notant Codex Tilianus et Ordo Romanus, quæ in concilio Carthag. IV diversæ sunt. At in Sacramentariis nostris mss. nullæ sunt. Episcopus, juxta interpretationem sancti Ambrosii, cap. 6 libri de Dignitate sacerdotali est superinspector, id est speculator, custos. Apud Plutarchum, in Numa, τῶν παρθένων ἱερῶν Ἐπίσκοπος, id est, sacrarum virginum custos, de summo Pontifice. Apud jurisconsultos in legem ult., ff. de munere et honore episcopi, est qui præest pani, cæterisque rebus venalibus. Apud Athenienses præfectus et custos urbis alicujus illis subditæ, ad eam missus inspiciendi gratia ea quæque a singulis geruntur, qui a Laconibus Ἁρμοστὴς appellatur, ut docet Harpocration, meminit Julius Pollux, lib. VIII, cap. 1: ad cujus similitudinem apud nos qui in unaquaque civitate rebus divinis et sacris præest dicitur episcopus. In Codice Ratoldi quædam præmittuntur quæ huc transferre, quia non sunt contemnenda, mihi visum est:

« *Electio quomodo a clero et a populo eligitur episcopus in propria sede cum consensu regis, archipræsulisque, omnique populo* [Leg. *omnisque populi*].

« Domino Francorumque meritis coæquando Pari [*Forte* patri] Patrum Domino N. præsuli summo cunctus clerus omnisque populus sanctæ *ill.* Ecclesiæ multimodam in Domino optamus salutem. Igitur quoties aliqua plebs vestræ ditioni subdita a proprio fuerit viduata pastore, non aliunde nisi a vobis est implorandum auxilium, quem ad hoc divina præordinavit Majestas, ut non solum vestros **510** specialiter pascatis filios, sed etiam rectores non habentibus et spiritali pabulo indigentibus pastores tribuatis. Quapropter ad vestræ sanctitatis paternitatem fiducialiter nostras fundimus preces, poscentes, videlicet, ut hunc *ill.* summæ honestatis humilem vestrum famulum nobis pontificem ordinare indigemini [*Leg.* dignemini]. Cujus conversationem et mores, in quantum cognovimus, laudamus, et ad tam dignum opus idoneum testificamus. Et quandiu ad Benedictionem [*Leg.* a benedictione] episcopali immunes sumus, ejus doctrina et exemplo roborati, ad viam salutis, Domino miserante, quasi perdita onus [*Leg.* ovis] et inventa redituros nos credimus. Quod decretum nostris manibus roboratum *ill.* Ecclesiæ vestræ vobis dirigere statuimus. Anno Incarnationis Domini, et episcopatus vestri, et regi *ill.* annorum illorum indictione tale, datarum tale.

« *Oratio ab archiepiscopo dicenda post electionem super electum et super se.*

« Oremus, fratres, ut Deus et Dominus noster Jesus Christus nos et electum nostrum gratia Spiritus sancti illustrare dignetur. Per.

« *Sequitur admonitio episcopi* [*Leg* archiepiscopi].

« Hæc solita [*Leg.* solida] mente et studio vigilanti conserva, et tibi commissis nota facere cura, ut unanimes uno ore collaudetis Deum de suis erga vos beneficiis, cui exhibendus est honor et gloria. Per omnia.

« *Promissio.*

« In nomine altithroni conditoris Regis æterni, ego N. humilis Christi famulus, licet indignus, ad episcopalem *ill.* Ecclesiæ sedem electus ad regendam eam Deoque servatam [*Leg.* servandam], suppliciter confiteor cum omnipotentis Dei auxilio, et quantam voluerit mihi gratiam superna sapientia revelare, et vitam commodare in hoc sæculo, quod ego, sancte Salvator mundi, *ill.* et venerando Patri archiepiscopo *ill.* ejusque successoribus, quem superna providet gratia, et nobis prædestinat in Patrem, devota et fideli mente semper deservire et obedire desidero, stabilemque me esse permanentem sine aliqua dissimulatione et deceptatione omnibus diebus, quandiu spiritus erit in naribus meis, et vita comis fuerit, nunquam ad dexteram, neque ad sinistram ab illa sede *ill.* Ecclesiæ, quæ caput est [*Leg.* declinabo], sed sine aliquo scrupulo diabolicæ fraudis, et humili devotione, et sincera mente, illo præfato Patri *ill.* et successoribus ejus, quem divina gratia ad illam sanctam sedem prædestinavit episcopum, deservire et obedire omnibus viribus meis Deo omnipotenti confiteor. Et illam sanctam apostolicam fidem, quam Patres nostri digne servaverunt, cum omni humilitate et obedientia divina simul et humana sicut prædecessores mei ipsa sede sancta Ecclesiæ Christi subjuncti sunt, semper servare me velle humiliter per omnia fateor. Et quod illi hic et ibi juste plebi Dei prædicaverunt, et custodiendo impleverunt, hoc prædicare et observare non cesso, favente et volente pio Domino et Salvatore nostro Jesu Christo.

« *Item admonitio post promissionem.*

« Memor sis sponsionis et desponsationis ecclesiasticæ, et dilectionis Domini Dei tui in die qua assecutus es hunc honorem, cave ne obliviscaris illius.

« *Benedictio ad annulum episcopi.*

« Creator et conservator humani generis, dator gratiæ spiritalis, largitor æternæ salutis; tu, Domine, permitte tuam Benedictionem super hunc annulum, ut armata [*Leg.* armatus] virtute cœlestis defensionis proficiat illis [*Leg.* illi] ad æternam salutem. Per.

« *Hic detur annulus in digito.*

« Accipe ergo annulum discretionis, etc., ut in Ord. Rom.

511 « *Benedictio baculi.*

« Tu baculus nostræ et rector per sæcula vitæ,
« Istum sanctifica pietatis jure bacillum,
« Quo mala sternantur, quo semper recta regantur.

« *Hic detur baculus pastoralis.*

« Accipe baculum sacri regiminis, etc., ut in Ordine Romano.

« *Item alia datio.*

« Accipe baculum pastoralis officii. Et sis in corrigendis vitiis sæviens, in ira judicium sine ira tenens; cum iratus fueris, misericordiæ reminiscens. Per.

« *Modo surgendi sunt, et incipiatur Introitus.*

« Elegit te Dominus sibi in sacerdotem. *Psalm.* Exaudiat te Dominus. Ad ℟. Mittat tibi. ALIA *Antiph.* Sicut fui cum Moyse. *Psalm.* Exaudiat te Dominus. *Antiph.* Benedixit te hodie Deus. *Psalm.* Deus Deorum.

ORATIO AD MISSAM IN DIE. Oremus, dilectissimi nobis, ut huic viro, etc., ut infra in Codice sancti Eligii. EPISTOLA : Charissimi, fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat. ℟. Memor sit omnis sacrificii tui. ℣. Mittat tibi Dominus. ℟. Immola Deo. TR. Desiderium. ALL. Disposuit. ALL. Diffusa est gratia.

« *Hic ordinandus est episcopus antequam legatur Evangelium, post All., et tunc debent duo episcopi deducere illum per manus extra secretarium in præsentia archiepiscopi ante altare, et prosternens se et cæteri faciant litaniam. Finita tenentes librum Evangelii super scapulas, et archiepiscopus benedicat eum.* »

Hactenus Ratoldi Codex de episcopi ordinatione, in cujus titulo apparet, olim tempore, regum in Gallia fuisse episcopos cleri et populi suffragiis electos, adhibito regis consensu, qui non raro auctoritate sua quem vellet episcopum ordinari imperabat, ita ut, illa sæpius prævalente, debiles admodum essent electiones. Id passim testatur Gregorius Turonensis in historiis Francorum, et in Vitis Patrum; atque alii Francorum historiæ scriptores; tandem per concordata inter Leonem X pontificem maximum et Franciscum I Francorum regem prorsus avulsæ sunt, auctoritate nominationis penes regem, et confirmationis penes pontificem remanente. In cæteris Ecclesiæ Occidentalis regionibus eadem electionum libertas clero et populo salva et integra permansit, dum, excusso Romanorum imperatorum jugo, eorum reges haud imparem Francorum regibus circa electiones auctoritatem sibi vindicarunt. Apud Græcos quidem seu Orientales perseverant electiones, sed, excluso clero et populo, jus electionis ad solos comprovinciales episcopos devolutum est. Theodorus Balsamon contendit ita statutum fuisse can. 4 concilii Nicæni primi; quæ quidem sententia non mihi placet, quia canon citatus non de electione, sed manus impositione haud dubie intelligendus est; quia cum dixit constitutionem faciendam esse a comprovincialibus episcopis, statim ejusmodi constitutionem appellat χειροτονίαν, id est, manus impositionem, quam vult saltem a tribus episcopis fieri, si aliis episcopis per aliquod impedimentum adesse non liceat, qui tamen per litteras consensum præbeant. Confirmatur ex canone 6 concilii Sardicensis sub Constantio imperatore post dictum Nicænum concilium celebrati : Τὰ δὲ πλήθη συναθροισθέντα παρακαλοῖεν γίνεσθαι τὴν κατάστασιν τοῦ παρ' αὐτῶν ἐπιζητουμένου Ἐπισκόπου. Id est : Congregata autem multitudo roget ut fiat constitutio episcopi a se requisiti. Ibi enim agitur de constitutione, hoc est ordinatione episcopi jam plebis suffragiis electi; ad cujus ordinationem si quis ex episcopis comprovincialibus non convenerit, statuit concilium ut per litteras moneatur. Ubi cum κατάστασις sit ordinatio, et eodem vocabulo utatur canon concilii Nicæni, signum est concilium Nicænum fuisse de ordinatione locutum, non vero **512** de electione; ac proinde cleri et plebis suffragia in episcoporum electionibus ab eo non fuisse repudiata. Imo ipsum concilium Nicænum mentem suam explicat in epistola synodica ad sanctas Dei Ecclesias per Alexandriam, Ægyptum, Pentapolim, etc., in causa patriarchæ Alexandrini adversus Meletianos : Μόνον εἰ ἄξιοι φαίνοιντο, καὶ ὁ λαὸς αἱροῖτο, etc. Id est : *Tantum si digni sunt, et populus elegerit, consentiente ipsis, et confirmante episcopo catholicæ Alexandriæ.* Id etiam palam est ex undecima concilii Chalcedonensis actione, in qua Anatolius patriarcha Constantinopolitanus, in depositione Bassiani et Stephani episcoporum, qui contra canones fuerant Ephesiorum Ecclesiæ Pontifices ordinati, sic ait : *Dabitur autem Ephesiorum metropoli episcopus a Deo monstratus ;* καὶ παρὰ πάντων τῶν μελλόντων ποιμαίνεσθαι ψηφιζόμενος, id est, *et ab omnibus qui pascendi sunt electus.*

Sed et innumera propemodum ejusmodi per clerum et plebem electionis, etiam post dictum concilium Nicænum, prostant exempla. Petrus enim [illegible] Alexandrinus, prius a sancto Athanasio designatus, ab omnibus, tam ecclesiasticis quam magistratibus suffragantibus, electus est, ut scribit Theodoretus, lib. IV Hist. eccles., cap. 18. Apud Synesium, epist. 76, Antonius presbyter in Olbiatis vici episcopus, non solum episcoporum qui aderant, sed etiam totius populi qui convenerat, suffragiis eligitur. Epistola ejusdem Synesii 67 nihil aliud sonat. Apud Sozomenum, lib. VIII Hist. eccles., cap. 19, Nilammon exiguæ civitatis Geras a plebe episcopus electus est. Mortuo Paulino Antiochiæ pontifice, Evagrius populi suffragiis illi subrogatur, ut scribit Socrates lib. V Hist. eccles., cap. 15. Timotheo Æluro pontifice Alexandrino in exsilium acto, Timotheus alter civium Alexandrinorum calculis in ejus locum suffectus est, ut scribit Evagrius lib. II Hist. eccles., cap. 11. Sanctus Joannes Chrysostomus communibus cleri et populi votis, assentiente etiam imperatore, Constantinopolitanus episcopus electus est, ut scribit Sozomenus lib. VIII Hist. eccles., cap. 2.

Nec obest synodi Laodicenæ canon. 13, quo statuitur quod non oporteat permittere turbis ut eligant eos qui in sacerdotium alleguntur, siquidem ibi non rejiciuntur clericorum et honorabilium civium suffragia, sed eorum qui sunt ex fæce plebis, qui non raro in ejusmodi comitiis tumultus et seditiones excitant.

759. *Duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum codicem super caput ejus.* Ita in Editis. In concilio Carthagin. IV, can. 1, et in Codice Rhemensi legitur: *Super caput et cervicem ejus.* In Codice Tiliano : *Super verticem ejus et inter scapulas clausum.* In Ordine Romano : *Super cervicem ejus, et inter scapulas clausum.* In Pontificali Romano : *Super cervicem et scapulas*, juxta quod liber apertus esse debet.

Ritus autem imponendi libri Evangeliorum super caput Episcopi, cum ordinatur, est antiquissimus, de quo agit sanctus Dionysius, cap. 5 eccles. Hierarchiæ : Ὁ ἱεράρχης ἐπὶ τὴν ἱεραρχικὴν τελείωσιν προσαγόμενος, ἄμφω τὼ πόδε κλίνας ἐπίπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, ἐπὶ κεφαλῆς ἔχει τὰ θεοπαράδοτα λόγια καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα. Id est: Pontifex qui ad initiationem pontificiam accedit, utroque genu flexo ante altare, supra caput habet eloquia divina manumque pontificiam ; ubi per eloquia divina facile intelligitur Evangelium, ut clarum est ex multis locis Georgii Pachymeræ in paraphrasi hujus capitis. Sanctus Joannes Chrysostomus, in Oratione quæ inscribitur: Quod idem sit legislator Veteris ac Novi Testamenti: Διὰ τοῦτο ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐν ταῖς χειροτονίαις τῶν ἱερέων τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ κεφαλῆς τίθεται. Id est : Quocirca in Ecclesia in ordinationibus episcoporum, Evangelium Christi eorum capiti imponitur. Petrus Damiani, serm. 1 de dedicatione : *Ponitur et Evangelica pagina super caput illius recumbentis, ut verbo vitæ sentiat excedere rationem, et oculi ejus deficiant in eloquium Domini.* Idem videre licet in concilio citato Carthag. IV, et in Sacramentariis **513** et Ordinibus supra citatis (*In ordine creationis episcopi*), atque etiam in Euchologio Græcorum : Ἀναπτύσσει τὸ εὐαγγέλιον ὁ ἀρχιερεῦς, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ τραχήλῳ τοῦ χειροτονουμένου συνεφαπτομένων τῶν ἄλλων ἀρχιερέων. Id est : Aperit Evangelium Pontifex, et imponit capiti et cervici illius qui ordinatur, aliis pontificibus simul una tangentibus.

Sed his adversatur Amalarius, lib. II de Offic. eccl., cap. 14 : *Dicit libellus secundum cujus ordinem celebratur ordinatio apud quosdam, ut duo episcopi teneant Evangelium super caput ejus, quod neque vetus auctoritas intimat, neque apostolica traditio, neque canonica auctoritas.* Sed ista omnia ex citatis locis satis refutantur, imo ipse quamvis ejusmodi impositionem libri Evangeliorum minime probet, tamen illius mysticam interpretationem statim subjungit : *Potest tamen Evangelii impositio super caput monere tenentes, aut quo Dominus idem Evangelium firmet in corde ejus deprecentur, aut ut moneant eum qui consecratur recordari se amplius esse sub jugo Evangelii quam foret.*

Alias rationes refert sanctus Joannes Chrysostomus, Oratione citata, ut discat is qui ordinatur se veram Evangelii tiaram accipere, et ut discat, etsi omnium sit caput, se tamen subditum esse legibus. Aliam addit sanctus Dionysius, cap. citato, quia vis perfectiva atque scientia pontificibus divinitus conceditur, qui eam in alios sint transfusuri. Porro in omnibus nostris Sacramentariis, Ordinibus, concilio Carthaginiensi, et Euchologio supra citatis, liber Evangeliorum ab episcopis imponitur; sed apud Clementem, lib. VIII Constit., cap. 4, a diaconis; in Pontificali Romano ab uno ex capellanis.

760. *Reliqui omnes episcopi*. Multi episcopi ad unius ordinationem convenire solent, illi videlicet qui sunt ejusdem provinciæ in qua episcopus consecratur, ut statuitur in concilio Sardicensi, can. 6, et Antioch., can. 9. Quod si omnes adesse non potuerint, a tribus saltem, cæteris per litteras consentientibus, ordinandus est, ut decernitur can. 4 concilii Nicæni. Canon 18 concilii Toletani IV idem statuit. Canon primus apostolorum statuit ut episcopus a duobus vel tribus ordinetur. Synesius, epist. 67, ait Siderium Palæbiscæ non fuisse legitimum episcopum, quod a tribus episcopis non fuerit ordinatus. Ita in concilio Arelatensi I statuitur, can. 20. Concilium Arausicanum I, can. 21, prohibet ne episcopus a duobus episcopis ordinetur.

761. *Caput ejus tangant*. In Cod. Ratoldi et in Cod. qui Anglicanus esse creditur, nullus est capitis contactus, nec manus impositio. In Editis hæc sequuntur : *Hoc facto accipiat patenam cum oblatis, et calicem cum vino, et det ei, dicens : Accipe potestatem offerre sacrificium tam pro vivis atque defunctis*. Quæ cum non exstent in Codicibus nostris mss. neque in Cod. Tiliano, neque in Ordine et Pontificali Romano, videntur esse supposititia. In Cod. Rhemensi sequitur exhortatio ad populum : *Servanda est, dilectissimi fratres*, etc.

762. *Oratio*, etc. In Cod. Angl. habetur : *Et nas dicant episcopi super ipsum Orationes*.

763. *Oremus, dilectissimi*, etc. Ita in Editis et in Cod. Rhemensi. Abest a Codice Rodradi. In Cod. Ratoldi non habetur hoc loco, sed prima est Oratio Missæ in qua sacratur episcopus, plurali numero in singularem mutato. In Ord. et Pontif. Rom. postponitur sequenti Orationi.

764. *Ad utilitatem providendam electis*. In Ord. et Pontif. Rom. legitur : *Utilitati Ecclesiæ providens*. In Cod. Ratoldi : *Ad utilitatem Ecclesiæ provehendo*. Optime quidem in Ord. et Pontif. Romano, sed diverso ab aliis sensu.

765. *Adesto, Domine, supplicationibus nostris*, etc. Ita in Editis, et in Codicibus Rodradi et Ratoldi et **514** Ord. Rom. In Cod. Rhemensi alia est Oratio, sed sub eodem sensu : *Exaudi, Domine, supplicum preces, ut quod nostro gerendum est ministerio, tua potius virtute firmetur. Per Dom.* Non exstat in Pontif. Romano.

766. *Propitiare, Domine*, etc. In pontificali Romano ante hanc Orationem habentur hæc verba, *Accipe Spiritum sanctum;* quæ non sunt in Editis, neque in Codicibus nostris mss., neque in Ordine Romano, neque in Cod. Tiliano.

767. *Deus honorum omnium*. Ita in omnibus aliis Codicibus nostris mss. In Editis legitur *Deus bonorum*, etc., male; vide supra annotata. In Cod. Tiliano, et Ord. et Pontificali Rom., *Deus honor omnium*.

768. *Deus omnium dignitatum*. Ita in Editis et in Codicibus mss. Rodradi et Ratoldi. A Cod. Rhemensi τὸ *Deus* abest.

769. *Et pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium*, etc. Id testatur Fortunatus, lib. II, epigr. 10, de sancto Germano Parisiorum pontifice :

In medio Germanus adest antistes honore
Qui regit hinc juvenes, subrigit inde senes.
Levitæ præeunt, sequitur gravis ordo canentum,
Hos gradiendo movet, hos moderando trahit.
Ille tamen sensim incedit, velut alter Aaron,
Non de veste nitens, sed pietate placens.
Non lapides, coccus, clarum aurum, purpura, byssus
Exornant humeros, sed micat alma fides.

Ubi in Editis legitur *cidarim*, sed nullus est sensus ; in Cod. ms. sancti Germani a Pratis habetur *Cidar*, sed ei eadem scriptura legitur τὸ *Clar* superpositum, linea vocabulo *Cidar* subducta, ad erroris notam ; quare ex illo *Clar*, feci τὸ *clarum*, et clarus est sensus.

770. *Quia et illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda poscebant*. Ita in omnibus Codicibus toties supra citatis ; in quibus arbitror τὸ *quam* desiderari, in hunc modum, *Quia et illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quam quæ in ipsis erant intelligenda poscebant*, id est populus ille carnalis plus vestium fulgore delectabatur quam mysteriis quæ hoc splendore significabantur.

771. *Summi sacerdotii*. Summum sacerdotium est episcopatus, ut summus sacerdos episcopus, quemadmodum supra notatum est.

772. *Ut quidquid illa velamina in fulgore auri*, etc. Quod præclare præstitit supra nominatus sanctus Germanus Parisiorum pontifex, ut de eo cecinit Fortunatus carmine supra citato :

Iste satis melior veteri quam lege sacerdos ;
Hic quia vere colit quod prius umbra fuit.

773. *Hic accipis chrisma*. Hæc verba desunt in Editis.

774. *Cœlestis unguenti flore sanctificare*, etc. Ungitur pontifex in modum crucis, quemadmodum videtur in Codice Rodradi.

In aliis Codicibus nostris mss. non sunt depictæ cruces, non tantum in ordinatione episcopi, sed nec etiam in aliorum graduum collatione, quæ tamen olim in omnibus gradibus adhibebantur, sicut etiam hodie, ut apparet ex **515** Pontificali Romano et Euchologio Græcorum ; quod manifestum est ex sancto Augustino, sermone 181, de Tempore : *Hoc enim signo crucis consecratur corpus dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri et cæteri gradus ecclesiastici*. Sanctus Dionysius, cap. 5 de Hierarchia ecclesiastica id testatur de episcopo, presbytero et diacono, quandoquidem de trium horum duntaxat graduum consecratione scripsit : Ἑκάστῳ δὲ αὐτῶν ἡ σταυροειδὴς ἐνσημαίνεται πρὸς τοῦ τελοῦντος Ἱεράρχου σφραγὶς, id est, unicuique eorum signum crucis a consecrante pontifice imprimitur. Sanctus Joannes Chrysostomus, homilia 55, in Matthæum, loquitur indifferenter : κἂν ἀναγεννηθῆναι δέῃ, σταυρὸς παραγίνεται, κἂν τραφῆναι τὴν μυστικὴν ἐκείνην τροφὴν, κἂν χειροτονηθῆναι. Id est : Nam crux Domini adest, cum nos regenerari, cum mystico cibo ali, cum ordinari oportet.

775. *Hic fundis in caput ejus*. Nempe chrisma. In Codice Ratoldi legitur : *Hic ponatur oleum super caput ejus*. In Codice Tiliano, et in Ordine Romano habetur : *Hic mittat chrisma in caput episcopi in modum crucis, ungatur, et consecretur*, etc. Hæc unctio capitis in ordinatione episcopi fit ex more veteri, quem cognoscere licet ex Amalario, lib. II de Officiis, cap. 14, ubi agit de pontificis ordinatione : *Additur etiam ad consecrationem ejus infusio olei super caput*. Ex Optato Milevitano, lib. II adversus Parmenianum, ubi agens de schismaticis qui catholicos episcopos degradarunt, et ad pœnitentiam dejecerunt, scribit : *Et vocem Dei auribus non admittitis vestris, qui in CIV Psalmo sic ait : Ne tetigeritis unctos meos, neque in prophetas meos manum miseritis. Unctos autem esse reges et sacerdotes et libri Regnorum indicant, et David, in Psalmo CXXXII, sic ait : Sicut unguentum quod descendit in barbam Aaron, et tamen vos contra iisdem viribus conati estis præcepta contemnere, quibus qui Dominum timent mandata conantur implere. Docete ubi vobis mandatum est radere capita sacerdotum, cum e contrario sint tot exempla proposita fieri non debere.*

Saul antequam peccaret ungi meruit, post unctionem non leviter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum proponere, pœnitentiam suam professus est; sic enim legitur dixisse Dominum : Pœnitet me unxisse Saul in regem. Et utique potuit Deus oleum, quod dederat auferre; sed cum voluit docere non debere contingi oleum etiam in peccatore, ipse qui dederat pœnitentiam gessit. Igitur Deus si, ut te doceret, quod dedit auferre non potuit per quod noluit, tu quis es qui auferas quod non dedisti? et qui parare debebas aures ad audiendum, parasti novaculam ad delinquendum. Ibi conqueritur Optatus quod schismatici sacrilegas manus capitibus episcoporum immiserint, ut auferrent sacrum oleum sive chrisma, hoc est degradarent, et de honore episcopali dejicerent, radendo capita eorum ; opponens illis Dei exemplum, qui a Saule rege impio oleum quod dederat non abstulit.

Itaque ejusmodi rasura hic non est ad pœnitentiam, sed ad degradationem; et quamvis demissi fuerint catholici episcopi ad pœnitentiam per schismaticos, constat etiam degradatos fuisse et honore dejectos ; nam supra ait : *Honore nominis sui spoliati sunt sacerdotes.* Et infra : *Ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas movistis in mortes non corporum, sed honorum. Invenistis diaconos, presbyteros, episcopos; fecistis laicos.* Idem docet Petrus Damiani, serm. de Dedicatione ecclesiæ, agens de pontificis consecratione : *Ungitur illius caput oleo lætitiæ præ consortibus suis, in illius figuram qui, thalamo virginali spirituali balsamo profusius irroratus, oleum Benedictionis super filios hominum distillavit.* Hinc capiendus est locus sancti Gregorii, lib. IV Comment. in lib. I Regum, cap. 5 : *Hac profecto unctione exprimitur quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur, quia qui in culmine ponitur sacramenta suscipit unctionis ; quia vero ipsa unctio sacramentum est, is qui promovetur bene foris ungitur, si intus virtute sacramenti roboretur.* Quemadmodum **516** et locus hic sancti Gregorii Nazianzeni, Oratione in laudem magni Basilii : Νέος ἐπάνεισιν, εὐσθενὴς ἄνω βλέπων, ῥωσθεὶς ἐκ χειρὸς καὶ τῆς χρίσεως, id est, Juvenis redit, robustus sursum respiciens, confortatus ex manus impositione et unctione. Idem de hoc Simeonis Metaphrastæ loco in Vita sancti Joannis Chrysostomi censendum est : Τῷ ἱερατικῷ χρίσματι τελειοῦται, καὶ τῷ τῆς Ἐκκλησίας ὕψει στηρίζεται, id est, sacro chrismate initiatur, et in excelso ecclesiæ loco stabilitur ; ac propterea sacerdos, id est pontifex, appellatur unctus a Paciano, epist. 3, ad Sympronianum : *Vestræ plebi unde spiritus, quam non consignat unctus sacerdos?*

776. *Sinceritas pacis.* Ab his verbis usque ad illa, *tribuas ei, Domine*, multa interponuntur in Codicibus Ratoldi, et Rhemensi, atque etiam in Ordine et Pontificali Romano, quæ desunt in hoc Codice sancti Eligii, in Codice Rodradi et in Editis.

777. *Tribuas ei, Domine, cathedram episcopalem*, etc. Hunc locum tangit Amalarius, lib. II de Officiis eccles., cap. 14 : *Hoc sonant verba consecrationis ejus : Tribuas ei cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam et plebem universam.* In Codice Ratoldi hanc consecrationem altera excipit sub hoc titulo : *Item alia super episcopo.* Consecratio vero ita se habet : *Pater sancte, omnipotens Deus, qui per Dominum nostrum Jesum Christum ab initio cuncta creasti, et postmodum in fine temporum secundum pollicitationem quam Abraham patriarcha noster acceperat Ecclesiam quoque sanctorum congregati ne fundasti*, etc., quæ abest ab aliis Codicibus nostris mss. atque etiam ab editis, et Ordine et Pontificali Romano.

In eodem Ratoldi Codice sequitur unctio manuum de oleo et chrismate in hunc modum : *Tunc debet ei manus ungere : Ungantur manus istæ et sanctificentur, et in te Deo deorum ordinentur. Ungo has manus oleo sanctificato, et chrismate unctionis purificato, sicut unxit Moyses verbo oris sui manus sancti Aaron germani sui, et sicut unxit Spiritus sanctus per suos flatus manus omnium sacerdotum, et sicut Jesus, Salvator omnium nostrorum, sanctas manus suorum apostolorum ; ita ungantur manus, et sanctificentur, et consecrentur ; ut in omnibus sint perfectæ in nomine tuo, Pater, Filique, atque æterne Spiritus sancte, qui es unus et summus Deus omnium vivorum et mortuorum manens in sæcula sæculorum.* Idem reperire est in Pontificali ms. quod Anglicanum esse creditur. Hæc eadem unctio manuum habetur etiam in Codice Rhemensi, et in Ordine et Pontificali Romano, et in Codice Tiliano, sub hac verborum formula et quidem breviori, quæ ita habetur in Codice Romano : *Ungantur manus istæ de oleo sanctificato, et chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ita ungantur et consummentur* (ita in Ordine; in pontificali legitur *confirmentur*; in Codice Tiliano *consecrentur*), *in nomine Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (ita in Ordine Romano, et Codice Tiliano; sed in Pontificali cuique pers næ apponuntur cruces), *facientes imaginem sanctæ crucis Salvatoris Domini nostri, qui nos a morte redemit, et ad regna cœlorum perduxit. Exaudi nos, pie Pater, omnipotens, æterne Deus, et præsta quod te rogamus et oramus. Per.* In Ordine et Pontificali, et Codice Tiliano legitur : *Et præsta ut quod te rogamus exoremus.* In Pontificali ms. quod servatur in sacristia ecclesiæ Rothomagensis et putatur esse ecclesiæ Rhemensis, est etiam manuum unctio. Illius etiam meminit Guillelmus Parisiensis; sed non exstat in Codice sancti Eligii, neque in Editis, neque in Codice Rodradi. Hujus unctionis mentio fit in epistola episcoporum in synodo apud Carisiacum ad Ludovicum Germaniæ regem, cap. 15 : *Manus enim chrismate sacro peruncta, quæ de pane et vino aqua misto per Orationem et crucis signum conficit corpus et Christi sanguinis sacramentum, abominabile est* (*quidquid ante ordinationem fecerit*) *ut post ordinationem episcopatus sæculare* **517** *tangat ullo modo sacramentum.* Idem videre est apud beatum Petrum Damiani, serm. 5, de sancto Severo Ravennate Episcopo, ubi agit de columba in ejus ordinatione super eum volitante : *Et quid aliud fuit*, inquit, *eamdem columbam a se exturbando, manibus tangere, nisi ecclesiasticæ institutionis ordine in ipsis manibus oleum sanctæ unctionis accipere? nam quod columba in sanctissimi viri caput illapsa descendit, officium manus impositionis implevit ; quod autem sacris se manibus tangi permisit, ipsas manus sancti Spiritus unctione signavit.* Et serm. 1 de ecclesiæ Dedicatione, cum de ordinatione episcopi agit : *Liniuntur et manus, ut quidquid benedixerint benedicatur, et acceptum sit divinæ Majestatis aspectui.*

Ad hanc unctionem allusio fit in Vita sancti Aquilini episcopi Ebroicensis apud Surium, 19 Octobris: *Cujusque manibus gratia sacerdotali perunctis*, etc.

Quidam olim addidere unctionem pollicis, quam videre est apud Guillelmum Parisiensem, libro de Sacramentis, capite de extrema unctione : *Quemadmodum in consecratione pontificum perfectio et plenitudo legitur, sicut in unctionibus capitis, manuum, et pollicis, pinguedo internæ unctionis.* Quæ quidem unctio fiebat in dexteræ manus pollice ; ut constat ex Pontificali ms. quod servatur in sacristia ecclesiæ Rothomagensis, videturque esse ecclesiæ Rhemensis : *Et confirmet pollicem dexteræ manus dicendo cum chrismate : Deus, et Pater Domini*, etc.

Porro in Pontificali quod Anglicanum esse creditur duplex est unctio capitis, prior cum oleo et chrismate, secunda post manuum unctionem cum oleo tantum : *Hic mittatur oleum super caput ejus, ungatur*, etc. Et in Codice Ratoldi, ubi sequitur : *Tunc debet ei caput ungere : Ungatur et consecretur caput tuum cœlesti Benedictione in ordine pontificali, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tibi. ℟. Et cum Spiritu tuo.* Quæ non sunt in Editis et aliis Codicibus nostris mss. Altera hæc capitis unctio peculiaris est his Codicibus ; quam excipit hanc Ora

tio : Domine Jesu Christe, tu prælegisti apostolos tuos, ut doctrina nobis præessent; ita etiam vice apostolorum episcopos doctrinam docere, et benedicere, et erudire digneris, ut immaculatam vitam et illæsam conservent, quatenus Spiritus sanctus septiformis veniat super eos, et super nos omnes, et virtus Altissimi sine peccato una custodiat nos, et omnis Benedictio, quæ in Scripturis sanctis scripta est, super nos pariter veniat, et confirmet nos Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus, ut habeamus vitam æternam in sæcula sæculorum. Quæ Oratio non exstat in Editis, neque in aliis Codicibus nostris mss., neque in Ordine et Pontificali Romano, neque in Codice Tiliano. In eodem Codice Ratoldi sequitur : *Et tunc legatur Evangelium secundum Lucam.* In illo tempore facta est contentio : *Et tunc offerat panem et vinum ipse, et omnes. Offertorium :* Inveni David servum meum. Memor sit Dominus. *Offertorium :* Gloria et honore. Et hæc de ordinatione episcopi juxta ritum Latinorum, qui etiam secundum eos ordinatur in die Dominica, ut palam est ex concilio Toletano IV, can. 18 : *Aut certe a tribus in sacerdotem die Dominica consecrabitur.*

778. *Si papa ordinandus est.* Hæc desunt in Editis, et in aliis Codicibus nostris mss., neque habentur in Pontificali Romano. De ritu ordinandi papæ hic subjiciam quæ legi in vetustissimo Ordine Romano ms. bibliothecæ Corbeiensis.

« ORDINATIO ROMANI PONTIFICIS.

« *Psallent secundum consuetudinem. Procedit electus de sacrario cum cerostatis septem, et venit ad confessionem. Et post litaniam ascendunt ad sedem simul episcopi, presbyteri. Tunc episcopus Albanensis dat Orationem primam; deinde episcopus Portuensis dat Orationem secundam. Postmodum adducuntur Evangelia, et aperiuntur et tenentur super caput electi a diaconibus. Tunc episcopus Ostiensis consecrat eum pontificem. Post hoc archidiaconus mittit ei pallium; deinde ascendit ad sedem,* **518** *et dat pacem omnibus sacerdotibus; et dicit : Gloria in excelsis Deo.* » Hactenus Codex ms. Corbeiensis.

Idem habetur in Ordine Romano edito, in quo notantur Orationes, ut in ordinatione episcopi. Ubi nota, primo, confessionem esse tabernaculum quoddam vario opere exornatum, in quo corpora sanctorum apostolorum quiescunt, de quo vocabulo vide Onufrium Panvinum, Julium Cæsarem Bulengerum, in opusculis, et observationes nostras ad Concordiam regularum. Secundo, nota librum Evangeliorum non teneri ab episcopo, ut fit in ordinatione aliorum episcoporum, sed a diaconis, quemadmodum in Constitutionibus apostolorum, in ordinatione aliorum episcoporum. Observa tertio papam consecrari ab episcopo Ostiensi, ex antiquo more quo solet episcopus Ostiensis Romanum pontificem ordinare, ut testatur sanctus Augustinus in collatione tertii diei cum Donatistis cap. 16 : *Et quod non exspectaveret Cæcilianus ut princeps a principe ordinaretur, cum aliud habeat Ecclesiæ catholicæ consuetudo, ut non Numidiæ, sed propinquiores episcopi episcopum Ecclesiæ Carthaginis ordinent; sicut nec Romanæ Ecclesiæ ordinat aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus.*

779. *Et primatem omnium*, etc. Nota præclarum Romani pontificis elogium, cui primatus Ecclesiæ universæ debetur. Unde præclare Cassiodorus, lib. XI Variarum, epist. 2 : *Vos enim speculatores Christiano populo præsidetis, vos Patris nomine universa diligitis. Securitas ergo plebis ad vestram respicit famam, cui divinitus est commissa custodia. Quapropter nos decet custodire aliqua, sed vos omnia.* Et infra : *Sedes illa toto orbe mirabilis proprios tegat affectione cultores, quæ licet generalis mundo sit præstita, vobis etiam cognoscitur et localiter attributa.* Omitto cætera Patrum et conciliorum elogia.

780. *Et sacrificium celebrandum.* Ita in Codice Ratoldi, quod etiam supra in eadem Oratione notatum est. In Missali Romano legitur : *Et ad sacrificium*, etc.

781. *Hanc igitur oblationem*, etc. Eadem habentur in Codice Ratoldi et in Ordine Romano. In Codice Ratoldi sequitur : *Benedictio episcopalis in die : Deus qui populis indulgendo consoleris (consulis) et amore dominaris, da spiritum sapientiæ quibus tradidisti regimen disciplinæ. Amen*, etc., ut in Ordine Romano; in quo tamen hæc Benedictio in quibusdam variat. In eodem codice Ratoldi sequitur : *Et tunc communicant omnes episcopi ad manus archiepiscopi.* At in Ordine Romano hæc notanda veniunt : *Cum autem venerit ad communicandum, Dominus pontifex porrigit ei formatam, atque sacratam oblationem integram. Suscipiensque eam episcopus, ipse ex ea communicat super altare; quod vero residuum fuerit, sibi reservet denuo ad communicandum unoquoque die usque quadraginta dies expletos. Et postmodum jussus a Domino pontifice communicat populum cum cæteris episcopis.* Ubi *formata* est diploma seu litteræ archiepiscopi, quibus ille testatur ill. episcopum a se ordinatum esse ill. Ecclesiæ, quorum exemplar ibidem subjicitur : *Dilectissimis fratribus et filiis, presbyteris, diaconibus, honoratis, clericis, et possessoribus, vel cunctæ pleb ill. Ecclesiæ, N. Nos, auxiliante Domino, archiepiscopus sanctæ sedis catholicæ ill. electionem vestram Deo acceptissimam comprobantes, virum venerabilem N. in primo ordine vobis consecravimus sacerdotem*, etc. Meminit sanctus Pacianus; epist. 2, ad Sympronianum (et appellat epistolam agens de Novatiano) : *Cognosco radicem legis antiquæ fontem popul antiqui reliquisse Cornelio invidentem, Novati insaniæ commodatum, sine consecratione legitima episcopum factum, ideoque nec] factum per epistolam eorum qui se confessores esse simularent.* Quid sit formata, disces ex Marculpho, sub finem formularum, quodque **519** hæc ex Ordine Romano producta proprie formata non sit. In qua tamen notandum quod in primo ordine sacerdos est episcopus, ut secundi ordinis sacerdos est presbyter, ut clarum est ex epist 25 Sidonii, libro IV, ubi, agens de electione Joannis in episcopum Cabillonensem scribit : *Post, laborum temporumque processu archidiaconus, in quo seu gradu seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi. Attamen hunc jam secundi ordinis sacerdotem*, etc., *collegam sibi consecrarere.* Neque ex his verbis effici, ut quidam volunt, potest, archidiaconum esse ordinis secundi sacerdotem, ratione istorum verborum, *Attamen hunc jam secundi ordinis sacerdotem*, etc. Nam si ita esset, videntur esse superflua, cum Sidonius supra satis declaraverit ipsius Joannis gradum, et illud *attamen* satis manifestet sacerdotem secundi ordinis ab archidiacono esse distinguendum. Nam Sidonius declarans Joannis merita, dicit primo eum fuisse lectorem, et ministrum altaris pene ab infantia, postea archidiaconum, et in eo munere diu perstitisse, quod esset valde idoneus. Attamen cum jam secundi ordinis sacerdos esset, id est presbyter, fuisse ordinatum episcopum; alioqui sensus verborum istorum minus idoneus esset. Joannes diu retentus est in ministerio archidiaconatus, attamen hic jam archidiaconus creatus est episcopus. Nostram interpretationem satis declarat hic Optati locus, l. II : *Quid* (commemorem) *diacones in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos.* Ubi vides presbyterum esse in sacerdotio secundo constitutum, non vero archidiaconum, qui tantum est in tertio sacerdotio constitutus, quia diaconus est.

Tandem notandum est illud, quod dicitur episcopum ordinatum suscipere de manu pontificis sacram oblationem, de qua sit communicaturus in præsentiarum, et quadraginta dies continuos de residuo ejusdem Hostiæ. Idem de sacerdotibus seu presbyteris scribit Fulbertus episcopus Carnotensis, epist. 3 ad Finardum : *Ante hos paucos dies, ut meminisse licet, mihi re pertinis horis supervenisti, et repentina inquisi-*

tione me permovisti de Hostia quam paulo ante promotus ad sacerdotium de manu episcopi suscepisti, quæ ratio sit, videlicet, usque ad quadragesimum diem, usu quotidiano consumere. Et infra: *Nostri episcopi provinciales in hujusmodi ritum omnes consentiunt. Porro nostro tempore quidam inter cæteros ad sacerdotalem gradum admissus, Hostiam quoque, sicut et alii de manu episcopi suscepit, quam in pergameno in hos usus parato involutam quotidiana celebratione solvebat, et portiunculam parvam juxta instantium dierum numerum computatam sumebat. Accidit vero ut quadam die, expletis mysteriis, dum vestimenta cum sindone altaris incautius colligeret, immemor Hostiæ sacræ, diligentiam nequaquam adhibens, thesaurum cœlestem infelix amitteret. Veniens ad diversorium, quæque necessaria curat, transigitur dies in crastinum repetita celebratione. Frater ille, instante hora communicandi, turbatus nimium et consternatus, sursum deorsum cursitans, nec etiam signum aliquod invenire potuit.* Et infra ritus hujus reddens rationem scribit: *Nam et episcopus, qui vices Christi tenet, sacerdotales viros in plebem subjectam missurus, sacri corporis Eucharistiam per quadragenos dies sumendam distribuit, ut dum (verbi gratia) quotidie cœlestis panis alimonia reficiuntur, tempus illud in mentem habeant quo, per quadraginta dies, Dominus discipulis apparens et convescens, desideratæ visionis satietate refecit.* In eodem Codice Ratoldi sequitur: *Et tunc communicant omnes episcopi ad manus archiepiscopi. Communio:* Lætificabimur in salutari tuo, et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. *Communio:* Beatus servus. Ubi nota duas Communiones.

782. *Hæc nos communio, Domine*, etc. In Codice Ratoldi: *Plenum, quæsumus, Domine, in nobis remedium tuæ miserationis operare*, etc., ut in Ordine Romano. In eodem Codice Ratoldi sequitur:

520 *Tunc mittendus est in cathedra, et hæc dicenda Oratio.*

Omnipotens Pater sancte, Deus æterne, tu omnem ordinem dignatus es in cœlestibus sedibus ordinare, ut ait Psalmista, *Domine, in æternum permanet Verbum tuum in cœlo*, angelos et archangelos suo tibi ordine mancipari; in veteris testamenti privilegio Moysen, et Aaron, et Samuel inter eos in sacerdotibus suis, qui invocant nomen ejus, patriarchas, prophetas perungui ordinasti; in novo per Filium tuum Jesum Christum apostolos sanctos suis ordinibus elegisti, primum Petrum apostolum in cathedra honoris, et Matthiam ejusdem consortis in apostolatum, atque in cathedra honoris enumerasti, et in numero sanctorum omnium apostolorum evocasti, ut Spiritus sanctus ait per prophetam, *in cathedra seniorum laudent Dominum*, divino nutu æque de aliis hæc illis contigerunt. Et tu, Domine, pro tua immensa misericordia in nostris temporibus da similem gratiam fratri nostro ill., ad instar sanctorum apostolorum tuorum sedentium in cathedra honoris et dignitatis, ut in conspectu Majestatis tuæ dignus honore appareat. *Per eumdem.* Ex his notandum est olim in usu fuisse ut episcopus consecratione perfecta in sede seu throno episcopali solemniter collocaretur, ut videre est apud Fortunatum, lib. I de Vita sancti Martini:

Eligitur, trahitur, sacratur, in arce locatur.

Ubi in arce, id est in throno, et supra in consecratione Romani pontificis: *Tunc episcopus Ostiensis consecrat eum pontificem, archidiaconus mittit ei pallium; deinde ascendit ad sedem.* In Constitutionibus apostolicis, lib. VIII, c. 5, ordinatus episcopus in sua sede collocatur. In eodem Codice Ratoldi sequitur: *Orationes quæ dicendæ sunt a domno papa super archiepiscopum ante pallium.* Deus omnipotens Pater, qui non propriis suffragantibus meritis, etc., ut in Ordine Romano. *Item alia:* Deus, innocentiæ restitutor et amator, dirige hunc famulum tuum ill. Spiritus tui fervore, etc., *ut in eodem Ordine. Hic detur pallium. Consecratio post pallium:* Domine sancte, Pater omnipotens, Rex regum, et Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, etc., *ut in Ordine Romano.* Hæc Ratoldi codex.

Pallium ita describit Innocentius III, lib. I Mysteriorum Missæ, cap. 63: *Pallium fit de candida lana, contextum habens desuper circulum humeros constringentem, et duas lineas sive fascias ex eodem panno ab utraque parte dependentes; quatuor autem cruces purpureas ante et retro, a dextris et a sinistris; sed a sinistris pallium est duplex, simplex a dextris; cui in tres partes conciso tres acus infiguntur (spinus vocant alii) quibus consuitur.* A Græcis dicitur ὠμοφόριον; sed non plane eadem est illius forma et pallii; neque olim in pallio cruces inerant, ut videre est in antiquissimis imaginibus sancti Gregorii, et sancti Remigii quas in hoc libro excudendas curavi. Plura de pallio vide quæ scripserunt doctissimi viri Andreas du Saussey, in libro de Scriptoribus mysticis, ritu 4, libello de Pallio sacro, et Franciscus Florens Antecessor Aurelianensis, ad titulum 8, de usu et auctoritate pallii.

783. *In natali Papæ.* Die quo in summum totius orbis pontificatum promotus est. Solebant enim quondam summi pontifices et episcopi anniversariam ordinationis suæ diem solemniter celebrare; qua de re consule Baronium in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, 18 Januarii.

784. *In die ordinationis suæ.* Subaudi, *anniversaria;* quod satis indicant hæc verba Orationis super oblata: *Annua festa repetentes sacerdotalis exordii.* Hæc autem ordinatio de episcopi, non de papæ initiatione intelligenda est, ut ex hac Missa palam est. Et hæc de collatione ordinum juxta normam Ecclesiæ Latinæ; cui subjungere non pigebit ritum Ecclesiæ Græcæ seu Orientalis in ordinibus conferendis, ex Græcorum **521** Euchologio, ac primum occurrit ordo qui servatur in constitutione lectoris et psalmistæ, quandoquidem minores alios conferre non solent.

Ordinandus igitur sistitur ante pontificem, si sæcularis est, cum vestimento, si vero monachus, cum pallio monachico, et ter a pontifice caput ejus signo crucis signatur, et tondetur ab illo in modum crucis, dicente in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, assistentibus ad singulas invocationes acclamantibus Amen. Deinde a quodam perfecte in clerici normam tondetur, et sic rursus pontifici sistitur, et accepto phænolio, eum induit; et ter ejus caput cruce signans, imponit ei manum, et sic orat: *Domine Deus omnipotens, elige hunc servum tuum, et sanctifica eum*, etc. Et post exclamationem, *Amen* videlicet, dat lectori librum apostolicum, et paulumper legens accipit a pontifice pacem. Si vero cantor est qui ordinatur, recitat aliquid ex Psalterio. Si vero plures sunt qui ordinantur lectores, simul ordinantur, et invocatio pluraliter recitatur. Et hæc de lectoris et psalmistæ ordinatione.

Sequitur ordo in creatione subdiaconi servandus. Pontifice ad portam speciosam sedente, antequam liturgiam incipiat, adducitur ad pontificem is qui subdiaconus ordinandus est, si est sæcularis, cum phænolio, id est penula, si vero monachus, cum pallio monachico. Jubet vero pontifex eum exuere penulam, et sticarium, id est strictam tunicam induere et cingere; afferri vero aquamanile et mantile. Deinde ter caput ejus cruce signans, manumque suam imponens, dicente diacono, *Deum oremus*, dicit pontifex hanc Orationem: *Domine Deus noster, per unum et eumdem Spiritum dividens unicuique eorum quos elegisti gratias*, etc. Et post responsionem *Amen* accipiens pontifex mantile, imponit humero sinistro illius qui ordinatur. Similiter dat ei et aquamanile; ille vero accipiens, illius manum osculatur, mittit aquam in manus ejus, et lavatur, dicens, ὅσοι πιστοί, τρίς. Et sic accepta Benedictione stat ante sacras

fores, etc. Si vero plures sunt ordinandi, oratio pluraliter effertur.

Sequitur ordo in diaconi creatione. Postquam dixit pontifex hanc exclamationem : *Et erunt misericordiæ magni Dei Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis*. Egressi duo diaconi sanctuarium, accipiunt ordinandum diaconum stantem in solea, et introducunt eum in sanctuarium, ter sanctam mensam circumeuntes, illud canentes : *Sancti martyres qui bene certastis*. Deinde accedens ad pontificem, ter cruce signatur in capite, eumque d scingi jubet, et tolli mantile. Deinde is qui ordinatur in sacra mensa frontem sustentat, et genu dextrum flectit, et cum archidiaconus exclamavit *Attendamus*, pontifex impositam habens manum capiti illius qui ordinatur, exclamat : *Divina gratia semper infirma curans, imperfecta perficiens, promovet in diaconum hunc piissimum subdiaconum. Oremus igitur pro eo, ut veniat super eum gratia sanctissimi Spiritus*. Et statim ter canitur *Kyrie eleison*, tum ab eis qui sunt intra sanctuarium, tum ab eis qui foris sunt, et pontifex signat ter caput illius signo crucis, et diacono dicente *Dominum oremus*, pontifex habens manum impositam sic precatur, *Domine Deus noster, in præscientia tua sancti tui Spiritus auxilium mittens*, etc. Dicto *Amen*, archidiaconus tenui voce, ita ut audire et respondere possint præsentes diaconi, recitat hæc diaconica : *In pace Deum oremus pro superna pace..... pro servo Dei illo, qui nunc diaconus promovetur, et pro salute illius Deum precemur*, etc. Pontifex habens manum impositam precatur sic : *Deus Salvator noster, qui incorrupta tua voce apostolis legem diaconatus sanxisti*, etc. Et dicto *Amen*, imponit ordinato orarium circa humerum sinistrum dicens *Dignus*; et juxta consuetudinem canitur ter *Dignus* ab iis qui sunt in Sanctuario, et ter a cantoribus. Deinde dat ei episcopus flabellum, dicens similiter *Dignus*. Et eum salutant omnes diaconi; ille vero, accepto flabello, stat a latere dextro sacræ mensæ, etc. Et tempore communionis, is qui ordinatus est prior communicat, et dicit diaconica, etc.

Sequitur ordo in presbyteri ordinatione. Expleto hymno cherubico, **522** ordinandus presbyter in solea stat, et duo exeuntes diaconi accipiunt illum ex utroque latere, et deducunt eum usque ad sacras portas; ibi vero dimittunt illum diaconi, et accipiunt duo presbyteri primus et secundus, et circumeunt sacram mensam, et canunt illud : *Sancti martyres, qui fortiter decertaverunt*. Ubi gyros compleverunt, inclinant se coram pontifice stante ante sacram mensam in suo throno, et is qui ordinatur osculatur genu pontificis supra humerale. Deinde pontifice surgente, ei, sistitur is qui ordinatur, et ter signatur ab eo in capite, et frontem admovens sacræ mensæ flectit utrumque genu. Et diacono exclamante *Attendamus*, statim exclamat sacerdos habens etiam dexteram manum illius capiti impositam : *Divina gratia semper infirma sanans, et imperfecta perficiens, promovet illum piissimum diaconum in presbyterum. Oremus igitur pro eo, ut veniat in eum gratia sanctissimi Spiritus*; et dicunt, *Kyrie eleison* ter ii qui sunt intra sanctuarium, similiter et cantores. Rursus igitur ter eum signans, et manum impositam habens, dicente diacono : *Dominum oremus*, dicit pontifex hanc Orationem mystice : *O Deus, qui es sine principio et fine*, etc. Dicto *Amen*, protopapa tenui voce, ita ut audire possint et respondere præsentes, dicit hæc diaconica : *In pace Dominum oremus pro superna pace..... pro servo Dei N., qui nunc presbyter ordinatur, et salute illius Deum oremus*, etc. Pontifex vero habens manum impositam sic orat : *O Deus magnæ potentiæ et investigabilis sapientiæ*, etc. Dicto *Amen*, erigit illum, et posteriorem orarii illius partem transfert ad anteriorem ex parte dextra, dicens *Dignus*; deinde induens eum phænolium exclamat rursus *Dignus*. Et idem canunt ii qui sunt intra sanctuarium, et psaltæ, et sic pontificem et presbyteros salutat; et abiens stat inter presbyteros legens contacium. Et diaconus stat in consueto loco dicens : *Impleamus Domine precationem nostram*. Sacris vero perfectis, cum dicturus est pontifex ut fiant sumentibus, accedenti ordinato pontifex ei sacrum panem porrigit, sic dicens : *Accipe hoc depositum, et serva illud usque ad præsentiam Domini nostri Jesu Christi, quando abs te debet illud repetere*. Accipiens vero osculatur manum pontificis, et ad locum pristinum transit; et positis super sacram mensam manibus, apud se dicit, *Domine, miserere*, et *miserere mei, Deus*. Cum vero pontifex dicturus est *Sancta sanctis*, ordinatus reddit sacrum panem, et primus inter cæteros presbyteros de manu pontificis communicat, et recitat Orationem quæ post ambonem dici solet.

Tandem sequitur ordo servandus in creatione episcopi. Finito trisagio, ascendit pontifex ad crepidinem quæ est ante sacram mensam, et is qui ordinandus est coram eo sistitur a tribus episcopis ex parte dextra. Chartophylax autem ex parte sinistra dat ei chartam, in qua hæc scripta sunt (si patriarcha ordinator est) : *Suffragio et approbatione sanctissimorum metropolitarum et archiepiscoporum, et episcoporum*; si vero metropolita, hæc : *Suffragio et approbatione a Deo dilectorum episcoporum et piissimorum presbyterorum, divina gratia, quæ semper infirma sanat, et imperfecta perficit, promovet N. a Deo dilectissimum presbyterum, episcopum a Deo salvatæ urbis N. Precemur igitur pro illo, ut veniat in illum gratia sanctissimi Spiritus*. Et ii qui sunt intra sanctuarium et extra ter canunt *Kyrie eleison*. Data igitur ejusmodi charta archiepiscopo, et chartophylace vel archidiacono dicente *Attendamus*, episcopus legit litteras audientibus circumastantibus, atque omnibus clamantibus *Kyrie eleison*, ut declaratum est. Aperit Evangelium episcopus, et imponit capiti et cervici illius qui ordinatur, aliis episcopis simul tangentibus. Deinde faciens tres cruces super caput illius, et habens manum ipsi impositam sic orat : *Magister Christe, Deus noster, qui nobis per gloriosissimum apostolum tuum Paulum graduum et ordinum seriem præscripsisti*, etc. Et dicto *Amen*, dicit unus episcoporum ordinantium tenui voce, ita ut audiatur et respondeatur a congregatis episcopis, hæc diaconica : *In pace Dominum deprecemur, pro superna pace* **523** *et salute..... pro servo Dei N., qui nunc promovetur episcopus, et pro salute ejus Dominum deprecemur, ut hominum amator Deus immaculatum ei et irreprehensibilem præsulatum largiatur, Dominum deprecemur*, etc. Pontifex habens sic vertici illius qui ordinatur manum impositam, sic precatur : *Domine Deus noster, qui, eo quod humana natura divinitatis essentiam sufferre nequeat, tua providentia simili nobiscum conditioni obnoxios magistros constituisti*, etc. Dicto *Amen*, tollit Evangelium et ponit super sacram mensam, et sic imponit ordinato humerale dicens *Dignus*; similiter et clerus dicit. Deinde tunc ordinatum salutat ordinator. Et, facta solita acclamatione fausta, ascendunt simul in suos thronos; primusque sedens is qui ordinatus est, dat pacem in apostolum, id est recitata lectione apostoli, dicit *Pax tibi*; primusque inter alios fit particeps corporis et sanguinis Domini, et ordinanti aliisque porrigit. Et hæc de ordinationibus juxta ritum Orientalis Ecclesiæ, circa quas quædam observare operæ pretium est.

In primis igitur hic notandum est quid sit phænolium. Φαινόλης, seu φελόνης, est genus pallii, penula seu vestis exterior quæ stichario, id est tunicæ strictæ, superinduitur, ut videre est apud Codinum : Φορῶν μὲν τὸ σύνηθες αὐτῷ στιχάριον, φορῶν δὲ ἐπ' αὐτοῦ φελόνην, id est, ferens sibi consuetam tunicellam, et super ipsam suum phænolium. Auctor veteris Etymologici : Φαινόλης χιτών· οἱ δὲ παλαιοὶ ἐφεστρίδα· παρὰ τὸ φαίνεσθαι ὅλον, id est, tunica. Prisci vero dixere ephestridem, ab eo quod tota appareat. Recte quidem, quia vestis est exterior, sicut ephestris. Et paulo post, φελόνης, χιτώνιον, id est, tuni-

cella. Porro patriarchæ phænolium album erat, et multis sparsum crucibus, quod proinde dicebatur πολυστούριον, a crucium multitudine. Consule Glossarium Græcobarbarum doctissimi viri Joannis Meursii.

2. Nota lectorem ordinari per manus impositionem, juxta Constitutiones apostolicas, lib. VIII, cap. 22, et septimam synodum, cap. 14, ubi improbat synodus pueros tonsuratos in ecclesia legentes, μήπω παρ' Ἐπισκόπου χειροθεσίαν λαβόντας, id est, qui nondum manus impositionem ab episcopo acceperunt.

3. Nota hypodiaconum etiam ordinari per manus impositionem; quod videre est etiam in Constitutionibus apostolicis, lib. VIII, cap. 21.

4. Notandum est subdiaconum, accepta Benedictione, statim ante sacras fores stare, quoniam earum custodia quæ olim diaconis apud Græcos committebatur, ut notum est ex sancto Dionysio, cap. 5 eccl. Hierarchiæ, modo creditur subdiaconis, quod etiam ætate sancti Maximi usitatum erat, ut ex illius ad sanctum Dionysium scholiis manifestum est: Σημείωσαι, ὅτι οἱ Διάκονοι τότε τὰς θύρας εἶχον, νῦν δὲ οἱ ὑποδιάκονοι. Id est: Nota tum diaconos fores custodisse, nunc vero id subdiaconos præstare. Sacræ fores hic sunt fores cancellorum sacrarii, ut colligere est ex ordinatione presbyteri.

5. Nota diaconum in sua ordinatione genu dextrum flectere, juxta sanctum Dionysium, cap. 5 eccl. Hierarchiæ, sed utrum flecti debeat, ibi non exprimitur.

6. Notandum diaconica esse quosdam versus, quos preces vocamus, quæ a diaconis decantantur; qui et εἰρηνικά, id est, pacifica dicuntur. Liturgia præsanctificatorum: *Postquam dictum est illud, ut et ipsi*, λέγονται καὶ ταῦτα τὰ διακονικά, ἤγουν εἰρηνικά, id est, *dicuntur et hæc diaconica*, id est, *pacifica*. Pacifica autem a diaconis dici solita palam est ex sancti Joann. Chrysostomi liturgia. Infra in ordinatione episcopi dicuntur diaconica ab episcopis, quia illa spectant ad ordinationem episcopi.

7. Observandum est hanc vocem, *dignus*, etiam proclamari in imperatoris coronatione apud Codinum, in lib. de offic. Aulæ.

8. Flabellum diacono porrigitur, quia apud Græcos dum sacra mysteria celebrantur, diaconi super eis movent flabella ex plumis concinnata, in symbolum sex alarum sanctorum seraphim. Jobius, lib. V, cap. 25: **524** *Addit insuper cum corpus dominicum in sacra mensa propositum est, ideo qui ab utroque latere sacris operantibus astant*, ῥιπίδας πτερῶν πεποιημένας τοῖς προκειμένοις φρικτοῖς ἐπικινεῖν, etc., id est, *super proposita tremenda mysteria movere flabella ex pennis, in symbolum sex alatorum, ne sinant initiatos rebus visis immorari* (*In Bibliotheca Photii, n.* 222). Sanctus Germanus Constantinop., in Theoria mystica: Ῥιπίδες εἰς τύπον εἰσὶ τῶν χερουβίμ, id est, flabella vero sunt in typum cherubim; et infra: Τὰ δὲ ῥιπίδια καὶ οἱ διάκονοι ἐμφαίνουσι τὰ ἑξαπτέρυγα Σεραφίμ, etc., id est, flabella vero et diaconi significant sex alas gestantia seraphim, et multi oculorum cherubim effigiem. Joannes Moschus, capite 96, agens de pueris pastoribus vici cujusdam, qui Thorax dicitur, circa partes Apameæ in secunda Syria, divinorum mysteriorum celebrationem imitantibus: *Assistuntque, unus quidem, qui fungebatur officio presbyteri, medius; duo vero alii hinc et hinc veluti diaconi. Et ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat*, οἱ δὲ τοῖς φακιολίοις ἐρρίπιζον, id est, *illi vero fasciolis, tanquam flabellis auram faciebant*. Et supra, cap. 150, agens de quodam episcopo celebrante divina mysteria coram sancto Agapeto Romano pontifice: Πλὴν τὸν διάκονον τὸν κατέχοντα τὸ ῥιπίδιον, etc., id est, sed diaconum qui tenet flabellum remove ab altari. Ubi nota hujus flabelli usum aliquando Romæ fuisse. Vita sancti Epiphanii, apud Metaphrastem: Πρῶτον ἐπέχει τῷ ἐξ ἀριστερῶν διακόνῳ τῷ ῥιπιστήριον διακρατοῦντι τὸ λειτουργικὸν, id est, primum observat a sinistris diaconum, qui flabellum tenebat liturgicum. Meminit Chronicon Alexandrinum, olympiade, 351: *Hoc anno, mense Artemisio, qui Romanis est Maius, indictione 12, Sergio patriarcha Constantinopolitano, cœptum est psalli, posteaquam sacra mysteria perceperant*, ἐν τῷ μέλλειν τοὺς κληρικοὺς ἐπὶ τὸ σκευοφυλάκιον ἀποκαθιστάναι τὰ τίμια ῥιπίδια, id est, *cum clerici referrent in sacrarium veneranda flabella*. Praxis videtur in liturgia sancti Joannis Chrysostomi: καὶ ῥιπίζει ἐπάνω τῶν ἁγίων μετὰ ῥιπιδίου εὐλαβῶς, id est, et ventilat (diaconus) super sancta cum flabello reverenter.

9. Videndum est quid sit solea in ordinatione presbyteri et diaconi, ἡ σωλία, ὁ σωλέας, et τὸ σωλῖον, et σολεῖον, nam varie scribitur hoc nomen, a nonnullis explicatur eminentius ecclesiæ pavimentum, a quibusdam chorus, ab aliis solium. Ego vero puto esse pavimentum ecclesiæ quod est ante fores sacrarii inter chorum et sacrarium in quo est altare.

Quod apparet ex hoc Euchologii loco, ubi duo diaconi exeuntes, de sacrario videlicet, stantem in solea illum qui presbyter est ordinandus deducunt usque ad sacras portas, et inde accipientes eum duo presbyteri cum eo sacram mensam circumeunt. Et apud Codinum, libro de Officiis aulæ, dicitur imperator descendere de ambone, ab ea parte quæ tendit ad soleam et sanctum altare. Estque pavimentum eminentius ecclesiæ, eo quod elatum sit, et pulchris lapidibus ornatum; quod in magna Constantinopolis ecclesia ex lapide onychite stratum erat, ut ex Cedreno manifestum est.

10. Videndum est quid sit protopapa, qui juxta Codinum est ἔκδικος, καὶ πρῶτος τοῦ βήματος, καὶ φέρων τὰ δευτερεῖα τοῦ Ἀρχιερέως, id est, defensor, et primus altaris, et secundas ab summo sacerdote obtinens. Isque est Ecclesiæ protopapa. Nam imperator suum etiam habebat protopapam, ut docet Codinus, lib. de Offic. Constantinop.: Ἔχει μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς πρωτοπαπᾶ εἰς τὸν κλῆρον αὐτοῦ. Ἔχει δὲ καὶ ἡ Ἐκκλησία. Id est, habet enim imperator cleri sui protopapam, habet etiam Ecclesia. Interdum vero unus protopapa utrique clero præsidebat, ait idem Codinus.

11. Videndum est quid est contacium. Arcudius contacium interpretatur liturgiam quam recitat recens ordinatus, cum cæteris qui adsunt presbyteris. Sed contacium duo significat: primo tomum, volumen. Manuel Moschopulus, de Schedis, τόμος, τὸ κοντάκιον unde apud Codinum, lib. de Offic. aulæ, cum de illo commemorationе agit, τὸ κοντάκιον τῆς χειροτονίας, id est, volumen in quo ordinationes continentur. Secundo est quoddam cantici genus, ut planum est ex eodem Codini libro, ψάλλοντες μετ' αὐτὸ τὸ κοντάκιον, Ἡ παρθένος σήμερον, etc., id est, deinde **525** canentes contacium, virgo hodie, etc.

12. Quod spectat ad episcopi ordinationem, ejus qui ordinatur nullus assignatur situs, an videlicet sedere aut stare, aut genua flectere debeat. Qui sane olim utrumque pedem flectebat, ut planum est ex sancto Dionysio, cap. 5, de Hierarchia ecclesiastica; et ex sancto Gregorio Nazianzeno, in Oratione funebri patris sui, cum ait in ejus baptismo omen futuræ in eo dignitatis episcopalis a multis observatum fuisse, eo quod, juxta consuetudinem eorum qui baptizantur, minime steterit, sed genu flexerit, ut usu venire solet in episcopis, dum ordinantur. Sed mos antiquus mutatus est; quod etiam observat sanctus Maximus, ad hæc sancti Dionysii verba, ἄμφω τὼ πόδε, cum ait, νῦν ἑτέρως ἐπιτελεῖται, id est, nunc aliter consecratur. Itaque miror cur Petrus Arcudius suæ interpretationi hæc addiderit, *ibi fronte incumbens sacræ aræ utrumque genu flectit*, cum non exstent in textu Græco quem profert, nec in Editione veteri Venetiarum, qua nos usi sumus, non reperiantur.

13. Discendum est ex Codino, libro citato, circa initium, quid sit chartophylax: Ὁ χαρτοφύλαξ, κρατῶν τὰ Ἐκκλησιαστικὰ χαρτῷα δικαιώματα, etc., id est, qui tabulas habet chartaceas ad jura ecclesiastica pertinentes, judex est omnium causarum ecclesiasticarum, cognoscit de causis nuptialibus, et defensor in cæteris clericorum causis, ὡς δεξιὰ τῆς Ἀρχιερέως χεὶρ, id est, veluti manus summi sacerdotis dextera.

14. Quid sit ὠμοφόριον, seu humerale, videndum est, quod commune est omnibus episcopis ornamentum cujusvis gradus sint, oblongis sudariis simile, quod in patriarchis et archiepiscopis designat stolam Aaronis circa humerum sinistrum compositam et jugum mandatorum Christi. In episcopis vero significat ovem perditam, quam Dominus super humeros reportavit; habetque cruces, quia Christus humeris suis crucem bajulavit; et qui volunt Christum imitari, crucem humeris suis tollunt, quod est adversitatum tolerantia. Ita docet sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica. Meminit sanctus Isidorus Pelusiota, lib. I, epist. 136: Τὸ δὲ τοῦ Ἐπισκόπου ὠμοφόριον ἐξ ἐρίας ὄν, ἀλλ' οὐ λίνου, τὴν τοῦ προβάτου δορὰν σημαίνει, id est, episcopi humerale ex lana, non ex lino, significat pellem ovis errantis, quam Dominus humeris suis sustulit. Mentio fit in synodo ad quercum, in Bibliotheca Photii, n. 59, ubi accusatur sanctus Joannes Chrysostomus, quod tribus diaconis Acacio, Edaphio et Joanni, ὡς τὸ ὠμοφόριον αὐτοῦ κλέψαντας, id est, tanquam ejus humerale furto sustulerint, diem dixerit.

15. Observandum est, cum signatur ordinandus episcopus, olim dici solitum: Σφραγίζεται ὁ δεῖνα ἀπὸ πρεσβυτέρου εἰς Ἐπίσκοπον ἐν ὀνόματι Πατρὸς καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος. Id est: Signatur N. ex presbytero in episcopum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Similiter in presbyteri et diaconi ordinatione, ut docet sanctus Maximus, in scholiis ad cap. 5 sancti Dionysii, quæ tamen verba non exstant in Euchologio, quæ sanctus Maximus appellat ἀνάρρησιν, quæ est veluti quædam prædicatio ex nomine. Ejusmodi autem signationes sumptæ sunt ex sancto Dionysio, capite citato.

16. Notanda sunt hæc verba, ἡ θεία χάρις, etc. Usus enim eorum satis antiquus est, si quidem illorum meminit sanctus Maximus in caput citatum sancti Dionysii: *Hæc autem recitationem vocat, quando in ipsa ordinatione pronuntiat*, τὸν χειροτονούμενον ἡ θεία χάρις προχειρίζεται τόνδε εἰς τόνδε, id est, *divina gratia hunc qui ordinatur promovet ad hunc ordinem.*

17. Notanda sunt hæc verba, *pro servo Dei;* nam olim aliter habebatur, ut constat ex eodem Maximo in caput citatum, *Quæ est in ordinationibus declaratio, verbi gratia in ordinatione episcopi:* Ὑπὲρ τοῦ ἁγίου πατρὸς τοῦδε. Ἐπὶ δὲ πρεσβυτέρου, Ὑπὲρ τοῦδε πρεσβυτέρου. Ἐπὶ δὲ διακόνου, Ὑπὲρ τοῦδε ἀδελφοῦ ἡμῶν, τοῦ διακόνου. Id est: *Pro sancto Patre episcopo* N. *in presbyteri, pro presbytero* N. *in diaconi, pro fratre nostro* N. *diacono.*

18. Nota salutationem, cujus hic crebra mentio est, **526** non esse simplicem salutationem, sed eam esse quæ cum amplexu, amicitiæ gratia, fiat. Nam ἀσπάζεσθαι, non est simpliciter salutare, sed cum amplexu, ὑπὸ τῆς φιλίας ἑνῶσθαι, id est, per amicitiam conjungi, ait etymologicum vetus. Quare, ut inquit sanctus Dionysius, cap. 5 eccl. Hierar., unde hæc est emendicata salutatio, ejusmodi salutatione significatur sacra communio, amabilisque lætitia mentium bene inter se convenientium.

19. Observandum est nullas esse in hoc Euchologio unctiones in ordinationibus episcopi et presbyteri, quod contigisse quidem arbitror, quia ferme in omnibus sequitur sanctum Dionysium, qui capite toties citato nullam in his ordinationibus unctionis fecit mentionem, quæ tamen olim etiam apud Græcos in usu fuisse videtur, quia supra citati sanctus Gregorius Nazianzenus et sanctus Joannes Chrysostomus illius meminere, nisi dicere malis eos juxta mysticum sensum fuisse locutos.

785. *Oratio ad abbatem faciendum.* In benedictione abbatis non adhibetur manus impositio, sed simplex Oratio, ut docet Ivo Carnotensis, epist. 57: *Quid ergo est disceptandum in Benedictione abbatis, a quocunque episcopo eam fuerit consecutus, in qua nec fit manus impositio, nec consecratio, sed simplex Oratio*, etc. Quod ab ordine Romano non dissidet, qui tamen addit quasdam cæremonias, quas ibidem videre est, in quo tamen consecratio sumitur latius pro Benedictione. Ita in Ecclesia Latina; secus in Græca. In ea enim abbas per impositionem manus episcopalis creatur, ut apparet ex synodi VII can. 14: *Lectoris autem manuum impositionem licet in proprio monasterio etiam soli unicuique monasterii præfecto facere*, εἰ αὐτῷ τῷ ἡγουμένῳ ἐπετέθη χειροθεσία παρὰ Ἐπισκόπου πρὸς προεδρίαν ἡγουμένου, etc., id est, *si ipsi præfecto ab episcopo manus est imposita, ad abbatis præsidentiam seu dignitatem, dummodo illum presbyterum esse constet.*

786. *Incipiunt apologiæ.* Apologia hoc loco est excusatio, et purgatio, qua sacerdos excusat se, eo quod indignus ad tam veneranda et tremenda mysteria accedat. Glossæ veteres mss., *apologia, vel apologesis, excusatio. Hinc apologeticus sermo excusativus.* Glossæ veteres Græcolatinæ, ἀπολογία, *excusatio, purgatio, satisfactio.* Ubi satisfactio est excusatio, ut apud sanctum Ambrosium, serm. 46: *Ergo Petrus prorupit ad lacrymas, nihil voce precatus. Invenio quod fleverit, non invenio quid dixerit. Lacrymas ejus lego, satisfactionem non lego. Recte sane Petrus flevit, et tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari; et quod defendi non potest, ablui potest.* Quæ verba satis ostendunt satisfactionem sumi pro excusatione. Ibi enim confertur Adam qui se excusavit cum sancto Petro qui non se excusavit, sed flevit. Et verbum ἀπολογοῦμαι. Eædem Glossæ, ἀπολογοῦμαι, *excuso me.* Itaque in Codice Rodradi modo dicitur apologia, modo excusatio. Has et similes apologias dicebat sacerdos in ipsa Missa ante Offertorium et Consecrationem, rarius post, dum chorus cantaret, ut videre est supra in Missa Codicis Tiliani.

In Codicibus editis et Rodradi reperiuntur nonnullæ apologiæ, sed pauciores, quam in hoc Codice. Prior Codicis Rodradi sub hoc titulo: *Hanc Orationem beatus Ambrosius composuit; et antequam Missam celebraret, veniam pro suis peccatis postulando canere solebat, hoc modo, dicens: Ante conspectum divinæ Majestatis tuæ reus assisto*, etc., ut in Codice Tiliano, sed in quibusdam variat; ubi etiam recitatur ante Offertorium; et ita capiendus est titulus Rodradi, ubi dicitur hanc Orationem a sancto Ambrosio solitam recitari ante Missam. Nam Missa proprie incipit ab Offertorio, ut clarum est ex ipso sancto Ambrosio, lib. V, epist. 33, ad Marcellinam: *Sequenti die (erat autem Dominica) post lectiones et tractatum, dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ. Illic nuntiatum est mihi comperto quod ad Porcianam basilicam de palatio decanos misissent, et vela suspenderent, populi partem* **527** *eo pergere; ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Dum offero raptum cognovi a populo Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Ariani.* Ubi vides Missam incipi dimissis catechumenis traditoque eis Symbolo, qui tamen tantum dimittebantur dicto Evangelio. Competentes enim sunt ibi catechumeni qui baptismum petebant, de quibus supra actum est.

787. *Impellit ministrandi officium*, etc. Hæc apologia in Missa a Matth. Illyrico edita recitatur a pontifice cum nonnullis aliis, choro Gradale, Alleluia et Sequentiam canente, ubi legitur *impellit me peccatorem.*

788. *Hostia salutaris.* Locus corruptus; lege ut in

Missa Illyrici : *Hostiam salutarem offerre*, et clarus est sensus.

789. *Peripsema.* Ita in Missa Illyrici, est antiptosis ; nam dicendum erat *peripsemate*. Quid sit peripsema docet Hesychius his verbis, περίψημα, περικατάμαγμα, ἀντίλυτρα, ἀντίψυχα, ἢ ὑπὸ τὰ ἴχνη πάντων, id est, ejectamentum, seu purgamentum, pretium redemptionis, piaculum, vel id quod est sub vestigiis omnium, quod omnium pedibus conculcatur. Glossæ veteres mss. biblioth. Corb. : *Peripsema, limatura metalli, et purgamenta pomi, et quisquiliæ domus, et rasura cujusque rei.* Usurpatur hic, ut olim a sancto Paulo pro re vili et abjecta.

790. *Ne indignum.* In Missa Illyrici legitur *ne me indignum.*

791. *Suspende securim.* In eadem Missa legitur : *Suspende precor interventu istorum, et omnium sanctorum meritis securum ;* sed lege *securim* utrobique.

792. *Perspicue.* Lege *Propitium*, ut in Missa Illyrici.

793. *Dum confessor in cruce, possessor.* Est paranomasia.

794. *Ut quia.* In Missa Illyrici legitur *at quia.*

795. *Ante oculos tuos, Domine*, etc. Hæc apologia habetur in Missa Codicis Tiliani ; diciturque ibi a sacerdote seu pontifice, finito Evangelio, dum ornatur altare, antequam suscipiat sacerdos oblationes offerentium. Bis exstat in Missa Matthiæ Illyrici ; et primo recitatur inter Epistolam et Evangelium cum quibusdam aliis. Secundo cum fuerit ornatum altare, antequam sacerdos suscipiat oblationes offerentium. Habetur in Codice Rodradi et in Editis.

796. *Vix audeo.* In Missa Illyrici legitur *non audeo.*

797. *Tu enim scis, Domine, omnia quæ aguntur in nobis.* In Missa Illyrici legitur : *Tu scis, Domine, quæ aguntur in nobis.*

798. *Erubescimus confiteri*, etc. Ita Ovidius, in epistolis :

Quæ fecisse juvat, facta referre pudet.

799. *Per nos.* Deest in Missa Illyrici, et in Codice Tiliano.

800. *Admittere.* In Codice Rodradi legitur *admitti.*

801. *Parce, Domine, confitentibus*, etc. In Missis Tiliana et Illyrici legitur : *Sed parce, Domine, confitentibus, ignosce peccantibus, miserere te rogantibus.* In prima tamen apud Illyricum legitur, *confidentibus*, loco *confitentibus*, et *precantibus*, pro *peccantibus.*

802. *Infirmus est.* In Missis Tiliana et Illyriciana hæc adduntur : *Et* **528** *apud te non habent peccatores verba sine crimine.*

803. *Ut qui ex nobis.* In præfatis Missis ita legitur : *Visi ex nobis indignis et peccatoribus.* In prima Illyriciana τὸ *et peccatoribus* desideratur.

804. *Per te nobis.* In Missa Illyrici legitur, *per temetipsum veniam*, etc. In Codice Tiliano, *per temetipsum nobis*, etc.

805. *Per Dominum.* In Missa Illyrici : *Qui vivis et regnas*, etc. In Missa Tiliana : *Qui vivis et regnas Deus nunc et semper, et in sæcula sæculorum.*

806. *Conscientia quidem trepidi*, etc. In Missa Illyrici hæc Oratio recitatur, cum ornatum est altare, antequam sacerdos suscipiat oblationes offerentium. Non exstat in Missis Tiliana et Ratoldi abbatis, nec in Codice Rodradi, nec in Editis.

807. *Sed si recedimus.* In Missa Illyrici legitur *tamen si recedimus*, quæ quidem lectio præstare videtur.

808. *Pro qua re dignare nos*, etc. In Missa Illyrici legitur : *Pro qua re pietate paterna omnipotens Deus, atque placabili vultu cordis nostri interiora purgare digneris.*

809. *Etsi nos reatu peccatorum*, etc. In Missa Illyrici hæc ita contracta leguntur, et corrupta : *Precamur etiam (etsi culpabiles simus) nostrorum, tamen tibi placita mysteria consecrata.* Nam τὸ *nostrorum*, ibi redundat, et τὸ *consecrata* non ita recte legitur, quia dum hæc Oratio recitatur a pontifice, nondum sunt mysteria consecrata, sed consecranda.

810. *Ignosce, Domine, ignosce.* In Codice Tiliano hæc Oratio recitatur a sacerdote cum altera post Collectam, usque ad Evangelium prout ei placuerit. In Missa Illyrici recitatur, dum populus communicat : *Interim dum communicant dicat, Ignosce, Domine.* Porro in præfatis Missis non repetitur τὸ *ignosce.* Hæc apologia habetur in Codice Rodradi.

811. *Quod dum rogare compellor.* Ita in Missa Illyrici. In Codice Tiliano, *quod te rogare compellor.*

812. *Et cum pudendorum actuum.* In Missa Tiliana legitur : *Ut cum pudendorum*, etc. In Missa Illyrici, *et immundorum actuum.*

813. *Non habeo apud te, nec verba sine crimine.* In Codice Tiliano legitur, *nam habeo apud te*, etc. In Missa Illyrici deest particula *nec.*

814. *Et cogitationum.* In Missa Illyrici legitur *tu cogitationum.*

815. *Per Dominum nostrum Jesum.* In Missa Illyrici legitur : *Salvator, miserere mei.* In Missa Tiliana : *Salvator mundi, qui vivit ;* lege *vivis.* In Codice Rodradi : *Salvator mundi, qui cum Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

816. *Rogo te, Deus Sabaoth*, etc. Hæc apologia non exstat in Missa Illyrici, neque in Editis, neque in Cod. Tiliano, nec in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

817. *Uti.* Id est, *ut.*

818. *Ante æterni Regis præsentiam*, etc. Neque hæc apologia exstat in Missa Illyrici, neque in aliis Codicibus supra citatis.

819. *Livore torquetur.* Id est, contabescit.

529 820. *Eripiat nos*, etc. Hæc et duæ sequentes apologiæ habentur in Editis, et sub eisdem titulis. Hæc autem prior non exstat in Missa Illyrici, nec in Cod. Tiliano, nec in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

821. *Mordacis conscientiæ stimulis*, etc. Hæc apologia in Missa Illyrici dicitur tempore Gradalis, Alleluiæ et Sequentiæ. Non exstat in Codice Tiliano, neque in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

822. *Te Deum.* In Missa Illyrici, prætermisso pronomine *te*, legitur *Dominum.*

823. *Peccatum est.* In eadem Missa legitur *deliquimus.*

824. *Commissum.* In eadem Missa legitur *commisimus.*

825. *Resolvere, ac indulgere dignetur.* In eadem Missa : *Solvere, ac perdonare dignetur.* Post quæ in eadem Missa hæc sequuntur : *Ut, te, Domine, annuente, valeamus quæ mala sunt declinare et quæ bona sunt consequenter explere. Et quia nos fecisti ad tua sacramenta pertinere, tu clementer in nobis eorum munus operare, omnibusque errantibus indulge juxta magnitudinem pietatis tuæ.*

826. *Indignum me, Domine*, etc. Hæc Oratio in Missa Illyrici recitatur cum quibusdam aliis, postquam in altari pontifex Confessionem perfecit. Habetur etiam in Missa Ratoldi, recitaturque ibi ut primum pontifex accessit ad altare.

827. *Quid ego te blandis.* Ita in Codice Ratoldi. In Missa Illyrici legitur : *Nam qui te blandis.*

828. *Ingeris.* In Missa Illyrici et in Codice Ratoldi additur *ægro.*

829. *Sanitati meæ* In Missa Illyrici additur *indesinenter.*

830. *Recedo.* In Missa Illyrici additur : *Quasi dignum me in oculis hominum ostendo ; sed in tuo conspectu, quem occulta non fallunt, diversis sceleribus pollutus sordeo. Sed tuum est, Domine Deus, dare peccatori cor compunctum, fontemque lacrymarum, quo digne valeam abluere multitudinem scelerum.*

831. *Nubem ea cito delere.* Ita in Codice nostro ms. sancti Eligii, sed inter τὸ *ea* apparent vestigia duo-

rum M abrasorum. In Editis legitur, *nubem cito delere.* A In Missa Illyrici, rectius, *ea, ut nubem, cito delere.* In Codice Ratoldi, *ea, ut nivem, cito delere*, optime.

832. *Ut qui hanc palmam amiserim.* In Codice Ratoldi legitur, *et licet palmam amiserim.* Ita in Missa Illyrici, in qua tamen additur τὸ *innocentiæ.*

833. *Ad veniam saltem pertineam*, etc. In Cod. Ratoldi legitur *perveniam.* In Missa Illyrici legitur : *Saltem per confessionem veniam merear, te miserante.*

834. *Tibi enim Deo est*, etc. In Missa Illyrici legitur : *Ut tibi sit gloria, laus, et honor, cuncta regenti in sæcula sæculorum. Amen.*

835. *Projectis nobis*, etc. Hæc apologia cum multis aliis in Missa Illyrici recitatur a pontifice seu sacerdote tempore Gradalis, Alleluiæ et Sequentiæ, hoc est, inter Epistolam et Evangelium.

836. *Quia tibi.* In Missa Illyrici præponitur copulativa *et*, rectius.

837. *Gerimus.* In Missa Illyrici legitur *gessimus*, rectius.

838. *Sit in nobis, Domine*, etc. In Missa Illyrici B hæc aliter leguntur in hunc modum : *Concede ; ut in nobis non oris sit tantum confessio, sed etiam cordis.*

530 839. *Castos enim.* In Missa Illyrici legitur, *siquidem castos.*

840. *Mundi.* Hoc vocabulum deest in Missa Illyrici.

841. *Mores.* In Missa Illyrici legitur *sunt mores.*

842. *Sollicitudo carnis.* In Missa Illyrici legitur *sollicitudo terrena.*

843. *Da de præteritis veniam*, etc. In Missa Illyrici hæc in hunc modum leguntur : *Et da de præteritis malis veniam, de præsentibus emendationem, de futuris cautelam, qui vivis*, etc.

844. *Ita, Domine, immensi criminis rei.* Hæc apologia non est in Editis, neque in Missis Illyrici, Ratoldi et Tiliana, neque in Codice Rodradi.

845. *Nec se a facie tua.* Lege *non a facie tua.*

846. *Quodcunque.* Lege *quod quemque.*

847. *Item alia in tribulatione.* Hæc apologia recitatur a pontifice seu sacerdote in Missa Illyrici, tempore Gradalis, Alleluiæ et Sequentiæ. Nuper edita est jussu S. P. N. Urbani VIII papæ, sed dimidia circiter parte brevior. Non exstat in Editis Sacramentariis, neque in Cod. Tiliano, neque in aliis Codicibus nostris manu scriptis.

848. *Si ante oculos tuos*, etc. Ita in Missa Illyrici. In Edita hæc aliter fusius leguntur in hunc modum : *Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus ; et plagas quas accepimus conferimus, si pensamus malum quod fecimus*, etc.

849. *Et plagas, quas excipimus, conferamus.* In Missa Illyrici legitur : *Plagas, quas vel durissimas in hac vita pati possumus, conferamus.*

850. *Quod meremur.* In Edita hæc adduntur : *gravius est quod commisimus, levius est quod toleramus.*

851. *Frangitur.* In Edita legitur *teritur.*

852. *Et in opere.* In Missa Illyrici legitur *et tamen in opere.*

853. *Non emendat.* Ita in Missa Illyrici, et hæc phrasis non semel occurrit in regula sancti Benedicti. In Edita legitur *non se emendat.*

854. *Si exspectas.* Ita in Edita. In Missa Illyrici legitur *si exspectamur.*

855. *In correptione.* Ita Missa Illyrici. In Edita legitur *in correctione.*

856. *Si impresseris.* Ita in Missa Illyrici. In Edita legitur *si extenderis.*

857. *Si parcas.* In Edita legitur *si peperceris.* In Missa Illyrici *si parcis.*

858. *Te provocamus.* Ita in Missa Illyrici. In Editis deest pronomen *te.*

859. *Si angustiæ veniunt*, etc. Ita in Missa Illyrici. In Edita hæc desunt, usque ad hæc verba : *habes, Domine, confitentes reos.*

860. *Non timemus observare.* Particula *non* videtur redundare. In Missa Illyrici legitur *non timemus negligere*, recte.

861. *Novimus.* In Missa Illyrici legitur, *vovimus*, male.

862. *Nos punias.* Ita in Missa Illyrici. In Edita legitur *non perimas* ; sed lege *nos punias.*

863. *Ex nihilo.* Hæc desunt in Missa Illyrici.

864. *Qui rogarent.* In Missa Illyrici legitur *cui rogarent*, non ita recte. 531 In Edita, *qui te rogarent*, quæ in hoc vocabulo desinit.

865. *Tuo supplices auxilio.* Hæc usque ad illa verba, *erige nos, Domine*, desiderantur in Missa Illyrici.

866. *Quod rogaris accipere.* Id est, quod rogatis ut a te accipiant, nempe remissionem peccatorum.

867. *De tua justitia.* Quam vehementer timent ob peccatorum gravitatem et multitudinem. Aut certe legendum *de sua justitia.*

868. *Cuncta regentium.* Locus corruptus ; lege *cunctarum gentium*, ut in Missa Illyrici.

869. *Ignosce, Domine*, etc. Hæc apologia exstat in Missa Illyrici, recitaturque a pontifice seu sacerdote, cum ornatum fuerit altare antequam suscipiat oblationes.

870. *Commaculatæ conscientiæ sordido.* In Missa Illyrici legitur : *Quem maculatæ vitæ conscientiæ trepidum, et criminum meorum confusio fecit captivum.*

871. *Qui pro me obtinere nihil mereor.* In Missa Illyrici legitur : *Qui pro me veniam obtinere non valeo.*

872. *Angustias pauperum.* Hæc verba desiderantur in Missa Illyrici.

873. *Lamenta viduarum.* In Missa Illyrici additur τὸ *desolationes Ecclesiarum.*

874. *Et quoniam in eadem*, etc. In Missa Illyrici legitur : *Sed quoniam me eadem quæ populum catena peccati constringit.*

875. *Communes lugeo passiones.* In Missa Illyrici legitur : *Ideo omnes lugeo passiones.* Sed prior lectio præstare videtur.

876. *Votum.* Id est, oratio sacra et divina.

877. *Deus ad quem accedere*, etc. Hæc apologia desideratur in Missa Illyrici, et in Cod. Tiliano quemC admodum in Editis et in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

878. *Dimitte Deus*, etc. Hæc apologia recitatur in Missa Illyrici a pontifice seu sacerdote, inter Epistolam et Evangelium, id est tempore Gradalis, Alleluiæ et Sequentiæ, eique hic titulus præfigitur : *Oratio pastoris dicenda pro se et pro subditis.*

879. *Deus.* In Missa Illyrici legitur *Domine Deus omnipotens.*

880. *Perenna.* Perennare hoc loco sumitur active, id est perpetuare, id est efficere ut aliquid in perpetuum duret. Alcimi Epitaphium :

Quem pietas, quem larga fides, quem fama perennat.

Alias sumitur intransitive. Tertullianus lib. de Resurrectione carnis : *Sed et dentes incorruptos perennare.* Est autem hic hypallage, pro *perenna præconium veritatis in ore meo.* In Missa Illyrici legitur *per arma*, sed prior lectio prævalet.

881. *Justifices.* In Missa Illyrici legitur *sanctifices*, D quod perinde est.

882. *Respicis.* In Missa Illyrici legitur τὸ *est ;* sed prior lectio præstare videtur, etenim sequitur τὸ *inspicis*, ut sit elegans paronomasia.

883. *Si quam*, etc. In Missa Illyrici legitur : *Si qua vitio tepiditatis meæ vel incuria contraxerunt delicta, propitius admitte ;* sed τὸ *admitte* mendosum est, et legendum *omitte*, id est dimitte, ut in nostro Codice. Nam omitto est dimitto, ut supra notatum est ; vel legendum est *amitte*, id est amove, amanda, ablega, ut apud Terentium.

532 884. *Vel cognito.* Lege *vel cognoscente.* In Missa Illyrici legitur *vel sciente.*

885. *Ignosce.* In Missa Illyrici legitur : *Manu misericordiæ tuæ inde eripe.*

886. *Et increpatio ipsa.* In Missa Illyrici hæc vocabula, *et ipsa*, desiderantur.

887. *Mortales.* Est solœcophanes. In Missa Illyrici legitur *mortalibus.*

888. *Utrorumque.* Tum eorum quibus ansam præbui peccati, tum eorum quos subjeci pœnitentiæ legibus.

889. *Et qui.* In Missa Illyrici legitur *et quia.*

890. *Flammescentes.* In Missa Illyrici legitur *flammescere.*

891. *Ut et disciplinis,* etc. In Missa Illyrici legitur : *Ut ex disciplina nostri regiminis capiant lucrum.*

892. *Lætemur.* In Missa Illyrici legitur *gaudemus.*

893. *Ablue nos, Deus,* etc. In Missa Illyrici legitur : *Ablue nos, omnipotens Deus, et alieno et proprio delicto.*

894. *Orationes ad visitandum infirmum.* Visitatio seu unctio infirmorum, quam extremam unctionem dicunt, ultimum Christianæ legis sacramentorum, cujus beneficio anima adversus cacodæmonis insultus in supremo agone circumvallatur, peccata dimittuntur, atque interdum sanitas corpori restituitur, promulgatur a sancto Jacobo (*Epist. c.* v) : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini,* etc. Maxima fuit olim Christianis cura visitandi infirmos, quam visitationem ponit Tertullianus inter tres causas procedendi in publicum, libro II de Cultu feminarum : *Vobis autem nulla procedendi causa non tetrica : aut imbecillus aliquis ex fratribus visitatur, aut sacrificium offertur, aut Dei sermo ministratur;* meminitque lib. II ad Uxorem : *Libere æger visitatur, egens sustentatur.* De hac unctione agitur ab Innocentio I, epist. ad Decentium Eugubinum, ubi notat hoc sacramentum non conferri pœnitentibus, quia, ut ille docet, nullum sacramentum datur pœnitentibus. Sed postea usus mutatus est, ut patet ex Ivonis Carnotensis, epist. 237 : *Unctio enim infirmorum publicæ pœnitentiæ est sacramentum.* Quæ tamen verba Ivo protulit ex sui temporis consuetudine. Apud Burchardum, lib. XVIII, cap. 2, de hoc sacramento agitur ex decreto Callixti papæ. Sed citatio corrupta est. Nam decretum istud non potest intelligi de Callixto primo, quia ibi mentio fit Innocentii primi, qui longe post Callixtum primum floruit; non de secundo Callixto, qui centum circiter annis post Burchardum vixit; nam Burchardus creatus est Vormaciensis episcopus anno 1008, ut docet Sigebertus in Chron., at Callixtus secundus renuntiatus est pontifex maximus anno 1120, ut docet Anselmus abbas in supplemento Sigeberti. Itaque apud Burchardum loco horum verborum, *ex decreto Callixti papæ,* legendum est, *ex Beda;* nam quæ hic citantur videre est in Bedæ commentario ad epist. sancti Jacobi apostoli.

895. *Aspergant eam.* Cum primum sacerdos accedit ad visitandum infirmum, aspergit eum ipsamque domum aqua benedicta, ut videre est in concilio Nannetensi, can. 4 : *Cum sacerdos audierit aliquem infirmari in sua plebe, quam citius ad eum pergat, et ingressus cubiculum aquam benedictam super eum et per omne cubiculum aspergat.* Et apud Burchardum, lib. XVIII, cap. 1. Quod etiam satis clarum est ex verbis Alcuini, cap. de infirmis : *Quotiescunque aliquis infirmatur, ingrediuntur fratres ad ægrotum cum* **533** *aqua benedicta, et cum cereis, sive incenso ante oleum sanctum.* Id etiam clarum est ex Codice Rodradi : *In primis faciant sacerdotes aquam benedictam, et spargant eam cum Antiphona et Oratione super ipsum infirmum et domum ejus. Deinde a sacerdote hæc Oratio dicatur : Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es,* etc. In Codice Ratoldi sunt aliæ cæremoniæ quas infra producemus.

896. *Cum Antiphona et Orationibus.* Nempe : *Asperges me, Domine, hyssopo,* etc. ℣. *Exsurgat Deus,* etc. Deinde dicit Orationem *Deus qui sacerdotibus tuis tantam gratiam,* etc., ut est in citato concil. et apud Burchardum, eodem cap. Ubi, ut primum sacerdos ingreditur ægroti domum, dicere debet : *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea.*

897. *Exorcismus salis.* Exorcizatur sal ut aquæ benedictæ immisceatur, ut supra notatur : *In primis faciant sacerdotes aspergo sale aquam benedictam.* Sequentes autem Orationes pro exorcismo et benedictione salis et aquæ habentur etiam in Cod. Rodradi secunda parte. In quibus, ut hic, non apponuntur solitæ cruces. Quod miror; est enim antiquus Ecclesiæ mos, ut aqua signo crucis adhibito benedicatur, ut videre est apud sanctum Epiphanium, lib. I adversus hæreses, tom. II de Josepho comite : *Et cum præcepisset afferri aquam, et accepisset vas aquæ coram omnibus magna voce,* ὁ ἀνὴρ σταυροῦ σφραγῖδα ἐπιθεὶς, τῷ ἀγγεὶ διὰ τοῦ ἰδίου δακτύλου καὶ ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα Ἰησοῦ, id est, *vir ille suo digito signaculum crucis vasi imposuisset, invocato nomine Jesu.* Et apud Theodoretum, lib. V Hist. eccl., cap. 21 : *Hæc et alia similia locutus,* καὶ ἐπιθεὶς τοῦ σταυροῦ τὸν τύπον τῷ ὕδατι, id est, *cum aquam signo crucis signasset.*

898. *Benedictio uvæ.* Vide ea quæ supra observata sunt.

899. *Favæ.* Pro *fabæ;* sæpe in antiquioribus Codicibus mss. scribitur *v* loco *b.*

900. *Benedictio panis.* De pane benedicto, vide observationes nostras ad Concordiam regularum, cap. 71, § 1.

901. *Ad capillaturam.* Subaudi *incidendam,* quod vocabulum habetur in Ordine Romano. Hæc autem tonsura non est illa clericalis de qua supra egimus; sed puerorum, cum primum tondebantur eorum capilli. Nam in Sacramentariis aliæ exstant Orationes ad tonsuram clericalem.

902. *Omnipotens sempiterne Deus,* etc. Ita in Codicibus Rodradi et Ratoldi. In Ordine Romano huic Orationi duæ aliæ præmittuntur.

903. *Atque cœlestium donorum consortium esse præceptorum.* Ita in Codice Rodradi. Prima parte legendum puto *perceptorem.* In Codice Ratoldi, et in Ordine Romano legitur : *Atque ad cœlestium donorum pervenire consortium.*

904. *Oratio ad barbas tondendas.* Nempe in prima juvenilis barbæ tonsione. Hæc eadem Oratio exstat in Codicibus Rhemensi et Ratoldi, et in Ordine Romano.

905. *Oratio ad infirmum unguendum.* Hæc Oratio infra repetitur; nec videtur esse hic proprius illius locus.

906. *Deus qui famulo tuo Ezechiæ,* etc. Hæc et sequentes Orationes exstant apud Burchardum lib. XVIII, sub finem, post collatam unctionem. In editis Sacramentariis habentur tantum tres priores.

907. *Deus, qui per apostolum tuum.* Hæc Oratio **534** habetur in Codice Rodradi.

908. *Et sic flectat genu.* Ita in Codicibus Rodradi et Tiliano, in Ord. ms. Cod. Corb. legitur : *Tunc stet ad dexteram sacerdotis, et flectet genua qui est languidus.*

909. *Dominus locutus est.* Ita in Codice Rodradi. In Codice Tiliano quædam alia præcedunt. In Cod. Rodradi hæc sequuntur : *Hic ponant manus super infirmum omnes sacerdotes et ministri eorum. V. Deus deorum,* etc. Hæc manuum impositio videtur etiam in Cod. Tiliano : *Imponant manus super infirmum omnes sacerdotes, jubente vel tantum permittente episcopo, quia canonicus sic docet ordo.* Nota hic plures adesse presbyteros in administratione hujus sacramenti juxta sanctum Jacobum, *inducat presbyteros Ecclesiæ;* quod tamen non est adeo necessarium, cum ab unico sacerdote hoc sacramentum conferri possit, cujus rei praxis videtur in concilio Nannetensi supra citato, cap. 4, apud Burchardum, lib. XVIII, in Sacramentariis editis, et in Cod. Ratoldi infra citando, quamvis Simeon Thessalonicensis huic sententiæ adversetur, quem refutat Petrus Arcudius, lib. V de Extrema unctione, cap. 3.

910. *Ad Dominum cum tribularer.* In Codice Rodradi subjungitur : *Et repetatur, ut in pristina. Sequitur Oratio Deus, qui famulo tuo Ezechiæ,* etc.

911. *Et sic perungat infirmum de oleo sanctificato cruces faciendo in collo, in gutture,* etc. Ita in Codice

Rodradi et Tiliano. — *Et supplicando dum ungitur infirmus, dicat unus hanc Orationem.* Ita in Codice Rodradi. Notandum ungente sacerdote formam ab alio proferri; quod favet eorum opinioni qui dicunt hunc validum esse baptismum, si uno verba proferente alter mergat, aut aquam infundat.

912. *Inungo te de oleo sancto*, etc. Ita in Codice Rodradi. Olim forma hujus sacramenti fuit indicativa, ut hic apparet (quamvis hic appelletur Oratio, sed improprie, vere etenim Oratio non est) et clare constat etiam ex Codicibus mss. Ratoldi, et Tiliano, monasterii sancti Remigii, et Manuali excuso Ecclesiæ Suessionensis, quæ indicativam habent, deprecatoriam ignorant, ut infra videtur; et ex forma Ambrosiana, quam profert sanctus Bonaventura in 4, dist. 23, quæst. 4 : *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, more militis uncti, præparatus ad certamen, aerias possis superare potestates*, quæ etiam habetur infra in Codicibus Ratoldi et Tiliano; quam Richardus de Media Villa in 4, dist. 23, art. 1, quæst. 4, non improbat, sed duntaxat ait formam deprecativam esse convenientiorem ob textum sancti Jacobi; neque eam rejicit in responsione ad secundum, ut nec Bonaventura responsione ad secundum, cum ait : *Objicitur quod non est eadem forma. Dicendum quod secundum id quod est necessarium et essentiale sacramento, eamdem oportet esse; sed forma verbi non est necessaria ratione vocis exterioris, sed prout est expressiva verbi interioris.* Quare Durandus eadem distinctione, quæst. 3, utramque formam defendit problematice. Nam postquam asseruit formam deprecativam, tandem subjungit : *Et si quis vellet tenere quod forma indicativa, qua dicitur usus fuisse divus Ambrosius. qui fuit de primitivis doctoribus, posset responderi ad rationes alterius partis. Beatus enim Jacobus loquens de Oratione forte non intendit de forma sacramenti, sed de supplicatione, quæ fit per Orationem præcedentem, aut sequentem, per quam apud Deum sublevatur infirmus, et commendatur.* Eamdem formam probat Paludanus, in 4, dist. 23, quæst. 1 : *Si aliquæ Ecclesiæ habeant solam formam indicativi modi, sicut Ambrosiana saltem tempore Ambrosii, ut dicitur, non est dicendum quod nihil sit actum.* Sed et Aureolus, in 4, dist. 23, art. 1, **535** quamvis non meminerit hujus formæ : *Inungo te oleo sancto*, etc., dicit posse esse indicativam in hunc modum : *Per istam sanctam unctionem parcit tibi Dominus, etc. Sed de forma est dubium quare sit optativa. Respondeo : In quibusdam Ecclesiis forma ista est indicativa, puta : Per istam sanctam unctionem parcit tibi Dominus. In aliis est imperativa. Sed verba Jacobi videntur habere formam optativam, dicit enim :* Et oratio fidei alleviabit infirmum, *quasi forma sit per modum Orationis optativæ. Ideo dicendum est quod forma verborum indifferenter potest esse indicativa et optativa, sicut forma verborum baptismi, quæ est apud Latinos indicativa, sed apud Græcos optativa; et ideo consuetudo in talibus est servanda, et peccaret graviter qui consuetudinem immutaret.* Hæc ille. Accedit auctoritas libri Sacramentorum editi ex bibliotheca Vaticana, in quo unicam hanc formam reperire licet : *Inungo te de oleo sancto, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic Spiritus immundus neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, sed in te habitet virtus Christi altissimi et Spiritus sancti. Per.* Neque hanc formam reprobat Facultas Parisiensis theologica, ut constat ex thesibus Ludovici de Machault, baccalaurei Sorbonici, prioris sancti Petri de Abbatis Villa, agitatis 13 Febr., anno 1635, in exterioribus Sorbonæ scholis pro majore ordinaria, præside S. M. N. D. Stephano Tonnelier, doctore Navarrico, sancti Eustachii Parisiis pastore, dedicatis eminentissimo cardinali de Richelieu, duci et pari Franciæ; in quarum positione septima hæc legere est : *Etiam unica olei unctione in necessitate, verbisque indicative prolatis perfici posse videtur;* et ex thesibus Dom. Jacobi *Helyes* supra citatis, in quibus defenditur formam extremæ unctionis esse indicativam, vel deprecatoriam. Sic enim ait positione octava : *Extremæ unctionis sacramentum materiam habet sacram unctionem; formam habet vel indicativam, vel deprecatoriam.* Quare non valet responsio Petri Ledesmæ, cap. 3, de forma hujus sacramenti, cum ait hanc formam indicativam esse tantum quoddam præambulum ad sacramentum extremæ unctionis. Nam citati theologi, cum hæc scripserunt, non erant adeo stupidi ut ignorarent si præter formam indicativam aliam haberet deprecatoriam Ambrosiana Ecclesia. Præterea ut nemo dixerit, cum quis infundens aquam profert hæc verba, *ego te baptizo*, etc., hanc formam esse præambulam ad baptismi sacramentum; ita absurdum est dicere, cum ungitur ægrotus oleo sanctificato, et proferuntur hæc verba, *ungo te*, etc., ejusmodi formam esse quid præambulum ad extremam unctionem. Quare Durandus, supra citata quæst., cum profert ritum quarumdam Ecclesiarum quæ utuntur utraque forma indicativa et deprecativa, non dixit formam indicativam esse quid præambulum ad hoc sacramentum. Et postea cum retulit formam Ecclesiæ Ambrosianæ, eam non repudiavit. Neque hæc doctrina adversatur concilio Tridentino, cum ait, sess. 14, cap. 1, *Formam deinde esse illa verba, Per istam unctionem*, etc. Nam concilium deprecatoriam non ita astruit, ut rejiciat indicativam, quam olim in usu fuisse luce meridiana clarius est. Ut nec ita astruit illa verba, *per istam unctionem*, ut destruat formam Græcorum, quæ licet deprecatoria sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit. Tandem, antequam hinc manum referam, notandum est apud Burchardum, libro citato, nullam reperiri formam. Nam responsioni infirmi ad interrogationes sacerdotis subjungit : *Postea ungatur. Post confessionem, et fidem redditam, et unctionem dicatur Antiphona* In veritate tua exaudi me, Domine. *Psalmus* Domine, exaudi orationem meam, auribus percipe. *Deinde* Kyrie eleison *cum* Pater noster *et precibus*, etc.

913. *Domine Deus Salvator noster*, etc. In Codice Rodradi hæc Oratio in duas dividitur, et secunda **536** ab his verbis incipit : *Sana quoque, quæsumus, omnium medicator.*

914. *Propitietur Dominus*, etc. Ita in Codice Rodradi.

915. *Deinde communicet cum corpore et sanguine Domini.* Ita in Codice Rodradi, et Ratoldi, et Tiliano, et sancti Remigii, et sancti Germani a Pratis, in quibus datur Eucharistia post ipsam unctionem. Quod valde notandum est quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret viaticum corporis et sanguinis Domini. Id videre est in decreto Eusebii papæ apud Burchardum, lib. XVIII, cap. 11, et Ivonem, lib. XV, cap. 35 : *Sacerdos impleat omnia sicut supra circa ægrotum pœnitentem scriptum est, id est Orationes dicat, et ungat eum oleo sancto, et Eucharistiam ei donet.* Apparet etiam ex Pœnitentiali Theodori apud Burchardum, lib. eodem, cap. 14, et Ivonem, lib. XV, cap. 36 : *Et ideo secundum canonicam auctoritatem, ne illis janua pietatis clausa videatur, Orationibus et consolationibus sacra cum unctione olei animati, secundum statuta sanctorum Patrum, communione viatici reficiantur.* Praxis videtur in Vita Caroli Magni ex Editione Pithœi : *Oleo autem sancto inunctus* (Carolus imperator) *ab episcopis, et viatico sumpto, et omnibus suis dispositis, commendans Domino spiritum suum, obiit in pace.* In Vita sancti Otthonis archiepiscopi Bebambergensis, lib. III, cap. 45 : *Interea languor magis magisque spiritum luctantem urgebat, riteque dispositis omnibus quæcunque post se victuris præstare potuit, supplici et pura confessione præmissa, olea illa et placida, et sacra unctione sacri olei delibuta, propitiabile viaticum corpus Domini percepit.* Apud Arnoldum Lubecensem, lib. III Hist. Slavorum,

cap. 3, de obitu sancti Henrici episcopi Lubecensis : *Sic confortatus in Domino, convocatis fratribus dicebat se jam resolvi ; et accipiens sancti olei unctionem manus ipse porrigebat, pedes extendebat, cum psallentibus psallebat ; sumptoque viatico dominici corporis dixit : O Rex gloriæ, veni cum pace.* Et apud Theodoricum lib. IV Vitæ sanctæ Elisabeth uxoris Ludovici Lantgravii Thuringiæ, cap. 5, ubi agens de morte ejusdem Landgravii sic ait : *Videns igitur quod sibi mortis periculum immineret, vocato patriarcha Hierosolymitano, ab ipso sacræ unctionis sacramentum accepit; qui ut officium solemne hoc perageret, episcopum de sancta Cruce cooperatorem assumpsit. Peracta unctione, sacrosancti corporis Domini nostri Jesu Christi sibi viaticum tradiderunt, quod cum fide catholica et sincera devotione suscepit* (*Henricus Canisius, tom. IV, ant. lect.*). In Vita sanctæ Adalheidis lib. I. cap. 16 : *Resumptis aliquantulum viribus corporis, muniri se rogavit attentius mysteriis ecclesiasticis. Tunc sacri olei unctione peruncta, sacramentum dominici corporis humiliter et devotissime adorando percepit* (*Henricus Canisius, eod. tom.*). Id etiam videre est in Vita sancti Hugonis abbatis Cluniacensis, apud Surium, April. 29, ubi agitur de visione sancti Godefredi episcopi Ambianensis : *Rogarique a fratribus ut abbatem Hugonem oleo sancto inungeret; et episcopali redimitus infula Missas celebrans, dominici corporis et sanguinis ei viaticum ministraret.* Id statuunt Constitutiones Riculphi Suessionensis episcopi : *Item oportet ut presbyteri infirmos suos per confessionem et reconciliationem oleo sancto perungant, et tunc eos communicent.* Hoc etiam constat ex Vita sancti Adalardi abbatis Corbeiensis apud eumdem Surium Jan. 2, qui, sancta unctione delibutus, postridie mane sacro viatico pastus est. Forsitan aliquis obex interjectus fuerat, quominus illud eodem die susciperet. Nam olim tria sacramenta, pœnitentia, unctio suprema, et Eucharistia infirmis simul conferebantur, ut clarum est ex Codicibus mss. nostris supra citatis.

916. *Et sic faciant illi per septem dies, si necessitas fuerit tam de communione, quam de alio officio.* Ita in Codice ms. monasterii sancti Remigii. Nota curam quam sacerdotes olim gerebant circa infirmos. Ubi τὸ *de alio officio* **537** significatur de unctione quam Matthæus Galenus in Promptuario theologico, catechesi 182, restringit ad partes laborantes, quia, ut vult, sacramentum non repetebatur. *Ad hæc*, inquit, *non fiebat illud perfunctorie et properanter; sed ubi æger non convalescebat, redibant eodem sacerdotes per septiduum ungentes; non quidem sacramentum toties repetentes, sed statis precibus unctione curantes laborantia membra, præbentesque sanctam Eucharistiam.* Hæc ille. Verum id quod ait non repeti olim solitum unctionis extremæ sacramentum, in eodem videlicet morbo, non videtur probabile, quia hæc verba, *quam de alio officio*, sunt generalia, nec possunt restringi ad unctionem membrorum affectorum. Et quamvis hodie in eodem morbo non repetatur hoc sacramentum, si tamen antiquus valeret usus, id non esset absurdum, quia, non cessante morbo, homine adhuc existente in peccatis, ob peccata saltem venialia quæ nobis quotidie obrepunt, quia *septies in die cadit justus*, jure posset hoc sacramentum sæpius in eodem morbo repeti, ipsis causis manentibus ob quas hoc sacramentum conferri solet. Præterea si unctio illa partium morbidarum non esset sacramentum, non posset conferre sanitatem, ac proinde frustra adhiberetur. Præterea non aliud adhibebant oleum quam ab episcopo sanctificatum.

917. *Debent etiam sacerdotes et ministri sanctæ Ecclesiæ*, etc. Ita in Codicibus Rodradi et sancti Remigii. Nota curam et studium priscorum sacerdotum erga infirmos.

918. *Christe cœlestis medicina Patris.* Ita etiam in Codice Rodradi.

919. *Multi enim sacerdotum*, etc. Ita in Codice Rodradi. Particula *enim*, hoc loco sumitur pro particulis *vero*, seu *autem*. Regula Magistri ms., cap. 82: *Hoc enim ne sit in aliquo, frequenter omnes scrutentur a præpositis.* In libro sexto Halitgarii supra, sub initium : *Non enim omnes clerici hanc scripturam usurpare aut legere debent.* Hic autem describitur alia a superiori ungendi infirmi ratio, seu consuetudo nonnullorum presbyterorum, qui ungebant infirmos in quinque sensibus.

920. *Perunguent.* In Codice Rodradi, *perungant.* Sed legendum puto *perungunt.*

921. *In naribus.* Lege *in auribus*, ut in Codice Rodradi. Nam postea dixit : *In narium summitate sive interius.* Tum quia nulla mentio fieret unctionis aurium, quæ tamen necessaria est ; nam scripsit supra *perunguent insuper in quinque sensus corporis.*

922. *Dicentes, In nomine Patris*, etc. Ita in Codice Rodradi, neque ulla mentio habetur vulgaris istius formæ : *Per istam sanctam unctionem*, etc.

923. *Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis*, etc. Ita in Codice Rodradi. Porro ut hujus extremæ unctionis antiqua ratio clarius innotescat, hic subjiciam tres antiquos hujus sacramenti ritus, primum quidem ex Codice Ratoldi; alterum ex Codice Tiliano; tertium ex Codice monasterii sancti Remigii.

« *Antiquus extremæ unctionis conferendæ ritus ex Codice ms. Ratoldi abbatis.*

« Incipit ordo unctionis infirmi : *Hic dicat sacerdos ad infirmum : Quid me advocasti, frater? Ille ait : Ut mihi unctionem tradas. Dicit sacerdos ad eum : Donet tibi Dominus noster Jesus Christus veram facilemque unctionem;* [a] *tam si te respexerit et sanaverit te Deus, custodies illam? Respondet Custodiam. Tunc sacerdos faciet crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus, et* **538** *imponit cilicium desuper, dicens : Si quis infirmatur, agat pœnitentiam, etiam ex necessitate, quia misericors est Deus; quia misericordia Dei nec mensuras, nec tempora habet, dicente Dei Spiritu prophetam* [Leg. *per prophetam*] *: Cum conversus ingemueris, tunc salvus eris; et alibi : Dic iniquitates tuas prior, ut justificeris. Ant.* Succurre, Domine, infirmo huic, et medica cum spiritali medicamine, ut in pristina sanitate restitutus, gratiarum tibi referat actiones. *Psalm.* Domine, ne in furore tuo, *cum* Gloria. *Antiph.* Quia apud Deum misericordia, et copiosa apud eum redemptio, et multiplex Dei misericordia, ita et lapsis subvenit humanis, ut non solum per baptismi et consummationis gratiam, sed etiam per pœnitentiæ atque unctionis medicinam spes vitæ reparetur humanæ. *Ant.* Cor contritum et humiliatum Deus non spernit. *Psalm.* Miserere mei, Deus, *totum cum Gloria, et repleatur* [Forte leg. *repetatur*, vel *compleatur*] *Antiphona. Collectam require. Ant.* Opem ferat huic infirmo Deus super lectum doloris ejus; et ipse confirmet eum et vivificet. *Psalm.* Beatus qui intelligit, *Collectam require. Ant.* Dominus locutus est discipulis suis : In nomine meo dæmonia ejicient; super infirmos manus vestras imponite, et bene habebunt. *Psalm.* Deus Deorum. *Ant.* Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te; custodi animam ejus, quia in te speravit. *Psalm.* Inclina, Domine. *Ant.* Cadent a latere tuo mille et decem millia a dextris tuis, tibi autem nullum appropinquat malum. *Psalm.* Qui habitat. *Ant.* Propitietur Deus iniquitatibus tuis, et sanet omnes ægritudines tuas, et renovetur ut aquilæ juventus tua. *Psalm.* Benedic. 1. *Ant.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis et a lingua dolosa. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Oratio.* Omnipotens sempiterne Deus, qui per Jacobum apostolum tuum introducere presbyteros Ecclesiæ, et ungere oleo infirmos præcepisti, præsta, quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum ill.

[a] Leg. *tamen*, ut in Ordine Romano ms. Corb. Apud Burch., lib. XVIII, cap. 4.

infirmum de oleo sanctificato ungere et benedicere. Hoc autem quod nos exterius tua charismata fideliter complectimur, hoc interius spiritaliter divina virtus ac mirabiliter tuæ magnanimitatis operaretur [*Leg.* operetur] virtutem. Per Dominum nostrum.

« Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti hujus olei unctione expietur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

« *Alia.* — Ungo aures has sacrati olei liquore, ut quidquid delectatione noxia auditus admissum est medicina spiritalis evacuet. Per Dominum nostrum.

« *Alia.* — Ungo has nares de oleo sacrato, ut quidquid noxie contractum est * odoratus superfluo ista mundet medicatio. Per Dominum nostrum.

« *Alia.* — Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa vel criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expietur hac unctione. Per.

« *Alia.* — Ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione protectus fortiter præstare valeas adversus æthereas catervas. Per Dominum.

« *Alia.* — Ungo has scapulas sive medium scapularum de oleo sacro, ut, ex omni parte spiritali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul possis cum robore juvaminis repellere. Per Dominum.

« *Alia.* — Ungo has manus de oleo consecrato, ut quidquid illicito vel noxio opere egerunt per hanc unctionem evacuetur. Per Dominum.

« *Alia.* — Ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid superfluo vel noxio incessu commiserunt, ista deleat perunctio. Per Dominum.

« *Alia.* — Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, more militis uncti, præparatus ad luctum [*Leg.* luctam], possis aereas superare catervas. Per.

« *Alia.* — Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sicut unxit Samuel David regem et prophetam, ut non lateat in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum. Sed te inhabitet virtus Christi altissimi et Spiritus sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacri olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et melioratam recipere merearis sanitatem. Per eum, ejusdem.

« *Alia.* — Ungo te de oleo sancto, invocata magna Creatoris majestate, qui jussit Samuelem prophetam ungere David regem, operare creaturam [*Leg.* creatura].

« *Alia.* — In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, et ad munimen et defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

« *Hic communicet.* — Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam te perducat, et in die judicii [et] ad sanctam requiem te resuscitet.

« *Alia.* — Unum Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum unanimiter confitentes, oramus ut voluntas ejus, auxiliante gratia, perficiatur [vita] in vobis. Per.

« *Alia.* — Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te reficiat; circa te sit, ut te conservet; ante te sit, ut te deducat; post te sit, ut te justificet; super te sit, ut te benedicat. Qui cum. *Ant.* Virtutum omnium Deus, qui ab humanis corporibus infirmitates expelle [*Leg.* expellis], miserere servo tuo, et visita in salutari tuo, et cœlestis gratiæ tribue medicinam. *Psalm.* Beatus qui intelligit. »

Hactenus Codex Ratoldi de unctione infirmorum, circa quam hæc notanda veniunt. 1° In illa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus*, hæc verba, *ac mirabiliter tuæ magnanimitatis virtutem*, redundare videntur. 2° Notandæ veniunt interrogationes sacerdotis ad infirmum, illiusque responsiones ad sacerdotem, quæ etiam exstant in veteri Ordine Romano ms. biblioth. Corbeiensis. 3° Signum crucis ex cinere cum aqua super infirmi pectus, cum cilicii impositione, quæ habentur etiam in Ordine citato, in hæc verba: *Tunc sacerdos facit crucem ex cinere cum aqua super pectus ejus, et imponit cilicium desuper, dicens, si quis infirmatur, agat pœnitentiam*, etc., ut in Codice Ratoldi, nisi quod in fine horum verborum dicti Ordinis hæc adduntur: *Respondet infirmus Deo gratias.* In hoc Ordine nullæ sunt unctionum formulæ, uno aut altero folio avulso. 4° In unctione tertia hæc verba corrupta sunt, *noxie contractum est odoratus superfluo;* sed legendum est, ut in Codice Tiliano, *noxio contractum est odoratu, vel superfluo.* 5° In quinta unctione male legitur, *fortiter præstare;* legendum est, *fortiter certare*, ut in eodem Cod. Tiliano. 6° In sexta unctione, ubi legitur, *cum robore juraminis*, legendum est, ut in Cod. Tiliano, *cum robore superni juvaminis.* 7° Notandum est octavam formulam, *Ungo te oleo sanctificato*, etc., eamdem esse cum formula Ambrosiana. 8° Observandum est hanc nonam formulam, *Ungo te oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sicut unxit Samuel David*, etc., videri esse ad unctionem omnium compagum membrorum; nam in Codice Tiliano in formula hujus unctionis hæc verba habentur, quæ etiam in hac formula Codicis Ratoldi continentur: *Ut non lateat hic in te spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum.* 9° In decima formula post hæc verba, *operare creatura*, videtur deesse τὸ *olei*, ut habetur in Editis, et in Codicibus sancti Eligii et Tiliano. 10° In Oratione communionis ad illa verba, *et ad sanctam requiem*, particula *et* videtur redundare, quemadmodum in sequenti Oratione ad hæc verba, *perficiatur vita in vobis*, τὸ *vita* redundat.

His ita expositis, sequitur secundus ritus conferendæ unctionis extremæ ex Codice Tiliano.

« *Ordo ad ungendum infirmum.*

« Antequam ungatur infirmus, confiteatur omnimodis Deo et sacerdoti suo puriter omnia peccata sua, et reconciliationem ab eo percipiat plenam, ut ulceribus vitiorum per confessionem [a] purtus [*Leg.* purgatus], adapertis dignus proficiat ei unctioni spiritalis medendo nequitiarum putredinem interius latitantem. Et tunc in primis faciant sacerdotes aspergi salem et aquam benedictam; et aspergant eam cum Antiphona *Asperges me, Domine, Miserere mei Deus.*

« Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es: *Infirmatur quis in vobis*, etc.

« Et sic flectat genua sua, qui est languidus, et stet ad dexteram sacerdotis, et cantetur hæc Antiphona: *Sana, Domine, infirmum istum cujus ossa conturbata sunt*, etc. *Domine, ne in furore tuo arguas me.*

« *Sequitur :*

« Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, et cum omni supplicatione rogemus, etc.

« Dominus locutus est condiscipulis suis, In nomine meo dæmonia ejicite, et super infirmos manus vestras imponite, et bene habebunt. Deus Deorum: *Imponant manus super infirmum omnes sacerdotes, jubente, vel tantum permittente episcopo, quia canonicus sic docet ordo.* Deus, qui non vis mortem peccatorum, etc. *Ant.* Succurre Deus infirmo isti, et medicare ei spiritali medicamine, ut in pristinam sanitatem restauratus, gratiarum tibi referat actiones. Ad Dominum cum tribularer, *cum* Gloria. Oremus Dominum nostrum Jesum Christum pro fratre nostro, N., quem dure ad præsens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cœlestibus dignetur medicinis curare, ut qui dedit vitam det et salutem. Per Dominum.

[a] Lege potius *purius*, ut apud nostrum Edm. Martenne, tom. II de antiq. Eccles. Ritib., p. 166. Ibid. optime legitur: *purius adapertis. dignius proficiat ei unctio spiritalis, medendo*, etc.

« Deus, qui humano generi salutis remedium et vitæ æternæ munera contulisti, conserva famulo tuo tuarum dona virtutum, et concede ut medelam tuam non solum in corpore, sed etiam in anima sentiat. Per.

« *Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo in collo, et gutture, et pectore, et inter scapulas, seu in loco ubi dolor plus imminet, et in quinque sensibus corporis, et in superciliis oculorum, et in naribus intus et foris, et in aurium summitate exterius, sive interius, et in labiis exterius, et manibus exterius, id est de foris, ut si quinque sensibus mentis et corporis aliqua macula inhæsit, medicina spiritali sanetur, et Domini misericordia impetretur. Dum igitur sacerdos unguit infirmum, dicat hanc Orationem morosius inungendo:*

« Adesto, Domine, quæsumus, humilitatis nostræ obsequiis, eisque benignus coopera, etc.

« *Unctio sacrati olei ad caput.*

« Ungo caput tuum oleo sanctificato in nomine Patris, **541** et Filii, et Spiritus sancti, ut more militis uncti, præparatus ad luctam, superare possis aerias catervas. Per.

« *Ad ocul s.*

« Ungo oculos tuos, etc., » ut supra in Codice Ratoldi.

« *Ad aures.*

« Ungo aures has sacrati olei liquore in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quidquid peccati nocivo auditu, etc., » ut supra.

« *Ad nares.*

« Ungo has nares oleo sancto in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut quidquid noxio contractum est odoratu vel superfluo, ista emaculet medicatio.

« *Ad labia.*

« Ungo labia ista, etc., » ut supra in Codice Ratoldi; hic tamen legitur *expurgetur*, pro *expietur*.

« *Alia.* — « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, et ad munimen, et ad defensionem contra jacula inimicorum spiritalium. Per.

« *In gutture.*

« Inungo te in gutture de oleo sancto in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non lateat spiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed habitet in te virtus Christi altissimi et Spiritus sancti, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus sive fotus, pristinam et melioratam percipere merearis sanitatem. Per.

« *Ad pectus.*

« Ungo pectus tuum, etc., » ut supra in Codice Ratoldi, ubi male legitur *præstare*, pro *certare*.

« Ungo locum cordis oleo divinitus sanctificato, cœlesti munere nobis attributo in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, ut ipsa te interius exteriusque sanando vivificet, quæ universam conditionem suam, ne pereat, continet. Per. » Ubi τὸ *conditionem* est, τὸ *creaturam*.

« *Ad scapulas.*

« Ungo has scapulas sive medium scapularum de oleo sacrato, in nomine Patris, etc., » ut in Codice Ratoldi, in quo tamen deest τὸ *superni*, ante τὸ *juvaminis*.

« *Ad manus.*

« Ungo has manus oleo sacrato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc., » ut in Codice Ratoldi.

« *Ad pedes.*

« Ungo hos pedes de oleo benedicto, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc., » ut in eodem Codice.

« *Ubi plus imminet.*

« Ungo te de oleo sancto, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, obsecrans misericordiam ipsius unius Domini nostri Jesu Christi, ut fugatis omnibus doloribus vel incommoditatibus corporis tui, recuperetur vitæ virtus et sanitas, quatenus per hujus operationem mysterii, et per hanc sacrati olei unctionem, atque nostram deprecationem, virtute sanctæ Trinitatis medicatus, pristinam et magis robustam recipere merearis sanitatem. Per.

« *Ad omnes compages membrorum.*

« Ungo te de oleo sancto, invocata magni Creatoris Majestate, qui jussit per Samuelem prophetam ungui David regem. Operare, creatura olei, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut non lateat hic spiritus immundus, **542** neque in membris, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum; sed inhabitet in te virtus Christi altissimi Filius, et sanctificatio Spiritus sancti. »

Sed hic finis corruptus est, et legendum *virtus Altissimi, Filius, et sanctificatio Spiritus sancti*, vel, ut supra, et in Codice Ratoldi, *virtus Christi Altissimi et Spiritus sancti*.

« *Item alia unctio.*

« Inungo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, oleo sancto atque sacrato, ut virtute Spiritus sancti tribuat tibi hæc sacra unctio sanitatem animæ et corporis, in remissionem omnium peccatorum, et vitam æternam.

Impositio manuum.

« Deus Salvator noster, qui es vera salus et medicina, et a quo omnis sanitas, et medicamentum venit, qui apostoli tui voce nos instruis, ut languidos olei liquore tangentes tuæ postulemus misericordiam pietatis, etc.

« *Deinde Orationes subscriptæ pro infirmis.*

« *Post hæc communicet eum sacerdos corpore et sanguine Domini; et sic septem continuos dies, nisi necessitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio se abstineat; et suscitabit eum Dominus ad salutem, et si in peccatis sit, dimittentur ei, ut apostolus ait.* » In hac autem rubrica quædam videntur corrupta, primo in illis verbis, *et sic septem*, legendum, ut in Codice sancti Eligii, *et sic faciant illi septem*. In sequenti membro nullus est sensus, et in dicto Codice hæc verba, *nisi necessitas contigerit se abstineat* desiderantur. Sed legendum puto : *et sic faciant illi septem continuos dies, tam de communione, quam de alio officio* (nempe unctione) *nisi necessitas contigerit, ut se abstineat*, nempe ab hac repetitione.

« *Oratio ad perceptionem Eucharistiæ.*

« Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

« Pax et communicatio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.

« *Post assumptam Eucharistiam.*

« Domine Jesu Christe et Salvator noster, exaudi nos pro fratre nostro N., te rogantes, ut tua sancta Eucharistia ei sit ad tutelam animæ et corporis, et ad capessendam vitam æternam, qui vivis.

« *Absolutio manuum.*

« *Debent etiam ex ministris sanctæ Dei Ecclesiæ cum summa reverentia infirmis decantare per singulos dies et noctes vespertinales et matutinales laudes pleniter, sicut mos est in Ecclesia.* »

Hæc autem verba, *absolutio manuum*, videntur redundare, aut legendum *ablutio manuum*.

« *Oratio super infirmum ante faciendam absolutionem.*

« Domine sancte Pater, universitatis actor, [*Leg.*

auctor], omnipotens æterne Deus, cui cuncta vivunt, qui vivificas mortuos, et vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, tuum solitum auxilium, qui es magnus artifex, pie exerce in hoc tuo plasmate, rogamus.

« *Absolutio cum impositione manuum.*

« Deus, qui peccatores et scelerum oneratos et vulneratos sacerdotibus tuis se ostendere jussisti, Deus, qui discipulis tuis, ut bene habeant, manus super infirmos ponere præcepisti, etc. Omnipotens sempiterne Deus, criminum absolutor, et indultor peccaminum, qui apostolis tuis apostolorumque successoribus dixisti : Sine me nihil potestis facere, etc.

543 « *Benedictiones episcopales.*

« Dominus Jesus Christus, qui dignatus est discipulis suis dicere : *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo,* de quorum numero, quamvis indignum et peccatorum vinculis astrictum me esse sua dignatione voluit, ipse te largifluo pietatis dono ac meæ simul parvitatis ministerio absolvere dignetur ab omnibus fragilitatis tuæ excessibus interius exteriusque humanitus contractis. ℟. Amen.

« Et sicut peccata totius mundi sua traditione atque immaculati sanguinis effusione dignatus est expurgare; ita quoque tuorum peccaminum maculas misericorditer ne dedignetur emundare ejusdem sanguinis interventione, qui effusus est in remissionem peccatorum. ℟. Amen.

« Devotionem quoque tuam deinceps adjutorio gratiæ suæ non dedignetur corroborare, quatenus et in hoc sæculo subrepentium laqueos delictorum valeas evadere, et in futuro vitam æternam Christi sanguine comparatam sine fide possidere. ℟. Amen.

« Adjuvante eodem Domino nostro Jesu Christo, qui nos fecit cum non essemus, et redemit cum perditi essemus, ad laudem et gloriam sui nominis. Per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

« *Orationes unde supra.*

« Deus qui mundum in peccati fovea jacentem misericorditer erexisti, Deus, qui leprosos mundari præcepisti, etc.

« *Item alia.* — « Omnipotens sempiterne Deus, conditor humani generis, qui ex nihilo creasti cuncta, et hominem ad similitudinem tuam formare dignatus es, etc.

« *Alia.* — « Deus qui confitentium tibi corda purificas, et accusantes conscientias suas ab omni vinculo iniquitatis absolvis, etc.

« *Alia.*— « Domine sancte Pater cœli et terræ, protege famulum tuum, et dimitte illi omnia peccata, etc.

« *Alia.* — « Dominus sit tibi adjutor et protector, et peccatorum tuorum indultor. Et Deus misericordiæ et pietatis det tibi correctionem tuorum peccaminum; et concedens locum pœnitentiæ, tribuat tibi digne mala jacta deflere, gaudiaque vitæ æternæ feliciter obtinere. Per.

His ita expletis, sacerdotes dicant Orationes, Benedictiones super infirmum, unusquisque suam. Si autem adsit episcopus, ipsius officium hoc erit. »

Hactenus Codex Tilianus de visitatione infirmorum, seu extrema unctione. Sequitur tertius ritus ex Codice ms. monasterii sancti Remigii Rhemis fundati, qui ita incipit :

« *Ordo ad ungendum infirmum.*

« Cum ingreditur sacerdos domum infirmi, facta aqua benedicta, primo dicendum ab introeuntibus Pax huic domui, *ter*; et aspergatur aqua benedicta, cum odore thymiamatis, vel alterius incensi, dicendo *Antiph.* Benedic, Domine, domum istam. *Psalm.* Deus misereatur nostri. *Oratio.* Benedic, Domine Deus omnipotens, locum istum, ut sit habitantibus in eo sanitas et sanctitas, virtus et castitas, victoria et sanctimonia, etc. *Alia :* Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, sempiterne Deus, et mittere dignare angelum tuum sanctum de cœlis, qui custodiat, foveat, etc. *Alia :* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et hanc domum serenis oculis tuæ pietatis illustra, etc. *Alia :* Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et famulos tuos quos vocati charitatis visitamus officiis, etc. *Alia :* Præsta, Domine, nobis famulis tuis per hanc creaturam sacræ aspersionis, etc. **544** *Alia :* Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, ut si qua sunt adversa, etc. Exaudi nos, Pater omnipotens, æterne Deus, et humilitatis nostræ officiis gratiam tuæ visitationis admisce, etc.

« *Orationes ad supervenientes infra domum dicendæ.* Deus humilium visitator, etc. Deus, qui nobis famulis tuis præsentiæ tuæ signa manifestas, etc. *Tum sacerdos ad infirmum dicat:* Vocasti. *Infirmus dicat:* Desideravi tecum loqui, ut mihi pœnitentiam et remissionem peccatorum tradas. *Sacerdos dicat :* Det tibi Dominus Jesus Christus veniam; tamen si Deus in te respexerit, custodies illam? *Infirmus respondet* Custodio. *Deinde sacerdos audiat confessionem ejus, sicut melius inquirere poterit, aut scriptis, aut verbis. Tunc facit crucem ex cinere super pectus infirmi, et imponit cilicium super caput ejus. Post hæc sequuntur pœnitentiales Psalmi septem, id est Psalm.* Domine, ne in furore tuo. Beati quorum. Domine, ne in furore tuo, *duo.* Miserere mei Deus. Domine, exaudi. De profundis. Domine, exaudi. *Oratio :* Parce, Domine, parce famulo tuo ill. quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ne in æternum irascaris ei, qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem.

« *Incipit litania.*

« Kyrie eleison, *ter.*
Christe eleison, *ter.*

Sancta Maria,	ora pro nobis.
Sancta et perpetua Virgo, succurre in angustiis constituto.	
Sancta Maria, Dei genitrix,	ora pro famulo tuo.
Sancte Michael,	ora pro illo.
Sancte Gabriel,	ora pro illo.
Sancte Raphael,	ora pro illo.
Omnes sancti archangeli,	orate pro illo.
Omnes sancti patriarchæ,	orate.
Omnes sancti prophetæ,	orate.
Sancte Joannes,	ora.
Sancte Petre,	ora.
Sancta Paule,	ora.
Sancte Andrea,	ora.
Sancte Jacobe,	ora.
Sancte Joannes,	ora.
Sancte Thoma,	ora.
Sancte Jacobe,	ora.
Sancte Philippe,	ora.
Sancte Bartholomæe,	ora.
Sancte Matthæe,	ora.
Sancte Simon,	ora.
Sancte Thadee,	ora.
Sancte Marce,	ora.
Sancte Luca,	ora.
Sancte Barnaba,	ora.
Sancte Timothee,	ora.
Omnes sancti apostoli,	orate.
Sancte Stephane,	ora.
Sancte Clemens,	ora.
Sancte Dionysi,	ora.
Sancte Rustice,	ora.
Sancte Eleutheri,	ora.
Sancte Maurici cum sociis tuis,	ora.
Sancte Gereon,	ora.
Sancte Xyste,	ora.
Sancte Laurenti,	ora.
Sancte Quintine,	ora.
Sancte Tiburti,	ora.
Sancte Valeriane,	ora.

Sancte Gervasi, ora.
Sancte Protasi, ora.
Sancte Cirice, ora.
Sancte Salvi, ora.
Sancte Nazari, ora.
Sancte Sebastiane, ora.
Sancte Nicasi, ora.
545 Omnes sancti martyres, [a] orate.
Sancte Hilari, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Sylvester, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte REMIGI, ora.
Sancte MEDARDE, ora.
Sancte Vedaste, ora.
Sancte AMANDE, ora.
Sancte ELEGI, ora.
Sancte Bavo, ora.
Sancte Cassiane, ora.
Sancte BENEDICTE, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Eusebi, ora.
Sancte Ultane, ora.
Sancte Achari, ora.
Sancte Richari, ora.
Sancte Goar, ora.
Sancte Arseni, ora.
Sancte Bertine, ora.
Omnes sancti confessores, orate.
Sancta Felicitas, ora.
Sancta Perpetua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Sancta Tecla, ora.
Sancta Savina, ora.
Sancta Susanna, ora.
Sancta Christina, ora.
Sancta Justina, ora.
Sancta Juliana, ora.
Sancta Praxedis, ora.
Sancta Prisca, ora.
Sancta Columba, ora.
Sancta Scholastica, ora.
Sancta Eugenia, ora.
Sancta Aldegondis, ora.
Sancta Gertrudis, ora.
Sancta Eusebia, ora.
Sancta Godoberta, ora.
Sancta Amalberga, ora.
Sancta Radegundis, ora.
Omnes sancti ab initio mundi usque ad præsens, orate pro nobis et pro hoc infirmo.
Propitius esto, parce nobis et isti, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Ab omni malo, libera eum, Domine.
Ab hoste malo, libera eum, Domine.
Ab insidiis diaboli, libera eum, Domine.
A cruciatu et morte perpetua, libera eum, Domine.
Ab ira tremenda, libera eum, Domine.
A cogitatione immunda, libera eum, Domine.
Ab omni iniquitate, libera eum, Domine.

A Ab immunditia cordis et corporis, libera eum, Domine.
A cunctis erroribus, libera eum, Domine.
A vinculis diaboli, libera eum, Domine.
A potestate tenebrarum, libera eum, Domine.
Per annuntiationem tuam, libera eum, Domine.
Per adventum tuum, libera eum, Domine.
Per incarnationem tuam, libera eum Domine.
Per nativitatem tuam, libera eum, Domine.
546 Per circumcisionem tuam, libera eum, Domine.
Per apparitionem tuam, libera eum, Domine.
Per passionem tuam, libera eum, Domine.
Per crucem tuam, libera eum, Domine.
Per resurrectionem tuam, libera eum, Domine.
Per ascensionem tuam, libera eum, Domine.
Per adventum sancti Spiritus tui a Patre, libera eum.
Per adventum judicii tui, libera eum, Domine.
Per doctrinam tuam, libera eum, Domine.
Per virtutem tuam, libera eum, Domine.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
B Ut pacem perpetuam ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut compunctionem cordis ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut fontem lacrymarum ei dones, te rogamus, audi nos.
Ut cogitationes pravas ab eo auferre digneris, te rog.
Ut illicitas voluptates ab eo abscidere digneris, te.
Ut spatium pœnitentiæ, si fieri potest, ei dones, te.
Ut gratiam sancti Spiritus cordi illius infundere digneris, te rogamus, audi nos.
Ut spem, fidem et charitatem ei dones, te rogamus.
Ut murmurationem et impatientiam ei abscidas, te.
Ut gratiam tuam ei concedere digneris, te rogamus.
Ut in præsenti periculo ei succurrere digneris, te.
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum, te.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris, te rog.
Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.
Fili Dei, te rogamus, audi nos.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis et isti, Domine.
C Agne Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis et isti, Domine.
Agne Dei, qui tollis peccata mundi, dimitte peccata ejus, Domine.
Christe, audi nos, *ter*. Kyrie eleison, *ter*. Christe eleison, *ter*. Kyrie eleison, *ter*. Pater noster.

« *Preces.*

« Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te.
Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.
Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versavit in infirmitate ejus.
Perfice gressus illius, Domine, in semitis tuis, ut non moveantur vestigia ejus.
Angelis tuis manda de illo, ut custodiant eum in omnibus viis ejus. D
Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, et de Sion tuere eum.
Nihil proficiat inimicus in eum, et Filius iniquitatis.
Delicta juventutis ejus et ignorantias ejus ne memineris, Domine, secundum magnam misericordiam tuam.

[a] In litaniis ad ungendum infirmum, quæ leguntur in Codice Gemet., post omnes sanctos Martyres, legitur : *Sancte Benedicte, Sancte Martine, Sancte Hilari, Sancte Sylvester, Sancte Gregori, Sancte Augustine, Sancte Birine*, (is fuit episcopus Dorcestrensis), *Sancte Cutberte* (fuit episcopus Lindisfarnensis), *Sancte Eudoce, Sancte Remegi, Sancte Columbane.* Ex loco quem in hoc sanctorum ordine sanctus Benedictus obtinet, constat Gemet. Codicem scriptum fuisse pro monasterio, ubi regula sancti Benedicti observabatur. Neque tamen sancti Benedicti commemoratio, etiam in canone Missæ, probat libros Sacramentorum ubi reperitur, ad Benedictinos monachos pertinuisse, cum in vetustissimis cathedralium ecclesiarum libris eadem etiam occurrat, ut in canone Ecclesiæ Mediolan. ante ann. DC. descripto ; imo etiam in edito Missali per sanctum Carolum reformato. Consule Mabillonium in præf. ad Sacrament. Gallic., num. 9.

Esto illi, Domine, turris fortitudinis a facie inimici.
Averte faciem tuam, Domine, a peccatis illius, et omnes iniquitates illius dele.
Cor mundum crea in eo, Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus ejus.
Ne projicias eum, Domine, a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas ab eo.
Redde ei lætitiam Salutaris, et Spiritu principali confirma eum.
Dies super dies adjicias, annos ejus usque in diem generationis et generationis.
Permaneat in æternum in conspectu tuo, misericordiam et veritatem tuam quærimus.
Convertere, Domine, usquequaque, et deprecabilis esto super servos tuos.
547 Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipet nos misericordia tua, quia pauperes, etc.
Adjuva nos, Deus, Salutaris noster, propter gloriam nominis tui libera nos, et hunc infirmum, Domine.
Propitius esto peccatis nostris et illius, propter nomen tuum.
Exsurge, Domine, adjuva nos et eum, et libera nos et eum propter nomen tuum.
Tunc Psalmum Inclina, Domine, *totum*.

« *Oratio.*

« Omnipotens et misericors Deus, quæsumus immensam pietatem tuam, ut ad introitum humilitatis nostræ hunc famulum tuum ill. in hoc tabernaculo fessum jacentem salutifere visitare digneris, etc.

« *Sequitur confessio infirmi.*

« Domine, minister Christi Domini nostri, comprehendi nullius valet solertia, quibus a diebus adolescentiæ meæ vicibus exsecrabilia contraxi opera; excedunt enim pluralitate sui numerorum fines, quia et comparatione meorum peccaminum nullus invenitur iniquus. Nullum quippe genus peccati inveniri potest, cui me non subdiderim, cujusque facibus et loris non sim circumdatus. Nunc quoque dies meæ resolutionis instant, quibus hominem exire [*Forte* exuere] compellor; nunc ultimum vocationis meæ diem ingemiscens expavesco, quia quæ male carni consentiens perpetravi, digna ultione puniri pertimesco, et nisi Dei clementia tolerer [*Leg.* tolerarer], merito me jam pro meis sceleribus ultrix vindicta ulcisceretur. Idcirco fessis artubus, dissolutisque corporis basibus, omnia viscerum meorum valentia amissa, [*Leg.* omni], pietatis tuæ misericordiam singultu interposito implorare non cesso, quatenus potestate cœlitus tibi collata vincula meorum piaculorum enodes, et precum tuarum studiis commissa mea pies, ut cum reprobis non ducar ad tartara, quin potius tuo interventu cœlestia merear sublimari ad gaudia sempiterna.

« *Absolutio.*

« Si principali sententia constat quia in multis offendimus omnes, unde ingemiscimus, ita principali sententia consolamur, quia si confiteamur peccata nostra, fidelis et justus est * quin Jesus Christus conditor et Redemptor, ac Salvator noster, quem habemus advocatum justum apud Patrem, et est propitiatio pro peccatis nostris, et interpellat pro nobis fideliter confitentibus, et dimittit nobis peccata nostra, et emundat ab omni iniquitate. Quapropter, frater noster, confitenti tibi peccata tua, per Ecclesiasticam apostolicæ auctoritatis potestatem, quam Dominus noster Jesus Christus tradidit discipulis et apostolis suis dicens: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis;* et per eosdem apostolos suos ipsorum successoribus, quorum vices licet indigni tenemus; etsi non merito, tamen nomine atque officii susceptione eamdem potestatem donavit, et in se credenti fideliter dixit: *Fiat tibi secundum fidem tuam;* gratia et potentia sua, virtute sancti Spiritus, qui est remissio omnium peccatorum, dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, conservet te in omni opere bono, et perducat te ad vitam æternam, et ad sanctorum consortium supernorum civium. Amen.

« *Exhortatio sacerdotis ad circumstantes.*

« Oremus Dominum nostrum Jesum Christum, fratres charissimi, et cum omni supplicatione rogemus, ut hunc famulum suum illum per angelos sanctos suos visitare, lætificare et confortare dignetur, qui vivit et regnat. *Sequitur Ant.* Succurre, Domine, infirmo huic, et medica eum spirituali medicamine, ut in pristina sanitate a te restitutus gratiarum tibi sanus referat actionem. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Orationes:* Deus, qui famulo tuo Ezechiæ, etc. *Alia:* Omnipotens mitissime Deus, respice propitius preces nostras, etc. *Alia:* Deus **548** qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, etc. *Alia:* Respice, Domine, famulum tuum ill. in infirmitate corporis sui laborantem, etc. *Alia:* Deus, qui facturæ tuæ pio semper dominaris affectu, etc. *Alia:* Deus, qui humano generi et salutis remedium, et vitæ æternæ munera contulisti, etc. *Alia:* Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem et omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, etc. *Alia:* Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem conditionis nostræ infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, etc. *Alia:* Respice, Domine, de cœlo, et vide, et visita famulum tuum ill., etc. *Alia:* Dimitte, Domine, peccata nostra, et tribue nobis misericordiam tuam, etc.

« *His ita factis, roget sacerdos confessor infirmi alios sacerdotes, ut dicant Orationes quæ sunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem.*

« Deus misericors et clemens, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, etc. *Alia:* Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut famulo tuo ill. longo squalore pœnitentiæ macerato, etc. *Alia:* Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui non mortem, sed peccatorum semper vitam inquiris, etc. *Tunc Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt, *totus cum Gloria, Pater noster, et preces.* Illumina faciem tuam super servum tuum, salvum eum fac in misericordia tua, Domine, ne confundamur, quoniam invocamus te. *Oratio:* Precamur, Domine, clementiam tuam, ut huic famulo tuo ill. peccata sua et facinora confitenti donare veniam, et præteritorum criminum culpas relaxare digneris, etc. *Ant.* Justificeris, Domine. *Psalm.* Miserere ei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitates ejus. Amplius lava eum, Domine, ab iniquitate sua, et a peccato ejus, munda eum. Quoniam iniquitatem suam ipse agnoscit, et peccatum suum contra eum est semper. Tibi soli peccavit, et malum coram te fecit, ut justificeris, Domine, in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. Ecce enim in iniquitatibus conceptus est, et in peccatis concepit illum mater sua. Ecce enim veritatem dilexisti; incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti ei. Asperges eum, Domine, hyssopo, ut mundetur; lavabis eum, ut super nivem dealbetur. Auditui ejus dabis gaudium et lætitiam, ut exsultent ossa ejus humiliata. Averte faciem tuam a peccatis ejus, et omnes iniquitates ejus dele. Gloria Patri.

« *Kyrie eleison, Pater noster, et preces.*

« Ut quid, Domine, recessisti longe? Despicis in opportunitatibus, in tribulatione? Respice in servos tuos et in opera tua, et dirige filios eorum, et sit splendor Domini Dei nostri super nos, *et reliq. Oratio:* Oremus Dominum Deum nostrum, pro fratre ill. quem duri [*Leg. Burch.* dure] ad præsens malum languoris adulcerat [*Leg. Burg.* affligit], etc. *Item Antiph.* Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. *Psalm.* Miserere mei, Deus. Gloria Patri. *Pa-*

ter noster, et preces : Libera eum de sanguinibus Deus Deus noster, ut exsultent linguæ nostræ ex justitia tua. Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, ut ædificentur muri Jerusalem. *Oratio :* Deus qui non vis mortem peccatoris, etc. *Oratio antequam ungatur.* Deus, qui per Apostolum tuum locutus es, *infirmatur quis in vobis*, etc.

« *Tunc Symbolum palam dicitur, hoc est* Credo in Deum Patrem, *usque* vitam æternam. *Deinde a sacerdote dicatur ad infirmum :* Credis, frater, quod diximus Symbolum. *Cum responderit, aut nutu significaverit,* Credo, *unguatur a sacerdote, vel plurimis sacerdotibus de oleo sanctificato, facientibus cruces singulis in dextro tempore et sinistro , non in fronte, nec in vertice dicendo :*

« Ungo caput tuum oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, more militis uncti, præparatus ad luctamen, possis aerias superare catervas. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre.

« **549** *Item in superciliis et subciliis juxta angulos oculorum dicendo :*

« Ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, per hujus olei unctionem expietur. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item aures intus et foris in summitate crucis signa recipiant, dicendo :*

« Ungo has aures corporis tui, ut per has fenestras recipias auditum gratiæ remissionis Christi in vitam æternam. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item nares in summitate et subtus unguantur crucis modo.*

« Ungo has nares de oleo sacro, ut quidquid noxæ ex his superfluo contractum est odoratu, ista medicatio emaculet. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item labia, dicendo, et exterius crucem super mentum, et guttur faciendo.*

« Ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa, vel etiam criminosa peccasti locutione, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item super humeros duos, hoc est scapulas, non in pectore, neque inter scapulas.*

« Ungo has scapulas de oleo sacrato, ut, ex omni parte spirituali protectione munitus, jacula diabolici impetus viriliter contemnere, ac procul cum robore superni juvaminis repellere possis. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item super manus, et si presbyter est, non infra ; sin aliter, et infra, et super pedes, et sub plantis cruces fiunt, dicendo :*

« Ungo has manus de oleo benedicto, ut quidquid illicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. Per eumdem qui cum Patre.

« *Item super pedes, et sub plantis cruces fiunt, dicendo :*

« Ungo et hos pedes ex oleo consecrato, ut quidquid superfluo, vel nocivo incessu commiserunt sanctorum intercessionibus ista oboleat [*Leg.* aboleat] unctio. Per eumdem Dominum nostrum, qui cum Patre.

« *Conclusio unctionum.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificati ad purificationem mentis et corporis, et ad munimen et defensionem contra jacula immundorum spirituum. Amen.

« *Tunc Psalm.* Domine, clamavi, *totus.* Gloria. Kyrie eleison. Pater noster. Oratio. *Tunc cæteri sacerdotes, vel laici invitentur. Sacerdos alius dicat, aut confessor :* Dominus vobiscum. ℟. Oremus.

« *Absolutio a fratribus.*

« Deus qui peccatores et scelerum onere vulneratos sacerdotibus tuis ostendere jussisti; qui discipulis tuis, ut bene haberent, manus super infirmos ponere præcepisti ; qui apostolos tuos pro infirmis orare docuisti, et impositionem manuum sacerdotum cum invocatione sancti nominis tui peccata relaxare voluisti; exaudi Orationes nostras, et da huic famulo tuo *ill.* infirmitatis noxa deprehenso per hoc sacrum ministerium, quod nos indignos famulos tuos agere docuisti, remissionem omnium peccatorum; quatenus per hanc sacrati olei unctionem, et per manuum impositionem, cuncta facinora Spiritus sancti gratia relaxentur ; fomenta etiam medicinæ tuæ eum interius exteriusque imbuant, et sanent, ut non tantum ei noceat conscientia reatus ad pœnam, quam indulgentia, **550** et reconciliatio tuæ pietatis ac remissionis ad veniam. Qui vivis et regnas.

« *Hinc sequitur unctio alia.*

« *Oratio.* Per istam unctionem Dei, et per ministerium nostrum, et Dei benedictionem, mundentur et sanctificentur ab omni sorde et contagione peccati caput tuum et sensus tui, visus, auditus, odoratus, gustus et tactus, ut quidquid in humeris, vel in manibus aut pedibus, sive toto corpore, cogitatione, locutione et opere peccasti, misericordia Salvatoris nostri expietur, ut idoneus efficiaris ad invocandum Dominum et benedicendum atque sanctificandum et sacrificandum in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi ; reddatque tibi lætitiam Salutaris sui, et Spiritu principali confirmet te, et Spiritum sanctum innovet in visceribus tuis, et ne auferat illum a te ; sed benedictio Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, quæ copiose super caput tuum defluat, et in extrema totius corporis tui descendat, interius exteriusque repleat, atque circumdet, et sit semper tecum. Amen.

« *Item alia ab alio presbytero dicenda.*

« Ungo te oleo sancto invocata magni Creatoris Majestate, qui jussit Samuelem prophetam ungui [*Leg.* unguere] David in regem, operare creatura olei, etc., » ut supra, in Cod. sancti Eligii.

« *Item alia.*

« Ungo te de oleo sanctificato, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, etc., » ut supra ex Ord. Tiliano.

« *Uncto infirmo a singulis singulæ dici possunt.*

« *Oratio post unctionem.*

« Domine, Jesu Christe, qui es salvatio et redemptio nostra, et qui es vera salus et medicina, a quo omnis sanitas, et medicamentum venit, etc.

« *Sequitur reconciliatio ante communionem ipsa die.*

« Deus misericors, Deus clemens, qui indulgentiam tuam nulla temporum lege concludis, sed pulsanti misericordiæ tuæ januam aperis, pœnitentes etiam sub ipso vitæ hujus termino non repellis, respice propitius super famulum tuum *ill.* remissionem sibi omnium peccatorum tota cordis confessione poscentem. Renova in eo, piissime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipsa denique cogitatione, diabolica fraude vitiatum est, et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere gemituum, miserere lacrymarum, et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad sacramentum tuæ reconciliationis admitte, quia nullius animæ in hoc corpore constitutæ difficilis apud te aut tarda curatio est. Fidelis enim es in verbis tuis, qui conversum peccatorem non [*Leg.* non ad] longa temporum spatia differendum, sed mox ut ingemuerit dixisti esse salvatum. Per. *Alia :* Majestatem tuam, Domine, supplices, *ut supra. Alia :* Majestatem tuam, quæsumus, Domine sancte, Pater, *ut supra.*

« *Tunc auferatur cilicium quod super caput infirmi positum fuerat, et dicatur :*

« *Ant.* Heu me! quia incolatus meus prolongatus est. *Psalm.* Ad Dominum cum tribularer. *Ant.* Unde veniet auxilium mihi. *Psalm.* Levavi oculos meos. *Ant.* In domum Domini lætantes ibimus. *Psalm.* Lætatus sum. *Ant.* Qui habitas in cœlo, miserere nobis. *Psalm.* Ad te levavi oculos. *Ant.* Benefac, Domine, bonis et rectis corde. *Psalm.* Qui confidunt. *Tunc sacerdos dicat :*

« Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus tuis, etc., » ut supra in Cod. sancti Eligii.

« *Communicet infirmum, tunc dicens :*

« Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam.

« Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam.

« **551** Pax Domini nostri Jesu Christi, et sanctorum communio sit tecum et nobiscum in vitam æternam. Amen.

« *Oratio in consummationem.*

« Omnipotens sempiterne Deus, qui subvenis in periculis, et necessitatibus succurrentibus, etc., » ut in Cod. sancti Eligii.

« *Et septem dies, vel multo plures, si necessitas fuerit, tam de communione quam de alio officio erga infirmum fiat; ut sicut apostolus dicit, imo per eum Spiritus sanctus ait :* Si in peccatis fuerit, dimittentur ei. *Debent etiam ex ministris sanctæ Ecclesiæ procurare in* [Leg. *ut*] *canonici cursus circa eum decantentur, id est Matutinæ, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperum, Completorium. Quod si episcopus adfuerit, Benedictionem dabit; si non, singuli sacerdotes singulas has Orationes dicant :*

« Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te conservet; ante te sit, ut te deducat; post te sit, ut te justificet; super te sit, ut te benedicat, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus.

« *Benedictio.*

« Benedicat te Deus Pater, sanet te Dei Filius, illuminet te Spiritus sanctus, etc.

« *Alia.* — Benedicat te Deus Pater, adjuvet te Christus Filius Dei; corpus tuum in suo servitio custodiri et conservari faciat, etc.

« *Alia.* — Benedicat te Deus Pater, qui in principio cuncta creavit; benedicat te Deus Filius, qui de supernis sedibus pro nobis Salvator descendit; benedicat Deus Spiritus sanctus, qui in similitudine columbæ in flumine Jordanis super Christum requievit, etc.

« Omnipotens Dominus in visitatione suæ misericordiæ tibi propitietur, et ab infirmitate qua detineris relevando tui misereatur. Amen. Voluntatem tuam in suo beneplacito amplificare, et orationibus ac benefactis tuis [*Leg.* orationes et benefacta tua] te sibimet reconciliando acceptare dignetur. Amen. Addat etiam ut omnium virtutum cœlestium et reliquorum sanctorum intercessionibus inter omnes sæculares anxietates custodiaris, et eorum participio, absolutus carnali carcere, interponi merearis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui propter liberationem hominum homo dignatus est fieri Deus, et Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per immortalia sæcula sæculorum. Amen.

« *Alia.* — Benedicat te Deus Pater, custodiat te Jesus Christus, illuminet te Spiritus sanctus omnibus diebus vitæ tuæ. Amen. Confirmet te virtus Christi, indulgeat tibi Dominus universa delicta tua. Amen. Beatæ et gloriosæ semperque virginis Dei genitricis Mariæ, omniumque simul sanctorum, quæsumus, intercessio gloriosa te protegat, et ad vitam æternam perducat. Amen.

« *Missa pro infirmo.*

« *Antiphona :* Virtutum omnium Deus, qui ab humanis corporibus infirmitatem expellis, miserere servo tuo, et visita in salutari tuo, et cœlestis gratiæ tribue medicinam. *Psalm.* Domine, exaudi. *Item Ant.* Justus es, Domine. *Psalm.* Beati immaculati. *Oratio :* Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro famulo tuo *ill.* pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, etc., » ut in Missali Romano.

« *Lectio Epistolæ beati Jacobi apostoli.* Cum enim tristatur aliquis vestrum, oret æquo animo et psallat, etc.

« *Grad.* Exsurge, Domine, succurre huic infirmo, et medica eum, et sana ejus languorem. ℣. Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione opem tuam tribue benignus infirmo. All. Mitte ei, Domine, auxilium de sancto, et de Sion **552** tuere eum. ℣. Auribus percipe. All. De profundis, etc.

« *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.*

« In illo tempore : Intravit Jesus Capharnaum. Centurionis autem cujusdam servus male habens, etc.

« *Offert.* Domine, qui publicani precibus et Oratione placatus es, qui socrum Petri ex febre valida liberasti; et nobis pro infirmo supplicantibus clementi miseratione adesto, Domine.

« *Item offert.* Domine, mirifica eum secundum eloquium tuum, ut sciat testimonia tua. ℣. 1. Fac cum servo tuo. ℣. 2. Da illi intellectum, ut discat mandata tua, et voluntaria oris ejus fac illi in beneplacito, Domine.

« *Super oblata :* Deus cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, etc.

« *Præfatio :* Æterne Deus, qui famulum tuum ideo corporaliter verberas, ut mente proficiat, potenter ostendens quod sit pietatis tuæ præclara salvatio, dum præstas ut operetur nobis etiam ipsa infirmitas salutem. Per Christum Dominum nostrum.

« *Comm.* Succurre, Domine, infirmo huic, et medica eum spirituali medicamine, ut, in pristina sanitate a te restitutus, gratiarum tibi sanus referat actionem.

« *Item Comm.* Redime eum, Deus Israel, ex omnibus angustiis suis.

« *Ad Complendum :* Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, etc.

« *Oratio pro reddita sanitate.*

« Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui Benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate gubernas, etc.

« *Missa pro infirmo, qui proximus est morti.*

« *Ant.* Circumdederunt me gemitus mortis. *Psalm.* Diligam te, Domine. Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, qui quos diligis corripis et recipis, pie ad emendationem coerces, etc.

« *Lectio Isaiæ prophetæ :* In diebus illis locutus est Isaias propheta, dicens : Quærite Dominum, dum inveniri potest.

« *Grad.* Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum. ℣. Conturbata sunt.

« *Item Grad.* Adjutor meus et liberator meus. ℣. Confundantur et revereantur, etc.

« *Secundum Marcum.* In illo tempore, respiciens Jesus discipulos suos dixit : Habete fidem Dei, etc.

« *Offert.* Miserere mihi, Domine, secundum magnam misericordiam.

« *Item Offert.* Exaudi, Deus, Orationem meam, et ne despexeris, etc.

« *Super oblata.* Adesto, Domine, pro tua pietate supplicationibus nostris, et suscipe Hostiam quam tibi offerimus pro famulo tuo *ill.* jacente in grabato, etc.

« *Præfatio :* Vere dignum.... æterne Deus, im-

plorantes tuæ Majestatis misericordiam, ut famulo tuo *ill.* veniam suorum largiri digneris peccatorum, quatenus, ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde inhæreat mandatis, et te solum semper tota virtute diligat, et ad tuæ quandoque beatitudinis visionem pervenire mereatur. Per Christum.

« *Ad Complendum :* Gratias agimus multiplicibus largitionibus tuis, ex quibus animas in te sperantium satiare consuesti, etc.

« *Item fiat reconciliatio.*

« Deus misericors, ut supra. *Al.* Majestatem tuam, et reliqua. *Tunc etiam Symbolum, sicut ante prædictum est, et communio corporis.*

« *Item abbreviatio.*

« *Cum vero ingravari cœperit, ad succurrendum, facta aqua benedicta, dicatur Oratio hæc :*

« **553** Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui es via, veritas, et vita, exaudi nos, et conserva famulum tuum *ill.* hunc, quem vivificasti, et redemisti pretio et magno munere sanguinis Filii tui, qui tecum vivit et regnat.

« *Tunc unguatur oleo.*

« Ungo te de oleo sanctificato, ut salveris æternaliter in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

« *Collecta.*

« Concede, Domine, nobis famulis tuis, ut orantes cum fiducia dicere mereamur : Pater noster, libera nos ab omni malo, custodi nos semper in bono, qui regnas in sæcula sæculorum.

« *Communicet dicens :*

« Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.

« *Post hæc dicendum est :*

« Agamus Deo nostro omnipotenti gratias, quod terrenæ nos originis atque naturæ sacramenti sui dono in cœlestem vivificaverit demorationem, qui cum Filio et Spiritu sancto vivit et regnat. »

Hactenus Codex ms. monasterii sancti Remigii Rhemis fundati de visitatione infirmorum, seu extrema unctione, circa quem paucula quædam notanda veniunt.

1. Notanda crux ex cinere super pectus, quæ est juxta quosdam Ordines et Sacramentarios supra citatos.

2. Circa litaniam notandum est eam esse satis antiquam, si cum hodiernis conferatur; primam tamen, quam supra ex libro qui inscribitur Ordo Orationum transsumpsimus, esse antiquiorem.

3. Notanda est confessio infirmi, quæ supra transcriptis confessionibus haud absimilis est, quæ tamen unica non erat ægroti confessio, sed hanc præcedebat enucleatior, quæ numerum peccatorum et necessarias circumstantias promeret, ut supra agendo de pœnitentia docuimus; quod etiam ex eodem Codice sancti Remigii confirmatur, in quo paulo ante litaniam hæc reperire est : *Deinde sacerdos audiat confessionem ejus, sicut melius inquirere poterit, aut scriptis, aut verbis.* Quæ sane verba aliam a memorata confessionem postulant, et doctrinam a nobis supra stabilitam mirum in modum illustrant.

4. Sequitur exhortatio sacerdotis ad circumstantes. Hæc exhortatio alias appellatur præfatio, qua movet sacerdos astantes ad Orationem, de qua supra egimus, juxta morem veterem.

5. Notanda est fidei professio, quam æger facere debeat ante unctionem, quæ exstat apud Burchardum, lib. XVIII, in hunc modum : *Credis in Deum Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum?* Responsio : *Credo. Credis quod istæ tres personæ unus Deus sit?* Respon. *Credo. Credis quod in ipsa ista carne, qua nunc es, resurgere habes in die judicii, et recipere sive bonum, sive malum quod gessisti?* Responsio *Credo.*

6. Nota unctionem temporum, quæ in nostris aliis Codicibus non reperitur; sed cum in Sacramentariis editis et in Codice Tiliano unctio capitis præcipitur, puto ungenda esse tempora : prohibetur ungi frontem, et verticem capitis, quia frontis unctio spectat ad confirmationis sacramentum, unctio verticis ad cæremonias baptismi.

7. Nota infirmum ungi a multis sacerdotibus, quod videtur etiam in Codice Tiliano : *Et sic perungant singuli sacerdotes infirmum de oleo sanctificato.*

8. Nota verba, *non in pectore.* Nam in Codicibus sancti Eligii, Ratoldi, Rodradi, et Tiliano, et in Manuali Suessionensi ungitur pectus; id etiam in quibusdam Ecclesiis fieri testatur Joannes Altenstaig infra citandus. Ita etiam faciunt Græci, ut testatur Petrus Arcudius, lib. V de Sacramentis, cap. 7.

9. Notanda sunt hæc verba, *neque inter scapulas.* Nam aliter fit in Codicibus Rodradi, et Tiliano, cum dicitur : **554** *Ungo has scapulas, sive medium scapularum.*

10. Et hæc verba: *Et si presbyter est, non infra,* nam non exstant in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

11. Notandum est hanc formulam : *Per istam unctionem,* etc., desiderari in aliis Codicibus nostris mss., et dici solitam in unctione sacerdotis ob hæc verba : *Ad invocandum Dominum, et benedicendum, atque sanctificandum, et sacrificandum in nomine ejusdem Domini nostri Jesu Christi.*

12. Nota communionem completa unctione, ut etiam habetur in aliis Codicibus nostris manuscriptis.

13. Nota continuationem unctionis per septem et plures dies, quæ etiam exstat in Sacramentario sancti Eligii; simulque recitationem officii divini coram ægroto, quæ etiam habetur in dicto Sacramentario, et in Codice Ratoldi abbatis.

14. Hæc Oratio : *Omnipotens Dominus, visitatione suæ misericordiæ,* etc., cum sub equenti, est Benedictio episcopalis, quæ etiam habetur in Codice sancti Eligii, sed sub alia verborum formula. Secundæ Benedictioni deest conclusio.

15. In Missa pro infirmo nota duas Antiphonas seu Introitus cum duobus Psalmis, duplex Gradale, duplex Offertorium, et duplicem Communionem, ut in Missa pro infirmo, qui proximus est morti duplex Gradale, et duplex Offertorium sine Communione.

16. Nota hæc verba, *item fiat reconciliatio,* etc., esse breviorem conferendæ unctionis extremæ rationem infirmo, qui proximus est mortis.

17. Nota hæc verba, *item abbreviatio,* etc. Est enim breviuscula conferendæ unctionis extremæ ratio, cum videtur infirmus ita aggravatus, ut jure timeatur ne in ipsius sacramenti collatione expiret. Unde adhibetur unica unctio, quæ eorum opinionem qui dicunt in ejusmodi periculo unicam sufficere unctionem confirmat.

18. Nota formulam, *Corpus et sanguis,* etc. Quia ob imminens periculum corpus sanguini intinctum ægroto porrigebatur, qua de re infra. Tamen in concil. Tolet. XI statuitur ut ii qui præ nimia imbecillitate corpus Christi deglutire non valent, solo sanguinis haustu sint contenti.

19. Nota nullam hic esse renum unctionem, quemadmodum nec in Codice Tiliano, nec in aliis Codicibus nostris mss. neque apud Græcos, neque in Manuali Suessionensi. Illius tamen meminit Richardus de Media Villa, quæst. supra citata, et Joannes Altenstaig Mindelhaimensis, in Vocabulario theologiæ, qui etiam meminit unctionis umbilici : *Quidam,* inquit, *addunt pectus et renes, et umbilicum, in quibus est delectatio venerea, licet non oporteat.* In Sacramentariis editis ex Vaticano ungitur caput, unctiones aliæ sunt indeterminatæ. Græci ungunt frontem, mentum, ambas genas, deinde pectus, tum manus, idque ex utraque parte, postremo pedes, ut testatur Petrus Arcudius, lib. V de Sacramentis, cap. 7. In Codicibus sancti Eligii, et Rodradi, in descriptione primi ritus, ungitur infirmus in collo, et gutture, inter scapulas, et in pectore, et ubi plus dolor immi-

net; in secunda descriptione unguntur quinque sensus. In hoc Codice sancti Remigii unguntur tempora et locus super mentum præter alia loca. Nota diversitatem.

His tandem accedat ratio ungendi infirmi secundum usum insignis Ecclesiæ Suessionensis, deprompta ex Manuali seu Instructorio veteri Curatorum ejusdem Ecclesiæ typis mandato seu impresso octoginta ab his circiter annis, nam in ipso libro annus minime annotatur; quæ non abhorret a Codicibus Ratoldi et Tiliano. Omissis precibus multis quæ præmittuntur, hæc subjecta duntaxat exscripsi.

« *Postea ungatur infirmus. Primum ad aurem dexteram fac crucem* † *dicens :*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, sit tibi hæc unctio olei sanctificationis ad purificationem mentis et corporis in vitam æternam. Amen.

« **555** In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, accipe sanitatem in nomine Domini. Amen.

« *Ad aurem sinistram.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo aures tuas sacrati olei liquore, ut quidquid peccati delectatione nocivi auditus admissum est, medicina spiritalis evacuet. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad oculos.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo oculos tuos de oleo sanctificato, ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad nares.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo has nares de oleo sacro, ut quidquid noxæ contractum est odoratu superfluo, ista evacuet medicatio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad labia.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo labia ista consecrati olei medicamento, ut quidquid otiosa *sus* vel etiam locutione criminosa *sus* peccasti, divina clementia miserante, expurgetur hac unctione. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui te, etc. Oremus.

« *Oratio.*

« Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat. Respondeat. Amen. In te sit †, ut te reficiat. Amen. Circa te sit †, ut te conservet. Amen. Post te sit †, ut custodiat. Amen. Super te sit †, ut benedicat. Amen. Qui cum Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus. Per omnia sæcula sæculorum. Amen.

« *Ad pectus.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo pectus tuum de oleo sancto, ut hac unctione perunctus *ta* fortiter certare valeas adversus aereas catervas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad scapulas.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in uno quoque loco, ungo has scapulas, sive medium scapularum de oleo sacro, ut, ex omni parte spiritali protectione munitus *ta*, jacula diabolici impetus viriliter contemnere ac procul possis cum robore superni juvaminis repellere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad manus.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ungo has manus de oleo consecrato, ut quidquid de illicito vel noxio opere peregerunt, hac unctione evacuetur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Ad pedes.*

« In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, accipe sanitatem in nomine Domini nostri Jesu Christi, *surge et ambula*. In nomine Domini, ungo hos pedes de oleo benedicto, ut quidquid superfluo vel nocivo incessu commiserunt ista aboleat perunctio. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

« *Alia Oratio.*

« Ungo te oleo benedicto, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut hac unctione corroboratus *ta*, aereas valeas superare catervas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

556 « *Alia Oratio.*

« Unxi te de oleo sanctificato, sicut unxit Samuel David in regem et prophetam, operante [*Al.* operare] creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat Spiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, etc., ut in aliis Codicibus nostris manuscriptis. »

Sequuntur quædam aliæ Orationes, septem Psalmi, Litania, cum multis suffragiis, quibus hæc subjunguntur : « *Postea communicet eum his verbis, si communicare infirmus voluerit; sin autem, prætermissis his quatuor Orationibus, quæ sequuntur, dicat istas duas :* Benedicat te Deus, etc. Propitietur Dominus. Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam in vitam æternam. Amen. etc. »

Hactenus Manuale Ecclesiæ Suessionensis, in [a] quo tamen quid significent illæ particulæ *sus*, et *ta*, litteris rubris exarata, non satis capio.

924. *Quæsumus, omnipotens Deus, ut famulus tuus ill.*, etc. Hæc Missa celebrata est in coronatione Caroli Calvi imperatoris; sed singulis his tribus Orationibus singulæ præmittuntur Orationes de sancto Gorgonio martyre, quia eodem die nempe v Idus Septembris, Carolus Calvus Metis coronatus est, ut videre est in ejus Capitulis.

925. *Omnium*. Hæc vox deest in Missa citata.

926. *Et ill. Regi*. In Missa citata legitur : *Et Carolo regi nostro*, quia in ejus coronatione dicitur.

927. *Et peragendum injunctum Officium*. Ita in Codice Ratoldi abbatis. In Missa citata hæc vocabula desiderantur.

928. *Oratio*. In Missa citata ex Capitulis Caroli Calvi legitur *Communio*, rectius, ut arbitror.

929. *Via sanctorum*, etc. Hæc Oratio in quibusdam Ecclesiis recitatur post Processionem Dominicæ.

930. *Isti intercedentes. Hic in te credentes*, ut in quibusdam libris editis.

931. *Arma*. Id est, ornamenta, vestimenta.

932. *Secretarii*. Id est, sacrarii.

933. *Minister*. Per Ministrum, intelligit aliquem minoribus ordinibus initiatum.

934. *Sandalia*. Horum meminit Alcuinus, lib. de Officiis divinis, cap. de vestimentis, et Leo Ostiensis infra citandus.

935. *Super humerale*. Meminit Alcuinus cap. citato. Græci dicunt, ὠμοφόριον, de quo vide superius annotata. Sed hoc humerale ut ex rationali, quod ei infra annectitur, non est simile omophorio.

936. *Albam*. Talare est vestimentum lineum quod poderis dicitur. Alcuinus, cap. citato. Albæ mentio fit in concilio Carthag. IV, can. 4 : *Ut diaconus tempore oblationis tantum, vel lectionis, alba utatur.*

937. *Delenda malæ*. Legendum videtur : *Dele inde malæ.*

938. *Cingulum*. Cinguli meminit Alcuinus cap. citato.

939. *Baltheum*. Proprie cingulum est militare, de quo Varro, lib. IV de Lingua Latina, et sanctus Isidorus, lib. XIX Originum cap. 33

940. *Tunica*. **557** Quam Alcuinus et Amalarius,

[a] Significant procul dubio, quando ungitur masculus, legendum esse *otiosus*; quando femina, *otiosa*. Item in unctione masculi, legendum, *perunctus, munitus*; in unctione vero feminæ, *peruncta, munita*.

lib. II, cap. 17, dalmaticam appellant, Missa ab Illyrico edita palmaticam, sed legendum *dalmaticam*.

941. *In tintinnabulis*. Ad similitudinem sacerdotis Aaronici.

942. *Myrice*. Lege *Mirifice*.

943. *Manicæ*. Sunt chirothecæ. Nam infra in eadem Missa paschali : *Et exuat manicas, lavetque manus*. In Missa ab Illyrico edita legitur *Ad induendas manus*. Meminit Leo Ostiensis, lib. II Chron. Casin., cap. 82.

944. *Detur ei annulus*. In Missa Illyrici, *Ad annulum*. In Codice Ratoldi, quemadmodum et in Sacramentariis editis in ordinatione episcopi datur ei annulus. Quod etiam videre est in concilio Toletano IV, can. 27 : *Si episcopus est, orarium, annulum, et baculum*. Mentio fit in Vita sancti Birini episcopi Dorcestrensis, apud Surium, 3 Decembris, de ejus corporis detectione : *Inventus est quoque annulus, itemque crux plumbea*. Mirum tamen de eo silentium est apud Alcuinum, Amalarium, et Rabanum ; quod satis indicat diversum olim fuisse ritum pro diversitate temporum et locorum.

945. *Casula*. De casula Hugo a sancto Victore, lib. I de Sacramentis, cap. 50 : *Casula quæ planeta dicitur, omnibus indumentis superponitur, per quam charitas intelligitur, quæ omnibus virtutibus eminentior videtur. Hæc super dextrum brachium levatur, ut amici in Deo amentur; replicaturque super sinistrum, ut inimici propter Deum diligantur*. Cætera vide in observationibus nostris ad Concordiam regularum.

946. *Rationale*. Est ornamentum quoddam pectorale, ad similitudinem illius quo utebantur olim legales sacerdotes.

947. *Manipulus*. Alias mappula apud Alcuinum, et phanon apud Rabanum. Et hæc de ornamentis pontificum, quæ satis accurate hic recensentur, nulla tamen mitræ facta mentione; cujus etiam in Sacramentariis nostris mss., in Ordinibus Romano, et Tiliano, in pontificali ms. quod servatur in sacristia eccles. Rothom. et putatur esse Rhemense, Missa ab Illyrico edita, apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, et alios antiquos scriptores, qui de Officiis divinis tractavere, et ornamenta pontificalia recensent, mirum est silentium ; ita ut existimem vix ante annum post Christum natum millesimum mitræ usum in Ecclesia fuisse, quem postea clare videmus apud Petrum Damiani, serm. 1 de dedicatione; sanctum Bernardum, epist. 40 ; Hugonem a sancto Victore, lib. I de Sacramentis, cap. 55, et multos alios, qui postea floruerunt. Quare non assentior iis qui dicunt mitræ usum ab ipsis fluxisse apostolis, et antiquos episcopos corona usos fuisse, quod suadere conantur ex epigrammate 77 Ennodii de vita et moribus sancti Ambrosii :

> Serta redimitus gestabat lucida fronte,
> Distinctum gemmis ore parabat opus.

Ita enim legendum est : Quæ sane nemo est qui non videat metaphorice dici de pudore, verecundia, modestia, gravitate, et similibus virtutibus, quæ in ore hujus sanctissimi pontificis emicabant, quæque inter concionandum ob divinam viri eloquentiam maxime effulgebant, quod satis ex his verbis,

> Distinctum gemmis ore parabat opus,

manifestum est ; quæ etiam patent ex superiore disticho

> **558** Roscida regifico, cui fulsit murice lingua,
> Vere suo pingens germina quæ voluit.

Nec sane magnum fuit Ambrosio laudis argumentum gemmatam in capite gestare coronam; quod etsi convenire possit aliis Mediolani episcopis, quos postea laudat Ennodius, nihil tamen simile illis attribuit. Nec obstant illa quæ ex Eusebio producuntur, lib. X Hist. eccl., cap. 4, in Oratione panegyrica : *Amici Dei et sacerdotes, qui sacrosancto podere indumento cœlesti, gloriæ corona, divina unctione et sancta sancti Spiritus stola circumvestiti*. Et in Apologetica sancti Gregorii Nazianzeni : *Idcirco me pontificem ungis, et podere cingis, capitique cidarim imponis, atque spiritualis holocausti altari admoves*. Nam ista commemorantur ad veteris sacerdotii similitudinem. Nec nos morantur laminæ illæ aureæ, quas in fronte gestasse ferunt sanctos Joannem et Jacobum, tum quia non sunt coronæ, nec cidaris, nec mitra; tum quia, ut in eis incœpere, sic in eis desiere. Ad illud vero quod objicitur ex Ammiano Marcellino, lib. XXIX, ubi scribit Firmum in Africa victum, ut sibi quodammodo Theodosium imperatorem conciliaret, signa militaria, et coronam sacerdotalem cum cæteris manubiis, quæ regionem illam depopulando rapuerat, restituisse, ut præceptum est, dico locum esse de corona sacerdotis alicujus ethnici intelligendum, nondum omnino tum avulsa gentilitate. Coronatos olim sacerdotes gentilium in sacris fuisse norunt omnes. Id planum est ex Tertulliano, libro de Corona militis : *Ipsæ denique fores, et ipsæ hostiæ, et aræ, ipsi ministri et sacerdotes eorum coronantur*. Et lib. de Spectaculis : *An Deo placebit auriga ille tot animarum inquietator, tot furiarum minister, tot statuarum velut sacerdos coronatus ;* et sancto Cypriano, in Oratione de lapsis : *Frons cum signo Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit*; ibi enim agitur de sacris idolorum. Et ex concilio Eliberitano, can. 55 : *Sacerdotes qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid idolis præstant, placuit post biennium accipere communionem*. Olim in sacris Cereris hierophantes, et hierophantides, et daduchus, hoc est lampadem gestans, aliæque sacrificulæ myrtea corona cingebantur, ut ex Istro refert scholiastes Sophoclis ad Œdippum Colonæum. Imo ipse Tertullianus, lib. citato de Corona militis negat prorsus apostolos, evangelistas et episcopos fuisse coronatos, quod contrariæ sententiæ adversatur : *Non denique*, inquit, *patriarches, levites, aut sacerdos, aut archon. Quis vel postea apostolus, aut evangelista, aut episcopus invenitur coronatus?* Scilicet tam antiquus doctor ignorabat traditionem apostolicam? Itaque frustra ostendunt quidam nonnullorum priscorum episcoporum mitras, quia illorum fuisse probari non potest, imo in quibusdam apparent signa prætentæ antiquitati derogantia. Qualis autem fuerit antiquorum mitra sic docet auctor veteris etymologici : Μίτραι κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠαρίων γενόμενοι στέφανοι, ἐν καταχρήσει δὲ πᾶς στέφανος μίτρα λέγεται. Id est : Mitræ proprie coronæ sunt ex fasciis et orariis compactæ, per abusionem vero omnis corona appellatur mitra. Ubi vox ὠαρίων corrupta est, pro qua legendum ὠραρίων, ut legitur apud Eustathium in Iliadem Δ. Φάμενοι ὅτι μίτραι κυρίως οἱ ἀπὸ φασκιῶν καὶ ὠραρίων στέφανοι, id est, dicentes mitras esse ex fasciis, et orariis compositas. Oraria autem sunt textilia quædam oblonga. Vide quam dispares sunt hodiernæ mitræ pontificum.

948. *Flamineato*. Id est, sacris vestibus induto. Ut autem quæ supra dicta sunt clariora sint, hic damus veterem imaginem sancti Remigii [a] ex Codice Rhemensi.

559 949. *Processio* Est cœtus clericorum ipsum pon-

[a] Veterem etiam sancti Gregorii imaginem, quam ex Cod. ms. in limine suæ edit. delineari curavit Menardus, huc revocavimus, tum ut ea quæ dicta sunt claritatem quoque ex ipsa accipiant; tum quia elegantior sancti doctoris effigies initio primi operum omnium voluminis apposita, hanc in limine hujus tomi prohibet incidi, utpote minus comptam, soliusque explicationis gratia depictam.





tificem ad altare concomitantium, eique assistentium.

950. *Etsi non presbyter et diaconus.* Id est, etsi quidam non sint presbyteri, nec diaconi.

951. *Annuente episcopo incohat antiphonam.* Nota in istis Missis nihil incipi a cantore, nisi ab episcopo præcipiatur.

952. *Suscipe confessionem meam*, etc. Hæc Confessionis formula habetur etiam in antiquissimo Codice ms. bibliot. Corb., qui inscribitur *Ordo Orationum*, in Codice Tiliano, et Missa ab Illyrico edita. In eadem Missa Illyrici altera habetur in hunc modum: *Confiteor tibi peccata mea, æterne Pontifex, et sanctorum minister, et veri tabernaculi Sacerdos*, etc. Cujus initium notandum, quia olim ejusmodi Confessiones ab hoc verbo, *Confiteor*, ducebant exordium, et qui hoc vocabulum proferebant, tundebant pectus, ut videre est apud sanctum Augustinum, serm. 8, de verbis Domini secundum Matthæum: *Secutus est etiam sonus tunsionis pectoris, audito scilicet quod Dominus ait*, Confiteor tibi, Pater, *in ipso quod sonuit*, Confiteor, *pectora tutudistis. Tundere autem pectus quid est, nisi arguere quod latet in pectore, et evidenti pulsu occultum castigare peccatum? Quare hæc fecistis, nisi quia audistis* Confiteor tibi, Pater. *Confiteor audistis, qui confitetur non attendistis. Nunc vero advertite, si* Confiteor *Christus dixit, a quo est longe omne peccatum. Non solius peccatoris, sed etiam laudatoris.* Ex longo enim habitu tundendi pectoris, cum in Confessione hoc vocabulum proferebant, ut primum illud audierunt, sua pectora tutuderunt. Huc spectat illud ejusdem Augustini tractatu de Disciplina Christiana, cap. 20: *Erubescamus saltem, confiteamur, et pectora tundamus, non ut super peccata nostra pavimentum solidemus.* **560** *Nam qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit. Tundamus pectus, et cædamus nos, et corrigamur a nobis.*

953. *Psalmus.* Domine, probasti me, ut supra.

954. *Interim quoque osculetur omnes sibi circumdatos.* In Missa Tiliana et Illyrici osculatur tantum presbyteros et diaconos; in Ordine Romano 1, presbyteri, sive diaconi, osculantur manus pontificis.

955. *Sinistre.* Id est, a sinistra.

956. *Dextre.* Id est, a dextera.

957. *Episcopus signo digiti sui.* Locus corruptus, et mutilus, lege: *Episcopo signo digiti sui annuente.*

958. *Indignum me*, etc. Hæc Apologia exstat etiam in Missa a Mathia Illyrico edita, ibique recitatur in altari a pontifice post Confessionem.

959. *Et tunc incipiat, Gloria in excelsis.* Nota incipi hymnum *Gloria in excelsis* a pontifice, idque ex antiquo more, ut videmus in Vita Caroli Magni, auctore Sangallensi quodam monacho, cap. 20, de quodam episcopo: *Cumque præmissis melodiis juxta ministerium suum imponere debuisset hymnum angelicum.* Idem videre est in primo, et tertio Ordine Romano, qui mos hodie perseverat.

960. *Legat Epistolam.* Olim in multis Ecclesiis lectioni Epistolæ prophetica lectio præmittebatur, ut videre est apud sanctum Gregorium Turonensem, lib. I Miraculorum sancti Martini, cap. 5: *Cui celebranti festa dominici diei ista erat consuetudo, ut veniens lector cum libro non antea legere præsumeret, quam sanctus nutu jussisset. Factum autem est ut illa* **561** *Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium stante, qui lectionem beati Pauli proferret*, etc. Hoc etiam clarum est ex Paraphrasi Georgii Pachymeris, qui exponens hoc sancti Dionysii, Hierarch. Eccles., cap. 3, ἁγιογράφων δέλτων ἀνάγνωσις, id est, lectio tabularum sanctarum Scripturarum, sic scribit: Ἑξῆς δὲ διὰ τῶν ἀναγνωστῶν (τούτους γὰρ λέγει λειτουργοὺς) τῶν θείων γραφῶν, τῶν προφητειῶν, τοῦ ἀποστόλου, τοῦ θείου εὐαγγελίου ἡ

ἀνάγνωσις γίνεται, id est, deinde per lectores (illos enim vocat liturgos, id est minitros) divinarum Scripturarum, prophetiarum, Apostoli, et divini Evangelii fit lectio. Ex quibus duobus locis confirmatur id quod supra diximus lectorum olim partes fuisse legere Epistolam et Evangelium in Missa.

961. *Resp. Hæc dies.* Responsorium hoc loco est Gradale. Olim Psalmus, ut clarum est, cantabatur, ex sancto Augustino, serm. 10, de verbis Apostoli: *Hoc de apostolica lectione percepimus; deinde cantavimus Psalmum, exhortantes nos invicem una uno corde dicentes:* Venite adoremus, et prosternamur ei, et fleamus coram Domino qui fecit nos, et ibi præveniamus faciem ejus in Confessione, et in Psalmis jubilemus ei. *Post hæc evangelica lectio.* Sermone 33, de Verbis Domini secundum Lucam: *In apostolica lectione gratiæ aguntur de fide gentium; in Psalmo diximus:* Deus virtutum converte nos; ostende faciem tuam, et salvi erimus. Serm. 7, de Verbis Apostoli: *Apostolum audivimus, Psalmum audivimus, Evangelium audivimus; consonant omnes divinæ lectiones.* Serm. 49, de Tempore: *Audivimus apostolicam lectionem.* Et paulo post, *Audi Psalmum interiora dicentem*, Tibi soli peccavi. *Audistis et Evangelium istis lectionibus concordare.*

962. *Jube, Domine, benedicere.* Id est, velis benedicere, id est, benedic. Nam jubere est aliquando velle, ut notat Nonius Marcellus, cap. 4. Quemadmodum ad nutum episcopi, seu presbyteri celebrantis legebatur olim Evangelium, sicut hodie consuetudo perseverat, sic olim Epistola nisi ad episcopi aut presbyteri Missam facientis nutum non legebatur, ut patet ex lib. I, sancti Gregorii Turonensis, de Miraculis sancti Martini, cap. 5: *Cui celebranti festa dominici diei ista erat consuetudo, ut veniens lector cum libro non antea legere præsumeret quam sanctus nutu jussisset. Factum autem est ut illa Dominica, prophetica lectione jam lecta, ante altarium stante qui lectionem beati Pauli proferret*, etc. Et paulo post: *Excitaverunt dicentes, jam hora præteriit, jubeat Dominus lectori lectionem legere.*

963. *Ad nuntianti.* Lege *Ad nuntiandum.*

964. *Maria Magdalene.* Hic mos hodie perseverat, ut primo die Paschæ legatur Evangelium secundum Marcum; olim tamen, id est tempore sancti Augustini, saltem in Africa, primo die legebatur Evangelium secundum Matthæum, altero secundum Marcum, tertio secundum Joannem; et tota illa octava, ut etiam hodie fit, resurrectio secundum omnes Evangelistas recitabatur. Id testatur sanctus Augustinus, serm. 144, de Tempore: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi, et hodie recitata est, sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam. Primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo evangelistarum, sicut enim passio ipsius ex omnibus evangelistis conscripta est, sic dies isti, septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes evangelistas resurrectio recitetur.*

965. *Et omnes post illum.* Clerici videlicet. Nota hoc loco nullum cantari Symbolum, cujus in nostris Sacramentariis, tam editis, quam mss., nulla fit mentio, neque etiam in Ordine Tiliano, quemadmodum nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, qui enucleate de ordine Missæ scripserunt, neque etiam apud Remigium Antissiodorensem; sic enim ait cap. 4, de celebratione Missæ: *Post recitatum Evangelium iterum sacerdos populum salutat.* Fuit quidem illius usus **562** in Ecclesiis antiquorum Græcorum, ut constat ex sancto Dionysio, cap. 3 Hierarchiæ ecclesiasticæ, cum proferens diversas opiniones circa hymnum, qui in sacris mysteriis cantatur, sic ait: Τὸν ὕμνον δὲ τοῦτον, οἱ μὲν ὑμνολογίαν καλοῦσιν· οἱ δὲ τὸ θρησκείας σύμβολον, ἄλλοι, ὡς οἶμαι, θειότερον, ἱεραρχικὴν εὐχαριστίαν, id est, hunc autem hymnum alii laudis canticum, alii religionis Symbolum, alii, mea quidem sententia, divinius, Hierarchicam Eucharistiam. At in Ecclesia Romana illius usus non fuit ante annum Christi 1014, teste Bernone Augiensi, cap. 2 libri de quibusdam rebus ad Missam pertinentibus: *Nam si ideo, ut sæpe dictum, illum angelicum hymnum pronibemur in festivis diebus canere, eo quod Romanorum presbyteri non solent eum cantare, possumus simili modo post Evangelium Symbolum reticere, quod Romani usque ad hæc tempora divæ memoriæ Henrici imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente, audivi eos hujusmodi responsum reddere, videlicet, quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos fæce infecta, et ideo magis his necessarium esse illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerunt maculari. At Dominus imperator non antea desiit quam omnium consensu id domino Benedicto apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent.* Hæc Berno præfatus. Nec est quod aliqui respondeant Bernonis verba esse de Symbolo Constantinopolitano vel Nicæno intelligenda. Nam si tum Romæ fuisset Symboli alicujus usus, tenebatur Berno dicere de quo Symbolo imperator pontificem Romanum rogasset. Nec facit quod opponunt ex Rufino in expositione Symboli: *In Ecclesia tamen urbis Romæ hoc non deprehenditur factum, quod ego propterea esse arbitror quod neque hæresis ulla illic sumpsit exordium, et mos ibi servatur antiquus, eos qui gratiam baptismatis suscepturi sunt, publice, id est fidelium populo audiente Symbolum reddere.* Non enim ibi agitur de recitatione Symboli in Missa, sed de recitatione Symboli a catechumenis audiente populo, ubi et rationem reddit, quare Ecclesia Romana Symbolo apostolorum nihil addiderit. Confirmatur nostra sententia ex Codicibus, et auctoribus initio citatis, et ex duobus Ordinibus Romanis apud Hittorpium, nempe in tertio: *Finito Evangelio dicit pontifex Pax tibi, Dominus vobiscum, et cum Spiritu tuo.* Et in quarto: *Postquam finitum fuerit Evangelium, dicit pontifex Pax tibi, Dominus vobiscum; sequitur responsio Et cum Spiritu tuo.* At in secundo Ordine apud eumdem, dicitur tantum Symbolum cum pontifex non vult concionari. Quare non audiendum esse puto Walfridum, qui, cap. 22, de Rebus ecclesiasticis, scribit usum canendi Symboli Constantinopolitani in Missa Romana a Græcis manasse. Hispani illud in Missa cantare cœperunt in concilio Toletano III, can. 2, in decretis concilii, sub Recaredo rege, in quo Gothi hæresim Arianam ejurarunt.

966. *Oremus. Tunc incipiat Offertorium.* Hic invitat Pontifex populum ad Orationem, qui tamen non dicit Orationem, quod notat Alcuinus lib. de Offic. eccl., cap. de Celebratione Missæ: *Et invitat illum secum pariter ad Orationem dicens Oremus. Sed licet apud nos tunc Collecta inter Offerendam et Evangelium non dicatur, apud Græcos tamen dicitur.* Id quod dicit Alcuinus de Græcis videtur in liturgia sancti Joannis Chrysostomi, in qua inter Offerendam et Evangelium dicuntur plures Orationes a pontifice.

967. *Terra tremuit.* Olim ante Oblationem in Africa canebatur Psalmus; quod incœpit Carthagine tempore sancti Augustini, ut ipse testatur lib. II Retractationum, cap. 11: *Morem qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro sive ante Oblationem*, etc.

968. *Oblatione recepta.* Quam pro sui communione est consecraturus sacerdos.

563 969. *Cum omni Processione.* Id est, cum presbyteris, diaconis, subdiaconis et cæteris clericis, qui ei assistunt in altari.

970. *Manicas.* Id est, chirothecas.

971. *Lavetque manus.* Lectionibus peractis et oblatione facta, facturus pontifex divina mysteria, lavat manus ex antiquo more, quem videre est apud

Fortunatum. In Vita sancti Marcelli episcopi Parisiensis (*Apud Surium Kal. Novemb.*): *Itaque cum subdiaconali ministerio fungeretur, in die Epiphaniorum, hauriens aquam de fluvio Sequanæ, dum beato Prudentio episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inventus est; quo viso, obstupefactus pontifex jussit ex ipso urceo in calicem sacrum fundi, unde universus populus, Missa celebrata, ad communionem accepit.* Et infra: *Itaque cum vir sanctissimus quadam vice ex officii sui servitute aquam manibus venerabili episcopo porrexisset, mox inde balsama cœpere fragrare.* Apud Græcos non solus episcopus, sed etiam circumstantes altare presbyteri manus lavant, ut liquet ex catech. 5, mystagogica sancti Cyrilli Hierosolymitani episcopi: Ἑωράκατε τοίνυν τὸν διάκονον τὸν νίψασθαι διδόντα τῷ ἱερεῖ, καὶ τοῖς κυκλοῦσι τὸ θυσιαστήριον τοῦ θεοῦ πρεσβυτέροις. Id est: Vidistis igitur diaconum aquam manibus lavandis porrigentem pontifici et circum altare stantibus presbyteris; et sancto Dionysio, cap. 3 Eccl. Hierar.: Καὶ νιψαμένων τὰς χεῖρας ὕδατι τοῦ ἱεράρχου καὶ τῶν ἱερέων. Id est, postquam pontifex et presbyteri manus laverunt. Id autem fiebat in Symbolum puritatis animæ quæ ad tanta mysteria tractanda requiritur.

972. *Et omnis processio offerat sibi oblationem.* Olim in Missa communicaturi, seu clerici, seu laici, ad altare suam Oblationem, hoc est panem et vinum ad sui communionem offerebant, ut clarum est ex concilio Matisconensi II, can 4: *Propterea decernimus ut in omnibus Dominicis diebus, altaris Oblatio ab omnibus viris et mulieribus offeratur, ut per has immolationes peccatorum suorum fascibus careant, et cum Abel et cæteris juste offerentibus promereantur esse consortes.* Ex Joan. Diacono, in Vita sancti Gregorii papæ, lib. II, cap. 41: *Matrona quædam divo Gregorio per stationes publicas Missarum solemnia celebranti solitas oblationes obtulerat; cui post mysteria traditurus cum diceret:* Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam, *lasciva subrisit. Ille vero dexteram ab ejus ore convertens partem illam dominici corporis super altare deposuit. Expletis vero Missarum solemniis coram populo inquisivit quamobrem corpus dominicum sumptura ridere præsumpserit. At illa diu mussitans tandem prorupit, quia panem, inquiens, quem propriis manibus me fecisse cognoveram, tu corpus dominicum perhibebas.* Id etiam notum est ex sancto Gregorio Turonensi, libri de Gloria confessorum, cap. 65, ubi refert, quod mulier quædam pro defuncti mariti sui requie *semper sextarium gazeti vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ; sed subdiaconus nequam reservans gulæ gazetum, acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandi gratiam accedente.* Tandem revelata subdiaconi fraude a viro nocte per visum mulierem admonente: *Experrecta admirans visionem, eamdemque oblivioni non tradens, ad Matutinum secundum consuetudinem surrexit. Quibus expletis celebratisque Missis, accedit ad poculum salutare, quæ tam fervens acetum hausit, ut putaret dentes excuti.* Vides ergo manifeste vinum in sacrificium oblatum fuisse pro sancta communione sanguinis Christi. Et ita capiendus est locus sancti Cypriani, lib. de Operibus et eleemosynis: *Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quæ corbanam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio quod pauper obtulit sumis*; et ita vulgo explicatur hic locus. Quare non assentior cuidam viro docto qui scripsit locum hunc intelligendum esse de iis quæ offerebantur ad altare in usum pauperum, et eulogiarum quæ mittebantur Christianis **564** per diversas parœcias, quas accipiebant in signum communionis in una eademque fide cum suo episcopo, et ita hunc locum esse intelligendum, quod probare nititur his paulo post sequentibus verbis: *Cumque universa quæ dantur pupillis et viduis conferantur*, quæ tamen ejus opinioni adversantur. Nam si universa quæ dantur conferuntur viduis, pupillis et pauperibus, qui fieri potest ut ea benedicantur in usum eulogiarum, quæ per totam diœcesim omnibus fidelibus distribuendæ mittuntur? Præterea verba illa dicuntur de vidua illa a Christo laudata, quæ olim duo minuta miserat in gazophylacium, ut patet ex antecedentibus, et etiam his sequentibus, *dat illa, quam oportebat accipere.* Itaque in supra citato loco sancti Cypriani apparet oblatio duplex, una consecranda in corpus Christi, altera benedicenda ad usus pauperum, ut indicant ista, *quæ corbanam omnino non respicis.* Quare ut demonstret amplius divitis avaritiam, non tantum ei exprobrat quod nihil mittat in corbanam ad usum pauperum, sed etiam quod de oblatione pauperis communicet. Et ita etiam capiendus est locus sancti Augustini, serm. 215, de Tempore: *Oblationes, quæ in altario consecrentur, offerte, Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit.* Hæc doctrina patet etiam ex canone 6 concilii Toletani XVI, ubi damnans eos qui rotundam crustulam sumptam de panibus suis usibus præparatis cum vino et aqua offerebant, sic statuit: *Unde temeritatis hujus aut nescientiæ cupientes terminum ponere, id unitatis nostræ delegit conventus, ut non aliter panis in altari Domini sacerdotali Benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer et nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica tantum oblata, secundum quod ecclesiastica consuetudo retentat.* Erat autem ille panis rotundus, circularis formæ, ut clarum est ex Epiphanio, in Ancorato, circa medium: Τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδές, id est, hoc enim est rotundæ formæ, inquit, cum ibi de pane qui in altari sanctificatur agit; et ex Isone, cap. 3 de Miraculis sancti Othmari: *Panis rotulæ, quæ oblatæ dicuntur.*

973. *Et ad ultimum incensum.* Subaudi offeratur a pontifice, juxta antiquum morem, cujus meminit sanctus Hippolytus in libro de consummatione mundi, et de Antichristo: Πενθοῦσι δὲ καὶ ἐκκλησίαι πένθος μέγα, διότι οὔτε προσφορὰ, οὔτε θυμίαμα ἐκτελεῖται, id est, lugebunt etiam Ecclesiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec suffitus fiat. Et sanctus Ephræm, in suo testamento: *Oro vos quoque, dilectissimi, ne cum aromatibus me sepeliatis.* Et paulo post: *Date vaporationem fumi boni odoris in domo Domini; me Orationibus vestris comitamini, et aromata Deo offerte.* Et sanctus Ambrosius, in cap. I Lucæ: *Utinam nobis quoque adolentibus altaria, et sacrificium deferentibus assistat angelus, imo præbeat se videndum.*

974. *Suscipe, quæsumus, Domine*, etc. Videtur Primasius, in cap. 4 ad Hebr., ad hanc orationem respicere, cum scribit: *Unde sacerdotes Ecclesiæ altari assistentes dicunt: Suscipe, Domine, preces populi tui. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.* Oratio autem dicitur ante Præfationem ex more antiquo, quem tangit sanctus Augustinus, serm. 83, de Diversis: *Primo*, inquit, *post Orationem admonemini sursum habere cor.*

975. *Diaconum.* — Id est, diaconorum, a recto diacon, in dativo plurali, diaconibus.

976. *Deus, qui non mortem*, etc. Est Apologia quæ in Missa a Matthia Illyrico edita dicitur etiam hoc loco a pontifice: *Tunc incipiat Secreta; quibus finitis, et Præfatione dicta, quando alii Sanctus, Sanctus, Sanctus decantant, hæc Oratio cursim dicenda est a sacerdote: Domine Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum*, etc.

977. *Benedictio carnis.* — Habetur in Ordine Romano, quam in eodem Ordine **565** præcedit [a] agni Benedictio. In eodem die Paschæ, in Euchologio

[a] In vet. Sacram. Gallic. legitur: *Benedictio ad agnum benedicendum in Pascha*; quam sequitur *Benedictio omni creaturæ pomorum*, fortasse pro *omnis*.

Græcorum exstat etiam Benedictio carnis, quam sequitur Benedictio casei et ovorum.

978. *Inde præcarens quod.* Legendum videtur: *Inde præcavens quando.*

979. *Et præveniat sibi.* Legendum videtur: *Et præveniat ibi,* nempe ad illa verba: *Per quem omnia, Domine, semper bona creas,* etc., ut ex sequentibus liquet.

980. *Sublevans calicem in conspectu Domini.* Juxta antiquum morem diaconus primarius, seu archidiaconus, cum dixerit pontifex hæc verba, *per ipsum, et cum ipso,* levabat calicem, et tenebat eum exaltans coram pontifice, ut videre est in primo Ordine Romano: *Cum dixerit* Per quem hæc omnia, Domine, *erigit se archidiaconus solus; et cum dixerit* Per ipsum et cum ipso, *levat cum offertorio calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta pontificem.* Ita in 3 et 4 Ordinibus, *cum dixerit* Per quem omnia, Domine, *surgit archidiaconus solus; cum dixerit* Per ipsum et cum ipso, *levat archidiaconus cum offertorio calicem per ansas,* etc. Cætera vide infra in notis ad ritum celebrandæ Missæ Joannis Abrincatensis. Nunc vero in Ecclesia Latina simul atque panis et vinum consecrata sunt, levantur in altum, ut a populo circumastante adorentur; quem ritum non puto adeo esse antiquum, cum in nostris Sacramentariis mss. et excusis, et apud Pamelium, nihil simile reperire sit, quemadmodum nec in veteribus Ordinibus Romanis, nec apud Alcuinum, Amalarium, Walfridum, et Rabanum, qui ordinem Missæ enucleate persecuti sunt; neque apud Micrologum, qui in eadem materia egregiam operam navavit, quod luce meridiana clarius est ex cap. 15 libri quem ille scripsit de ecclesiasticis Observationibus: *Deinde panis in manus accipitur, et antequam reponatur in altari, benedicitur; item et calix elevatus ante depositionem benedicitur. Nam et ipse Dominus in Evangelio utrumque legitur benedixisse, antequam dimitteret e manibus. Accepta enim in manibus benedixit, postea discipulis dedit. Item, ubi dicitur: Hostiam puram, Hostiam sanctam,* etc. Hæc ille; qui sane hunc ritum, si ejus tempore viguisset, nunquam prætermisisset, qui postea elevationis corporis quæ fit simul cum calice, antequam Oratio Dominica recitetur, mentionem facit: *Et cum dicimus* Per omnia sæcula sæculorum, *corpus cum calice levamus.* Idem clarius patebit ex cap. 23 ejusdem auctoris. Excipienda est Missa Mozaraba (si tamen ei nihil additum fuerit) in qua duplex habetur Hostiæ elevatio, prima statim post consecrationem, altera subsequitur hæc verba: *fidem quam corde credimus, ore dicamus.* Græci et cæteri Orientales attollunt corpus Christi post Orationem Dominicam, aliasque preces, communione statim subsecutura, ut manifestum est ex liturgia sancti Jacobi: *Diaconus cum timore Dei: Attendamus,* ὁ ἱερεὺς ὑψῶν τὸ δῶρον λέγει καθ' ἑαυτὸν Ἅγια. etc., id est, *sacerdos elevans donum dicit apud se Sancte,* etc. Et ex liturgia sancti Joannis Chrysostomi: *Cum autem diaconus viderit sacerdotem extendentem manus, et tangentem sanctum panem,* πρὸς τὸ ποιῆσαι τὴν ὕψωσιν, ἐκφωνεῖ, Πρόσχωμεν· καὶ ἱερεύς, Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id est, *ad faciendam elevationem, clamat Attendamus; et sacerdos, Sancta sanctis.* Hæc enim omnia ibi sequuntur Orationem Dominicam et nonnullas preces, ex sancto Anastasio Sinaita, Orat. de sancta Synaxi, qui postquam mentionem fecit Orationis Dominicæ subjungit: *Hæc dicamus* (*videlicet dimitte nobis debita, sicut et nos,* etc.) *Hæc quotidie precemur, dum tremendæ synaxi assistimus; quod cognoscens sacerdos post consecrationem sacrificii illius incruenti,* ἀνυψοῖ τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, καὶ πᾶσιν αὐτὸν ἐπιδεικνύει. Εἶτα φωνεῖ διάκονος, καὶ λέγει, Πρόσχωμεν. Id est: *Et panem vitæ in altum elevat, et ipsum omnibus ostendit. Deinde exclamat diaconus, et dicit Attendamus.* Quod ex sequentibus verbis confirmatur: **566** Εἶτα ἐπάγει ὁ ἱερεὺς εὐθέως, καὶ λέγει, τὰ ἁγία τοῖς ἁγίοις. Id est: Deinde statim subjungit sacerdos et dicit: *Sancta sanctis.* Nam hæc verba sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catech. 5 mystag., scribit expleta Oratione Dominica a pontifice proferri: *Tum expleta oratione dicit Amen, obsignans per amen* (*quod significat fiat*) *totam hanc quam a Deo didicimus Orationem,* μετὰ ταῦτα λέγει ἱερεύς· Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, id est, *sacerdos postea dicit: Sancta sanctis.* Idem etiam colligere licet ex his Georgii Codini verbis, libro de officiis aulæ Constantinopolitanæ: *Rursumque ad anabathram veniens sedet imperator,* ἀνιστάμενος μόνον ἔν τε τῇ ἀναγνώσει τοῦ ἁγίου συμβόλου, καὶ ἐν τῇ τοῦ ΠΑΤΕΡ ΗΜΩΝ Ο ΕΝ ΤΟΙΣ ΟΥΡΑΝΟΙΣ προσευχῇ, καὶ ἐν τῇ ὑψώσει τοῦ δεσποτικοῦ καὶ ἁγίου σώματος. Γενομένης δὲ τῆς ὑψώσεως, etc. Id est: *Exsurgens solum in lectione Symboli, et in Oratione Dominica, et in elevatione dominici et sancti corporis. Facta autem elevatione, si ad communionem paratus non est imperator, sedet in throno suo usque ad finem sanctæ liturgiæ; si autem paratus est, advocant ipsum duo diaconi, quos ante dicebamus, ingrediturque cum eis in altare sanctum.* Hactenus Codinus, ubi nota primo hic elevationem corporis Christi nominari post Orationem Dominicam; secundo simul atque elevatum est corpus Christi, imperatorem (si ad communionem paratus est) a duobus diaconis accersitum in altare sanctum ad sacram communionem ingredi. Eamdem consuetudinem in sua liturgia imitantur Æthiopes. Siquidem sacerdote et populo mox communicaturis *diaconus dicit* Inspiciamus. *Sacerdos:* Sanctum date sanctis. *Populus dicit:* Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus est Spiritus sanctus. *Sacerdos dicit:* Dominus vobiscum. *Populus:* Et cum spiritu tuo. *Sacerdos elevans Sacramentum dicit alta voce:* Domine Jesu Christe, miserere nostri. Statimque sacerdos et populus communicant. Estque unica in illa Missa corporis Christi elevatio, quemadmodum in liturgiis citatis. Id etiam videre est in Vita sancti Basilii auctore Amphilochio: *Et post finem Orationum exaltavit panem prolixe orans et dicens:* Attende, Domine Jesu Christe, de sancto habitaculo tuo, etc., ut in liturgiis ejusdem sancti Basilii, et sancti Chrysostomi, in quibus hæc Oratio dicitur paulo ante hæc verba *Sancta sanctis,* post Orationem Dominicam. Quidam tamen duas olim fuisse elevationes existimant, priorem quæ etiam fiebat a sacerdote statim post consecrationem juxta ritum hodiernum; alteram de qua supra dictum est; idque suadere conantur ex his sancti Dionysii verbis, cap. 3 ecclesiast. Hierarchiæ: καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπὸ ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶν προκειμένων συμβόλων καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται. Id est: Ubi sacerdos sacra Dei opera cecinit et collaudavit, consecrat mysteria, sub aspectum quæ celebrata ita sunt, ducit per sacrosancta proposita symbola, ostensisque divinæ operationis muneribus ad divinam eorum communionem tum ipsemet accedit. Nam illa intelligenda sunt de illa ostensione quæ, ut diximus, fiebat paulo ante communionem, ut suis verbis sanctus Dyonisius innuit, et optime declarat in scholiis sanctus Maximus: Καὶ ὑπ' ὄψιν.] Μᾶλλον τότε ἔμενον κεκαλυμμένα τὰ θεῖα δῶρα ἕως καιροῦ τῆς ἁγίας μεταλήψεως, καὶ τοῦτο δηλοῖ μετ' ὀλίγα. Ἠ τόγε ἀκριβές, ὅτι κουφίζων ὁ ἱεράρχης τὸν ἅγιον ἄρτον, ἔδειχνυ τὴν εὐλογίαν, λέγων, Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. Id est: *Et sub aspectum.*] Magis tunc divina dona manebant obtecta usque ad tempus sanctæ sumptionis, uti paulo post declarat. Certe manifestum est quod attollens pontifex sanctum panem, ostendebat Benedictionem, dicens Sancta sanctis. Idque juxta liturgias sanctorum Jacobi, Basilii et Chrysostomi, aliasque Græcorum in quibus hæc statim post consecrationem Hostiæ elevatio non reperitur; et in textu sancti Dionysii objecto est unica elevatio; quæ si consecrationem sequitur, id fit quia sanctus Dionysius omisit ea quæ inter consecrationem et elationem interjacent, quæ videre est in liturgiis, et in

auctoribus citatis. Sacerdos autem attollens Hostiam ter 567 cum ea in aere signum crucis faciebat, ut docet sanctus Germanus patriarcha Constantinopolitanus in Theoria mystica: *Elatio autem in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem, et mortem in ea, et ipsam resurrectionem*: Τὸ δὲ ὑψῶσαι τὸν ἱερέα τὸν ἄρτον, καὶ τύπον σταυροῦ τρὶς ποιῆσαι ἐν τῷ ἀέρι μετὰ τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ ἄρτου, τοῦτο αἰνίττεται. Id est: *Quod autem sacerdos panem attollit, et signum crucis ter facit in aere cum venerando et vivificante pane, hoc significat*. Exaltationis Hostiæ in Missa mentio fit in 5 responsione synodi Constantinopolitanæ sub Nicolao patriarcha.

981. *Vel nomina virorum*. Ut in Græcorum liturgiis et catechesi sancti Cyrilli supra citata, ubi post consecrationem commemoratio fit vivorum et mortuorum simul.

982. *Dicat diaconus*, etc. Diaconi partes sunt monere populum ante communionem, ut se humiliet, sive inclinet ad Benedictionem episcopalem percipiendam, ut clarum est ex homil. 34 sancti Cæsarii Arelatensis: *Et illud similiter admoneo, fratres charissimi, quotiescunque diaconus clamaverit ut vos ad Benedictionem inclinare debeatis, corpora et capita fideliter inclinetis*. Et sub finem: *Et quotiescunque diaconus clamaverit, ut aut in Oratione genua flectere, aut Benedictioni inclinare capita debeatis, obedienter et fideliter cum vera humilitate faciatis*. In Ordine Romano id fit ab archidiacono.

983. *Humiliate vos ad Benedictionem*. Ita in Ordine Romano, et in Missa Mozarabum. Vide supra quæ de his Benedictionibus episcopalibus a nobis observata sunt. Earum usus adhuc viget in quibusdam Ecclesiis.

984. *Benedicat vos*, etc. Hanc Benedictionem integram non exscripsi, quia supra habetur in solemnitate paschali libri Sacramentorum.

985. *Pax Domini sit semper vobiscum*. Olim hoc loco dicebatur, *pax vobiscum*, ut liquet ex sancto Augustino, serm. de diversis 83: *Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur*: Pax vobiscum; *et osculantur se Christiani in osculo sancto*.

986. *Interim osculetur Archidiaconum et cæteros*. Statim communicaturus pontifex dat pacis osculum juxta ritum Ecclesiæ Romanæ, seu Latinæ, si Hispanum exceperis antiquum, de quo Innocentius papa I, epist. ad Decentium Eugubinum episcopum: *Pacem modo asseris ante confecta mysteria quosdam populis imperare, vel sibi inter se sacerdotes tradere, cum post omnia quæ aperire non debeo pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia quæ in mysteriis aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, præbuisse consensum, et finita esse pacis osculo demonstratur*. Hinc capiendus est Tertullianus, lib. de Oratione sub finem: *Alia jam consuetudo invaluit: jejunantes habita Oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum Orationis*. Quem locum mire illustrant verba Innocentii papæ. Confirmatur auctoritate sancti Augustini, sermone 83, de Diversis: *Ecce ubi est peracta sanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepistis et reddidistis. Post ipsam dicitur* Pax vobiscum, *et osculantur se Christiani in osculo sancto, quod est signum pacis*, etc. Et lib. II adversus litteras Petiliani, cap. 23: *Cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti porrigebatis*. Alio ritu Græci utuntur; nam apud eos ubi manus ablutæ fuerint, datur osculum pacis ante Præfationem, et mysticas preces, et consecrationem, ut clarum est ex sancto Cyrillo Hierosolymitano, catech. 5 mystag. Εἶτα βοᾷ ὁ διάκονος, Ἀλλήλους ἀπολάβετε, ἀλλήλους ἀσπαζώμεθα. Id est: Deinde clamat diaconus, Invicem amplectimini, invicem osculemur, etc. 568 Explicato osculi mysterio subjungit: *Postea clamat sacerdos Sursum corda*, etc. Ex sancto Dionysio, libro de cœlesti Hierarchia, cap. 3, καὶ ἀσπασαμένων ἀλλήλους ἁπάντων, etc., id est: Et cum se omnes osculati fuerint, mystica sacrorum voluminum recitatio peragitur. Ex sancto Justino martyre, Apologia 2 pro Christianis, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα, id est, invicem nos osculamur. Deinde subjungit quomodo offertur pontifici panis et poculum aquæ et vini ad consecrationem. Id etiam constat ex concilio Laodiceno, can. 19: *Quod oportet seorsum primum post episcoporum sermones catechumenorum Orationem peragi; et postquam exierint catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt fieri Orationem, et cum sub manum accesserint* (id est, cum manus eis ab episcopo fuerint impositæ) *et secesserint, fidelium preces sic fieri, unam quidem, scilicet primam, silentio, secundam autem et tertiam alta voce impleri*, εἶτα οὕτω τὴν εἰρήνην δίδοσθαι, id est, *deinde pacem dari*. Et paulo post, καὶ οὕτω τὴν ἁγίαν προσφορὰν ἐπιτελεῖσθαι, id est, *et sic sanctam oblationem peragi*. Ex sancto Joanne Chrysostomo, homil. 18, in II Epist. Pauli ad Corinthios, ubi, enarratis Orationibus quæ dicuntur pro arreptitiis, pœnitentibus, et aliis, qui non communicant, subjungit: Ὅταν εἰρήνης πάλιν μεταλαμβάνειν, καὶ μεταδιδόναι δέῃ, πάντες ὁμοίως ἀσπαζόμεθα. Id est: Ad hæc cum pax danda vicissimque accipienda est, omnes æque nos invicem osculamur. Tandem addit pontificem bene precari populo, et populum vicissim pontifici, cum ei respondet, *Et cum Spiritu tuo*, et pontifici gratias agenti assentiri populum respondentem digne et juste fieri; et tum demum pontificem gratiarum actionem, id est Præfationem auspicari. Huc spectant illa Timothei patriarchæ Alexandrini, responsione ad interrogationem 8: Ἐν δὲ τῇ ἀναφορᾷ ὁ διάκονος προσφωνεῖ πρὸ τοῦ ἀσπασμοῦ, Οἱ ἀκοινώνητοι, περιπατήσατε. Id est: In oblatione diaconus ante salutationem clamat: *Qui non communicatis, abite*. Ubi nota, cum sacris arceantur catechumeni ante salutationem, id est osculum pacis, facile concludi ejusmodi salutationem apud Græcos fieri ante divinorum mysteriorum consecrationem; nam si ea peracta fieret, ut apud nos, possent expelli catechumeni ante salutationem, qui tamen interfuissent consecrationi contra Ecclesiæ decreta. Vult ergo Timotheus expelli catechumenos ante salutationem, quia illa completa se quamprimum sacerdos ad mysteriorum sanctificationem accingit et præparat. Græcorum ritum olim secuta est antiqua Hispaniæ Ecclesia, ut clarum est ex sancto Isidoro, lib. I de Offic. eccl., cap. 15. Ubi quartam Orationem scribit dici pro osculo pacis, quam sequitur quinta, quæ ex illius textu est Oblatio et Præfatio.

987. *Hæc sacrosancta commistio*, etc. In Missali Romano, et apud Micrologum, cap. 23, additur *et consecratio*. In missa Illyrici, in secunda precatione legitur: *Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis*, juxta id quod statuitur can. 17 concilii primi Arausicani: *Et calix offerendus est, et admistione Eucharistiæ est consecrandus*, quod de quadam exteriori consecratione intelligendum est, cum antea consecratus fuerit per verba Christi. Quare hoc vocabulum, *consecratio*, non significat præcedentem consecrationem per verba Christi factam, ut quidam male explicant. Hæc commistio corporis et sanguinis habetur etiam in liturgia sancti Jacobi, et in concilio Tol. IV, can. 17: *Conjunctionem panis et calicis*, etc.

988. *Fiat omnibus sumentibus*, etc. Aliter in Missali Romano.

989. *Communicent se*. Tò se redundat.

990. *Eoque communicato, dicat Orationes has*. In Missali Romano hæ duæ priores Orationes præmittuntur communioni, et in quibusdam variant.

991. *Et episcopus communicet presbyteros*, etc. 569 Episcopus porrigit communionem juxta morem antiquum, ut videre est apud Tertullianum, lib. de Corona militis: *Eucharistiæ sacramentum, et in tempore victus, et in omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quam de præ*

sidentium sumimus. Quæ consuetudo non fuit universalis, si quidem ætate sancti Justini martyris, quæ superior est Tertulliani, diaconi fidelibus corpus et sanguinem Domini porrigebant, ut constat ex illius Apologia 2 pro Christianis, Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασι ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Id est: Ii qui apud nos diaconi appellantur omnibus astantibus panem et vinum et aquam consecrata porrigunt. De porrectione calicis a diacono insignis exstat locus apud sanctum Cyprianum, Epistola de lapsis: *Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet, de sacramento calicis infudit*. Sed neque id prohibuit concilium Nicænum I, can. 18, sed abrogat tantum pravam illam consuetudinem quorumdam locorum in quibus diaconi presbyteris Eucharistiam porrigebant, cum absurdum sit ut hi qui non offerunt iis qui offerunt Eucharistiam porrigant. In concil. Carth. IV, can. 38, prohibetur diacono Eucharistiam populo erogare præsente presbytero, nisi necessitate id facere jubeatur.

992. *Sicco sacrificio*. Id est, corpore Christi separatim a sanguine dato.

993. *Mixto tamen sacrificio*. Id est, corpore Christi sanguini ejus immisto. Etenim quondam multis in locis mos inoleverat ut corpus Christi in sacro sanguine tinctum daretur, quod patet ex multis decretis diversis temporibus ad hunc morem antiquandum factis, Julii papæ I, apud Ivonem Carnotensem, part. II decreti, cap. 85: *Illud quod pro complemento communionis quidam intinctam tradunt Eucharistiam populis, non hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus et sanguinem suum Dominus commendavit. Seorsum enim panis et calicis commendatio commemoratur*. Concilii Bracarensis III can. 1 id etiam prohibetur, quia, ut ibi notatur, Christus seorsum corpus et sanguinem suum dedit apostolis; et concilii Claromontani ab Urbano II celebrati, apud Ordericum Vitalem, lib. IX Hist. eccl., ad annum 1095, cum statuitur ut corpus dominicum et sanguis singulatim sumatur, in hunc modum: *Corpus dominicum et sanguis dominicus singulatim accipiatur*. Et hic canon, prout sic ab Orderico refertur, clarus est, nec ullam patitur difficultatem. Sed facessit negotium prout refertur a doctissimo Baronio, in Eccl. Annal., tom. II, ex schedis Antonii Augustini episcopi Tarraconensis, hoc modo: *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, et sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem et cautelam*. Quæ quidem postrema verba, *nisi per necessitatem et cautelam*, non exstant apud Ordericum Vitalem, quæ tamen nihil aliud sonant quam quod species commistæ simul dari possint, si intervenat aliqua necessitas aut cautela; qualis est cum populus in Missa solemni communicat, ne præ multitudine sanguis effundatur, ut videre est in antiquo ritu Missæ celebrandæ Joannis Abrincatensis episcopi: *Excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis, permittitur communicare*. Qualis est etiam in eis ægrotis quos vires omnino deficiunt, qui corpus Domini vix præ imbecillitate sumere possunt, nec sacrum calicem sine effusionis periculo; tunc ejusmodi languentibus juxta concilii mentem corpus Domini in sanguine dominico intinctum in cochleari dari posset, ut facile illud sorbere possent, ut videre est in visitatione infirmorum Codicis ms. monasterii sancti Remi. Rhemis fundati; nam ibi **570** cum post unctionem communicat infirmus, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxit, dicitur utraque formula: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam*, quæ distinctam sumptionem indicant; at dum communicat infirmus, qui *ingravari cœperit*, unica tantum formula recitatur in hunc modum: *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, quia corpus Domini in sacro sanguine tinctum in cochleari infirmo porrigitur.

994. *Communio: Pascha nostrum. Psal. Domine, probasti me*, etc. In hac communione sunt Antiphona et Psalmus quæ canuntur. Tempore communionis olim cantabatur Psalmus, ut clarum est ex sancto Augustino, lib. II Retractationum, cap. 11: *Ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante Oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum*, etc. Græci, clericis communicatis, cum referunt muscaria, seu flabella, discos, calices, et alia vasa sacra, quædam psallere cœperunt, quibus repositis, cani cœptus est ultimus versus, τοῦ κοινωνικοῦ deinde τροπάριον, seu versiculus, πληρωθήτω τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεως, κύριε, etc.; id est: Impleatur os nostrum laude, Domine, ut psallamus gloriam tuam, quia dignatus es nos sanctorum mysteriorum participes fieri. Serva nos in sanctificatione tota die meditantes justitiam tuam. Alleluia, idque olympiade 351, mense Maio, indictione 12, auctore Sergio patriarcha Constantinopolitano, ut refert Chronicon Alexandrinum. Sed hoc non apparet in hodiernis liturgiis, nisi quod troparium *impleatur* in liturgia sancti Joannis Chrysostomi canitur, cum deferuntur sancta in propositionem.

995. *Ite Missa est*. In liturgiis Græcorum sunt aliæ formulæ, *Ite in pace*, *Procedamus in pace*, *In pace Christi eamus*, quæ pronuntiantur etiam a Diacono.

996. *Placeat tibi, sancta Trinitas*, etc. Hæc Oratio exstat etiam in Missa Codicis ms. Tiliani, et Missa Illyrici, quæ in paucis variant.

997. *Incipit ordo pontificis*, etc. Hanc secundam Missam seu potius ordinem Missæ adjecimus ex Cod. ms. Tiliano toties a nobis supra citato. Quamvis superior Missa ex Codice Ratoldi abbatis producta videatur antiquior, quia tamen multa sunt in ea memorabilia et scitu digna, piaculum existimavi si eam prætermitterem, maxime cum sit quam simillima * Missæ antiquæ a Matthia Illyrico viro Lutheranæ sectæ ex Bibliotheca Palatina editæ, ut ex utriusque collatione quam in his observationibus subjicienus clarum erit, si prius quibusdam objectis ab Illyrico in sua præfatione, quibus Missam Romanam vellicat, responderimus.

Primo ille suæ Missæ antiquitatem ad tempora sancti Gregorii I revocat, dicitque illius ætate, vel aliquot post annis in Ecclesia fuisse usitatam. Quod mihi sane persuadere non possum, tum quia multa sunt in ea, quæ longe post sanctum Gregorium instituta sunt, quæ non exstant in Missa superiori ex Codice Ratoldi, quæ scripta est aliquot annos ante annum 986, quæ tamen reperire est in Missa Tiliani Codicis, qui multis annis post Codicem Ratoldi scriptus est, regnante videlicet Henrico primo Francorum rege, quamvis non inficias ierim multa esse in Missa ab Illyrico edita quæ redoleant antiquitatem. Secundo, ut præferat Missam a se editam Missæ Romanæ, dicit olim unicam fuisse celebrandæ Missæ rationem, quem admodum apud Græcos, et suam ita esse compositam ut sit pro omni necessitate, nec olim fuisse Missas de sanctis et festis. Sed hujus sententiæ falsitatem ex ipsa Missa Illyriciana convincere licet, in qua introitus, Epistola, Graduale, **571** Evangelium, Offertorium, Secreta, Præfatio, Communio, et Postcommunio, non specialim et particulatim, sed tantum generatim nominantur sine ulla specificatione aut assignatione alicujus particularis seu Introitus, seu Epistolæ, et similium, quod

* De hac Missa consule doctissimum Mabillonium, lib. I Liturg. Gallic., cap. 5.

confirmant hæc ejusdem Missæ verba: *Finita angelica laude, Missalem dicat Orationem sacerdos, deinde lectio recitetur.* Ubi Missalis Oratio nulla esse potest, quam quæ hymnum angelicum sequitur. Quæ cum ita sint, quare nullus Introitus, Epistola, Evangelium, etc., particulariter assignantur? Quare cum tot Orationes, seu Apologiæ in illa Missa integræ reperiantur, nulla Oratio Missalis, nulla Secreta, Oratio post communionem ibi descripta appareat? Nulla sane horum reddi potest ratio, quam varietas festorum, et solemnitas sanctorum, quæ pro sui diversitate diversas postulant Orationes Missales, Epistolas, Evangelia, Secretas, et similia festo aut solemnitati sancti convenientia, quæ si omnia in ordine Missæ collocarentur, multis confusionum labyrinthis celebrans involveretur; qui ut vitentur, ordo Missæ quotidianus seorsum ponitur (ut videre est in Missa Illyriciana, cujus titulus est hujusmodi: *Incipit ordo sacramentorum*, et finis, *Explicit ordo de officio Missæ*). Cætera vero pro varietate festorum et temporum pulchro ordine disponuntur, ut usu venire solet in libris Sacramentorum et Missalibus. Quasi vero apostoli, et veteres illi pontifices, qui nobis sanctimonia et eruditione præluxerunt, festa Natalis Domini, Epiphaniorum, Paschæ, et Pentecostes celebraverint, prætermissa commemoratione tantorum beneficiorum, quæ nobis Deus optimus maximus illis diebus impertivit, cum maxime in eorum recordationem et grati animi propterea in Deum significationem instituta sint; non secus ac olim Deus festa Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum et similia Judæis observare præcepit, ut præclare notat sanctus Isidorus Pelusiota, lib. II, epist. 116: Μὴ ἀγνόαδε [Forte leg. ἀγνόει δὲ] ὅτι ὁ Θεὸς ταῖς ἑορταῖς καὶ πάλαι καὶ νῦν ἐγκατέδησε τῶν εὐεργεσιῶν τὰ ὑπομνήματα, ἵνα οἱ πανηγυρίζοντες, ἔναυλον τὴν τούτων μνήμην ἔχοντες, μὴ εἰς μέθην, ἀλλ᾽ εἰς εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἀρετὴν τρέποιντο. Id est: Illud autem ne ignores, Deum beneficiorum suorum commemorationem festis et olim et nunc astrinxisse, ut qui festos dies celebrant auribus suis memoriam intonantem habentes, non ad temulentiam, sed ad gratiarum actionem se convertant. Antiqua praxis nota est ex sancto Augustino, prologo in I Epist. Joan. *Meminit sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quem susceperamus necessitate paululum intermissus est, non omissus.* Tractatu 9 in Epistolam Joannis: *Intercesserunt ut intermitteremus textum hujus epistolæ quædam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, et ipsa tractari.* Et serm. 144, de Tempore: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi hodie recitata est, sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam; primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo evangelistarum; sicut enim passio ipsius ex omnibus evangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes evangelistas resurrectio recitetur. Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam passio legeretur. Factum est; non audierunt homines quod consueverunt, et turbati sunt.* Ex Gennadio, catalogo de illustribus viris, de Musæo Massiliensis Ecclesiæ presbytero: *Composuit Sacramentorum egregium et non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum et temporum, pro lectionum textu Psalmorumque serie et decantatione discretum.* Ex Sidonio, lib. IV, **572** epist. 11, de Claudiano Mamerti episcopi Viennensis fratre:

> Psalmorum hic modulator et phonascus
> Ante altaria, fratre gratulante,
> Instructas docuit sonare classes,
> Hic solemnibus annuis paravit
> Quæ quo tempore lecta convenirent.

Et ex epistola 2 Vigilii papæ: *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis Domini, vel Pentecostes, et Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta conjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur.* Ubi ordo precum est ratio celebrandæ Missæ, non canon Missæ, ut ex citato textu clarum; qui canon subsequenter dicitur ibidem textus canonicæ precis. Si spectemus horas canonicas, in eis etiam varietatem pro diversitate solemnitatum et festorum videre licet; nam supradictus Musæus, ut refert Gennadius: *Excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus, responsoria, etiam Psalmorum capitula tempori et lectionibus congruentia.* Id manifestum est etiam ex regula sancti Benedicti, cap. 14: *In sanctorum festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die, agendum est, excepto quod Psalmi aut Antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.*

Nec valet quod dicit Illyricus Græcos hodie etiam habere unicam Missæ formam. Nam etsi liturgiæ Græcorum quas nunc habemus sint veluti quædam Missæ communes, tamen in eorum Euchologio aliisque eorum ritualibus diversæ Missæ pro festorum, solemnitatum et temporum diversitate reperiuntur.

Tandem Codex ms. unde suam Missam exscripsit Illyricus, non est adeo antiquus, siquidem ter in ea repetitur littera N., quæ vulgo ponitur loco nominis proprii, cum ejusmodi figura cœperit paulo ante annum post Christum natum millesimum. Nam in antiquioribus Codicibus mss., pro hac littera N., ponitur hæc nota *Ill.*, cum transversa linea, ut videre est in antiquissimis nostris libris Sacramentorum mss. sancti Eligii, Rhemensi et Rodradi, quemadmodum et in formulis Marculphi, et in quibusdam aliis libris modo excusis, qui ex vetustissimis Codicibus mss. excusi sunt.

Dicit etiam Illyricus ante Caroli Magni ætatem Missas pro defunctis in usu non fuisse; sed facile convincitur [a] ex concilii Vasensis II, can. 43, in quo contrarium apparet: *In omnibus Missis seu Matutinis, seu in quadragesimalibus, sive in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quomodo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* In Conc. Brac. I, can. 16: *Sed secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei* (Feriæ 5 in cœna Domini) *ab hora tertia per Missas defunctorum, soluto jejunio, colit, anathema sit.* Ibi enim prohibetur feria 5 in cœna Domini, hora tertia soluto jejunio Missas defunctorum celebrare; quod signum est illo die post nonam non soluto jejunio potuisse celebrari. Et in conc. Bracarensi II, can. 10, ubi statuitur ne quis Missas mortuorum etiam post acceptum merum et oblationem audeat consecrare, ut a jejunis Missæ celebrentur.

Nec interrogatio sancti Bonifacii, quam objicit Illyricus, nostræ sententiæ obesse potest; nam interrogatio sancti Bonifacii est tantum de oblationibus pro defunctis in Missa, non de Missis defunctorum, quales nunc celebramus. Quod objicit Illyricus, de communione et oblationibus, non facit suam Missam **573** aliis antiquiorem, cum ista etiam habeantur in Missa Codicis Tiliani, qui scriptus est tempore Henrici I, Francorum regis, ut dictum est.

998. *Quando lavat manus.* Hæc lotio manuum

[a] In vet. Sacram. Gallic. ex Codice Bobiensi ante annos mille descripto plures exstant Missæ pro defunctis, ut videre est Musei Italici tomo I, pag. 384 et sequentibus.

sidentium sumimus. Quæ consuetudo non fuit universalis, si quidem ætate sancti Justini martyris, quæ superior est Tertulliani, diaconi fidelibus corpus et sanguinem Domini porrigebant, ut constat ex illius Apologia 2 pro Christianis, Οἱ καλούμενοι παρ' ἡμῖν διάκονοι διδόασι ἑκάστῳ τῶν παρόντων μεταλαβεῖν ἀπὸ τοῦ εὐχαριστηθέντος ἄρτου καὶ οἴνου καὶ ὕδατος. Id est: Ii qui apud nos diaconi appellantur omnibus astantibus panem et vinum et aquam consecrata porrigunt. De porrectione calicis a diacono insignis exstat locus apud sanctum Cyprianum, Epistola de lapsis: *Ubi vero solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præsentibus cœpit, et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ Majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare. Perstitit tamen diaconus, et reluctanti licet, de sacramento calicis infudit.* Sed neque id prohibuit concilium Nicænum I, can. 18, sed abrogat tantum pravam illam consuetudinem quorumdam locorum in quibus diaconi presbyteris Eucharistiam porrigebant, cum absurdum sit ut hi qui non offerunt iis qui offerunt Eucharistiam porrigant. In concil. Carth. IV, can. 38, prohibetur diacono Eucharistiam populo erogare præsente presbytero, nisi necessitate id facere jubeatur.

992. *Sicco sacrificio.* Id est, corpore Christi separatim a sanguine dato.

993. *Misto tamen sacrificio.* Id est, corpore Christi sanguini ejus immisto. Etenim quondam multis in locis mos inoleverat ut corpus Christi in sacro sanguine tinctum daretur, quod patet ex multis decretis diversis temporibus ad hunc morem antiquandum factis, Julii papæ I, apud Ivonem Carnotensem, part. II decreti, cap. 85: *Illud quod pro complemento communionis quidam intinctam tradunt Eucharistiam populis, non hoc prolatum ex Evangelio testimonium receperunt, ubi apostolis corpus et sanguinem suum Dominus commendavit. Seorsum enim panis et calicis commendatio commemoratur.* Concilii Bracarensis III can. 1 id etiam prohibetur, quia, ut ibi notatur, Christus seorsum corpus et sanguinem suum dedit apostolis; et concilii Claromontani ab Urbano II celebrati, apud Ordericum Vitalem, lib. IX Hist. eccl., ad annum 1095, cum statuitur ut corpus dominicum et sanguis singulatim sumatur, in hunc modum: *Corpus dominicum et sanguis dominicus singulatim accipiatur.* Et hic canon, prout sic ab Orderico refertur, clarus est, nec ullam patitur difficultatem. Sed facessit negotium prout refertur a doctissimo Baronio, in Eccl. Annal., tom. II, ex schedis Antonii Augustini episcopi Tarraconensis, hoc modo: *Ne quis communicet de altari, nisi corpus separatim, et sanguinem similiter sumat, nisi per necessitatem et cautelam.* Quæ quidem postrema verba, *nisi per necessitatem et cautelam*, non exstant apud Ordericum Vitalem, quæ tamen nihil aliud sonant quam quod species commistæ simul dari possint, si intervenat aliqua necessitas aut cautela; qualis est cum populus in Missa solemni communicat, ne præ multitudine sanguis effundatur, ut videre est in antiquo ritu Missæ celebrandæ Joannis Abrincatensis episcopi: *Excepto populo, quem intincto pane, non auctoritate, sed summa necessitate timoris sanguinis Christi effusionis, permittitur communicare.* Qualis est etiam in eis ægrotis quos vires omnino deficiunt, qui corpus Domini vix præ imbecillitate sumere possunt, nec sacrum calicem sine effusionis periculo; tunc ejusmodi languentibus juxta concilii mentem corpus Domini in sanguine dominico intinctum in cochleari dari posset, ut facile illud sorbere possent, ut videre est in visitatione infirmorum Codicis ms. monasterii sancti Rem. Rhemis fundati; nam ibi **570** cum post unctionem communicat infirmus, quem vis morbi non ad tantam virium imbecillitatem adduxit, dicitur utraque formula: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam. Sanguis Domini nostri Jesu Christi redimat te in vitam æternam*, quæ distinctam sumptionem indicant; at dum communicat infirmus, qui *ingravari cœperit*, unica tantum formula recitatur in hunc modum: *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam*, quia corpus Domini in sacro sanguine tinctum in cochleari infirmo porrigitur.

994. *Communio: Pascha nostrum. Psal. Domine, probasti me*, etc. In hac communione sunt Antiphona et Psalmus quæ canuntur. Tempore communionis olim cantabatur Psalmus, ut clarum est ex sancto Augustino, lib. II Retractationum, cap. 11: *Ut hymni ad altare dicerentur de Psalmorum libro, sive ante Oblationem, sive cum distribueretur populo quod fuisset oblatum*, etc. Græci, clericis communicatis, cum referunt muscaria, seu flabella, discos, calices, et alia vasa sacra, quædam psallere cœperunt, quibus repositis, cani cœptus est ultimus versus, τοῦ κοινωνικοῦ deinde τροπάριον, seu versiculus, πληρωθήτω τὸ στόμα ἡμῶν αἰνέσεως, κύριε, etc.; id est: Impleatur os nostrum laude, Domine, ut psallamus gloriam tuam, quia dignatus es nos sanctorum mysteriorum participes fieri. Serva nos in sanctificatione tota die meditantes justitiam tuam. Alleluia, idque olympiade 351, mense Maio, indictione 12, auctore Sergio patriarcha Constantinopolitano, ut refert Chronicon Alexandrinum. Sed hoc non apparet in hodiernis liturgiis, nisi quod troparium *impleatur* in liturgia sancti Joannis Chrysostomi canitur, cum deferuntur sancta in propositionem.

995. *Ite Missa est.* In liturgiis Græcorum sunt aliæ formulæ, *Ite in pace, Procedamus in pace, In pace Christi eamus*, quæ pronuntiantur etiam a Diacono.

996. *Placeat tibi, sancta Trinitas*, etc. Hæc Oratio exstat etiam in Missa Codicis ms. Tiliani, et Missa Illyrici, quæ in paucis variant.

997. *Incipit ordo pontificis*, etc. Hanc secundam Missam seu potius ordinem Missæ adjecimus ex Cod. ms. Tiliano toties a nobis supra citato. Quamvis superior Missa ex Codice Ratoldi abbatis producta videatur antiquior, quia tamen multa sunt in ea memorabilia et scitu digna, piaculum existimavi si eam prætermitterem, maxime cum sit quam simillima [a] Missæ antiquæ a Matthia Illyrico viro Lutheranæ sectæ ex Bibliotheca Palatina editæ, ut ex utriusque collatione quam in his observationibus subjiciemus clarum erit, si prius quibusdam objectis ab Illyrico in sua præfatione, quibus Missam Romanam vellicat, responderimus.

Primo ille suæ Missæ antiquitatem ad tempora sancti Gregorii I revocat, dicitque illius ætate, vel aliquot post annis in Ecclesia fuisse usitatam. Quod mihi sane persuadere non possum, tum quia multa sunt in ea, quæ longe post sanctum Gregorium instituta sunt, quæ non exstant in Missa superiori ex Codice Ratoldi, quæ scripta est aliquot annos ante annum 986, quæ tamen reperire est in Missa Tiliani Codicis, qui multis annis post Codicem Ratoldi scriptus est, regnante videlicet Henrico primo Francorum rege, quamvis non inficias ierim multa esse in Missa ab Illyrico edita quæ redoleant antiquitatem. Secundo, ut præferat Missam a se editam Missæ Romanæ, dicit olim unicam fuisse celebrandæ Missæ rationem, quem admodum apud Græcos, et suam ita esse compositam ut sit pro omni necessitate, nec olim fuisse Missas de sanctis et festis. Sed hujus sententiæ falsitatem ex ipsa Missa Illyriciana convincere licet, in qua introitus, Epistola, Graduale, **571** Evangelium, Offertorium, Secreta, Præfatio, Communio, et Postcommunio, non speciatim et particulatim, sed tantum generatim nominantur sine ulla specificatione aut assignatione alicujus particularis seu Introitus, seu Epistolæ, et similium, quod

[a] De hac Missa consule doctissimum Mabillonium, lib. I Liturg. Gallic., cap. 5.

confirmant hæc ejusdem Missæ verba: *Finita angelica laude, Missalem dicat Orationem sacerdos, deinde lectio recitetur.* Ubi Missalis Oratio nulla esse potest, quam quæ hymnum angelicum sequitur. Quæ cum ita sint, quare nullus Introitus, Epistola, Evangelium, etc., particulariter assignantur? Quare cum tot Orationes, seu Apologiæ in illa Missa integræ reperiantur, nulla Oratio Missalis, nulla Secreta, Oratio post communionem ibi descripta appareat? Nulla sane horum reddi potest ratio, quam varietas festorum, et solemnitas sanctorum, quæ pro sui diversitate diversas postulant Orationes Missales, Epistolas, Evangelia, Secretas, et similia festo aut solemnitati sancti convenientia, quæ si omnia in ordine Missæ collocarentur, multis confusionum labyrinthis celebrans involveretur; qui ut vitentur, ordo Missæ quotidianus seorsum ponitur (ut videre est in Missa Illyriciana, cujus titulus est hujusmodi: *Incipit ordo sacramentorum*, et finis, *Explicit ordo de officio Missæ*). Cætera vero pro varietate festorum et temporum pulchro ordine disponuntur, ut usu venire solet in libris Sacramentorum et Missalibus. Quasi vero apostoli, et veteres illi pontifices, qui nobis sanctimonia et eruditione præluxerunt, festa Natalis Domini, Epiphaniorum, Paschæ, et Pentecostes celebraverint, prætermissa commemoratione tantorum beneficiorum, quæ nobis Deus optimus maximus illis diebus impertivit, cum maxime in eorum recordationem et grati animi propterea in Deum significationem instituta sint; non secus ac olim Deus festa Paschæ, Pentecostes, Tabernaculorum et similia Judæis observare præcepit, ut præclare notat sanctus Isidorus Pelusiota, lib. II, epist. 116: Μὴ ἀγνόαδε [Forte leg. ἀγνόει δὲ] ὅτι ὁ Θεὸς ταῖς ἑορταῖς καὶ πάλαι καὶ νῦν ἐγκατέδησε τῶν εὐεργεσιῶν τὰ ὑπομνήματα, ἵνα οἱ πανηγυρίζοντες, ἔναυλον τὴν τούτων μνήμην ἔχοντες, μὴ εἰς μέθην, ἀλλ' εἰς εὐχαριστίαν, καὶ τὴν ἀρετὴν τρέποιντο. Id est: Illud autem ne ignores, Deum beneficiorum suorum commemorationem festis et olim et nunc astrinxisse, ut qui festos dies celebrant auribus suis memoriam insonantem habentes, non ad temulentiam, sed ad gratiarum actionem se convertant. Antiqua praxis nota est ex sancto Augustino, prologo in I Epist. Joan. *Meminit sanctitas vestra Evangelium secundum Joannem ex ordine lectionum nos solere tractare; sed quia nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum, quibus certas ex Evangelio lectiones oportet in Ecclesia recitari, quæ ita sunt annuæ, ut aliæ esse non possint, ordo ille quem susceperamus necessitate paululum intermissus est, non omissus.* Tractatu 9 in Epistolam Joannis: *Intercesserunt ut intermitteremus textum hujus epistolæ quædam pro diebus festis solemnia lectionum, quæ non potuerunt nisi legi, et ipsa tractari.* Et serm. 144, de Tempore: *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi hodie recitata est, sed de altero libro Evangelii, qui est secundum Lucam; primo enim lecta est secundum Matthæum, hesterna autem die secundum Marcum, hodie secundum Lucam. Sic habet ordo evangelistarum; sicut enim passio ipsius ex omnibus evangelistis conscripta est, sic dies isti septem vel octo durant spatium, ut secundum omnes evangelistas resurrectio recitetur. Passio autem, quia uno die legitur, non solet legi, nisi secundum Matthæum. Volueram aliquando ut per singulos annos secundum omnes evangelistas etiam passio legeretur. Factum est; non audierunt homines quod consueverunt, et turbati sunt.* Ex Gennadio, catalogo de illustribus viris, de Musæo Massiliensis Ecclesiæ presbytero: *Composuit Sacramentorum egregium et non parvum volumen, per membra quidem pro opportunitate officiorum et temporum, pro lectionum textu Psalmorumque serie et decantatione discretum.* Ex Sidonio, lib. IV, 572 epist. 11, de Claudiano Mamerci episcopi Viennensis fratre:

> Psalmorum hic modulator et phonascus
> Ante altaria, fratre gratulante,
> Instructas docuit sonare classes,
> Hic solemnibus annuis paravit
> Quæ quo tempore lecta convenirent.

Et ex epistola 2 Vigilii papæ: *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere divisum, sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschalis Domini, vel Pentecostes, et Epiphaniæ, sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta conjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, aut eorum faciamus quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur.* Ubi ordo precum est ratio celebrandæ Missæ, non canon Missæ, ut ex citato textu clarum; qui canon subsequenter dicitur ibidem textus canonicæ precis. Si spectemus horas canonicas, in eis etiam varietatem pro diversitate solemnitatum et festorum videre licet; nam supradictus Musæus, ut refert Gennadius: *Excerpsit ex sanctis Scripturis lectiones totius anni festivis aptas diebus, responsoria, etiam Psalmorum capitula tempori et lectionibus congruentia.* Id manifestum est etiam ex regula sancti Benedicti, cap. 14: *In sanctorum festivitatibus, vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus Dominico die, agendum est, excepto quod Psalmi aut Antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes dicantur.*

Nec valet quod dicit Illyricus Græcos hodie etiam habere unicam Missæ formam. Nam etsi liturgiæ Græcorum quas nunc habemus sint veluti quædam Missæ communes, tamen in eorum Euchologio aliisque eorum ritualibus diversæ Missæ pro festorum, solemnitatum et temporum diversitate reperiuntur.

Tandem Codex ms. unde suam Missam exscripsit Illyricus, non est adeo antiquus, siquidem ter in ea repetitur littera N., quæ vulgo ponitur loco nominis proprii, cum ejusmodi figura cœperit paulo ante annum post Christum natum millesimum. Nam in antiquioribus Codicibus mss., pro hac littera N., ponitur hæc nota *Ill.*, cum transversa linea, ut videre est in antiquissimis nostris libris Sacramentorum mss. sancti Eligii, Rhemensi et Redradi, quemadmodum et in formulis Marculphi, et in quibusdam aliis libris modo excusis, qui ex vetustissimis Codicibus mss. excusi sunt.

Dicit etiam Illyricus ante Caroli Magni ætatem Missas pro defunctis in usu non fuisse; sed facile convincitur [a] ex concilii Vasensis II, can. 43, in quo contrarium apparet: *In omnibus Missis seu Matutinis, seu in quadragesimalibus, sive in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *eo ordine quomodo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.* In Conc. Brac. I, can. 16: *Sed secundum sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei* (Feriæ 5 in cœna Domini) *ab hora tertia per Missas defunctorum, soluto jejunio, colit, anathema sit.* Ibi enim prohibetur feria 5 in cœna Domini, hora tertia soluto jejunio Missas defunctorum celebrare; quod signum est illo die post nonam non soluto jejunio potuisse celebrari. Et in conc. Bracarensi II, can. 10, ubi statuitur ne quis Missas mortuorum etiam post acceptum merum et oblationem audeat consecrare, ut a jejunis Missæ celebrentur.

Nec interrogatio sancti Bonifacii, quam objicit Illyricus, nostræ sententiæ obesse potest; nam interrogatio sancti Bonifacii est tantum de oblationibus pro defunctis in Missa, non de Missis defunctorum, quales nunc celebramus. Quod objicit Illyricus, de communione et oblationibus, non facit suam Missam 573 aliis antiquiorem, cum ista etiam habeantur in Missa Codicis Tiliani, qui scriptus est tempore Henrici I, Francorum regis, ut dictum est.

998. *Quando lavat manus.* Hæc lotio manuum

[a] In vet. Sacram. Gallic. ex Codice Bobiensi ante annos mille descripto plures exstant Missæ pro defunctis, ut videre est Musei Italici tomo I, pag. 384 et sequentibus.

exstat etiam in Missa ab Illyrico edita cum eadem A Oratione: *Largire sensibus nostris*, etc.

999. *Postea se incipit sandalia*, etc. In Missa Illyrici induitur pontifex ornamentis pontificalibus; sed induendi ordo diversus est, diversæ Orationes; et plura ornamenta videre est in Missa Illyrici, quæ sunt hujusmodi, alba, cingulum, præcinctorium, stola, subtile, dalmatica, casula, mappula, chirothecæ, annulus, et rationale.

1000. *Deinde cantet cum circumstantibus*, etc. In Missa Illyrici habetur: *Hos Psalmos interim dum paratur episcopus, circumstantes clerici cantent:* Quam dilecta tabernacula; Benedixisti, Domine, terram tuam; Inclina, Domine, aurem tuam. Loco precum sequuntur alii quatuor Psalmi.

1001. *Osculetur duos presbyteros*, etc. In Missa Illyrici: *Deinde in eodem loco presbyteris et diaconis eum deducentibus præbeat osculum pacis.*

1002. *Incipiens per se*, etc. Ita correxi. In Missa Illyrici sic habetur: *Et dum pervenit ad altare, imponat per se Antiphonam:* Introibo ad altare Dei, etc., cum Psalmo Judica me, Deus, etc., et sequuntur aliæ preces.

1003. *Aufer a nobis*, etc. In Missa Illyrici hæc Oratio præcedit Antiphonam Introibo ad altare Dei. Post τὸ mentibus lege *mereamur*.

1004. *Omnipotens Deus, qui me peccatorem*, etc. In Missa Illyrici habetur quidem hæc Oratio, sed recitatur ad osculum altaris.

1005. *Deinde cum osculabitur Evangelium*, etc. In Missa Illyrici: *Tunc salutat Evangelium dicens:* Pax Christi, etc.

1006. *Confessio sacerdotis ante altare.* In Missa Illyrici: *Post hæc secreto dicat hanc Confessionem:* Suscipe Confessionem meam, unica spes salutis meæ, etc. Deinde sequuntur decem Orationes seu Apologiæ in eadem Missa, quarum decima est hujusmodi: *Deus, propitius esto mihi peccatori*, etc., prout habetur in hac Missa Tiliana, in qua dicitur ante altare antequam sacerdos incipiat Missam.

1007. *Item Oratio interim*, etc. In Missa Illyrici: *Hæc sequens Oratio dicatur ab episcopo interim donec hymnus angelicus finiatur.* Sed habetur alia Oratio, seu Apologia, *Deus qui juste irasceris*, etc.

1008. *Post Collectam usque ad Evangelium.* In Missa Illyrici hæc habentur: *Finita angelica laude, Missalem Orationem dicat sacerdos; deinde lectio recitetur; et inter lectionem et Evangelium, id est tempore Gradalis et Alleluia, et sequentia, dicat episcopus has Orationes.* Sed aliæ sunt Orationes, et numero sexdecim, quarum nonnullæ sunt prolixæ satis. Oratio vero Missæ Tilianæ: *Deus, qui de indignis dignos facis*, etc. In Missa Illyrici recitatur à pontifice, dum canitur Offertorium.

1009. *Cum incensum, antequam legatur Evangelium*, etc. In Missa Illyrici: *Cum incensum antequam legatur Evangelium in thuribulum mittitur, dicat sacerdos:* Odore cœlestis inspirationis suæ, etc. Ubi sequitur *Benedictio ejusdem:* In nomine Domini nostri Jesu Christi benedicatur incensum istud, et acceptabile fiat in odorem suavitatis.

574 1010. *Deinde inclinanti diacono dicat sacerdos*, etc. In Missa Illyrici: *Deinde inclinanti diacono se* (adde, *ad*) *Benedictionem Dei dicat:* Benedictio Dei Patris omnipotentis, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super te, et aperiat Christus Dominus os tuum, ad digne idoneeque pronuntiandum sanctum Evangelium suum. Dominus Deus sit in ore tuo, etc. Sed prior Benedictio desideratur in Codice Tiliano. Sequitur in Missa Illyrici: *Diaconus accipiendo vel osculando Evangelium dicat:* Da mihi, Domine, sermonem rectum, et bene sonantem in os meum, ut placeant tibi verba mea, et omnibus audientibus propter nomen sanctum tuum in vitam æternam, Amen. *Perlecto autem Evangelio diaconus dicat:* Per istos sermones sancti Evangelii tui indulge mihi, Domine, omnia peccata mea; *et cæteri dicant* Pax tibi.

1011. *Perlecto autem Evangelio*, etc. In Missa Illyrici paulo aliter: *Tunc allato incenso simulque Evangelio ad salutandum dicant:* Per istos sermones Evangelii Domini, etc. Deinde in eadem Missa sequitur: *Quando incensum offertur dicant singuli:* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Tunc sacerdos incipiat Symbolum*, id est, Credo in unum Deum. Illud autem Symbolum est Constantinopolitanum, quod ibi integrum ponitur. In eadem Missa hæc sequuntur: *Finito Symbolo apostolorum dicit sacerdos:* Dominus vobiscum. *Deinde lavat manus, hanc Orationem dicens:* Largire sensibus nostris, etc., ut supra in Missa Tiliana.

1012. *Cum autem ornatum fuerit altare*, etc. In Missa Illyrici: *Cum autem ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat, has Orationes humillime ante altare se flebiliter accusans dicat:* Ante oculos tuos, B Domine, etc. Hanc sequuntur aliæ sex Apologiæ seu orationes, post quas in eadem Missa Illyrici sequitur: *Tunc accedens ad altare, et osculando illud dicat:* Oro te, Domine, omnipotens Deus, ut per merita sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic continentur, eorum intercessionibus indulgere digneris mihi omnia peccata mea, qui vivis et regnas, etc. Nota hic ornari altare Evangelio dicto, id est sterni linteaminibus, et palliis.

1013. *Tunc convertat se*, etc. In Missa Illyrici: *Tunc convertat se suscipere oblationes presbyterorum aliorumque.*

1014. *Et dicat unusquisque hanc Orationem.* Cum offert suam Oblationem, ut in Missa Illyrici: *Quando quis oblationem in manum episcopi, vel presbyteri offert, dicat:* Tibi Domino Creatori meo, etc., in fine additur, *vivorum et defunctorum.* Tum sequitur, *pro semetipso et cuncto populo Christiano.* Tibi Domino offero Hostiam placationis, etc. *Pro rege et antistite nostro, et pro cuncto clero, et pro omni populo Christiano:* Tibi Domino Creatori meo offero Hostiam C placationis et laudis, etc. *Episcopus vero vel presbyter oblationes accipiens dicat:* Suscipe, sancta Trinitas, hanc Oblationem, quam tibi offert famulus tuus N., et præsta ut in conspectum tuum tibi placens ascendat, qui vivis, etc. *Post acceptas Oblationes a clero, vel plebe, accipiat diaconus de manu subdiaconi oblatam, ita dicendo:* Acceptum sit omnipotenti Deo et omnibus sanctis ejus sacrificium tuum. *Veniensque diaconus ante episcopum offerens dicat hoc Offertorium:* Suscipe, Domine, sancte Pater hanc Oblationem, etc. *Et episcopus accipiens Oblationem a diacono dicat:* Acceptabilis sit omnipotenti Deo oblatio tua. *Tunc puro corde offerat Domino oblatam ita dicens:* Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, etc. *Alia:* Suscipe, clementissime Pater, Hostias placationis, etc.

1015. *Accuset se prius flebiliter.* In Missa Illyrici supra: *Se flebiliter accusans dicat.*

D 575 1016. *Ante conspectum divinæ Majestatis tuæ*, etc. Habetur supra in Missa Illyrici quarta inter Apologias seu Orationes, quæ ibi a sacerdote recitantur, cum ornatum fuerit altare, antequam oblationes accipiat.

1017. *Tunc puro corde offerat Domino*, etc. In Missa Illyrici sic habetur: *Istæ Orationes, cum Oblationes offeruntur ad altare, dicendæ sunt; et est hæc prima quotidiana generalis:* Suscipe, sancta Trinitas, hanc Oblationem quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, etc.

1018. *Suscipe, sancta Trinitas*, etc. Hæc Oblationis Oratio quinta est in Missa Illyrici.

1019. *Suscipe, sancta Trinitas*, etc. Secunda hæc Oblationis Oratio prima est in Missa Illyrici.

1020. *Suscipe, sancta Trinitas*, etc. Tertia hæc Oblationis Oratio octava est Missæ Illyricianæ.

1021. *Animæ.* In Missa Illyrici legitur *salute.*

1022. *Suscipe, sancta Trinitas*, etc. Quarta hæc

Oblationis Oratio decima est Missæ Illyrici, quæ tamen est pro unico defuncto.

1023. *Adjungi.* In Missa Illyriciana legitur *coadunari.* Tandem in Missa Illyrici post quartam Oblationis Orationem, seu offerendam sequitur *Apologia sacerdotis :* Suscipe confessionem meam, unica spes salutis meæ, etc., ut supra in Missa Tiliana. Sequitur in eadem Missa Illyrici : *Tunc imponat oblatam altari, et dicat :* Sanctifica, Domine, hanc Oblationem, ut nobis Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi corpus fiat. *Deinde diaconus accipiat a subdiacono vinum cum aqua in calice dicens :* Deus qui humanæ substantiæ dignitatem, etc.

1024. *Tunc diaconus calicem offerat,* etc. In Missa Illyrici : *Tunc diaconus offerat calicem super altare, et episcopo dicat :* Immola Domino, etc.

1025. *Episcopus calicem offerens Domino dicat :* In Missa Illyrici : *Et sacerdos calicem offerens dicat offertorium istud :* Offerimus tibi, Domine, calicem Salutaris, et deprecamur clementiam tuam, etc., *ut in Missali Romano.*

1026. *Domine Jesu Christe,* etc. In Missa Illyriciana : *Domine Jesu Christe, qui in cruce passionis tuæ,* etc. In qua sequitur : *posito calice super altare dicat sacerdos :* Oblatum tibi, Domine, calicem sanctifica, ut nobis Unigeniti tui Domini nostri Jesu Christi fiat sanguis. Qui tecum, etc.

1027. *Ad miscendum vinum cum aqua. Deus qui,* etc. In Missa Illyrici : *Deinde diaconus accipiat a subdiacono,* etc. Deus qui humanæ substantiæ, etc.

1028. *Dignatus es,* etc. In Missa Illyrici, legitur : *Dignatus est fieri particeps Jesus Christus.* Porro de mistione aquæ cum vino consecrando supra egimus. Græci, instante communione, in sacrum sanguinem aquam ferventem infundunt, ut videre est in liturgiis sanctorum Basilii et Chrysostomi, tum quia aqua calida exivit e latere Christi, tum quia per ejusmodi aquæ fervorem intelligi voluit fervorem sancti Spiritus, ut docent Germanus Constantinopolitanus patriarcha in Theoria mystica, et Theodorus Balsamon ad canonem 31 sextæ synodi.

1029. *Tunc elevata manu benedicat utrumque.* In **576** Missa Illyrici : *Tunc benedicat utrosque elevata manu, et dicat.* Sed habetur alia Benedictio in hunc modum : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti sit signatum, ordinatum, sanctificatum, et benedictum hoc sacrificium novum.* Sequitur : *adjungat,* supple sequentem Benedictionem : *Veni, Sanctificator omnipotens, æterne Deus, benedic hoc sacrificium tibi præparatum. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.*

1030. *Postea incensum accipiens ponat in thuribulum, et dicat : Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli,* etc. In Missa Illyrici : *Postea accipiens episcopus thus a diacono, ponat in thuribulum dicens :* Per intercessionem sancti Gabrielis archangeli, etc. In Missali Romano habetur τὸ *Michaelis.* In eadem Missa Illyrici sequitur : *Hæc Oratio dicenda est dum, incenso misso in thuribulum, ipsum thuribulum super panem et calicem circumducitur.* Memores sumus, æterne Deus, Pater omnipotens, gloriosissimæ passionis Filii tui, resurrectionis etiam ejus, et ascensionis ejus in cœlum, etc.

1031. *Tunc ponat incensum super sacrificium,* etc. In Missa Illyrici proxime facta est mentio thurificationis oblatorum ; tum sequitur : *Circumiens autem altare cum incenso episcopus aut presbyter dicat :* Incensum istud, etc. *Sequitur,* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine.

1032. *Quando odor ejusdem incensi,* etc. In Missa Illyrici : *Quando odor incensi porrigitur sacerdoti, dicat unusquisque :* Accendat in nobis, etc.

1033. *Tunc sacerdos humillime convertat se,* etc. In Missa Illyrici : *Tunc sacerdos humillime se convertat ad circumstantes dicens :* Orate pro me, fratres et sorores, ut meum ac vestrum sacrificium acceptum fiat Deo omnipotenti ante conspectum suum.

1034. *Tunc dicatur a singulis, Orent pro te,* etc. In Missa Illyrici : *Tunc respondeatur a singulis :* Suscipiat omnipotens Deus de manibus tuis sacrificium, et Orationes tuæ ascendant in memoriam ante Dominum, ipseque te exaudiat, qui te constituit intercessorem pro peccatis nostris. Orent pro te sancti et electi Dei, etc. Immola Domino sacrificium laudis et redde Altissimo vota tua. Exaudiat te Dominus orantem, misereatur tui, etc. *Tunc conversus sacerdos ad altare fundat pro semetipso hanc Orationem ante Secreta :* Domine Jesus Christe, fides et fiducia nostra, etc. *Tunc incipiat Secreta ; quibus finitis et Præfatione dicta, quando alii,* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *decantant, hæc Oratio cursim dicenda est a sacerdote :* Domine Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, etc., ut supra in Apologiis. *Hac Oratione finita antequam sacramenta incipiantur, iterum se commendet Domino dicens :* Facturus memoriam salutaris Hostiæ totius mundi. Hic τὸ *Secreta,* in plurali, est Oratio quam vulgo *Secretam* vocamus, olim *Super oblata,* ex quo vocabulo etiam colligitur non adeo esse antiquum Codicem ms. unde hunc Missæ ordinem exscripsit Illyricus.

1035. *Postquam sacerdos Te igitur incipit, diaconi et subdiaconi,* etc. In Missa Illyrici : *Deinde cum summa reverentia incipiat* TE IGITUR, *et ministri stantes in gradibus cantent istos Psalmos, usque dum* TE IGITUR *finiatur.* Exaudiat te Dominus, etc. *Deinde preces :* Salvum fac servum tuum, etc. *Oratio pro sacerdote :* Gaudeat, quæsumus, Domine, famulus tuus. *Alia communis :* Precibus nostris, quæsumus, Domine, etc. Sequitur, *infra actionem :* Inprimis una cum famulo tuo papa nostro N. etc. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, cunctorum scilicet consanguinitate mihimet, etc. **577** Hanc igitur Oblationem humilitatis meæ et devotionis, quam tibi offero pro peccatis meis, etc. Quam Oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus, Domine, etc. *Istud præfer in eodem canone, quando concilium, vel consilium aliquod agitur, postquam dixeris Æterno Domino vivo et vero.* Hanc igitur Oblationem, quam tibi offerimus, pro hujus negotii qualitate, de quo in præsenti disputationis actione ventilatur, etc. Communicantes et memoriam venerantes. *Pro semetipso :* Memento mei, Domine, et miserere mei ; multi enim et mali sunt languores mei, etc. Nobis quoque peccatoribus. *Pro salute vivorum et mortuorum :* Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum, etc. *Hic recites nomina quorum velis.* Istis et omnibus in fide catholica quiescentibus locum pacis et quietis indulgeas deprecamur. Per Christum Dominum nostrum. Nobis quoque peccatoribus. Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N., qui nos præcesserunt cum signo fidei, etc. Nobis quoque peccatoribus. Hic ordo Missæ Illyricianæ, in quibus recitatio nominis papæ notanda est, quemadmodum etiam exstat in omnibus Sacramentariis nostris tam mss. quam excusis, juxta decretum concilii Vasensis II, can. 4 : *Et hoc nobis visum justum est, ut nomen Domini papæ, quicunque Sedi apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.*

1036. *Expleta Secreta.* Per Secretam hoc loco intelligitur Oratio mystica *Te igitur,* etc. Ita loquitur ordo Missæ Illyricianæ, *expleta Secreta.* Quæ quidem Oratio cum verbis consecratoriis olim in quibusdam locis alta et clara voce proferebatur, ut testatur Joannes Moschus, cap. 196 Prati spiritalis : Ἐπειδὴ δὲ ἔν τισι τόποις ἐκφωνεῖν μεγάλως εἰώθασιν οἱ πρεσβύτεροι, εὑρέθησαν τὰ παιδία τὴν εὐχὴν τῆς ἁγίας ἀναφορᾶς ἐκμανθάνοντα. Id est : Quoniam in quibusdam locis clara voce pronuntiare solent Orationem oblationis presbyteri, factum est ut eam pueri didicerint. Id patet etiam ex liturgiis sanctorum Jacobi et Marci, sanctorum Basilii et Joannis Chrysostomi, in quibus verba consecratoria elata voce pronuntiantur, et in his chorus, in illis populus respondet *Amen.* Quod

etiam fiebat olim in Ecclesia Ambrosiana, siquidem ejusdem responsionis *Amen* ad verba consecratoria meminit sanctus Ambrosius libri De his qui mysteriis initiantur cap. 9 : *Ante Benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis* Amen, *hoc est, verum est*, etc.

1037. *Oratione Dominica*, etc. In Missa Illyrici : *Et Oratione Dominica, cum dixerit* Pax Domini sit semper vobiscum, *misceatur corpus dominico sanguini, et dicatur :* Hæc sacrosancta commistio corporis et sanguinis, etc. *Sequitur :* Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi omnibus accipientibus nobis in vitam æternam.

1038. *Postquam autem benedictio episcopalis expleta est*, etc. In Missa Illyriciana : *Non mittat episcopus in calicem partem oblatæ, ut presbyteri solent; sed exspectet donec finita Benedictione episcopus communicare debeat ; et tunc accipiens partem, quam antea fregerat, tenensque super calicem immittat dicens :* Sacri Sanguinis commistio, etc. Sequitur *Oratio :* Concede, Domine Jesu Christe, ut sicut hæc sacramenta corporis et sanguinis tui fidelibus tuis ad remedium contulisti, etc. *Post hæc dicta osculetur altare dicens :* Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis pacem relinquo vobis, etc. *Deinde convertat se ad circumstantes, pacemque ferat dicendo :* Habete vinculum pacis et charitatis, ut apti sitis sacrosanctis mysteriis. *Et ipsi invicem se pacificando dicant :* Pax Christi et Ecclesiæ abundet in Cordibus nostris.

1039. *Quando Corpus Domini in manus accipit*, etc. In **578** Missa Illyrici : *Quando corpus dominicum in manus accipit, dicat* Panem cœlestem, etc.

1040. *Perceptio corporis tui*, etc. In Missa Illyrici *sequitur Oratio :* Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, etc. *Alia :* Fiat mihi, obsecro, hoc sacramentum tuum. *Cum corpus sumitur :* Corpus Domini nostri Jesu Christi sit mihi remedium sempiternum in vitam æternam.

1041. *Quando calicem accipit*, etc. In Missa Illyrici : *Quando calicem in manus accipit sacerdos dicat :* Quid retribuam Domino, etc. *Sequitur Oratio, communicatio et confirmatio corporis*, etc.

1042. *Domine Jesu Christe*, etc. In Missa Illyrici : *Post perceptam communionem :* Domine, Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc , ut in Missali Romano, uno aut altero vocabulo mutato. *Alia* : Corpus tuum, Domine, quod accepi, et calix quem potavi, adhæreant in visceribus meis ; et præsta ut nulla ibi remaneat peccati macula, ubi tua sancta introierunt sacramenta. *Deinde presbyteris et diaconibus corpus in manus accipientibus, et communicantibus dicitur singulis* : Pax tecum. ℟. Et cum spiritu tuo. *Alia* : Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. *Calicem vero cum sacrosancta communione dando, unicuique dicat :* Perceptio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi sanctificet corpus et animam tuam in vitam æternam. Amen.

In his autem, primo nota dari corpus dominicum presbyteris et diaconis communicaturis in manus, juxta morem Ecclesiæ antiquum, quem videre est in Ordine Romano, in ordine processionis, quando episcopus festivis diebus Missam celebrare voluerit : *Presbyteri vero, et diaconi osculando episcopum corpus Christi ab eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi vero osculando manum episcopi, ore accipiant corpus Christi ab eo.* Sed priscis Ecclesiæ temporibus omnes fideles corpus Christi acceptum manu ori inferebant, ut clarum est ex Eusebio, lib. VII Hist. eccl. cap. 8 : Καὶ τραπέζῃ παραστάντα, καὶ χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείναντα, id est, qui mensæ astitisset, et manus ad susceptionem sacri alimenti porrexisset; sancto Cyrillo Hierosolymitano mox citando ; sancto Basilio, epist. 289, ad Cæsariam patriciam, καὶ γὰρ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὁ ἱερεὺς ἐπιδίδωσι τὴν μερίδα, καὶ κατέχει αὐτὴν ὑποδεχόμενος μετὰ ἐξουσίας ἁπάσης καὶ οὕτω προσάγει τῷ στόματι τῇ ἰδίᾳ χειρί. Id est : Nam et in ipsa ecclesia sacerdos particulam tradit, et illam apprehendit qui percipit, cum omni libera potestate, et sic manu sua eam ori ingerit. Ex sancto Augustino, lib. II adversus litteras Petiliani, cap. 23 : *Cui pacis osculum inter sacramenta copulabatis, in cujus manibus Eucharistiam ponebatis, cui vicissim danti porrigebatis.* Ex Codino, libro de Officiis Constantinopolis : Ὁ δὲ πατριάρχης μετὰ κοινωνῆσαι τοῦ τιμίου σώματος, δίδωσι τῷ βασιλεῖ εἰς χεῖρας μερίδα τοῦ δεσποτικοῦ σώματος. Id est : Patriarcha postquam communicavit, dat imperatori in manus particulam dominici corporis.

Modum accipiendi tradit sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, catechesi 5 mystagogica : *Accedens autem ad communionem non expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis :* ἀλλὰ τὴν ἀριστερὰν θρόνον ποιήσας τῇ δεξιᾷ ὡς μελλούσῃ βασιλέα ὑποδέχεσθαι καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην δέχου τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ, id est : Sed sinistram veluti sedem quamdam subjicias dexteræ, quæ Regem susceptura est, et concava manu suscipe corpus Christi. Mulieres non nuda manu, sed supposito linteo accipiebant. Sanctus Augustinus, serm. 25 : *Omnes mulieres exhibent nitida linteamina, ubi corpus Christi accipiant.* Quod quidem corpus Christi, aut statim ori inferebant; aut domum, ibi communicaturi, deferebant, ut planum est ex Tertulliano, lib. de Oratione sub finem : *Accepto corpore Domini et reservato, utrumque salvum est, et participatio sacrificii et exsecutio officii.* Sanctus Basilius, epist. citata, dicit morem communicandi in suis ædibus viguisse tantum tempore **579** persecutionis paganicæ; et sua ætate usitatum fuisse in monasteriis, et Alexandriæ, et in Ægypto. Qui mos tamen perseverabat Seleuciæ circa annum Christi 530, ut constat ex Joanne Moscho, cap. 79 Limonarii, ubi narratur de quodam servo qui feria 5 in Cœna Domini, cum sumptam Eucharistiam in ecclesia in armario domus heri sui inclusisset, ea visa est in viridantes spicas commutata. Romæ etiam usitatus erat sancti Hieronymi tempore, ut palam est ex ejus Apologia ad Pammachium : *Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo, unusquisque enim in suo sensu abundet; sed ipsorum conscientiam convenio qui eodem die post coitum communicant, et juxta Persium*, sat. 2 :

.... Noctem flumine purgant.

Quare ad martyres ire non audent? quare non ingrediuntur ecclesias? an alius in publico, alius in domo Christus est ? quod in ecclesia non licet, nec domi licet. Nihil Deo clausum est, et tenebræ quoque lucent apud eum. Et sane fuit hæc Romanorum consuetudo, ut nocturno concubitu seu illicito [a] polluti, crastina die ecclesiam non adirent, eo quod eos divina maneret ultio, ut videre est apud sanctum Gregorium, lib. I Dialog., cap. 10.

Notandum secundo in hac Illyrici Missa non dari tantum sanguinem presbyteris et diaconis, sed corpori Christi commistum.

1043. *Cooperante Sanctorum.* Locus corruptus, lege *Cooperante Spiritu sancto.*

1044. *Domine, sancte Pater*, etc. In Missa Illyrici supra : *Alia ad utrumque*: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, da mihi corpus et sanguinem Filii tui ita sumere, etc. *Cum sanguis sumitur :* Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat me in vitam æternam.

1045. *Deinde cum cœperit communicare clerum et populum, dicat singulis : Perceptio*, etc. In Missa Illyrici : *Populo communicando dicat :* Corpus et sanguis

[a] Legendum *etiam licito*, ut patet ex duplici Hieronymi et Gregorii testimonio.

Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem omnium peccatorum, et in vitam æternam. Amen. *Deinde dum communicant, dicat* : Ignosce, Domine, quod rogare compellor, etc. Hæc Apologia habetur supra, inter alias Apologias Codicis sancti Eligii, quam tum recitat sacerdos dum clerus et populus communicant, id est comedunt id quod sibi a sacerdote in os immissum est. Non enim potuisset sacerdos hanc Orationem seu Apologiam recitare, simulque singulis dicere, *Corpus et sanguis*, etc. Sequitur : *Post perceptam communionem* : Quod ore sumpsimus, mente capiamus, etc. In Missali Romano dicitur *pura mente*, etc. In Missa Illyrici sequitur *Oratio* : Obsecro te, piissime omnium auxiliator, etc. *Alia* : Conservent nos, Domine, munera tua, et æternam vitam tribuant nobis. Per. *Alia* : Custodi intra nos, Domine, gloriæ tuæ munus, ut adversus omnia præsentis et futuri sæculi mala, Eucharistiæ, quam percepimus, viribus et virtute muniamur. Qui vivis. *Alia* : Præsta, Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, ut qui corpus et sanguinem proprium, pro nobis indignis datum edimus et bibimus, fiat nobis ad salutem, et ad redemptionis remedium sempiternum omnium criminum nostrorum. Per.

1046. *Perceptio corporis Domini*, etc. Formula est dandæ communionis, quæ varia fuit pro ratione temporum. Tempore sancti Gregorii I, hæc erat usitata, *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam*, ut videre est apud Joannem Diaconum, lib. II de Vita sancti Gregorii, cap. 41. *Cui post mysteria traditurus cum diceret : Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet animam tuam.* Apud Alcuinum, cap. de Sabbato sancto, hæc reperitur : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te* **580** *in vitam æternam, amen*, ut in Codice ms. monasterii sancti Remigii, in ordine de visitatione infirmorum. In Codice Ratoldi, ubi agitur de visitatione infirmorum hanc reperire est : *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam te perducat, et in die judicii ad sanctam requiem te resuscitet.* In Codice Tiliano, in ordine de visitatione infirmorum hæc habetur : *Corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, amen.* Quæ est nostra vulgaris, si dempseris τὸ *et sanguis*. Alia fuit olim in Gallia tempore Roberti regis, videlicet : *Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ et corporis*, ut manifestum est ex Helgaldo in ejus Vita : *Præsuli cuidam de Domino non bene sentienti et quærenti pro quibusdam causis probationem in corpore Domini nostri Jesu Christi, indigne tulit rex amator bonitatis. Cum sit tibi lumen scientiæ, et lucrat in te lumen sapientiæ, miror qua ratione quæsieris, pro tuis nequissimis imperiis, et pro infestato Dei odio quod erga Dei servos habes, examinationem in corpore et sanguine Domini; et cum hoc sit quod a dante sacerdote dicitur*, Corpus Domini nostri Jesu Christi sit tibi salus animæ et corporis, *cur tu temerario ore et polluto dicas : Si dignus es, accipe.*

Sed apud antiquos Patres non erant usitatæ ejusmodi formulæ; sed sacerdos porrigens Eucharistiam dicebat, *Corpus Christi*, et accipiens respondebat *Amen*, ut clarum est ex sancto Ambrosio, lib. IV de Sacramentis, cap. 5 : *Ergo non otiose cum accipis, tu dicis Amen. Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi; et tu dicis Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.* Ex sancto Augustino, serm. ad infantes, de Sacram. : *Vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis Amen respondetis, et respondendo subscribitis. Audis ergo Corpus Christi, et respondes Amen.* Ex lib. VIII Constitutionum apostolicarum, cap. 13 : *Atque episcopus tribuat oblationem, dicens* : Σῶμα Χριστοῦ, καὶ ὁ δεχόμενος λεγέτω, ἀμήν, id est, *Corpus Christi, et accipiens dicat Amen. Diaconus vero retineat calicem, et tribuat dicens* : Αἷμα Χριστοῦ ποτήριον ζωῆς, ὁ δὲ πίνων λεγέτω, ἀμήν, id est, *Sanguis Christi poculum salutis, et bibens dicat Amen.* Ex Cyrillo Hierosolymitano, catech. 5 mystag. : Καὶ κοιλάνας τὴν παλάμην δέχου τὸ σῶμα Χριστοῦ, ἐπιλέγων ἀμήν, id est : Et concava manu suscipe corpus Christi, subjungens Amen. Id etiam videre est in epistola Cornelii papæ ad Fabium episcopum Antiochenum pontificem, de Novato schismatico, apud Eusebium, lib. VI Hist. eccl., cap. 33. Etenim Novatus, ut ibi narratur, cum suis Eucharistiam porrigeret, ab eis per sacramentum exigere solebat quod nunquam ab se deficerent, neque ad partes Cornelii transirent : Καὶ ἀντὶ τοῦ εἰπεῖν λαμβάνοντα τὸν ἄρτον ἐκεῖνον, τὸ Ἀμήν, Οὐκ ἔτι ἀνήξω πρὸς Κορνήλιον, λέγει, id est : Et qui illum panem accipit, pro Amen, quod dicere debet, hoc dicit, Non deinceps ad Cornelium revertar.

1047. *Finita Missa*, etc. In Missa Illyrici : *Postquam diaconus dixit* Ite Missa est, *veniat sacerdos ante altare, et eo osculando dicat* : Placeat tibi, sancta Trinitas, etc., ubi habetur etiam *sit tibi placens*, pro *tibi sit acceptabile.*

1048. *Alia Oratio : Meritis*, etc. In Missa Illyrici : *Finita Missa accedat ad altare, dicens* : Meritis et intercessionibus beatæ Mariæ semper virginis, et istorum, atque omnium sanctorum misereatur nostri omnipotens Deus, qui vivit et regnat.

1049. *Expletis omnibus, episcopus*, etc. In Missa Illyrici : *Expletis omnibus, episcopus de altari ad sacrarium rediens cum diaconibus, et cæteris quibus voluerit, cantet hymnum trium puerorum* : Benedicite, omnia opera. Laudate Dominum, omnes gentes. Laudate Dominum in sanctis ejus.

1050. *Postea preces : Confiteantur*, etc. In **581** Missa Illyrici, *et preces* : Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua. Exsultabunt justi in gloria. Exsultent justi. Non nobis, Domine, non nobis. Sacerdotes tui induantur justitia. Non intres in judicium cum servis tuis. Domine, Domine Deus virtutum, etc.

1051. *Deinde Oratio, Deus qui tribus pueris*, etc. In missa Illyrici, *sequitur oratio* : Deus, quem omnia opera benedicunt, etc. *Alia* : Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius per intercessionem eorum, et merita omnium sanctorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum atque tormentorum. Per. *Alia* : Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, etc.

Et hæc quæ notanda erant de Missa Tiliana, deque illius collatione cum Missa Illyrici : ex qua patet, si plures Apologias exceperis et paucos quosdam ritus, Missam Tilianam Illyricianæ Missæ esse quam simillimam.

1052. *Maurilio venerabili*, etc. Sanctus Maurilius Rothomagensis archiepiscopus Rhemis ortus est, Leodii operam litteris navavit, Florentiæ in Italia Deo sub regula sancti Benedicti militavit, et invidia quorumdam monachorum, qui ejus sanctimoniam æque animo ferre non poterant, in Normaniam, ut eorum insidias fugeret, secessit, ubi a monachis Fiscanensibus in fratrem receptus est, et tandem archiepiscopus Rothomagensis ordinatus est, obiitque anno Christi 1067. De eo agunt Guillelmus Gemmeticensis, lib. VII Hist. Norm., cap. 26 et 36. Ordericus Vitalis, lib. IV et V Hist. eccl., et Guillelmus Malmesburiensis, lib. V de Gestis Regum Angliæ.

1053. *Joannes Abrincatensis*. Hic Joannes Abrincatensis episcopus, postea Rothomagensis, filius fuit Rodulphi comitis Bajocensium fratris uterini Richardi Senioris ducis Normanorum : *Vir ingenuitate plurimum conspicuus, sapientia spirituali feliciter imbutus, prudentia sæculari summe præditus*, inquit Guillelmus Gemmeticensis. Primo fuit episcopus Abrincatensis; deinde, defuncto sancto Maurilio, archiepiscopus Rothomagensis, cum sedem Abrincatensem rexisset septem annis, et tribus mensibus. Præfuit concilio Rothomagensi, quod anno Domini 1072 in eadem urbe celebravit; obiit anno Domini 1079. De eo agunt Guillelmus Gemmeticensis, lib. VII, cap. 38 et 44,

Hist. Norm., et Ordericus Vitalis, lib. III, IV et V, Hist. eccl.

1054. *In vestiario.* Vestiarium locus est vestimentis recondendis idoneus. Sed proprie in quo custodiuntur regis seu imperatoris vestimenta. Manuel Moschopulus, lib. de schedis : *βέστια παρὰ Ῥωμαίοις τὰ ἱμάτια· ἐξ οὗ τὸ βεστιάριον κυρίως, ἐν ᾧ τὰ βασιλικὰ ἐνδύματα φυλάσσονται*, id est : Vestes apud Romanos sunt indumenta, ex quo vestiarium proprie, in quo regiæ vestes servantur. At hoc loco vestiarium est sacrarium seu secretarium, in quo non solum vasa sacra, sed etiam sacræ Ecclesiæ vestes reconduntur. Ita in restitutione Ebbonis archiepiscopi Rhemensis : *Ductus est etiam sæpe dictus Ebbo episcopus in vestiarium et indutus episcopalibus vestimentis; similiter et alii episcopi processerunt cum eo ad celebrationem Missæ.* Quemadmodum olim in vestiario non solum imperatoris vestes, sed etiam vasa aurea et argentea, quæ dabantur in Missis, custodiebantur, ut clarum est ex Codino, lib. de Officiis aulæ.

1055. *Diaconum et subdiaconum osculetur sacerdos.* Idem videre est supra in Missis Tiliana et Illyrici.

1056. *Surgens.* Nempe sacerdos.

1057. *Sacerdoti medium altaris deosculanti.* Osculum altaris videtur in Missa Illyrici.

1058. *Sessio episcopi juxta decreta Urbani papæ*, etc. Vide supra, in Observationibus.

582 1059. *Ceroferarii vero*, etc. Ex hoc colligitur alios præsto fuisse ceroferarios, quia in Processione episcopi ad altare unus duntaxat præibat ceroferarius.

1060. *Sicque præcedentibus ceroferario*, etc. Hic unicus exstat ceroferarius qui præeat Evangelio, tamen paulo post dicitur : *Candelabra exstinguantur.* Quare aut legendum est τὸ *ceroferariis*, aut τὸ *candelabrum exstinguatur.* Ex antiquo Ecclesiæ instituto accenduntur luminaria ad lectionem Evangelii in Missa. Idque testatur de Orientali Ecclesia sanctus Hieronymus, lib. II contra Vigilantium : *Nam et absque martyrum reliquiis per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Hujus ritus meminit Alcuinus, de divinis Officiis, cap. Quid significent vestimenta.

1061. *Offerenda.* Est illa Antiphona quam vulgo Offertorium dicimus. Ita sumit Alcuinus cap. citato.

1062. *Versus sequatur.* Supra in Missa pro infirmo, post visitationem infirmorum Codicis ms. monasterii sancti Remigii, duo Versus sequuntur Offertorium. Quo spectat illud Alcuini lib. de divinis Officiis, cap. de Celebratione Missæ : *Sequitur deinde Offerenda, quæ inde hoc nomen accepit, quod tunc populus sua munera offerat. Sequuntur Versus a vertendo dicti, quod in Offerenda revertantur, dum repetitur Offerenda.*

1063. *Aqua mista vino populus adunatur Christo.* Ex sancto Cypriano, epist. 63 : *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur; et credentium plebs ei in quem credidit copulatur et conjungitur.*

1064. *Sacerdos Oblationem ita componat*, etc. Ita Ivo Carnotensis, epist. 235 : *Hostia quoque quæ juxta calicem consignatur sic debet esse posita, ut sua et calicis positione dextrum Christi latus repræsentet, de quo manavit sanguis redemptionis, et aqua baptismatis.*

1065. *Tunc coram altari inclinatus sacerdos solus*, etc. Dicendo unam ex Apologiis. In Missa Illyrici habetur hæc Apologia, seu Oratio : *Domine Jesu Christe, fides et fiducia nostra*, etc. Sed dicitur a sacerdote postquam populum de Oratione monuit.

1066. *Oblata quatuor partes calicis tangat*, etc. Ivo Carnotensis, epist. citata : *Cum vero cum Hostia jam consecrata intra vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis orientali usque ad occidentalem, et a septentrionali usque ad australem, hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis prædixit :* Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.

1067. *Item Oratione finita.* Ita in aliis Ordinibus, ut supra notatum est in Missa Ratoldi his verbis, *per ipsum et cum ipso*, etc., a Pontifice pronuntiatis.

1068. *Utrque calicem levent.* Levatur calix a sacerdote et diacono simul et deponitur. Verum non solus calix, sed etiam Hostia, in patena calici superposita videlicet ut planum est ex Ivone Carnotensi, epist. citata : *Cum autem panis et calix adhibito diacono elevatur, exaltatio Christi corporis in cruce commemoratur.* Et infra : *At cum, cooperante diacono, calix deponitur, et Hostia in suo loco reponitur*, etc. In Missa Ratoldi, et Ordinibus Rom. supra citatis, hæc exaltatio fit a solo diacono, seu archidiacono. At in Ordine secundo levatur a pontifice et diacono.

1069. *Per Diaconum Joseph exprimitur*, etc. Hæc **583** ita breviter exprimit Ivo Carnotensis, epist. supra citata : *Hoc commemoratur quod Joseph et Nicodemus, accepta licentia a Pilato, corpus Christi de cruce deposuerunt, et venerabiliter sepulturæ mandarunt.*

1070. *Officium consecrationis perficiat.* Consecratio hoc loco non sumitur pro consecratione oblatarum (hoc est panis et vini); jam enim consecratæ sunt, sed pro ipso mysterio liturgico, quod perficiendum est per confractionem, commistionem et communionem; et ita sumitur vocabulum paulo post repetitum.

1071. *Qui mantili indutus tenuerat.* Locus corruptus : deesse videtur τὸ *patenam*, ut ex sequentibus manifestum est.

1072. *Fiat commistio.* Deest τὸ *consecratio*, ut in Missis Ratoldi, et Tiliana.

1073. *Viaticum.* Pro ægrotis periclitantibus, ut ex sequentibus clarum est : *Tertiam quæ remanet in altari vocat sancta Ecclesia viaticum morientis.*

1074. *Juxta definitionem concilii Toletani.* Puto hic esse lapsum memoriæ; nam id in aliquo concilio Toletano me legisse nunquam memini. Prohibitio exstat in concilio Bracarensi III, ut supra notavi.

1075. *Excepto populo, quem intincto pane*, etc. Hoc intelligitur in Missa solemni, quæ olim illis temporibus fere unica celebrabatur, et tum propter multitudinem populi communicantis cum periculum esset ne sanguis Christi effunderetur, corpus sanguini intinctum, non separatum a sanguine dabatur. Dicitur id necessitate fieri, non auctoritate, quia nullum antea concilium id permiserat tali occurrente necessitate. Et concilium Claromontanum, quod juxta exemplar Antonii Augustini hoc permittere videtur, nondum celebratum erat, quia hic Joannes Abrincatensis episcopus obiit anno Christi 1079, et concilium Claromontanum celebratum est anno Christi 1095.

1076. *Postremo vero particulam, quæ in calice remansit*, etc. Sensus est ut, populo communicato, sacerdos particulam quam in calicem miserat, sumat; non tamen integram, ut reliquam partem diaconus et subdiaconus inter se dividentes sumant.

1077. *Ad regem consecrandum, sive ad benedicendum.* Ea fuit antiqua pietas imperatorum et regum Christianorum, ut imperium seu regnum inituri, id auspicato facerent, cum se a sacris pontificibus sacro et solemni ritu palam in ecclesia benedici et coronari voluerunt. Primus ex imperatoribus qui sacro et solemni ritu a pontifice inauguratus est, fuit Theodosius Junior imperatorum Constantinopolitanorum optimus ac sanctissimus, qui a Proclo patriarcha Constantinopolitano coronatus est, ut testatur Theodorus, ecloga 2, sub finem : Στεφθεὶς ὑπὸ τοῦ αὐτοῦ Πατριάρχου, id est, coronatus ab illo patriarcha. Nam supra illius ætatem nihil simile de imperatoribus Christianis legitur, ut arbitror. Justinus minor coronatus est ab Eutychio patriarcha, ut scribit Theophanes, lib. XVI, anno ab incarnatione Domini 558. De hac coronatione scribit Corippus, lib. II de ejusdem Justini laudibus :

Postquam cuncta videt ritu perfecta priorum,
Pontificum summus plenaque ætate venustus
Astantem benedixit eum, cœlique potentem

Exorans Dominum, sacro diademate jussit
Augustum sancire caput, summamque coronam
Imponens capiti feliciter....

Qui tamen antea prisco ritu in clypeo sublevatus fuerat, **584** ut canit supra eodem libro Corippus :

Quatuor ingentem clypeis sublimior orbem
Attollunt lecti juvenes, manibusque levatus
Ipse ministrorum supra stetit, ut sua rectus
Littera, quæ signo stabili non flectitur unquam,
Nominibus sacrata tribus, qui viribus æquis
Imperium rexere suum....

Ubi per litteram intelligit J, quæ est prima nominis Justini littera, estque nominibus sacrata tribus, nempe Justino majori, Justiniano et Justino minori. Et hæc de Justini minoris coronatione. Post eum Tiberius imperator fuit etiam coronatus ab Eutychio patriarcha, ut docet supra citatus Theophanes, lib. XVII, anno Incarnationis Domini 571. Sic Mauricius imperator, et uxor ejus Augusta, die nuptiarum coronati sunt a Joanne patriarcha Constantinopolitano, ut scribit Theophylactus Simocatta, lib. I Hist. cap. 10 : καὶ δῆτα καὶ τὰς κορυφὰς τῶν βασιλέων τοῖς στεφάνοις καθίδρυσε, id est : Capitibusque Regis et Reginæ coronas imponit. Heraclius imperator coronatus est a Sergio patriarcha in oratorio sancti Stephani in palatio sito. Coronata est eodem die Eudocia sponsa ejus in Augustam, et accepit uterque a Sergio patriarcha nuptiarum coronas; et uno eodemque die imperator simul et sponsus ostenditur, inquit Theophanes, lib. XVIII, anno ab Incarnatione Domini 602, et infra. Tertio anno imperii Heraclii coronata est Epiphania filia Heraclii a Sergio patriarcha in oratorio palatii. Eodem vero anno prima indictione coronatus est Heraclius junior filius Heraclii, qui et Constantinus, a prædicto patriarcha; et sic deinceps alii multi, quos imitati sunt Christiani reges; sed maxime Francorum reges, primusque eorum Clodovæus, ut clarum est ex testamento sancti Remigii, apud Flodoardum, lib. I Hist. Ecclesiæ Rhemensis, cap. 18. Ivo Carnotensis, epist. 79, scribit post Clodovæum nepotes ejus Charibertum et Guntramnum ab episcopis suarum provinciarum sacratos fuisse.

1078. *A vobis perdonari petimus*, etc. Ita in Ordine ms. sancti Germani a Pratis prope Lutetiam Parisiorum; habeturque in coronatione Ludovici secundi inter capitula Caroli Calvi, sed fusius. Ita etiam in coronatione Henrici IV, dicti Magni, Francorum regis, descripta a reverentissimo Nicolao Thuano episcopo Carnotensi, qui eumdem Henricum Carnoti in regem unxit. *Perdonari* est concedi. Cum autem hic dicimus coronationem Henrici IV descriptam fuisse a Nicolao Thuano episcopo Carnotensi, non intelligimus formulas, Orationes consecrationis, et similia fuisse ab eo composita, quas ille sumpsit ex antiquo aliquo Codice ms., sed ab eo compositum fuisse libellum omnes ritus qui in coronatione præfati regis observati sunt continentem.

1079. *Per rectam*. Rectum est rectitudo regni, quæ habetur infra in fine consecrationis.

1080. *Responsio regis : Promitto vobis et perdono*, etc. Ita in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis, et in præfata coronatione Henrici IV. In coronatione Ludovici secundi, quam inter capitula Caroli Calvi imperatoris reperire est, fusior habetur. In Ordine Romano rex facit fidei professionem; similiter imperator Constantinopolitanus, apud Codinum, in libro de Officiis aulæ Constantinopolitanæ.

1081. *Deinde alloquantur duo episcopi populum in ecclesia, inquirentes*, etc. Hanc locutionem episcoporum ad populum in ecclesia, qui de ejus consensu quærunt, videre est in Ordinibus Rom. et sancti Germani a Pratis, in consecratione secunda Caroli Calvi, quæ Metis celebrata est, et in coronatione Henrici II, et Henrici IV, regum Francorum. **585** Hæc allocutio episcoporum ad populum exstat etiam in coronatione Hermitrudis conjugis Caroli Calvi in ejusdem Caroli Capitulis, sub finem, sed sub alia formula. Idem consensus reperitur apud Petrum Damiani, serm. 1 de dedicatione : *Prius autem quam imperatoriis cultibus vestiatur, requiritur super eo cleri voluntas et populi.*

1082. *Agant Deo gratias*. Ita Hincmarus sub finem allocutionis ad populum in secunda coronatione Caroli Calvi in ejusdem Capitulis, cap. 35. *Non incongruum videtur istis venerabilibus episcopis, si vestræ communitati placet, ut in obedientia regni, unde vos ad illum sponte convenistis, sacerdotali ministerio ante hoc altare coronetur, et sacra unctione Deo consecretur. Quod si vobis placet, propriis vocibus consonate. Et in hoc clamantibus omnibus, dixit idem episcopus : Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus.*

1083. *Decantantes Te Deum laudamus*. Nota morem decantandi hymni *Te Deum laudamus* in publicis gratiarum actionibus. In coronatione Caroli Calvi supra citata : *Agamus ergo unanimiter Deo gratias, decantantes Te Deum laudamus*. In Vita Ludovici pii, cum receptus est Stephanus papa Rhemis ab eodem Ludovico imperatore : *Ultimus imperator milliario processit a monasterio sancti confessoris Remigii, et tanquam Petri vicarium honestissime suscepit, descendentemque ex equo excepit, et in ecclesiam intrantem manu propria sustentavit, præcinentibus pro tanta exsultatione variis Ecclesiæ ordinibus, Te Deum laudamus*. Et in restitutione Ebbonis archiepiscopi Rhemensis : *His ita peractis, iterum reboantibus signis, et vociferante omni Ecclesia, Te Deum laudamus, ductus est sæpe dictus Ebbo episcopus in vestiarium*. Olim loco hujus hymni in gratiarum actionibus canebatur hymnus *Gloria in excelsis Deo*. Sanctus Joan. Chrysostomus, homil. 3 in cap. I ad Coloss. : Διὰ τοῦτο εὐχαριστοῦντες λέγομεν, Δόξα ἐν ὑψίστοις θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Victor Uticensis sub finem lib. III, in passione sanctorum Martyrum, qui Carthagine sub Hunnerico rege passi sunt VI nonas Julii : *Procedebant itaque cum fiducia ad supplicium quasi ad epulas concurrentes voce per ambitus platearum Domino decantantes : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Gregorius Turonensis, lib. I de Gloria Martyrum, cap. 63, de Inventione corporis sancti Mallosi martyris : *At ille cum fodisset quasi septem pedes, attigit nares ejus odor immensi aromatis, et ait : Credo in Christo, quod ostendit mihi martyrem suum quando me hæc suavitas circumdedit. Et fodiens reperit corpus illæsum, et emittens voce magna Gloria in excelsis Deo, omnem clerum pariter psallere fecit. Dictoque hymno, corpus sanctum in basilicam transtulit*. Anastasius Bibliothecarius, in Leone III, agens de occursu ejusdem pontificis et Caroli Magni : *Et pariter se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt. Et prædicto pontifice* Gloria in excelsis Deo *inchoante, et cuncto clero suscipiente, Oratio super cuncto populo data est*. Alcuinus, epist. 71, ad fratres in provincia Gothorum : *Et cantate Deo vestro in concordia pacis, et unanimitate Charitatis perpetuæ canticum laudis, et cum militia cœlesti laudate Deum, et dicite : Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Huic hymno successit hymnus *Te Deum laudamus*, ut notum est ex auctoribus supra citatis : qui tamen in quibusdam Galliæ locis videtur fuisse usitatus in solemni gratiarum actione tempore Pipini ducis, qui postea Francorum rex creatus fuit; nam in translatione corporis sancti Germani Parisiorum pontificis, quæ sub hujus Pipini ducatu contigit, hic hymnus in gratiarum actionem solemniter est decantatus, ut palam est ex narratione hujus translationis quam profert Surius, Julii 25, si tamen auctor hujus narrationis in omnibus sapit. Hoc institutum vulgo refertur ad sanctos Ambrosium et Augustinum qui in ejusdem sancti Augustini baptismo hunc hymnum ex tempore ediderint et decantaverint; proferturque hujus opinionis auctor **586** et assertor sanctus Dacius

episcopus Mediolanensis, in Chronico, qui floruit tempore Justiniani imperatoris, cujusque meminit sanctus Gregorius, lib. III Dial., cap. 4. Sed quidquid sit de veritate hujus historiæ, certum est hoc Chronicon non esse hujus Dacii, quia probari non potest ullum Chronicon ab eo scriptum fuisse, nedum citatum; tum quia non redolet stylum temporum illorum, tum quia falsum est quod ibi continetur, quod sanctus Augustinus *Audiens sanctum Ambrosium de incarnatione ad populum tractantem et prædicantem, tremens ac pallens, omnibus qui aderant videntibus, obriguerit, ac etiam finita monitione, quam ad populum beatus Ambrosius populo ministrabat, primus ad eum Augustinus pervenerit*, etc. Adversatur enim sancti Augustini et Possidii scriptis, nec potuit in mentem viri alicujus eruditi ac sapientis viri, qualis fuit hic Dacius, venire. Quare ante sanctum Benedictum, et Teridium sancti Cæsarii Arelatensis episcopi discipulum, qui de hoc hymno in suis regulis locuti sunt, nullus veterum illius mentionem fecit.

1084. *Invocatio super regem, Te invocamus, Domine*, etc. In coronatione Caroli Calvi quæ Metis facta est ante altare sancti Stephani, septem episcopi singuli singulas Benedictiones, seu invocationes super regem fundunt ante ipsam unctionem. In Ordine Romano, cum ordinatur imperator, tres funduntur Orationes, prima ab episcopo Albanensi, secunda ab episcopo Portuensi, tertia ab episcopo Ostiensi, dum ei brachium sinistrum ungit, atque inter scapulas. In coronatione imperatoris Constantinopolitani apud Georgium Codinum, libro de Officiis aulæ, solus patriarcha Constantinopolitanus preces ante unctionem legit partim clara partim submissa voce. Hæc autem invocatio super regem exstat in officio ad ducem constituendum, quod vir doctissimus Andreas Duchêne ad calcem Normannicorum edidit.

1085. *Ut summi regiminis solium*. In officio ad constituendum ducem legitur, *ut suum ducatus solium*, legendum putarem, *summi*, pro *suum*.

1086. *Deus, qui populis tuis*, etc. Hæc oratio exstat in coronatione Ludovici II, et Caroli Calvi, una aut altera linea quam hic contractior. Exstat etiam in prædicto officio.

1087. *Ipsius temporibus*. In dicto officio deest τὸ *temporibus*, male.

1088. *Seipsum sedulus discat*. Id est, quamvis in altissima potestatis arce collocatus, tamen memor sit conditionis humanæ, quantis adversis obnoxia sit regia sublimitas. Est enim regni πρόσωπον ἡδὺ, id est, facies blanda, juxta Euripidem, in Ione, et Senecam, in Œdipo, quæ regem facile decipiat, qui se bene non noverit.

1089. *Consecratio regis, omnipotens sempiterne Deus*. Hæc Oratio exstat in consecratione Henrici IV, Francorum regis, et in coronatione Ludovici II, sed multo contractior, inscribiturque *sacri olei Infusio*. Recte quidem, nam hæc Oratio dicitur quando rex inungitur. Habetur etiam in Ordine Romano, usque ad hæc verba, *virtutibus, nec non quibus*, quibusdam vocabulis subinde mutatis. Exstat etiam in Pontificali Romano, sed multo contractior; neque recitatur ibi in olei infusione, neque etiam in Ordine Romano.

1090. *In regnum N. Albionis totius*. Et paulo post: *Et totius Albionis Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat et doceat*, etc. Quæ quidem verba satis manifestant aliquem Francorum regem id temporis in Anglorum regem unctum fuisse; quod tamen est difficile scitu, cum nihil tale in historicis antiquis cum Francorum, tum Anglorum repereris, per quos huic difficultati lucem afferre quis possit. Nemini autem dubium est quin Albion, cujus hic mentio est, sit Britannia major. Id testantur veteres omnes 587 recentioresque Geographi. Quod spectat ad formulam consecrationis, credibile est primo eum qui sub hac formula fuit inauguratus prius fuisse regni Francorum honore decoratum, his verbis: *Et totius Albionis Ecclesiam deinceps cum plebibus sibi annexis ita enutriat ac doceat, muniat et instruat, contra omnes visibiles et invisibiles hostes idem potenter regaliterque tuæ virtutis regimine amministret, ut regale solium, videlicet Francorum sceptra, non deserat; sed ad pristinæ fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet*. Quis fuerit autem ex regibus Francorum sub hac formula in regem Anglorum unctus, dicere obscurum est. [a] Ex hoc tamen apparet antiquum jus regibus Francorum in regnum Angliæ fuisse. Quod etiam videtur in corona ione Henrici IV, Francorum regis. Nam in supra citata formula hæc videre est: *Ut regale solium, videlicet Saxonum, Merciorum, Nordanimbrorum, sceptra non deserat*, etc. Confirmatur ex Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis, in coronatione regis Francorum, in quo hæc eadem verba reperire est. Saxones autem Anglos appellari, Mercios vero et Nordanimbros esse populos Angliæ lippis et tonsoribus notum est. In eadem consecratione littera N. videtur transposita, et referenda in hunc modum ad hæc verba, *hunc famulum tuum N.*, ut ponatur proprii nominis loco, ut usu venire solet.

1091. *Ut regale solium, videlicet Francorum sceptra, non deserat*. Hæc verba, ut jam supra notatum est, supponunt eum qui sub hac formula in regem Albionis ungitur in regem Francorum fuisse prius evectum.

1092. *Hic ungatur oleo*. Hoc vocabulum, τὸ *oleo*, non de simplici ac vulgari oleo, sed de sacro, quod episcopali Benedictione consecratum sit, intelligendum est, quo olim reges ungi solebant. Unde in coronatione Ludovici II, supra citata, huic Orationi seu consecrationi hæc verba præfiguntur: *sacri olei Infusio*. Idem videre est in Ordine Romano, in ordinatione tum regis, tum imperatoris, et apud Petrum Damiani, serm. 1 de Ecclesiæ dedicatione: *Et tunc exuitur vestimentis suis, et oleo sanctificationis aspergitur, ut typico rore perfusus cœlestis unguenti plenitudine glorietur*. Nam oleum sanctificationis juxta idiotismum Hebraicum est oleum sanctificatum. Unde optime ab Eginhardo, in Annalibus, ad annum 750, hæc unctio sacra dicitur: *Hoc anno secundum Romani pontificis sanctionem Pipinus rex Francorum appellatus est, et ad hujus dignitatem honoris unctus sacra unctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii episcopi et martyris*. Imo et chrismate sacro unctos fuisse reges Francorum certum est, ut habetur in testamento sancti Remigii apud Flodoardum lib. I Hist. Rhemensis Ecclesiæ, cap. 28: *Generi tantummodo regio, quod ad honorem sanctæ Ecclesiæ et defensionem pauperum una cum fratribus meis, et episcopis omnibus Germaniæ, Galliæ, atque Neustriæ, in regiæ majestatis culmen perpetuo regnaturum statuens elegi, baptizavi, a sacro fonte suscepi, donoque septiformis Spiritus consignavi, et per ejusdem sacri chrismatis unctionem ordinato in regem parcens statuo*, etc. Idem videre est in epistola synodi apud Carisiacum missa ad Ludovicum Germaniæ regem, cap. 15: *Maxime autem nobis necesse loqui cum illis archiepiscopis et episcopis, qui consensu et voluntate regni istius dominum nostrum* (Carolum Calvum) *fratrem vestrum unxerunt in regem sacro chrismate, traditione divina*. In libello proclamationis Domini Caroli regis adversus Wenilonem archiepiscopum Senonensem: *Sed et post hoc electione sua aliorumque episcoporum, et cæ-*

[a] Forte consecratio hæc in Ludovici IV, cognomento Ultramarini, filii Caroli Simplicis, inauguratione fuit adhibita, qui cum ob Ogivam matrem, ex Angliæ regum stirpe esset oriundus, in spem hujus regni vocatus potuit simul ungi in regem Angliæ et Franciæ. Quibus non placebit conjectura hæc, meliorem suppeditent; doceantque quis ex Galliæ regibus ante mortem Ratoldi abbatis, qui ann. 983 obiit, potiori jure in regem Angliæ ungi et consecrari potuerit.

terorum fidelium regni voluntate, consensu, et acclamatione cum archiepiscopis **588** *et episcopis Wenilo in diœcesi sua apud Aurelianis civitatem in basilica sanctæ crucis me secundum traditionem ecclesiasticam regem consecravit, et in regni regimine chrismate sacro perunxit.* In epistola Artholdi Rhemorum archiepiscopi ad synodum Engilenheim missa, apud Flodoardum, lib. IV Hist. eccl. Rhem., cap. 35 : *Postquam Ludovicum regem, favente Hugone, cunctisque regni principibus, Gerbergam quoque reginam benedixerum, et sacro perfuderam chrismate.* Et in secunda coronatione Caroli Calvi, cum Metis coronatus est in regno Lotharii, anno Domini 869, *ad ista verba*, coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus de chrismate.* Et ita capiendus est locus cujusdam anonymi de unctione chrismatis inter opera sancti Cypriani : *Nec tamen cessantibus his quæ ritu antiquo inoleverant, cum in populo Christiano circumcisio videretur damnabi is, et sacrificia idololatriæ imputarentur; unctionis mysterium religio Christiana contempsit; sed cæteris generali sanctorum consensu damnatis, non solum in regibus et sacerdotibus unctionis honor permansit, sed in omnem populum catholicum effusa est hujus gratiæ plenitudo.* Nam in hoc sermone agitur de unctione chrismatis, et sacerdotes, id est episcopi, in sua ordinatione, et cætera plebs catholica in confirmatione, chrismate inunguntur. Quamobrem sacrum oleum e cœlo missum, unde in regem unctus est Clodoveus, primus inter reges Francorum Christianus, et multi successorum ejus, chrisma appellatur. Ita in Capitulis Hincmari archiepiscopi Rhemensis in secunda coronatione Caroli Calvi : *In vigilia Paschæ, in Rhemensi metropoli, baptizati, et cœlitus sumpto chrismate, unde adhuc habemus, peruncti, et in regem sacrati.* Ita appellavit Guillelmus Brito, lib. I Philippidos, agens de Philippi Augusti coronatione :

> Jamque dies aderat cunctis optata, Novembris
> Quæ caput est mensis, qua nunc is sanctificata
> Jamdudum sanctis, nunc longe sanctior exstat,
> In qua sceptrifero fulsit redimitus honore
> Magnanimus sacro rex delibutus olivo;
> Quo Deus angelicis manibus, virtute parato
> Divina, nostris concessit regibus uti,
> Ut sacrentur eo soli specialiter illi,
> Qui successive Francorum sceptra capessunt.
> Dignior ut vere rex noster rege sit omni,
> Quem sacrare suis Rhemorum metropolites
> Cum compræsulibus habet illo chrismate sacro,
> Hoc ad opus solum quod cœlica fundit oliva.
> Hoc, et non alio perfundit membra liquore
> Carolidæ nostro Guillelmus præsul in urbe
> Rhemensi, Patrum servato more suorum,
> Imposuitque sacro capiti diadema verendum,
> Conveniente simul cleri populique favore,
> Tam speciale decus Christi dignatio præstat
> Nobis, Francorum qui congaudemus honori.
> Sic regem nostrum sibi Rex cœlestis amicat,
> Sic superexaltat terræ præ regibus illum,
> Quem facit ut solum sacra consecret unctio cœli,
> Unguine cum reliqui sacrentur materiali.

In consecratione Henrici II, regis Francorum, miscetur **589** liquor ille cœlestis ab angelo quondam sancto Remigio delatus, sacro chrismati. Henricus IV, rex Francorum, Carnoti unctus est alio liquore cœlesti, qui quondam sancto Martino Turonum episcopo ab angelo cœlitus allatus est, cum à Nicolao Thuano Carnotensi episcopo consecrante liquor ille cœlestis chrismati sacro admistus fuisset, ut habetur in sæpius citata illius coronatione. Fuit mos etiam olim apud Græcos ut imperatores Constantinopolitani non simplici oleo consecrarentur, sed unguento quod est chrisma sacrum, ut ex Georgio Codino mox citando patebit. Vulgo reges non chrismate, sed oleo inunguntur, ut videre est cap. *Cum venisset*, de sacra unctione. Hodie imperator oleo exorcizato, rex vero oleo catechumenorum inunguntur, ut est in Pontificali Romano.

1093. *Cujus sacratissima unctio super caput ejus defluat.* Ex his verbis patet caput esse partem illam quæ inungi debeat. Olim imperatori Constantinopolitano in ejus consecratione caput ungebatur in modum crucis, ut testatur Codinus, lib. de Officiis aulæ Constantinop. : Ὁ δὲ Πατριάρχης χρίει σταυροειδῶς τὴν κεφαλὴν τοῦ βασιλέως τῷ μύρῳ, id est : Patriarcha ungit ad formam crucis imperatorem divino unguento. Interea patriarcha hanc profert ἅγιος, id est, sanctus, quam tertio repetunt tam hi qui sunt in ambone, quam cætera multitudo. In secunda coronatione Caroli Calvi quæ Metis celebrata est, inunctus fuit ille ad dextram auriculam, et in fronte usque ad sinistram auriculam, et in capite, ut habetur in Capitulis ejusdem Caroli in hunc modum : *Ad ista verba*, coronet te Dominus, *inunxit eum Hincmarus archiepiscopus de chrismate ad dextram auriculam, et in fronte usque ad sinistram auriculam, et in capite.* In Ordine Romano unguntur pectus, scapulæ, brachiorum internodia, et manus. In consecratione regum Francorum adduntur aliæ duæ unctiones, in vertice, et inter scapulas, ut videre est in consecrationibus Henrici II et Henrici IV. Constantinus Manasses, in Chronica Synopsi, scribit Carolum Magnum unctum fuisse a Leone III a vertice ad pedes usque :

> Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,
> Κακκεφαλῆς μέχρι ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει.

Id est : Verum, usus Judæorum legibus, a capite usque ad pedes oleo unxit eum. Idem testatur Theophanes, in Chronico : Ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου, χρίσας ἐλαίῳ ἀπὸ κεφαλῆς ἕως ποδῶν, id est : Coronavit eum in regem Romanorum, ungens eum oleo, a capite usque ad pedes. Sed in Ordine Romano imperator Romanorum ungitur in brachio dextro, et inter scapulas duntaxat. Similis est principis unctio cap. *Cum venisset*, de sacra unctione : *Sed ubi Jesus Nazarenus* (inquit ibidem Innocentius III) *quem unxit Deus Spiritu sancto, sicut in Actibus apostolorum legitur, unctus est oleo pietatis præ consortibus suis, qui secundum Apostolum est caput Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, principis unctio a capite ad brachium est translata, ut princeps ex tunc non ungatur in capite, sed in brachio sive humero vel armo, in quibus principatus congrue designatur*, etc. *Ad quod etiam significandum Samuel fecit poni armum ante Saul ; cui dedit locum in capite ante eos qui fuerant invitati. In capite vero pontificis sacramentalis est delibutio consecrata, quia personam capitis in pontificali officio repræsentat. Differt autem inter pontificis et principis unctionem, quia caput pontificis chrismate consecratur, brachium vero principis oleo delinitur, ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem pontificis et principis.* Hæc ille, ubi notanda sunt quæ de humero seu armo dixit. Nam etiam pars illa victimæ apud ethnicos honorabilior visa est, et quæ maxime regem decebat. Quare olim Eteocles et Polynices, cum sacrificarent, Œdippo patri armum victimæ tanquam regi et præstantiori mittere solebant; qui nescio quo casu cum ei aliquando coxam victimæ, non armum, **590** misissent, ille, se ab eis sperni ratus, supra modum excandescens diris eos devovit, ut refert scholiastes Sophoclis in Œdippum Colonæum, ex auctore circularis Thebaidos :

> Ἰσχίον ὡς ἐνόησε, χαμαὶ βάλεν, εἶπέ τε μῦθον,
> Ὤμοι ἐγὼ, παῖδές με ὀνειδίζοντες ἔπεμψαν.
> Εὖκτο Διὶ Βασιλῆϊ, καὶ ἄλλοις Ἀθανάτοισι
> Χερσὶν ὑπὸ ἀλλήλων καταβήμεναι Ἄϊδος εἴσω.

Id est, Ut cognovit missam sibi esse coxam, in terram jecit, et dixit : Hei misero mihi! pueri me spernentes hoc mihi miserunt. Precatus est regem Jovem, et cæteros deos immortales, ut mutuis interfecti gladiis in orcum descenderent. In Pontificali Romano sic etiam ungitur imperator, sed in modum crucis; rex vero inter commissuras manus et cubiti, et inter scapulas etiam in modum crucis. Ex quibus clarum est non fuisse semper eumdem ritum.

1094. *Deus electorum fortitudo, et humilium celsitudo*, etc. Hæc Oratio exstat in coronatione Judith filiæ Caroli Calvi, quæ nupsit Edelulpho Anglorum regi. Habetur ibi instar præfationis, et tantum usque ad hæc verba: *Itaque, quæsumus, omnipotens Pater, per hujus creaturæ pinguedinem.* Cætera dissimilia sunt. Habetur etiam in coronatione Henrici IV, Francorum regis.

1095. *Eumque in similitudine columbæ*, etc. In supra memorata coronatione Judith hæc leviter, ut subjecto congruant, immutata sunt in hunc modum: *Ut per hujus creaturæ pinguedinem columbæ pace, simplicitate ac pudicitia decoram efficias.*

1096. *Te adjuvante*, etc. Lege, ut in coronatione Henrici IV, *tuamque Benedictionem, te adjuvante, toti plebi.*

1097. *Deus Dei Filius Jesus Christus*, etc. Hæc Oratio exstat in coronatione Henrici IV. Desideratur in officio ad constituendum ducem, et in Ordine Romano.

1098. *Hic detur annulus.* Hæc annuli traditio exstat in coronatione Henrici II et Henrici IV, regum Francorum, atque etiam in Ordine Romano, sed post gladii accinctionem.

1099. *Accipe annulum*, etc. Hæc formula exstat in officio ad ducem constituendum, et in coronatione Henrici IV, Francorum regis. Alia exstat in Ordine Romano.

1100. *Perseverabilitati.* Ita in officio ad constituendum ducem.

1101. *Oratio post annulum.* Exstat in officio ad constituendum ducem. Desideratur in Ordine Romano.

1102. *Hic cingatur gladius ab archiepiscopo.* Accinctio gladii exstat in Ordine Romano, in coronatione Henrici II et Henrici IV, regum Francorum, et in officio ad ducem constituendum; videturque in Vita Ludovici Pii, cum in regnum restituitur in Ecclesia sancti Dionysii: *Sed Dominica quæ in crastinum advenit, in ecclesia sancti Dionysii, episcopali ministerio voluit reconciliari, et per manus episcoporum armis accingi consensit.* Petrus Damiani, serm. supra citato, accinctionis gladii nulla mentione facta, ait: *Præfertur et gladius in oculis ejus, ut cognoscat quia vindex est iræ Dei in hoc ipsum constitutus.* Quod convenit coronationibus Henrici II et Henrici IV, in quibus etiam gladius ante illos præfertur.

1103. *Accipe gladium*, etc. In Ordine Romano exstat alia formula. In officio ad constituendum ducem Codicis nostri formulæ hæc præmittuntur: *N. Confortare et esto vir, et observa custodias Domini Dei tui*, etc.

591 1104. *Oratio post gladium.* Exstat in officio ad ducem constituendum. Abest ab Ordine Romano.

1105. *Christianissimo regi nostro.* Christianissimi appellatio regum Francorum est propria, et sane antiquissima. Ita appellatur Pipinus rex Francorum ab Anastasio Bibliothecario, in Stephano III: *Quo peracto, et eo in venerabili monasterio cum jam fato Christianissimo Pipino conjungente, Domino annuente, post aliquos dies idem Christianissimus Pipinus rex ab eodem sanctissimo papa Christi gratia cum duobus filiis suis reges uncti sunt Francorum.* In Stephano IV, cum agit de Carolo et Carlomanno: *Dirigentes scilicet ipsi Christianissimi reges duodecim episcopos ex eisdem Francorum regionibus.* Idem videre est in Capitulis Caroli Calvi, cap. 35, § 3: *Ut ex ejus ore audiamus quod a Christianissimo rege fideli et unanimi in servitio illius populo unicuique in suo ordine convenit audire.* In epistola Carlomanni apud palatium Vernis: *Præcipue illa quæ contra malum rapinæ et deprædationis a sanctis Patribus sunt promulgata, et a Christianissimis regibus auctoritate confirmata.*

1106. *Hic coronetur.* Nulla est impositio coronæ in officio ad constituendum ducem.

1107. *Coronet te Deus corona gloriæ*, etc. Hæc formula non exstat in Ordine Romano. Habetur in coronatione Ludovici II et Henrici IV, regum Francorum. Exstat etiam in consecratione Caroli Calvi, sed contractior. Coronæ impositionis meminit Petrus Damiani serm. citato: *Ponitur et corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.* Metropolitani est imponere coronam, ut videre est in Ordine et Pontificali Romano. Sic a Rhemensi metropolitano Guillelmo imponitur corona capiti Philippi Augusti regis Francorum, ut docet Guillelmus Brito, loco supra citato:

> Hoc et non alio perfudit membra liquore
> Carolidæ nostro Guillelmus præsul in urbe
> Rhemensi, patrum servato more suorum,
> Imposuitque sacro capiti diadema verendum.

A Papa Leone III Romæ imposita est corona Carolo Magno cum imperator creatus est, ut testatur Theophanes in Chronico: Ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων ἐν τῷ ναῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Πέτρου, id est: Coronavit eum in regem Romanorum, in templo sancti Petri apostoli. Et paulo post, καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα καὶ στέφος, id est: Cum posuisset ei regiam vestem et coronam. Idem testatur Constantinus Manasses in Chronico:

> Καὶ στέφος περιτίθησιν, ὡς οἱ Ῥωμαίων νόμοι.

Eumque corona cingit more Romano. At vero in coronatione imperatoris Constantinopolitani olim, si novi regis seu imperatoris pater adesset, ipse pater et Patriarcha ei stemma imponebant; quod si pater abesset, solus patriarcha, ut testatur Codinus, lib. de Officiis aulæ, εἰ οὖν ὡς προείπομεν, πάρεστιν ὁ βασιλεὺς καὶ πατὴρ αὐτοῦ, αὐτός τε καὶ ὁ Πατριάρχης λαβόντες τὸ στέμμα, ἐπιτιθέασι τῇ κεφαλῇ τοῦ νέου βασιλέως, etc. Id est: Si igitur, ut diximus, adest imperator et pater ejus, ipse et patriarcha accipientes stemma imponunt capiti novi imperatoris, et pronuntiat patriarcha hanc vocem *Dignus*. Quod si non est pater ipsius, hoc faciat solus patriarcha. Quemadmodum autem prius in unguenti applicatione vocem *Sanctus* excipiebant, sic etiam hanc vocem *Dignus* qui in sacro suggesto sunt et reliqua populi multitudo acclamant tertio. Hæc ille; quid sit autem stemma, docet idem Codinus, supra, eodem libro: Δεῖ δὲ γινώσκειν ὅτι ὅπερ καλεῖται νῦν στέμμα, ὠνομάζετο πάλαι διάδημα. Τοῦτο δὲ ἦν βλατίον μετὰ λίθων καὶ μαργάρων κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως **592** μέτωπον κείμενον μὲν, δεδεμένον δὲ ὄπισθεν περὶ τὸν ἐγκέφαλον, διὸ καὶ ἐκαλεῖτο διάδημα, ὅπερ ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν ἀμειφθὲν ἐγένετο οἷον ὁρᾶται τοῦ σήμερον, καὶ ὀνομάζεται στέμμα. Id est: Nosse autem oportet quod nunc appellatur stemma, id olim nominatum esse diadema. Id autem erat textile purpureum cum lapillis et margaritis positum ad imperatoris frontem et pone revinctum cerebrum versus; quamobrem dicitur diadema quod ex eo paulatim mutatum effectum quale videtur hodie, et nominatur stemma. Ex quibus posterioribus verbis intelligi datur stemma non omnino esse quod diadema, sed aliquid immutatum fuisse. In hoc textu βλατίον interpres reddidit textile aureum, ego vero textile purpureum. Nam blata seu blatta est purpureus color. Glossæ veteres mss. bibl. Corbeiensis, *Blata, purpura; hinc blatea camisia linea.* Sidonius, carm. V:

> Pontus Castorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.

Et carm. XI:

> Tantus honor, geniusque comis, collata rubori
> Pallida blatta latet.

Unde apud eumdem in carmine epist. ultimæ, lib. IX, dicitur *blattifer senatus.* Est genus exquisitissimæ purpuræ.

Sed, ut redeamus unde digressi sumus, in secunda coronatione Caroli Calvi, quæ Metis celebrata est in regno Lotarii, corona capiti ejus ab episcopis imposita est, ut habetur in ejus Capitulis: *Ad ista verba, coronet te Dominus, miserunt illi episcopi coronam in capite.* In coronatione Henrici IV, quæ facta est Carnoti, corona imposita est illi a Nicolao Thuano

ejusdem civitatis episcopo, qui universum celebritatis hujus ritum perfecit defectu archiepiscopi, seu metropolitani, Senonensi tunc sede vacante, etsi Reginaldus de Beaune archiepiscopus Bituricensis ad sedem Senonensem a rege nominatus hanc consecrationem ad se spectare contenderet; sed quia nondum a Papa confirmatus fuerat, episcopo cedere coactus est. Nec rex poterat hujus rei gratia se Rhemos conferre, urbe tunc a factiosis occupata.

1108. *Accipe sceptrum regiæ majestatis*, etc. Hæc formula habetur in coronatione Ludovici II et in coronatione Henrici IV, Francorum regis. Sed in Pontificali et Ordine Romano non exstat, sed sequens: *Accipe virgam virtutis*, etc., ut in Codice Ratoldi ad porrectionem virgæ.

1109. *Accipe virgam virtutis*, etc. Hæc formula exstat in coronatione Henrici IV toties memorata. In Ordine Romano pronuntiatur ad traditionem sceptri et baculi. Notandum est hic traditionem virgæ a sceptri porrectione distingui, quod etiam in coronatione Henrici II et Henrici IV videre est, et in coronatione Ludovici regis filii Philippi I, apud Aimoini continuatorem, lib. v, cap. 5: *Qui in die inventionis sancti protomartyris sacratissimæ unctionis liquore delibutum regem, Missas gratiarum agens, abjectoque secularis militiæ gladio, ecclesiastico ad vindictam malefactorum eum accingens diademate regni, gratanter coronavit, necnon et sceptrum et virgam, et per hæc Ecclesiarum et pauperum defensionem, et quæcunque regni insignia, approbante clero et populo, devotissime contradidit.* Hæc autem virga est quam vocamus manum justitiæ; et ita appellatur in coronatione Henrici II et Henrici IV, eique palma manus præfixa est, quod innuere videntur hæc verba hujus formulæ: *Erranti viam doce, lapsisque manum porrige.* At in coronatione Caroli Calvi non traditur ei virga, sed palma cum sceptro, ut in ejusdem Caroli Capitulis habetur: *Ad ista verba, Det tibi Dominus velle, dederunt illi palmam et sceptrum.* In signum videlicet victoriæ perseverantis quo perveniat ad palmam gloriæ sempiternæ, quod significatur in formula ejusmodi traditionis: *Det tibi Dominus velle et posse quæ præcipit, et in regni regimine, secundum voluntatem suam, proficiens, cum palma perseverantis victoriæ ad palmam pervenias gloriæ sempiternæ, gratia Domini nostri Jesu Christi*, **593** *qui vivit.* Nam palma manus non est victoriæ perseverantis symbolum, sed palma arbor, ut omnibus notum est. Alius superest ritus qui non exstat in hoc Codice Ratoldi, per quem rex, sive imperator, suis vestibus exutus, regia purpura a Pontifice induitur, ut notum est ex Theophane in Chronico, ubi agit de Caroli Magni coronatione in imperatorem a Leone III: καὶ περιβαλὼν βασιλικὴν ἐσθῆτα, id est: Et cum induit eum veste regia; et Petro Damiani, serm. supra citato: *Induitur denique purpura, quod est regiæ majestatis insigne.*

1110. *Extendat omnipotens Deus*, etc. Hæc benedictio exstat in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis in coronatione Henrici IV, et in coronatione Caroli Calvi, quæ facta est Metis; sed ei interjicitur hoc membrum: *Coronet te Dominus corona gloriæ*, etc., ad quod inungitur ab archiepiscopo Hincmaro, et in fine Benedictionis adjicitur hoc membrum: *Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione tuæ subdere ditioni*, etc. Exstat alia Benedictio in Ordine Romano. Primus hic articulus exstat in Benedictione coronationis Ludovici II, cujus est hoc initium, *Dominus Deus omnipotens*, paucis verbis immutatis, juxta supra citatam Benedictionem, quæ exstat in coronatione Caroli Calvi.

1111. *Ac beati petri apostolorum principis.* Hæc verba desunt in coronationibus supra citatis Caroli Calvi, et Ludovici II.

1112. *Sanctique Gregorii.* Ita in Ordine supra citato monasterii sancti Germani a Pratis. Desunt in coronationibus supra memoratis. In coronatione Henrici IV, loco istorum verborum, legitur: *Sancti Dionysii, beati Martini et Remigii.*

1113. *Angelorum apostolici.* Lege *Anglorum apostoli*, quia sanctus Gregorius papa est Anglorum appellatus apostolus, quibus misit fidei prædicatores Augustinum, et quosdam alios sui monasterii monachos.

1114. *Et tribuat tibi gratiam*, etc. In coronationibus Caroli Calvi et Ludovici II hic articulus incipit a superioribus verbis: *Indulgeat tibi Dominus omnia mala quæ gessisti.*

1115. *Inimicos tuos ad pacis charitatisque benignitatem convertat.* Ita in Benedictionibus supra memoratis. In officio ad ducem constituendum corrupte legitur: *Inimicos tuos charitatisque benignitatem convertat.* Ubi hæc Benedictio ab hoc articulo initium ducit, hocque articulo et duobus postremis contenta est.

1116. *Benedic, Domine*, etc. Hæc Benedictio exstat in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis. Habetur etiam in coronatione Henrici IV, Francorum regis, sed prolixior in coronatione Judith Anglorum reginæ filiæ Caroli Calvi. Prior articulus Benedictionis hujus primus est in Benedictione ejusdem reginæ in hunc modum: *Benedic, Domine, famulam tuam, qui regna regum a sæculo moderaris. Amen.*

1117. *Hunc præsulem principem.* In coronatione Henrici IV, loco istorum verborum, legitur *regem nostrum.*

1118. *Sta et retine amodo*, etc. Hæc regni status designatio exstat in Codice ms. supra citato monasterii sancti Germani a Pratis, et in coronatione Henrici IV, sed paulo brevior in Pontificali Romano, qui iisdam verbis mutatis, pronuntiaturque cum rex in solio collocatur. Exstatque etiam in Ordine Romano, in quo ante hæc verba, *in hoc regni solio*, hæc habentur: *In hoc loco Dominus metropolitanus sedere eum faciat super sedem suam dicendo: In hoc regni solio*, etc.

1119. *Amodo.* Adde τὸ *locum*, ut habetur in Ordine Romano.

594 1120. *Suggestione.* Lege *successione*, ut in Ordine Romano.

1121. *Rectitudo regis*, etc. Hæc verba titulo carent, quæ nihil aliud sunt quam summa eorum quæ a rege in recta regni administratione præstanda sunt. Exstant in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis; desunt in coronatione Henrici IV. Habentur in officio ad ducem constituendum, sed sub forma juramenti in hunc modum: *Hæc tria populo Christiano, et mihi subdito, in Christi nomine juro. In primis, ut Ecclesiæ Dei, et omni populo Christiano veram pacem meo arbitrio omni tempore servabo. Aliud, ut rapacitates et omnes iniquitates omnibus gradibus interdicam. Tertium, ut in omnibus judiciis æquitatem et misericordiam præcipiam, ut mihi et vobis indulgeat misericordiam clemens et misericors Deus, qui vivit et regnat*, ubi τὸ *ut* ad quodlibet juramentum pro particula *quod* usurpatur.

1122. *Et tunc osculetur omnem clerum populumque.* Datur osculum pacis ad imitationem Samuelis, qui Saulem a se unctum osculatus est lib. I Regum, cap. x. Il udque videtur in Ordine Romano: *Postque dat ei oscula pacis*, nempe metropolitanus, ut illic habetur, nulla mentione facta cleri et populi. In coronatione Henrici IV rex osculatur tantum pontificem et pares Franciæ. Ordo ms. monasterii sancti Germani a Pratis cum Ratoldi Codice convenit.

1123. *Et dicat unusquisque: Vivat rex!* Ita habetur in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis ad priscorum imitationem. Si quidem in sublimatione Salomonis, ad regnum Judæorum acclamatum est *Vivat rex Salomon!* lib. III Regum, c. I. Similem acclamationem videre est in coronatione Justini minoris, apud Corippum, lib. II, de Laudibus illius, ut primum coronatus est a patriarcha Constantinop.

Intonuit patrum subitus fragor, inde elle illum
Clamores crescunt, clamoribus assonat æquor.
Laudibus innumeris regnantum nomina tollunt.
Justino vitam ter centum vocibus optant.
Augustæ totidem So, hæc plebs alta reclamat,
Mille canunt laudes vocum discrimine mille.
Justinum Sophiamque pares duo lumina mundi
Esse ferunt : Regnate pares in sæcula, dicunt :
Felices annos dominis felicibus orant.
Insonuit vox illa diu, tandemque quievit.

Idem observare est in coronatione Philippi Augusti Francorum regis apud Rigordum in ejus Vita : *Cum omnibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque regni principibus, et universo clero, et populo clamantibus Vivat rex! vivat rex!* Similes acclamationes exstant in coronatione Henrici II et Henrici IV, regum Francorum.

1124. *Offert rex ad manum archiepiscopi Oblationem.* Panem et vinum, ad communicandum videlicet. Idem est in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis.

1125. *Et sic referant Deo gratias.* Ita in toties citato Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis, canendo videlicet hymnum *Te Deum laudamus*, ut in Ordine Romano.

1126. *Item ad reginam benedicendam.* In eodem Codice Ratoldi abbatis regis coronationem excipit reginæ Benedictio.

1127. *Adesto, Domine, supplicationibus nostris*, etc. Hæc Oratio exstat in coronatione Claudiæ reginæ **595** Franciæ primæ conjugis Francisci primi.

1128. *Tunc de et caput ejus ungi oleo.* Hæc capitis unctio in reginæ coronatione exstat in Ordine ms. monasterii sancti Germani a Pratis, in coronatione prædictæ reginæ Claudiæ, in coronatione Eleonoris secundæ uxoris dicti Francisci I, et in coronatione Catharinæ Medicææ conjugis Henrici II. At in Pontificali Romano non ungitur reginæ caput, sed brachium dexterum inter manus commissuram, et brachii internodium, ut supra de unctione regum ex eodem Pontificali observatum est.

1129. *Ut quæ per manus nostræ impositionem hodie regina instituitur.* Hæc eadem verba exstant in supra citato Ordine ms. sancti Germani a Pratis; et credibile est hanc impositionem manus fieri solitam unctione completa, cum hæc Oratio recitaretur : *Omnipotens sempiterne Deus, affluentem Spiritum super famulam tuam*, etc., quod sane valde notandum est, quia in regum ordinatione nihil simile supra scriptum est. Id tamen fuit olim observatum in coronatione Aidani regis Hiberniæ, ut testatur Adamannus in Vita sancti Columbæ abbatis, lib. II : *Sanctus verbo obsecutus Domini ad Jovam transmigravit insulam, ibidem Aidanum iisdem adventantem diebus in regem sicut jussus fuerat ordinavit; et inter ordinationis verba de filiis et nepotibus, pronepotibusque ejus, futura prophetizavit, imponensque manum super caput ejus ordinans benedixit.*

1130. *Tunc debet ei annulus mitti digito.* Immissio annuli in digitum habetur in coronatione prædictarum reginarum. Sed de ea nihil reperire est in Ordine et Pontificali Romano.

1131. *Et barbaras gentes virtute tibi præstita ad agnitionem veritatis advocare.* Hæc eadem verba exstant in coronatione præfatæ Claudiæ reginæ Franciæ : quibus significatur has esse reginæ partes conversionis infidelium curam gerere, dum earum viri pro patriæ salute militant. Plena sunt Historiæ Ecclesiasticæ monumenta piarum reginarum quæ pro fide Christiana propaganda non mediocriter laborarunt.

1132. *Tunc debet imponi corona in capite.* Sequitur coronæ impositio, quæ in Pontificali Romano a metropolitano imponitur seu reginæ seu imperatori. Olim Constantinopolitanæ imperatricis capiti a viro suo imperatore stemma de manu patriarchæ acceptum prius ab eo benedictum imponebatur, ut refert Codinus, lib. de Officiis palatii Constantinopolitani : κατερχόμενος οὖν τοῦ ἄμβωνος ὁ βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτης λαμβάνει ἀπὸ τῆς τοῦ πατριάρχου χειρὸς τὸ στέμμα εὐλογηθὲν πρότερον παρ' αὐτοῦ, καὶ ἐπιτίθησι τῇ κεφαλῇ τῆς ἑαυτοῦ γυναικός. Id est : Desce dens itaque de suggestu sacro imperator et vir ejus, accipit de manu patriarchæ stemma prius ab eo benedictum, et imponit capiti uxoris suæ.

1133. *Accipe coronam gloriæ.* In Ordine et Pontificali Romano ad coronæ impositionem aliæ sunt formulæ. In Capitulis Caroli Calvi Judith eadem Caroli filia, uxor Adelulphi Anglorum regis, sub hac verborum formula coronatur : *Gloria et honore coronet te Dominus, et ponat super caput tuum coronam de spiritali lapide pretioso, ut quidquid in fulgore auri, et in vario nitore gemmarum significatur, hoc in tuis moribus et actibus semper refulgeat. Quod ipse præstare dignetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.* In Pontificali Romano sceptrum reginæ traditur. Sed hæc sceptri traditio, neque hic, neque in Ordine Romano et sancti Germani reperitur.

1134. *Actio nuptialis.* Id est, celebritas nuptiarum, quæ fit inter Missarum solemnia, ex more veteri, quem etiam videre est apud **596** Tertullianum, lib. II, ad Uxorem, sub finem : *Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem hujus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, et obsignat Benedictio, angeli renuntiant, Pater rato habet.*

1135. *Hanc Oblationem Famularum tuarum.* Lege *famulæ tuæ* ill.

1136. *Generatio ad Ecclesiæ*, etc. Legendum puto *regeneratio*, quæ fit per baptismum videlicet ad augmentum Ecclesiæ, ut ad ornatum mundi generatio naturalis.

1137. *Oblatam.* Hoc vocabulum corruptum est, et sensum perturbat : lege *ad lætam.*

1138. *Infra Actio ad* XXX, *vel annualem nuptiarum.* Ita correxi cum in dicto Codice Rhemensi ms. legatur, *Infra* XXX, etc. Nota devotionem majorum, qui tricesimum et anniversarium matrimonii diem celebrabant oblatione sacrificii incruenti, et participatione ejusdem sacri mysterii.

1139. *Et dicis orationem Dominicam*, etc. Hæc sponsæ Benedictio fit post Orationem Dominicam, et omnia alia inter Missarum solemnia olim benedicebantur, ut clarum est ex nostris Sacramentariis. Tamen Judith filia Caroli Calvi nubens Edelulpho Anglorum regi, ante Præfationem benedicitur.

1140. *Cum benedicis.* Non est novellæ institutionis Benedictio matrimonii in Ecclesia, sed antiquæ prorsus, ut clarum est ex loco Tertulliani supra citato : *Quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, et consignat Benedictio.* Ex epist. Sotheris papæ, cap. 5 : *Ut sponsus et sponsa cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicantur.* Ex epist. Hormisdæ papæ, cap. 6 : *Ut nullus fidelis cujusque conditionis sit, occulte nuptias faciat, sed Benedictione a sacerdote accepta, publice nubat in Domino.* Ex concilio Valentino, apud Burchardum, lib. IX, cap. 5 : *Sponsus et sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus vel a paranymphis in ecclesia sacerdoti offerantur; et cum Benedictionem acceperint, eadem nocte pro reverentia ipsius benedictionis, in virginitate permaneant.* Ex Hilario diacono, in cap. IV Epist. I ad Timotheum : *Homini enim unam uxorem decrevit Deus, cum qua benedicitur; nemo enim cum secunda benedicitur.* Ex sancto Isidoro, lib. II de eccles. Offic., cap. 19 : *Nam quod in ipsa conjunctione connubii a sacerdote benedicuntur, hoc a Deo in ipsa prima conjunctione hominis factum.* Joannes patriarcha Constantinopolitanus, rogatus ab imperatore Mauricio, ejus benedixit nuptias in palatio, ut testatur Theophylactus Simocata, lib. I Hist. Mauricianæ, cap. 10 : Ὁ δὲ ἱερεὺς τὸ βασιλικὸν ἐθεράπευσε βούλημα, τῇ περὶ τὸ θεῖον ἱκετείᾳ, καὶ τῶν χειρῶν τῶν βασιλείων ἐλάμενος, συνῆπτεν ἀλλήλαις εὐκταῖς τε προσφθέγγμασι τὸν τοῦ αὐτοκράτορος κατευφήμησε γάμον. Id est : Ille imperatoris voluntatem officiose complexus est, fusis ad Deum precibus, et acceptas imperatoris et impera-

tricis manus invicem copulavit, et deprecatoriis verbis imperatoris nuptias benedixit. Idem videre est lib. VII Capitul. Caroli et Ludovici imp., tit. 363: *Et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus et oblationibus a sacerdote benedicatur.* Et in Capitulis Caroli Calvi, ubi sunt Benedictiones nuptiales. Judith filiæ Caroli Calvi et Hermintrudis reginæ.

1141. *Deus, qui mundi crescentis*, etc. Hæc oratio exstat in Benedictione nuptiali præfatæ Judith, sed prolixior.

1142. *Et super hanc famulam tuam illam.* In præfata oratione legitur: *Et huic famulo tuo, et huic famulæ tuæ.*

1143. *Sanctitatem ut tua.* Locus corruptus. Lege, ut in prædicta Oratione, *sanctitate mutua.*

597 1144. *Instituto.* Lege, *Institutor.*

1145. *Inter sæculum.* Lege *Inter se sæculum.*

1146. *Ut quia longe est*, etc. Hæc sunt corruptissima, et sic castiganda: *Ut quia longe est infirmius quod homini simile quam quod tibi Deo feceras, additur fortior sexus infirmiori, ut unum efficeres ex duobus.*

1147. *Mista.* Lege *Mistum.*

1148. *Ut in prioris.* Deest τὸ *locum.* Lege igitur *ut in prioris locum.* Γάμοι γὰρ διαδοχῆς ἀναγκαίας εὑρηνται φάρμακα· id est: Nuptiæ enim successionis necessariæ sunt inventa remedia, inquit Lucianus in Amoribus.

1149. *Data sint legis instituta ventura.* Lege: *Data sunt legis instituta venturæ*; id est, legis novæ, quæ connubii vincula ad perfectiorem statum adduxit.

1150. *Sanctorum pignorum diligata.* Locus corruptus; legendum arbitror: *Et ad sanctorum pignorum educationem diligentem se esse ligatam*, ut tota hæc periodus sic cohæreat: *Meminerit que, Domine, non tantum ad licentiam conjugalem, sed ad observantiam fidei, et ad sanctorum pignorum educationem diligentem se esse ligatam.*

1151. *Fidelis et casta nubat*, etc. Hæc verba usque ad finem exstant in Ordine Romano, et in Benedictione Hermintrudis reginæ, et in supra citatis Caroli Calvi Capitulis.

1152. *Sit amabilis ut Rachel viro suo*, etc. Hæc sunt ad similitudinem seniorum illorum, qui bene precati sunt Ruth Moabitidæ, cum nuberet Booz proavo Davidis, ut habetur Ruth cap. IV.

1153. *Nihil ex hac.* In Ordine Romano, et in Benedictione Hermintrudis reginæ legitur: *Nihil in ea ex actibus suis.*

1154. *Subdolus ille.* Hæc vocabula desiderantur in Ordine Romano, et in Benedictione Hermintrudis reginæ.

1155. *Mandatisque.* Ita in Ordine Romano particula *que* desideratur in Benedictione Hermintrudis reginæ.

1156. *Feminarum.* Hoc vocabulum videtur redundare, neque exstat in Ordine Romano, et Benedictione Hermintrudis reginæ. Aut certe legendum: *Harum feminarum modo*, vel *more*, vel *instar*, nempe Rachelis, Rebeccæ, et Saræ.

1157. *Serviens Deo vero devota.* Hæc verba desunt in prædictis Benedictionibus Ordinis Rom. et Hermintrudis.

1158. *Muniat infirmitatem suam robore disciplinæ.* Hæc verba in dictis Benedictionibus postponuntur his verbis: *Ubi thoro juncta contactus illicitos fugiat.*

1159. *Verecunda.* Lege *Verecundia*, ut in præfatis Benedictionibus.

1160. *Sit fecunda sobolem.* Lege, **598** *Sit fecunda in sobole*, ut in Ordine Romano. In Benedictione Hermintrudis reginæ hæc verba desunt.

1161. *Sit probata et innocens.* Hæc etiam desunt in Benedictione Hermintrudis reginæ.

1162. *Conjunctionis.* Lege *ut conjunctionem.*

1163. *Benedictiones.* Lege *ut Benedictiones.*

1164. *Plurimi omnes.* Lege *plurimorum*; τὸ *omnes* redundat.

1165. *Omnipotens.* Hoc vocabulum videtur redundare.

1166. *Ut sanctitatem Patrem.* Lege *ut te sanctitatum Patrem.*

1167. *Ut quod non ministrentur officio.* Locus corruptus. Legendum videtur: *Ut quod nostro non ministratur officio, tua Benedictione potius impleatur.* Et hæc de nuptiis earumque ritibus pauca quidem, nam plura alia refert sanctus Isidorus, lib. II de eccles Offic., cap. 19, ac primo de velo quo sponsæ in nuptiis velantur: *Quod vero*, inquit, *eædem feminæ, dum maritantur, velantur, scilicet ut noverint per hæc se viris suis esse subjectas, et humiles.* Et infra: *Hinc etiam et nuptiæ dictæ eo quod vultus suos velent; obnubere enim operire dicitur. Unde et nubes dictæ, eo quod æthera obtegant.* Idem patet ex sancto Ambrosio, in exhortatione ad Virgines: *Nubes itaque sunt, et graves nubes quæ nupserint. Nam a nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cum acceperint nuptiarum velamina.* Qui mos fuit priscorum Romanorum, ut clarum est ex Festo: *Quia flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocarunt.* Et infra: *Obnubit, caput operit; unde nuptiæ dictæ a capitis opertione.* Qui mos cum civilis sit, et non superstitiosus, facile traductus est ad Christianos. Secundo sanctus Isidorus scribit nubentes post Benedictionem vittæ colore candido et purpureo mistæ vinculo copulari, rationemque profert in hunc modum: *Quod autem nubentes post Benedictionem, vittæ invicem vinculo copulantur, videlicet ne compagem conjugalis unitatis disrumpant. At vero quod eadem vitta candido purpureoque colore permiscetur: candor quippe ad munditiam vitæ, purpura ad sanguinis posteritatem adhibetur, ut hoc signo continentiæ lex tenenda ab utrisque ad tempus admoneatur, et post hæc ad reddendum debitum non negetur. Quod enim dicit Apostolus conjugatis*, abstinete vos ad tempus, ut vacetis Orationi, *hoc ille candor vittæ insinuat; quod vero subjungit*, et iterum revertimini in idipsum, *hoc purpureus color ille demonstrat.* Tertio agit de annulo, qui a sponso sponsæ datur; rationemque subjungit: *Hoc fit nimirum vel propter mutuæ fidei signum, propter id magis, ut eodem pignore eorum corda jungantur.* Hic ritus videtur in nuptiis Judith Caroli Calvi filiæ, in ejusdem Caroli Capitulis: *Accipe annulum fidei et dilectionis signum, atque conjugalis conjunctionis vinculum, ut non separet homo, quos conjungit Deus.* Qui sane est antiquissimus in Ecclesia, nam illius meminit Tertullianus lib. de Idololatria: *Neque annulus, aut conjunctio maritalis de alicujus idoli honore descendit.*

SCHOLIA IN B. GREGORII LIBRUM SACRAMENTORUM,

A F. ANGELO ROCCA, CAMERTE, SACRARII APOSTOLICI PRÆFECTO CONSCRIPTA.

599 *De libri nomine et auctore.*

Antequam scholia in Gregorii Magni Sacramentorum librum aggrediamur, duo potissimum scitu digna videntur, atque illud in primis, cur scilicet hujus generis Codex, preces et Orationes complectens liber Sacramentorum, vel potius Sacramentarium, sive Sacramentarius liber nuncupatur. Olim namque, ut Pamelius testatur, sacramenta vocitabantur non solum Missæ sacrificium, verum etiam Missarum Orationes, quæ Eucharistiæ sacramentum in primis circumspiciunt, quæque Collectæ item dicuntur ob rationes suo loco assignandas. Hunc Codex, quem præ manibus habemus, liber Sacramentorum, vel potius, et rectius fortasse, salvo meliori judicio, Sacramentarius inscribi solet, ut videre est apud veteres et probatissimos catholicæ Ecclesiæ scriptores: e quorum numero sunt Albinus Flaccus Alcuinus, de ecclesiasticis Officiis, cap. de Quadragesima in Sabbato ante Palmas, et feria sexta in Parasceve; Amalarius Fortunatus, lib. I, in secunda præfatione, non semel; et cap. 1, 9, 12, 23. et lib. III, cap. 40, et lib. IV, cap. 23, 30, 42. Micrologus, cap. 13, 24, 25, 31, 42, 49, 55. Hi omnes dictis in locis non libri Sacramentorum, sed Sacramentarii voce semper usi sunt. Ex recentioribus autem scriptoribus, itemque probatissimis, J. Franciscum de Paviniis in Canonizatione sancti Bonaventuræ, ante art. I, part. I, tom. VII; J. Stephanum Durantum, lib. II de Ritibus ecclesiasticis, cap. 17, num. 8; Cæsarem Baronium S. R. E. cardinalem, in Martyrologio, die 18 Januarii, et Jacobum Pamelium, in præfatione ad Micrologum, Sacramentarii nomine usos fuisse inveni. Nam tametsi Pamelius in secundo tomo Liturgicōn, in prolegom., de beati Gregorii Sacramentorum Codice, rectius Sacramentorum librum, quam Sacramentarium inscribi affirmat; in loco tamen citato dictum librum Sacramentarium absolute nuncupavit. Quamvis itaque solus Walafridus Strabo huic scribendi modo suis in scriptis adversari videatur, et exemplaria mss., quæ a librariorum arbitrio plerumque pendent, Walafrido favere videantur, tamen ad ambiguitatem saltem vitandam, Sacramentarium, quam librum Sacramentorum rectius inscribi debere videtur. Si enim hujus generis opus, a beato Gregorio conscriptum, liber Sacramentorum inscribatur, septem Sacramenta Ecclesiæ in eo comprehendi facile quis illico suspicabitur. Si autem Sacramentarium, vel Sacramentarius nuncupetur, non sacramenta, sed sacramentalia, quæ circa Eucharistiæ sacramentum versantur, in eo contineri quisque poterit non ab re judicare. Utcunque autem sit, opus de quo loquimur liber Sacramentorum inscriptum non inconsulto relictum est, ob Codices mss. Vaticanos, qui Sacramentorum libri nomine prænotantur, et præsertim ille, cæteris insignior, quem impressimus.

600 Reliquum est ut secundo loco a nobis propositum explicemus: nam hujus generis Codicem opus Gelasii papæ nomine prius editum invenio; deinde a Gregorio Magno reformatum, et nonnullis rebus ab aliis postremo auctum, ut Walafridus Strabo, in lib. de Rebus ecclesiasticis, cap. 22, testatur in hanc verborum formam: *Gelasius papa tam a se quam ab aliis compositas preces dicitur ordinasse, et Galliarum Ecclesiæ suis Orationibus utebantur, quæ et adhuc a multis habentur. Et quia tam incertis auctoribus multa videbantur inserta, et sensus integritatem non habentia, curavit beatus Gregorius rationabilia quæque coadunare, et seclusis iis quæ vel nimia, vel inconcinna videbantur, composuit librum qui dicitur Sacramentorum, sicut ex titulo ejus manifestissime declaratur. In quo si aliqua inveniuntur ad hunc sensum claudicantia, non ab illo inserta, sed ab aliis minus diligentibus postea credenda sunt superaddita.* Hæc Walafridus, cujus verba ad verbum hoc loco recitavimus, ne ipsa amplius tanquam scholiis hisce pro quibusdam locis dilucidandis frequenter deservientia repetamus. De hac item re luculentis imum exstat testimonium Joannis Diaconi, in Vita ipsius Gregorii Magni, lib. II, cap. 17, in quo ait hunc in modum: *Sed et Gelasianum Codicem de Missarum solemniis multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla adjiciens, pro exponendis evangelicis lectionibus, in unius libri volumine coarctavit.* Hæc de libri Sacramentorum nomine et auctore, pro solutione dubitationum quæ alicui sese offerre possent.

SCHOLIA.

* *Col.* 1. *Item dicitur* Gloria in excelsis Deo, Si *episcopus fuerit*, etc. Alii Codices habent *adfuerit*. Sed prior lectio videtur magis congruere verbis subsequentibus, quæ sunt: *A Presbyteris autem minime dicitur nisi solo in Pascha.* Nunc autem alius viget usus.

Ibidem legitur: *Deinde sequitur Apostolus.* Alii Codices mss. habent: *Deinde legitur Epistola.* Hæc autem lectio est prioris declarativa, ipsam emendans.

Col. 2. In prima canonis parte, quæ incipit hisce verbis: *Te igitur*, aliquot consignationes crucis, quæ nunc fiunt in ipso canone, inter illa verba: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, et inter alia illa: *Benedictam, ascriptam, ratam*, etc., atque aliis in locis, non exstant, negligentia fortasse librariorum prætermissæ. Hæ namque crucis consignationes omnes antiquæ sunt, et mysteriorum plenæ, quæ dictis in locis et alibi desiderantur, quia non solum ante consecrationem ad sanctificandum oblata; sed etiam post consecrationem ad Christi Salvatoris passionem ac mortem repræsentandam toties in Canone repetuntur, ut aperte docent sanctus Augustinus, lib. de Spiritu sancto; Micrologus, de eccl. Observ., cap. 15; **601** Amalar. Fortun., lib. III de eccl. Offic., c. 24; Ivo Carnoten. serm., de Convenientia veter. et nov. sacrificii; sanctus Thom., III part., q. 83, art. 5; sanctus Bonaventura, in Exposit. Missæ; Gabriel Biel, in Can Missæ. Guillelmus Durandus, lib. IV de divin. Offic., in Exposit. Can.; Stephanus Durantus, de Ritibus eccles., et alii permulti. Hæ tamen consignationes suis in locis repositæ non sunt, ut textus, prout jacet, fideliter ostendatur, apertissimis mendis, et innumeris quidem, tum ad punctuationem, et ad orthographiam, tum etiam ad voces ipsas pertinentibus, exceptis quæ sine ulla hæsitatione corrigi debebant.

Col. 3. Legitur in Codicibus mss. Vaticanis *Tathæi*, pro *Thaddæi*. Hanc enim vocem Tathæus per aphæresin figuram originem a fonte Hebraico trahere suspicari possumus, hoc est ab eo nomine quod est Mattathias, id est Donatus a Domino, vel Donum Domini; hæc namque vox, quæ componitur ex *Matthat*, quod est donum, vel donans, et *Ia*, Deus, vel Dominus, quasi Donum Dei vel Domini interpretatur. Eamdem significationem habet Matthias per figuram syncopen, syllaba media detracta, necnon Matthæus, id est Donatus. Græci enim *ea* in *ai* diphthongum convertunt, dum aliquid ab aliis linguis transferunt in suam; eam autem Græcorum diphthongum Latini per *ae* pronuntiare solent. Quare hi non-

* Revocatur lector ad numeros in textu crassiori charactere expressos. EDIT.

nihil a Græcis in formandis vocibus mutuantes *a* et *ι*, formant diphthongum *ae* dicentes, Matthæus. Hinc Tathæus per aphæresim, quasi Mattathæus, vel Mattathias, *Mat* syllaba detracta, formatur. Cum vox igitur *Thathæus* tam belle ad Hebraicam vocem accedat, hanc dictionem, non illam, retinendam esse duxi. Adde etiam quod Pamelius in Sacramentorum item libro, quem sub Gregorii Magni nomine impressit, hanc vocem, *Tathæi*, hoc loco invenit, et reliquit; sed in margine, *Taddæi*, apposuit cum asterisco. Thaddæus autem, Laudans, sive Confitens, Latine dicitur.

Col. 3. *Qui pridie quam pateretur.* Hoc in loco desiderantur duæ particulæ, quæ in Missali nunc exstant; sed ea non inconsulto relictæ videntur. Legitur enim *Elevatis*, sine conjunctione *et;* ita etiam *Dedit*, absque particula enclytica ista, *que*.

Col. 4. *Super diptycha.* Mendose legebatur Dyptitia. *Diptychum* enim sive δίπτυχον, *diptychon* Græce, duplicatum Latine dicitur, a δίς, *bis*, et πτύξ, vel πτυχή, plica. *Diptychum* autem pro duabus tabulis, quarum una vivorum, altera vero mortuorum nomina continebat, quæ in Missa publice recitabantur, hoc sumitur loco. Vivorum enim nomina in illa Canonis parte quæ incipit *Memento, Domine*, post illa verba: *famulorum, famularumque tuarum*, etc., defunctorum autem post illa verba, *Qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis*, recitabantur. De more hoc in Ecclesia sancta perantiquo, hoc est de commemoratione tam vivorum quam defunctorum in Missæ sacrificio, quorum nomina in tabulis conscripta erant, mentionem faciunt Gelasius papa scribens ad Anastasium Augustum, ut videre licet in II tomo Concil., longe post medium epistolæ; Innocentius primus, epist. ad Decentium Eugubinum episcopum; idque legitur de consecratione, dist. 1, cap. 73; sanctus Cyprianus, epist. 10, tom. 1, ubi offerri nomen, et epist. 66, nominari in sacerdotum prece pro tabularum recitatione dixit; sanctus P. Augustinus, ad clerum Hipponen., epist. 137, et habetur 2, q. 1, c. 12, *Nomen*, et 11, q. 3, c. 50, *Quid obest?* Gregorius item in Registro, lib. III, epist. 37, et alii permulti. Non desunt etiam qui de diptychis expresse scribant. Dionysius enim Areopagita, lib. de eccl. Hierarchia, cap. 3, expressam facit mentionem de sacrarum tabularum mystica recitatione. Nam quamvis in Latino textu legatur *Mystica sanctorum recitatio*, nulla penitus de sacris tabulis mentione facta, Græca tamen littera habet ἱερῶν πτυχῶν, hoc est, *sacrarum tabularum*, id quod ab interprete fuit prætermissum, vel ob carentiam hujus vocis, πτυχῶν, in ejus exemplari, aut quia de sanctorum tantum recitatione in Missæ sacrificio fieri solita Dionysium loqui putavit, ut Pamelius opinatur. Innocentius item ad Arcadium imp., **602** necnon Eudoxia imperatrix ad eumdem Innocentium mentionem de diptychis expressam faciunt. Has autem litteras videre est apud Gregorium Alexandriæ archiepisc., in Vita Chrysostomi, ut refert Steph. Durantus. Vigilius quoque papa *diptychorum* meminit in damnatione Theodori episcopi Cæsareæ Cappadociæ, ut legitur II tom. Concil., inter decreta ejusdem papæ. Fit etiam mentio de iisdem diptychis apud Theodorum, in Historia eccl., quam vocant Tripartitam, lib. X, c. 25, in quo de Chrysostomo legitur: *Is ergo pontifex Joannis Magni vocabulum ecclesiasticis* διπτύχοις *primus inseruit.* Alcuinus insuper, de Celeb. Missæ, longe post medium, *diptychorum* meminit hisce verbis: *Post ergo illa verba, quibus dicitur* in somno pacis, *usus fuit antiquorum, sicut etiam usque hodie Romana agit Ecclesia, ut statim recitarentur ex diptychis, id est, tabulis, nomina defunctorum.* Idem fere legitur apud Florum Magist., in Exposit. Missæ. Fit etiam mentio de sacris diptychis in liturgia sancti Marci, necnon in Synodica Procli archiepiscopi Constantinopolitani ad Domnum episcopum Antiochenum epist., ante med., quæ exstat in II tom. Concil., act. 14 concilii Chalcedonensis. In quinta item synodo generali, Constantinopol. II, tom. II Concil., consess. vel coll. 1, in litteris Justiniani imp. ad synodum scriptis, de Theodoro, qui Mopsuestiæ episcopus fuit, legitur hunc in modum: *Deletum est nomen ejus a sacris diptychis Ecclesiæ cujus fuit episcopus.* Et infra: *Hortamur autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis qui dicunt non oportere post mortem hæreticos anathematizari; et sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum viventes hæreticos condemnaverunt, sed et post mortem, utpote in sua impietate mortuos, anathematizaverunt, sicut eos qui injuste condemnati sunt revocaverunt post mortem, et in sacris diptychis scripserunt. Quod factum est in Joanne (scilicet Chrysostomo) et in Flaviano religiosæ memoriæ episcopis Constantinopolitanis.* Hæc fere omnia in decreto Gratiani 24, q. 2, c. 6, quod incipit *Sane profertur a quibusdam, qui dicunt oportere*, etc. Quæ quidem sententia a Justiniani litteris desumpta, eumdem sensum habet cum eo qui in iisdem litteris exstat; sed insulsa videtur et mutila, verbis quibusdam a compilatore demptis, quibusdam vero mutatis. Nam dictio illa *sane*, loco illius adverbii *vane* posita, negatione ablata, non significat *bene et sapienter*, ut Glossa hunc locum interpretatur, sed solum affirmantis est vox; nisi dicatur *Sane bene profertur*, etc., vel *Vane satis profertur a quibusdam, qui dicunt non oportere*, etc., negatione in suum locum reposita. Sed de his hactenus, ut ad *diptycha*, unde, occasione suadente, digressi sumus, revertamur. Hic sane de *diptychis* locus in decreto Gratiani depravatus olim exstabat, sed Romæ superioribus annis ex dicto concilio fuit emendatus; nam prius, pro *diptychis*, *dicticis* legebatur. Hinc glossa dictionem illam, *dicticis*, corruptam explicans, ait *dicticas* esse tabulas a *dico*, *dicis*, nuncupatas, atque hunc in modum textui mendoso mendose glossa respondebat. Hujusce namque versus auctor, voce falsa pro vera utens, mediamque syllabam producens, dixit:

> Clerice, dicticam lateri ne dempseris unquam

Versum hunc depravatum, quem glossa Martiali ascribit in Martiali reperire non potui, atque hunc in modum restituendum censeo:

> Clerice, diptychium lateri ne dempseris unquam.

Versus enim a glossa citatus textui nunc emendato non respondet; sed hoc modo restitutus rectam etymologiam, genuinum sensum et syllabarum quantitatem conservat; nam vox *diptycha*, vel *diptychium*, cum *pty*, syllaba correpta, ut initio hujusce scholii explicatum est, aliam habet etymologiam, a complicatione duarum scilicet tabularum dictam. *Diptycha* enim, ut omnes interpretantur, erant tabulæ ex quavis materia confectæ, sive chartæ, vel columnæ, in quibus imagines Patrum in suo catalogo ponebantur. Et quia *diptychum* Græce, duplicatum Latine interpretatur, ut dictum est, duplices illæ tabulæ ecclesiasticæ, **603** quarum una vivorum, altera defunctorum erat, hanc fortasse vocem sortitæ sibi sunt, translato vocabulo a duplicibus ostreorum testis quas beatus Ambrosius, lib. V Hexaemeron, c. 8, tomo I, *diptychum*, satis belle appellat, quia duplices illæ tabulæ instar forsitan testarum ostreorum erant ita complicatæ, ut una super alteram contracta clauderentur. Hac itaque, ut reor, translatione litteræ a quovis principe emissæ, et signis obsignatæ, a duplicatis tabellis, Brissonio teste, diplomata dicta creduntur, quales sunt etiam litteræ patentes, sive bullæ pontificiæ, easque litteras complicatas, sive duplicatas, et ligno trajecto obsignatas fuisse dicunt; quod enim Græci διπλοῦν dicunt, Latini *duplum* vocant. Hinc duplicatæ tabellæ, diplomata et *diptycha* nuncupantur. Hac item ratione *pugillares*, sive pugillaria, id est tabellæ cereæ, ligneæ, vel alterius materiæ, in quibus stylo scribitur, variis nominibus apud veteres vocitabantur. Aliæ enim quintuplices, vel

pentaptycha, πεντάπτυχα; aliæ triplices, vel triptycha, τρίπτυχα; aliæ duplices, vel diptycha; δίπτυχα, dicebantur. Quare sicut a Suetonio in Augusto diplomata, vel *diptycha*, duplices tabellæ dictæ sunt; ita *diptychum* ab Ausonio bipatens pugillar nuncupatum fuit. In Codice autem Th., ut doctissimus refert Brissonius, in lib. IV de verborum significatione, duplices tabellæ *diptycha* imperatorum nominantur; quæ etiam *diptychia* non insulse dici posse autumo, auctoritate sancti Patris Augustini persuasus; ipse enim in lib. XV contra Faustum Manichæum, c. 1, sub persona Fausti, etc., in responsione contra eumdem, duas tabulas illas Moysis lapideas (quarum una complectitur tria præcepta ad Deum pertinentia, septem vero ad proximum) *diptichium lapideum* non semel appellavit. Duplices igitur tabulæ illæ ecclesiasticæ, quarum una vivorum, altera vero defunctorum nomina in Missæ sacrificio recitanda continebat, *diptycha* jure suo dicebantur, non *diptycia*, ut mendose ob incuriam librariorum in exemplari legitur Vaticano. Nec silentio prætereundum videtur quod frequenter sese offert in hoc Sacramentorum libro de locis in quibus vivorum ac defunctorum, sive etiam sanctorum nomina sunt recitanda. Ubi enim aliquorum memoria nominatim fieri solet, in vetustiori Vaticano Codice non invenitur littera N., nominis exprimendi signum, sed hæ litteræ ILL., quæ ad Codicis antiquitatem repræsentandam relictæ sunt.

Col. 4. Parte illa, quæ incipit *Nobis quoque peccatoribus*, legitur Agathe et Agne in sexto casu, Græcæ declinationis forma retenta, pro Agatha, et Agnete, ut Agathe, es, et Agne, es; id quod apud multos Latinos erat in usu, et præsertim apud sanctum Ambrosium, et quidem frequenter. Hinc Prudentius, in Peristeph., utitur declinatione Græca hunc in modum:

> Agnes sepulcrum est Romulea in domo
> Fortis puellæ, martyris inclytæ.

Hoc enim in loco ponitur Agnes pro Agnetis; nonnulli tamen Codices habent Agnis sepulcrum; sed Agni, Agnis, est declinatio omnino Græca, littera η, per ι, non per e prolata, ut γραμματική, ῆς; ῥητορική, ῆς, quas voces Latini, in suam vertentes linguam, dicunt grammatice, es: rhetorice, es, etc. Agathe igitur pro Agatha, et Agne pro Agnete ponuntur. Id quoque videre est, et copiosius in festis earumdem sanctarum.

Col. 5. In eodem Sacramentario sunt qui legunt Agna, Agnæ, ut habetur in Pamelii adnotationibus.

Col. 8. In Præfatione Codex unus ms. habet: *Per hunc invisibilium amore rapiamur*. Sed tres Mss. concordant cum Missali Romano, in quo legitur *Per hunc in invisibilium amorem rapiamur*. Quam sane lectionem, veluti magis congruam quam priorem, in hoc Sacramentorum libro reponendam esse censui.

Col. 8. In Oratione *Largire, quæsumus*, legebatur *fidei, spei et securitatis augmentum*, idque tantum in uno Codice ms. At cæteri habent *fidei, spei et charitatis augmentum*; sed quia prior lectio de mendo suspecta est, secundam retinendam esse judicavi.

604 *Col.* 9. In secreta legebatur: *Suscipe, Domine*, etc. *Ut quod illos passio gloriosos, nos devotio reddat innocuos*. In prima clausula desideratur verbum *fecit*, quod, ne locutio mutila relinqueretur, reposui; cum præsertim in Missali legatur *efficit*, et in Pamelii adnotationibus *fecit*, quod etiam in alio Ms. invenitur.

Col. 21, 23, 24, 25, videre est Missam sanctarum virginum et martyrum Agnes et Agathes, quarum nomina more Græco declinata aperte cernuntur, ut superius copiose ostensum est initio hujus col.

Col. 24. Post Orationes ad Complendum, quæ nunc in Missali dicitur Postcommunio, ponitur Oratio quæ in Codice Vaticano a nobis impresso *ad Collectam* inscripta reperitur. Est autem instar Orationis quæ super populum dici solet; et nuncupatur collecta, eo quod, ut ait sanctus Bonaventura in Exposit. Missæ, cap. 2, tom. VII, omnes astantes Missæ se debeant devote colligere, et cum sacerdote fidei ter orare; vel, ut aliqui dicunt, quia Missarum Orationes, collecto populo, celebrari solent. Quæ sane sententia mihi non arridet, propterea quod omnia quæ in Missa dicuntur Collectæ hac ratione dici possent. Quare cum Walafrido Strabone, c. 22: *Collectas nuncupari dicemus, quia necessarias Orationum petitiones compendiosa brevitate colligimus, sive concludimus*. Vel quia *sacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones iis Orationibus colligit, atque concludit*, ut cap. 3 de eccles. Observationibus sentit Micrologus, qui ibidem quænam magis propriæ nuncupentur Collectæ docet hisce verbis: *Illæ tamen specialius Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos super Collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una ecclesia in aliam ad stationem faciendam, ut in capite jejunii illa Oratio*, Concede nobis, Domine, *apud sanctam Anastasiam supra Collecta populi dicitur, qui stationem apud sanctam Sabinam celebraturus est*. Hæc Micrologus. Dicta Oratio reperitur hodie in Missali post Cinerum Benedictionem ac dationem ante Missam. Antiquitus enim in feria 4 Cinerum colligebatur populus apud sanctam Anastasiam, ubi dicta Oratio recitabatur, deinde ad sanctam Sabinam pro statione celebranda procedebatur; sicut in die Assumptionis beatæ Mariæ semper virginis legebatur hæc Oratio, *Veneranda nobis, Domine*, in statione qua cum imagine Christi, ut legitur in Ordine Romano, pag. 24, procedebatur a sancta Maria minore (quæ est in foro Boario ad Arcum Vespasiani, nunc ecclesia sanctæ Mariæ novæ nuncupata) ad sanctum Adrianum, ubi fiebat statio; Missa vero ad sanctam Mariam Majorem; et in die Nativitatis ejusdem recitabatur Oratio *Supplicationem servorum*, etc., quando litania a sancto Adriano ad sanctam Mariam exibat juxta beati Gregorii papæ Magni consuetudinem, ut Radulphus Tungrensis ait de Canonum observantia, propos. 13, et fusius propos. 23, ubi de his tribus Collectis ac stationibus loquitur

Col. 29. In die Febr. 22, in qua celebrari solet Cathedra sancti Petri in Antiochia, legitur titulus Missæ hunc in modum: *Cathedra sancti Petri in Roma* *. Locum vitio librariorum mendosum esse reor, cum Romano pro Antiochia ponatur. De Cathedra Antiochena, quæ die 22 Febr. celebratur, mentionem facit Ordo Romanus, pag. 24, Antiphonarius beati Gregorii, Micrologus, cap. 46, et Ivo Carnotensis episcopus. Cathedra Romana quæ sub die 18 Januarii nunc celebratur, nec in Antiphonariis nec in Lectionariis, nec in Sacramentariis tam mss. quam impressis invenitur, nec de ea apud veteres scriptores de Ritibus ecclesiasticis fit ulla mentio, propterea quod divinum de Cathedra Romana officium institutum fuit a Paulo IV, per bullam sub die 18 Januarii 1557, Romæ, VIII Idus Jan., anno sui pontificatus 3. Hinc in Breviariis antiquis ante Pauli IV pontificatum impressis Cathedra Romana, quæ sub die 13 Januarii celebratur, non reperitur, quod sciam; exstat tamen in Martyrologiis, quæ de hac Cathedra luculentissimum reddunt testimonium. Non desunt hac etiam de re alia testimonia, et quidem permulta, quæ Cæsar Baronius S. R. E. card., vir sane eruditissimus, et in historiis ecclesiasticis mirifice versatus, in sua notatione 605 ad Martyrologium Romanum sub die 18 Januarii copiose atque insigniter recenset. In Gallia tamen et Hispaniæ partibus, ante Pauli IV decretum, hæc Romanæ Cathedræ festivitas colebatur, ut in ipsamet bulla 40 enarratur.

De Missa Cathedræ, quæ in Codicibus mss. Vaticanis sub die 22 Februarii exstat, card. Baronius

* Vide Hugonem Menardum, in notis, 179 et 180.

mentionem facit, eamque sub die 18 Januarii in eadem notatione in Martyrologium Romanum citat tanquam Cathedræ Romanæ Missam, propterea quod Collecta quæ habetur in alia Mis a ejusdem diei ad Cathedram item Romanam pertinere videtur. Cathedra tamen Antiochena in insigniori ms. Sacramentario sub die 22 Februarii exstat nomine Cathedræ Romanæ; cujus Missæ Præfationem idem card. Baronius fere ad verbum recitat, hac dictione (*mundasti* pro *fundasti*) excepta. Legitur enim in exemplaribus mss. Vaticanis in hanc verborum formam; *Quam (scilicet Ecclesiam) in patriarchis fundasti, in prophetis præparasti, in apostolis condidisti*, etc.

Col. 1339. * In Oratione, quæ incipit *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., multa desunt quæ in alio exemplari reperiuntur, ut videre est apud Card. Baronium, tom. I Annal. eccl., pag. 328, D. Ut autem id planum fiat, Orationem ipsam hoc loco apponere visum fuit. In exemplari Vaticano ita jacet :

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento apostolo tuo Petro principatum in Romani nominis arce posuisti, præsta ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione inchoavit, Christianæ devotionis sequatur universitas. Per, etc.

Hæc ex Codice ms. Vaticano.

Baronius ita legit :

Omnipotens sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento apostolo tuo Petro principatum Romæ urbis tribuisti, unde se evangelica veritas per tota mundi regna diffunderet, præsta, quæsumus, ut quod in orbem terrarum ejus prædicatione emanavit, universitas Christiana devotione sequatur.

Hæc ex Baronio, qui in primo Annal. tomo, et in Martyrologio preces hasce in antiquis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Ritualibus libris, sive Breviariis, se invenisse testatur.

Col. 29. In prima Oratione Missæ in Cathedra sancti Petri : *Animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti.* Hæc in illustriori vaticano Codice ms. exstant, sed in aliis Mss. ejusdem bibliothecæ, atque in Codice Liturgicon impresso a Pamelio, hæc dictio, *Animas*, desideratur; quamvis sine ipsa particula quæ in Missali Romano reperitur lectio eumdem etiam sensum habere queat.

Ibidem hac in Missa sese considerandum offert cur in fine post Orationem ad Complendum, quæ nunc Postcommunio in Missali Romano dicitur, addatur Collecta super populum, quæ nunc non nisi in feriis tantum Quadragesimæ usque ad quartam feriam majoris hebdomadæ inclusive dici solet, ut in Missali videre est. De hoc ritu Micrologus de ecclesiasticis Observationibus, c. 51, rationem reddit, dicens : *Oratio post communionem pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidie in Quadragesima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita Oratione ut communione careret, adjecta est Oratio super populum, in qua non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic Orationi a populo antiquitus persolvebatur; vel potius ideo, quia omnes, juxta attestationem sancti Ambrosii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus et Oratio post communionem pro Benedictione sufficere posset.* Hæc Micrologus, qui tacitæ item objectioni infra respondet : cur scilicet in Dominicis ac festis diebus in quibus genuflexio admitti non solet Oratio super populum fuerit adjecta (ut videre est in hoc Sacramentorum libro), deinde consuetudo hæc postremo inoleverit, sicut Missale Romanum id aperte demonstrat. Micrologus itaque **608** hunc ait in modum : *Beatissimi quoque Patres nostri, Ambrosius, lib.* v *De Sacram., cap.* 4, *et de Consecr. d.* 2, *cap.* 56, *et Augustinus, serm.* 28, *de Verbis Domini, tom.* X, *ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus presbyteris in Quadragesima, nedum a laicis observatur, congrue adjecta est Oratio super populum, ut vel eo tempore ultima Benedictione populus non careret, dum tamen communicare non soleret. Hinc quoque et illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut et in aliis temporibus, etiam presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita Benedictione ut communione privatum discedere permittant.* Hæc de Oratione quæ ad Complendum inscribitur, quia Missa est completa. Eadem vero appellatur Postcommunio, quia post communionem pro solis communicantibus dici solet, sicut soli communicantes divinis mysteriis antiquitus interesse solebant; catechumeni vero et pœnitentes, ut qui nondum ad communicandum se paraverunt, ante Oblationem exire jubebantur, eodem Micrologo teste in loco citato.

Col. 30. Hoc loco exstat Missa beati Gregorii papæ. Unde aperte dignoscitur multa, ut in præfatione dictum est, post tempora Gregorii Magni huic Sacramentorum libro adjecta fuisse. De hac Missa idem fere dixit Grimoldus in præfatione in suum Sacramentorum librum.

Col. 39. In Præfatione Codex Vaticanus habet : *Fides additur*. Sed in Codice a Pamelio legitur : *Fides alitur*. At quoniam hanc lectionem congruentiorem esse ratio docet, hanc retinendam censui. Legitur enim ibi : *In quo* (scilicet *Christo*) *jejunantium fides alitur, spes provehitur, charitas roboratur ; Jesum Christum Dominum nostrum.* Quæ in Codicibus Vaticanis non exstant, reddunt tamen lectionem clariorem, et verbis quæ sequuntur congruentiorem. Prior autem lectio non improbatur, præsertim cum videatur consona iis quæ habentur in Evangelio : *Domine, adauge nobis fidem.*

Col. 41. Sabbato in XII *lect. mensis primi, hoc est, Martii.* Unumquodque Sabbatum Quatuor temporum in hoc Sacramentorum libro inscribitur, *Sabbatum duodecim lectionum*, sive *in duodecim lectionibus*, quia in singulo quoque Sabbato Quatuor temporum duodecim lectiones Scripturæ sacræ legi solebant, sicut in Sabbato sancto majoris hebdomadæ nunc fieri solet, si numerus lectionum observetur; nam tunc temporis sex tantum lectiones legebantur; sed illæ sex dicebantur duodecim, quia illæ sex Latine et Græce in Romana Ecclesia a duodecim lectoribus legebantur, propter rationes quas assignat Alcuinus cap. in Sabbato. De duodecim lect. Amalarius, lib. II, cap. 1; Berno, de Missa, cap. 7; et Micrologus, cap. 28. Nunc autem duodecim lectiones Latine leguntur in Sabbato sancto Paschatis; in cæteris vero Sabbatis Quatuor temporum sex tantum item Latinæ legi solent.

Col 51. Codex unus Vaticanus habet : *Nostroque omnium Domino*; alius autem : *Nostrorumque Domino*; sed quia utraque lectio bonum reddit sensum, priorem reliquimus.

Col. 57. Super Secretam. Hac in Oratione sunt duæ lectiones, quarum una est : *Quæ temporali nos consolatione lætificent, ut promissa certius non desperemus æterna.* Altera est : *Quæ temporalem consolationem significent.* Codices varii sunt; hinc priorem lectionem tanquam clariorem, magisque congruam retinendam censui.

Col. 58. In ultima Collecta ad Complendum duæ sunt lectiones, quarum una est : *Nullis inficiantur adversis.* Altera est : *Nullis afficiantur adversis.* Utraque bonum reddit sensum, sed priorem, quæ in illustriori ms. Vaticano exstat, retinendam existimavi.

Col. 62. Hac die, quæ est feria 4 majoris hebdomadæ, ponuntur Orationes pro quocunque statu, eademque leguntur in feria 5, in cæteris autem Codicibus nonnisi in feria 6. De hac re nihil certi habetur. Sed conjicere possumus bis in majori hebdomada pro omnium statu orandi ritum fuisse in Ecclesia

* Edit. Guss. Hæc autem desiderantur in nostra.

sancta antiquiorem, cum in sexta tantum feria hujus generis Orationes recitentur.

607 *Col.* 65. Præfatio quamvis variis lectionibus non careat juxta varios Codices mss., eas tamen tanquam parvi momenti hoc loco apponere non libuit. Unam autem vocum varietatem ponendam censui, quæ est de Juda proditore, et novissima Christi cœna, hunc in modum juxta Codices Vaticanos: *Patitur mitis Dominus immitem Judam, et sustinet pius crudelem convivam.* Codex autem a Pamelio impressus habet: *Pascit igitur mitis Dominus immitem Judam*, etc. Utraque lectio bona est, licet hæc lectio probabilior videatur, cum de cœna, vel de convivio hac in Præfatione sermo sit, ut inibi videre est; priorem tamen lectionem, tanquam magis communem ac receptam, retinuimus, ne temere fiat mutatio, necessitate id non postulante.

Ibid. A verbo *relaxavit* exclusive, usque ad finem Præfationis, multa ex iis non reperiuntur in aliis Codicibus, majori ac celebriori Vaticano excepto.

Col. 67. In oratione pro benedictione olei, ultima dictio videtur mutila: *unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas et martyres, chrisma perfectum tuum, Domine, a te benedictum*, etc. Hæc in Vaticano Codice. Codex autem a Pamelio impressus ita legit: *Unde unxisti sacerdotes, reges, prophetas, martyres, chrisma perfectum tuum, Domine, et a te benedictum, permanens in visceribus nostris, in nomine Domini nostri Jesu Christi.* Quæ etiam lectio videtur trunca et mutila, cum desit aliquod verbum ad finem.

Col. 69. Feria 6 majoris hebdomadæ, in prima et secunda rubrica sunt nonnullæ voces adeo obscuræ ob scriptionem ipsam, sensumque earum, ut si quæ ex iis compendiariæ (quas breviaturas Italice vocitamus) dissolvantur, sive explicentur, nihil certi, quod congruentem reddat lectionem, elicitur. Notæ autem abbreviatæ sunt hæ: *Sacrâmrio, et Pbrôrum*, quæ si pro *Sacramentario, et Presbyterorum* sumantur, quid hoc in loco sibi velint, non satis constat; præsertim vero pro *Sacramentario*; nisi hic aliud compendiosum citetur Sacramentarium, unde hoc descriptum sit, et *presbyterorum ecclesiæ* pro ecclesiis non cathedralibus accipiantur, ut videre est in Ordine Romano ad officium Parasceves. Quod si hoc modo accipiendum erit, interpunctura aliter facienda videtur, ut suo loco videre est.

Col. 69. *Posito ante eam*, id est crucem, *oratorio*, etc. Oratorium hoc in loco pro quanam re sumatur, nihil adhuc invenire licuit; quod si pro oratorio intelligatur, nec sic quidem ad rem facere videtur. Oratorium namque est locus in quo oratur; id autem ante crucem locari non solet in die Parasceves, dum crux adoratur. Alcuinus, tractans ritum adorationis in die Parasceves, recitat eadem verba quæ leguntur in Sacramentario; sed, pro oratorio, *orario* legit. Idem legitur in Ordine Romano, dum ritus adorandæ crucis in die Parasceves enarratur. Orarium autem, ab orando dictum, pro stola quam oratores, id est, prædicatores ad collum gestant, sumi solet, ut ait Alcuinus, Rabanus et Beda. Quæ sane res huic loco non congruit, nisi oratorium etiam ab orando dictum sumatur pro aulæo, aut tapete ante crucem strato, super quo, genibus flexis, oratur, et crux denique adoratur.

Col. 111. Oratio quæ dicitur Secreta in festo beati Leonis mutata est, quia ubi olim in Sacramentario antiquo legebatur: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit Oblatio*, etc., hodie legitur in Missali: *Ut intercessione beati Leonis hæc nobis prosit Oblatio*; quæ sane Secreta hodie in Missa sancti Gregorii papæ legitur. Hæc autem mutatio facta videtur, ad clariorem expressionem et intelligentiam rei, cum sancti nostris Orationibus non indigeant, sed nos potius, eorum intercessionibus opus habeamus; imo qui pro sanctis oraret, eis injuriam faceret, ut Augustinus et alii doctores affirmant. Augustinus, serm. 17, de Verbis Apostoli, t. X.

De hac mutatione fit mentio in Decretalibus, lib. III, tit. 41, de Celebratione Missarum, cap. 6, *Cum Marthæ*, § Tertio loco, ubi Innocentius III, respondens archiepiscopo Lugdunensi, de hujusmodi mutatione olim facta, ait: 608 *Unde quod in plerisque Orationibus continetur, prosit vel proficiat huic sancto, vel illi, talis Oblatio ad gloriam et honorem, ita debet intelligi, ut ad hoc prosit, quod magis a fidelibus glorificetur in terris. Licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam usque ad judicium augmentari, et ideo Ecclesiam interim sane posse augmentum eorum glorificationis optare.* Hæc Innocentius. Quare satis constat hanc Orationem, de qua nunc agitur, non esse immutandam, tum quia sensu bono non caret, tum maxime quod ex hac re hujus exemplaris antiquitas comprobatur, cum ante Innocentii tempora, qui circa ann. 1208 vixit, hæc lectio quam in hoc Sacramentario reperimus legeretur. Hujus autem nodi solutio quamvis mihi perspecta esset, ubi primum difficultas mihi sese obtulit, ut meis olim collegis in typographia Vaticana degentibus reipsa ostendi, locum tamen Canonis quo solutio mirum in modum illustratur Franciscus Toletus S. R. E. cardinalis, vir undequaque doctus, mihi in memoriam revocavit.

Col. 122. De Vigilia Assumptionis beatæ Mariæ, in prima Oratione, quæ ad Deum Christum de beata Maria virgine directa est, legitur hunc in modum: *Da, quæsumus, ut sua nos defensione* (beata scilicet Virgo) *jucundos faciat suæ interesse festivitati. Faciat* igitur, non *facias*, salvo tamen meliori judicio, legendum videtur.

Col. 138. Natale omnium Sanctorum in Oratione prima legitur *multiplicatis intercessionibus.* Hoc licet licet in Missali Romano legatur, *intercessoribus*, prior tamen lectio non est contemnenda.

Col. 139. Sanctorum quatuor Coronatorum Missa exstat, ut in Rubrica legitur, in qua etiam redditur ratio cur de quinque sanctis mentio fiat in Oratione, *Claudio* videlicet, *Nicostrato, Symphoriano, Castorio* atque *Simplicio.* In titulo autem de quatuor tantum, *Severo* videlicet, *Severiano, Victorino*, et *Carpophoro.* Ad hanc rem comprobandam facit titulus Ecclesiæ, quæ nomine sanctorum quatuor Romæ vocitatur, et die 8 Novemb. sanctorum quatuor Coronatorum festus dies agitur. Rubrica Sacramentarii sic jacet: *Quatuor Coronatorum nomina hæc sunt: Severus, Severianus, Victorinus et Carpophorus; quorum dies natalis per incuriam neglectus minime reperiri poterat; ideo statutum est ut in eorum ecclesia horum quinque sanctorum, qui in Missa recitantur, natalis celebretur, ut cum istis quoque eorum memoria pariter fiat.* Hac in Rubrica habetur sermo de ignoratione diei natalis quatuor Coronatorum; sed in Breviario Romano, de nominum eorumdem sanctorum ignoratione in hanc legitur verborum formam: *Exstat in Urbe ecclesia sanctorum Quatuor Coronatorum, quorum diu ignota nomina, divinitus postea patefacta sunt; ubi non solum illorum quatuor, sed etiam quinque martyrum corpora honorifice sepulta sunt, et eorum festivitas VI Idus Novembris celebratur eodem die.* De quatuor Coronatis, et quinque aliis, Beda, Usuardus, Ado, Surius, Baronius, et alii loquuntur, affirmantes quatuor Coronatorum nomina diu incognita fuisse, ob idque statutum ut anniversaria dies ipsorum una cum quinque illis sub nomine Quatuor Coronatorum recoleretur. Surius, ex Martyrologio Adonis, de Quatuor Coronatis ait hunc in modum: *Severus, Severianus, Carpophorianus et Victorinus, sepulti sunt milliario ab urbe tertio, in Arenario, juxta corpora sanctorum martyrum, Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii et Simplicii. Passi sunt autem VI Idus Novembris, post duos tamen annos passionis horum quinque martyrum. Cum autem nomina minime reperirentur, statuit beatus Melchiades episcopus, ut anni*

versaria Quatuor Coronatorum dies sub nominibus sanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam sancto viro etiam nomina eorum revelata sunt. Festivitas vero, ut fuerat statuta, celebris in aliorum martyrum festivitate permansit, ac locus Quatuor Coronatorum nomine insignis. Hæc Surius. Quatuor Coronatis ecclesiam erexit Honorius papa, eamque, Baronio teste, restituit, dictorumque sanctorum omnium quos superius nominavimus corpora Leo IV invenit; et sicut **609** Tabula item lapidea ad altare majus ejusdem ecclesiæ affixa docet, inibi ea condens collocavit.

Col. **226.** In illa sacri Canonis parte, quæ incipit *Communicantes*, et communiter inscribitur *Infra actionem*, hoc in loco titulus est, *Intra Actionem*, quamvis enim ad col. 247 (*Edit. Vatic.*) *Infra Actionem* semper legatur, ab hoc tamen loco ad finem usque Sacramentarii titulus sive rubrica est *Intra Actionem*, et rectius quidem; sacer enim Canon, qui a quibusdam in quinque partes, ab aliis in quindecim dividi solet, incipit a verbis illis : *Te igitur, clementissime Pater*, etc., et finem habet ad eum usque locum : *Memento etiam, Domine.* Vel secundum alios usque ad illud : *Oremus, præceptis salutaribus moniti.* Vel secundum alios et melius ad illa usque verba : *Libera nos, quæsumus, Domine.* Et quatuor sibi sortitur nomina, Biele teste, lect. 15, in Can. Missæ, quia non solum dicitur Canon, id est regula ad venerabilis Eucharistiæ consecrationem ordinata, vel, ut ait Walafridus Strabo, cap. 22, et Micrologus, cap. 12, quia in eo est legitima et regularis sacramenti confectio; sed etiam secretum appellatur, quoniam, ut ait Biel, significat sacratissima fidei mysteria, et sacratissimæ ibi fiunt operationes omni creato intellectui incomprehensibiles, et quia Canon secreto dicitur. Appellatur etiam sacrificium, quia offertur Deo Patri summum sacrificium, Unigenitus scilicet Filius sub specie sacramentali occultus. Dicitur denique *Actio*, quia, ut ait Walafridus, in ea conficiuntur dominica sacramenta, vel quia gratiarum actionem continet; nam totum fere Missæ sacrum est gratiarum actio, ut ex Irenæo lib. IV, c. 34, colligi potest. Vel, ut ait Biel, dicitur *Actio*, quia in ipsa sacratissimum Christi mysterium peragitur, quo ipse suam ob immensam charitatem carnem suam in cibum, suumque sanguinem in potum sub velamine specierum panis et vini spirituali refectione fidelibus elargitur. Quoniam vero hæc nonnisi misericordia et libera Dei voluntate fiunt, hæc pars recte dicitur *Actio*, quatenus contra factionem, ut ait Biel, distinguitur. Vel dicitur *Actio*, eodem Biele teste, quia ibi agitur nostra causa coram summo Judice, Christo Deo, per sacerdotem, tanquam per nuntium intermedium inter ipsum et sponsam, Christum, scilicet, atque Ecclesiam. Cum igitur Canon dicatur *Actio*, quod intra Canonem exstat rectius *Intra* quam *Infra Actionem* dicendum videtur. Ego itaque, ab hujusce Sacramentarii medio ad finem usque, titulum hunc (*Intra actionem*) sicuti scriptum inveni, relinquendum censui.

[a] Exstat beati Augustini communis Missa, quæ in singulis Quadragesimæ diebus hodie recitatur; et in Oratione illa quæ modo Postcommunio, modo autem Ad Complendum nuncupatur, quia ea Oratio est ad finem Missæ præter alias lectiones varias, legitur *Abolitio scelerum*, pro quo *Ablutio scelerum* nunc legitur in Missali. In fine autem legitur : *Sit vivorum atque mortuorum remissio omnium* **610** *delictorum*, sine dictione *fidelium*, quæ in Missali habetur.

[b] *Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, et minime consequentibus;* hic titulus iis qui sacram theologiam non norunt scrupulum aliquem injicere potest. Hoc enim loco non est sermo de iis qui absque pœnitentiæ virtute vel sine charitate ex ea vita decesserunt, et Orationum, sive suffragiorum capaces non sunt, etiam quia Ecclesia pro his non intendit orare, sicut neque pro iis qui in hæresi vel in excommunicatione obierunt; sed de iis qui in mortis articulo desideraverunt ac petierunt sacramentum et nonnisi in voto consequi potuerunt, ut rubrica necnon Orationes hujusce Missæ omnes præ se ferunt. Neque hoc in loco sermo est de pœnitentiæ venia per veram contritionem impetranda, sicut legitur in cap. XII Epist. ad Hebræos, de Esau, *qui*, teste Apostolo, *pœnitentiæ locum non invenit, quamvis cum lacrymis inquisisset eam;* necnon de Antiocho, in Machab. IX, *qui* quidem, ut Scriptura narrat, *scelestus Dominum orabat, misericordiam ab eo non consecuturus.* In his enim duobus locis non habetur sermo de vera contritione, quæ oritur ex amore justitiæ; sed de ea quæ nascitur ex mœrore damni temporalis: nam Deus neminem repellit, si recta intentione convertatur ad eum : *Quis enim*, ut in cap. XX Ecclesiast. legitur, *Deum invocavit, et despexit eum*? Titulus ergo Missæ intelligendus est eo modo quem initio hujusce scholii explicavimus.

[c] In Præfatione ad exorcismum ad aquam benedicendam multæ lectionum varietates inveniuntur in...

[a] Quia Orationes illæ in nostra Editione desiderantur, eas hoc loco addendas duximus.

Missa communis sancti Augustini.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum simul dominaris et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis, te suppliciter exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuæ clementia delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum.

Postcommunio. — Purificent nos, quæsumus, omnipotens et misericors Deus, sacramenta quæ sumpsimus, et præsta ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam, sit abolitio scelerum, sit fortitudo fragilium sit contra mundi pericula firmamentum, sit vivorum atque mortuorum remissio omnium delictorum. Per Dominum nostrum.

[b] Omittitur quoque hæc Missa in nostra Editione, quam idcirco hic damus.

Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, et minime consequentibus.

Si quis pœnitentiam petens, dum sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, constitutum est ut si idonea testimonia hoc dixerint, et ipse per motus aliquos satisfacit, sacerdos impleat omnia circa pœnitentem, ut mos est.

Ad Missam. — Omnipotens et misericors Deus, in cujus potestate conditio humana consistit, animam famuli tui *Ill.* ab omnibus absolve peccatis, ut pœnitentiæ fructum, quam voluntas ejus optavit, præventu mortis non perdat. Per Dominum nostrum.

Secreta. — Satisfaciat tibi, Domine, quæsumus, pro anima famuli tui *Ill.* sacrificii præsentis Oblatio, et peccatorum veniam quam quæsivit inveniat, et quod officio linguæ implere non potuit, desideratæ pœnitentiæ compensatione percipiat. Per Dominum.

Intra Actionem. — Hanc igitur Oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli tui *Ill.*, cujus depositionis diem *Ill.* celebramus, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, et ineffabili pietate concedas, ut quod exsequi præventus conditione mortali ministerio linguæ non potuit, mereatur indulgentia sempiterna. Diesque nostros, etc.

Ad Complendum. — Deus a quo speratur humani corporis omne quod bonum est, tribue per hæc sancta, quæsumus, ut sicut animæ famuli tui *Ill.* pœnitentiam velle donasti, sic indulgentiam tribuas miseratus optatam. Per Dominum.

[c] Hanc Præfationem non continet Codex sancti Eligii, quem post Menardum edidimus. Videri autem potest in Edit. Gussanvilli, col. 1551 et seq. Ex hac etiam Præfat. desumuntur quæ in duabus subsequentibus notis illustrat Angelus Rocca.

mss. et impressis Codicibus, sed eas brevitatis causa prætermittemus, tria tamen in medium consideranda proferentes. Primum est : *Ipsa te cognovit altissima Salus, et Respector perpetuus, ad quem humiles rogamus, ut exaudias*, etc. Est locutio nimis dura, ac tricis non carens, si verborum constructio perpendatur; sermo enim est ad aquam, et paucis hisce verbis absque ullo medio fit transitus ad Deum sub secunda persona. Quod sane non nisi nimium licenter stare potest. Codex autem impressus, liber scilicet Sacerdotalis sanctæ Romanæ apostolicæ Ecclesiæ inscriptus, et auctoritate Leonis, habet : *Te igitur omnipotens Deus, altissima Salus et Respector perpetuus, humiliter rogamus, ut exaudias*, etc. Quæ sane lectio, quamvis bona et accommoda sit atque perspicua, priorem tamen lectionem relinquere visum fuit, ne tanta fieret mutatio.

Ibidem dicens : *Qui te arcanis et limpidis, velocibus ventis pluere præcepit*, etc. Hæc item locutio satis obscura, non solum in Cod. Vaticano ms., sed etiam in impresso libro Sacerdotali, quem supra citavimus, reperitur, dictione *limpidis* excepta.

Ibid. *Expellas omnem umbram, omnem Satanam, et omnes machinationes spirituum immundorum, sive Bithonatum, sive errantium ex invocatione magicæ artis*, etc. Hæc autem locutio est ad aquam directa pro expellendis dæmonibus, eorumque machinationibus vertendis, sed **611** particula *Bithonatum* nihil profecto significativum sonare potest, nisi vox corrupta esse dicatur, duabus particulis Græcis constans, hoc est, *Biathanaton*, vel *Biathanatorum;* nam *Biathanatos*, vel *Biathanatus* est, qui violenta occubuit morte, dictus a βία, quæ est violentia, et θάνατος, mors. Hunc locum cum aliis Sacramentariis Vaticanis mss. conferre non potui, cum hæc Præfatio, ad exorcismum pertinens, in iis non exstet. Vidi tamen ipsum in Sacerdotali superius citato ad scholium pag. 243 (*Edit. Vatic.*), ubi, loco dictionis *Bithonatum*, inveni *Biotanatorum* sine aspiratione; sed quia etymologia hujusce dictionis sensui exorcismi contra spiritus immundos et contra invocationem magicæ artis satisfacere non videbatur (ei etiam aspiratione addita) ob temporis inter imprimendum angustiam, relicta fuit vox *Bithonatum*, hoc loco maturiorem postulante considerationem; quia etsi mea de voce *Biathanatorum* conjectura est rationi consentanea, et certitudini, ut sic dixerim, proxima, eam tamen absque alicujus scriptoris aut exemplaris auctoritate dicto in loco apponere ausus non fui, præsertim vero ob frequentem scriptorum usum, qui vocem *Biothanatorum* pro iis qui violenter occubuerunt, contra vocis etymologiam, frequenter usurparunt; *Biothanatus* enim a βίος quæ est vita, et θάνατος, mors, dictus, mortalem sonat vitam. In passione sancti Andreæ apostoli, apud Surium, die 30 Novembris, tomo VI, a presbyteris et diaconibus Ecclesiarum Achaiæ conscripta, invenio Ægeam proconsulem, qui sanctum Andream cruci affigi mandavit, ex hoc decreto a dæmone statim arreptum, et in medio foro civitatis volutatum expirasse. Hinc Stratocles, Ægeæ frater, ad Christum conversus, jussit servis suis *ut inter Biothanatos sepelirent eum*. Hæc ex Surio in fine dictæ passionis. Cassianus item, in coll. 2, c. 5, de morte Heronis senis usus est hac dictione *Biothanatos*, pro iis qui violenta occubuerunt morte. Hic enim Hero quinquaginta annorum spatio in eremo singulari continentiæ rigore commoratus, diabolica tandem illusione deceptus, in puteum sese præcipitem dedit; indeque illæsus a fratribus extractus, sed pene exsanguis, ac deinde in suæ deceptionis obstinatione perseverans, tertia die obiit. Hinc Cassianus de Herone ait : *Vix a presbytero abbate Paphnutio potuit obtineri ut non (inter Biothanatos reputatus) etiam memoria et Oblatione pausantium judicaretur indignus*. Lampridius, in Heliogabalo imp., adolescente impurissimo, qui a scurris anno ætatis suæ 16 occisus fuit, hunc in modum de eo scribit. *Et prædictum eidem erat a sacerdotibus Syriis Biothanatum se futurum*. Hac denique voce in eumdem item sensum usurpata Julius Firmicus suis ad res Astrologicas pertinentibus usus est, et quidem frequentissime. Ego itaque cum hac in re perplexus forem, num scilicet vox *Biothanatorum*, vel *Biathanatorum* dictum in locum reponenda esset, pertractans Tertulliani librum de Anima (sed aliud agens), incidi in cap. 33, non procul a libri fine, in quo disceptatur an demorentur hic animæ post mortem, vel ab inferis commeent; et præsertim in eum deveni locum, in quo de magica invocatione, necnon de exorcismorum antiquitate disputatur; bisque dicto in loco de violenta morte præreptis mentionem facit : quos non *Biothanatos*, nec *Biathanatos*, sed *Biæothanatos* dictos, hoc est violenter mortuos, a βιαίως, adverbio Græco, quod est violenter, appellat in hanc verborum formam : *Itaque invocantur quidem Abori et Biæothanati sub illo fidei argumento, quod credibile videatur eas potissimum animas ad vim et injuriam facere quas per vim et injuriam sævus et immaturus finis extorsit, quasi ad vicem offensæ dæmones operantur sub obtentu earum*, etc. Hæc Tertullianus. Tertulliana itaque lectio cum propria et genuina esse videatur, ipsam vocem *Biæothanatorum*, dictis omnibus in locis restituendam esse reor; vel *Biathanorum*, ut mea fert opinio. Si autem vox *Biothanatorum* reponenda censeatur, hanc per figuram syncopam, ac diphtongo detracta, scriptam et pronuntiatam esse dicas oportet.

Col. 233. In exorcismo salis, ut videre est in titulo, et in exorcismo ipso, fit mentio de vetusta spargendi salis consuetudine ad quæque noxia effuganda.

612 *Col.* 234. Inter alias novarum frugum Benedictiones exstat Benedictio uvæ vel fabæ, et ve usto more scriptum reperitur *fava*, pro *faba*. Veteres enim illi, beati scilicet Gregorii sæculo, *v* pro *b*, et *b* pro *v*, ad arbitrium uti solebant; modo usum Græcorum, sed inepte quidem, modo Gothorum et Langobardorum cæterarumque nationum exterarum scribendi pronuntiandique formam ac barbariem imitantes, ut eruditi viri et permulti sane affirmant, hujus generis in Latina lingua jacturam fatentes. Scribebant autem contra venerandæ antiquitatis usum *lavor* pro *labor*, *reneficium* pro *beneficium*, *vonum* pro *bonum*, et alia id genus permulta; ita etiam *vivere* pro *bibere*, et *bibere* pro *vivere*, necnon *bita* pro *vita*. Qui profecto scribendi pronuntiandique modus in Hispania, præsertim vero in Provincia Castelli, et alibi apud multos in hanc usque diem remansit. De aliquot exemplis superiori loco appositis luculentissimum exstat testimonium per tabulam illam lapideam satis grandem, Romæ in Xisto, sive in porticu sancti Petri ad parietem ecclesiæ affixam, et ad calcem scholiorum appositam, in qua recensentur multa oliveta quæ beatus Gregorius sanctis apostolis, et ad eorumdem sanctorum apostolorum luminaria concinnanda dicavit, in qua scilicet tabula *olibetum* pro *olivetum*, et semper quidem, necnon *parba* pro *parva*, et *silbula* pro *sylvula*, et *uveribus* pro *uberibus*, et *devitorem* pro *debitorem*, usurpantur. Hinc nos ad Codicis Vaticani vetustatem comprobandam, vocem *favæ* pro *fabæ*, retinendam censuimus. Id quod etiam a Pamelio factum esse constat, cum hanc eamdem lectionem retinuerit, et in margine scriptum reliquerit dicens : *More veterum* censeo *favæ*, pro *fabæ, legi*.

Hujus autem generis scribendi pronuntiandique usus varius ortum fortasse habuit a vario usu scribendi pronuntiandique secundam alphabeti Græci litteram. Ætas enim Latinorum illa græcisans, hoc est Græcorum linguam imitari affectans, multas voces a fonte Græco originem trahentes Græcis litteris scribere solebat, et frequenter quidem hunc in modum : IHC XPC, ΙΗΣ ΧΡΣ; Latinas item nonnullas ad imitationem Græcorum pronuntiare studebant, ut patet per exempla superius assignata, in quibus

utebantur littera *b* pro *v*, et *v* pro *b*. Hæc autem varietas fiebat ob varias opiniones, sicut dictum est, de littera *beta*, Græci alphabeti secunda. Veteres enim Latini, sicut ad hanc usque diem multi, opinantur *b* secundam alphabeti Græci litteram vim ac naturam habere quam littera *v* apud Latinos, eamque per *v* exprimebant, vocitabantque *vita*, ratione forsan ducti, quod Græci scriptores cum scribunt nonnulla Latinorum nomina, ut *Valerius* et *Virgilius*, modo β, modo οὐ uti solent, ut Βαλέριος, et Οὐαλέριος, et Βιργίλιος, et Οὐιργίλιος. Quod faciunt necessitate compulsi, nullam habentes litteram, ut recte ait Adolphus Mekerchus, vir quidem eruditus, quæ nostram consonantem reddat; cum *v* vocalis et *v* consonans apud nos unum nomen et unam habeant figuram. Ob id Ptolomæus in omnibus nominibus apud Latinos ab *v* incipientibus, ut *Verona*, Οὐήρονα, Vicentia, Οὐικέντια, vel Οὔκεντα, et id genus alia, per Οὐ, quod sonat *v* Latinum, non per *b* scribit. Suidas item quando *v* pronuntiare studet, non per *b*, sed per οὐ id facit, ut Οὐάλης, Valens Romanorum imperator, et Οὐαλεντινιανός, Valentinianus Romanorum item imperator; necnon Οὔαρος, Varus, Laodicensis sophista; atque hunc semper in modum alia id genus nomina ab eo scribuntur. Eodem quoque modo interjectio dolentis *væ*, scripta reperitur apud Matthæum XVIII, dicentem : Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται, hoc est, Væ homini illi, per quem scandalum venit.

Idem alibi apud eumdem, et apud alios evangelistas non semel, et aliis locis Novi Testamenti. Hinc nonnulli Latinorum, sed perpauci, rectius sentientes, existimaverunt *b* Græcum eamdem habere vim et pronuntiationem quam *b* Latinum et *beth* Hebraicum habent; et Græce Βῆτα, *bita*, vel Latine *beta*, juxta Hebraicam fere pronuntiationem, *beth*, quam sibi Græcus ab Hebræo non mutavit, non *vita*, dicendum reipsa demonstrant. Quo **613** in genere sunt Juvenalis, satyra 24, et Martialis, lib. V Epigram. Quibus in locis *beta* pro *vita* scriptum reliquerunt. Idem sensit Plautus, qui in Pseudolo interjectionem admirantis βάβαι, pro qua Latini *papæ*, Græcam retinuit dicens : *Babæ, nunc mihi demum animus in tuto est loco*. Et in Asin., pro eo quod Latini dicunt, *incedit*, vel *vadit*, usurpavit hanc vocem *badizat*, dicens : *Demam Hercle jam de hordeo, tolutim ni badizas*. Quod autem *b* Græcum habeat eumdem sonum quem habet *b* Latinum, non solum de verbo *badizo*, verum etiam ex ipso ovium balatu, luce clarius dignosci posse testantur eruditi viri, Joannes scilicet Chekus Anglus, et Adolphus Mekerchus Brugensis in commentario de vera ac recta linguæ Græcæ pronuntiatione, dum Eustathii in Homerum opinionem Cratini referunt dicentis *b* vocis aut soni ovium imitativum et significativum esse, citantque ex eodem Eustathio hunc ejusdem Cratini versum, et interpretantur.

Ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει,

hoc est,

Hic fatuus, tanquam ovis, be be sonans badizat.

Inditum est enim ovibus a natura, ut balatum suum (quem Latini, *e* in *a* vertentes, balatum vocant) non per hunc sonum, *ve, ve*, sed per illum *be, be*, labris per spiritus impetum reclusis oreque aperto exprimant, et *b* Latinum optime omnium declarent. Hinc Pierius Valerianus, XLVI Hieroglyphicorum libro, cap. de litteris septem, *b* Latinum per pictam pecudem repræsentari posse ait. Eodem modo voces illæ quas Latini a Græcis sibi mutuarunt scribuntur ac pronuntiantur per *be* Latinum, ut *brachium, balneum, boo, bos, barbarus, baptizo*, et alia id genus innumera, non vrachium, valneum, *voo, vos, varvarus*, nec *vaptizo*. Ex quibus omnibus liquido constat cur *b* pro *v*, et *v* pro *b* apud veteres reperiantur.

[a] *Col.* 1554 *et sequenti*. Multarum rerum Benedictiones videre est, quæ nunc in usu frequenti non sunt. Sed pag. 1558 exstant in *lardario*, *et in caminata* Benedictiones. Lardarium autem, ut aiunt, vox est desumpta a Gallis qui rem ipsam *lardier* vocitare solent. *Caminata* vero pro camino ab iisdem usurpatur Gallis, qui hunc in modum scribunt, *cheminée*, aspirationem haudquaquam pronuntiantes.

[b] *Col.* 1559. Exstat hujus generis nota ✛ quam olim librarii pro *est* usurpabant, et frequentissime quidem, ut in Codicibus mss. quingentis abhinc annis videre est. Vidi olim ego hanc notam in multis Codicibus manuscriptis antiquis; sed postremo in bibliotheca Vaticana, in qua exstat liber antiquissimus notarum Ciceronis grammatici ac Senecæ inscriptus. In hoc enim libro inter plurima diversarum notarum genera reperitur nota ipsa de qua nunc habetur sermo, ad varias substantivi verbi voces conscribendas, modo cum uno tantum puncto subscripto, modo cum uno tantum superscripto, vel ad lineæ finem apposito, excogitata. Hoc scribendi genus per notas, quas dicunt per ipsas, vel per litteras commutatas, seu per situm litterarum immutatum, hoc est, *a* post *b*, etc., tam apud Ciceronem, Senecam, quam etiam apud alios, sive hodie multis modis fieri solet, inventum fuit, ut res conscriptæ, si litteræ ad absentes missæ interciperentur, ab aliis non intelligantur. Compendioso autem scribendi genere tam notarii, a notis ipsis nuncupati, quam amanuenses ac librarii velociter scribendi causa utebantur. Hanc scribendi velocitatem de notario, vel amanuense ac librario, qui calamo verba dictantis excipiebant, aperte indicat carmen illud Martialis dicentis :

614 Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Quamvis autem hoc in loco hujusmodi signum dicti verbi intellectum habere non queat, illud tamen ipsum relictum est ad Codicis item antiquitatem comprobandam, nisi dicamus notam hanc additamenti esse signum; quæ enim per notam hanc ✛ ad verbum usque *formasti*, exclusive, leguntur in cæteris Codicibus mss. et impressis non reperiuntur. Hoc item signum ad hanc rem præstandam in usu olim fuisse beatus Hieronymus testatur, scribens ad Paulam, et Eustochium, et Suniam, et Fretellam; et hujus generis signum obelus ab eo nuncupatur; quæ sane virgula a Latinis veru vocitatur, quo ostenditur jugulandum esse et confodiendum quod in authenticis libris non invenitur.

Ibidem in Oratione admodum prolixa variæ sunt lectiones, quæ brevitatis causa prætermittuntur. Illud tamen subticendum non est, *urgueo* pro *urgeo*, et *contremesco* pro *contremisco* olim dici solitum; ut non semel dicta in Oratione, et alibi *unguo* pro *ungo* scriptum reperimus, ac retinuimus eamdem ob causam assignatam. De primo exstat Parmæ inscriptio marmori incisa, in qua legitur, *urguente fato*. Et Caper grammaticus auctor satis antiquus, de Auct. Latin. verb., *tinguere*, non *tingere*, dicendum affirmat, quoniam est verbum *tinguo, uis*; et ut ipse ait de usu loquendi sua ipsius ætate, et a verbo *unguo, unguentum*, et *unguentarius* derivari affirmat. Unguentarius autem a verbo *ungo, ungis*, ut legitur in lapideis inscriptionibus. Idem dicit Conradus, de Lingua lat. De secundo autem, hoc est de littera *e* pro *i* multa

[a] Scilicet in Editione Gussanvil. Hujusmodi Benedictiones plurimas legimus, tum in Editis, tum etiam in variis Mss., sed eas non admittit noster Codex Eligianus, quod ejus antiquitatis est argumentum.

[b] Nimirum ejusdem Edit. Gussanv. Oratio vero ubi hoc exstat, est secunda super dæmoniacum : *Et Deus conditor et defensor generis humani, qui hominem ad imaginem et similitudinem tuam ✛ manibus tuis sanctis et proprio tuæ divinitatis ore formasti*.

exstant exempla ex lapidibus, ut videre est in orthographia Aldina. Antiquitus enim *sene* pro *sine*, et *sebi* pro *sibi*, et *pertenet pertinet*, et alia id genus innumera dicebantur.

[a] *Col.* 1562. In Oratione super feminas multa desunt quæ in Ms. bibliothecæ Montis Regalis Panhormi, et in Sacerdotali Romano impresso, leguntur. In Codice Vaticano hæc ita jacent : *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob, qui tribus Israel monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti*, etc. In Codice Montis Regalis : *Deus Abraham*, etc., *Deus*, *qui tribus pueris Israel de Ægyptiaca servitute liberasti, per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti*, etc. In Codice Montis Regalis, dictio (*pueris*) vacat, cum *tribus* accusandi casum esse satis constet, et dictio (*pueris*) cum verbo *monuisti* stare non possit. In Sacerdotali autem Romano recenter impresso hæc Oratio in ordine baptizandi legitur hunc in modum : *Deus Abraham*, etc., *Deus, qui tribus Israel de Ægyptiaca servitute liberasti, et per Moysem famulum tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuisti, et Susannam de falso crimine liberasti, te supplices exoramus, ut*, etc. Hæc Oratio quamvis integra et perspicua sit, lectionem tamen Vaticanam, etsi mutilam, retinuimus, ne tanta fieret mutatio in Codice qui in Ecclesia publicæ lectioni deservire non potest.

[b] *Col.* 1562. *Quem ad fontem baptismatis donum vocare dignatus est.* Hic locus in Codice ms. Vaticano depravatus videtur, et ex Sacerdotali Romano impresso correctus est hunc in modum : *Quem ad fontem baptismatis dono suæ gratiæ vocare dignatus est* (scilicet *Christus*) quæ sane correctio a Codice Pamelii non est aliena.

Col. 1564. In rubrica exstat vox ista *excarpsatum*; quæ quid sibi velit, sciri haud potuit, sed vox corrupta vitio scriptoris judicatur. Verba enim rubricæ sunt hæc : *Et reliqua sicut in illo superiori ordine excarpsatum est*, etc. Sed videtur probabiliter legendum, pro (*excarpsatum*) **615** *enarratum*, sive *exaratum*; hoc enim pacto ipsa locutio sensu non caret congruenti. Vel fortasse, et quidem melius, *exorcizatum* legendum est; ibi namque de exorcizandi modo agitur; nos autem mendosum reliquimus locum, certam conjecturam non habentes. De hac igitur re judicent eruditiores. Vel *charaxatum* legi debet, a verbo *charaxo*, id est scribo dictum, quo usus est beatus Gregorius etiam in Regist., lib. v, epist. 40. *Charaxo* autem a voce *character* dicitur, ut Huguitioni et Papiensi placet. Hinc *characatus* et *charaxatus*, a Græco χάραξ, et χαράττω, id est, sculpo, fingo.

Col. 1568. *Adscendo*, legitur cum *d*, more veterum Latinorum, sicut etiam adscisco, ne secunda littera præpositionis *ad* omnino pereat, quæ in compositione vel remanet, ut *adficio*, vel immutatur ut *afficio*, *affluo*, et similia. Pamelius autem legit duplici *s*, *Assensio*, et *Assensa Domini*, et hoc modo *d* in *s* conversum videtur.

Col. 201. [c] *Tropæum crucis*, pro *Trophæum crucis*, aspiratione prætermissa, relicta est. Veteres enim Latini, Græcos, qui τρόπαιον dicunt, imitantes, sine aspiratione scribebant. Hi namque, teste Cicerone in lib. de Oratore, longe post medium, aspiratione nonnisi in vocali utebantur, dicentes, *triumpus* et *tropæum*, et id genus alia, ut in antiquis inscriptionibus videre est. Id præsertim legebatur in veteri base obelisci qui nunc ad sancti Joannis Lateranensis cernitur, sed modo basis illa, quam ego vidi, non exstat.

Col. 228. *Incipiunt Apologiæ*. Sunt nonnullæ Orationes in dicta pagina et sequenti, quæ nomine Apologiæ inscriptæ reperiuntur in Cod. ms. Vaticano, [d] sed in cæteris Codicibus mss. Apologiæ nomen nec hic nec alibi præfixum invenitur. Quamvis autem Apologiæ vis non nisi in defensione vel excusatione consistat, hoc tamen loco Orationes ipsæ, ut reor, nomine Apologiæ solam peccatoris comprehendunt accusationem, quæ apud Deum vim excusationis habet. Qui enim apud divinam Majestatem sese accusat, suas culpas detegendo, hic secundum Augustinum pro accusatione excusationem, sive impunitatem, meretur, justificati nomen recipiens, cum justus, ut Sapiens ait, prior sit accusator sui, exemplo illius publicani evangelici, qui post accusationem rediit justificatus in domum suam, juxta illud Proverb. XVIII et Matth. IX : *Qui se accusat, cum peccaverit, justus est.* Et Isa. XLIII : *Dic tu prius iniquitates tuas, ut justificeris.* Huc spectare videtur liber sancti Ambrosii de Apoligia David, quæ est accusatio peccantis David coram Deo, et accusatio contra detractores.

Ibidem legitur *peripsima*, pro *peripsema*, et *neglegentia*, pro *negligentia*, more antiquorum. *Peripsema* enim apud Græcos est purgamentum ferri vel pomi, et quidquid de qualibet materia, ut purgata reddatur, abjicitur. Hunc sensum habent verba beati Pauli I Cor. IV : *Tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus omnium per ipsema usque adhuc.* Antiquitus autem dicebatur *Peripsema*, more Græcorum, qui scribunt περίψημα, quamvis apud Latinos ita η Græcum in *e* longum converti soleat. *Neglegentia*, pro *negligentia*, apud etiam veteres Latinos dicebatur, ut ex lapidibus et libris mss. videre est.

[e] *Col.* 1572. In Missa pro febritante fit mentio de sancto Sigismundo martyre Burgundiæ rege, per quem febricitantibus sanitatem redditam fuisse Sigebertus Gemblacensis monachus in Chronicis testatur. De hoc Beda, Usuardus, Ado, Gregorius Turonensis, et Baronius scribunt. In prima hujus Missæ Oratione legitur : *Typus quartanus, et quotidianus*, pro quodam, ut conjectura fert, termino febris, quæ quadam forma, seu regula, sibi quasi **616** præfixa, hominem corripit, aut termino, sive ordine quodam, qui typus nuncupatur. Nam Galenus, de typo, cap. 1, loquens, ait : *Typus est ordo intensianum ac remissionum.* Vel sic : *Typus est ordinata intensionum remissionumque redditio.* Vel : *Typus est affectus cui accessio et remissio ordine quodam accidit.* Galenus, in lib. def. med. Hinc typicæ febres sunt in quibus accessio et remissio statis vicibus accedunt; atque his erraticæ plane contrariæ sunt, quæ nec statum tempus, neque ullum ordinem accessionum et remissionum servant, sicut sunt illæ quæ oriuntur ex atra bili, quæ in quibusdam partibus movetur; in quibusdam vero immota manet; in aliis putrescit, aut fervere incipit, auctore Galeno, lib. III Prognost., com. 29, ex quo hæc decerpsi ad verbum, ut hic Sacramentarii locus explicaretur.

Col. 1578. In prima Oratione legitur : *Ut piis nostris precibus clemens ac propitius aspiras, sicut et illi misericordiam largiaris.* Textus Vaticanus sic jacet, et fortasse menda non caret, nisi legatur *aspiras* pro *aspirans*, sicut *elegas* pro *elegans*, et *mesa* pro *mensa*, non sine ratione, ut in lapidibus legitur antiquis; vel *aspires* legendum est, Sed quomodocunque legatur, constructio verborum non satis perspicua videtur.

Ibidem, Oratio quæ dicitur *Ad Complendum* est omnino mutila, et sensus congruere non videtur, nec aliud exemplar haberi potuit pro hac re dilucidanda, id quod aliis item in rebus nobis evenit. Multa enim hoc in exemplari quod impressimus reperiuntur quæ in Codicibus tam mss. quam impressis non

[a] Hæc vide in Edit. Gussanv., loco assignato.

[b] Hæc require loco indicato in Edit. Gussanv., necnon verba *excarpsatum*, et *adscendo*, de quibus sunt duæ notæ sequentes.

[c] In nostra Editione legitur *trophæum*.

[d] Secus in nostris Codicibus, ubi sic legitur. Vide loco indicato, et consule notas Menardi.

[e] Hæc adhuc require in Editione Gussanv. aut Vaticana. Eadem dicta intellige de tribus notis immediate sequentibus.

exstant; præsertim vero a col. 1573 ad finem usque nihil penitus in cæteris exemplaribus invenitur.

Col. 1580. In Missa pro papa fit mentio de beato Silvestro, et Orationes sunt illæ quæ in Missa pro papa recitantur, ac tempore beati Silvestri videntur usurpatæ, cum ejus nomine sint insignitæ; nisi dicamus hoc factum esse a librario, vel a quopiam alio, ad majestatem pontificiam insinuandam, quæ vires suas tempore beati Silvestri suscepit.

[a] *Ibidem*, hymnos beati Gregorii in tomo V imprimendos curavi, ut ne quid in Vaticana Editione ex operibus ejusdem sancti desideraretur. Quamvis autem Clicthovæus in suo Elucidatorio ecclesiastico quatuor tantum beato Gregorio ascribat, hoc est, *Primo dierum omnium*, *Nocte surgentes*, *Ecce jam noctis*, et *Lucis Creator optime*; octo tamen sub ejusdem sancti nomine hac in editione impressi sunt, quia alii aliter de hac re senserunt.

[a] Edit. scilicet Vaticanæ. In nostra autem illos reperies in appendice ad Antiphonarium.

MONITUM.

In nonnullis libri Sacramentorum mss. Codicibus, attexitur sancti Gregorii *Benedictionale*, seu solemnium ab episcopis dicendarum Benedictionum ordo et series: quod de supra laudato Cæsareæ bibliothecæ Codice maxime testatur Lambecius, loco jam citato, his verbis: *In eodem venerandæ vetustatis Codice post jam memoratum librum Sacramentorum exstat etiam ejusdem sancti Gregorii Magni* Benedictionale, *sive syntagma solemnium sacrarum benedictionum in sancta Ecclesia catholica ante mille et sexaginta annos usitatarum: quod quoniam tam in Antuerpiensi quam in Romana operum sancti Gregorii Magni Editione desideratur, operæ pretium me facturum arbitror, si integrum illud hic inseruero; ne tam rarum et fructuosum primitivæ Ecclesiæ Christianæ monumentum diutius lateat.*

Ineditum hoc opusculum rebatur Lambecius, cum de ipso evulgando cogitavit. Verum errorem suum postea correxit, viso libro Sacramentorum cura nostri Menardi edito, in quo scilicet illæ Benedictiones, saltem plurimæ sparsim suis locis occurrunt; hinc nobis satis visum est, loco appendicis, subjicere reliquas in Editione Menardi et nostra omissas. At quia ampliorem hujusmodi Benedictionum segetem nobis suppeditavit Codex sancti Theoderici prope Rhemos, quem aiunt ante annos ferme nongentos scriptum, non abs re esse censuimus eas *mantissæ loco* adjicere. (*Vide nostram Præf. ad lib. Sacrament.*)

Porro de Benedictionibus, earumque in Missis solemnibus usu, lege notam centesimam nostri Menardi in librum Sacramentorum, et Jacobi Pamelii prolegomena in secundum tomum Liturgicon. Hic *Benedictionum episcopalium per anni circulum* libellum, quas a Grimaldo abbate collectas putat, eodem tomo edidit, a nostris pene semper discrepantes. In Missali Gothico Josephi Thomasii prius, deinde nostri Mabillonii opera vulgato, sunt Benedictiones in singulis fere solemnitatibus, verum prorsus diversæ. Liber Sacramentorum Ratoldi, sæculo decimo descriptus, plures continet Benedictiones quam alii, *quia recentior est*, inquit Menardus in præfatione; cui minime tamen concedimus majorem numerum Benedictionum minoris antiquitatis argumentum esse; alioquin dicendum foret Missale Gothicum, tam venerandæ antiquitatis, et Theodericensem Codicem recentioris ætatis notam præferre. In nonnullis sane vetustis libri Sacramentorum Codicibus desiderantur Benedictiones, ut in Codice Reginæ Sueciæ, in Calensi, Gemet., Theoderic., etc., sæpe in notis ad librum Sacramentorum laudatis. At cur desint non alia est ratio quam quia in alio seorsim volumine continebantur, quod, ubi opus erat, episcopo legendum porrigebat archidiaconus. Id ex Mss. Theodericensibus constat; in neutro enim reperiuntur hujusmodi Benedictiones episcopales; at in Codice separato notato a tergo 62 exhibentur. In Codice Gemet. nongentorum circiter annorum, qui omnia ab episcopo recitanda (unde Pontificalis dicitur) comprehendit, exhibentur etiam Benedictiones in lib. Sacram. sparsæ, ac longe plures quam quæ in Vulgatis leguntur. De eo sæpe infra. Porro non agimus hoc loco de Benedictionibus aquæ, ferri etc., quibus olim mos erat explorare innocentiam eorum, quibus objiciebantur crimina; quæ tum in Pontificali laudato, tum in aliis plurimæ continentur; legique possunt lib. III de Antiq. Eccles. ritibus cap. 7, auctore nostro D. Ed. Martene. Cætera quæ ad hoc argumentum pertinent, lege in amplissima Menardi nota centesima, ubi pro suo more cumulatissime ac eruditissime ea de re disserit.

BENEDICTIONES

Quæ in libro Sacramentorum desiderantur.

Ex Benedictionali a LAMBECIO edito.

[a] *Benedictio in Annuntiatione sanctæ Mariæ.*

Dominus Jesus Christus, qui in sæculorum fine processit ex Virgine, cor vestrum virginitatis incorruptæ corona clarificet. Amen.

Et qui annuntiante angelo Virginis ingressus est uterum, ejus vos ministerii et instruat et muniat sacramento. Amen. Quique hodie Virginis Conceptionem devotissime celebratis, ad Nativitatem nostri Redemptoris exsultantibus animis et mundo corde perveniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Septuagesima.

[b] Deus omnipotens, qui unicuique nostrum ita currere ut comprehendamus jussit per Apostolum suum, infundat cordibus vestris Paracletum Spiritum, quo et felicissimum valeatis consummare cursum, et in ejus vinea licet diversis vocationibus laborantes, promissæ tamen ab eo mercedis mereamini recipere nummum. Amen. Ejusdem sancti Spiritus illustrati gratia, vegetati clementia, taliter flagitia relinquatis, atque plangatis præterita, devitetis præsentia, et dignius etiam consummetur sacratissimæ Quadragesimæ abstinentia ventura. Amen. Quatenus peragentes competenter ipsum tempus Quadragesimale, purificatis mentibus ab omni vitiorum labe, mereamini mundi venire ad celebrandum festum paschale. Amen.

Benedictio sanctæ Eucharistiæ.

[c] Omnipotens Deus, opifex totius fabricæ mundi, qui in principio condidit omnia opera sua perfectione senarii numeri, dignetur vobis per ineffabilem gratiam suam largiri, ut omni vitæ vestræ tempore continua suæ Benedictionis mereamini protectione muniri. Amen. Concedatque vobis illa opera per sex dierum curricula patrare, per quæ in septimo tantam et talem gratiam ejus valeatis impetrare, ut et

[a] Adest hæc Bened. a Ms. Theod. et ab Ed. Pamel.

[b] Hæc quoque desideratur in laudato Codice, qui plures alias continet de Septuagesima.

[c] Nec ista Benedictio habetur in Theod.

ipsius possitis laudibus delectabiliter vacare, et sine crimine sincerissima devotione sacrosancto corpori et sanguini Domini ad remedium communicare. Amen. Quo spiritali alimonia recreati, ejus optabili custodia tutati, perpetualiter placeatis ei ab omni opere servili penitus liberati, et ab universo facinore pariter mundati. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio de Resurrectione.

[a] Benedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, et in Resurrectione unigeniti sui spem vobis resurgendi concessit. Amen Resuscitet vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Ut cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Deus, qui per Resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit et bonum Redemptionis, et decus adoptionis, suæ vobis conferat præmia Benedictionis. Amen. Et quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente consortes 622 efficiamini æternæ hæreditatis. Amen. Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini in cœlesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Nativitate sancti Joannis Baptistæ.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui Unigeniti Filii sui per beatum Joannem tandem nostri misertus nuntiavit in terris adventum. Amen. Ipse Spiritus sanctus qui eum replevit clausum in utero matris, et patris linguam solvit a vinculo, faciat vos sua Benedictione repleri, et spiritalibus donis abundanter exuberare. Amen. Ascendat vox deprecantis Præcursoris ad aures clementissimi Patris, qui mundi Redemptorem ante novit confiteri quam nasci, quique auctorem lavacri sacris manibus suis tinxit in fonte, maculas delictorum vestrorum clementer sua intercessione expurget, atque copiis virtutum fecundet. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Assumptione sanctæ Mariæ.

Deus, qui beatissimam virginem Mariam Domini nostri Jesu Christi gloriosissimam genitricem hodierna die ad cœlos voluit evocare, et super choros angelorum sublimiter exaltare, suæ vos Benedictionis gratia per intercessionem ejus et merita dignetur taliter ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini transmigrare. Amen. Concedatque vobis ex hoc sæculo sic fide vigere, spe gaudere, et charitate pollere, castitatis jugiter eminentia fulgere, et humilitatis etiam excellentia splendere, quo ipsi per omnia bonis operibus adornati valeatis placere. Amen. Faciatque vos omnia præterita flagitia et facinora ita die noctuque gemitibus et fletibus expiare, præsentia et futura tam salubriter evitare, quatenus cum ipsa possitis æternaliter in cœlestibus emicare. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Item alia, de Adventu.

Benedicat vos ineffabilis gratia et pietas Dei vivi, et annuat vobis per admirabilem et salutarem adventum Filii sui, ne sub dominatione peccati remaneatis, quod absit, captivi. Amen. Ab omni vos miseria tam potenter liberare, et in sua misericordia tam clementer dignetur perseveranterque confirmare, ut sibi vos faciat in præsenti sæculo taliter deservire, qualiter ad eum in futuro gaudentes mereamini pervenire. Amen. Quique pro nobis eumdem Unigenitum suum in Adventu primo voluit incarnari, ipse vos in secundo faciat ab injustorum consortio separari, et justorum commercio secum perenniter mansuros aggregari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Benedicat vobis Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris atque Redemptoris mundi, et ita vos benedicendo justificet atque sanctificet illustratione primi Adventus ejusdem unigeniti sui, ne in secundo coram ipso appareatis immundi. Amen. Fundet vos ejus gratia tam firmiter in humilitate vera, et solidet tam stabiliter in charitate sincera, quo taliter vobis displiceant ea quæ sunt mundi, et placeant jugiter ea quæ sunt Dei, ut in 623 cœlesti beatitudine pariter cum sanctis cohæreatis. Amen. Quique pro salute servorum eumdem Filium suum tantum voluit humiliari, ut intra maternum uterum naturæ nostræ in unitatem personæ copulando dignaretur uniri, intra vos in hoc primo adventu splendore suæ visitationis atque inhabitationis faciat illustrari, quatenus in secundo mereamini cum ipso perpetim gloriari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate unius apostoli.

[b] Deus, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur beati apostoli sui N. intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis, apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari et muniri exemplis et documentis. Amen. Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hæreditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In anniversario dedicationis ecclesiæ Benedictio.

Deus omnipotens, qui hoc sanctum templum suo gloriosissimo nomini in honore beati *N.* apostoli sui voluit dedicari, ipse vos precibus et meritis illius Benedictione sua justificari et illustratione visitationis atque inhabitationis suæ faciat sanctificari. Amen. Quatenus qui fuistis aliquando sicut et cæteri, domicilia hostis antiqui, et sub ejus dominatione captivi, mereamini singuli gratissima fieri templa Dei vivi, per ejus gratiam effecti de servis filii adoptivi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In anniversario consecrationis episcopi.

Omnipotens Deus, qui me, quamvis indignum, per immensam suæ pietatis affluentiam, in numerum antistitum, ad ministrandum altari suo laudis hostias immolando dignatus est deputare, atque tam ad cœlestis mensæ sacramenta quam etiam ad perennis vitæ alimenta populo suo eroganda destinare, ipse Benedictionis copia dignetur locupletare, et sanctificando gratia sancti Spiritus corda vestra misericorditer vegetare. Amen. Dignetur etiam vos ab omnimoda nequitia clementer expiare, et in suæ pietatis excellentia potenter confirmare. Amen. Concedat quoque vobis de malis ab bona, et de bonis ad meliora quotidie proficiendo transmigrare, et post hujus terminum vitæ ad æternorum gaudia præmiorum feliciter transmigrare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio [c] quotidianis diebus.

Benedicat vobis Dominus, et custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, et misereatur vestri. Amen. Convertat vultum suum ad vos, et donet vobis pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, et in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et charitatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

[a] Idem de hac dicendum.

[b] Est in Codice Gemet. secundo loco.

[c] In Codice Gemet. notantur Benedictiones pro singulis feriis. Pro feria 2 *Omnipotens Deus sua vos cl.* ut infra. *Inclinet* pro feria 3, *Devotionem* pro feria 4, *Concedat*, vel *Det vobis omnipotens Deus* pro feria 5. Pro feria 6 duæ assignantur quæ non sunt editæ. Quæ pro Sabbato ponitur non est etiam in Editis.

Alia. — Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, et det gratiam vobis suæ Benedictionis, et præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper et ubique Dominum propitium habeatis, et in ejus laudibus exsultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

624 *Alia.* — Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ benedictionis, et confirmet vos in spe regni cœlestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores componat, et vos ad cœlestis Paradisi hæreditatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Talique vos in præsenti sæculo subsidio muniat, ut Paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, et benedicendo sanctificet, ut vobiscum, imo in vobis eum jugiter habitare delectet. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Omnipotens Deus det vobis gratiam suæ benedictionis, et repleat vos spiritu veritatis et pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subrepentium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, et in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Concedat vobis omnipotens Deus munus suæ benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo et præsentis et futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus, dexteræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, et benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitate defendat, et donis cœlestibus exuberare concedat. Amen. Quo, corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Item alia. — Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, et benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. Ab omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, et virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti sic ei serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus universa a vobis adversa excludat, et suæ super vos benedictionis dona propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus et exequenda intelligentes, et intellecta exequentes, et inter adversa mundi inveniamini indemnes, et beatorum Spirituum efficiamini cohæredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, et mentes vestras in suæ pacis tranquillitate consolidet. Amen. Quatenus fidei, spei et charitatis gemmis adornati, et præsentem vitam transigatis illæsi, et ad æternam perveniatis securi. Amen.

Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanent in sæcula sæculorum. Amen.

ALIUD BENEDICTIONUM EPISCOPALIUM SUPPLEMENTUM.

Ex Codice pervetusto sancti Theoderici prope Rhemos.

Benedictio de sanctissima Trinitate.

[a] **625** Benedicat vos Trinitas sancta, unaque et individua Deitas, Patris et Filii et Spiritus sancti; et tribuat vobis remissionem omnium peccatorum. Amen. Concedat vobis sanitatem mentis et corporis, et liberet vos ab adversitatibus cunctis. Amen. Quatenus a cunctis vitiis emundati, ipsiusque protectione muniti, ad cœlestem gloriam pervenire mereamur. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris, qui est trinus in personis, unus quoque in essentia deitatis repleat.

Item alia. — Deus corda nostra repleat sacræ fidei documentis, et informet nos ad vitam æternæ salutis. Amen. Quique se in Patre, et Patrem in se esse prædixit, dignetur nobis largiri dona quæ se diligentibus repromisit. Amen. Quatenus cooperante Spiritus sancti gratia, ita mereamur trinæ Majestatis exsequi dicta, quo ad percipienda æternitatis præmia potentiæ ejus mereamur benedici dextera. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in vigilia Natalis Domini.

Omnipotens Deus, etc., *ut in Edit.*

Benedictio de Natali Domini in nocte.

Deus qui ideo apparuit in carne, ut electos suos ascriberet in æternitate, sua vos sanctificans Benedictione, nomina vestra scribat in libro vitæ. Amen. Quique ex Maria virgine nasci dignatus est in civitate Bethlehem, vos faciat pervenire post mortem in cœlestem Jerusalem. Amen. Ut ibi gloriam Deo in excelsis cum angelis decantetis, et cœlesti pace totius bonæ voluntatis perfrui valeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia Benedictio. — Infans et Deus Christus, cujus præsepia mirati sunt pastores, in hac die nativitatis suæ, claritate Benedictionis vestras repleat mentes. Amen. Quique pro vobis Deum et hominem hodie creditis natum, ipsius semper sentiatis salutare præsidium. Amen. Quatenus exemplo beatæ Mariæ virginis omnia verba et mandata Christi in corde conservetis, et eum laudando et glorificando, sicut boni pastores exsultetis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio primo mane.

[b] Populum tuum, quæsumus, Domine, pio favore prosequere, pro quo dignatus es in hoc sacratissimo die tuam mundo præsentiam exhibere. Amen. A cunctis eum adversitatibus paterna pietate custodi, pro quo in mundo hoc tempore dignatus es ex Virgine nasci. Amen. Ut te Redemptorem suum semper intelligat, et tuam veraciter gratiam comprehendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia Benedictio. — **626** [c] Deus, qui non solum genus humanum condere, sed etiam te nascente voluisti hominem de terris ad astra transire, respice preces supplicum, qui te post longas tenebras hodie

[a] In Edit. Pamel., tomo II, p. 508 et seq., multæ leguntur Benedictiones de sanctissima Trinitate, inter quas hæc non reperitur.

[b] In Pontific. Gemet. legitur *Benedict. in galli cantu* : Populum, etc.

[c] Exstat in Pontif. Gemet. cum alia vulgata pro die Natalis D. *Benedicat vos omnipotens Deus.*

natum lumen agnoscunt. Amen. Complectere hunc populum in Ecclesiæ sinu, qui nobis processisti Mariæ de thalamo. Amen. Sit hæc plebs tuis præceptis obedienter amabilis, sicut est partus Virginis in origine singularis; ut cum dies tui fulgoris effulserit, invenias in illis quod recondas in horreo, pro quibus dignatus es in carne venire de cœlo. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Postea sequitur: *Benedictio in die natalis Domini.* Benedicat vobis omnipotens Deus, utramque, etc., *ut in Edit.*

Benedictio in Natali sancti Stephani martyris.

Deus qui beatum, etc., *ut in Editis, et in Gemet. aliisque manuscriptis.*

Alia. — Aperi, quæsumus, Domine, cœlos tuos, aperi oculos nostros, inde nobis tua dona descendant, hinc te corda nostra respiciant. Amen. Pateat nobis sedes tua in accipiendis beneficiis quæ precamur. Pateat tibi mens nostra in reddendis servitiis quæ jubemur. Amen. Habeat sanctum tuum Stephanum pius iste populus patronum, quem etiam ille habuit impius advocatum. Amen. Accedat ad te vox illa intercedens pro populo, quæ orabat pro inimicis in ipso martyrio, ut se obtinente, et te remunerante, perveniat illuc plebs acquisita per gratiam, ubi te cœlis apertis ipse vidit in gloria. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Natali sancti Joannis evangelistæ.

Omnipotens Deus dignetur, etc., *ut in Editis, et in Cod. Gemet. aliisque manuscriptis.*

Alia. — Deus, qui tuos apostolos pretiosa gentium lumina præparasti, qui Jacobum et Joannem ad illustrandas animas, inter vasa Ecclesiæ, candelabra fidei prætulisti, fac plebem tuam imitari quod unus exorando formavit, alter evangelizando eructavit. Amen. Fructificet in populo quod seminavit iste verbo, plantavit ille martyrio. Amen. Ut eorum interventu, hæc turba illius reficiatur dulcedine, super cujus pectus charus Joannes accubuit præ amore. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Natali Innocentum.

Omnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia innocentum, etc., *ut in Edit., consentientibus Manuscriptis Gemet. et aliis.*

Alia Benedictio. — Concede, quæsumus, Domine, plebi tuæ innocentum gratiam, qui tibi consecrasti primitias martyrum ab innocentia parvulorum. Amen. **627** Servetur hic populus purgatus baptismate, qui tibi placitam fecisti innocentiam in cruore. Amen. Ut illuc suo interventu grex accedat post lavacrum, ubi felices parvuli, perfusi rore sanguinis, gloriantur in perpetuum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Dominica 1 post Natalem Domini. Benedictio.

[a] Deus, qui Unigenitum suum misit, ut mundum salvaret, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in vigilia octavæ Domini.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per incarnatum Verbum unigenitum tuum dedisti lumen in sæculum, ejus misericordiam suppliciter exoramus, ut qui ex gentibus sanctam Ecclesiam fecundavit in grege, ab omni eam gentilitatis errore absolvat. Amen. Et qui in sequenti die ut legis tolleret jugum, per legem est carnaliter circumcisus, hujus populi spiritaliter dignetur circumcidere corda, atque omnia amputare radicitus vitia, ut sobrietatis studium et non ebrietatis sectentur incommodum. Amen. Sint semper tua omnes protectione salvati, ut dum carnalem desiderant circumcisionem, tua sint firmati Benedictione, ut callidi serpentis venena possint evadere, et ad æternam beatitudinem te prævio feliciter valeant pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in octava Natalis Domini.

Omnipotens Deus, etc., *ut in Editis*

In Dominica 2 post Natalem Domini.

Deus, qui Filii sui temporalem pudicitiam fecit esse mirabilem, Spiritu prudentiæ corda vestra illustrare ac docere dignetur. Amen. Quique illum parentibus temporaliter subdi voluit, ipse vos humilitatis et pietatis muneribus miseratus informet. Amen. Et qui eum sapientia, ætate et gratia proficere voluit, spiritualium vobis profectuum incrementa propitius largiatur. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Theophania.

Deus, lumen, etc., *ut in Edit.*

Benedictio Dominicæ 3 post Natalem Domini.

Deus, qui sua mirabili potestate aquam vertit in vinum, vos a vetustate subtractos in beatæ vitæ transferat novitatem. Amen. Et qui nuptiis interesse voluit, ut earum sua præsentia comprobaret bonum, ipse vobis castitatis et sobrietatis perpetuæ conferat donum. Amen. Ipse vobis sanctarum intelligentiam Scripturarum tribuat spiritualem, qui aquas in vina vertendo hoc ipsum voluit designare. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Octava Epiphaniæ.

Deus, qui præsentem diem ita dignatus es eligere, et ut eligeres tot miraculis demonstrare, in quo te ad adorandum stella nova magos perduxit, et Jordanis tuo baptismo sanctificari meruit; necnon et aquæ pallor in Cana Galileæ vina produxit; esto, quæsumus, tuæ familiæ ipse lux itineris, qui stella indice clarificatus es rex salutis. Amen. Da plebi tuæ Redemptoris sui plenum cognoscere fulgorem, ut per ejus incrementa ad perpetuam claritatem perveniat. Amen. Da plebi tuæ Redemptoris sui plenum cognoscere fulgorem, ut per ejus incrementa ad perpetuam claritatem perveniat. Amen. Converte ad te quærendum corda fidelium, ut, juncta cum angelis in excelsis, tibi Deo cantet gloriam plebs devota. Amen. Et qui dignatus es hodie a Jordanis fonte, fons aquæ vivæ, descendere, et tuo baptismate sanctificare, tribue populis tuis perpetua pace gaudere, et **628** splendore gratiæ tuæ cor eorum semper accendere. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 4 post Natalem Domini.

[b] Omnipotens Deus vos ab omnium peccatorum maculis emundet. Qui leprosum supplicem tactu proprio dignatus est emundare, ipse cordium vestrorum hospitium dignetur misericorditer introire. Amen. Sicque vos fidei suæ plenitudine informet, ut cum sanctis suis in cœlorum regno accumbere concedat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Purificatione sanctæ Mariæ.

Omnipotens Deus, qui, etc., *ut in Editis.*

Benedictio Dominicæ 5 post Natalem Domini.

[c] Tentationum omnium a vobis Dominus pericula removeat, et perturbationum procellas miseratus excludat. Amen. Tentatoris fraudes atque molimina dissolvat, et vos adversus eum cautos atque invincibiles faciat. Amen. Continuæ pacis vobis munera tribuat, et vos in portu tranquillitatis ac securitatis propitiatus constituat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio Dominicæ 6 post Natalem Domini.

[d] Deus, qui bonum semen in sua Ecclesia serere

[a] In Gemet.: *Deus qui Unigenitum suum misit in mundum, ut eum salvaret*, etc.

[b] Inscribitur in Gemet. *In Domin.* 3 scilicet post Epiphaniam. Et quæ supra assignatur pro Dom. 3 post Natale D. est pro Dom. 2 post Epiphan.

[c] Assignatur in Gemet. pro Dom. 4 post Epiph. et sequens pro Dom. 5.

[d] In Gemet., *qui bonorum semen.*

consuevit, in vobis illud conservare atque multiplicare nunquam desistat. Amen. Zizaniorum superseminatorem a vobis procul repellat, et sui verbi pabulo vos indesinenter reficiat. Amen. Quo cum dies judicii advenerit, a reprobis separati, ad dexteram judicis sistamini, et in beatissimo ipsius regno collocemini. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 7 post Natalem Domini.

[a] Deus, qui mare suis pedibus fecit esse calcabile, vobis quidquid est noxium ipse substernat. Amen. Contrarios immundorum spirituum motus compescat, et vos in sua pace confirmet. Amen. Crucis suæ navi inter mundi fluctus gubernet, et in littus beatæ perennitatis perducat. Amen. Quod ipse præstare etc.

Benedictio in Septuagesima.

Omnipotens Deus ita studium vestri cursus dirigere dignetur, etc., *ut in Edit. Consentientibus Manuscriptis Gemet. et aliis.*

Alia Benedictio. — Respice, Domine, de cœlo, et vide et visita vineam istam, quam plantavit dextera tua; spirituales exhibeant fructus, et cœlestes diligant actus, et sine vitio in hoc sæculo transigant vitam, ut possint promereri perpetuam. Amen. Fragilem solida, contritum releva, invalidum robora, validumque confirma; pietate alleva, charitate ædifica, castitate munda, sapientia illumina, misericordia serva. Amen. Proficiant huic præcepto fidei vigilantia, amoris tui perseverantia, morum temperantia, misericordiæ providentia, actuum disciplina; ut post concessam miserationis indulgentiam, non abjicias eos promissionis tuæ munificentia, sed perducas ad veniam, quos hic tibi adoptasti per gratiam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Sexagesima.

Det vobis Dominus nosse mysterium regni Dei, *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Aspiciat in vos Rector æternus, atque conservet in vobis gratiam quam profudit. Amen. Mentem regat, vias dirigat, cogitationes sanctas inferveat, actus probet, opera **629** confirmet, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura moderetur. Amen. Sit manus Domini auxiliatrix vestri, et brachium sanctum illius opituletur vobis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Quinquagesima.

Omnipotens Deus sua vos Benedictione confirmet, et imminenti quadragesimali [b] abstinentiæ aptos efficiat. Amen, etc., *ut in Edit.*

Alia Benedictio.— Benedic, Domine, hunc populum tuum, fructibus bonis, et operibus benedictis. Amen. Fac eum tali sobole germinare, ut in paradisi tui permaneat dignitate. Amen. Planta eum in sinu matris Ecclesiæ radicibus firmis, quo possit palatia regni introire cœlestis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in capite jejunii.— Benedicat vos Dominus Jesus Christus, qui se a vobis voluit benedici. Amen. Et qui hoc quadragenario circulo, cujus hodie inchoatis exordium, suo dedicavit jejunio, vestrum suscipiat jejunium, omnique vos repleat bono. Amen. Det vobis fidem integram et abstinentiam tam salubrem, ut nec caro escis devicta luxuriet, nec mens afflicta degeneret. Amen. Sed ita sit vobis sanctificatum in divino timore jejunium, ut vitiis pariter atque corporibus abstinentiæ frena imponatis, et toti [*forte* tuti] semper ab infestationibus inimici maneatis illæsi; et pax jugiter quieta permaneat in habitaculis vestris. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio infra hebdomadam. — [c] Respice, Pastor bone, super hunc gregem, et tribue ut qui terrenis abstinent cibis, spiritualibus pascantur alimoniis; et quem divinis reficere tribuis sacramentis, ab omnibus propitius absolve peccatis. Amen. Da eis sic in diebus jejuniorum suam componere vitam, ut non inveniantur voluntates eorum a tua voluntate dissimiles, sed sint semper in omnibus tuis præceptis obtemperantes. Amen. Et ita omnem hanc familiam tua Benedictione sanctifica, ut eorum jejunia oculis tuæ pietatis sint semper accepta, et ad desideratum sanctæ Resurrectionis tuæ diem eos mundo corde et corpore pro tua pietate jubeas præsentari. Amen Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 2 in Quadragesima.

Omnipotens Deus, jejunii cæterarumque, etc. *In Edit. Gussanvill. absolvitur ad hæc verba* Benignus auditum. Amen. *Omissio est ex aliis Excusis et manu exaratis supplenda; ubique enim legitur*: Quatenus mentes nostræ, etc., *ut in libro Sacram.*

Benedictio infra hebdomadam. — Deus, qui es custos animarum et corporum, dignare hanc familiam tuam brachio tuæ defensionis protegere, ut nullis inimicorum antiquorum hostium insidiis corpora nostra patiaris illudi, sed semper cum Domino nostro Jesu Christo Filio tuo maneamus illæsi. Amen. Da huic familiæ tuæ fidei calorem, continentiæ rigorem, fraternitatis amorem, abstinentiæ virtutem. Amen. Et sic quidquid dicto, facto, vel cogitationibus peccaverunt, pietas ac benignitas clementiæ ac misericordiæ tuæ resolvere ac indulgere dignetur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ in 3 Quadragesima.

Omnipotens Deus, jejuniorum, etc., *ut in Editis.*

630 *Alia.* — Omnipotens Deus det vobis copiam suæ Benedictionis, et conferat in vobis præmium sempiternæ salutis. Amen. Sicque quadragesimalis observantiæ inchoata jejunia sibi reddat placabilia, ut ab eo immarcescibilia valeatis percipere dona repromissa. Amen. Concedatque hoc sacræ Trinitatis atque individuæ unitatis clementia, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

Benedictio Dominicæ 4 in Quadragesima.

Deus, qui vos ad præsentium, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio infra hebdomadam. — Benedicat vos omnipotens Deus, et ad omnem rectam observantiæ plenitudinem totius honestatis instituat. Amen. Sit in vobis castitatis studium, modestia morum, innocentia vitæ sinceritas, fidei integritas, concordiæ charitas, continentiæ virtus, benignitas affectus. Ad te oculos tendant, de te cœlestia sumant, ut te votis expetant se claris actibus ornent. Amen. Ut consequenter cum sanctis præmia horum et multorum probitate consecuti, referamus Deo gratias, et præsentium bonorum largitori. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio [d] *in aurium apertione.* — Adesto, omnipotens Deus, huic populo tuo verbis hodie mysticis informato, ut fiat illis illuminatio mentis, et reparatio cordis. Amen. Proficiat in eis illapsa Benedictio tua plenius ad salutem, qui in hac die de sacris tuis cordis et corporis susceperunt inaures. Amen. Sis illis protector et Dominus in æternum, sicut fuisti.

[a] Exstat in Gemet. pro Dom. 6 post. Epiph.

[b] In Gemet., *abstinentia.*

[c] Habetur in Gemet., præmittiturque: *Incipit qualiter suscipere debeant pœnitentes episcopi et presbyteri.* Ubi sine observatione non prætereundum quod legitur: *Sicut sacrificium offerre non debent, nisi episcopi et presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt, sic nec judicia ista alii usurpare debent. Si autem necessitas evenerit, et presbyter non fuerit præsens, diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam communionem.* Post hoc commonitorium subjiciuntur Orationes et Psalmi super pœnitentes dicendi, et postea cinerum Benedictio.

[d] De hoc antiquo ritu vide notas ad lib. Sacrament. col. 386 et 381.

Israeliticis, præmonente Moyse, in subsidio, et Ægyptiis in exterminio, ut non premerentur oneroso servitio. Amen. Et ne ulterius graventur mole peccaminum, dignare circa eos divinum impertiri præsidium, ut tibi famulari valeant in æternum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 5 in Quadragesima.

Accendat in vobis, etc., *ut in Editis.*

Benedictio infra hebdomadam. — Benedicat vos omnipotens Deus, et mentes vestras ad boni actus intelligentiam benignus institutor erudiat, et præstet vobis velle quæ præcepit; inspiret quæ diligit, et tribuat quod oportet; atque omni vos bono spiritualium munerum cum præsentium rerum subministratione locupletet. Amen. Et vos in fide firmet, et in tentatione adjuvet, in conversatione castiget, in virtute multiplicet, in infirmitate relevet, in anxietate lætificet. Amen. In prosperitate præparet, in iniquitate emendet, in tranquillitate sublimet; infundat gratiam, indulgeat offensam, ingerat disciplinam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in die sancto Paschæ.

Benedicat vos omnipotens Deus, etc., *ut in Editis.*

Benedictio feriæ 2.

Deus, qui pro vobis suscepit injuriam, etc., *ut in Editis.*

Benedictio feriæ 3.

Deus, qui vos lavit aqua sui lateris, etc., *ut in Edit.*

Benedictio feriæ 4.

Dominus Deus noster vos perducat, etc., *ut in Edit.*

631 *Benedictio feriæ 5.*

Omnipotentis Dei et Domini nostri Benedictionibus, etc., *ut in Editis.*

Benedictio feriæ 6.

[a] Benedicat vobis de cœlis omnipotens Deus, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in Sabbato in Albis.

[b] Deus, qui, peracto senario numero, die sacro Sabbati ab omnibus operibus quievisti, volens ut in homine condito ubi requiesceres tibi domicilium præparares, exaudi preces supplicum ad dona tuæ clementiæ fideliter occurrentium. Amen. Præpara sensus eorum ad te suscipiendum, ut ipsi tibi proprie mereantur effici templum. Amen. Et ita præsentes famulos in hac vita protegas, ut in æternam requiem tecum dominator admittas. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ in octava Paschæ.

Deus, cujus Unigenitus, etc., *ut in Edit.*

Alia Benedictio. — Deus, qui per Resurrectionem Unigeniti, etc., *ut in Edit.*

Benedictio Dominicæ 1 post Pascha.

Benedicat vos omnipotens Deus qui vos gratuita miseratione creavit, etc., *ut in Editis.*

Benedictio de jejunio. — Omnipotens Deus, devotionem, etc., *ut in Editis.*

Item alia Benedictio. — Respice, Domine, super hanc familiam tuam subjectam tibi, Benedictionum tuarum dona poscentem; rege eam de superioribus tuis, et ubertatem frugum ei largire. Amen. Libera eam a diebus malis, et a perturbatione bellorum, et da ei tempora tranquilla atque pacifica, ut te custode pervigili ac Pastore æterno, et in præsenti tempore consistat secura, et ad æterna gaudia perveniat. Amen. Et qui quondam misericors misertus es turbæ tecum triduo permanenti, simili nunc dignatione huic miserere plebi, tibi jejuniis et hymnis innixius supplicanti. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 2 post Pascha.

[c] Deus, qui dignatione misericordiæ, majestate potenti, ut succurreres homini, terras cœlitus visitasti, et in carne sustinens pœnam patibuli, rumpens legem Tartari, ad cœlos ab inferis ascendisti, præsta familiæ tuæ ita hanc vitam transigere, ut in illam perpetuam te ducente possint intrare. Amen. Tantum habeant fervorem catholicæ fidei, ut sancti adventus tui sint exspectatione securi. Amen. Et quicunque meruerunt hic purgari unda baptismi, præsentari valeant tibi pio judici candidati. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 3 post Pascha.

Omnipotens Deus, qui de diversis floribus tuam semper exornas Ecclesiam, da plebi tuæ ad cœlestem gloriam et immortalitatis honorem renatæ dignum mentis regenerationis suæ ornatum. Amen. Custodi eam a diri serpentis incursu pietate solita, ut tuo famulatui semper possit esse continua. Amen. Quo et in præsenti sæculo sic te opitulante suam vitam dirigere et tuam misericordiam valeat exorare, ut ad æterna gaudia sine fine mansura, te Pastore ac duce, possit feliciter pervenire. Amen. Quod ipse præstare, etc.

632 *Benedictio Dominicæ 4 post Pascha.*

Benedic, quæsumus, Domine, universam familiam tuam ad gaudia perpetuæ resurrectionis feliciter evocatam. Amen. Rectissimum catholicæ fidei tramitem teneant, et in una Trinitatis professione consistant. Amen. Nulla eos a rectitudine ecclesiastici dogmatis pravæ assertionis impietas deviet, et ne sub prætextu nominis Christiani veritatis præsidio nudet, sed in eadem unitatis fide manentes effici mereantur regni cœlestis hæredes. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in die Ascensionis.

Benedicat vobis Deus, etc., *ut in Editis.*

Benedictio Dominicæ post Ascensionem Domini.

Benedictionum suarum super vos Dominus imbrem infundat, etc., *ut in Excusis, pro Dominica 1 post Ascens. Dom.*

Alia Benedictio. — Deus, qui Tartara fregisti resurgens, aperuisti cœlos ascendens, ut populi illuc per fidem ascenderent ubi te apostoli intrare viderunt, respice ascendens cœlum propter quos dignatus es descendere in infernum. Amen. Sit eis quod te exaltasti protectio, quibus fuit unicum quod te humiliasti remedium. Amen. Ut in die judicii non sint sinistri numero, qui te sedere ad Patris dexteram confitentur in cœlo. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Pentecoste.

Deus, qui hodierna die, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in hebdomada Pentecostes. — Omnipotens Deus, qui quinquagesimum diem futuræ remissionis munere figurasti, quo gratia Spiritus sancti inebriati apostoli mente una locuti sunt ore diverso, respice hanc Ecclesiam quam ex gentibus congregari linguarum varietate signasti. Amen. Da consolationem inter pressuras sæculi, qui nobis æqualem tibi ipsi consolatorem Spiritum misisti. Amen. Et te propitiante sit ipse nunc plebis hujus custodia, qui dedit discipulis tunc doctrinam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in XII *lectionibus, mense quarto.*

[d] Benedicat vobis omnipotens Deus qui cuncta ex

[a] In Gemet., *Benedicat vos Deus de cœlis omnipotens*, etc.

[b] In Edit. lib. Sacramentorum nulla assignatur Benedictio. Quæ legitur in Cod. Gemet. pro hujus diei officio, prorsus ab hac discrepat.

[c] Pro Dominicis post Pascha Codex Gemet. exhibet Benedictiones omnino diversas ab istis et a Vulgatis.

[d] Hoc est, in Sabbato XII lectionum.

nihilo creavit, *ut in libro Sacram. a nobis edito, pro Sabbato in* XII *lect.*, *mense* 4. *In Gemet. eadem assignatur pro tota hebdomada.*

Benedictio Octavæ Pentecostes.

Omnipotens Trinitas, unus et verus Deus, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Domine Jesu Christe, qui discipulis tuis sanctum dedisti Spiritum, Ecclesiæ tuæ catholicæ dona largire, ut quicunque sunt ex aqua et Spiritu sancto renati, semper sint ejus protectione muniti. Amen. Redundet in eis charitas diffusa per Spiritum sanctum, quæ operiat ac superet omnem multitudinem peccatorum. Amen. Et requiescat in istis propitius, qui quondam requievit in apostolis gloriosus. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 1 *post octavas Pentecostes.*

Benedic, Domine, istam omnem familiam, quæ gratiam Benedictionis tuæ desiderat invenire; propriam manum e cœlis emitte, et capita singulorum continge. Amen. Descendat super hos omnes gratia Benedictionis tuæ, sicut **633** descendit ros super faciem terræ. Amen. Manus tuæ sentiant tactum, Spiritus sancti percipiant gaudium, ut benedicti permaneant in æternum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 2 *post Pentecosten.*

Propitietur Dominus cunctis iniquitatibus vestris, etc., *ut in Edit. Dominica* 3 *post. Pentec.*

Benedictio Dominicæ 3 *post Pentecosten.*

Benedicat vobis Dominus noster oris alloquio, etc., *ut in Dominica* 4 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 4 *post Pentecosten.*

Emundet Dominus conscientias vestras, etc., *ut in Dominica* 5 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 5 *post Pentecosten.*

Agnoscat in vobis Dominus proprium signum et suæ vobis misericordiæ conferat donum. Amen. Bella comprimat, famem auferat, pacem tribuat, inimici insidias longe repellat. Amen. Mœrentium gemitus videat; vocem vestri doloris exaudiat, et lacrymas ab omni facie tergat. Amen. Æternam vobis dilectionem indulgeat, et perfectam charitatem concedat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 6 *post Pentecosten.*

Amoveat a vobis Dominus totius maculas simultatis, etc., *ut in Dom.* 7 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 7 *post Pentecosten.*

Benedicat vos omnipotens Deus, et per abundantiam misericordiæ suæ cor vestrum corroboret. Amen. Mentem sanctificet, vitam amplificet, castimoniam decoret, atque sensus vestros in bonis operibus semper ædificet; prospera tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem nutriat, charitatem uniat, et ab omnibus diabolicis et humanis insidiis sua semper vos protectione et virtute defendat. Amen. Et ita devotionem vestram placatus semper suscipiat, ut quæque ab eo postulaveritis clementer concedat. Auferat mala omnia quæ gessistis, et tribuat gratiam quam semper rogatis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 8 *post Pentecosten.*

Sanctificet vos Domini gratia, etc., *ut in Edit. Dom.* 9 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 9 *post Pentecosten.*

Populi tui, Domine, postulationes exaudi, et in calamitatibus constitutis velociter subveni. Amen. De sua fac liberatione gaudere, quos cernis sub pondere nimium laborare. Exultent et lætentur in te, dum se viderint salvari per te. Amen. Mitte eis, Domine, defensionis tuæ semper arma invictricia [*forte* victricia], quibus faciant universa bella prostrata. Amen. Auxilio tuo momentis omnibus visitentur, ut, superatis inimicorum viribus, roborentur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 10 *post Pentecosten.*

Deus qui est vita mortalium, salusque peccatorum, etc., *ut in Edit. Dom.* 11 *post Pent*

Benedictio Dominicæ 11 *post Pentecosten.*

Tribuat vobis Dominus charitatis donum, indulgentiæ fructum, et vitæ æternæ consortium. Amen. Abstergat a vobis omnes maculas peccatorum, ut eum vigilanter mereamini agnoscere, fideliter colere, et desiderabiliter exspectare. Amen. Illuminet gratiam suam super vos, et misereatur vestri, sicut illuminavit Moysen et filios Israel, in columna ignis et nubis. Donet vobis gratiæ perpetuæ donum, et conferat gaudium angelorum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

634 *Benedictio Dominicæ* 12 *post Pentecosten.*

Gratiæ suæ dono vos Dominus locupletet, et cœlesti Benedictione custodiat, etc., *ut in Edit. lib. Sacrament., ubi tamen, consentiente Cod. Gemet., legitur :* gratia sua vos Dominus locupletet.

Benedictio Dominicæ 13 *post Pentecosten.*

Benedicat vobis Dominus, cœlorum rector et conditor, et det vobis tranquillitatem temporum, salubritatem corporum, salutemque animarum. Amen. Tribuatque vobis frugalitatis gaudium, æternitatis præmium, lumen clarissimum sempiternum. Amen. Et concedat vobis suæ pietatis auxilium, ut cum cogitatione mens videat, lingua voce proferat, actio facti non defendat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 14 *post Pentecosten.*

Benedictio vos Domini comitetur, etc., *ut in Editis Dom.* 15 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 15 *post Pentecosten.*

Benedic, Domine, hanc plebem tuam, atque hos omnes concordes, quietos, pacificos, et sospites serva. Amen. Tribue eis ut sectentur non interitum sed vitam, non carnem sed spiritum, non temporalia, sed æterna. Amen. Ut operibus suis non solum absoluti, verum etiam justificati, digni sint vitam et gloriam promereri. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 16 *post Pentecosten.*

Omnipotens Deus peccatorum vestrorum maculas purget, etc., *ut in Edit. Dom.* 17 *post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 17 *post Pentecosten.*

Benedic, Domine, populum tuum, et devotum respice, humilitatem vide, gemitus suscipe, dolentes paterna pietate jube consolari. Amen. Prostratum alleva, dispersum congrega, adunatumque conserva, esurientem ciba, sitientem pota, omnesque simul cœlestibus donis irriga. Dele in eis omnem peccati maculam, ut, te gubernante, ad gloriam perveniant sempiternam. Amen. Humiliata tibi omnium capita dexteræ tuæ Benedictione sanctifica, ac benedicendo peccata relaxa. Sanctique Spiritus effunde charismata. Ut sine ulla offensione Majestatis tuæ præcepta adimpleant, et ad vitam æternam, te auxilia te, perveniant. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Sabbati in XII *lectionibus, mense* 7 *et feria* 4.

Deus, fons indulgentiæ, suscipiat propitius litationem abstinentiæ vestræ. Amen. Impleat corda vestra suorum delectationibus hostiarum, et det vobis posse suis parere præceptis. Amen. Ut quod non potestis carnali ex infirmitate perficere, ipsius gratiæ ubertate mereamini adimplere. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 18 post Pentecosten.

Benedicat vos Pater Domini nostri Jesu Christi, et respectu misericordiæ cœlestis protegat vos sub umbra virtutis. Amen. Deique vobis animarum compunctionem, immaculatam fidem, conscientiæ puritatem. Amen. Sensus vestros dirigat, corda compungat, in prosperis assistat, in adversis manum porrigat, in laboribus solatium ferat. Amen. Virtutum suorum merita multiplicet, recta consilia adducat, terrenarum rerum a vobis pondera auferat. Amen. Repleat corda vestra spiritualibus donis, et abundare faciat semper perfectæ gratiæ incrementis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 19 post Pentecosten.

Deus invisibilis, inæstimabilis, infinite, perennis, immense, auctor noster, redemptor noster, et principii in natura alienus et termini, tu celebrem populi hujus conventum tanquam proprii sanguinis pignus illustra. Amen. **635** Rege sensus canos viduarum, sollicitudines virginum, vota nuptiarum, desideria pupillorum, necessitates puerorum, lapsus infantium parvulorum. Amen. Quoniam tu es bonorum sensuum requies, felicium juvenum custos, sanctarum virginum sponsus, fidelium viduarum defensor, honestorum conjugum fides, pupillorum laborantium pater, puerorum proficientium doctor, infantium et susceptor pariter et nutritor. Amen. In te senecta ætas initiet, adulta corroboret, longæva consummet. Per te gaudeat integritas non corrumpi; per te sciat castitas reparari, fides pura non destrui, vita displicens emendari, misericordia fieri, continentia servari, innocentia non evinci. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 20 post Pentecosten.

Benedicat vos Trinitatis divinæ Majestas, et una deitas, Pater et Filius et Spiritus sanctus; talesque inveniat dies examinationis, quales emisit fons regenerationis. Amen. Benedicat vos Dominus, qui auctor est omnium, et conditor sempiternus. Corpus vestrum servet immaculatum, et animas vestras misericorditer tueatur. Amen. Sicque vos ab omni crimine peccatorum reddat innoxios, ut in vobis maneat Spiritus sanctus, et securi præstolemini adventum ejus. Amen. Ille vobis benedicat de cœlis, qui vos sacrosancto sanguine redimere dignatus est in terris. Amen. Benedictio Dei Patris, etc.

Benedictio Dominicæ 21 post Pentecosten.

Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus posuisti, sanguinis tui defende commercium, gregem tuum propitius visitare dignare, esurientem pasce, sitientem pota, quod perierat require, quod errat converte, contritum colliga, invalidum confirma, validumque conserva. Amen. Fac eos ante conspectum tuum eum justitia vivere, et cum misericordia, si se custodierint, judicari. Tribue eis in fide credulitatem, in labore virtutem, in affectu devotionem, in actu prosperitatem, in victu abundantiam, in pace lætitiam, in conversatione gratiam, in luctatione victoriam. Amen. Ut in beneplacito conspectui tuo tramite gradientes, et præsens tempus cum felicitate percurrant, et venturum cum hilaritate suscipiant. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 22 post Pentecosten.

Benedictionis Domini vos gratia semper protegat, etc., *ut in Edit. Dominica 23 post Pentec.*

Benedictio Dominicæ 23 post Pentecosten.

Omnipotens Dominus adaperiat vos vestrum in lege sua, etc., *ut in Edit. Dom. 24 post Pentec.; in Gemet. est pro Dom. 23.*

Benedictio Dominicæ 24 post Pentecosten.

Aspiciat et benedicat vos Dominus, ex omni parte custodiat rex æternus, et det vobis angelum lucis, et conservet in vobis gratiam quam profudit. Amen. Mentem regat, vias dirigat, cogitationes sanctas instruat, actus præbeat [*Forte* probeat], opera confirmet, præterita indulgeat, præsentia emendet, futura moderetur. Amen. Sit manus Domini auxiliatrix vestri, et brachium sanctum illius opituletur vobis; fiat misericordia ejus super vos, et pietas illius subsequatur vobis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 25 post Pentecosten.

Benedicat vos et sanctificet Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram in sapientia, sua Benedictione æterna, qua benedixit omnes sanctos patres et patriarchas nostros Abraham, Isaac et Jacob. Amen. Multiplicet in vobis gratiam spiritualem, sicut multiplicavit semen eorum tanquam stellas cœli et velut arenam quæ est in littore maris. Amen. Ipse vos protegat atque defendat omnibus diebus vitæ vestræ, et perducat in regnum gloriæ suæ. Amen. Quod ipse præstare, etc.

636 *Benedictio Dominicæ 26 post Pentecosten.*

Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle. Custodi illum perpetua tuitione, atque ab omni adversitate defende. Amen. Visita eum interventu sanctorum omnium, sicut Moysen in rubo, Josue in agro, Samuelem in templo, atque illa eum sapientia perfunde, quam beatus David rex in Psalterio, Salomon in filio, te largiente, percepit a cœlo. Amen. Et ita postremo paterna pietate conserva, ut quæque prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, et a peccatis liber, nullis adversitatibus atteratur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 27 post Pentecosten.

Benedicat vos Deus Pater, qui in principio cuncta creavit ex nihilo. Amen. Benedicat vos Dei Filius, qui a superna sede descendit humillimus. Amen. Benedicat vos Spiritus sanctus qui in similitudine columbæ Jordanis in flumine requievit in Christo, ipseque in Trinitate sanctificet, quem omnes gentes venturum exspectant. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 28 post Pentecosten.

Quæsumus, Domine, super populum tuum benedictio copiosa descendat. Amen. Indulgentia veniat, consolatio tribuatur. Amen. Fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 5 ante Natalem Domini.

Concedat vobis Dominus præmium sincerissimæ charitatis, etc., *ut in Editis.*

Benedictio Dominicæ 4 post Natalem Domini.

Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum, etc. *ut in Edit.*

Alia Benedictio. — Aperi, Domine, januas cœli, et visita plebem tuam in pace. Emitte Spiritum tuum de alto, et irriga terram, et germinet spiritualem fructum. Amen. Sanctifica plebem tuam, Domine, qui datus es nobis ex Virgine, et benedic hæreditatem tuam in pace. Amen. Præsta eis semper tempora salutis, quæ ante tuum adventum prædixit sanctus propheta Joannes, ut hic fideliter accipiant et in futuro cum sanctis et electis tuis vitam et regnum consequantur æternum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 3 ante Natalem Domini.

Deus, cujus adventus Incarnationis, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Dominus Jesus Christus, qui sacratissimo adventu suo subvenire dignatus est mundo, animas vestras corporaque purificet a delicto. Amen. Det vobis legis suæ præcepta virtute Spiritûs sancti apprehendere, ut possitis adventum

ejus interriti præstolari. Amen. Sicque vos ab omni reatu immunes efficiat, ut cum advenerit, non in terrore discutiat, sed in gloria remunerandos assumat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 2 ante Natalem Domini.

Omnipotens Deus vos placito vultu respiciat, etc. *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Excita, Domine, potentiam tuam, et veni ad salvationem populi tui, quem acquisisti sanguine tuo, ne in ejus perditione sævus ille exsultet humani generis inimicus, quem adventus tui potentia dudum liberasti per gratiam. Amen. Sit fortitudo dexteræ tuæ ad protectionem hujus familiæ tuæ, per quam dignatus es hoc tempore carnem induere virginalem. Amen. Et dum infirmitatem nostram tua clementia non ignorat, ita omnem hanc Ecclesiam tuam **637** tuæ divinitatis clypeo protege, ut de sævi illius antiqui hostis tentatione nos liberes, et gentium feritatem ita mitiges, ut nihil eorum jacula tuorum possint generare dispendia. Amen. Sed tu, Pastor bone, qui temetipsum nostri causa dedisti pro pretio, ita sanguinis tui defende commercium, ut et hic te semper sentiant prævium, et in æterna beatitudine te remunerante mereantur accipere præmium. Amen. Tu ergo eos, omnipotens Domine Jesu Christe, Benedictionum rore perfunde, ut et in præsenti vita positi, de omnibus inimicis te habeant ereptorem, et hic et in æternum semper sentiant protectorem. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio Dominicæ 1 ante Natalem Domini.

Deus, qui vos et prioris adventus, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Deus, qui per tuum angelum nuntiasti Christum venturum in sæculo, præsta, quæsumus, ut nunc venienti occurrere populus mereatur cum gaudio. Amen. Dirigat vestra corda per tempora qui dixit Lux fiat, ante sæcula. Amen. Tribuatque ille vobis veniam peccatorum, qui pro salute humana fudit in cruce sanguinem proprium. Amen. Ille vos benedicat de cœlis qui per crucem passionis suæ nos redimere venit in terris. Amen. Benedictio Dei Patris.

VIII Kal. Febr. Conversio sancti Pauli.

Deus, qui gratia sua Paulum, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in Purificatione sanctæ Mariæ.

Omnipotens Deus, qui, etc., *ut in Editis.*

[a] *Benedictio in Natali sanctæ Agathæ.*

Sanctifica, Domine, Ecclesiam tuam, qui beatam Agathen virginem et martyrem acquisisti fide, honorasti pudore, glorificasti certamine. Amen. Repleatur hic populus illo spiritu qui martyri tuæ adfuit Agathæ, cum eam ignis torreret, et cum ungula raderet, cum aculeus infigeret, cum mamillam torqueret. Amen. Ut dum se sibi pro tuo amore abnegat, tua collocet in dextera, cujus est electione vocata in gloriam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

[b] *Benedictio in Cathedra sancti Petri VIII Kal. Martii.*

Deus qui beatum Petrum apostolum tuum ita reddidisti præcipuum, ut sortiretur inter ipsos fidei principes principatum, et accepta potestate consessus in sæculo, cœli fieret janitor, ut quos vult intromittat cives in regno, respice plebem tuam pietate solita, qui sacrosancto apostolo gressum firmasti per lubrica, et culpas abluisti per lamenta. Amen. Obtineat apud te pro corrigendis delictis, qui claudo fuit medela pro dirigendis vestigiis. Amen. Et ipso interveniente et remunerante, illuc grex sibi commissus introducatur venia, quo pastor idemque janitor tecum remuneratus exsultat in gloria. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sancti Matthiæ apostoli VI Kal. Martii.

Deus, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, etc., *ut in Editis. Abest a Gemet.*

Benedictio in Inventione sanctæ crucis.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui per unigeniti, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in nativitate sancti Medardi.

Deus [c] fundator fidei, indultor sacerdotii, congregatio plebis, **638** sanctificatio confessoris, qui beatum Medardum ad hoc armasti virtute ut tibi militaret in fide, concede huic familiæ pro se hunc intercessorem quem dedisti pontificem. Amen. Sit apud te nunc pro nobis assiduus intercessor, qui contra hæreticos pro te exstitit tunc assertor. Amen. Ut te retribuente populo crescat innumero, quod sacerdos sudavit in fide. Amen. Quod ipse præstare, etc.

[d] *Benedictio in vigilia sancti Joannis Baptistæ.*

Deus, qui beatum Joannem Baptistam magnum nuntiasti per angelum, maximum declarasti per Verbum, qui clausus in utero reddidit obsequium Domino, matrem replevit gaudio, patris linguam solvit a vinculo, cerne placato vultu frequentantem hodie populum ad tanti præconis occursum. Amen. Ascendat vox illius ad aures Altissimi, qui maternis visceribus ante mundi Dominum novit confiteri quam nasci. Amen. Ut eo intercedente purgetur hæc plebs a crimine, cujus auctorem lavacri sacra dextera tinxit in fonte. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali apostolorum Petri et Pauli.

Benedicat vos, etc., *ut in Edit.*

Item alia Benedictio. — Deus, qui in membris Ecclesiæ velut geminatum lumen, quo caveantur tenebræ, fecisti Petri lacrymas, Pauli litteras coruscare, concede huic familiæ tuæ felicia dona suis indefessis petitionibus obtinere. Amen. Atque eam de supernis sedibus placatus inspice, qui cœlos fecisti aperire Petro in clave, Paulo in dogmate. Amen. Ut prævantibus ducibus illuc grex possit accedere, quo pervenerint ipsi pariter, tam ille pastor per suspendium, quam iste doctor per gladium. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sancti Laurentii Martyris.

[e] Corrobora gregem tuum, turris fortitudinis, qui beatum Laurentium prius ornasti pectore, post sermone, ante decorasti professione quam funere. Amen. Infunde circumstantibus credulitatis spiritum, qui confitenti aderas, ne facerent plagæ trepidum, pœna fessum, flamma devictum. Amen. Ut ipso interveniente, ac te remunerante, illa luce plebs radiet, qua levita fulsit in carcere, illa fide micet qua cœlis victor martyr intravit hodierna die. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Assumptione sanctæ Mariæ.

Deus, qui beatæ Mariæ virginis partu genus humanum dignatus est redimere, etc., *ut in lib. Sacr.*

Benedictio in natali sancti Bartholomæi.

[f] Deus, qui Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis, quæsumus ut beatus Bartholomæus pro nobis imploret apostolus, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Amen. Infunde sensibus nostris apostolica retinere dogmata, quibus te contemplemur mente serena. Amen. Concede propitius circumstanti plebi ut in illo tremendo discussionis tempore eorum defensetur

[a] Exstat in Codice Gemet., ubi immediate subjicitur benedictio in natali sancti Vedasti.

[b] Habetur in eodem Gemet. Cod.

[c] Eadem est quæ in Codice Gemet. assignatur pro festo sancti Vedasti, mutato tantum sancti nomine.

[d] Legitur in Codice Gemet.

[e] Alia in Codice Gemet. assignatur, scilicet : *Sanctæ Trinitatis super vos Benedictio descendat*, etc.

[f] Exstat in Codice Gemet.

præsidio quorum est edocta præcepto. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Decollatione sancti Joannis Baptistæ.

Deus, qui nos beati Joannis Baptistæ concedit, etc., *ut in Edit.*

Item alia. — Rege, Domine, corda plebis tuæ per arma justitiæ, vitæ attentæ diligens, fugiat lascivia [*Forte* æternæ diligens, fugiat lasciviam] carnis iniquæ. Amen. **639** Ablue culpas ejus obtentu Baptistæ tui, qui pro te interemptus in ergastulo, tecum exsultat in regno. Amen. Sitque apud te intercessor pro populo, quem exæquasti Eliæ meritis, quem præfecisti inter cunctos sobolis munditialis. Amen. Inspice pius arbiter ad desideria plebis vultu potius remissoris quam judicis. Amen. Exigat a te munera indulgentiæ, qui devote populis pœnitentiam prædicavit, ut illo postulante, et te impertiente, cœlestis aulæ palatia mereantur introire. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sanctæ Mariæ.

Deus, [a] qui, cum te non capiant cœli, dignatus es in templo uteri virginalis includi, ut mater integra haberet et fructum de Spiritu, et incorruptionem de partu, da huic plebi angelum custodem, qui filium Mariæ fide concipiente prædixit. Amen. Sanctificet gregem tuum illa Benedictio quæ sine semine humano Redemptorem virginis formavit in utero. Amen. Ut te protegente exultet Ecclesia de congregato populo, sicut Maria meruit gloriam de fructu sacrato. Amen. Et qui hac die nativitatem sacratissimæ virginis tuæ genitricis Mariæ celebramus devoti, quam super choros virginum paradisi sedibus collocasti, ejusdem nos suffragiis, post abjectam carnis sarcinam, ad æterna jubeas regna perduci. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Exaltatione sanctæ crucis.

[b] Deus, qui redemisti genus humanum per beatæ crucis patibulum, ut quod prius erat scelestis ad pœnam, sit conversis redemptis ad vitam, concede plebi tuæ ejus salvari præsidio, cujus est armata vexillo. Amen. Sit ei crux fidei fundamentum, spei suffragium, in adversis defensio, in prosperis juvamentum. Amen. Perseveretque in hoste victoria, in civitate concordia, in campo custodia, in domo fultura, ut gregem in futuro conservet incolumem, quæ nobis Agno vincente versa est in salutem. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sanctorum Cornelii et Cypriani.

Exaudi, Domine, preces supplicum, remuneratio gentium, recuperatio confitentium. Amen. Sint huic familiæ tuæ dona salutis acquirere, tuæ Majestati vota vocis offerre. Amen. Ut intercessione beatorum Cornelii et Cypriani martyrum illuc plebs occurrat devota per veniam, quo iidem martyres meruerunt accedere per tormenta. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in dedicatione basilicæ sancti Michaelis.

Deus, qui ad salutem vestram angelorum suorum uti ministerio, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Adesto plebi tuæ, misericors Deus, ad hodiernam solemnitatem devotissime confluenti; et ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, beati Michaelis archangeli, cujus solemnia celebrantur, fac supplicem deprecationibus sublevari. Amen. Ab omni eos labe peccatorum defensa, et ad tua æterna deduc promissa. Amen. Amove ab eis pestifera serpentis blandimenta, et insere semper cordibus eorum præcepti tui salubria mandata. Amen. Actus eorum in tua dirige voluntate, quo possint, te auxiliante, attingere præmia æternæ vitæ. Amen. Postremo tu sis eis lux, tu salus, tu pius semper in omni adversitate protector esse digneris; et ad hæc omnia impetranda beatus Michael archangelus, cujus frequentamus solemnia, tibi, Domine, precator accedat in sæcula. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

640 *Benedictio in natali sanctorum Remigii, Germani, Vedasti et Bavonis.*

[c] Deus, qui beatos confessores tuos Remigium, Germanum, Vedastum atque Bavonem clarificasti sic merito, ut multa per miracula vivant in gloria, annue propitius circumstanti familiæ, ut sentiat tua beneficia, quæ colit hodie sanctorum pontificum festa. Amen. Influe Spiritum sanctum pectoribus supplicum, quos felicium exemplis edoces, quos confessorum præsidiis muneraris; ut qui in beatorum confessorum tuorum virtutibus polles, potestate præcellis, omnibus hostibus prostratis populum tuum ab incursu Satanæ salvare digneris. Amen. Et eorum intercessione hæc plebs consequatur veniam, qui te remunerante pervenerunt ad gloriam sempiternam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in nativitate omnium sanctorum.

Sanctorum omnium suorum meritis, etc., *ut in Edit. Abest a Gemet., ubi tres hac die Benedictiones prorsus diversæ ab Excusis, et a sequenti Codice Theod. assignantur.*

Alia Benedictio. — Respice, quæsumus, Domine, de altithrono magnitudinis tuæ, qui vulnere proprio passionis congregasti Ecclesiam de redemptis. Amen. Protege eam sub tui nominis gubernaculo, ut possis beatæ vitæ meritis acquirere populum. Amen. Dilatetur cruce tua, ut coram te pulcherrima niteat ac præclara. Amen. Et quæ de hodierna omnium sanctorum tuorum solemnitate persultat, ab hujus sæculi tentamentis impressa non obruat. Amen. Præsta ergo, Domine, ut omnes hi qui sub oris nostri benedictione curvantur, te protegente a malis omnibus liberentur. Amen. Sint in tuis præceptis strenui, in adversis fortissimi, in prosperis moderati, ut sanctorum omnium quorum hodie solemnia festa celebramus effecti participes, gloriam consequantur regni cœlestis hæredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in natali sancti Martini.

[d] Omnipotens Deus, qui beatum Martinum præsulem tuum ita prædestinasti, ut gratiæ tuæ perenniter juberes astringi, erige vota populi, qui præstitisti gloriosa merita tuo confessori. Amen. Proficiat his ad fructum quidquid in sacerdote pro laude tui nominis amplectuntur, et hæc plebs ejus intercessione consequatur veniam, qui, te remunerante, felici servitio pervenit ad gloriam. Amen. Sit ipse confessor hujus populi assiduus custos, qui te vocante hodie penetravit cœlos. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sancti Andreæ apostoli.

[e] Deus, qui Ecclesiam tuam in apostolicis tribuisti consistere fundamentis, quæsumus ut beatus Andreas pro nobis imploret apostolus, ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Amen. Infunde sensibus nostris apostolica dogmata, quibus te contemplemur mente serena. Amen. Concede propitius circumstanti plebi ut in illo tremendo discussionis tempore eorum defensetur præsidio quorum est secuta præceptum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in natali sancti Eligii.

Deus, qui beatissimum Eligium præsulem tuum tanta familiaritate tibi junxisti, ut etiam cum adhuc

[a] Assignatur quoque Benedictio pro hac solemnitate in Pontificali Gemet., sed alia, quæ sic incipit: *Omnipotens Deus, qui per incarnatum Verbum unigenitum*, etc. Additur et altera: *Omnipotens Deus, sua vos dignetur protectione bened*

[b] Legitur eadem in Gemet.

[c] Habetur in Gemet. iisdem verbis.

[d] Exstat in Gemet. Cod., paucis immutatis.

[e] In Pontificali Gemet. exstat alia Benedictio, tam pro vigilia, quam pro die natali sancti Andreæ.

corpore habitaret in terris, jam tunc corde totus esset in cœlis, respice vota præsentis familiæ, quæ se gaudet tanti patroni solemnia 641 celebrare. Amen. Dignare ejus intercessione super eam illas petitiones effundere, quas eligis libenter implere. Amen. Et festivitatem hanc venisse in terris sentiat, quam videre votis in cœlis exoptat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate sancti Nicasii.

Deus, qui triumphantibus per te martyribus regiam cœlestis aulæ potenti dextera pandis, quique pro te dimicantes sic decoquis in corporeis ærumnis, ut velut aurum rutilans excipias in supernis, exaudi vota præsentis populi, qui sancto martyri tuo Nicasio in certamine victoriam præstitisti. Amen. Sit plena huic gloria pro ejus triumpho; obtineat ipsius passio veniam pro delicto, et effunde super eos spiritualium dona virtutum, ut nihil in eos inimicus aut violentia subripiat, aut fraude decipiat. Amen. Et obtinente apud te beato martyre tuo Nicasio, cujus hodie passionis festa celebramus, per bonæ conversationis perseverationem ad tuam mereamur pertingere gratiam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in nativitate sancti Thomæ apostoli.

Domine Deus omnium gratiarum, respicere dignare omnem hunc populum tuum, qui in honore tuo divinis famulatur officiis; et quidquid sancto apostolo tuo Thomæ hodierno die profuit ad beatitudinem, prosit huic Ecclesiæ ad exemplum. Amen. Ut ipso intercedente sit in eis fides recta, imitabilis forma, casta sobrietas, hospitalis charitas, spiritualis prudentia, alta sapientia, mens humilis, vita sublimis. Amen. Et cum ante tremendum judicii diem in conspectu tuo astiterint, non damnandam sed mitem ex ore tuo audiant absolutionis sententiam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in nativitate unius confessoris.

Omnipotens Deus det vobis, etc., *ut in Editis.*

Benedictio in dedicatione ecclesiæ.

Benedicat et custodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc sui muneris præsentia illustrare, etc., *ut in Editis.*

Alia Benedictio. — Deus, qui super mysticam petram apostolicæ potestatis, ædificatæ principaliter ecclesiæ tuæ portas inferi nunquam prævalituras esse promisisti, cunctos ab eadem remove placatus errores, ut quod adversus eam præsumptio falsitatis extollat, spiritus veritatis evincat. Amen. Dirige eam dispensatione cœlesti, ut quæ ante mundi principium in tua semper est præsentia præparata, usque ad plenitudinem gloriæ promissæ, te moderante, perveniat. Amen. Domum hanc, quæsumus, propitius dignare ingredi, et in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi construe mansionem, ut plebs hæc quæ dejecto in terra vultu Benedictionis tuæ postulat donum, æternum a te percipiat præmium. Amen. Præsta, Domine, ut hæc basilica, cujus hodie initiamus encœnia, aut cujus dedicationem colimus, vel et plebs quæ ad ejus convenit solemnia, quæ tua ædificatione subsistit, tua semper fiat habitatione præclara. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in anniversario dedicationis ecclesiæ.

Benedic, Domine, hanc familiam tuam pretiosi sanguinis effusione redemptam, et baptismate sacrosancto renatam. Amen. Da ei, Domine, hoc munus gratiæ tuæ, ut te amet, te diligat, te sequatur. Amen. Mala respuat, bona sectetur, cupiat sempiterna, terrena despiciat, caduca contemnat, cœlestia concupiscat. Amen. Et dum ad hanc diem dedicationis templi hujus in tuo sancto nomine devotis mentibus congregatur, ad locum habitationis gloriæ tuæ, te moderante, perveniat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

642. *Benedictio in quotidianis diebus.*

Det vobis Dominus munus suæ benedictionis, et repleat vos, etc., *ut in superiori appendice, ubi, pro* Det vobis Dominus munus, etc., *legitur:* Omnipotens Dominus det vobis gratiam, etc.

Alia. — Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, et suæ benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis, ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innitimini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus et in præsenti sæculo mortalis vitæ solatia capiatis, et sempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia. — Omnipotens Deus dexteræ suæ, etc., *ut in appendice.*

Alia. — Purificet omnipotens Deus, etc., *ut in dicta appendice.*

Alia. — Omnipotens Deus universa, etc., *ut in præf. append.*

Alia. — Omnipotens Deus dies vestros, etc., *ibid.*

Benedictio super regem.

Benedicat tibi Dominus, et custodiat te; et sicut te voluit super populum suum constituere regem, ita et in præsenti sæculo felicem, et æternæ felicitatis tribuat esse consortem. Amen. Clerum ac populum quem sua voluit opitulatione et tua sanctione congregari, sua dispensatione, et tua administratione, per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen. Quatenus divinis monitis parentes, adversitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo ministerio felici amore obsequentes, et in præsenti sæculo pacis tranquillitate fruantur, et tecum æternorum civium consortio potiri mereantur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in quacunque tribulatione.

Deus mœstorum solatium, tribulatorum refugium, suo vos brachio foveat, et ab imminentibus periculis illæsos miseratus efficiat. Amen. Dexteræ suæ vos omnipotentis clypeo muniat, et muro inexpugnabili suæ fortitudinis ab instanti tribulatione circumtegat. Amen. Iram suæ animadversionis a vobis propitiatus avertat, et portum vobis salutis indulgens in suæ vos protectionis interritos securitate constituat. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia benedictio. — Populi tui, Deus, institutor et rector, peccata quibus impugnatur expelle, ut semper tibi placitus, et tuo munimine sit securus. Amen. Da plebi tuæ piæ semper devotionis affectum, ut, quæque prava sunt respuens, sancta conversatione firmetur, et, a peccatis libera, nullis adversitatibus atteratur. Amen. Succurre, Domine, quæsumus, populo supplicanti, et opem tuam tribue benignus infirmis, ut sincera mente tibi devotus et præsentis vitæ remediis gaudeat et futuræ. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in dedicatione baptisterii.

Deus, qui sacri baptismatis dono fidelium pectora spe animas, fide firmas, charitate corroboras, te in hac baptisterii domo cujus initiamus solemnia, fusis precibus deprecamur, ut gratiam quam huic populo tribuisti per lavacrum, conserves usque sempiternum. Amen. Et quos undis salutaribus irrigasti per gratiam, sanctorum cœtibus adjunge per misericordiam; atque omnes quos ab aqua refectionis eduxisti innocuos, per infusionem paracleti spiritus, sanctis tuis jube fieri coæternos. Amen. Recordare, 643 exaudi preces, vota perfice famulantium, et in libro vitæ scribe nomina te quærentium, ut omni consecratione præsentiam altaris, quam populi templique ac baptisterii non vox aut lingua mortalis, sed virtus tua operetur, cui servimus. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in conventu episcoporum.

Deus, qui, post illum gloriosæ resurrectionis ascensum, nunquam te deesse tuis cultoribus promisisti

largire nobis sacerdotibus tuis, *vel* huic sacerdoti, illam gratiam qua simus perfecti, *vel* qua sit perfectus, regimine ferventes, *vel* fervens, in charitate. Amen. Indulge horum, *vel* hujus, obtentu populis veniam, qui justos efficeris [*Forte* efficis] ad coronam. Erudi eos, *vel* eum, sanctis dogmatibus, et multiplica in operibus eorum, *vel* ejus, justitiæ fructus. Amen. Ut pastoris cura muniti, *vel* munitus, evadant, *vel* evadat, supplicia Tartarorum, adipisci mereantur, *vel* mereatur, regni gloriam sempiterni. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio cum sanctamonialis virgo benedicitur, et cum in monasterio puellarum Missa celebratur.

Effunde, Domine, cœlestem Benedictionem tuam super hunc populum tibi prostratum, vel super hanc virgineam turmam, quæ se humiliat sub dextera tua; protege eas protectione divina, ut fugiant universa delicta, et tua semper studeant adimplere præcepta. Amen. Sciant sibi bona desideria præparata, ut cœleste regnum sancto conquirant loco; pareant semper divinis præceptis, et te adjuvante vincant incendia carnis. Amen. Omnem libidinem pravæ voluptatis superent amore honestæ charitatis. Habeant in se semper oleum sanctitatis, ut lætentur in adventu sponsi cum lampadibus suis. Amen. Gestent in manibus suis faculas sacras, ut cum sapientibus virginibus duce Christo introire cum eo mereantur ad nuptias. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio super ancillas Dei.

Domine Deus æterne, qui utrumque sexum de interitu perpetuæ mortis per Jesum Christum Filium tuum de Maria semper virgine natum misericorditer redemisti, has famulas tuas tibi devotis mentibus servientes omni Benedictione cœlesti benedicere digneris. Amen. Ut in te integram fidem habeant, et in præceptis legis tuæ semper perseverent, terrena et transitoria despiciant, interna et invisibilia intenta meditatione perquirant. Amen. Atque in numero sanctarum virginum permaneant, ut cœlesti sponso cum lampadibus inexstinguibilibus fiducialiter occurrere valeant. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio pro iter agentibus.

Dirigat iter vestrum Dominus in beneplacito suo, vobisque inseparabiliter benignissimus custos inhæreat. Amen. Ducem vobis archangelum Raphaelem adhibeat, et omnem a vobis incommoditatem contrarietatemque propitiatus amoveat. Amen. Desideriorum vestrorum pia vota clementer impleat, ut et hic bona consequi, et ad æternam beatitudinem pervenire feliciter mereamini. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia Benedictio. — Prosperum iter faciat vobis Deus salutarium nostrorum, perducatque in vias directas per ardua montium, convexa vallium, plana camporum, vada fluminum, secreta silvarum; protegatque vos auxilium Domini, ut nihil vobis prævaleat scandalum inimici. Amen. Per diem vos salutaris Domini umbra circumtegat; per noctem amica quies ipsis gratiam relatura confoveat; deducatque vos mirabiliter dextera Domini, et præbeat ante faciem vestram divinæ pacis angelum comitem. Amen. Absit a vobis in via diabolus, causa dispendi, ruina peccati, casus incommodi, sors periculi; solusque Trinitatis individuæ **644** Deus in auxilium vestrum atque præsidium educi curam habeat et reduci. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia Benedictio. — Deus, qui diligentibus te omnia cooperaris in bonum, et a servientibus tibi nulla es regione longinquus, effunde super hanc familiam tuæ Benedictionis gratiam, et dirige famulum tuum *N.* in tua voluntate pergentem. Amen. Præsta ergo, Domine, ut hæc plebs te semper mereatur habere protectorem, et præfatus famulus tuus in hac vita positus itineribus comitem. Amen. Ut tam prædicta plebs quam qui hoc iter carpunt, tuo utrque auxilio præventi, per justitiæ semitas gradiantur, sine offensione delicti. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia Benedictio. — Benedicat vos, Dominus, munere suæ divinitatis, ut progrediamini prospere ad actus firmissimæ securitatis. Amen. Iter vestrum inspiciat, subsequens præcedat, gressus dirigat, et ad justæ dispensationis loca sine offensione perducat; Amen. Quatenus ejus gloriam in sæculi hujus itinere fideliter veneremini, et ad paradisi patriam redeuntes in choris angelicis sine fine lætemini. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in tempore belli.

Populi tui, quæsumus, omnipotens Deus, propitiare peccatis, et totius hostilitatis a nobis terrores averte, ut Christiani nominis secura libertas in tua devotione semper exsultet, et tibi subdito famulatu deserviat. Amen. Elide omnium adversariorum nostrorum superbiam, et virtute dexteræ tuæ prosterne hostium contumaciam. Amen. Fidelem hunc populum potentiæ tuæ muniat invicta defensio, ut pio semper tibi devotus affectu, et ab infestis liberetur inimicis, et in tua jugiter gratia perseveret. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio ad pluviam postulandam.

Inclina, quæsumus Domine, aures pietatis tuæ ad populi tui preces, et faciem totius terræ largis imbribus irrigare dignare. Amen. Tribue auras salubres, atque ægris restitue pristinam sanitatem, ut animæ quæ promissiones tuas sitiunt de tua semper charitate abundantius repleantur. Amen. Da nobis, quæsumus, pluviam salutarem, et aridam faciem terræ fluentis cœlestibus dignanter infunde. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio ad serenitatem postulandam.

Magnificentiam tuam, Domine, suppliciter imploramus, ut qui imminentibus pluviarum periculis populum tuum terruisti potenter, eumdem sub tui oris Benedictione prostratum consolari jubeas, serenitate concessa temporum. Amen. Ut humanarum rerum prosperitate percepta, terrenis consolationibus gratulemur. Amen. Neque gaudia quærere cessemus superna, sed et quidquid lætitiæ temporalis fasce impeditur, eruditione potius sempiterna pellatur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio tempore, quod absit, mortalitatis.

Deus qui non mortem sed pœnitentiam semper desideras peccatorum, populum tuum sub potentia manus tuæ prostratum ad te converte propitius, et ab imminente morte defende placatus. Amen. Ut dum tibi devotus exstiterit, iracundiæ ab eo flagella amoveas, atque a mortifero vastatore defendas. Amen. Præsta ergo, Domine, ut sicut sanctus Michael archangelus in conspectu tuo gloriosus assistit, ita et ibi pro populo tuo exorare dignetur, ut ubique gratiam tuam semper præsentem habere mereatur. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio cum Oblatio votiva offertur.

Misericordia divina, paterna pietas, immensa majestas, te supplices deprecamur, ut tua sit Benedictio super famulos tuos, qui tibi cervices suas humiliant, et dona eis largam **645** Benedictionis tuæ petitionem quam sibi devota mente deposcunt. Amen. Da et famulo tuo pro quo tibi votiva sacrificia offerimus, mentem tuis conspectibus puram, charitatem perfectam, continentiam mundissimam, tribuasque ei, Domine, pariter cum his omnibus criminum remissionem, fructuum ubertatem, fraternam charitatem. Amen. Adde eis, Domine, in opere virtutem, in actibus sinceritatem, in moribus disciplinam; atque ita eos paterna custodi pietate, ut nunquam ulterius noxia ulla conentur admittere. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio novi fructus cum sacrat [*Forte* sacratur].

Tibi, piissime Deus, supplices fundimus preces, ut familiam tuam sub potentia dexteræ tuæ prostratam benedicendo sanctifices. Amen. Fidem in eis, pacem et humilitatem impertiendo multiplica, ut clementiæ tuæ dono custodientes quæ præcipis, mereantur obtinere quæ promittis. Amen. Ac per illustrationem unici Filii tui Domini nostri Jesu Christi, et Spiritus sancti Benedictionem sanctifica, ut, depulsis atque abjectis vetusti hostis insidiis, salubriter ex hujus diei anniversaria solemnitate de universis terræ edendis germinibus primitias tibi offerentes sumant, atque in tuo sancto nomine cuncta deinceps edant. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio cum navi ascenditur.

Hic populus tuus, Domine, tuo gubernetur auxilio, et tuæ Majestatis protegatur brachio; non pelagi furentis unda turbetur, nec a tempestatis facie terreatur. Amen. Navim salutis eis constitue, ut cor eorum impleatur fidei salutaris augmento; catholicæ fidei anchoram teneant, ut undas sæculi sævientis securi pertranseant. Amen. Mercimonia divinæ conversationis peragant, et fidem promissionis suæ semper adimpleant; manum eorum reple muneribus tuis, ut locum habeant in sanctorum conversationibus. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Missa sacerdotis defuncti.

Deus, qui es confitentium te largus remunerator, et pia propitiatio defunctorum, exaudi supplices familiæ tuæ preces, et præsta ut famulus tuus *N.* episcopus, qui nomini tuo ministerium fidele dependit, perpetua sanctorum tuorum societate lætetur. Amen. Ac sicut beati *N.* sedem vicario est secutus officio, ita, tua gratia largiente, perpetuam dignitatis gloriæ percipiat portionem. Amen. Hic quoque populus, qui tibi fidelibus pro eo insistit excubiis, benedictionis tuæ largitate perfusus, gratiam quam exposcit abundantem reportet. Amen. Quod ipse præstare, etc.

[a] *Benedictio regalis quando elevatur in regem.*

Prospice, omnipotens Deus, serenis obtutibus hunc gloriosum regem *N.*, et sicut benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, sic illum largis Benedictionibus spiritualis gratiæ cum omni plenitudine tua potentia irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, et vini, et olei, et omnium frugum opulentiam, ex largitate divini muneris, longa per tempora. Amen. Ut illo regnante sit sanitas corporum in patria, et sit in regno pax inviolata, e dignitas gloriosa, regalis palatii maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium luce clarissima coruscare atque splendescere quasi splendidissima fulgora maximo lumine videantur perfusa; et tribuas ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriæ, et consolator Ecclesiarum atque cœnobiorum sanctorum, maxima cum pietate regalis munificentiæ; sit etiam fortissimus regum triumphator hostium, ad opprimendas rebelles et paganas omnium nationes. Amen. Sitque inimicis suis satis terribilis, proxima fortitudine regalis potentiæ, optimatibus quoque, atque præcellentibus proceribus ac fidelibus sui regni sit 646 munificus et amabilis et pius, et ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis ejus per successiones temporum futurorum egrediantur regnum regere Francorum, et, post gloriosa tempora atque felicia præsentis vitæ, gaudia sempiterna habere mereatur in beatitudine perpetua. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Item alia benedictio regalis. — Deus Pater gloriæ sit adjutor tuus, et omnipotens benedicat tibi. Amen. Preces tuas in cunctis exaudiat, et vitam tuam longitudine dierum adimpleat. Amen. Thronum regni tui jugiter firmet, et gentem populumque tuum in æternum conservet. Amen. Inimicos tuos confusione induat, et super te Christi sanctificatio floreat. Amen. Ut qui tibi tribuit in terris imperium, ipse in cœlis conferat meritum angelorum. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio pro iter agentibus.

Benignissimus custos vobis inseparabiliter inhæreat, et iter vestrum beneplacito suo misericorditer dirigat. Amen. Ducem vobis archangelum Raphaelem adhibeat, etc., *ut supra.*

Benedictio post cœnam.

Immittat in vobis Dominus quietem sancti soporis, et ut oculi pupillam vos custodiat alis suæ protectionis. Amen. Quatenus in corpore dormiatis sic quiescentes carne, ut cordibus et mentibus Deo digne vigilare possitis. Amen. Et cum vobis adfuerit hora de somno surgere, divina possitis vos virtute præcingere. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Oratio ad infantes consignandos.

Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hunc famulum tuum, *seu* hos famulos tuos, *et* has famulas tuas, ex aqua, et Spiritu sancto, quique dedisti ei, *sive* eis, remissionem omnium peccatorum; emitte in eum, *sive* in eos et in eas, septiformem Spiritum tuum sanctum Paracletum de cœlis, Spiritum sapientiæ et intellectus, Spiritum consilii et fortitudinis, Spiritum scientiæ et pietatis; adimple eum, *sive* eos, *aut* eas, spiritu timoris tui, et consigna eum, *sive* eos, *aut* eas, signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per eumdem, etc. In unitate ejusdem, etc. Consigno et confirmo te signo crucis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo. Deus qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum, et, per eos eorumque successores, cæteris fidelibus tradendum esse voluisti, respice ad humilitatis nostræ famulatum, et præsta ut cujus, *sive* quorum, *aut* quarum, frontem, *sive* frontes, sacrosancto chrismate delinivimus, et signo crucis confirmavimus, *sive* consignavimus, ejus, *sive* eorum, *aut* earum, mentem Spiritus sanctus adveniens templum gloriæ suæ dignanter inhabitando perficiat, qui vivit et regnat in unitate ejusdem, etc.

Alia Benedictio. — Benedicat tibi, *vel* vobis, omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit; et tibi, *vel* vobis, in baptismate per Spiritum sanctum remissionem peccatorum tribuat. Amen. Quique eumdem Spiritum in igneis linguis discipulis suis dedit, cor tuum, *vel* corda vestra, ipsius illustratione irradiet, atque in sui amorem jugiter accendat. Amen. Quatenus ejus dono a vitiis omnibus emundatus, *vel* emundati, ipsiusque opitulatione ab omnibus adversitatibus defensus, *vel* defensi, templum ejus effici merearis, *vel* mereamini. Amen. Quod ipse præstare, etc. Benedictio Dei Patris.

Benedictio in natali beati Theoderici abbatis.

Deus, qui ad celebrandam annuam [*Supplendum* solemnitatem] sancti confessoris tui Theoderici hunc populum aggregasti, ejus suffragantibus meritis, 647 ab omnibus nos absolve peccatis. Amen. Virtutum germine ita excrescant ut in bonis operibus perseverabiles inveniri mereantur. Amen. Quatenus bona cuncta exsequendo, cum sanctorum collegio, æternæ beatitudinis præmia feliciter valeant consequi coronam. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Alia Benedictio. — Deus, qui ad exorationem Moysi famuli tui peccanti populo pepercisti, ita intercedente confessore tuo Theoderico, cujus hodie celebramus gesta [*Forte* festa], nostra absolve peccata. Amen. Respice, quæsumus, hanc familiam tuam, serenitatis tuæ oculis, et largis eam Benedictionibus perfunde. Amen. Dirige gressus illius in viam salutis æternæ, quatenus sacramenta fidei sincera prosequatur servitute. Amen. Quod ipse præstare, etc.

[a] In Gemet. plurimæ reperiuntur *super regem*, ab his omnino diversæ.

Benedictio in ordinatione papæ.

Omnipotens Deus, qui in populo suo ministerio utitur sacerdotum, conferat vobis suæ propitiationis et Benedictionis donum. Amen. Quique me indignum nullis existentibus 648 meritis, sed gratuita sua pietate huic Ecclesiæ præesse voluit, suffragiis sanctorum suorum me ab omnibus vinculis peccatorum absolvat, sanctisque suis altaribus strenuum dignumque ministrum efficiat. Amen. Quatenus per exempla sanctorum sacerdotum qui in hac sede et in hoc ministerio ei placuerunt gradientes, gregemque commissum secundum suam voluntatem, eo opitulante, regentes, ab omnium pastorum Pastore Christo Domino præmia sanctis promissa una cum subditis percipere et in electorum numero mereantur adjungi. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio pro defuncto dicenda.

Dominus Jesus Christus, qui se a peccatoribus exorari præcepit, ipse quod rogetur inspiret, et in hac speciali Oblatione famulum suum ab inferorum cruciatibus liberet. Amen. Illum paradisi amœnitate confoveat, vos morum probitate componat. Amen. Illi post funera carnis, det loca beatitudinis, vobis in longinquitate peregrinationis indulgentiam tribuat criminis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

BENEDICTIONALE

SANCTO GREGORIO MAGNO VINDICATUM

A Kollario, in suis Vindobonensibus Analectis [a].

Benedictio in vigilia Natalis Domini.

Omnipotens Deus, qui incarnatione Unigeniti sui mundi tenebras effugavit, et ejus gloriosa Nativitate hanc sacratissimam noctem irradiavit, effuget a vobis tenebras vitiorum, et irradiet corda vestra luce virtutum. Amen. Quique ejus sacratissimæ Nativitatis gaudium magnum pastoribus ab angelis voluit nuntiari, ipse super vos Benedictionis suæ gratissimum imbrem infundat, atque ipso pastore vos ad æternorum gaudiorum pascua æterna perducat. Amen. Et qui per ejus Incarnationem terrena cœlestibus sociavit, internæ pacis et bonæ voluntatis vos nectare repleat, et cœlestis militiæ consortes efficiat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris et Filii et Spiritus sancti, et pax Domini sit semper vobiscum.

Benedictio in die Natalis Domini.

Benedicat vos omnipotens Deus, vestramque ad superna excitet intentionem, qui hanc sacratissimam diem Nativitate Filii sui fecit esse solemnem. Amen. Et qui eum qui panis est angelorum in præsepi Ecclesiæ cibum fecit esse fidelium animalium, ipse vos et in præsenti sæculo degustare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, et in futuro perducat ad satietatem æternorum præmiorum. Amen. Quique ejus infantiam vilibus voluit indui pannis, ipsa vos cœlestium vestimentorum induat ornamentis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate sancti Stephani martyris.

Deus qui Beatum Stephanum protomartyrem coronavit, et confessione fidei, et agone martyrii, mentes vestras circumdet, et præsenti sæculo corona justitiæ et in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen. Illius obtentu tribuat vobis Dei et proximi charitate semper exuberare, qui hanc studuit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen. Quo ejus et exemplo roborati, et intercessione muniti; ab eo, quem ille a dextris Dei vidit stantem, mereatur benedici. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum, etc.

In nativitate sancti Joannis evangelistæ.

Omnipotens Deus dignetur vobis per intercessionem beati Joannis apostoli et evangelistæ benedicere, qui per eum arcana verbi sui voluit Ecclesiæ revelare. Amen. Concedat nobis ut quod ille Spiritus sancti munere afflatus vestris auribus infudit, ejusdem Spiritus dono capere mente valeatis. Amen. Quo ejus documento de divinitate nostri Redemptoris edocti, et amando quod tradidit et prædicando quod docuit, et exsequendo quod jussit, ad dona pervenire mereamini quæ idem Jesus Christus Dominus noster repromisit. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate sanctorum Innocentum.

Omnipotens Deus, pro cujus Unigeniti veneranda infantia, infantum innocentum catervas Herodis funesti peremit sævitia, suæ vobis Benedictionis tribuat dona gratissima. Amen. Et qui eis concessit ut unicum Filium ejus Dominum nostrum non loquendo, sed moriendo confiterentur, concedat vobis, ut fidem veram, quam lingua vestra fatetur, etiam mores probi et vita inculpabilis fateantur. Amen. Quique eos primitivum fructum sanctæ suæ suscepit Ecclesiæ, cum fructu bonorum operum vos faciat pervenire ad gaudia æternæ patriæ. Amen. Quod ipse præstare, *ut supra.*

Benedictio in octava D. N.

Omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die, ne legem solveret, quam adimplere venerat, corporalem suscepit circumcisionem, spiritali circumcisione mentes vestras ab omnibus vitiorum incentivis expurget, et suam in vos infundat Benedictionem. Amen. Et qui legem per Moysen dedit, ut per Mediatorem nostrum Benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum, et faciat perseverare in novitate virtutum. Amen. Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc sæculo vivatis, et in septenario inter beatorum spirituum agmina requiescatis, quatenus in octavo resurrectione renovati, Jubilæi remissione ditati, ad gaudia sine fine mansura perveniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Theophania.

Deus lumen verum, qui Unigenitum suum hodierna die stella duce gentibus voluit revelare, sua vos dignetur benedictione ditare. Amen. Quo exemplo magorum mystica Domino Jesu Christo munera offerentes spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen. Detque vobis veram mentium innocentiam, qui super Unigenitum suum spiritum sanctum demonstrari voluit per columbam, eaque virtute mentes vestræ exerceantur ad intelligenda divinæ legis Arcana, qua in Cana Galileæ limpha est in vinum conversa. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Purificatione sanctæ Mariæ.

Omnipotens Deus, qui Unigenitum suum hodierna die in assumpta carne in templo voluit præsentari, Benedictionis suæ vos munere fultos, bonis operibus faciat exornari. Amen. Et qui eum, ut legem adim

[a] Consule monitum editoris huic tomo præfixum. EDIT.

pleret, ministrum voluit effici legis, mentes vestras instruat legis suæ spiritalibus documentis. Amen. Quo ei et pro turturibus castitatis seu charitatis munera offerre valeatis, et pro pullis columbarum Spiritus sancti donis exuberetis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in annuntiatione sanctæ Mariæ.

Dominus Jesus Christus, qui in sæculorum fine processit ex Virgine, cor vestrum virginitatis incorruptæ corona clarificet. Et qui annuntiante angelo Virginis ingressus est uterum, ejus vos ministerii et instruat et muniat sacramento. Amen. Quique hodie Virginis conceptionem devotissime celebratis, ad Nativitatem nostri Redemptoris exultantibus animis et mundo corde perveniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum, etc.

Benedictio in Septuagesima.

Deus omnipotens, qui unicuique nostrum ita currere ut comprehendamus jussit per Apostolum suum, infundat cordibus vestris Paracletum Spiritum, quo et felicissimum valeatis consummare cursum, et in ejus vinea, licet diversis vocationibus laborantes, promissæ tamen ab eo mercedis mereamini recipere nummum. Amen. Ejusdem sancti Spiritus illustrati gratia, vegetati clementia, taliter flagitia relinquatis, atque plangatis præterita, devitetis præsentia, caveatis futura, qualiter digne a vobis observanda hic inchoetur, et dignius etiam consummetur sacratissimæ quadragesimæ abstinentia ventura. Amen. Quatenus peragentes competenter ipsum tempus quadragesimale, purificatis mentibus ab omni vitiorum labe, mereamini mundi venire ad celebrandum solemniter festum paschale. Amen.

Benedictio sacrosanctæ Eucharistiæ.

Omnipotens Deus, opifex totius fabricæ mundi, qui in principio condidit omnia opera sua perfectione senarii numeri, dignetur vobis per ineffabilem gratiam suam largiri ut omni vitæ vestræ tempore continua suæ Benedictionis mereamini protectione muniri. Amen. Concedatque vobis illa opera per sex dierum curricula patrare, per quæ in septimo tantam et talem gratiam ejus valeatis impetrare, ut et ipsius possitis laudibus delectabiliter vacare, et sine crimine sincerissima devotione sacrosancto corpori et sanguini dominico ad remedium communicare. Amen. Quo spiritali alimonia recreati, ejus optabili custodia tutati, perpetualiter placeatis ei, ab omni opere servili penitus liberati et ab universo facinore pariter mundati. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Quadragesima.

Benedicat vos divina pietas et ejus æterna Majestas, qui per legislatorem Moysen famulum suum præcepit Judaicæ plebi ut anno jubilæo terræ foret remissio, et servorum etiam libertas. Amen. Liberet vos a jugo diabolicæ servitutis, et superaddens vobis vigorem pristinæ salutis, effundat super vos clementer spiritum servitutis. Amen. Quo tales egredi mereamini de corpore ab omni scelerum contagione purgati, quales per Christi roseum cruorem redimendo fuistis misericorditer expiati. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio initio Quadragesimæ.

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moysi et Heliæ, necnon et Mediatoris nostri jejunio consecravit, concedatque vobis ita transigere præsentis vitæ dispensationem, ut, accepto a Patrefamilias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remissionem, et ad gloriosam cum sanctis omnibus resurrectionem. Amen. Detque vobis spiritualium virtutum invictricia arma, quibus exemplo Domini devincere valeatis antiqui hostis sagacissima tentamenta. Amen. Quo non in solo pane, sed in omni verbo, quod de ore ejus procedit, spiritalem sumentes alimoniam, per jejuniorum observationem et cæterorum bonorum operum exhibitionem percipere mereamini immarcescibilem gloriæ coronam. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Hebdomadis secundæ in Quadragesima Benedictio.

Omnipotens Deus, jejunii cæterarumque virtutum dedicator atque amator, sua vos benedictione sanctificet. Amen. Accendat in vobis piæ devotionis affectum et præbeat supplicantibus suum benignum auditum. Amen. Quatenus mentes vestræ sinceris purgatæ jejuniis bonorum omnium exuberent incrementis. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Dominicæ III in Quadragesima Benedictio.

Omnipotens Deus jejuniorum vestrorum victimas clementer accipiat, et sua vos benedictione dignos efficiat. Amen. Mentes vestras ita parcimoniæ bono contra vitia muniat, præceptorum suorum doctrinis erudiat, charitatis dono repleat, ut vos in omnibus sibi placere concedat. Amen. Quatenus præsentis quadragesimæ diebus devotissime celebratis, ad paschalia festa purificatis cordibus accedere valeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Dominicæ IV in Quadragesima Benedictio.

Deus, qui vos ad præsentiam quadragesimalium dierum medietatem dignatus est perducere, ipse vos sua miseratione dignetur benedicere. Amen. Abstinentiam vestram præteritam acceptet, futuram ita sibi placitam reddet, ut sicut ab illicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abstinere concedat. Amen. Quo de præteritis et de futuris spiritalium charismatum frugibus ei grates persolventes, ad sanctum pascha pervenire possitis indemnes. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Dominica V in Quadragesima.

Accendat in vobis Dominus vim sui amoris, et per jejuniorum observantiam infundat vobis donum suæ Benedictionis. Amen. Sic ei parcimoniæ victimas offeratis, ut contriti ei cordis et humiliati sacrificio placeatis. Amen. Quatenus Oratio vestra jejunii et eleemosynæ alis subvecta ita ad aures vestri conditoris ascendat, ut vos æternæ beatitudinis hæredes, et supernorum civium consortes efficias. Amen. Quod ipse præstare, etc.

Benedictio in Ramis Palmarum.

Benedicat vobis omnipotens Deus, cui et jejuniorum maceratione, et præsentium dierum observatione placere studeatis. Amen. Concedat vobis, ut sicut ei cum ramis Palmarum cæterarumve frondium præsentare studuistis, ita cum palma victoriæ et fructu bonorum operum ei post obitum apparere valeatis. Amen. Quique Unigeniti Filii ejus passionem puro corde creditis, mente devota venerari studetis, ad Resurrectionis ejus festa et vestræ remunerationis præmia, ipsius fulti munimine, veniatis. Amen. Quod ipse præstare, dignetur, etc.

Item alia Benedictio de Passione.

Omnipotens Deus, qui Unigeniti sui passione tribuit vobis humilitatis exemplum, concedat vobis per eamdem humilitatem percipere suæ Benedictionis ineffabile donum. Amen. Quatenus ipsius resurrectionis percipiatis consortia, cujus patientiæ veneramini documenta. Amen. Quo ab eo sempiternæ vitæ munus percipiatis, per cujus temporalem mortem æternam vos evadere creditis. Amen.

Benedictio in Cœna Domini.

Benedicat vos Deus, qui per unigeniti Filii sui passionem vetus Pascha in novum voluit converti, concedatque vobis ut, expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perseveret conspersio. Amen. Et qui ad celebrandam Redemptoris nostri cœnam mente devota convenistis, æternarum dapium vobiscum epulas reportetis. Ipsius quoque opitulante

clementia mundemini a sordibus peccatorum, qui ad insinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare discipulorum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Sabbato sancto.

Deus qui de Ecclesiæ suæ intemerato utero novos populos producens, ea in virginitate manente nova semper prole fœcundat, fidei, spei et charitatis vos munere repleat, et suæ in vos Benedictionis dona infundat. Amen. Et qui hanc sacratissimam noctem Redemptoris nostri Resurrectione voluit illustrare, mentes vestras peccatorum tenebris mundatas virtutum copiis faciat coruscare. Amen. Quo eorum, qui modo renati sunt, innocentiam imitari certetis, et vascula mentium vestrarum exemplo præsentium luminum illustretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad hujus sponsi thalamum, cujus Resurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare possitis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in die sancto Paschæ.

Benedicat vos omnipotens Deus hodierna interveniente paschali solemnitate, et ab omni miseratus dignetur defendere pravitate. Amen. Et qui ad æternam vitam in Unigeniti sui Resurrectione vos reparat, in ipsius adventu immortalitatis vos gaudiis vestiat. Amen. Et qui, expletis jejuniorum, sive passionis dominicæ, diebus, paschalis festi gaudia celebratis, ad ea festa, quæ non sunt annua, sed continua, ipso opitulante exsultantibus animis veniatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in octava Paschæ.

Deus, cujus Unigenitus hodierna die discipulis suis januis clausis dignatus est apparere, suæ vos Benedictionis dono locupletare et cœlestis vobis regni januas dignetur aperire. Amen. Et, qui ab eorum pectoribus attactu sui corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat ut per fidem qua eum resurrexisse creditis omnium delictorum maculis careatis. Amen. Et, qui eum cum Thoma Deum et Dominum creditis, et cernitis, vocibus invocatis, ab eo et in hoc sæculo a malis omnibus tueri et in futuro sanctorum cœtibus adsciscì valeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio de Resurrectione.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miseratione creavit, et in resurrectione Unigeniti sui, spem vobis resurgendi concessit. Amen. Resuscitet vos de vitiorum sepulcris, qui eum resuscitavit a mortuis. Amen. Ut cum eo sine fine feliciter vivatis, quem resurrexisse a mortuis veraciter credatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur.

Alia. — Deus, qui per Resurrectionem Unigeniti sui vobis contulit et bonum Redemptionis, et decus adoptionis, suæ vobis conferat præmia Benedictionis. Amen. Et, quo redimente percepistis donum perpetuæ libertatis, eo largiente consortes efficiamini æternæ hæreditatis. Amen. Et cui consurrexistis in baptismate credendo, adjungi mereamini in cœlesti regione bene vivendo. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio de Jejunio.

Omnipotens Deus devotionem vestram dignanter intendat, et suæ vobis Benedictionis dona concedat. Amen. Indulgeat vobis mala omnia quæ gessistis, et tribuat vobis veniam, quam ab eo deposcitis. Amen. Sicque jejunii vestri et precum vota suscipiat, ut a vobis adversa omnia, quæ peccatorum retributione meremini, avertat, et donum in vos spiritus Paracleti infundat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in die Ascensionis Domini.

Benedicat vos omnipotens Deus, cujus Unigenitus hodierna die cœlorum alta penetravit, et vobis, ubi ille est, ascendendi aditum patefecit. Amen. Concedat propitius ut, sicut post resurrectionem suam discipulis visus est manifestus, ita vobis in judicium veniens videatur placatus. Amen. Et, qui eum consedere Patri in sua majestate creditis, nobiscum manere usque in finem sæculi secundum suam promissionem sentiatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in vigilia Pentecostes.

Benedicat vos omnipotens Deus, ob cujus Paracleti Spiritus adventum mentes vestras jejunii observantia præparatis, et præsentem diem solemnibus laudibus honoratis. Amen. Instar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum sancti Spiritus ipso tribuente esse possitis. Amen. Atque idem sanctus Spiritus ita vos hodie sua habitatione dignos efficiat, ut cras se vestris mentibus vobiscum perpetim habitaturus infundat, et peracto præsentis vitæ curriculo vos ad cœlestia regna perducat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Pentecoste.

Deus, qui hodierna die discipulorum mentes Spiritus Paracleti infusione dignatus est illustrare, faciat vos sua Benedictione repleri et ejusdem spiritus donis exuberare. Amen. Ille ignis, qui super discipulos apparuit, peccatorum vestrorum sordes expurget, et sui luminis infusione corda vestra perlustret. Amen. Quique dignatus est diversitatem linguarum in unius fidei confessione adunare, in eadem vos faciat constantia fidei perseverare, et per hanc a spe ad speciem pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate sancti Joannis Baptistæ.

Benedicat vos omnipotens Deus beati Joannis Baptistæ intercessione, cujus hodierna die natalitia celebratis, concedatque, ut cujus solemnia colitis, patrocinia sentiatis. Amen.

Illius obtentu ab omnibus adversis tueamini, et bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi nec dum natus cognovit, matris sterilitatem nascendo abstulit, patris linguam natus absolvit. Amen. Quatenus ipsius Agni, quem ille digito ostendit, cujus immolatione estis redempti, ita virtutum lanis vestiri, et innocentiam valeatis imitari, ut ei in æternæ patriæ felicitate possitis adjungi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Benedicat vos omnipotens Deus, qui unigeniti Filii sui per beatum Joannem tandem nostri misertus nuntiavit in terris adventum. Amen. Ipse Spiritus sanctus, qui eum replevit clausum in utero matris, et patris linguam solvit a vinculo, faciat vos sua Benedictione repleri ut spiritalibus donis abundanter exuberare. Amen. Ascendat vox deprecantis præcursoris ad aures clementissimi Patris, qui mundi Redemptorem ante novit confiteri, quam nasci, quique auctorem lavacri sacris manibus suis tinxit in fonte, maculas delictorum vestrorum clementer sua intercessione expurget, atque copiis virtutum fecundet. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in festivitate sanctæ Crucis.

Benedicat vos omnipotens Deus, qui per unigeniti sui Jesu Christi Domini nostri passionem, et crucis patibulum, genus redemit humanum. Amen. Concedatque vobis ut cum omnibus sanctis quæ sit ejusdem crucis longitudo, latitudo, sublimitas et profundum, mente devota comprehendere possitis. Amen. Quatenus vosmetipsos abnegando, crucemque gestando, ita in præsentis vitæ stadio Redemptorem nostrum possitis sequi, ut ei inter choros angelorum post obitum mereamini adscissi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate apostolorum Petri et Pauli.

Benedicat vos omnipotens Deus qui vos beati Petri saluberrima confessione in ecclesiasticæ fidei fundavit soliditate. Amen. Et quos beati Pauli san-

etissima instruxit prædicatione, sua tueatur gratissima defensione. Amen. Quatenus Petrus clave, Paulus sermone, utrique intercessione ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi, alter cruce, alter gladio, hodierna die meruerunt pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in Assumptione sanctæ Mariæ.

Deus, qui beatissimam virginem Mariam Domini nostri Jesu Christi gloriosissimam Genitricem hodierna die ad cœlos voluit evocare, et super choros angelorum sublimiter exaltare, suæ vos Benedictionis gratia per intercessionem ejus et merita dignetur taliter ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini transmigrare. Amen. Concedatque vobis in hoc sæculo, sic fide vigere, spe gaudere, et charitate pollere, castitatis jugiter eminentia fulgere et humilitatis etiam excellentia splendere, quo ipsi per omnia bonis operibus adornati valeatis placere. Amen. Faciatque vos omnia præterita flagitia et facinora ita die noctuque gemitibus et fletibus expiare, præsentia et futura tam salubriter evitare, quatenus cum ipsa possitis æternaliter in cœlestibus emicare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in festo sancti Joannis de Martyrio.

Deus, qui vos beati Joannis Baptistæ concessit solemnia frequentare, tribuat vobis et eadem devotis mentibus celebrare, et suæ Benedictionis dona percipere. Amen. Et qui pro legis ejus præconio carceralibus est retrusus in tenebris, intercessione sua a tenebrosorum operum vos liberet incentivis. Amen. Et qui pro veritate, quæ Deus est, caput non est cunctatus amittere, suo interventu ad caput vestrum, quod est Christus vos faciat pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate sanctæ Mariæ.

Deus, qui per beatæ Mariæ virginis partum genus humanum dignatus est redimere, sua vos dignetur Benedictione locupletare. Amen. Ejusque semper, et ubique patrocinia sentiatis, ex cujus intemerato utero auctorem vitæ suscipere meruistis. Amen. Et qui ad ejus celebrandam nativitatem hodierna die devotis mentibus convenistis, spiritalium gaudiorum, et æternorum præmiorum vobiscum munera reportetis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc., *ut supra.*

Benedictio de adventu Domini.

Omnipotens Deus, cujus Unigeniti adventum et præteritum creditis, et futurum exspectatis, ejusdem adventus vos illustratione sanctificet, et sua Benedictione locupletet. Amen. In præsenti vitæ stadio vos ab omni adversitate defendat, et se vobis in judicio placabilem ostendat. Amen. Quo, a cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem exspectetis interriti, cujus sanguine estis redempti. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus vos placito vultu respiciat, et in vos suæ Benedictionis donum infundat. Amen. Et qui hos dies Incarnatione Unigeniti sui fecit solemnes, a cunctis præsentis et futuræ vitæ adversitatibus vos reddet indemnes. Amen. Ut. qui de Adventu Redemptoris nostri secundum carnem devota mente lætamini, in secundo, cum in Majes ate sua venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Benedicat vos ineffabilis gratia, et pietas Dei vivi, et annuat vobis per admirabilem et salutarem Adventum Filii sui ne sub dominatione peccati remaneatis, quod absit, captivi. Amen. Ab omni vos miseria tam potenter liberare et in sua misericordia tam clementer dignetur perseveranterque confirmare, ut sibi vos faciat in præsenti sæculo taliter deservire, qualiter ad eum in futuro gaudentes mereamini pervenire. Amen. Quique pro vobis eumdem Unigenitum suum in Adventu primo voluit incarnari, ipse vos in secundo faciat ab injustorum consortio separari et justorum commercio secum perenniter mansuros aggregari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Benedicat vobis Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris atque Redemptoris mundi, et ita vos benedicendo justificet atque sanctificet illustratione primi Adventus ejusdem Unigeniti sui, ne in secundo coram ipso appareatis immundi. Amen. Fundet vos ejus gratia tam firmiter in humilitate vera, et solidet tam stabiliter in charitate sincera, quo taliter vobis displiceant ea quæ sunt mundi, et placeant jugiter ea quæ sunt Dei, ut in cœlesti beatitudine pariter cum sanctis cohæreatis. Amen. Quique pro salute servorum eumdem Filium suum tantum voluit humiliari, ut intra maternum uterum naturæ nostræ in unitatem personæ copulando dignaretur uniri, intra vos in hoc primo Adventu splendore suæ visitationis atque inhabitationis faciat illustrari, quatenus in secundo mereamini cum ipso perpetim gloriari. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre, etc.

Benedictio in nativitate unius apostoli.

Deus, qui vos in apostolicis tribuit consistere fundamentis, benedicere vos dignetur, beati apostoli sui N. intercedentibus meritis. Amen. Defendatque vos a cunctis adversis apostolicis præsidiis, qui vos eorum voluit ornari et muniri exemplis et documentis. Amen Quo per eorum intercessionem perveniatis ad æternæ patriæ hæreditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre, etc.

Benedictio in nativitate unius martyris.

Beati martyris sui N. intercessione vos Dominus benedicat, et ab omni malo defendat. Amen. Extendant in vos dexteram suæ propitiationis, qui eum suscepit per supplicia passionis. Amen. Quo ejus in cœlo mereamini habere consortium, cujus devotis mentibus in terra celebratis triumphum. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio in nativitate plurimorum martyrum.

Benedicat vos Dominus beatorum martyrum suorum NN. suffragiis, et liberet ab adversitatibus cunctis. Amen. Commendet vos eorum intercessio gloriosa, quorum in conspectu ejus est mors pretiosa. Amen. Ut, sicut illi per diversa genera tormentorum cœlestis regni sunt sortiti hæreditatem, ita vos eorum mereamini consortium per bonorum operum exhibitionem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In festo unius confessoris.

Omnipotens Deus det vobis copiam Benedictionis, qui beatum N. sibi ascivit virtute confessionis. Amen. Et qui illum fecit coruscare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen. Quo ejus exemplis eruditi, et intercessione muniti, cujus depositionis diem celebratis, illi possitis in cœlesti regione adjungi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus, etc.

Benedictio in nativitate plurimorum confessorum.

Sanctorum confessorum suorum NN. meritis vos Dominus faciat benedici, et contra adversa omnia eorum intercessione muniri. Amen. Eorum vos efficiat suffragio felices, quorum festivitatis diem celebratis ovantes. Amen. Quo eorum imitantes exempla, ad cœlestia pervenire possitis promissa. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum, etc.

Benedictio in nativitate unius virginis.

Benedicat vos Dominus, qui beatæ virgini N. concessit et decorem virginitatis, et gloriam passionis. Amen. Et cujus opitulatione illa meruit et sexus fragilitatem, et persequentium rabiem devincere, vos possitis et vestrorum corporum illecebras et antiqui hostis machinamenta superare. Amen. Quo, sicut illa sexu fragili virile nisa est certamen adire, et post certamen de hostibus triumphare, ita vos in hac

mortalitate viventes valeatis et antiquum hostem devincere et ad regna cœlestia pervenire. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In nativitate plurimarum virginum.

Omnipotens Dominus intercedentibus sanctis virginibus suis vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoste non solum per viros, verum etiam per feminas voluit triumphare. Amen. Et qui illis voluit centesimi fructus donum decore virginitatis et agone martyrii conferre, vos dignetur et vitiorum squaloribus expurgare, et virtutum lampadibus exornare. Amen. Quatenus virtutum oleo ita pectorum vestrorum lampades possint repleri, ut eum eis cœlestis sponsi thalamum valeatis ingredi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In anniversario dedicationis ecclesiæ Benedictio.

Deus omnipotens, qui hoc sanctum templum suo gloriosissimo nomini in honore beati N. apostoli sui voluit dedicari, ipse vos precibus et meritis illius Benedictione sua justificari et illustratione visitationis, atque inhabitationis suæ faciat sanctificari. Amen. Quatenus qui fuisti aliquando sicut et cæteri, domicilia hostis antiqui, et sub ejus dominatione captivi, mereamini singuli gratissima fieri templa Dei vivi, per ejus gratiam effecti de servis filii adoptivi. Amen. Concedatque vobis' ut qui anniversariam dedicationis hujus tabernaculi sui celebratis festivitatem, ad continuam cœlestis templi perveniatis alacriter cum sanctis angelis celebraturi perenniter solemnitatem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

In anniversario consecrationis episcopi.

Omnipotens Deus, qui me, quamvis indignum, per immensam suæ pietatis affluentiam, intra numerum antistitum, ad ministrandum altari suo, laudis Hostias immolando, dignatus est deputare, atque tam ad cœlestis mensæ sacramenta quam etiam ad perennis vitæ alimenta populo suo erogando destinare, ipse Benedictionis copia dignetur locupletare, et sanctificando gratia sancti Spiritus corda vestra misericorditer vegetare. Amen. Dignetur etiam vos ab omnimodo nequitia clementer expiare, et in suæ pietatis excellentia potenter confirmare. Amen. Concedat quoque vobis de malis ad bona et de bonis ad meliora quotidie proficiendo transmigrare, et post hujus terminum vitæ ad æternorum gaudia præmiorum feliciter transmigrare. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Benedictio quotidianis diebus.

Benedicat vobis Dominus, et custodiat vos. Amen. Illuminet faciem suam super vos, et misereatur vestri. Amen. Convertat vultum suum ad vos et donet vobis pacem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus sua vos clementia benedicat, et sensum in vobis sapientiæ salutaris infundat. Amen. Catholicæ fidei vos documentis enutriat, et in sanctis operibus perseverabiles reddat. Amen. Gressus vestros ab errore convertat, et viam vobis pacis et charitatis ostendat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus, etc.

Alia. — Inclinet Dominus aurem suam ad preces vestræ humilitatis, et det gratiam vobis suæ benedictionis, et præmium sempiternæ salutis. Amen. Semper et ubique Dominum propitium habeatis, et in ejus laudibus exsultetis. Amen. Omnium peccatorum vestrorum vincula solvat, et ad gloriam sempiternam pervenire vos faciat. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus, etc.

Alia. — Multiplicet in vobis Dominus copiam suæ Benedictionis, et confirmet vos in spe regni cœlestis. Amen. Actus vestros corrigat, vitam emendet, mores componat, et vos ad cœlestis paradisi hæreditatem perducat. Amen. Talique intentione repleri valeatis, qua ei in perpetuum placeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, qui cum, etc.

Alia. — Devotionem vestram Dominus dignanter intendat, et suæ vobis benedictionis dona concedat. Amen. Talique vos in præsenti sæculo subsidio muniat, ut paradisi vos in futuro habitatores efficiat. Amen. Sicque corda vestra sanctificando benedicat, et benedicendo sanctificet, ut vobiscum, imo in vobis eum jugiter habitare delectet. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Omnipotens Deus det vobis gratiam suæ Benedictionis, et repleat vos spiritu veritatis et pacis. Amen. Quatenus sic per viam salutis devota mente curratis, ut subrepentium delictorum laqueos salubriter evadatis. Amen. Sicque efficiamini in ejus supplicatione devoti, et in mutua dilectione sinceri, ut ad cœleste regnum pervenire possitis securi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus imperium, etc.

Alia. — Concedat vobis omnipotens Deus, munus suæ Benedictionis, qui vestræ est conscius infirmitatis. Amen. Et qui vobis tribuit supplicandi affectum, tribuat consolationis auxilium. Amen. Ut ab eo et præsentis et futuræ vitæ subsidium capiatis, cujus vos bonitate creatos esse creditis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Alia. — Omnipotens Deus cœlesti vos protectione circumdet, et suæ Benedictionis dono locupletet. Amen. Concedatque vobis ut qui in sola spe gratiæ cœlestis innitemini, cœlesti etiam protectione muniamini. Amen. Quatenus et in præsenti sæculo mortalis vitæ solatia capiatis, et sempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia. — Omnipotens Deus dexteræ suæ perpetuo vos circumdet auxilio, et Benedictionum suarum repleat dono. Amen. Ab omni vos pravitate defendat, et donis cœlestibus exuberare concedat. Amen. Quo corpore mundati ac mente, talem ei exhibeatis servitutem, per quam suam consequi valeatis propitiationem. Amen. Quod ipse præstare dignetur, etc.

Item alia Benedictio. — Purificet omnipotens Deus vestrorum cordium arcana, et Benedictionis suæ vobis tribuat incrementa. Amen. A te omnibus vitæ præsentis periculis exuamini, et virtutum spiritalium ornamentis induamini. Amen. Quo illius adjutorio fulti, sic et serviatis in terris, ut ei conjungi valeatis in cœlis. Amen.

Item alia. — Omnipotens Deus universa a vobis adversa excludat, et suæ super vos Benedictionis dona propitiatus infundat. Amen. Corda vestra efficiat sacris intenta doctrinis, quo possint repleri beneficiis sempiternis. Amen. Quatenus et exsequenda intelligentes, et intellecta exsequentes, et inter adversa mundi inveniamini indemnes, et beatorum spirituum efficiamini cohæredes. Amen. Quod ipse præstare dignetur. Amen.

Item alia. — Omnipotens Deus dies vestros in sua pace disponat, et suæ vobis Benedictionis dona concedat. Amen. Ab omnibus vos perturbationibus liberet, et mentes vestras in suæ pacis tranquillitate consolidet. Amen. Quatenus spei, fidei et charitatis gemmis adornati, et præsentem vitam transigatis illæsi et ad æternam perveniatis securi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium sine fine permanet in sæcula sæculorum. Amen.

AD ANTIPHONARIUM S. GREGORII PRÆFATIO.

649 Quod de Sacramentorum libro jam diximus, ipsius videlicet collectorem et correctorem potius sanctum Gregorium exstitisse quam auctorem, id quoque de libro Antiphonario qui nomen ejus præfert est intelligendum. Quod significare videtur Joannes Diaconus, cum lib. II Vitæ sancti Gregorii, cap. 6, cui titulus est : *Antiphonarium centonizans, cantorum constituit scholam*, ait : *More sapientissimi Salomonis, propter musicæ compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit.* Quæ de schola cantorum ab eodem sanctissimo pontifice instituta, de lectulo in quo recubans modulabatur, de flagello quo pueris minabatur, et de authentico ejusdem Antiphonario Romæ magna veneratione asservatis, refert Joannes Diaconus, ibidem legi possunt.

Cum *centonem* vocat Antiphonarium Gregorianæ Vitæ scriptor, eumdemque simul compilatum asserit, satis innuit non unum ipsius esse parentem, sed plurimorum qui præcesserant, fortasse Romanorum pontificum, partim esse fetum. Nimirum longe antiquior nostro Gregorio est ecclesiasticus cantus ; imo pene a reipublicæ Christianæ exordio receptum illum docuerunt Socrates lib. VI, cap. 8, et alii. Qua de re consulendi sunt qui de divinis officiis olim scripserunt, Isidorus, lib. de ecclesiast. Offic. ; Rabanus, lib. II de Institutione clericorum, et alii ; nostra vero ætate cardinalis Bona, lib. de divina Psalmodia, ac Joan. Mabillonium, in disquisitione de cursu Gallicano, § 1.

Quædam in Ecclesia canebantur olim alternis vicibus, ut etiam modo fit; alia vero simul et adunatis choris. Primum canendi modum veteres appellarunt ἀντίφωνον ὑμνῳδίαν, alterum σύμφωνον. Prioris modi meminit Socrates loco laudato ; utriusque autem sanctus Gregorius Nazianzenus in carmine iambico de Virtute, sub finem (a). Hinc Antiphonæ nomen ad Latinos derivatum, et ex Antiphona dictus liber Antiphonarius. Eumdem etiam appellatum Officialem observat ex Agobardo noster Hugo Menardus in nota 337 ad librum Sacramentorum.

Porro quamvis Antiphonarius Romanus, seu Gregorianus, non solum Antiphonam, sed etiam quæcunque in Missa chorus canit complectatur, nomen tamen hoc sortitus est ab Antiphona quæ præcinitur, quam nunc Introitum appellamus, quia ad Introitum præmittitur. In ipso libri Sacramentorum limine : *In primis ad Introitum Antiphona qualis fuerit, statutis temporibus.* Cætera fere pristinum nomen retinuerunt, si Graduale excipiamus, quod olim dicebatur Responsorium. Quanquam etiam Gradale vocaretur aliquando, ut ex initio libri sacramentorum liquet : *Postmodum dicitur Oratio, deinde sequitur Apostolus, item Gradale.* Hinc ab ipso Antiphonarium Gradualem appellatum observamus apud Micrologum, ut ex notis ad festum sancti Pauli, et ad officium sancti Apollinaris constat.

Institutam a nostro Gregorio cantandi methodum per Occidentem propagarunt sanctissimi Patris alumni, maxime qui Augustino pergenti in Britanniam comites sese adjunxerant, ut docet Joannes Diaconus, lib. II, cap. 8. De Anglis quidem luculentum habemus venerabilis Bedæ testimonium, lib. V hist., cap. 21. De Acca episcopo : *Cantorem quoque egregium*, inquit, *nomine* Maban, *qui a successoribus discipulorum beati papæ Gregorii in Cantia fuerat cantandi sonos edoctus, ad se suosque instituendos accersiit.* Nec minus perspicuo idem elicitur ex sancto Wilfrido Eboracensi episcopo, qui apud Eddium ejus Vitæ scriptorem **650** gloriatur : *Quod post obitum primorum procerum a sancto Gregorio directorum, docuisset totam Ultraumbrensium gentem quomodo, juxta usum primitivæ Ecclesiæ, consono vocis modulamine, binis astantibus choris, persultare Responsoriis, Antiphonisque reciprocis* (*Act. SS. Ord. S. Benedict.*, *sec.* IV, part. I).

Corruptum lapsu temporis apud Anglos, Gallos, aliosque Occidentales populos ecclesiasticum cantum restituit Joannes quidam Romanus cantor, qui secutus fuerat Theodorum a Vitaliano Papa in Britanniam missum, et Doroberniensi, al. Cantuariensi, Ecclesiæ totius Angliæ metropolitanæ præpositum (*Joan. Diac.*, *lib.* 2, *cap.* 8). Hinc dum Romanarum Antiphonarum usum ex Romana Ecclesia in Gallicanam invectum esse per Pipinum legimus (*Mabill. de Cursu Gall.*, *pag.* 398), cui scilicet Paulus papa *Antiphonale et Responsale ex urbe direxit*, id fortasse potius de illius usus restitutione intelligendum quam de prima institutione. Quanquam non diffiteamur plurimas in Galliis Ecclesias suos veteres usus usque ad Caroli Magni tempora retinuisse.

Hic imperator, dissonantia Romani et Gallicani cantus Romæ offensus, altercantibus invicem Romanis et Gallis, viso authentico Gregorii Antiphonario, ita litem composuit, ut Romanam cantandi methodum Gallicanæ longe anteponendam censeret. Ideoque *duos suorum industrios clericos Adriano tunc episcopo dereliquit ; quibus tandem satis eleganter instructis, Metensem metropolim ad suavitatem modulationis pristinæ revocavit, et per illum totam Galliam suam correxit*, inquit Joannes Diaconus, lib. II, cap. 9.

Metensis Antiphonarii fama usque ad sancti Bernardi tempora viguit, ut liquet ex tractatu ejusdem, de cantu seu correctione Antiphonarii, tomo II, opusculo XIII, pag. 693, novissimæ Editionis. Cum enim priores Patres Cistercienses nihil antiquius haberent quam in divinis laudibus id cantare, quod magis authenticum inveniretur, miserunt qui Metensis Ecclesiæ Antiphonarium (nam id Gregorianum esse dicebatur) transcriberent et afferrent, ut refert sanctus Bernardus. Verum illum Codicem et cantu et littera depravatum ac incompositum probarunt.

Romanum hunc Gregorianumque Antiphonarium jam a Pamelio editum tomo II Liturgicon, et Vaticanæ postea operum sancti Gregorii Editioni insertum, atque in Gussanvillæana recusum, denuo recensuimus ad Codices mss. duos Theodericenses in quibus compendiose simul cum libro Sacramentorum continetur, ad Codicem Vallis Claræ, ac præsertim ad exemplar Compendiense sancti Cornelii mire depictum et litteris purpureis ac aureis, regia munificentia ornatum. In eo autem multa occurrunt notis musicis superscriptis ad cantum comparata. In titulo legitur : *Gregorius præsul meritis et nomine dignus, summum conscendens honorem, renovavit monimenta Patrum priorum, et composuit hunc libellum, musicæ artis, scholæ cantorum per anni circulum. Incipit Dominica prima de Adventu Domini.* Ætatem insignis illius Codicis, tum ex scriptura, tum ex prosa quadam de beata Maria, quam exhibuimus in appendice, explorare licet. Scriptura sane nono convenit sæculo ; ex prosa vero eadem manu descripta liquet tunc Normannos per Galliam grassatos esse ; quæ Caroli Calvi imperatoris, Compendiensis monasterii fundatoris, tempora designant. Ex eodem Codice subjicemus Antiphonas, Versus, Responsaria, quæ ad antiquum cursum ecclesiasticum pertinent. Plura de sancti Gregorii Antiphonario dicere supersedemus, quia præfationem eruditissimi Petri Gussanvillæi huic attexendam judicavimus, ex qua multa scitu digna haurire poterunt, qui copia et varietate delectantur.

(a) Vide in præfatione P. Gussanvillæi quam huic subjecimus.

PETRI GUSSANVILLÆI PRÆFATIO.

651 Joannes Diaconus trecentis fere post sanctum Gregorium annis scribens, lib. II de Vita ejusdem, cap. 6, hunc quem edimus Antiphonarium sancto Gregorio tribuit, cujus Codicem, an autographum? an apographum? Romæ in Lateranensi patriarchio reperiri testatur. Sit penes eum ejusque sequaces fides, non ausim ego reclamare, quamvis ista assertio nonnullis posse videatur nubeculis obscurari. Aliud porro est Antiphona facere; aliud ordinare, distinguere, recensere, quibusdam de novo additis. Plerique Auctores de Antiphonis multa hinc inde mendicata non cessant obtrudere, nihil pensi habentes vocem ambiguam explicare, ritusque varios separare, qui sub istius vocis cortice latentes inepte confunduntur. Itaque pauca cum de voce, tum de usu vocis, annotabo. Vox est origine Græca ἀντίφωνος, contrasonans, ἀντιφωνέω, contrasono. Anacreon poeta, ode 1:

> Κἀγὼ μὲν ἦδον ἄθλους
> Ηρακλέους· λύρη δὲ
> Ἔρωτας ἀντεφώνει.

Id est:

> Ego labores canebam Herculis; lyra autem contrasonabat amores.

Apud ecclesiasticos Auctores Græcos ac Latinos non idem semper fuit istius vocis usus. Primitus ἀντιφωνεῖν erat Psalmos aut prophetias aut Hymnos alternis vicibus canere, et quasi chorum choro respondere. Sic apud Isai., cap. VI: *Clamabant* angeli *alter ad alterum*. Sic Psal. LXVII, 18, pro eo quod vulgo legimus *millia lætantium* שנאן *schinan*, Rabbi Salomon et Eugubinus interpretantur *alternantium*, a radice שנה *schanah*, quæ significat *iterare, duplicare*, quasi angeli alternis Deum cantibus laudent. Sic nostro more Psalmos Davidicos et Hymnos quoscunque nostris insertos Breviariis, Prosas Missalibus, etiamnum concinimus. Ex Philone, apud Eusebium, Hist. lib. II, cap. 17; Nicephorum, lib. II, cap. 15, uni ex omnibus surgenti psallentique, alii circa finem accinebant. Sed præstat legere ipsum Philonem, lib. de Vita contemplativa. Ex Hist. tripartita, lib. X, cap. 9, Nicephoro lib. XIII, cap. 8, hunc alternandi morem ab angelis accepit sanctus Ignatius. Theodoretum, Hist. lib. II, cap. 24, non satis expenderunt qui de Antiphonis scripsere; indico, non exscribo, scilicet conciliandæ forent historiæ, ut quidpiam certi asseratur. Equidem reor Antiphonum non verba fuisse quæ canebantur, sed modum ipsum canendi sive Psalmos, sive prophetias, sive Hymnos, sive Responsoria, aut quid simile. Apud Sozomenum, lib. VIII, cap 8: κατὰ τῶν ἀντιφώνων τρόπον ἔψαλλον, *Antiphonorum ad instar psallebant*. De Arianis loquitur, quorum fraudes sanctus Joannes Chrysostomus prudenti imitatione dissipavit. Haimo, ad Psalm. VII, notat ex diversis quandoque Psalmis vel laudibus Antiphonas conjungi. Joannes Cassianus, de Antiphonis apud monachos agens, lib. II Instit., veterem eorum morem agnoscit et quasi damnat; c. 2, recipit; c. 8, de Matutinis res erat. Concil. Turonense II, c. 18, ann. 567, de Antiphonis quædam sancit subobscuriora nobis. Et c. 23, de Ambrosianis Hymnis. Ex sancto Augustino, Retract. lib. II, cap. 11, liquet tunc morem Carthagine cœptum dicendi ad altare Hymnos de Psalmorum libro, sive ante Oblationem, sive cum Oblata populo distribuerentur. Epist. etiam 119, ad Januarium, cap. 18, de Hymnis et Psalmis canendis agitur. Legimus etiam, Retract. cap. 19, Psalmum et Hypopsalma a sancto viro facta adversus Donatistas. Quid autem interesit inter Psalmos, Hypopsalmata, Hymnos, Responsoria, Tractus, Offertorium, Graduale, Introitus, Ephymnia, Typica, Troparia, necnon Antiphona, nescio an quisquam hucusque aperte dixerit; at multi confuderunt perperam. In Sabæ typico observare est discrimen inter Antiphona ac Typica. Idem **652** fere exhibet sancti Joannis Chrysostomi liturgia, μετὰ τὰ εἰρηνικὰ ὁ χορὸς ψάλλει τὸ πρῶτον ἀντίφωνον, ἢ τὰ τυπικά, εἰ ἐστὶ κυριακή, etc. Occurrunt in Missa Mosarabum, et in mysteriis præsanctificatorum 1, 2, 3, Antiphonum sancti Germani Const. patr. In rerum eccl. Theoria, meminit 1, 2, 3, Antiphoni; et paulo ante ait Antiphona esse prophetarum prædictiones, etc. Scilicet desumebantur ut plurimum ex sacris Scripturis. Ita Laodic., c. ult.; Bracar. I, c. 30. At concil. Tolet. IV Patres, c. 12, minus severe statuunt de Hymnis; et multa tum in isto canone, tum in 12, 13, 14, 15, reperire est ad rem qua de agimus pertinentia, si modo veterem morem non ex nostro metiamur; nam Antiphonæ hodiernæ non alternis canuntur ut antiquitus. Faciunt plerique sanctum Ambrosium primum inter Latinos Antiphonorum auctorem; non repugno, explicent modo prius quid per *Antiphona* intelligant, an Hymnos, quales edidit et carmina, de quibus testatur epist. 32. Equidem laudes de quibus Tolet. IV, c. 11, et Hymnos de quibus Theodoretus, in Publio, c. 5 Hist. sanctorum Patrum, Psalmos et Hymnos de quibus Tertullianus, ad Uxorem, lib. II, cap. 6 et 9, Psalmodiam de qua sanctus Basilius, epist. 63, ad Neocæsar., interpretarer *Antiphona*, si alternus erat cantus. Idipsum dicerem de loco sancti Gaudentii tract. 4, de lect. Exodi, ubi explicat quod sanctus Paulus, ad Ephes. V et Coloss. III habet de Hymnis et canticis spiritualibus. De Antiphonis, Collectionibus, Capitellis, etc., legendus can 30 concil. Agath., ann. 506, sancto Gregorio necdum nato. Itaque Antiphonarium non erat tunc temporis recens inventum; quinimo jam tum abutebantur ista voce contra primigenium institutum non semper habita cantus alterni ratione, de qua Augustinus mystice ad titul. Psal. LXXXVII, necnon historice sanctus Gregorius Nazianzen., de Nazaræis loquens in carmine iambico, de Virtute, paulo ante finem:

> Ὁρᾷς ἀγρύπνους πρὸς Θεὸν ψαλμῳδίας
> Ἀνδρῶν, γυναικῶν, φύσεως λελησμένων,
> Οἵων θ' ὅσων τε καὶ ὅσον θεουμένων,
> Σύμφωνον ἀντίφωνον ἀγγέλων στάσιν·
> Δισσὴν ἄνω τε καὶ κάτω τεταγμένην
> Θείας ὑμνῳδὸν ἀξίας καὶ φύσεως.

> Noctune cernis ut canat laudes Deo,
> Naturæ uterque sexus oblitus suæ?
> Quot, quamque sancti? cernis angelicum chorum,
> Qui nunc simul, nunc vicibus alternis canit,
> Partim deorsum positus, et partim supra,
> Sine fine summi concinens laudes Patris?

Quem locum fortassis non viderat Cassianus, de quo velim admonitos ejus qui auctoritate ducti usum istum volunt serius in monasteriis fuisse receptum.

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

LIBER ANTIPHONARIUS.

ORDINATUS PER CIRCULUM ANNI.

653 [a] *Dominica prima Adventus Domini.*

Antiphona. Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideat me inimicus meus. Etenim universi, qui te exspectant non confundentur. *Psalmus.* Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. *Responsorium.* Universi qui te exspectant non confundentur. *Versus.* Vias tuas, Domine, notas fac mihi, et semitas tuas edoce me. *Alleluia.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Offertorium.* Ad te, Domine, levavi animam: Deus meus, in te confido, non erubescam. Neque irrideant me inimici mei, etenim universi qui te exspectant non confundentur. *Vers.* 1. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salutaris meus, et te sustinui tota die. *Vers.* 2. Respice in me, et miserere mei, Domine, custodi animam meam, et eripe me; non confundar, quoniam invocavi te. *Ad Communionem.* Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum. *Psalmus.* Benedixisti, Domine.

Dominica secunda de Adventu.

Antiph. Populus Sion, ecce Dominus veniet ad salvandas gentes, et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ in lætitia cordis vestri. *Psal.* Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. *Resp.* Ex Sion species decoris ejus, Deus manifestus veniet. *Vers.* Congregate illi sanctos ejus, qui ordinaverunt testamentum ejus super sacrificia. 654 *All.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus. *Vers.* 1. Stantes erant pedes nostri, in atriis tuis Jerusalem. *Vers.* 2. Rex noster adveniet Christus, quem Joannes prædicavit agnum esse venturum. *Off.* Deus, tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Vers.* 1. Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ. *Vers.* 2. Misericordia et veritas obviaverunt sibi; veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. *Ad Com.* Jerusalem, surge, et sta in excelso, et vide jucunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. *Psal.* Qui regis Israel.

In natali sanctæ Luciæ.

Antiph. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Psal.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. *Resp.* Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Off.* Offerentur regi virgines, proximæ ejus offerentur tibi in lætitia et exsultatione, adducentur [b] in templum regi Domino. *Vers.* 1. Eructavit cor meum. [c] *Vers.* 2. [d] Specie tua. *Ad Com.* [e] Diffusa est gratia in labiis tuis. *Psal.* *ut supra.*

[f] *Dominica tertia.*

Antiph. Gaudete in Domino semper; iterum dico, Gaudete; modestia vestra nota sit omnibus 655 hominibus. Dominus prope est, nihil solliciti sitis, sed in omni oratione petitiones vestræ innotescant apud Deum. *Psal.* [g] Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob. *Resp.* Qui sedes, Domine, super cherubim, excita potentiam tuam, et veni. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. *All.* Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. *Off.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem [h] plebis tuæ. *Vers.* 1. Operuisti omnia peccata eorum, mitigasti omnem iram tuam. [i] *Vers.* 2. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Com.*

[a] In ms. Compend. additur: *Statio ad sanctum Andream ad præsepe.* Ita etiam in Codice DC annorum bibliothecæ Angelicæ, nisi quod pro *ad præs.*, legitur *post præsepe.* Ad quem locum Angelus Rocca camers olim episcopus Tagastensis, ex Augustinianorum familia factus, et præfectus apostolici sacrarii, ejusdem bibliothecæ parens, hæc annotavit: *Re diligenter inspecta an.* 1601 *hæc ædicula sancto Andreæ ap. olim dicata, hodie intra ecclesiæ sancti Antonii atrium, prope sanctæ Mariæ majoris basilicam, profanata cernitur, et in hominum usum conversa.* Simul observat vir antiquitatis præsertim sacræ studiosissimus absidem illam ædiculæ antiquæ, in qua imagines opere musivo olim factæ cernebantur, fuisse quoque profanatam. Tempore Angeli Roccæ semidirutæ et collapsæ visebantur illæ imagines; *jam vero,* inquit Mabillonius, itineris Italici pag. 93, nihil penitus superest ex illo musivo.

[b] Compend., *in templo Regis.*

[c] In eodem Cod. completur hic versus cum sequenti: *Lingua m.* et resumitur *adducentur.*

[d] Pro hoc versu assignatur in Compend.: *Diffusa est gratia... propterea bened. te Deus in æter.*

[e] Post hanc Communionem in Cod. Comp. sequitur: *Ps. Eructavit,* etc.; et *All.* Versus: *Specie tua.*

[f] Subjicitur in Comp.: *Ad sanctum Petrum,* subauditur *statio.*

[g] Post hunc versum in Compend. legitur litteris aureis *AR,* quæ fortasse significant, *aliter;* tum subditur *Ostende nobis,* etc. Resp. *Qui sedes.*

[h] Compend., *Plebi tuæ*.

[i] In laudato Codice additur *remisisti,* etc.

Dicite: Pusillanimes [a] confortamini, et nolite timere, ecce Deus noster veniet, et salvabit nos. *Psal.* Benedixisti, Domine, *ut supra.*

[b] *Feria quarta.*

Antiph. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. [c] *Resp.* Tollite portas principes vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. *Vers.* Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus, et mundo corde. *Resp.* Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus qui invocant eum in veritate. *Vers.* Laudem Domini loquetur os meum, et benedicat omnis caro nomini sancto ejus. *Off.* Confortamini, et jam nolite timere; ecce enim Deus noster retribuet judicium, ipse veniet, et salvos nos faciet. *Vers.* 1. Tunc aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum audient; tunc ascendet claudus sicut cervus, et clara erit lingua mutorum. *Vers.* 2. Audite itaque, [d] domus Jacob, num pusillum vobis certamen præstare hominibus, quoniam Dominus præstat certamen; propterea dabit Dominus vobis signum. Ecce virgo in utero [e] concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. [f] [*Off.* Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. *Vers.* 1. Quomodo fiet in me hoc? *Vers.* 2. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.] *Com.* Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. [g] *Psal.* Cœli enar. *Resp.* In sole posuit.

Feria sexta.

Antiph. Prope es tu, Domine, et omnes viæ tuæ veritas; initio cognovi de testimoniis tuis, quia in æternum tu es. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. [i] *Resp.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. *Vers.* Benedixisti, Domine, terram tuam: avertisti captivitatem Jacob. [k] *Off.* Deus tu conversus vivificabis nos, et plebs tua lætabitur in te. *Com.* Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus 656 cum eo, et erit in die illa lux magna. [l] *Psal.* Beati immaculati. *Resp.* Tu mandasti.

[m] *Sabbato in* XII *lectionibus.*

Antiph. Veni, et ostende nobis faciem tuam, Domine, qui sedes super cherubim, et salvi erimus. *Psal.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. [n] *Resp.* A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. *Vers.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Resp.* In sole posuit tabernaculum ejus, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. *Vers.* A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. *Resp.* Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. *Vers.* Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. *Resp.* Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph; qui sedes super cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin et Manassem.

[o] *Hymnus trium puerorum.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum; Et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

Et benedictum nomen gloriæ tuæ, quod est sanctum; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es super thronum sancti regni tui; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es super sedem sanctam Deitatis tuæ; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es super sceptrum divinitatis tuæ; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es qui sedes super cherubim, intuens abyssos; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedictus es qui ambulas super pennas ventorum; Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

Benedicant te omnes angeli et sancti tui; et laudent te et glorificent in sæcula.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto;

Et laus, et honor, et potestas, et imperium.

Sicut erat in principio, et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Et laus, et honor, et potestas, et imperium.

Tractus. Qui regis Israel, intende, qui deducis ve-

[a] Compend., *Pusillanimis.*

[b] Ibid. annotatur: *Ad sanctam Mariam ad præsepe.*

[c] In Compend., *AR. in sole posuit*, etc

[d] Ibidem, *Domus David.*

[e] Ibid., *Accipiet.*

[f] Quæ inter uncinos comprehenduntur a Ms. absunt. Apud Pamelium legitur hoc duplex Offertorium.

[g] In Editis Pamel. et aliis, *Ps. ut supra.* Eadem superius annotata leguntur in fine Missæ, tum natalis sanctæ Luciæ, tum Dominicæ tertiæ; optimo quidem sensu; hoc enim significat inter communicandum cantari solere Psalmum integrum de quo Antiphona desumpta est. At in feria 4 hæc Antiphona ad Communionem ex Evangelio desumitur; proindeque per errorem in Ed. irrepsit, contra Mss. fidem, *Ps. ut supra*

[h] In ms. Statio ad sanctos Apostolos.

[i] In Ms. ante hoc ℟. legitur: *AR. Tu mandasti.*

[k] Ibid. Additur vers. 2. *Misericordia et veritas.*

[l] In Vulgatis a Pamelio et aliis, *Ps. ut supra.* Quod ex Ms. emendavimus. *Vide supra notam e.*

[m] In Ms., *Ad sanctum Petrum.* Quid vero significet in XII lectionibus, repete ex libro Sacram. in Sabbato mensis 1, seu quatuor temp. Quadragesimæ, col. 41.

[n] Additur in Ms.: *AR. Excita.* Semper aliquid hujusmodi interseritur in ms. Comp. inter Psalmum qui subjicitur Antiphonæ quam appellamus Introitum, et Responsorium quod modo Gradualis nomine magis notum. Olim etiam hoc nomine aliquando designatum fuisse patet in libro Sacram. In ipso fere exordio: *Deinde sequitur Apostolus. Item Gradale.* Vide notam 12 ad lib. Sacram.

[o] Desideratur Hymnus hic in Ms.

lut ovem Joseph. *Vers.* Qui sedes super cherubim [g] appare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. *Vers.* Excita, Domine, potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos. *Off.* Exsulta satis, filia Sion, prædica, filia Jerusalem, ecce Rex tuus venit tibi sanctus et salvator. *Vers.* Loquetur pacem gentibus, et potestas ejus a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terræ. *Vers.* Quia ecce venio, et habitabo in medio tui, dicit Dominus omnipotens, et confugient ad te in illa die omnes gentes, **657** et erunt tibi in plebem. *Com.* Exsultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus usque ad summum ejus. *Psal.* Cœli enarrant.

[b] *Dominica vacat.*

Memento nostri, Domine, in beneplacito populi tui; visita nos in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua. [c] *Psal.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. *Resp.* Prope est Dominus. *Vers.* Veni, Domine, et noli tardare; relaxa facinora plebis tuæ. *Off.* Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Vers.* 1. Quomodo in me fiet hoc, quæ virum non cognosco? Spiritus Domini superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Vers.* 2. Ideoque quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. *Com.* Ecce virgo concipiet et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.

[d] *Vigilia Nativitatis Domini.*

Antiph. Hodie scietis quia veniet Dominus, et salvabit vos, et mane videbitis gloriam ejus. *Psal.* Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo. *Resp.* Hodie scietis quia veniet Dominus, et salvabit vos, et mane videbitis gloriam ejus. *Vers.* Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super cherubim, appare coram Ephraim, Benjamin et Manasse. *Si in* [e] *Dominica evenerit ipsa vigilia,* Alleluia *de Adventu Domini, quale volueris, dic; sin autem, non cantatur.* *Offert.* Tollite portas principes vestras, et elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. *Vers.* 1. Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo. *Vers.* 2. Ipse super maria fundavit eum, et super flumina præparavit eum. *Com.* Revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro salutare Dei nostri. *Psal.* Domini est terra, *ut supra.*

[f] *In media nocte Nativitatis Domini.*

Antiph. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal.* Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? *Resp.* Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. *All.* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Offert.* Lætentur cœli, et exsultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. *Vers.* 1. Cantate Domino canticum novum, [g] benedicite nomen ejus, bene nuntiate de die in diem salutare ejus. *Vers.* 2. [h] Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, fortitudo et magnificentia in sanctificatione ejus. *Com.* In splendoribus sanctorum ex utero ante luciferum genui te. *Psal.* Dixit Dominus Domino meo.

658 [i] *Missa in primo mane Nativitatis Domini.*

Antiph. Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis Dominus, et vocabitur Admirabilis, Deus, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, cujus regni non erit finis. *Psal.* Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. *Resp.* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis. *Vers.* A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris. *All.* Dominus regnavit, decorem, etc. *Off.* Deus enim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur; parata sedes tua, Deus, ex tunc, a sæculo tu es. *Vers.* 1. Dominus regnavit, decorem. *Vers.* 2. Mirabilis in altis Dominus. *Com.* Exsulta, Sion, lauda, filia Jerusalem; ecce rex tuus venit justus, et salvator mundi. *Psal. ut supra.*

[k] *In die Natalis Domini*

Antiph. Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, cujus imperium super humerum ejus; et vocabitur nomen ejus magni consilii Angelus. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit. *Resp.* Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Jubilate Deo omnis terra, cantate et exsultate et psallite. *Vers.* Notum fecit Dominus salutare suum; ante conspectum gentium revelavit justitiam suam. *All.* Dies sanctificatus illuxit nobis; venite, gentes, et adorate Dominum, quia hodie descendit lux magna super terram. *Off.* Tui sunt cœli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti.[l] *Vers.* 1. Magnus et metuendus super omnes qui in circuitu ejus sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi?

[a] Hic et supra, in Ms., *apparens.* Infra, ms. *loquatur.*

[b] Quid hæc inscriptio significet, disce ex nota *a* ad Dominicam 2 Quadrages. lib. Sacram. col. 43.

[c] In Ms. *Ps. Confitemini.* AR. *Quis loquetur.* ℟ *Prope est D.* ℣ *Laudem Domini loq.* Alleluia. *Veni Domine... relaxa.*

[d] Additur in Ms. Val. Cl. *Horæ nonæ,* in Comp. *hora nona,* et notatur *Statio ad sanctam Mariam.*

[e] Hæc rubrica, ut aiunt, non legitur in Theoderic. et in Compend. parumper variat. Theoderic. Codices quos hic laudamus, sunt illi Mss. libri Sacramentorum, quos supra sæpe laudavimus; nam in margine exhibent quæ ad Antiphonarium spectant, sed summatim.

[f] In Val. Cl.: *In Vigilia primo galli cantu;* in Compend. statio assignatur ad sanctum Mar. *ad præsepe.*

[g] Compend.: *Cantate Domino, omnis terra.*

[h] Ibid. Vers. 2. *Cantate Dom. Bened. nom. ejus, bene nuntiate,* etc.

[i] Compend. et Val. Cl., *mane prima.* In Compend. statio *ad sanctam Anastasiam.*

[k] In Comp. statio *ad sanctum Petrum.*

[l] Pauca discrepant a communi lectione illorum versuum, in Comp.

Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo; tu dominaris [a] potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas. *Vers.* 2. Misericordia et veritas præcedent ante faciem tuam, beati populi qui sciunt jubilationem. *Vers.* 3. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in virtute brachii tui dispersisti omnes inimicos tuos. *Com.* Viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. *Psal.* Cantate Domino, *ut supra.*

[b] *Die sancti Stephani.*

Antiph. Etenim sederunt principes, et adversum me loquebantur, et iniqui persecuti sunt me; adjuva me, Domine Deus meus, quia servus tuus exercebatur in tuis justificationibus. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* Sederunt principes, et adversum me loquebantur, et iniqui persecuti sunt me. *Vers.* Adjuva me, Domine Deus meus, propter misericordiam tuam. *All.* Video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. *Off.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus, et super salutare tuum exsultabit vehementer; de iderium animæ ejus tribuisti ei. *Vers.* 1. Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum sæculi. *Vers.* 2. Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum. *Com.* Video cœlos apertos, et **659** Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Deus, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. *Psal.* Beati, *ut supra.*

Sancti Joannis in Missa prima.

Antiph. Ego autem sicut oliva [c] fructifera in domo Dei. *Psal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Resp.* Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. [d] *Vers.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Off.* Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. *Vers.* 1. Domine Dominus noster. *Vers.* 2. [e] Quid est homo? *Com.* Magna est gloria ejus in salutari tuo. *Psal.* Domine, in virtute.

In secunda.

Antiph. In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus spiritu sapientiæ et intellectus; stolam gloriæ induit eum. *Psal.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Exiit sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur. *Vers.* Sic eum volo manere donec veniam, tu me sequere. *All.* Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibuit de his, et scimus quia verum est testimonium ejus. *Off.* Justus [f] ut palma florebit; sicut cedrus quæ in Libano est multiplicabitur. *Vers.* 1. Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* 2. Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Vers.* 3. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. *Com.* Exiit sermo inter fratres quod discipulus ille non moritur, et non dixit Jesus: Non moritur, sed sic eum volo manere donec veniam. *Psal.* Bonum est, *ut supra.*

[g] *In natalali Innocentium.*

[h] Gloria in excelsis Deo *non canitur, neque* Alleluia, *sed quasi præ tristitia, dies illa deducitur.*

Antiph. Ex ore infantium, Deus, et [i] lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. *Psal.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. *Resp.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Vers.* Laqueus contritus est, et nos liberati sumus; adjutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum et terram. *Off.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Vers.* 1. Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: Nisi quia Dominus erat in nobis. Cum exsurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos; cum irasceretur furor eorum in nos, forsitan velut aqua absorbuissent nos. *Vers.* 2. Torrentem pertransiit anima nostra; forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. **660** *Com.* Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus. Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt. *Psal.* Domine Dominus noster.

Natale sancti [k] *Silvestri.*

Antiph. Sacerdotes tui, Domine, induant justitiam, et sancti tui exsultent. Propter David servum tuum, non avertas faciem Christi tui. *Psal.* Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus *Resp.* Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. *Vers.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *All.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. *Off.* Inveni David servum meum, et in oleo meo sancto unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum [l] confortabit eum. *Vers.* 1. Potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo. [m] *Vers.* 2. Veritas mea et misericordia

[a] Mss., *potestates.*

[b] Val. Cl., *protomart. Stephani.*

[c] Compend.: *Fructificavi in domo Domini, speravi... et exspect. n. t. quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

[d] Compend.: Vers. 1. *Ad annuntiandum,* etc.

[e] Compend.: *Quid est homo quia vis, eum, aut,* etc. *Visitas eum diligenter,* etc., et resumitur ex altero versu, *et constituisti eum,* etc.

[f] Multa hoc loco complevimus ex Ms. in Vulgatis omissa.

[g] Hoc officium et superius explicatur ab Alcuino, pag. 70, ubi nominatim Antiphonarium citat Pamel.

[h] Hoc nominatim citatur ex Antiphonario per Amalarium, l. I, c. ult., et Microlog., c. 36.

[i] Compend., *lactantium.*

[k] Festi sancti Silvestri mentionem facit nominatim Micrologus, cap. 35. Pamel.

[l] Compend., *Confortavit.*

[m] Ibid. additur: *Tu dixisti: Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea.* Vers 2. *Et ponam in sæculum sæc. sedem ejus, et thronum ejus sicut dies cœli.*

mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Com.* Beatus servus, quem cum venerit Dominus, invenerit vigilantem. Amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum. [a] *Ps. ut supra.*

[b] *De sancta Maria in octava Domini.*

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis; adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi in lætitia et exsultatione. *Psal.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi. *Resp.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *Vers.* Propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. *All.* Post partum virgo. *Off.* Offerentur Regi virgines. *Psal.* Eructavit cor meum. *Vers.* Diffusa est gratia. *Com.* Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. *Psal.* Eructavit, *ut supra.*

Dominica post Natale Domini.

Antiph. Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, Domine, de cœlis a regalibus sedibus venit. *Psal.* Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. *Resp.* Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea regi; lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. *All.* Dominus regnavit, decorem. *Off.* Deus enim firmavit orbem terræ. *Com.* Tolle puerum et matrem ejus, et vade in terram Juda, defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. *Psal. ut supra.*

[c] *Vigilia Epiphaniæ.*

Antiph. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psal.* Quare fremuerunt gentes. **661** *Resp.* Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

[d] *Epiphania Domini. In die sancto ad Missam.*

Antiph. Ecce advenit dominator Dominus, et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium. *Psal.* Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis. *Resp.* Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes. *Vers.* Surge et illuminare Jerusalem, quia gloria Domini super te orta est. *All.* Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum. *Off.* Reges Tharsis et insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent; et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes servient ei. *Vers.* 1. Deus, judicium tuum Regi da, et justitiam tuam filio Regis; judicare populum tuum in justitia, et pauperes tuos in judicio. *Vers.* 2. Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis, donec extollatur luna; et dominabitur a mari usque ad mare. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam. *Com.* Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum. *Psal.* Deus, judicium tuum Regi da, *ut supra.*

Dominica post [e] *Epiphaniam.*

Antiph. In excelso throno vidi sedere virum, quem adorat multitudo angelorum psallentium in unum; ecce cujus imperii nomen est in æternum. *Psal.* Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Resp.* Benedictus Dominus Deus Israel, quia fecit mirabilia magna solus a sæculo. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo, et colles justitiam. *All.* Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. *Off.* Jubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia. Intrate in conspectu ejus, in exsultatione, quia Dominus ipse est Deus. *Vers.* 1. Ipse fecit nos, et non ipsi nos. *Vers.* 2. Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus. *Com.* Fili, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Et quid est quod me quærebatis? an nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse? *Psal.* Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus, *ut supra.*

[f] *Octava Epiphaniæ ut in die.*

Natalis sancti Felicis [g] *in Pincis.*

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium; lex Dei ejus in corde ipsius. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus; ne zelaveris facientes iniquitatem. *Resp.* Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Vers.* Dixit **662** Dominus Domino meo: Sede a dextris meis. *All.* Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. *Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psalm.* xx.

Dominica secunda post Epiphaniam.

Antiph. Omnis terra adoret te Deus, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Altissime. *Psal.* Jubilate Deo, omnis terra, psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Resp.* Misit Dominus verbum suum, et sanavit eos, et eripuit eos de interitu

[a] Psalmus, etc., deest in Ms.

[b] Authenticum esse hoc officium, et Graduali libro seu Antiphonario sancti Gregorii contineri, testatur Micrologus, c. 39. Consentit etiam exemplar utrumque. PAMEL. Non ita consentiunt Mss. nostri. In Comp. quidem legitur: *Kal. Jan. natale sanctæ Martinæ martyris et virginis.* Antiph. *Vultum tuum.* In Theodoricensibus vero *Kalendis Januarii octava*, etc. Sed in Val. Cl. *Kal. Januarii octava Domini. Statio ad sanctam Mariam ad Martyres.* Ant. *Puer natus est*, etc., ut in offic. Nat. Domini.

[c] Non est in Comp. nec in Val. Cl. Notatur in Theoderic., sed assignatur Missa *Dum medium silentium*, ut supra in Dominica.

[d] Abest a nostris Mss. *in die sancto.* Statio in Compend. et Theoderic. est ad sanctum Petrum.

[e] Aliter, *post Theophaniam*, ut legitur in Val. Cl.

[f] Non inscribitur in Mss. Compend. et Val. Cl.

[g] Deest *in Pincis* in Ms. Compend. et Val. Cl.: *sancti Felicis presbyteri et conf.*

eorum *Vers.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. *All.* Laudate Dominum, omnes angeli ejus. Laudate eum, omnes virtutes ejus. *Off.* Jubilate Deo, universa terra, psalmum dicite nomini ejus. Venite et audite, et narrabo vobis, [a] omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ mæ. *Vers.* 1. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Vers.* 2. Locutum est os meum in tribulatione mea, holocausta medullata offeram tibi. *Com.* Dicit Dominus: Implete hydrias aqua, et ferte architriclino; cum gustasset architriclinus aquam vinum factam, dixit sponso: Servasti bonum vinum usque adhuc. Hoc signum fecit Jesus primum coram discipulis suis. *Psal. ut supra.*

[b] *Natalis sancti Marcelli.*

Antiph. Statuit ei Dominus testamentum pacis, et principem fecit eum, ut sit illi sacerdotii dignitas in æternum. *Psal.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Resp.* Inveni David servum meum, etc. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis [c] non apponet nocere ei. *All.* Inveni David servum meum. *Off.* Veritas mea, et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Vers.* 1. Posui adjutorium meum supra potentem, et exaltavi electum de plebe mea; manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. *Vers.* 2. [d] Misericordia mea. *Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, [e] dicit Dominus. *Psal.* Misericordias Domini, *ut supra.*

[f] *Natalis sanctæ Priscæ.*

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar, et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit **663** te Deus in æternum. *Off.* Filiæ regum in honore tuo. *Vers.* 1. Eructavit cor meum verbum bonum. *Vers.* 2. Specie tua. *Com.* Feci judicium et justitiam. *Psal. ut supra.*

[g] *Natalis sanctorum martyrum Fabiani et Sebastiani.*

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum; redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum; vindica sanguinem servorum tuorum qui effusus est. *Psal.* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in Majestate sua. *Vers.* Dextera tua, Domine, magnificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Lætamini in Domino, et exsultate. *Vers.* 1. Beati quorum. *Vers.* 2. Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. *Com.* Multitudo languentium, et qui vexabantur a spiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. *Psal.* Deus venerunt gentes.

[h] *Natalis sanctæ Agnetis.*

Antiph. Me exspectaverunt peccatores ut perderent me: testimonia tua, Domine, intellexi; omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. *Psal.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* Diffusa est gratia in labiis tuis. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Specie tua et pulchritudine tua, propterea benedixit te Deus in æternum. *Off.* Offerentur regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi. *Com.* Quinque prudentes virgines. *Psal. ut supra.*

Dominica tertia post Epiphaniam.

Antiph. Adorate Deum, omnes angeli ejus. Audivit, et læta est Sion, et exsultaverunt filiæ Judæ. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ. *Respons.* Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. *Vers.* Quoniam ædificavit Dominus Sion, et videbitur in Majestate sua. [i] *All.* Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob, canite psalterium cum cithara. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. *Vers.* 1. In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine, quia Dominus adjutor meus est. *Vers.* 2. Impulsus versatus sum ut caderem, et Dominus suscepit me, et factus est mihi in salutem. *Comm.* Mirabantur omnes de his quæ

[a] Compend.: *Vobis omnibus.... allel. allel.*

[b] In Mss.: XVII *Kal. Febr., sancti Marcelli papæ.*

[c] Compend., *non nocebit eum.*

[d] Compend.: *Misericordiam meam non disp. ab eo, sedes ejus in conspectu meo.*

[e] Ibid.: *Intra in gaud. Dom. tui.*

[f] Scilicet XV Kal. Febr., ut notatur in Mss. Hac die nunc celebratur festum Cathedræ sancti Petri, quod non annotatur in Mss. nostris, nec in libro Sacrament., nec in Kalend. Rom. Frontonis, nec in Bedæ Martyrologio, aliisque plurimis similibus monumentis. Apud Usuardum tamen et Adonem signatur; imo etiam in antiquo Martyrologio nomen Hieronymi præferente, et in alio nongentorum ann. cujus meminit Mabillonius de Liturgia Gallic., pag. 121. Facile assentimur his qui putant olim Cathedram seu Episcopatum sancti Petri non uno eodemque die celebrari consuevisse, sed mense Januario in Galliis, et Februario Romæ. Hinc duplicem Cathedræ sancti Petri solemnitatem celebrandi data occasio. Cumque prius eadem Cathedra, idem Episcopatus ab his in Januario, ab illis in Februario celebraretur, postea 18 Januarii dies consecratus est memoriæ Rom. Cathedræ, et 22 Februarii Antiochenæ. Ex his liquet Paulum IV festum Rom. Cathedræ 18 Januarii non tam instituisse quam restituisse, ut ipse profitetur in litteris hujus restitutionis ann. 1558. In constitutionibus sancti Perpetui Turon. episc. de Vigiliis legitur: *Natali sancti Joannis ad basilicam Domini Martini. Natali sancti Petri episcopatus ad ipsius basilicam.*

[g] Assignatur in Mss. XIII *Kal. Febr.*

[h] In Mss XII *Kal. Febr. Nat. sanctæ Agnæ.*

[i] In Compend.: *Allel. Dominus regn. exsultet terra. læt. ins. multæ.*

procedebant de ore Dei. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet terra.

[a] *Natalis sancti Vincentii.*

Antiph. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. *Psalm.* Exaudi, Deus, Orationem meam cum deprecor; a timore inimici eripe animam meam. *Resp.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Vers.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Allel.* **664** Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Off.* Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum, Domine. *Vers.* Domine Dominus noster. *Comm.* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Psal.* Exaudi Deus.

[b] *Sanctæ Agnetis secundo.*

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. *Psalm.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Resp.* Specie tua. *Vers.* Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. *All.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Offert.* Diffusa est gratia. *Comm.* Simile est regnum cœlorum. *Psal.* *ut supra.*

[c] *Purificatio sanctæ Mariæ, ad Processionem.*

Antiph. [d] Χαῖρε κεχαριτωμένη, Ave gratia plena, θεοτόκε παρθένε, Dei genitrix Virgo, ἐκ σοῦ γὰρ ἀνέτειλεν ex te enim ortus est, ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, Sol justitiæ, φωτίζων τοὺς ἐν σκότει, illuminans qui in tenebris sunt; εὐφραίνου καὶ σὺ, lætare et tu: πρεσβῦτα δίκαιε, senior juste, δεχόμενε ἐν ὠλέναις, suscipiens in ulnis, τὸν ἐλευθερώτην, liberatorem, τῶν ψυχῶν ἡμῶν, animarum nostrarum, χαριζόμενον ἡμῖν, donantem nobis, καὶ τὴν ἀνάστασιν, et resurrectionem. *Vers.* Κατακόσμησον τὸν θάλαμόν σου, Σιὼν, Adorna thalamum tuum, Sion, καὶ ὑπόδεξαι τὸν βασιλέα Χριστὸν, et suscipe regem Christum, ἀσπάζου τὴν Μαρίαν, amplectere Mariam, τὴν οὐράνιον αὐλὴν, quæ est cœlestis porta; αὐτὴ γὰρ βαστάζει τὸν βασιλέα τῆς δόξης, ipsa enim portat regem gloriæ, νεοφύτου φωτὸς ὑπάρχει παρθένος, novi luminis subsistit virgo, φέρουσα ἐν χερσὶν υἱὸν πρὸ ἑωσφόρου, adducens in manibus filium ante luciferum, ὃν λαβὼν Σιμεὼν ἐν ὠλέναις αὐτοῦ, quem accipiens Simeon in ulnis suis, ἐκήρυξεν τοῖς λαοῖς, prædicavit populis, δεσπότην αὐτὸν εἶναι, Dominum eum esse, ζωῆς καὶ θανάτου, vitæ et mortis, καὶ σωτῆρα τοῦ κόσμου, et Salvatorem mundi. *Vers.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Ad Introitum.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui; secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ; justitia plena est dextera tua. *Ps.* Magnus Dominus, et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. *Resp.* Suscepimus, Deus, misericordiam tuam. *Vers.* Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri, Deus fundavit eam in æternum. *Allel.* Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo in timore tuo. Adducentur Regi. *Si post Septuagesimam evenerit.* [e] *Tract. sequens dicetur:* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. **665** Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, et obliviscere populum tuum, et domum patris tui. Et concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum. Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus afferentur tibi. Adducentur in lætitia et exsultatione, adducentur in templum Regi Domino. *Offert.* Diffusa est gratia. *Vers.* 1. Eructavit cor meum verbum bonum. *Vers.* 2. Specie tua et pulchritudine tua. *Comm.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. *Psal. ut supra.*

[f] *Natalis sanctæ Agathæ.*

Antiph. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes [g] in honore Agathæ martyris, de cujus passione gaudent angeli, et collaudant Filium Dei: *Psal.* Eructavit cor meum. *Resp.* Adjuvabit eam Deus vultu suo; Deus in medio ejus, non commovebitur. *Vers.* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Tract.* Qui seminant in lacrymis, [h] in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua: Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. *Offert.* Offerentur Regi virgines post eam. *Comm.* Qui me dignatus est ab omni plaga curare, et mamillam meam meo corpore restituere, ipsum invoco Dominum vivum. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Valentini.

Antiph. In virtute tua, Domine, lætabitur justus, etc. *Psal.* [i] Vitam petiit. *Resp.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Tract.* Desiderium animæ ejus tribuisti

[a] In Mss. XI *Kal. Febr. sancti Vinc.* In Val. Cl. additur *diac. et mart.*

[b] Nimirum V *Kal. Febr.* In Val. Cl. legitur: *Octava sanctæ Agnæ de Nativitate.*

[c] In Compend.: IV *Non. Febr. Purific. Mariæ; Collecta ad sanctum Adrianum.* In Val. Cl.: *Nat. sancti Simeonis; collecta ad sanctum Adrianum, statio ad sanctam Mariam.* In Theod.: *Ypapanti statio ad sanctam Mariam; Coll. ad sanctum Adrianum.*

[d] Quæ hic Græce leguntur desiderantur in Mss.

[e] Nullus assignatur Tractus in Comp. In Val. Cl. legitur: *Si in Septuagesima evenerit, Tractus* Jubilate.

[f] In Comp.: *Nonas Febr., Passio sanctæ Agathæ virg. et mart.* In Val. Cl.: *Nat. sanctæ Agathæ virg. et mart.* In Theod. dicitur tantum martyr.

[g] Compend., *sub honore.*

[h] Compend., *in gaudio metent.* Et infra, *portantes semina sua,* pro *mittentes semina sua.*

[i] Ibid.: Psalm. *Domine, in virtute tua,* etc.

ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum, etc. *Offert.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Comm.* Magna est gloria ejus. *Psal.* xx.

[a] *Cathedra sancti Petri.*

Antiph. Statuit ei Dominus. *Psal.* Misericordias Domini. *Resp.* Juravit : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni cœlorum. *Vers.* Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis. *Vers.* Et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Tu es Petrus. *Psalm. ut supra.*

Annuntiatio sanctæ Mariæ.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. *Psalm.* Eructavit. *Resp.* Diffusa est gratia. *Vers.* Propterea. *Offert.* Ave, Maria, gratia plena. *Vers* 1. Quomodo in me fiet hoc? *Vers.* 2. Ideo quod nascetur ex te. *Comm.* [b] Ecce virgo concipiet. *Psalm. ut supra.*

666 *Dominica* [c] *in Septuagesima.*

Antiph. [d] Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me, et in tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit de templo sancto suo vocem meam. *Psalm.* Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum. *Resp.* Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione; sperent in te, qui noverunt te, quoniam non derelinquis quærentes te, Domine. *Vers.* Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum. Exsurge, Domine, non prævaleat homo. *Tract.* [e] De profundis clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem meam. *Vers.* Fiant aures tuæ intendentes in Orationem servi tui. *Vers.* Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? *Vers.* Quia apud te propitiatio est, et propter legem tuam sustinui te Domine. *Off.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* 1. Quam magnificata sunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ! *Vers.* 2. Ecce inimici tui, Domine, peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. *Vers.* 3. Exaltabitur sicut unicornis cornu meum, et senectus mea in misericordia uberi, quia respexit oculus meus inimicos meos, et insurgentes in me malignantes audivit auris tua. *Comm.* Illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericordia, Domine : non confundar, quoniam invocavi te. *Psal.* In te, Domine, speravi.

[f] *Dominica in Sexagesima.*

Antiph. Exsurge, quare obdormis, Domine? exsurge, et ne repellas in finem; quare faciem tuam avertis? oblivisceris tribulationis nostræ. Adhæsit in terra venter noster; exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos. *Psalm.* Deus, auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis. *Resp.* Sciant gentes quoniam nomen tibi Deus, tu solus altissimus super omnem terram. *Vers.* Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stipulam ante faciem venti. *Tract.* Commovisti, Domine, terram, et conturbasti eam; sana contritiones ejus, quia mota est. *Vers.* Ut fugiant a facie arcus, ut liberentur electi tui. *Off.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea; inclina aurem tuam, et exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te, Domine. *Vers.* 1. Exaudi, Domine, justitiam meam; intende deprecationem meam; auribus percipe orationem meam. *Vers.* 2. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi; sub umbra alarum tuarum protege me; eripe me, Domine, ab impio. *Vers.* 3. Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo; satiabor, dum manifestabitur gloria tua. *Comm.* Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam. *Psal.* Judica me, Deus.

667 [g] *Dominica in Quinquagesima.*

Antiph. Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. Quoniam firmamentum meum, et refugium meum es tu; et propter nomen tuum dux mihi eris, et enutries me. *Psalm.* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum, in justitia tua libera me, et eripe me. *Resp.* Tu es Deus qui facis mirabilia solus, notam fecisti in gentibus virtutem tuam. *Vers.* Liberasti in brachio tuo populum tuum, filios Israel et Joseph. *Tract.* Jubilate Domino, omnis terra, servite Domino in lætitia. *Vers.* Intrate in conspectu ejus in exsultatione. *Vers.* Scitote quod Dominus ipse est Deus [h]. *Vers.* Nos autem populus ejus. *Offert.* Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas, in labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris tui. *Vers.* 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Aufer a plebe tua opprobrium et contemptum, quia mandata tua non sumus obliti, Domine. *Vers.* 2. In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis. *Vers.* 3. Viam iniquitatis, Domine, amove a me, et de lege tua miserere mei. Viam

[a] Abest a Mss. Val. Cl. et Compend.; sed post nat. sancti Valentini legitur : IV *Id. Martii*, *Nat. sancti Gregorii.* Exstat festum Cathedr. sancti Petri in Theod., ubi etiam assignantur septem Dominicæ post Epiphaniam ante Septuagesimam. Ibid. notantur tum vigilia, tum natale sancti Benedicti, scilicet XIII Kal. Martii, et XII.

[b] In Compend. : Com. *Dilexisti justitiam. Ps. ut supra.*

[c] In Compend. : *Statio ad sanctum Laurentium.* Additur in Theod. *foris murum.*

[d] Ad hanc Dominicam citat Alcuinus Antiphonarium, pag. 41, et pag. 42, hoc ipsum officium interpretatur. Qui etiam sequentia officia explicat paginis sequentibus. PAMEL.

[e] Tractus unde dicatur, et cur omittatur Alleluia tempore Septuagesimæ tractat Amalarius, Antiphonarium citans; ubi etiam hoc officium explicat, et sequentia cap. sequenti. PAMEL.

[f] In Compend. et Theod. : *Statio ad sanctum Paulum.*

[g] In Mss. : *Statio ad sanctum Petrum.*

[h] Additur in Compend. : *Ipse fecit nos, et non ipsi nos.* Et in Versu *Nos autem*, etc., subjungitur, *et oves pascuæ ejus.*

veritatis elegi; judicia tua, [a] justitiam tuam non sum oblitus. Viam mandatorum tuorum cucurri, [b] dum dilatares cor meum. *Comm.* Manducaverunt, et saturati sunt nimis; desiderium eorum attulit eis Dominus, non sunt fraudati a desiderio suo. *Psal.* Attendite populus meus legem meam.

Caput jejunii. [c] *Ad Benedictionem cinerum.*

Antiph. [d] Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua; secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos. *Psalm.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Antiph.* Immutemur habitu in cinere et cilicio; jejunemus et ploremus ante Dominum, quia multum misericors est dimittere peccata nostra Deus noster. *Antiph.* Juxta vestibulum et altare plorabant sacerdotes et levitæ ministri Domini, dicentes: Parce, Domine, parce populo tuo, et ne dissipes ora clamantium ad te, Domine [e].

Ad Missam.

Antiph. Misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam; et parcens illis, quia tu es Dominus Deus noster. *Psal.* Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Resp.* Miserere mei, Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Vers.* Misit de cœlo, et liberavit me, dedit in opprobrium conculcantes me. [f] *Tract.* Domine, non secundum peccata nostra facias nobis, neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis. *Vers.* Domine, ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum; cito anticipent nos misericordiæ tuæ, quia pauperes facti sumus nimis. *Vers.* Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. *Off.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me; Domine, clamavi ad te, et sanasti me. *Vers.* 1. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. *Vers.* 2. Ego autem dixi in mea abundantia: Non movebor in æternum. Domine, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem. [g] *Comm.* Qui meditabitur in lege Domini die ac nocte, dabit fructum suum in tempore suo. *Psalm.* Beatus vir.

[h] *Feria quinta.*

Antiph. [i] Dum clamarem ad Dominum exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, et humiliabit eos, qui est ante sæcula, et manet in æternum. Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam. *Resp.* Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. *Vers.* Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi. *Off.* Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam. *Vers.* 1. Dirige me in veritate tua, et doce me, quia tu es Deus salvator meus, et te sustinui tota die. *Vers.* 2. Respice in me, et miserere mihi, quia unicus et pauper sum ego. *Comm.* Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta [j] super altare tuum vitulos. *Psal.* L.

[k] *Feria sexta.*

Antiph. Audivit, et misertus est mihi Dominus, factus est adjutor meus. *Psal.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. [l] *Respons.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. *Vers.* Ut videam voluntatem Domini, et protegar a templo sancto ejus. *Off.* Domine, vivifica me secundum eloquium tuum, ut sciam testimonia tua. *Vers.* 1. Fac cum servo tuo, Domine, secundum magnam misericordiam tuam; et ne auferas de ore meo verbum veritatis. *Vers.* 2. Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, Domine, ut discam mandata tua, et voluntaria oris mei [m] fac mihi in beneplacito. *Comm.* Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore; apprehendite disciplinam, ne pereatis de via justa. *Psal.* II.

Dominica prima Quadragesimæ, statio [n] *ad Lateranum.*

Antiph. Invocavit me, et ego exaudiam eum; eripiam eum, et glorificabo eum, longitudine dierum adimplebo eum. *Psalm.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Resp.* [o] Tenuisti manum dexteram meam, in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me. *Vers.* Quam bonus Israel Deus rectis corde! mei

[a] Duo hæc verba desiderantur in Mss. Compend., sunt in edit. Pamel.

[b] Compend.: *Dum dilatasti cor meum. Aufer*, etc.

[c] Deest in Ms. Compend. *Ad Bened. cin.* In secundo Theod. legitur: *Statio ad sanctam Anastasiam.* In Comp., *Ad sanctam Sabinam.* Fortasse una erat statio pro Benedictione cinerum, et altera pro Missa.

[d] Antiphonarum ad Benedictionem cinerum, fit nominatim mentio in Ordine Romano, uti est Antiph. ad Processionem: *Juxta vestibulum.* Item apud Albinum, p. 52; citat etiam Microl gus tanquam Gregorii, cap. 41. PAMEL.

[e] In Compend. hic resumitur Antiph. *immutemur.*

[f] Tractum hunc non tam ex Romano Ordine quam consuetudine dici annotat Micrologus, cap. 50. PAMEL.

[g] In Compend. repetitur hic, *Domine, clamavi*, etc.

[h] Compend. et Theodoric.: *Statio ad sanctum Georgium.*

[i] Officia quintæ feriæ per totam Quadragesimam, non a Gregorio I, sed II, composita, et maxime in æstivalibus Dominicis collecta, testatur Micrologus, cap. 50. PAMEL.

[j] Compend.: *Super altare tuum, Domine.*

[k] In Compend. et Theod. indicitur statio *ad sanctos Joann. et Paulum.*

[l] In Compend.: *Super me, Domine, refugium factus es nobis*, etc. *priusquam montes fierent, aut formaretur terra*, etc., *unam petii.*

[m] Compend.: *Fac mihi beneplacito, Domine.*

[n] In Theod.: *Ad sanctum Joannem.* In Compend.: *Ad sanctum Joannem ad Lateranis.*

[o] Sic quidem vetustissimus Ms. Blandiniensis, sed Ultrajectinus habet: *Respons. Angelis suis Deus mand. de te, ut cust. te in omn. viis tuis; et Vers. In manib. port. te, ne forte off. ad. lap. ped. tuum.* Cui etiam consentit Alcuinus, pag. 47. PAMEL. Ita quoque legitur in Mss. Compend. et Theod.

autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. *Tract.* Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Vers.* Dicet Domino: Susceptor meus es tu, et refugium meum, Deus meus, sperabo in eum. *Vers.* Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. *Vers.* Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. *Vers.* Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. *Vers.* A sagitta volante per diem, a negotio perambulante in tenebris, a ruina et dæmonio meridiano. *Vers.* Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis, tibi autem non appropinquabit. *Vers.* Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. *Vers.* In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers.* Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. *Vers.* Quoniam in me speravit, liberabo eum; protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Invocavit me, et ego exaudiam eum; cum ipso sum in tribulatione. *Vers.* Eripiam eum, et glorificabo eum. *Vers.* [a] Longitudine dierum adimplebo eum, et ostendam illi salutare meum. *Offert.* Scapulis suis obumbrabit tibi Dominus, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Vers.* 1. Dicet Domino: Susceptor meus es, non timebis a timore nocturno, a sagitta volante per diem. *Vers.* 2. Quoniam angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers.* 3. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem; quoniam in me speravit, liberabo eum. [b] *Comm.* Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Psal. ut supra.*

[c] *Feria secunda.*

Antiph. Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri; miserere nobis, Domine, miserere nobis. *Psal.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. *Resp.* Protector noster aspice, Deus, et respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Off.* Revela oculos meos, et considerabo mirabilia tua, Domine, ut doceas me justitiam tuam; da mihi intellectum, ut discam mandata tua. *Vers.* 1. Legem pone mihi, Domine, et viam justificationum exquiram, et in præceptis tuis exercebor. *Vers.* 2. Veniant super me miserationes tuæ, quia lex tua meditatio mea est, et consolatio mea justificationes tuæ sunt. *Com.* Voce mea ad Dominum clamavi et exaudivit me de monte sancto suo, non timebo millia populi circumdantis me. *Psal.* III.

670 [d] *Feria tertia.*

Antiph. Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie; a sæculo et in sæculum tu es. *Psal.* Priusquam montes fierent, aut firmaretur terra, a sæculo et usque in sæculum tu es Deus. *Resp.* Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Off.* In te speravi, Domine. Dixi: Tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea. *Vers.* 1. Illumina faciem tuam super servum tuum, et salvum me fac propter misericordiam tuam. Domine, non confundar, quoniam invocavi te. *Vers.* 2. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam ab condisti timentibus te! perfecisti autem sperantibus in te, in conspectu filiorum hominum. *Com.* Cum invocarem te, exaudisti me, Deus [e] justitiæ meæ; in tribulatione dilatasti me. Miserere mihi, Domine, exaudi orationem meam. *Psal.* [f] Miserere mei, Domine.

[g] *Feria quarta.*

Antiph. [h] Reminiscere miserationum tuarum, Domine, et misericordiæ tuæ quæ a sæculo sunt, ne unquam dominentur nobis inimici nostri; libera nos, Deus Israël, ex omnibus angustiis nostris. *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam. *Resp.* Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt; de necessitatibus meis eripe me, Domine. *Vers.* Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. *Tract.* De necessitatibus meis eripe me, Domine. Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. *Vers.* Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideant me inimici mei. *Vers.* Etenim universi qui te exspectant non confundentur, confundantur omnes [i] facientes vana. *Off.* Meditabor in mandatis tuis quæ dilexi valde, et levabo manus meas ad mandata tua quæ dilexi. *Vers* 1. Pars mea, Domine, dixi custodire legem tuam. Precatus sum vultum tuum in toto corde meo. *Vers.* 2. Deprecatus sum faciem tuam. Miserere mei secundum eloquium tuum, quia [j] cogitavi vias tuas, et converti pedes meos in testimonia tua. [k] *Com.* Intellige clamorem meum; intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus, quoniam ad te orabo, Domine. *Psal.* Verba mea.

[a] Compend.: *Longitudinem dierum adimp. eum.* Sic etiam legitur in Antiphona superiori, ad Introitum, *Invocavit.*

[b] Repetitur in Comp. *Scuto circumdabit*, etc.

[c] In Compend. *Ad Vincula, ad sanctum Petrum.* In Theod.: *Statio ad sanctum Petrum ad Vincula.*

[d] In Theod. *Statio ad sanctam Anastasiam.* In Compend.: *Ad sanctam Anastasiam.*

[e] Omittitur *justitiæ meæ* in Compend.

[f] Compend.: *Psal. Filii hominum.*

[g] In Theod.: *Statio ad sanctam Mariam Majorem.* In Compend.: *Ad sanctam Mariam ad præsepem.*

[h] Hujus officii, ac feriæ sextæ, et Sabbati hujus hebdomadæ, disertis verbis fit mentio apud Micrologum, c. 24, et tanquam ex Antiphon. sancti Gregorii. PAMEL.

[i] Compend., *facientes mala.*

[j] Compend., *cogitavi vias meas.*

[k] Hic resumitur in Compend. *et levabo manus meas.*

[a] *Feria quinta.*

Antiph. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino, omnis terra. *Resp.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum, protege me. *Vers.* De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitatem. *Off.* [b] Emittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos; gustate et videte quoniam suavis est Dominus. **671** *Vers.* 1. Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Vers.* 2. In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur. Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in invicem. *Vers.* 3. Accedite ad eum, et illuminamini; et vultus vestri non erubescant; iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus ejus liberavit eum. [c] *Com.* Panis quem ego dedero caro mea est pro sæculi vita. *Psal. ut supra.*

[d] *Feria sexta.*

Antiph. De necessitatibus meis eripe me, Domine, vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. [e] *Resp.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine. *Vers.* Conturbata sunt omnia ossa mea, et anima mea turbata est valde. *Off.* Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, et renovabitur sicut aquilæ juventus tua. *Vers.* 1. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, et redimet de interitu vitam tuam, qui coronat te in miseratione et misericordia. [f] *Vers.* 2. Miserator et misericors Dominus, patiens et multum misericors. *Com.* Erubescant et conturbentur omnes inimici mei; avertantur retrorsum et erubescant valde velociter. [g] *Psal.* VI.

[h] *Sabbato in* XII *lectionibus.*

Antiph. Intret Oratio mea in conspectu tuo; inclina aurem tuam ad precem meam, Domine. *Psal.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. [i] *Resp.* 1. Protector noster aspice Deus, et respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Resp.* 2. Propitius esto. *Vers.* Adjuva. *Resp.* 3. Dirigatur. *Vers.* Elevatio. *Resp.* 4. Salvum fac populum. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi. *Hymn.* Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum, et laudab. *sive* Benedictus es in firmamento cœli. *Vers.* Benedicite, omnia opera Domini, Domino; benedicite, cœli, Domino; benedicite, angeli Domini, Domino. *Vers.* Benedicite, aquæ quæ super cœlos sunt, Domino; benedicite, omnes virtutes Domini, Domino; benedicite, sol et luna, Domino. *Vers.* Benedicite, stellæ cœli, Domino; benedicite, imber et ros, Domino; benedicite, omnes spiritus, Domino. *Vers.* Benedicite, ignis et æstus, Domino; benedicite, noctes et dies, Domino; benedicite, tenebræ et lumen, Domino. *Vers.* Benedicite, frigus et cauma, Domino; benedicite, pruina et nives, Domino; benedicite, fulgura et nubes, Domino. *Vers.* Benedicat terra Domino: benedicite, montes et colles, Domino; benedicite, omnia nascentia terræ, Domino. *Vers.* Benedicite, maria et flumina, Domino; benedicite, fontes, Domino; benedicite, cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino. *Vers.* Benedicite, volucres cœli, Domino; benedicite, bestiæ et universa **672** pecora, Domino; benedicite, filii hominum, Domino. *Vers.* Benedicat Israel Dominum; benedicite, sacerdotes Domini, Domino. *Vers.* Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino; benedicite, sancti et humiles corde, Domino. *Vers.* Benedicite, Anania, Azarias, Misael, Domino. *Vers.* Hymnum dicentes. *Tract.* Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate eum omnes populi. *Vers.* Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. *Off.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. Intret Oratio mea in conspectu tuo, Domine. *Vers.* 1. Inclina aurem tuam ad precem meam; Domine, longe fecisti notos meos a me; clamavi ad te, Domine, tota die expandi manus meas ad te. *Vers.* 2. Et ego ad te, Domine, clamavi, et mane Oratio mea præveniet te. Egens sum ego in laboribus a juventute mea. *Vers* 3. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber, traditus sum et non egrediebar. *Com.* Domine Deus meus, in te speravi; libera me ab omnibus persequentibus me, et eripe me. *Psal.* Ipse.

Dominica vacat. Dominica secunda Quadragesimæ.

Antiph. [j] Reminiscere miserationum tuarum, Domine. *Psal.* Ad te, Domine, levavi. *Tractus.* De necessitatibus meis. *Vers.* Ad te, Domine. *Vers.* Etenim. *Tract.* Dixit Dominus mulieri Chananææ: Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus

[a] In 1 Theoderic. legitur: *Statio ad sanctum Laurentium foris murum.* In altero: *Ad sanctum Laurentium in formosa.* Consentit Compend.

[b] Compend.: *Immitit angelum Dominus.*

[c] In Compend. repetitur hic *gustate et videte*, etc.

[d] In Theoderic. et Compend.: *Statio ad apostolos*, vel. *Ad apost.*

[e] In Compend.: *Resp. Salvum fac servum tuum, Deus meus, sper. in te.* Vers. *Auribus percipe, Dom., Orat. m. Resp. Miserere.*

[f] In Compend.: *Vers. 2. Justitia ejus super fil. fil. custodientibus testam. ejus et mand. ejus ut fac. ea Dom. in cœlo par. sed. suam et reg. ejus omnium dominabitur et renovabitur*, etc.

[g] In Comp.: *Ps. Domine Dominus noster.* in Edit. Vatic. et Guss. simpliciter legitur *Psalmus.* Adjecimus numerum ex Pamel.

[h] In Comp. et Theod.: *Statio ad sanctum Petrum.*

[i] In Comp. titulus hic legitur: *Respons. quatuor ad ipsum diem pertinentia et Benedictionem.* Responsoria vero hæc authentica esse patet ex Micrologo.

[j] Hujus Dominicæ officium non legitur in Comp. Val. Cl. et Theodoric., in quibus tamen assignantur Collecta, et aliæ Orationes ad Missam pertinentes. Forte hac Dominica Missa quidem celebrabatur, sed ob nimium Sabbati præcedentis laborem, nihil canebatur.

ad mandu andum. *Vers.* At illa dixit : Utique, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Vers.* Ait illi Jesus : O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut petisti. *Off.* Meditabor. *Com.* Intellige clamorem.

[a] *Feria secunda.*

Antiph. Redime me, Domine, et miserere mei; pes enim meus stetit in via recta, in ecclesiis benedicam Domino. *Psal.* Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum; et in Domino sperans, non infirmabor. *Resp.* Adjutor meus et liberator meus esto, Domine, ne tardaveris. *Vers.* Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Off.* Benedicam Domino qui mihi tribuit intellectum, providebam Deum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Vers.* Conserva me, Domine, quoniam in te speravi. Ego dixi : Deus meus es tu; Dominus pars hæreditatis meæ. *Vers.* Notas fecisti mihi vias vitæ; adimplebis me lætitia cum vultu tuo, et delectationes in dextera tua usque in finem. *Com.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! *Psal.* Ipse.

[b] *Feria tertia.*

Antiph. Tibi dixit cor meum : Quæsivi vultum tuum : vultum tuum, Domine, requiram ; ne avertas faciem tuam a me. *Psal.* Dominus illuminatio mea **673** et salus mea, quem timebo? *Resp.* Jacta cogitatum. *Off.* Miserere mihi, Domine, secundum magnam misericordiam tuam : dele, Domine, iniquitatem meam. *Vers.* 1. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum coram me est semper. *Vers.* 2. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci : miserere mei, [c] ut justificeris, Domine, in sermonibus tuis. *Com.* Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor et exsultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime. *Psal.* Confitebor tibi, Domine.

[d] *Feria quarta.*

Antiph. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discedas a me; intende in adjutorium meum, Domine, virtus salutis meæ. *Psal.* Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. *Resp.* Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ. *Vers.* Ad te, Domine, [e] clamavi; Deus meus, ne sileas a me, et ero similis descendentibus in lacum. *Off.* Ad te, Domine, levavi. [f] *Com.* Justus Dominus, et justitias dilexit : æquitatem vidit vultus ejus. *Psal.*

[g] *Feria quinta.*

Antiph. Deus, in adjutorium meum intende : Domine, ad adjuvandum me festina. Confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Psal.* Avertantur retrorsum et revereantur, qui volunt mihi mala. *Resp.* Propitius esto, Domine, peccatis nostris, ne quando dicant gentes : Ubi est Deus eorum? *Vers.* Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. *Off.* Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, et dixit : Quare, Domine, irasceris in populo tuo? [h] parce iræ animi tui. Memento Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurasti dare terram fluentem lac et mel. Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. *Vers.* 1. Dixit Dominus ad Moysen : Invenisti gratiam in conspectu meo, et scio te præ omnibus. Et festinans Moyses, inclinavit se in terram, et adoravit dicens : Scio quia misericors es in millibus, auferens iniquitatem et peccata. *Vers.* 2. [i] Dixit Moyses et Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel : Accedite ante Deum. Majestas Domini apparuit in nube, et exaudivit murmurationem vestram in tempore. *Com.* Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo, dicit Dominus. *Psal.* Deus in adjutorium meum intende.

[j] *Feria sexta.*

Antiph. Ego autem cum justitia apparebo in conspectu tuo : satiabor, dum manifestabitur gloria tua. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam : intende ad deprecationem meam. *Resp.* Ad Dominum, cum tribularer, clamavi; et exaudivit me. *Vers.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. *Off.* Domine, in auxilium meum respice : confundantur et revereantur, qui **674** quærunt animam meam, ut auferant eam. *Vers.* 1. Avertantur retrorsum et erubescant, qui cogitant mihi mala. *Vers.* 2. Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, et exaudivit deprecationem meam. [k] *Com.* Tu, Domine, servabis nos, et custodies nos a generatione hac in æternum. *Psal.* XI.

[l] *In Sabbato.*

Antiph. Lex Domini irreprehensibilis, convertens animas : testimonium Dei fidele, sapientiam præstans parvulis. *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Off.* Illumina oculos meos, ne quando obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. *Vers.* 1. Usquequo, Domine, oblivisceris me in

[a] In Compend. et Theoder. : *Statio ad sanctum Clementem.*

[b] In laudatis Mss. : *Statio ad sanctam Balbinam.*

[c] Compend. : *Ut justificeris miserationibus tuis, Domine.*

[d] In Mss. : *Statio ad sanctam Cæciliam.*

[e] Compend., *Clamabo.*

[f] In eodem duo versus subjiciuntur. 1. *Dirige.* 2. *Respice.*

[g] In Ms. : *Statio ad sanctam Mariam trans Tiberim.*

[h] Compend. : *Parce iræ animæ tuæ.*

[i] In hoc. Cod. legitur, *Dixit Moyses ad Aaron.* Ita etiam XVI Exodi, 9 : *Dixit quoque Moyses ad Aaron : Dic universæ congreg.*

[j] In Mss. : *Statio ad sanctum Vitalem.*

[k] In Compend. repetitur hic : *Domine, in auxilium meum respice.*

[l] Statio est *ad sanctos Marcellinum et Petrum,* juxta Mss. In Compend. legitur, *feria septima pro Sabbato.*

finem? quandiu ponam consilia in anima mea? *Vers.* 2. Respice in me et exaudi me: cantabo Domino qui bona tribuit mihi. *Com.* Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit, perierat [a] et inventus est. *Psal. ut supra.*

[b] *Dominica tertia Quadragesimæ.*

Antiph. Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet de laqueo pedes meos: respice in me, et miserere mei, quoniam unicus et pauper sum ego. *Psal.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam. *Resp.* Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo. *Vers.* In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur et peribunt a facie tua. *Tract.* Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. *Vers.* Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. *Vers.* Et sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ. *Vers.* Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. *Vers.* Miserere nobis, Domine, miserere nobis. *Off.* Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, et dulciora super mel et favum: nam et servus tuus custodiet ea. *Vers.* 1. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; timor Dei sanctus, permanens in sæculum sæculi: judicia Domini vera. [c] *Vers.* 2. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. [d] *Com.* Passer invenit sibi domum, et turtur nidum, ubi reponat pullos suos. Altaria tua, Domine virtutum, Rex meus et Deus meus. Beati qui habitant in domo tua: in sæculum sæculi laudabunt te. *Psal.* Quam dilecta.

[e] *Feria secunda.*

Antiph. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speravi: non timebo quid faciat mihi homo. *Psal.* Miserere mei, Deus, quoniam conculcavit me homo: tota die impugnans, tribulavit me. *Resp.* Deus, vitam meam nuntiavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo. **675** *Vers.* Miserere mihi, Domine, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans, tribulavit me. *Off.* Exaudi, Deus, orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: intende in me, et exaudi me: *Vers.* 1. [f] Conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris: et exspectabam eum qui me salvum faceret. *Vers.* 2. Ego autem ad Deum clamavi, libera animam meam [g] et extendes manum in retribuendo illis. *Com.* [h] Et dabit ex Sion salutare Israel: cum averterit Dominus captivitatem plebis suæ, exsultabit Jacob, et lætabitur Israel. [i] *Psal.* LII.

[j] *Feria tertia.*

Antiph. Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus: inclina aurem tuam, et exaudi verba mea: custodi me, Domine, ut pupillam oculi: sub umbra alarum tuarum protege me. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam. *Resp.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. *Vers.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem. *Vers.* 1. In tribulatione invocavi Dominum. *Vers.* 2. [k] Impulsus. *Com.* Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo! Qui ingreditur sine macula, et operatur justitiam. *Psal.* XIV.

[l] *Feria quarta.*

Antiph. Ego autem in Domino speravi: exsultabo et lætabor in tua misericordia, quia respexisti humilitatem meam. *Psal.* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me. *Resp.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, sana me, Domine. *Vers.* Conturbata sunt ossa omnia mea, et anima mea turbata est valde. *Off.* Domine, fac mecum misericordiam tuam propter nomen tuum, quia suavis est misericordia tua. *Vers.* 1. Deus laudem meam ne tacueris, quia os peccatoris et dolosi super me apertum est. *Vers.* 2. Pro eo ut diligerent me, detrahebant mihi: ego autem orabam. [m] *Vers.* 3. Locuti sunt adversum me lingua dolosa, et sermonibus odii circumdederunt me, et expugnaverunt me gratis. *Com.* Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, Domine. *Psal.* XI.

[n] *Feria quinta.*

Antiph. Salus populi ego sum, dicit Dominus: De quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Dominus in perpetuum. *Psal.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Psal.* Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. *Vers.* Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Off.* Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Domine, et super iram inimicorum meorum extendes manum tuam: et salvum me fecit dextera tua. *Vers.* 1. In quacunque die invocavero te, exaudi me, Domine: multiplicabis in anima mea **676** virtutem tuam. *Vers.* 2. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine, super misericordiam tuam et veritatem tuam. *Com.* Tu mandasti

[a] In Compend., *et inventus est in æternum.*

[b] Hæc Dominica dicitur *secunda* in Compend., non alia ratione quam quia Dominica secunda *vacat*, ut etiam legitur in Excusis. Hujus Dominicæ statio in Mss. est *ad sanctum Laurentium.* Additur in Theoderic. *foris murum.*

[c] In Compend. additur *et dulciora.*

[d] Ibid. additum *et dulciora.*

[e] In Mss. assignatur: *Statio ad sanctum Marcum.*

[f] Compend., *Conturbata sunt a voce*, etc.

[g] Idem Cod., *Et extendens manum tuam in retrib.*, etc.

[h] In Compend., *Quis dabit ex Sion.*

[i] Ibid.: *Ps. Dixit insipiens.*

[j] In Mss., *Statio ad sanctam Potentianam.*

[k] Compend., *Impulsus versatus sum.*

[l] Mss., *Statio ad sanctum Sixtum.*

[m] In Compend. additur: *quia suavis est misericordia.* Hoc in Codice multæ sunt similes repetitiones, de quibus infra nihil adjiciemus.

[n] In Mss. assignata statio ad sanctos Cosmam et Damianum.

mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. *Psal.* Beati immaculati.

[a] *Feria sexta.*

Antiph. Fac mecum, Domine, signum in bonum : ut videant qui me oderunt, et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. *Psal.* Inclina, Domine, aurem tuam, et exaudi me : quoniam inops et pauper sum ego. *Resp.* In Deo speravit cor meum, et adjutus sum : et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi : Deus meus, ne sileas, ne discedas a me. *Off.* Intende voci orationis meæ, Rex meus et Deus meus : quoniam ad te orabo, Domine. *Vers.* 1. Verba mea auribus percipe, Domine : intellige clamorem meum, et exaudi me. *Vers.* 2. Dirige in conspectu tuo [b] viam meam, et lætentur omnes qui sperant in te, Domine : in æternum gloriabuntur, qui diligunt nomen tuum, Domine. *Com.* Qui biberit aquam quam ego dabo ei, [c] dicit Dominus, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Psal. ut supra.*

[d] *Sabbato.*

Antiph. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ. *Psal.* Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. *Resp.* Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. *Vers.* Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. *Off.* Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur omnis injustitia, Domine. *Vers.* 1. Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis. *Vers.* 2. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua : et in veritate tua humiliasti me, ut non dominetur mei omnis injustitia, Domine. *Com.* Nemo te condemnavit, mulier? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo; jam amplius noli peccare. *Psal. ut supra.*

[e] *Dominica quarta Quadragesimæ.*

Antiph. Lætare Jerusalem, et conventum facite omnes qui diligitis eam : gaudete cum lætitia, qui in tristitia fuistis, ut exsultetis, et satiemini ab uberibus consolationis vestræ. *Psal.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. *Resp.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *Tractus.* Qui confidunt in Domino sicut mons Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem. *Vers.* Montes in circuitu ejus, et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Off.* Laudate Dominum, quia benignus est Dominus : psallite nomini ejus, quoniam suavis est : omnia quæcunque voluit fecit in cœlo et in terra. *Vers.* 1. Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri : quia ego cognovi, quod magnus est 677 Dominus, et Deus noster præ omnibus diis. *Vers.* 2. Domine, nomen tuum in æternum, et memoriale tuum in sæcula sæculorum. Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis consolabitur. *Vers.* 3. Qui timetis Dominum, benedicite eum. Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusalem. *Com.* Jerusalem, quæ ædificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum ; illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, ad confitendum nomini tuo, Domine. *Psal.* Lætatus sum.

[f] *Feria secunda.*

Antiph. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. Deus, exaudi Orationem meam. [g] *Psal.* Ecce enim Deus. Averte mala inimicis meis, et in veritate tua disperde illos. *Resp.* Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. *Vers.* Deus, in te speravi : Domine, non confundar in æternum. *Off.* Jubilate Deo, omnis terra. [h] *Com.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. [i] *Psal.* XVIII.

[j] *Feria tertia.*

Antiph. Exaudi, Deus, Orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam ; intende in me, et exaudi me. *Psal.* [k] Contristatus sum in exercitatione mea, et conturbatus sum a voce inimici. *Resp.* Exsurge, Domine, fer opem nobis, et libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Deus, auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. *Off.* Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, et exaudivit deprecationem meam ; et immisit in os meum canticum novum, hymnum Deo nostro. *Vers.* 1. Statuit supra petram pedes meos, et direxit gressus meos. *Vers.* 2. Multa fecisti tu, Deus meus, mirabilia tua, et cogitationibus tuis non est similis tibi. Bene nuntiavi justitiam tuam in Ecclesia magna. *Vers.* 3. Domine Deus, tu cognovisti, [l] justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi : adjutor meus, Domine, et protector meus. *Com.* Lætabimur in salutari tuo, et in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. [m] *Psal.* XIX.

[n] *Feria quarta.*

Antiph. Dum sanctificatus fuero in vobis, congre-

[a] In Mss. : *Statio ad sanctum Laurentium.* Additur in Theodericensibus, *in Lucina.*
[b] Compend., *Vias meas.*
[c] Idem, *dicit Dominus Samaritanæ.*
[d] Mss. assignant pro statione *sanctam Susannam.*
[e] In Mss. legitur, *ad Jerusalem.*
[f] Ibid., pro statione legitur, *Ad quatuor sanctos Coronatos.*
[g] Compend. *Psal. Ipse.*
[h] Post Offertorium in Compend. assignantur duo versus : 1. *Ipse fecit nos.* 2. *Laudate.*
[i] In eodem Cod. *Ps. Cœli enarrant.*
[j] In utroque Theod. : *Statio ad sanctum Laurentium in Damascum.* Sed error est, et legendum *in Damasum*, ut etiam habet Codex Compend. vel potius *in Damaso.*
[k] Compend. : *Conturbatus sum in exerc.*
[l] Compend. : *Justitiam meam.*
[m] Ibid. : *Psalm. Exaudiat te.* Ita in Theod.
[n] Statio est *ad sepulcrum*, ex Cod. Compend. et *ad sanctum Paulum*, ex duobus Theodericens.

gabo vos de universis terris; et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et dabo vobis spiritum novum. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* [a] Venite, filii, audite me; timorem Domini docebo vos. *Vers.* Accedite ad eum, et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. *Resp.* Beata gens cujus est Dominus Deus eorum, populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. *Vers.* Verbo Domini cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. **678** *Off.* Benedicite, gentes, Dominum Deum nostrum, [b] et obaudite voci laudis ejus, qui posuit animam meam ad vitam, et non dedit commoveri pedes meos. Benedictus Dominus, qui non amovit deprecationem meam et misericordiam suam a me. *Vers.* 1. Jubilate Deo, omnis terra. Psalmum dicite nomini ejus, date gloriam laudi ejus. *Vers.* 2. In multitudinem virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui; omnis terra adoret te, et psallat tibi, Altissime. *Vers.* 3. Venite, et videte opera Domini, quam terribilis in consiliis super filios hominum. Ad ipsum ore meo clamavi, et exsultavi sub lingua mea. Propterea exaudivit me Deus, et intendit voci Orationis meæ. *Com.* Lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit oculos meos, et abii, et lavi, et vidi, et credidi Deo. *Psal. ut supra.*

[c] *Feria quinta.*

Antiph. Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum et confirmamini; quærite faciem ejus semper. *Psal.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. *Resp.* Respice, Domine, in testamentum tuum, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *Vers.* Exsurge, Domine, judica causam tuam; memor esto opprobrii servorum tuorum. *Off.* [d] Domine, ad adjuvandum me respice: confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam. *Vers.* 1. Avertantur retrorsum et erubescant, qui cogitant mihi mala. *Vers.* 2. Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, et exaudivit deprecationem meam. *Com.* Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea; et usque in senectam et senium, Deus, ne derelinquas me. *Psal.* In te, Domine, speravi.

[e] *Feria sexta.*

Antiph. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper, Domine, adjutor meus et redemptor meus. *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Resp.* Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Off.* Populum humilem salvum facies, Domine, et oculos superborum humiliabis, quoniam quis Deus præter te, Domine? *Vers* 1. Clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus. *Vers.* 2. Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me. *Com.* Videns Dominus flentes sorores Lazari ad monumentum, lacrymatus est coram Judæis, [f] et clamabat: Lazare, veni foras. Et prodiit ligatis manibus et pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus. *Psal.* XXI.

[g] *In Sabbato.*

Antiph. Sitientes, venite ad aquas, dicit Dominus, et qui non habetis pretium, venite: [h] bibite **679** cum lætitia. *Psal.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Resp.* Tibi, Domine, derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. *Vers.* Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitatibus in tribulatione? dum superbit impius, inceditur pauper. *Off.* Factus est Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus; [i] sperabo in eum. *Vers.* 1. Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar, donec deficiant. *Vers.* 2. Et præcinxisti me fortitudine ad bellum, et supplantasti inimicos meos subtus me, et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. *Com.* Dominus regit me, et nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me [j] *Psal.* Ipse.

[k] *Dominica quinta Quadragesimæ.*

Antiph. Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso eripe me, quia tu es Deus meus et fortitudo mea. *Psal.* Emitte lucem tuam, et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. *Resp.* Eripe me, Domine, de inimicis meis, doce me facere voluntatem tuam. *Vers.* Liberator meus, Domine, de gentibus iracundis; ab insurgentibus in me exaltabis me a viro iniquo eripies me. *Tract.* Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. *Vers.* Dicat nunc Israel Sæpe expugnaverunt me a juventute mea. *Vers.* Etenim non potuerunt mihi; supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. *Vers.* Prolongaverunt iniquitatem sibi; Dominus justus concidet cervices peccatorum. *Off.* Confitebor tibi, Domine, in toto

[a] Citat hæc Respons. Amalarius, lib. I, cap. 8. PAMEL.

[b] Comp.: *et obaudite vocem laudi ejus.*

[c] Consentiunt Mss. in assignanda statione, *ad sanctum Silvestrum.*

[d] In Mss. Theod. et Comp.: *Domine in auxilium meum respice.*

[e] In iisdem Codicibus, pro statione legitur *ad sanctum Eusebium.*

[f] Ita Mss., at in Ed. Pamel. Vatic. Guss., *exclamabat*, legitur, pro *et clamabat.*

[g] Pro statione indicatur in utroque Theod. *ad sanctum Laurentium foris murum.* In Compend. legitur: *Sabbatum ad corpus sancti Laurentii.*

[h] Compend. *edite cum lætitia.*

[i] Post hæc verba in Compend. legitur: *Vers.* 1. *Præcinxisti me virt. ab bell. et suppl. inimic. in subtus me; et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes,* etc. *Vers.* 2. *Persequatur inimicos meos, et non convertar,* etc.

[j] Compend.: *Psalm. deduxit me.*

[k] Mss., unanimiter: *Statio ad sanctum Petrum,* ubi etiam hæc Dominica dicitur *in Passione.*

corde meo. Retribue servo tuo, vivam, et custodiam sermones tuos; vivifica me secundum verbum tuum, Domine. *Vers.* 1. Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. *Vers.* 2. Viam veritatis elegi, da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam. In via tua vivifica me, judicia enim tua jucunda. Deprecatus sum vultum tuum in toto corde meo, quia dilexi legem tuam. *Com.* Hoc corpus quod pro vobis traditur. Hic calix novi testamenti est in meo sanguine, dicit Dominus. Hoc facite, quotiescunque sumitis, in meam commemorationem. [a] *Psal. ut supra.*

[b] *Feria secunda.*

Antiph. Miserere mei, Domine, quoniam conculcavit me homo, tota die bellans tribulavit me. *Psal.* Conculcaverunt me inimici mei tota die, quoniam multi bellantes adversum me. *Resp.* Deus, exaudi Orationem meam, auribus percipe verba oris mei. *Vers.* Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. *Off.* Domine, convertere, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. *Vers.* 1. Domine, ne in ira tua **680** arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers.* 2. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Com.* Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. [c] *Psal.* Ipse.

[d] *Feria tertia.*

Antiph. Exspecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et sustine Dominum. *Psal.* Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo? *Resp.* Discerne causam meam, Domine, ab homine iniquo et doloso eripe me. *Vers.* Emitte lucem tuam et veritatem tuam, ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum. *Off.* Sperent in te omnes qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. Psallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non est oblitus Orationem pauperum. *Vers.* 1. Sedes super thronum qui judicas æquitatem; increpasti gentes, et periit impius. Judicabit populum cum justitia, et factus est refugium pauperum. *Vers.* 2. Cognoscetur Dominus judicia faciens, quoniam patientia pauperum non peribit in finem; desiderium pauperum exaudivit Deus. *Com.* Redime me, Deus Israel, ex omnibus angustiis meis. [e] *Psal.* Ad te, Domine, levavi.

Feria quarta.

Antiph. Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me; a viro iniquo eripies me, Domine. *Psal.* Diligam te, Domine virtus mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum. *Resp.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. *Vers.* Domine Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me. Domine, abstraxisti ab inferis animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. *Off.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me, Domine. *Vers.* 1. [g] Quia ecce captaverunt animam meam, et irruerunt fortes in me. *Vers.* 2. Quia factus es adjutor meus et refugium meum in die tribulationis meæ. *Com.* Lavabo inter innocentes manus meas, et circuibo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, ut enarrem universa mirabilia tua. [h] *Psal.* xxv.

[i] *Feria quinta.*

Antiph. Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus; sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. *Psal.* Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. *Resp.* Tollite hostias, et introite in atria ejus; adorate Dominum in aula sancta ejus. *Vers.* Revelabit Dominus condensa, et in templo ejus omnes dicent gloriam. *Off.* Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Vers.* 1. In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra, quoniam illic interrogaverunt nos qui captivos duxerunt nos, **681** [j] verba cantionum: et qui abduxerunt nos, [k] Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? *Vers.* 2. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, obliviscatur me dextera mea; adhæreat lingua mea faucibus meis, si tui non meminero. Qui dixerunt: Super flumina Babylonis. *Vers.* 3. Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem. Qui dixerunt. *Com.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea. *Psal.* Beati immaculati.

[l] *Feria sexta.*

Antiph. Miserere mihi, Domine, quoniam tribulor: libera me, et eripe me de manibus inimicorum meorum, et a persequentibus me: Domine, non confundar, quoniam invocavi te. *Psal.* In te Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me. *Resp.* Pacifice loquebantur mihi inimici mei, et in ira molesti erant mihi. *Vers.* Vidisti, Domine, Deus meus: ne sileas, ne discedas a me. *Off.*

[a] Scilicet, Ps. *Judica me, Deus*, ut explicatur in Theoder.
[b] In Mss.: *Statio ad sanctum Chrysogonum.*
[c] In Theoder.: *Psal. Domini est terra.*
[d] In Mss.: *Statio ad sanctum Cyriacum.*
[e] Ita legitur in Mss., cum vulgati, tum Pamel. tum Vatic. et Guss., tantum habeant *Psalmus*, nullo designato.
[f] Juxta Mss., statio est *ad sanctum Marcellum.*
[g] Hic Versus non est in Compend. Est in Theod., sed secundus; et *Quia factus est*, etc., est primus.
[h] In Compend.: *Psalm. Eripe me de inimicis*; in Theodoric.: *Psal. Judica me.*
[i] In Compend. et in secundo Theod.: *Statio ad sanctum Apollinarem.* In primo Theod.: *Statio ad sanctam Mariam.*
[j] Compend., *verba canticorum.*
[k] Compend., *hymnum cantate Dei.*
[l] In Mss.: *Statio ad sanctum Stephanum.*

Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas, et non tradas calumniantibus me superbis, et respondebo exprobrantibus mihi verbum. *Vers.* 1. Vidi non servantes pactum, et tabescebam : Domine, quando facies de persequentibus me judicium? *Vers.* 2. Appropinquaverunt persequentes me iniquitati : confundantur et revereantur, quia injuste iniquitatem fecerunt in me. *Com.* Ne tradideris me, Domine, in animas tribulantium me, quia surrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.[a] *Psal.* XXVI.

[b] *Sabbatum vacat.* [c] *Dominica in Palmis.*

Antiph. Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam aspice. Libera me de ore leonis [d] et a cornibus unicornium humilitatem meam. *Psal.* Deus, Deus meus, respice in me : quare me dereliquisti? *Resp.* Tenuisti manum dexteram meam : in voluntate tua deduxisti me, et cum gloria assumpsisti me. *Vers.* Quam bonus Israel Deus rectis corde? Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei. Quia zelavi in peccatoribus pacem peccatorum videns. *Tract.* Deus, Deus meus, respice in me, quare me dereliquisti? *Vers.* Longe a salute mea verba delictorum meorum. *Vers.* Deus meus, clamabo per diem, nec exaudies : et nocte, et non ad insipientiam mihi. *Vers.* Tu autem in sancto habitas, laus Israel. In te speraverunt patres nostri : speraverunt et liberasti eos. *Vers.* Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt : in te speraverunt, et non sunt confusi. *Vers.* Ego autem sum vermis, et non homo : opprobrium hominum, et abjectio plebis. *Vers.* Omnes qui videbant me, aspernabantur me : locuti sunt labiis, et moverunt caput. *Vers.* Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum. *Vers.* Ipsi vero consideraverunt, et conspexerunt me, diviserunt sibi **682** vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Vers.* Libera me de ore leonis, et a cornibus unicornium humilitatem meam. *Vers.* Qui timetis Dominum, laudate eum : universum semen Jacob magnificate eum. *Vers.* Annuntiabitur Domino generatio ventura, et annuntiabunt cœli justitiam ejus. *Vers.* Populo qui nascetur, quem fecit Dominus. *Off.* Improperium exspectavit cor meum, et miseriam : et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit : consolantem me quæsivi, et non inveni : et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. *Vers.* 1. Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Vers.* 2. Adversum me exercebantur qui sedebant in porta : et in me psallebant qui bibebant vinum. *Vers.* 3. Ego vero orationem meam ad te, Domine : tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. *Com.* Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. *Psal. ut supra.*

[e] *Feria secunda.*

Antiph. Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium meum, Domine, virtus salutis meæ. *Psal.* [f] Effunde frameam, et conclude adversus eos qui persequuntur me. *Resp.* Exsurge, Domine, et intende judicium meum, Deus meus et Dominus meus in causam meam. *Vers.* Effunde frameam, et conclude qui me persequuntur. *Off.* Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi : doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Vers.* Exaudi me in tua justitia, et ne intres in judicium cum servo tuo, Domine. *Ad Com.* Erubescant et revereantur simul, qui gratulantur malis meis : induantur pudore et reverentia, qui maligna loquuntur super me. [g] *Psal.* XXXIV.

[h] *Feria tertia.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita, et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. *Psal.* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis : illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. *Resp.* Ego autem dum mihi molesti essent, [i] induebar cilicio : et humiliabam in jejunio animam meam, et oratio mea in sinum meum convertetur. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. *Off.* Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis eripe me, Domine. *Vers.* 1. Eripe me, Domine, ab homine malo; a viro iniquo libera me. *Vers.* 2. Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueum mihi. *Vers.* 3. Dixi Domino, Deus meus es tu : exaudi, Domine, vocem deprecationis meæ. *Com.* Adversum me exercebantur, qui sedebant in porta : et in me psallebant **683** qui bibebant vinum, ego vero orationem meam ad te, Domine : tempus beneplaciti, Deus, in multitudine misericordiæ tuæ. [j] *Psal.* LXXIII.

[a] Ibid. : *Psalm. Dominus illuminatio mea.*

[b] In Compend. : *Sabbato vacat quando Rom. papa eleemosynam dat.* In Theoder. 1 : *Sabbato vacat. Domnus Papa eleemosyn. dat.* In altero, *Sabbato statio ad sanctum Petrum, quando eleemosyna datur.* Val. Clar. consentit Editis. Observat Pamelius ita prætitulari hanc feriam (Sabbatum vacat) in Antiphonario, teste Amalario, l. I, c. 8. In Theod., etsi nihil præscribatur canendum, assignantur tamen Orationes omnes ad missam pertinentes, ut in cæteris diebus.

[c] Antiph. ad Processionem, vide in Ord. Rom. p. 46, 47 et 48, et apud Alcuinum, p. 53. PAMEL. In Comp.: *Statio ad Lateranis*; in Theod., *ad sanctum Joan. in Lateranis*; in Theod. 1, ante titulum hunc habes : *Benedictio palmarum vel frondium.* Hæc benedictio ex parte est etiam in altero Theod., sed non hoc loco.

[d] In Compend., consentiente edit. Pamel. : *Et a cornibus unicornuorum.* Ita quoque legitur infra in Tractu.

[e] In Mss. : *Statio ad sanctos Nereum et Achilleum.* In Theod. 2 tamen assignatur, *ad sanctam Praxedem.*

[f] Compend., *Effunde, framea;* quasi ad frameam sermo converteretur, et sanguinem effundere juberetur.

[g] In Theod. : *Ps. Judica me.* In Compend. : *Ps. Judica, Domine, nocentes me.*

[h] Consentiunt Mss. in assignanda statione, *ad sanctam Priscam.*

[i] Compend., *induebam me cilicio.* Ita opinamur legi in aliis Mss., sed eorum diversas lectiones compendiose tantum habemus.

[j] In Mss. : *Psal. Salvum me fac, Deus.*

[a] *Feria quarta.*

Antiph. [b] In nomine Domini omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium et infernorum : quia Dominus factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ; ideo Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. *Psal.* Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. *Resp.* Ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Vers.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam : infixus sum in limo profundi, et non est substantia. *Tract.* Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat. *Vers.* Ne avertas faciem tuam a me : [c] in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. *Vers.* In quacunque die invocavero te, velociter exaudi me. *Vers.* Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. *Vers.* Percussus sum sicut fenum, et aruit cor meum, quia oblitus sum manducare panem meum. *Vers.* Tu exsurgens, Domine, misereberis Sion, quia venit tempus miserendi ejus. *Off.* Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te perveniat. *Vers.* 1. Ne avertas faciem tuam a me. *Vers.* 2. Quia oblitus sum manducare panem meum. *Vers.* 3. Tu exsurgens misereberis Sion, quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. *Com.* Potum meum cum fletu temperabam, quia elevans allisisti me, et ego sicut fenum arui; tu autem, Domine, in æternum permanes : tu exsurgens misereberis Sion, quia venit tempus miserendi ejus. [d] *Psal.* CI.

[e] *Feria quinta, de Cœna Domini.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra : per quem salvati et liberati sumus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. *Vers.* Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me : non moriar, sed vivam, et narrabo opera Domini. *Vers.* 1. In tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. *Vers.* 2. Impulsus, eversus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. *Com.* Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis, lavit pedes eorum, et ait illis : Scitis quid fecerim vobis? Ego Dominus et magister exemplum dedi vobis, ut et vos ita faciatis. *Psal.* Beati immaculati.

Feria sexta, in Parasceve.

Antiph. Domine, audivi auditum tuum, et timui : consideravi opera tua, et expavi. *Vers.* 1. In medio duorum animalium innotesceris : dum appropinquaverint **684** anni, cognosceris : dum advenerit tempus, ostenderis. *Vers.* 2. Operuit cœlos majestas ejus, et laudis ejus plena est terra. *Vers.* 3. Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso, et condenso. *Vers.* 4. In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira misericordiæ memor eris. [f] *Tract.* Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me. *Vers.* Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant prælia. *Vers.* Acuerunt linguas suas sicut serpentes : venenum aspidum sub labiis eorum. *Vers.* Custodi me, Domine, de manu peccatoris, et ab hominibus iniquis libera me. *Vers.* Qui cogitaverunt supplantare gressus meos, absconderunt superbi laqueos mihi. *Vers.* Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, juxta iter scandalum posuerunt mihi. *Vers.* Dixi Domino, Deus meus es tu : exaudi Domine, vocem orationis meæ. *Vers.* Domine, Domine, virtus salutis meæ, obumbra caput meum in die belli. *Vers.* Ne tradas me a desiderio meo peccatori : cogitaverunt adversum me; ne derelinquas me, ne unquam exaltentur. *Vers.* Caput circuitus eorum, labor labiorum ipsorum operiet eos. *Vers.* Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo, et habitabunt recti cum vultu tuo. [g]

Antiph. ad crucem adorandam.

[h] Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus, et glorificamus : ecce enim propter crucem venit gaudium in universo mundo. *Psal.* Deus misereatur nostri. *Antiph.* Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit. Venite adoremus. *Psal.* Beati immaculati in via. *Antiph.* [i] Dum fabricator mundi mortis supplicium pateretur in cruce, clamans voce magna, tradidit spiritum : et ecce velum templi divisum est, monumenta aperta sunt : terræ motus enim factus est magnus, quia mortem filii Dei clamabat mundus se sustinere non posse. *Vers.* Aperto ergo militis lancea latere crucifixi Domini, exivit sanguis et aqua in redemptionem salutis nostræ. *Vers.* O admirabile pretium, cujus pondere captivitas redempta est mundi. tartarea confracta sunt claustra inferni, aperta est nobis janua regni. *Hymn.* Pange lingua gloriosi prælium certaminis : et super crucis trophæum dic triumphum nobilem, qualiter redemptor orbis immolatus vicerit.

[a] Mss., *Statio ad sanctam Mariam.* Additur in Theod., *majorem.*

[b] Hujus officii fit nominatim mentio in Ord. Romano, pag. 49, et sequentium etiam officiorum paginis sequentibus. Item apud Alcuinum, pag. 54 et seq. et Amalarium l. I, c. 11, et sequentibus. PAMEL.

[c] Comp. : *In quocunque die tribulor, velociter exaudi me. Vers. Quia defecerunt.*

[d] Compend. : *Psal. Domine, exaudi orat. et clamor.* Theoderic. *Ps. Domine exaudi.* I, hoc est primus qui ita incipit, et est. CI.

[e] In solo Th. 1 legitur, *Statio ad sanctum Petrum.*

[f] Tractus desiderabatur in Blandiniensi Cod.; hunc vero habebat Ultrajectinus Cod., sed more Romano primum cantari solitum : *Tract. Qui habitat,* ut supra in die Palmarum, patet ex Ord. Rom. pag. 66, et Alcuino pag. 58, qui addit Tractum hunc, *Eripe me,* nuperrime fuisse compilatum. Item ex Amalar. l. I, cap. 13, ac lib. IV, c. 34.

[g] In Comp. immediate post hunc Versum sequitur : *Ant. Ecce lignum crucis : in quo sal. m. pep. ven. ad.* Psal. *Beati immac.* etc. *Beati qui scrutantur,* etc. *quantum necesse est :* scilicet quandiu fiet crucis adoratio. Postea sequitur : *Item. Crucem tuam ador.*, etc. *Ps. Deus misereatur,* etc. *Pange lingua.*

[h] Antiphonas has reperire est etiam in Ord. Rom. p. 65 et 66. Mentio etiam harum fit, et adorandæ crucis apud Alcuin. de div. Offic. pag. 57 et seq., et Amalar. de Eccles. Off. l. I, cap. 14. PAMEL.

[i] Hæc in Compend. desiderantur.

latus vicerit. *Vers.* De parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. *Vers.* Hoc opus nostræ salutis ordo depoposcerat, multiformis proditoris ars ut artem falleret, et medelam ferret inde, hostis unde læserat. *Vers.* Quando venit ergo sacri plenitudo temporis, missus est ab arce Patris natus orbis conditor, atque ventre virginali homo factus prodiit. *Vers.* Vagit infans inter arcta conditus præsepia: membra pannis involuta, virgo mater alligat, et pedes manusque; crura stricta cingit fascia. *Vers.* Lustra sex qui jam peracta, tempus implens **685** corporis, se volente natus ad hoc, passioni deditus, agnus in crucis levatur immolandus stipite. *Vers.* Hic acetum, fel, arundo, sputa, clavi, lancea; mite corpus perforatur; sanguis, unda profluit, terra, pontus, astra, mundus, quo lavantur flumine. *Vers.* Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa viscera; et rigor lentescat ille, quem dedit nativitas, ut superni membra Regis sint mittenda stipite. *Vers.* Sola digna tu fuisti ferre pretium sæculi, atque portum præparare nauta mundo naufrago, quem sacer cruor perunxit fusus agni corpore. *Vers.* Gloria et honor Deo usquequo Altissimo, una Patri Filioque, inclyto Paraclito, cui laus est et potestas per æterna sæcula.

[a] *Cantica in Sabbato sancto.*

1. Cantemus Domino; gloriose enim honorificatus est: equum et ascensorem projecit in mare; adjutor et protector factus est mihi in salutem. Hic Deus meus [b] et honorificabo eum; Deus Patris mei, et exaltabo eum: Dominus conterens bella. Dominus nomen ejus (*Exod.*).

2. Attende, cœlum, et loquar; et audiat terra verba ex ore meo; exspectetur sicut pluvia eloquium meum, et descendant sicut ros verba mea, et sicut nix super fenum, sicut imber super gramina, quia nomen Domini invocavi: date magnitudinem Deo nostro, Deus vera opera ejus, et omnes viæ ejus judicia. Deus fidelis in quo non e t iniquitas, justus et sanctus Dominus (*Deut.*).

3. Vinea facta est dilecto in cornu in loco uberi, [c] et maceria circumdedi et circumfodi; et plantavi vineam Soreth, et ædificavi turrem in medio ejus, et torcular fodi in eam; vinea enim Domini Sabaoth, domus Israel est (*Isa.*).

4. Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panis die ac nocte, dum dicitur mihi [d] per singulos dies: Ubi est Deus tuus? (*Psal.* XLI.)

Missa in Sabbato sancto. Gloria in excelsis Deo.

[e] *Allel.* Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Tract.* Laudate Dominum, omnes gentes, et collauda e eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. *Non cantatur nec Off. nec Agnus Dei, nec Communio; sed, omnibus expletis, dicitur:* Ite, Missa est.

[f] *Dominica Paschæ ad sanctam Mariam.*

Antiph. Resurrexi, et adhuc tecum sum, alleluia, posuisti super me manum tuam, alleluia, mirabilis facta est scientia tua, allel. *Psal.* Domine, probasti me, et cognovisti me; tu cognovesti sessionem meam et resurrectionem meam. *Resp.* Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea. *Vers.* Confitemini Domino, quoniam bonus, **686** quoniam in sæculum misericordia ejus. *Vers.* 1. Dicat nunc Israel quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Vers.* 2. Dicat nunc domus Aaron, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Vers* 3. Dicant nunc qui timent Dominum, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Vers.* 4. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. *Vers.* 5. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris. *Vers.* 6. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis. *Allel.* Pascha nostrum immolatus est Christus. *Vers.* Epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. *Off.* Terra tremuit et quievit, dum resurgeret in judicio Deus, alleluia. *Vers.* 1. Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, alleluia. *Vers.* 2. Et factus est in pace locus ejus, et habitatio ejus in Sion, alleluia. *Vers.* 3. [g] Ideo confregit potentias, arcum, scutum, gladium, et bellum; illuminans tu mirabiliter a montibus æternis, alleluia. *Com.* Pascha nostrum immolatus est Christus; itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis, alleluia. [h] *Psalm. ut supra.* Expurgate.

[i] *Feria secunda.*

Antiph. Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac et mel, alleluia, et ut lex Domini semper sit in ore vestro, allel. allel. *Psal.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* Dicat nunc Israel. *Allel.* Dominus regnavit, decorem. *Off.* Angelus Domini descendit de cœlo, et dixit mulieribus: Quem quæritis surrexit, sicut dixit, alleluia. *Vers.* 1. Euntes in Galilæam, dicite discipulis ejus: Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit, alleluia. Vers. 2. Jesus stetit in medio eorum, et dixit: Pax vobis; videte quia ego ipse sum, alle-

[a] Ordine per nos hic annotato citantur quatuor hæc cantica nominatim, ab Ord. Rom., pag. 73; Alcuino, pag. 62 et 63; et Amalario, l. I, c. 18. PAMEL. Ad marginem indicavimus unde sumpta sint hæc cantica, ut legitur in Comp.

[b] Compend., *et honorabo*. Et infra, *Dominus est nomen ejus*.

[c] Compend., *et maceriam circumdedi*.

[d] In Compend omittitur *per singulos dies*.

[e] In Edit. Pamel. et cæteris deest *Alleluia*, quod revocavimus ex Mss.

[f] In Compend. et priori Teod.: *Statio ad sanctam Mariam*. In altero Th.: *Statio ad sanctum Joannem*.

[g] Ita Ed. Pamel., Vatic., Guss., etc. In Mss. autem nostris, *ibi confregit*. Compendiensis habet, *confregit cornu, arcum, scutum et gladium illuminans*, etc.

[h] Scilicet, *Domine, probasti me*, ut in Compend. designatur. Additur ibidem: *Nam et omnes vias meas*. Hoc est, addendus est hic versus.

[i] Duo Teod.: *Statio ad sanctum Petrum*.

luia. *Ad Com.* Surrexit Dominus, et apparuit Petro, alleluia. *Psalm. ut supra.*

[a] *Feria tertia.*

Antiph. Aqua sapientiæ potavit eos, alleluia: confirmabitur in illis, et non flectetur, alleluia; et exaltabit eos in æternum, alleluia, alleluia. *Psalm.* Confitemini Domino, quoniam bonus. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* Dicat nunc domus Aaron. [b] *Allel. quale volueris. Offert.* Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, et apparuerunt fontes aquarum, alleluia. *Vers* 1. Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus. *Vers.* 2. Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. *Ad. Com.* Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, alleluia, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, alleluia. [c] *Psal. ut supra.*

687 [d] *Feria quarta.*

Antiph. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum, alleluia, quod vobis paratum est ab origine mundi, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* Dicant qui timent Dominum. [e] *Allel. quale volueris. Off.* Portas cœli aperuit Dominus, et pluit illis manna ut ederent, panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo, alleluia. *Vers.* 1. Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Vers.* 2. Aperiam in parabolis os meum, loquar propositiones ab initio sæculi. *Ad Com.* Christus resurgens ex mortuis jam non moritur, alleluia; mors illi ultra non dominabitur, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[f] *Feria quinta.*

Antiph. Victricem manum tuam, Domine, laudaverunt pariter, alleluia, quia sapientia aperuit os muti, et linguas infantium fecit disertas, alleluia, alleluia. *Psal.* [g] Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* [h] Dextera Domini fecit virtutem. *Allel.* [i] Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. *Off.* In die solemnitatis vestræ, dicit Dominus, inducam vos in terram fluentem mel et lac, alleluia. *Vers.* 1. Audi, populus meus, et loquar: Israel, si me audieris, dabo vobis desideria cordis vestri. *Vers.* 2. [j] Non adorabitis Deum alienum, quia ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. *Ad Com.* Populus acquisitionis, annuntiate virtutes ejus, alleluia, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum, alleluia. *Psal. ut supra.*

Feria sexta [k] *ad sanctam Mariam.*

Antiph. Eduxit eos Dominus in spe, alleluia, et inimicos eorum operuit mare, alleluia, alleluia. *Psal.* Attendite, popul. *Resp.* Hæc dies. *Vers.* [l] Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. [m] *All. quale volueris. Off.* Erit vobis hic dies memorialis, alleluia; et diem festum celebrabitis solemnem Domino in progenies vestras, legitimum sempiternum diem, alleluia. *Vers.* 1. In mente habete diem istum in quo existis de terra Ægypti, de domo servitutis, in manu enim potenti liberavit vos Dominus. *Vers.* 2. Dixit Moyses populo: Bono animo estote, et veniet vobis salus a Domino Deo, et pugnabit pro vobis. *Ad Com.* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, alleluia; euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[n] *Feria septima sive Sabbato.*

Antiph. Eduxit Dominus populum suum in exsultatione, alleluia, et electos suos in lætitia, alleluia, **688** alleluia, alleluia. *Psal.* Confitemini Domino, et invocate nomen ejus. *Resp.* [o] Hæc dies. *Vers.* 1. Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini; sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Offert.* Benedictus qui venit in nomine Domini, benediximus vos de domo Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers* 1. [p] Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris. *Vers.* 2. Hæc dies quam fecit Dominus: exsultemus et lætemur in ea. *Ad Comm.* Omnes qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, alleluia. *Psal. ut supra.*

[q] *Dominica octavæ Paschæ.*

Anthip. Quasi modo geniti infantes, alleluia: rationabiles, sine dolo, lac concupiscite, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. *Ad Resp.* Et cibavit illos. [r] *All. quale volueris. Off.* Angelus Domini. *Ad Comm.* Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum, al-

[a] In omnibus Mss.: *Statio ad sanctum Paulum.*

[b] Ita in omnibus Editis. In Compend.: *All. Redemptionem misit Dominus populo suo.* In Theod. nihil assignatur.

[c] In Compend.: *Ps. Cantate Domino* 1.

[d] In omnib. Mss.: *Statio ad sanctum Laurentium.*

[e] Theod.: *Allel. Venite benedicti.* Comp.: *All. Dominus regn. exsultet ter. læt. ins. multæ.*

[f] Mss. *Statio ad apostolos.*

[g] Theod.: *Ps. Cantate Domino* 2, id est secundus. In Comp.: *Ps. Confitemini.*

[h] Ita Edit. Pamel et al., sed in Mss. Versus est: *Lapidem quem reprobaverunt*, etc. Pamelius ait in Cod. Ultraject. legi ℣. *Benedictus qui venit*, et recte quidem ex Micrologo, c. 54.

[i] In Compend.: *Allel. Quoniam Deus mag. Dom. et rex magn. sup. om. ter* In Theod: *All. in die* *Resurrect. m.*

[j] In Ed.: *Non adorabis.* Emendavimus ex Mss. quibus alia multa suffragantur.

[k] Ita Mss. Addunt Theoderic. *Ad martyres.*

[l] In omnibus Mss. *Benedictus qui venit in nom. Dom, Deus Dom. et illuxit nobis.* PAMEL.

[m] In Compend.: *All. Lauda, Jerusalem, Dom.; lauda Deum tuum, Sion.* In Theod.: *All. Angelus Domini.*

[n] In Mss.: *Statio ad sanctum Joannem.*

[o] In Theod. sunt duo Allel.: primum *Hæc dies*, alterum *Eduxit Dominus.*

[p] In Compend. primum Versus est *Hæc dies*, alterum. *Lapidem.*

[q] In 2 Theod. vocatur *Dom. post Albas*, et statio assignatur *ad sanctos Cosmam et Damianum.*

[r] In Mss. primum *Allel. Hæc dies*, alterum *Pascha nostrum.*

leluia, et noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

Dominica prima post Octavam Paschæ.

Antiph. Misericordia Domini plena est terra, alleluia, verbo Dei cœli formati sunt, alleluia, alleluia. *Psalm.* Exsultate justi in Domino, rectos decet collaudatio [a] *Allel. 2. quale volueris. Off.* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, et in nomine tuo levabo manus meas, alleluia. *Vers.* 1. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter et caro mea, ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam. *Vers.* 2. In matutinis meditabor in te, quia factus es adjutor meus, et in velamento alarum tuarum exsultabo. *Ad Comm.* Ego sum pastor bonus, alleluia, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meæ, alleluia. *Psalm. ut supra.*

Dominica secunda post Octavam Paschæ.

Antiph. Jubilate Deo, omnis terra, alleluia: Psalmum dicite nomini ejus, alleluia: Date gloriam laudi ejus, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Dicite Deo: Quam terribilia sunt opera tua, Domine; in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. Jubilate [b]. *Allel. quale volueris. Offert.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero, alleluia. *Vers.* 1. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus. *Vers.* 2. Dominus erigit elisos, Dominus solvit compeditos, custodit Dominus pupillum et advenam, et viduam suscipiet, et vias peccatorum exterminabit; regnabit Dominus in æternum, Deus tuus, Sion, in sæculum sæculi. *Ad Comm.* Modicum, et non videbitis me, alleluia; iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, alleluia.

689 *Dominica tertia post Octavam Paschæ.*

Antiph. Cantate Domino canticum novum, alleluia, quia mirabilia fecit Dominus, alleluia; ante conspectum gentium revelavit justitiam suam, alleluia, alleluia. *Psal.* Salvabit sibi dextera ejus, et brachium sanctum ejus. [c] *All.* Paratum cor meum. *All.* Confitebor tibi, Domine, *quale volueris. Off.* Jubilate Deo, universa terra. *Vers.* 1. Reddam tibi vota. *Vers.* 2. Locutum est os meum. *Ad Comm.* Dum venerit Paracletus Spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, et de justitia, et de judicio, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

Dominica quarta post Octavam Paschæ.

Antiph. Vocem jucunditatis annuntiate, et audiatur, alleluia; nuntiate usque ad extremum terræ, liberavit Dominus populum suum, alleluia, alleluia. *Psal.* Jubilate Deo, omnis terra, cantate et exsultate et psallite. [d] *All.* 1. Quoniam Deus magnus Dominus et Rex magnus. *All.* 2 *quale volueris. Off.* Benedicite gentes Dominum Deum nostrum. *Vers.* 1. Jubilate Deo, omnis terra. *Vers.* 2. In multitudine virtutis tuæ. *Vers.* 3. Venite et videte opera Domini. *Com.* Cantate Domino, allel. Cantate Domino, benedicite nomen ejus, bene nuntiate de die in diem salutare, allel. allel. *Psal.* Ipse.

Natalis sanctorum martyrum Tiburtii et Valeriani.

Antiph. Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent, alleluia. *Psal.* Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi. [e] *Offert.* Lætamini in Domino, et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde. *Vers.* Pro hac oravit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. *Com.* Gaudete, justi, in Domino, allel. rectos decet collaudatio, allel. *Psal.* Ipse.

Nat. sancti Georgii.

Antiph. Protexisti me, Deus, a conventu malignantium, alleluia; a multitudine operantium iniquitatem, alleluia, alleluia. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem meam cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. [f] *Off.* Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum, alleluia, alleluia. *Vers.* 1. Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, in generatione et progenie annuntiabo veritatem tuam in ore meo, alleluia. *Vers.* 2. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? aut quis similis erit Deo inter filios Dei? Deus qui glorificatur in concilio sanctorum, alleluia. *Comm.* Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo; et laudabuntur omnes recti corde, alleluia. *Psal. ut supra.*

In litania majore, Collecta ad sanctum Laurentium in Lucina.

Ad Processionem Antiphonæ.

[g] Exsurge, Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum, alleluia; salvum fac populum.

Surgite, sancti, de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite, et nos humiles peccatores in pace custodite, alleluia.

690 Cum jucunditate exibitis, et cum gaudio deducemini; nam et montes et colles exibunt, exspectantes vos cum gaudio, alleluia.

De Jerusalem exeunt reliquiæ, et salvatio de monte Sion; propterea protectio erit huic civitati, et salvabitur propter David famulum ejus, allel.

Ambulate, sancti, viam quam elegistis, festinate ad locum qui vobis præparatus est; nos in terra canimus, sanctorum laudes dicimus; nos sanctos portamus, in cœlis gaudent angeli, alleluia.

[a] In Compend.: *All. Surrexit Altissimus de sepulcro, qui pro nobis pep. in lig.* Item: *Allel. Dom. regn. decor. ind.*

[b] Ibid.: *Allel. Laudate, pueri, Dominum,* ut supra.

[c] In Comp.: *Allel. Venite, bened. Patris mei, percip. reg. cum gaudio.* Allel. 2. *Quoniam Deus magnus.*

[d] In Compend.: *Allel.* 1. *Redemptionem. Allel.* 2. *Qui sanat contritos.*

[e] In Compend. duplex assignatur Allel., primum: *Sancti tui, Domine;* Secundum, *Gaudete justi in Domino, rect. decet collaud.* In Theod. unicum, *Sancti tui.*

[f] Ante Offert. in Theod. assignatur Allel. *Beatus vir.*

[g] Hæc omnia absunt a Ms. Compend. usque ad natal. sancti Vitalis. Quædam tamen ex his Antiphonis alibi in fine reperiuntur, ut, *De Jerusalem exeunt reliq. Ambulate sancti,* et similes. In eodem Ms. nulla fit mentio sancti Marci. Secus in Theoderic.

In nomine Domini Dei nostri ambulabimus nos, et omnes populi; quoniam in Sion facta est lex, et verbum Domini de Jerusalem, regnabit Dominus in æternum, alleluia.

Ego sum Deus patrum vestrorum, dicit Dominus; videns vidi afflictionem populi mei, et gemitum ejus audivi, et descendi liberare eos, alleluia.

Populus Sion, convertimini ad Dominum Deum nostrum, et dicite ei: Potens es, Domine, dimittere peccata nostra, ut non inveniant nos iniquitates nostræ, Deus noster, alleluia.

Domine Deus noster, qui cum patribus nostris mirabilia magna fecisti, et nostris glorificare temporibus, qui misisti manum tuam de alto, et liberasti nos, alleluia.

Confitemini Domino, filii Israel, quia non est alius Deus præter eum; ipse liberabit nos propter misericordiam suam, aspicite quæ fecit nobiscum, et enarremus omnia mirabilia ejus, alleluia.

Declamemus ad Dominum, dicentes: Peccavimus tibi, Domine, patientiam habe in nobis, et erue nos a malis quæ quotidie accrescunt super nos, alleluia.

Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, sanguine tuo, ut non in æternum irascaris nobis, alleluia, alleluia.

Domine, imminuti sumus propter peccata nostra hodie, sed in animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, et fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, quia non est confusio confidentibus in te, all., all.

Iniquitates nostræ, Domine, multiplicatæ sunt super capita nostra, delicta nostra creverunt usque ad cœlos; parce, Domine, et inclina super nos misericordiam tuam.

Timor et tremor in Ninivem civitatem magnam, per quem sceleratæ plebi indicitur jejunium, et fluctuosa turba induitur cilicio. Contigit autem et regem nobilem de solio suo descendere, ut esset humilior cunctis lugentibus; et præcepit per universum regnum: Omnes viri et sexus femineus non gustent quidquam, bos et pecora non pascantur herbis terræ, pueri et vituli non sugant matrum ubera, sed clament ad Deum in fortitudine ternis diebus, ne periclitemur ut Sodoma. Sed tu, Deus omnipotens, misericors et miserator, misertus es miseris; nos sumus opera tua quæ dedisti Filio tuo hæreditatem sibi. Noli claudere aurem tuam ad preces nostras, sed subleva clemens afflictionem nostram, illud revolvens quod nobis pollicitus es, dicens: Convertimini ad me, et ego revertar ad vos, alleluia.

Oremus, dilectissimi nobis, Deum Patrem omnipotentem ut cunctis mundum purget erroribus **691** morbos auferat, famem repellat, aperiat carcerem, vincula dissolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus sanitatem, navigantibus portum salutis indulgeat, et pacem tribuat in diebus nostris, insurgentesque repellat inimicos; et de manu inferni libera nos propter nomen tuum, all. all.

Convertimini ad Deum omnes simul mundo corde et animo, in Orationibus, in jejuniis, in vigiliis multis. Fundite preces vestras cum lacrymis, ut deleantur chirographa peccatorum vestrorum, priusquam nobis repentinus superveniat interitus, antequam nos profundum mortis absorbeat, ut cum Creator noster advenerit, paratos nos inveniat, alleluia

Dimitte nobis, Domine, debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, ab omni malo, amen, alleluia.

Cognoscimus, Domine, quia peccavimus; veniam petimus, quam non meremur; manum tuam porrige lapsis, qui latroni confitenti paradisi januam aperuisti, alleluia.

Propitius esto, Domine, peccatis nostris propter nomen tuum, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Super populum tuum, quæsumus, Domine, benedictio copiosa descendat, indulgentia veniat, consolatio tribuatur, fides sancta succrescat, redemptio sempiterna firmetur, alleluia.

Salvator mundi, salva nos omnes. Sancta Dei genitrix, semper virgo Maria, ora pro nobis. Precibus quoque apostolorum martyrumque omnium et confessorum, atque sanctarum virginum, suppliciter petimus, ut a malis omnibus eruamur, bonisque omnibus nunc et semper perfrui mereamur, alleluia.

Libera, Domine, populum tuum de manu mortis, et plebem istam protegat dextera tua, ut viventes, benedicamus te, Domine Deus noster.

Domine Deus Rex omnipotens, libera nos propter nomen tuum, et da nobis locum pœnitentiæ.

Domine, non est alius Deus præter te, et quia tibi de omnibus cura est, et quod omnium Dominus es, parce populo tuo, qui das peccantibus largitatem, ut convertantur a malitia in bonitatem.

Miserere, Domine, plebi tuæ super quam invocatur nomen tuum, ut sciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus populorum tuorum.

Dimitte, Domine, peccata populi tui secundum multitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti patribus nostris, propitius esto et nobis.

Clementissime exaudi, Domine, populum tuum. Deus misereatur. Adimplebitur gloria universa terra.

Omnipotens Deus, mœstorum consolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacunque tribulatione clamantium, ut omnes sibi in necessitatibus suis misericordiam tuam gaudeant adfuisse, alleluia.

Deprecamur te, Domine, in omni misericordia tua, ut auferatur furor tuus, et ira tua a civitate tua ista, et de domo sancta tua, quoniam peccavimus, alleluia.

Salvator mundi, salva nos supplices tuos, defende populum tuo sanguine redemptum; libera nos, Christe, a periculis, donans nobis vitam æternam.

Christe, qui regnas in cœlis, et sedes ad dexteram Patris, et habitas inter angelos et archangelos, thronos et dominationes, et apostoli tui te **692** laudant, et martyres tibi Hymnum cantant. Confessores in paradiso voce concordant, et dicunt: O beati omnes, qui gloriam Deo dicunt, et habitant cum eo in pace, quia omnes qui propter Deum laboraverunt in terrenis, illos perducis ad cœlestia regna; nos autem oportet te laudare et benedicere, quia nos de terra ad cœlos vocare dignatus es, all.

Domine Rex, Deus Abraham, dona nobis pluviam super faciem terræ, ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus noster. Nunquid est in idolis gentium qui pluat, nisi tu Deus? non cœli possunt dare pluviam, nisi tu volueris. Tu es Dominus Deus noster, quem exspectabamus, dona nobis pluviam.

Ibunt sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum, alleluia, in Sion. Juxta vestibulum. Immutemur.

Peccavimus, Domine, peccavimus tibi; parce peccatis nostris, et salva nos; qui gubernasti Noe super undas diluvii, exaudi nos; qui Jonam de abysso revocasti, libera nos; qui Petro mergenti manum porrexisti, auxiliare nobis, Christe Fili Dei.

Exaudi nos, Domine, qui exaudisti Jonam de ventre ceti; exaudi nos clamantes, qui exaudisti David prostratum et jacentem in cilicio, clamantes et dicentes: Parce, parce, defende plasma tuum, Deus noster, alleluia.

Ambulate, sancti Dei, ad locum destinatum qui vobis præparatus est ab origine mundi; ambulate, sancti Dei, ingredimini in civitatem Domini; ædificata est enim vobis ecclesia nova, ubi populus adorare debeat Majestatem Domini.

Ambulabat Petrus super undas maris, venit ventus validus, turbata est aqua; præ timore clamat: Jube me venire ad te. Ait illi Jesus: Veni, modicæ fidei, quare dubitasti?

Placet Jerusalem civitas sancta, ornamento martyrum decorata, cujus plateæ sonant laudes de die in diem.

Tu es, Domine Salvator, qui paralyticum longo tempore jacentem, solo sermone sanasti; jube ergo, Domine, ut liberemur a tempore malo; peccavimus tibi, precamur nunc, da nobis indulgentiam, piissime Pater, alleluia.

Cum venerit Filius hominis in sede majestatis suæ, et cœperit judicare sæculum per ignem, tunc assistet ante eum omnis chorus angelorum, et congregabuntur ante eum omnes gentes; tunc dicet his qui a dextris erunt: Venite, benedicti Patris mei, possidete præparatum vobis regnum a constitutione mundi. Et ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam, et regnabunt cum Deo in sæcula.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus, alleluia; quoniam magnus est Dominus, alleluia; gaudebunt.

In sanctis gloriosus est Deus noster; quis similis tibi? sanctimonium tuum, Domine, quod præparaverunt manus tuæ, Domine, qui regnas in æternum et in sæculum et adhuc, et omnia quæ in eis sunt, alleluia.

Sicut pastor portabat ovem perditam, sic portabam et complectebar vos, dicit Dominus; ego feci, ego feram vos; ego creavi vos, ego redemi vos, ego reficiam vos; ego sustinui, ego dimittam peccata vestra. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, qui per Spiritum sanctum descendit in uterum Virginis, et natus est Dei Filius, redemptor Israel.

693 Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ; et rege eos, et extolle illos usque in æternum, alleluia.

Omnipotens Deus, supplices te rogamus et petimus, ut intercessio archangelorum sit pro nobis ad Dominum, Michaelis, et Gabrielis, et Raphaelis, ut digni offeramus Domino Hostias ad altare, et appareamus ante Salvatorem per intercessionem novem ordinum angelorum. Throni, et dominationes, et principatus, et potestates, cherubim quoque et seraphim intercedant pro nobis, qui non cessant clamare voces: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, qui regnas sine fine, dignare famulos tuos hodie exaudire, alleluia.

Benedicat nos trina Majestas Domini, benedicat nos Spiritus sanctus, qui in specie columbæ in Jordane fluvio super Christum requievit; ille nos benedicat, qui de cœlis dignatus est descendere in terras, et de suo sancto sanguine nos redemit; benedicat Dominus sacerdotium nostrum et introitum nostrum, alleluia [a].

Natalis sancti Vitalis.

Antiph. Protexisti me, Deus. *Psalm.* Exaudi. [b] *Allel.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Allel.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Off.* Repleti sumus mane misericordia tua, et exsultamus et delectati sumus, alleluia. *Vers.* 1. Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie. *Vers.* 2. Priusquam montes fierent, aut formaretur orbis terræ, a sæculo et in sæculum tu es, Deus, alleluia. *Comm.* Ego sum vitis vera, et vos palmites; qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem.

Natalis sanctorum apostolorum Philippi et Jacobi.

Antiph. Exclamaverunt ad te, Domine, in tempore afflictionis suæ, et tu de cœlo exaudisti eos, alleluia, alleluia. *Psalm.* Exsultate, justi, in Domino, rectos

[a] In Edit. Pamel. post hanc Benedictionem sequitur Missa, *Exaudivit*, etc., ut in festo sancti Marci et in Rogationibus. Post hanc Missam in illa Edit. sequitur vigilia Ascensionis. Præcesserunt autem festa seu natal. sancti Vitalis, et sanctorum apost. Philippi et Jacobi, etc.

[b] Duo *Alleluia* quæ sequuntur non sunt in Compend. In Theoderic. est unicum, sc. *Beatus vir*.

decet collaudatio. [a] *Allel.* Confitebuntur. *Allel.* Nimis honorati sunt. *Off.* Confitebuntur cœli mirabilia tua, Domine, et veritatem tuam in ecclesia sanctorum. *Vers.* 1. Misericordias tuas, Domine. *Vers.* 2. Quoniam quis in nubibus. *Com.* Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, Videt et Patrem, alleluia. Non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[b] *Inventio sanctæ crucis.*

Antiph. [c] Nos autem gloriari oportet. *Psal.* [d] Dominus regnavit, decorem induit; indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. *Allel.* [e] Dicite in gentibus quia Dominus regnavit a ligno. *Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam, et **694** narrabo opera Domini. [f] *Ad Com.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi.

Eodem die Natalis sanctorum Juvenalis, Alexandri et Eventii.

Antiph. Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Psalm.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis, mirabilis in Majestate, faciens prodigia. *Vers.* Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute, dextera manus tua confregit inimicum. [g] *Off.* Repleti sumus mane misericordia tua. *Vers.* 1. Domine, refugium. *Vers.* 2. Priusquam montes fierent. *Com.* [h] Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Psal.* Exsultate justi in Domino.

Natalis sanctorum Gordiani et Epimachi.

Antiph. Sancti tui, Domine, benedicent te. *Psal.* Exaltabo te, Deus meus Rex, et benedicam nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi. *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Vers.* Visi sunt oculis. [i] *All.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Off.* Mirabilis Deus in sanctis suis; Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus. *Vers.* 1. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. *Vers.* 2. Pereant peccatores a facie Dei; justi epulentur, exsultent in conspectu Dei, delectentur in lætitia. *Ad Com.* Justorum animæ. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctorum Nerei, Achillei et Pancratii.

Antiph. Ecce oculi Domini super metuentes eum, sperantes in misericordia ejus, alleluia, ut eripiat a morte animas eorum, quoniam adjutor et protector noster est, alleluia, alleluia. [k] *Psal.* Exsultate, justi, in Domino. *Resp.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. [l] *Allel.* Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent. *Off.* Confitebuntur cœli. *Vers.* 1. Misericordias tuas, Domine. *Vers.* 2. Quoniam quis in nubibus. *Ad Com.* Gaudete, justi, in Domino. *Vers.* Fiat misericordia tua, Domine.

[m] *Dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ.*

Antiph. Terribilis est locus iste; hic domus Dei est, et porta cœli, et vocabitur aula Dei, alleluia. [n] *Psal.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Locus iste a Deo factus est inæstimabile sacramentum, irreprehensibilis est. *Vers.* Deus, cui astat angelorum chorus, exaudi preces servorum tuorum. **695** *All.* Adorabo ad templum. *Offert.* Domine Deus, in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa, et populum tuum qui repertus est vidi cum ingenti gaudio; Deus Israel, custodi hanc voluntatem. Domine Deus. *Vers.* 1. Majestas Domini ædificavit templum, et omnes filii Israel videbant gloriam. [o] *Vers.* 2. Fecit Salomon solemnitatem in tempore illo. [p] *Ad Com.* Domus mea domus Orationis vocabitur, dicit Dominus; in ea omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctæ Potentianæ.

Antiph. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. *Psal.* Eructavit cor meum. *Resp.* Dilexisti justitiam. *Vers.* Propterea unxit. *Allel.* Specie tua. *Off.* Offerentur regi virgines. [q] *Ad Comm.* Diffusa est gratia.

Ad Missam in litania majore et in Rogationibus.

Antiph. Exaudivit de templo sancto suo vocem meam, alleluia, et clamor meus in conspectu ejus introivit in aures ejus, alleluia, alleluia. *Psal.* Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. *Allel.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Offert.* Confitebor Domino nimis in ore meo, et in medio multorum laudabo eum, qui astitit ad dexteram pauperis, ut salvam faceret a persequentibus animam meam, alleluia.

[a] Hæc quoque duo *Alleluia* desiderantur in Compend. In Theod. unicum legitur Allel. *Confitebuntur.*

[b] In Mss. præmittitur officium sanctorum Alexandri, Eventii et Theoduli; postea legitur: *Eodem die Inventio sanctæ crucis.* Nulla fit mentio sancti Juvenalis.

[c] Compend.: *Nobis autem glor. oportet.*

[d] Idem Ms.: *Deus misereatur nostri*, etc.

[e] Ante *Allel.* in Compend. legitur Resp. *Christus factus est pro nobis obed.*, etc. Vers. *Propter quod et Deus*, etc. Postea: *Allel. Dominus regn. a lig.*

[f] Post Offertor. ibidem subjiciuntur duo Versus.

[g] Theoderic. post Resp. et Versum habent: *Allel. Sancti tui.*

[h] Communio in Theod. est *Justi autem.*

[i] Abest a Compend. hoc *All.* Legitur in Theoderic.

[k] In Compend.: *Ps. Benedicam Dominum.*

[l] Ibid.: *Allel. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent in ætern.*

[m] Additur in Mss. *ad martyres.* De hoc festo lege notam 372 ad librum Sacrament.

[n] In Theoder.: *Psal. Fundamenta in mont. sanctis.*

[o] In Compend. additur: *Gloriam Domini descendentem super domum; et adoraverunt et collaudaverunt Dominum dicentes: Deus Israel*, etc.

[p] Subditur in Compend.: *Et prosperatus est; et apparuit ei Domin. Deus Israel.*

[q] In Compend. additur: *Vers.* 1. *Eructavit. Vers.* 2. *Adducentur*; et post Communionem subjicitur: *Psal. Eructavit.*

Vers. 1. Adjuva me, Domine Deus meus, salvum fac propter misericordiam tuam, ut sciant quia manus tua hæc; tu, Domine, fecisti eam. *Vers.* 2. Qui insurgunt in me, confundantur, servus tuus lætabitur; induantur qui detrahebant mihi reverentia. *Ad Com.* Petite et accipietis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur, alleluja.

Vigilia Ascensionis Domini.

Antiph. [a] Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. *Psal.* Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. *Allel.* Omnes gentes. *Off.* Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, alleluia. *Vers.* Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, qui et dixerunt: Sic veniet, quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, alleluia. [b] *Ad Com.* Pater, cum essem cum eis, ego servabam eos, quos dedisti mihi, alleluia. Nunc autem ad te venio; non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.

696 *Die sancto Ascensionis.*

Antiph. Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? alleluia: quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum, ita veniet, alleluia, alleluia, alleluia. *Psalm.* Omnes gentes, plaudite manibus, jub. *Ad Resp.* Ascendit Deus in jubilo, et Dominus in voce tubæ. *Vers.* Psallite Deo nostro, psallite, psallite sapienter. *Allel.* Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. *Item aliud Allel.* Dominus in Sina in sancto, ascendens in altum, captivam duxit captivitatem. *Off.* Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ, alleluia. *Vers.* 1. Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. *Vers.* 2. Quoniam Dominus summus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. *Vers.* 3. Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus nostris. [c] *Item aliud Off.* Viri Galilæi, quid admiramini aspicientes in cœlum? *Vers.* Cumque intuerentur, *ut supra.* *Ad Com.* Psallite Domino qui ascendit super cœlos cœlorum ad Orientem, alleluia. [d] *Ad Resp.* Date gloriam Deo super Israel.

Dominica post Ascensionem.

Antiph. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te, alleluia; tibi dixit cor meum: Quæsivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram; ne avertas faciem tuam a me, alleluia, alleluia. *Psal.* Dominus illuminatio mea, et salus mea, quem timebo? [e] *Allel.* Qui confidunt in Domino. [f] *Off.* Lauda, anima mea, Dominum. *Ad Com.* Pater, cum essem.

Natalis sancti Urbani.

Antiph. Sacerdotes tui, Domine, [g] induantur justitiam, et sancti tui exsultent. Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui. *Psal.* Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Resp.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. *Allel.* Memento, Domine, David, etc. *Off.* Veritas mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Vers.* Posui adjutorium in potente, et exaltavi electum de plebe mea. [h] *Ad Com.* Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram. *Psal. ut supra.*

Sabbato in vigilia Pentecostes, statio ad sanctum Joannem.

Ad Introitum [i] ***litania. Deinde***

[k] *Resp.* Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus. *Tractus.* **697** Laudate Dominum, omnes gentes: laudate eum, omnes populi. *Vers.* Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in æternum. *Off.* Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terræ; sit gloria Domini in sæcula. *Vers.* 1. Benedic, anima mea, Domino: Domine Deus meus, magnificatus es vehementer. [l] *Vers.* 2. Confessionem et decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. *Vers.* 3. Extendens cœlos sicut pellem, qui tegis in aquis superiora ejus, qui ponis nubem ascensum tuum. *Ad Com.* Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum, alleluia, alleluia. *Psal.* Benedic, anima mea, Domino.

Dominica Pentecostes.

Antiph. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, alleluia, alleluia, alleluia. *Psalm.* LXVII. *Ad Resp.* Confirma hoc, Deus. *All.* Emitte spiritum tuum,

[a] Micrologus putat hac die Antiphonam *Vocem jucunditatis* legi debere, c. 40, et 57, qui in vigilia olim jejunari solitum tradit, cap. 55. PAMEL.

[b] Mss. Compend. et Theodor. pro Commun. assignant *Non vos relinquam.*

[c] In Mss. non est duplex Offertorium; omniaque hæc omittuntur usque ad Comm.

[d] Hæc etiam minime reperiuntur in Mss., sed post Comm. legitur: *Psal. Exsurgat Deus.* Apud Pamelium vero, post *ad Orientem*, *allel.*, sequitur: *Psal.* LXVII. *Ad Resp. Date glor. Deo super Israel.*

[e] In Compend. sunt duo *Alleluia*, primum *Regnavit Dom. super omnes*, alterum *Dominus regnavit decor. ind.* In Theoder. quoque duplex est *allel.*, sed omnino diversum, nam prius est *Ascendit Deus*, posterius *Dominus in Sina.*

[f] Offertorium in Compend. est duplex: primum *Viri Gal., quid admir. aspic. in cœl. Quemadmodum*, etc.; alterum est *Lauda*, ut in Editis. Hoc solum assignant Theod.

[g] Compend., *induant.*

[h] Secundus Versus est in Compend., scilicet, *Misericordia.*

[i] Meminit etiam Litaniæ Ord. Rom., pag. 82.

[k] In Comp.: *Alleluia. Confitemini.*

[l] In fine hujus Versus ac sequentis repeti debet *sit gloria Dom. in sæcula*, secundum Ms. Compend.

et creabuntur, et renovabis faciem terræ. [a] *Resp.* Hæc dies quam. *Off.* Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis; a templo tuo, quod est in Jerusalem, tibi offerent reges munera. *Vers.* 1. Cantate Domino, [b] psalmum dicite nomini ejus, iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. *Vers.* 2. In ecclesiis benedicite Domino Deo de fontibus Israel. [c] *Vers.* 3. Regna terræ, cantate Deo, psallite Domino, qui ascendit cœlos cœlorum ad Orientem. *Ad Com.* Factus est repente de cœlo sonus, advenientis spiritus vehementis, ubi erant sedentes, allel.; et repleti sunt omnes Spiritu sancto, loquentes magnalia Dei, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[d] *Feria secunda.*

Antiph. Cibavit eos ex adipe frumenti, alleluia; et de petra melle saturavit eos, alleluia, alleluia, alleluia. *Psal.* Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob. *All.* Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. *Vers.* Præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei. [e] *All.* Laudate, pueri, Dominum. *Off.* Intonuit de cœlo Dominus, et Altissimus dedit vocem suam, et apparuerunt fontes aquarum, alleluia. *Vers.* 1. Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus. *Vers.* 2. Liberator meus de gentibus iracundis. *Ad Com.* Spiritus sanctus docebit vos, alleluia, quæcunque dixero vobis, allel. *Psal.* LXXX.

[f] *Feria tertia.*

Antiph. Accipite jucunditatem [g] lætitiæ vestræ, 698 allel., gratias agentes Deo, allel., qui vos ad cœlestia regna vocavit, allel., allel., allel. *Psal.* Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *All.* [h] Lauda, Jerusalem, Dominum, lauda Deum tuum, Sion. *Allel.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero. *Off.* Portas cœli aperuit Dominus, et pluit illis manna ut ederent; panem cœli dedit illis, panem angelorum manducavit homo. *Vers.* 1. Attendite, populus meus, legem meam. *Vers.* 2. Aperiam in parabola os meum, loquar propositiones ab initio. *Ad Comm.* Spiritus qui a Patre procedit, alleluia, ille me clarificabit, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[i] *Feria quarta.*

Antiph. [k] Deus cum egredereris coram populo tuo, alleluia, iter faciens eis, alleluia, habitans in illis, alleluia, alleluia. *Psal.* Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. [l] *All. Quale volueris, si in diebus jejunii evenerit. Resp.* [m] Protector noster. *Vers.* Domine Deus virtutum. *Resp.* Convertere, Domine. *Vers.* Domine, refugium. *Off.* Meditabar in mandatis tuis quæ dilexi. *Vers.* Pars mea, Dominus, dixi custodire legem tuam. *Ad Com.* Pacem meam do vobis, alleluia, pacem relinquo vobis, alleluia, alleluia. *Psal. ut supra.*

[n] *Feria quinta vacat.*

[o] *Feria sexta.*

Antiph. Repleatur os meum laude tua, alleluia, ut possim cantare, alleluia; gaudebunt labia mea cum cantavero tibi, alleluia, alleluia. *Psal.* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum; in justitia tua libera me, et eripe me. *Allel.* [p] *Quod volueris, si in diebus jejunii evenerit. Resp.* [q] Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Offert.* Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero. *Vers.* 1. Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus, dat escam esurientibus. *Vers.* 2. Dominus erigit elisos, Dominus diligit justos. *Ad Comm.* Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, alleluia: et nescis unde veniat, et quo vadat, alleluia, alleluia, alleluia. *Psalm. ut supra.*

[r] *Sabbato in* XII *lectionibus.*

Antiph. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, alleluia, per inhabitantem spiritum ejus in nobis, alleluia, alleluia. *Psalm.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. *Respons.* 699 [s] Protector noster. *Vers.* Domine Deus virtutum. *Resp.* Propitius esto, Domine. *Vers.* Adjuva nos,

[a] Mss. exhibent secundum Allel. *Spiritus Dom. rep. orbem ter. et hoc quod cont. om. scientiam habet vocis.*

[b] Comp. *Benedicite nomini ejus.*

[c] Hic Versus abest. a Ms. Compend.

[d] In Theoderic.: *Statio ad sanctum Petrum ad vincula.* In Comp. legitur tantum *ad vincula.*

[e] In Mss. Allel. est *Emitte Spiritum.*

[f] In Mss.: *Statio ad sanctam Anastasiam.*

[g] Compend.: *Gloriæ vestræ.*

[h] Ibid.: *All. Spiritus Dom. replevit.* In Theod. legitur *quale volueris.*

[i] In Mss.: *Statio ad sanctam Mariam*, scilicet Majorem, ut etiam monent Theoderic.

[k] Harum feriarum 4, 6 et Sabbati (off.) citat quidem ex Antiph. divi Gregorii Microlog., c. 25 et 28; sed loco Offertor. *Meditabar*, astruit legi debere *Emitte Spiritum tuum*, sicut etiam infra, in Sabbato, loco Offert., *Domine Deus.* PAMELIUS.

[l] In Compend.: *Allel. Sit gloria Domini.* Theoder. consentiunt cum Edit.

[m] In Compend. desideratur hoc Resp. et cætera usque ad Offert. Secus in Theod.

[n] In Compend. nihil etiam assignatur pro hac feria, sed in Theod. Antiphonæ, Responsoria, Alleluia, etc., quæ notantur in Editis pro feria 6, sunt pro feria 5, et officium feriæ 6 desumitur ex feria 4 præcedenti. Vide hac de re Microl., c. 50.

[o] Statio est *ad apostolos*, ex Mss.

[p] Ita etiam Theod., at in Comp. assignatur *All. Emitte Spiritum tuum.*

[q] Responsor. hoc cum Vers. seq. abest a Comp.

[r] In Mss.: *Statio ad sanctum Petrum.*

[s] In Comp. non leguntur quatuor hæc Resp. cum suis Versibus, sed tantum annotatur: *Responsor.* IV *ad ipsum diem pertin. et Bened.* quod significat quatuor dicenda Responsoria et Hymnum Benedictus, ut in aliis Sabbatis quatuor temp. In Theod. legitur *R. qual. vol.* hoc est, ut conjicio, *Responsoria qualia volueris.* Hoc loco ita monet Pamel. Micrologus astruit pro his ℟ legi debere *Allel.*, nempe *Spiritus Domini Paracletus. Emitte. Verbo. Veni, sancte Spirit.* Idem Pamel. in fine officii hujus diei ita monet. Desiderari hic octavam Pent. satis indicat Berno, l. de Miss., c. 5. Omissam autem constat, eo quod idem sit Antiphon. officium cum die Pentecost.

Deus salutaris noster. *Resp.* Convertere, Domine. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis. *Resp.* Dirigatur Oratio. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. *Resp.* Benedictionem, etc. *Off.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te : intret Oratio mea in conspectu tuo, Domine. *All.* Inclina aurem tuam ad precem meam, quia repleta est malis anima mea, et vita mea in inferno appropinquavit; æstimatus sum cum descendentibus in lacum. *Vers.* 1. Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber. *Vers.* 2. Sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non est memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. *Ad Comm.* Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos iterum, alleluia, et gaudebit cor vestrum, alleluia, alleluia. *Psalmus.* Attendite, populus meus.

[a] *Natalis Sanctorum Martyrum Marcellini et Petri.*

Antiph. Clamaverunt justi, et exaudivit eos, et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Psal.* Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Clamaverunt justi. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabit. *All.* Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent. *Off.* [b] Lætamini in Domino et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde. [c] *Ad Comm.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.

Natalis Sanctorum Martyrum Primi et Feliciani.

Antiph. Sapientiam sanctorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia, nomina autem eorum vivent in sæculum sæculi, alleluia. *Psalm.* Exsultate, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Resp.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum. *All.* Gaudete, justi, in Domino; re tos decet collaudatio. *Off.* Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, alleluia. *Vers.* 1. Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. *Vers.* 2. Pereant peccatores a facie Dei; justi epulentur, exsultent in conspectu Dei, delectentur in lætitia. *Ad Com.* Ego vos elegi de mundo ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.

[d] *Natalis sancti Basilidis martyris.*

Antiph. Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Domine, in virtute tua lætabitur Rex, et super salutare tuum exsultabit vehementer. *Off.* **700** In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Vers.* 1. Vitam petiit. *Vers.* 2. Magna est gloria ejus in salutari. *Ad Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Eodem die natalis sanctorum Cyrini, Naboris et Nazarii.

Antiph. Intrent in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum; redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum; vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. *Psal.* Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam; polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. *Vers.* Posuerunt mortalia servorum tuorum, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. *Allel.* [e] Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Offert.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exsultationes Dei in faucibus eorum. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum, lætetur Israel in eo qui fecit eum, et filiæ Sion exsultent in rege suo. *Ad Com.* Posuerunt mortalia servorum tuorum, Domine, escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ; secundum magnitudinem brachii tui posside filios morte punitorum.

Natalis sanctorum Marci et Marcelliani.

Antiph. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace. *Allel.* [f] Sancti tui, Domine. *Offert.* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium; laqueus contritus est, et nos liberati sumus. *Vers.* 1. Nisi quia Dominus. *Vers.* 2. Torrentem pertransiit anima nostra. *Ad Comm.* Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Venite, benedicti Patris mei, possidete [g] præparatum vobis regnum ab initio sæculi. *Item alia :* Ego vos elegi de mundo, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctorum Gervasii et Protasii.

Antiph. Loquetur Dominus pacem [h] in populo suo, et super sanctos suos, et in eos qui convertuntur ad ipsum. *Psal.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis suis, mirabilis in Majestate, faciens prodigia. *Vers.* Dextera tua, Domine, glorificata est in virtute; dextera manus tua confregit inimicos. [i] *All.*

[a] Ante festum hoc in Theoder. assignatur : *Kalendis Junii, Dedicatio eccl. sancti Nicomedis.* In secundo Theod. legitur : *Nat. sancti Nicomedis.*

[b] In Comp. sequitur, Vers. 1. *Beati quorum.* Vers. 2. *Pro hac orabit.*

[c] In Theod., ad Comm., *Justi autem.*

[d] Abest a Ms. Comp. officium sancti Basilidis seorsim; sed illius mentio fit in festo sequenti, ubi legitur : *Natale sanctorum Basilidis, Cyrin.*, etc. Ita quoque habent Theoder.

[e] In Compend. : *Allel. Justi epulentur*, de toto hujus diei officio notat Pameliusillud abesse a Cod. Blandin.

[f] In Compend. : *All. Vindica, Domine, sang... qui effusus est sup. ter.* Theod. : *Allel. Servi tui.* Fortasse legendum *Sancti*, ut in Vulgatis.

[g] Comp. : *Possidete paratum vobis regn. ab origine mundi.*

[h] Compend., *in plebem suam.*

[i] In Compend. : *All. Exsultabunt sancti in glor., lætab. in cub. suis.* In Theod. : *Allel, Gaudete, justi*, ut habent Pamel. et Edit. Vatic. Gussanvill. : *Gaudete in Domino.*

Gaudete, justi, in Domino. *Off.* Lætamini in Domino et exsultate, justi, et gloriamini, omnes recti corde. [a] *Vers.* Pro hac orabit ad te 701 omnis sanctus in tempore opportuno. *Ad Comm.* Posuerunt mortalia.

In vigilia sancti Joannis Baptistæ.

Antiph. Ne timeas, Zacharia, exaudita est Oratio tua, et Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem; et erit magnus coram Domino, et Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Psalm.* Domine, in virtute tua lætabitur Rex, et super Salutare tuum exsultabit vehementer. *Resp.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes, hic venit. *Vers.* Ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet Domino plebem perfectam. *Off.* Gloria et honore. *Vers.* Domine Dominus noster. [b] *Ad Com.* Magna est gloria ejus. *Psal. ut supra.*

In prima Missa de nocte.

Antiph. Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur. Plantatus in Domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *Psalm.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Justus ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. *Vers.* Bonum est. *Off.* In virtute tua, Domine. *Ad Comm.* Posuisti, Domine. *Psal.* XX.

VIII *Kal. Julii. In natali unde supra.*

Antiph. De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo, et posuit os meum ut gladium acutum; sub tegumento manus suæ protexit me, qui posuit me quasi sagittam electam. *Psalm.* Bonum est confiteri Domino. *Ad Resp.* Justus ut palma. *Resp.* Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre, sanctificavi te. *Vers.* Misit Dominus manum suam, et tetigit os meum, et dixit mihi. *Allel.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Off.* Justus ut palma florebit. *Vers.* 1. Bonum est. *Vers.* 2. Ad annuntiandum mane. *Vers.* 3. Plantati in domo Domini. [c] Item *Off.* Ingressus est Zacharias sacerdos in domo Domini ad horam incensi. Dixit ad eum angelus: Ne timeas, quia exaudita est Oratio tua, et Elisabeth uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem, quia in nativitate ejus multi gaudebunt, alleluia. *Vers.* Elisabeth venit tempus pariendi, et peperit filium, quia magnificavit Dominus misericordiam suam, cum venissent ad circumcidendum puerum, et vocabant eum nomine patris sui, respondente matre ejus: Nequaquam. Innuebant patri ejus quem vellet vocari eum, scripsit dicens: Joannes nomen ejus erit; et mirati sunt omnes, quia apertum est os ejus et lingua ejus, et loquebatur, benedicens Deum, quia in nativitate ejus multi gaudebunt. *Ad Com.* Tu puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus. *Vers.* Ad dandam scientiam.

In natali sanctorum Joannis et Pauli martyris.

Antiph. Multæ tribulationes justorum, et de his omnibus liberavit eos Dominus; Dominus custodit omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur. *Psalm.* Benedicam Domino in omni tempore, 702 semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum; sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Vers.* Mandavit Dominus Benedictionem et vitam usque in sæculum. [d] *All. quale volueris. Off.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedicis justis. Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eos. *Vers.* 1. Verba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum; intende voci Orationis meæ, Rex meus et Deus meus. *Vers.* 2. Quoniam ad te orabo, Domine, quoniam ad te clamabo, Domine, mane, et exaudies vocem meam. *Ad. Com.* Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, Deus tentavit eos; tanquam aurum in fornace probavit eos, et sicut holocausta accepit eos. *Psal. ut supra.*

Vigilia sancti Petri.

Antiph. Dicit Dominus Petro; Cum esses junior cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. *Psal.* Cœli enarrant gloriam Dei. *Resp.* In omnem terram exiit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Off.* Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Vers.* 1. Domine, probasti me et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. [e] *Vers.* 2. Intellexisti cogitationes meas a longe, semitam meam et directionem meam investigasti. *Vers.* 3. Ecce tu, Domine, cognovisti omnia novissima et antiqua, tu formasti me, et posuisti super me manum tuam. *Ad Com.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam

III *Kal. Julii Natalis sancti Petri.*

Antiph. Nunc scio vere quia misit Dominus angelum suum, et eripuit me de manu Herodis, et de omni exspectatione plebis Judæorum. *Psalm.* Domine, probasti me. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine *Vers.* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, propterea populi confitebuntur tibi. [f] *All.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Item All.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis con-

[a] Hic Versus omittitur in Compend.

[b] Post hunc Versum in Comp. assignatur: Vers. 2. *Quid est homo, quod memor es.*

[c] Offertorium hoc et Versus seq. *Elisabeth* non leguntur in Comp.

[d] In Mss. nostris: *Allel. Gaudete, justi, in Dom., rectos decet coll*

[e] Compend: *Vers.* 2. *Ecce, Domine, tu cognov.*, etc. *Vers.* 3. *Intellexisti cogitat. meas de longe; sem. meam investigasti.*

[f] In Compend.: *All. Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sang. non revel. tibi; sed Pat. m. qui est in cœl.* Theod. conveniunt cum vulgatis.

fortatus est principatus eorum. *Off*. Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui in omni progenie et generatione. *Vers*. 1. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. *Vers*. 2. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. *Vers*. 3. Propterea benedixit te Deus in æternum, accingere gladio tuo circa femur, Potentissime. *Ad Com*. Simon Joannis, diligis me plus his? Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Pasce oves meas. *Psal. ut supra.*

Pridie Kal. Jul. Natalis sancti Pauli.

Antiph. Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. **703** *Psal*. Domine, probasti. *Resp*. Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes, et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. *Vers*. Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. [a] *All*. Gaudete, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Off*. Mihi autem nimis. [b] *Ad Comm*. Amen dico vobis, quod vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctorum Processi et Martiniani.

Antiph. Judicant sancti gentes, et dominantur populis, regnabit Dominus Deus illorum in perpetuum. *Psal*. Exsultate, justi, in Domino. *Resp*. Exsultabunt sancti in gloria. *Vers*. Cantate Domino. [c] *All*. Mirabilis Dominus noster in sanctis suis. *Off*. Gloriabuntur in te omnes. *Vers*. Verba mea. *Ad Com*. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Psal*. Nisi quia Dominus.

Pridie Nonas Jul. Octava beatorum apostolorum Petri et Pauli.

Antiph. Sapientiam sanctorum narrent populi, et laudes eorum nuntiet Ecclesia; nomina autem eorum vivent in sæculum sæculi. [d] *Psal*. Exsultate, justi, in Domino. *Resp*. Justorum animæ. *Vers*. Visi sunt oculis. *All*. Sancti tui, Domine, benedicent te, gloriam regni tui dicent. *Off*. Exsultabunt sancti in gloria. [e] *Ad Com*. Justorum animæ in manu Dei sunt. *Psal. ut supra.*

[f] *Sanctorum septem Fratrum.*

Antiph. Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini, qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem. *Psal*. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. *Resp*. Anima nostra. *Vers*. Laqueus contritus est. *All*. [g] Laudate, pueri, Dominum. *Off*. Anima nostra. *Vers*. Nisi quia Dominus. *Ad Com*. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, soror et mater est, dicit Dominus. *Psal. ut supra.*

[h] *Natalis sancti Benedicti.*

Antiph. Justus ut palma. *Psal*. Bonum est confiteri. *Resp*. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum, manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum. *Vers*. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. *All*. Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off*. Inveni David. *Ad Comm*. Beatus servus quem cum venerit Dominus, invenerit illum vigilantem; amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

704 *Sanctæ Praxedis.*

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar; et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psal*. Beati immaculati in via. *Resp*. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem. *Vers*. Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo justitiæ. [i] *All*. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. *Offert*. Diffusa est gratia. [k] *Ad Comm*. Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. *Psalm. ut supra.*

Natalis sancti Apollinaris.

Antiph. [l] Sacerdotes Dei, benedicite Domino, sancti et humiles corde, laudate Deum. *Psalm*. [m] Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Resp*. Inveni David servum meum. *Vers*. Nihil proficiet inimicus in eo. [n] *Allel*. Memento, Domine, David. [o] *Off*. Veritas mea et misericordia. *Ad Comm*. Semel juravi in sancto meo, semen ejus in æternum manebit; et sedes ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum, et testis in cœlo fidelis. *Psal*. Misericordias Domini.

[p] *Natalis sancti Felicis.*

Antiph. Sacerdotes ejus induantur justitia, et Sancti ejus exsultatione exsultabunt. *Psalm*. Memento, Domine, David. *Resp*. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *Vers*. Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. *Off*. Veritas

---

[a] Compend. *All. Cœli enarrant.* Theod. habent ut Excusi.

[b] In Compend. tres assignantur Versus: 1. *Domine, prob.*; 2. *Intellexisti*; 3. *Ecce tu, Domine.* De officio hujus diei observat Pamelius illud nominatim citari ex Graduali et Sacram. divi Gregorii libris: a Micrologo, c. 42.

[c] Compend.: *All. Exsultabunt sancti.* Theod.: *All. Sancti tui, Domine.*

[d] Compend.: *Psal. Cœli enarrant.*

[e] Huic Offertorio succedit in Compend. Versus: *Cantate Dom. canticum novum, laus ejus in eccl. sanct. Læt. Isr. in eo qui fecit eum et filii Sion exsult. in rege suo, exsultationes.* Annotat Pamelius Micrologum meminisse hujus Octavæ, cap. 44.

[f] Natale sanctorum VII martyrum in Pamel. Edit. præcedit Octavam sanctorum apostol.

[g] Hoc Allel. abest a Mss. Compend.

[h] Neque hoc officium habet Codex Blandiniensis, PAMEL. Abest quoque a Mss. Compend.

[i] Desideratur hoc Allel. in Comp.

[k] Ibid., post Offertor., legitur: *Vers*. 1. *Eructavit*. *Vers*. 2. *Specie tua.*

[l] Hoc officium ex Graduali divi Gregorii libro citat Micrologus, c. 43. PAMEL.

[m] In Compend.; *Psal. Benedicite omnia opera.*

[n] Hoc Alleluia non est in Compend.

[o] Post hoc Offert. in laudato Ms. sunt Vers. 1 *Posui adjut.* Vers. 2. *Misericordia.*

[p] Etiam hoc officium ibidem citat Micrologus, c. 43. PAMEL. Abest tamen natale hoc a Ms. Compend.

mea et misericordia mea cum ipso, et in nomine meo exaltabitur cornu ejus. *Ad Comm.* Beatus servus. *Psal ut supra.*

[a] *Eodem die natalis sanctorum Simplicii, Faustini et Beatricis.*

Antiph. Sapientiam sanctorum narrent populi. *Psalm.* Exsultate, justi, in Domino. *Respons.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos, et de omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Vers.* Juxta est Dominus his qui tribulato sunt corde, et humiles spiritu salvabuntur. *Allel.* Sancti tui, Domine. *Off.* Gloriabuntur in te omnes. *Ad Com.* Ego vos elegi.

Natalis sanctorum Abdon et Sennes.

Antiph. Intrent in conspectu tuo, Domine, gemitus compeditorum. *Psalm.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis suis. *Vers.* Dextera tua, Domine, *Allel.* Sancti tui, Domine. *Off.* **705** Mirabilis Deus in sanctis suis. [b] *Ad Com.* [c] Posuerunt mortalia sanctorum. *Psal.* [d] Deus venerunt.

[e] *Sancti Petri ad Vincula.*

Antiph. Salus populi. *Psalm.* Attendite, populus meus, legem meam. *Resp.* Salvum fac populum. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi. *All.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Off.* Populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis. *Ad Com.* Domine, si tu es.

Natalis sancti Stephani papæ.

Antiph. Justus ut palma. *Psal.* B num est confiteri Domino. *Resp.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Vers.* Tota die miseretur et commodat, et semen ejus in Benedictione erit. *All.* Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum; euge, serve fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.

Alia.

Antiph. Sacerdotes ejus induam Salutari. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. *Vers.* Lex Dei ejus in corde ipsius, et non supplantabuntur gressus ejus. *Off.* Inveni David. *Vers.* 1. Potens es, Domine. *Vers.* 2. Veritas mea et misericordia mea. *Ad Comm.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Xysti papæ.

Antiphon. Sacerdotes Dei, benedicite Domino. *Psalm.* Memento, Domine, David. [b] *Resp.* Sacerdotes ejus induam Salutari, et sancti ejus exsultatione exsultabunt. *Vers.* Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. *All.* Inveni David. *Off.* Inveni David. *Ad Com.* Fidelis servus, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illi in tempore tritici mensuram. *Psal. ut supra.*

Eodem die natal. sanctorum Felicissimi et Agapiti.

Antiph. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. *Ps.* Noli æmulari in malignantibus. [f] *Resp.* Justorum animæ in manu Dei sunt. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori. *All.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus in ecclesia sanctorum. *Offert.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedices justo: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. *Vers.* 1. Verba mea auribus. *Vers.* 2. Quoniam ad te orabo, Domine. *Ad Com.* Ego elegi vos de mundo. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Cyriaci.

Antiph. Timete Dominum, omnes sancti ejus, **706** quoniam nihil deest timentibus eum; divites eguerunt, et esurierunt, inquirentes autem Dominum [h] non deficient omni bono. *Psal.* Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. *Resp.* Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Vers.* Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. [i] *All.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis. *Off.* Lætamini in Domino, et exsultate. *Vers.* 1. Beati quorum remissæ. *Vers.* 2. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. *Ad Com.* Signa eos qui in me credunt, hæc sequentur: Dæmonia ejicient, super ægros manus imponent, et bene habebunt.

Vigilia sancti Laurentii.

Antiph. Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi, cornu ejus exaltabitur in gloria. *Psal.* Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis. *Resp.* Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Off.* Oratio mea munda est, et ideo peto ut detur locus voci meæ in cœlo, quia ibi est judex meus, et conscius meus [k] in excelsis; ascendat ad Dominum deprecatio mea. *Vers.* Probavit me Dominus sicut aurum, vias ejus custodivi, et a præceptis ejus non discessi. [l] *Item aliud. Off.* Gloria et honore. *Ad Com.* Qui vult venire post me.

[a] Hoc quoque (officium) non habet Codex Blandin. PAMEL. Exstat festum hoc seu natale in Cod. Compend., sed aliud est officium, scilicet: *Antiph. Sacerdotes ejus ind. salut. Psal. Memento, Domine, David. Resp. Ecce sacerd. magn. Vers. Non est inv. Allel. Exsultabunt. Offert. Lætamini. Comm. Justorum animæ.*

[b] In Compend. sequuntur duo versus: *Exsurgat Deus, et pereant.*

[c] Ibid.: *Comm. Beati mundo corde.*

[d] Ibid.: *Psalm. Beati immaculati.*

[e] Hoc festum cum seq. omittitur in Cod. Compend. utrumque habent Theoderic.

[f] In Compend.: *Resp. Os justi medit. sap. Vers. Lex Dei ejus. Off. Veritas.*

[g] In Comp.: *Resp. Exsultabunt. Vers. Cantate Dom. All. Sancti tui, Domine.* Idem Alleluia assignant Theod. qui in cæteris conveniunt cum Vulgatis.

[h] Compend., *non deficientur omni bono.*

[i] Ibid.: *All. Gaudete, justi, in Domino.* Cum Theodericensibus conveniunt Editi.

[k] Compend., *in æternum.*

[l] Abest a Mss.

abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Psal. ut supra.*

In natali sancti Laurentii.

[a] *Antiph.* Confessio et pulchritudo in conspectu ejus, sanctitas et magnificentia in sanctificatione ejus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte. *Vers.* Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Allel.* Beatus vir. *Off.* Confessio et pulchritudo. *Vers.* 1. Cantate Domino canticum novum; cantate Domino, omnis terra. *Vers.* 2. Cantate Domino, et benedicite nomini ejus, annuntiate de die in diem Salutare ejus. *Ad Comm.* Qui mihi ministrat me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Tiburtii.

Antiph. Justus ut palma florebit, [b] sicut cedrus quæ est in Libano multiplicabitur. *Psal.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Resp.* Os justi meditabitur sapientiam. *Vers.* Lex Dei ejus in corde. [c] *All.* Gloria et honore coronasti eum, Domine. *Off.* In virtute tua lætabitur justus. *Ad Comm.* Posuisti, Domine, in capite ejus. *Psal.* Domine, in virtute tua.

Natalis sancti Hyppolyti et sociorum.

Antiph. Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. *Psal.* Exsurgat Deus, **707** et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. [d] *Resp.* Justorum animæ. *Vers.* Visi sunt oculis insipientium mori. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Anima nostra sicut passer. *Ad Com.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur. *Item alia :* Amen dico vobis, quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Psal. ut supra.*

[e] *Natalis sancti Eusebii.*

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam et lingua ejus loquetur judicium; lex Dei ejus in corde ipsius. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Os justi meditabitur. *Vers.* Lex Dei ejus. [f] *All.* Justus non conturbabitur. *Off.* Desiderium animæ. *Vers.* 1. Vitam petiit. *Vers.* 2. Lætificabis eum. *Vers.* 3. Inveniatur manus tua. *Ad Com.* Beatus servus. *Psal. ut supra.*

[g] *Assumptio sanctæ Mariæ.*

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis; adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus adducentur tibi in lætitia et exsultatione. *Psal.* Eructavit cor meum verbum bonum. *Resp.* Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua. *Vers.* Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam, quia concupivit Rex speciem tuam. *All.* Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. *Offert.* Offerentur Regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi. *Ad Com.* Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus meus. *Psal. ut supra* [h].

[i] *Octava sancti Laurentii.*

Antiph. Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam. [k] *Resp.* Posuisti, Domine, super caput ejus coronam de lapide pretioso. *Vers.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *All.* Gloria et honore coronasti eum, Domine. *Off.* In virtute tua, Domine, lætabitur justus, et super Salutare tuum exsultabit vehementer. Desiderium animæ ejus tribuisti ei. *Ad Com.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Agapiti.

Antiph. Lætabitur justus in Domino, et sperabit in eo, et laudabuntur omnes recti corde. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem meam, cum deprecor, a timore inimici eripe animam meam. [l] *Resp.* Justus non conturbabitur. *Vers.* Tota die miseretur et commodat. [m] *All.* Beatus vir qui timet Dominum. *Off.* In virtute tua lætabitur. *Ad. Com.* Beatus servus. *Psal. ut supra.*

708 *Natalis sanctorum Timothei et Symphoriani.*

Antiph. Salus autem justorum. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus. *Vers.* Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ, benedictus Deus, alleluia. *Ad Com.* Ego vos elegi de mundo.

[a] Præmittitur in Compend. et in 2 Theoderic., *in prima Missa.* In Compend. vero hæc Missa est : *Antiph. Probasti cor.... et non est inv. in me iniq. Psalm. Exaudi, Dom. justitiam m. Resp. Justus ut palma fl. Vers. Ad annuntiandum. Offert. In virtute tua. Vers. Vitam petiit. Comm. Magna est gloria ejus.* Altera Missa *in die* est. *Confessio*, etc.

[b] Compend. : *Sicut cedrus Libani.*

[c] Ita Theod., ad Compend. : *All. Disposui.*

[d] Compend. : *Resp. Clamaverunt justi. Vers. Juxta es. Allel. Gaudete, justi, in Domino.* In Theod. fit tantum officium sancti Hippolyti martyr. *Antiph. Justus ut palma. Psal. Exsurgat Deus. Resp. Justorum animæ*, etc., ut in Excusis.

[e] Compend. : *Depositio sancti Eusebii conf.* In Theod. : *Natal. sancti Eusebii sacerdotis.*

[f] Abest hoc Allel. a Compend., est in Theod.

[g] Sicut infra notandum est lib. Sacram. I, antiquitus videtur hoc festum divo Gregorio olim *Dormitionis* appellatum. PAMEL. Dicitur *Assumptio*, in Cod. Compend. et aliis.

[h] Post hoc offic. in Compend. aliud sequitur sc. *Ant. Gaudeamus. Psal. Eructavit. Resp. Propter verit. Vers. Audi fil. Allel. Adducentur. Offert. Diffusa est. Com. Beata es, Virgo.*

[i] In Compend. hic et alibi semper legitur *Octabas*, non *Octava*.

[k] Compend. : *Resp. Justus ut palma. Versus. Ad annunt. All. Justus non conturb.*

[l] Compend. : *Resp. Posuisti. Vers. Desiderium.*

[m] Hoc Allel. abest a Comp. In Theod. idem officium assignatur ac in Excusis.

[a] *Natalis sancti Genesii.*

Antiph. Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Domine Dominus noster. *Resp.* Domine, prævenisti eum. *Vers.* Vitam petiit. *All.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Off.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Ad Com.* Qui vult venire.

Natalis sancti Augustini.

Antiph. Dicit Dominus: Sermones mei, quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo. Adest enim nomen, et munera tua accepta erunt super altare meum. *Psal.* Domine, exaudi. *Resp.* Juravit Dominus. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo. *All.* Memento, Domine, David, et omnis mansuetudinis ejus. *Off.* Inveni David. *Ad Comm.* Fidelis servus.

Natalis sancti Hermetis.

Antiph. Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus; tota die miseretur et commodat, et semen ejus in Benedictione erit. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. [b] *Resp.* Justus ut palma florebit. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam. *All.* Beatus vir qui suffert tentationem. *Off.* In virtute tua, Domine. *Ad Com.* Multitudo languentium, et qui vexabantur a spiritibus immundis, veniebant ad eum, quia virtus de illo exibat, et sanabat omnes. *Psal. ut supra.*

[c] *Decollatio sancti Joannis Baptistæ.*

Antiph. In virtute tua, Domine, lætabitur justus. *Psalm.* Vitam petiit. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit. *All.* Beatus vir. *Off.* Justus ut palma. *Ad Com.* Magna est gloria ejus.

Natalis sanctæ Sabinæ.

Antiph. Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua, et in veritate tua humiliasti me; confige timore tuo carnes meas, a mandatis tuis non me repellas. *Psal.* Beati immaculati in via. [d] *Resp.* Specie tua. *Vers.* Propter veritatem et mansuetudinem. *All.* Diffusa est gratia. *Off.* Filiæ regum in honore tuo; astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, **709** circumdata varietate. *Ad Comm.* Principes persecuti sunt me gratis et a verbis tuis formidavit cor meum; lætabor ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa; concupivit anima mea testimonia tua, Domine, et dilexit ea vehementer. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctorum Felicis et Adaucti.

Antiph. Sapientiam sanctorum. *Psal.* Exsultate, justi, in Domino. [e] *Resp.* Gloriosus Deus in sanctis suis. *Vers.* Dextera tua, Domine. *All.* Gaudete, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Lætamini, justi, in Domino. *Ad Com.* Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, dicit Dominus; et quod in aure auditis, prædicate super tecta.

[f] *Natalis sanctæ Mariæ.*

Antiph. Vultum tuum, Domine. *Psal.* Eructavit cor meum. *Resp.* Dilexisti justitiam. *Vers.* Propter veritatem. *Allel.* Adducentur regi virgines post eam, proximæ ejus offerentur tibi in lætitia. *Off.* Offerentur regi. *Ad Com.* Diffusa est gratia.

Natalis sancti Adriani

Antiph. Lætabitur justus in Domino. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit a te. *All.* [g] Beatus vir. *Off.* Gloria et honore coronasti eum. *Ad Comm.* Posuisti, Domine.

[h] *Natalis sancti Gorgonii.*

Antiph. Gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Resp.* Posuisti, Domine. *Vers.* Desiderium animæ. *All.* Gloria et honore. *Off.* Posuisti, Domine, in capite ejus coronam de lapide pretioso, vitam petiit a te, et tribuisti ei. *Vers.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Vers.* Magna est gloria ejus in salutari tuo, gloriam et magnum decorem impones super eum. *Ad Com.* Posuisti, Domine.

Natalis sanctorum Proti et Hyacinthi.

Antiph. Judicant sancti gentes, et dominabuntur populis; regnabit Dominus eorum in perpetuum. *Psal.* Exsultate, justi, in Domino. *Resp.* [i] Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum, qui effusus est. *Vers.* Posuerunt mortalia servorum tuorum escas volatilibus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terræ. *All.* Gaudete, justi, in Domino, rectos decet collaudatio. *Off.* Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu, Domine, benedices justo: Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. *Ad Com* Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. *Vel* Qui vult venire post me.

[k] *Exaltatio sanctæ crucis.*

Antiph. Nos autem gloriari oportet in cruce **710** Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. *Psal.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Chri-

[a] Hoc officium et sequens non habent Cod. Bland. et Compend.

[b] In Comp.: *Resp. Justus non conturbabitur. Vers. Tota die. Allel. Inveni. Comm. Posuisti.*

[c] Observat Pamel. hoc offic. desiderari in Cod. Blandin. Idem de Compend. dicendum.

[d] In Compend.: *Resp. Dilexisti justit. Vers. Propterea. Allel. Adducentur.* Theod. favent Excusis.

[e] Compend.: *Resp. Exsultabunt. Vers. Cantate Dom.* Theod. non discrepant ab Excusis; ubi dissentient, annotabimus.

[f] Non invenitur in Compend. Exstat in Theod.

[g] In Compend.: *All. Justus ut palma*; infra: *Offert. Desiderium.*

[h] Hoc officium desideratur in Cod. Blandin. Pamel. Exstat in Comp. ubi, pro Versu *Desiderium*; est Vers. *Vitam petiit.* Allel. est *Justus non conturbabitur. Ad Comm. Magna est.*

[i] In Compend.: *Resp. Justorum animæ. Vers. Visi sunt. Allel. Justi epulentur. Offert. Gloria et hon. Ad Comm. Qui vult venire.*

[k] In Theod. natal. sanctorum Cornelii et Cypriani præcedit festum Exalt. sanctæ crucis, licet eodem die concurrant.

nus factus est. *Vers.* Propter quod et Deus. [a] *All.* Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit a ligno. *Off.* Dextera Domini. *Ad Comm.* Nos autem gloriari oportet.

Natalis sanctorum Cornelii et Cypriani.

Antiph. Sacerdotes Dei. *Psal.* [b] Memento, Domine, David. *Resp.* Sacerdotes ejus. Illuc producam cornu David. *All.* [c] Disposui testamentum electis meis. *Off.* Veritas mea. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum; euge, serve fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Nicomedis.

Antiph. Lætabitur justus in Domino. *Psalm.* [d] Beati quorum remissæ sunt iniquitates. *Resp.* Posuisti, Domine. Desiderium animæ ejus. *All.* [e] Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria et honore. *Ad Comm.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

Natalis sanctæ Euphemiæ, ac sanctorum Luciæ et Geminiani.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur. *Psalm.* Eructavit cor meum. *Resp.* Diffusa est gratia. *Vers.* Propter veritatem et mansuetudinem. *All.* Specie tua. *Off.* [f] Offerentur regi virgines. *Ad Com.* Simile est regnum cœlorum. [g] *Item alia :* In salutari tuo anima mea. *Psalm.* Beati immaculati in via.

Vigilia sancti Matthæi.

Antiph. Ego autem sicut oliva [h] fructifera in domo Domini, speravi in misericordia Dei mei, et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est ante conspectum sanctorum tuorum. *Psal.* Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? *Resp.* Justus ut palma florebit. *Vers.* [i] Bonum est confiteri Domino. *Off.* Gloria et honore. *Ad Com.* Posuisti, Domine.

Natalis sancti Matthæi.

Antiph. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium, lex Dei ejus in corde ipsius. *Psalm.* Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem. *Psalm.* Beatus vir qui timet Dominum. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus. *All.* Inveni David. *Off.* Posuisti, Domine. *Vers.* 1. Desiderium animæ ejus. *Vers.* 2. Magna est gloria. *Ad Com.* Magna est gloria. *Ps.* XX.

[k] *Natalis sancti Mauricii.*

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Gloriosus Deus. *Vers.* Dextera tua, Domine. *All.* Exsultabunt sancti in gloria. *Off.* Lætamini in Domino. *Ad Com.* Posuerunt mortalia.

711 *Natalis sanctorum Cosmæ et Damiani.*

Antiph. Sapientiam sanctorum narrent populi. *Psalm.* Exsultate, justi, in Domino. *Resp.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos. *Vers.* Juxta est Dominus. *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* Gloriabuntur. *Ad Comm.* Posuerunt mortalia.

Dedicatio basilicæ sancti Michaelis.

Antiph. Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psalm.* Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. *Resp.* Benedicite Domino, omnes angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. *Vers.* Benedic, anima mea, Domino, et omnia interiora mea nomini sancto ejus. *All.* Laudate Dominum, omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus. [l] *All.* Confitebor tibi, Domine. *Offert.* [m] In conspectu angelorum psallam tibi. *Vers.* 1. Confitebor tibi, Domine. *Vers.* 2. Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ. *Ad Com.* Benedicite, omnes angeli Domini, Domino [n] hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula.

Natalis sancti Marci.

Antiph. Sacerdotes Dei, benedicite Domino. *Psal.* Benedicite omnia opera Domini Domino. *Resp.* Inveni David. *Vers.* Nihil proficiet. [o] *All.* Memento David. *Off.* Veritas mea. *Ad Com.* Beatus servus.

[p] *Vigilia sanctorum Dionysii et sociorum ejus.*

Antiph. Salus autem justorum a Domino, et protector eorum est in tempore tribulationis. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. *Resp.* Vindica, Domine. *Vers.* Posuerunt mortalia.

Natalis sancti Dionysii.

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Respons.* Gloriosus Deus. *Vers.* Dextera tua, Domine. *All.* [q] Gaudete, justi, in Domino. *Off.* Mirabilis Deus. *Ad Comm.* Anima nostra.

[r] *Natalis sancti Callixti.*

Antiph. Sacerdotes ejus. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Sacerdotes ejus. *Vers.* Illuc producam cornu. *Allel.* Inveni David servum meum. *Off.* Inveni David servum. *Ad Com.* Beatus servus.

Vigilia apostolorum Simonis et Judæ.

Antiph. Intret in conspectu. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem servorum

[a] In Compend. : *Allel. Dominus regn. decorem ind. Offertor. Deus enim firmavit.*
[b] Comp. : *Psal. Benedicite.*
[c] Hoc Allel. non est in Compend.
[d] In Compend. : *Psal. Exaudi Deus* III.
[e] Abest a Compend.
[f] Compend. *Afferentur*, etc.
[g] Codex Compend. hæc non habet.
[h] Compend., *fructificavi.*
[i] Ibid. : *Vers. Ad annuntiandum.*
[k] Abest a Comp. et a Blandin., ut observat Pamel.
[l] In Compend. desideratur hoc Allel.
[m] Ibid. : *Offertor. Stetit Ang. juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus arom. in conspectu Dei. Allel. Vers.* 1. *In conspectu angel. psallam tibi, Domine, et adorabo ad templum sanctum tuum, et confit. nomini tuo, Domine, et ascendit*, etc.
[n] Compend. : *Bene nuntiate et super.* Additur in fine : *Psal. Benedicite, omnia.*
[o] In Compend. : *Allel. Disposui, ut supra.*
[p] Duo hæc officia Gallicana sunt; quare recte omissa in Cod. Blandin. PAMEL.
[q] In Compend. : *All. exsultabunt sancti.*
[r] Abest hoc a Cod. Compend.

tuorum. *Vers.* Posuerunt mortalia servorum tuorum. **712** *Offert.* Exsultabunt sancti. *Ad Comm.* Justorum animæ.

Ad Missam.

Antiph. Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Psal.* Domine, probasti me, et cognovisti me, tu cognovisti sessionem meam et resurrectionem meam. *Resp.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Vers.* Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur. [a] *All.* Sancti tui, Domine. *Off.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. *Ad Comm.* Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, judicantes duodecim tribus Israel. *Psal. ut supra.*

Kal. Novemb. Natalis sancti Cæsarii.

Antiph. Confessio et pulchritudo in conspectu ejus. *Psal.* Cantate Domino. *Resp.* Justus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum ejus. *Vers.* Quotidie miseretur et commodat, et semen ejus in Benedictione erit. [b] *Offert.* In virtute tua, Domine. *Ad Comm.* Qui vult venire post me. *Psal. ut supra.*

[c] *Vigilia omnium sanctorum.*

Antiph. [d] Judicant sancti gentes. *Psal.* Exsultate, justi, in Domino. *Vers.* Gloriosus Deus. *Vers.* Dextera tua, Domine. *Offert.* Exsultabunt sancti in gloria. *Ad Com.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur.

In die ad Missam.

Antiph. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sanctorum omnium; de quorum solemnitate gaudent angeli, et collaudant filium Dei. *Psal.* [e] Exsultate justi in Domino, rectos decet collaudatio. *Resp.* Timete Dominum, omnes sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum. *Vers.* Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono. *All.* [f] Justi epulentur, et exsultent in conspectu Dei, et delectentur in lætitia. [g] *Off.* Deus in sanctis suis. *Ad Com.* Gaudete, justi, in Domino.

V Idus Nov. Natalis quatuor Coronatorum.

Antiph. Intret in conspectu tuo, Domine, gemitus. *Psal.* Deus, venerunt gentes. *Resp.* Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum. *Vers.* Posuerunt mortalia. *All.* Sancti tui, Domine. *Offert.* Anima nostra sicut. *Ad Com.* Posuerunt mortalia.

Natalis sancti Theodori.

Antiph. In virtute tua, Domine, *Psalm.* Vitam petiit. *Resp.* Domine, prævenisti. *Vers.* Vitam petiit. *Allel.* [h] Beatus vir. *Offert.* Gloria et honore. *Ad Com.* Posuisti, Domine.

713 *Natalis sancti Mennæ.*

Antiph. Os justi meditabitur. *Psal.* Noli æmulari in malignantibus. [i] *Respons.* Gloria et honore. *Vers.* Et constituisti eum. *All.* Justus non conturbabitur. *Off.* Desiderium animæ ejus. *Ad Com.* Magna est gloria ejus.

[k] *Eodem die Natalis sancti Martini.*

Antiph. Sacerdotes tui. *Psal.* Memento, Domine, David. *Resp.* Inveni David. *Vers.* Nihil proficiet. *All.* Disposui testamentum. *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Com.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi.

Natalis sanctæ Ceciliæ.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar; et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi nimis. *Psal.* Beati immaculati in via. *Resp.* Audi, filia, et vide. *Vers.* Specie tua. [l] *Off.* Offerentur regi virgines. *Ad Com.* Confundantur superbi, quia injuste iniquitatem fecerunt in me; ego autem in mandatis tuis exercebor in tuis justificationibus, ut non confundar. *Item alia :* Feci judicium et justitiam; Domine, non calumnientur mihi superbi; ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.

Natalis sancti Clementis.

[m] *Antiph.* Dicit Dominus : Si quis testimonium meum servaverit. *Psal.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Resp.* Juravit Dominus. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo. *All.* [n] Disposui. *Off.* Veritas mea et misericordia mea. *Ad Com.* Beatus servus. *Item alia :* Domine, quinque talenta. *Psal. ut supra.*

Natalis sancti Chrysogoni.

Antiph. Lætabitur justus. *Psalm.* Exaudi, Deus,

---

[a] Ibid. : *Allel. Nimis honorati sunt.*

[b] In eodem Ms. ante *Offert.* assignatur : *Allel. Inveni David.* Et post offert. duo versus sequuntur, *Vitam petiit* et *Magna est.*

[c] Hæc quoque officia duo sequentia tanquam recentiora Gregorio, prætermittuntur in Blandin. Cod. PAMEL.

[d] In Compend. : *Ant. Sapientiam sanctorum*, ut supra. *Resp. Timete Domin. Vers. Inquirentes. All. Justi epulentur. Ad Com. Justorum animæ.*

[e] In Cod. Compend. : *Psal. Eructavit. Resp. Gloriosus. Vers. Dextera tua, Domine.*

[f] Abest a nostro Cod. Compend.

[g] Offert, *Lætamini*, cum Vers. 1 *Beati quorum*, et Vers. 2. *Proba cor*, assignatur in Compend.

[h] In Comp. : *All. Sancti tui. Offertor. Posuisti, Domine, in cap.*, etc., cum Versibus *Desiderium* et *Magna est.* In Theod. omnia ut in Vulgatis annotantur, præter Alleluia *Beatus servus.*

[i] In Compend. : *Resp. Inveni. Vers. Nihil proficiet. Allel. Disposui. Offert. Gloria et honore.* In Theod. : *Resp. Inveni*, ut in Compend., cætera ut in vulgatis.

[k] Neque hoc (Offic.) habet Blandin, Cod., est enim Gallicanum. PAMEL. Hoc natale est in Compend., sed diversum officium, scil. : *Antiph. Statuit. Psal. Misericordias. Resp. Os justi medit. Allel. Elegit te Dominus. Offert. Veritas mea. Item Offert. Martinus igitur obitum suum longe ante præscivit; dixitque fratribus dissolutionem corporis sui imminere, quia judicabat se jam resolvi. Vers.* 1. *O quantus luctus omnium.* Hic desunt tres lineæ. *Com. Fidelis servus.*

[l] In Compend. : *Allel. Adducentur.* In Theod. : *Allel. Specie tua.*

[m] Compend. : *Ant. Dicit Dominus, sermones quos dedi in os tuum, non deficient de ore tuo; adest enim nomen tuum, et munera tua accepta erunt super altare meo.*

[n] Compend. : *All. Inveni David.* Conveniunt Theod cum Editis, attamen pro Psal. *Misericordias* assignat *Domine exaudi.*

Orationem meam, cum deprecor. *Resp.* [a] Beatus vir. *Vers.* Potens in terra. *All.* Justus non conturbabitur. *Off.* Gloria et honore. *Comm.* Posuisti, Domine.

Vigilia sancti Andreæ apostoli.

Antiph. Dominus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Petrum et Andream, et vocavit eos : Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. *Psalm.* Cœli enarrant. *Resp.* Nimis honorati sunt. *Vers.* Dinumerabo eos. *Off.* Gloria, et honore. *Ad Com.* Venite post me, [b] faciam vos piscatores fieri hominum. *Psal. ut supra.*

In natali ejusdem.

Antiph. Mihi autem nimis. *Vers.* Domine, probasti me. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine. **714** *Vers.* Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, propterea populi confitebuntur tibi. *Allel.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum. *Off.* Mihi autem nimis. *Ad Com.* Dicit Andreas Simoni fratri suo : Invenimus Messiam, qui dicitur Christus, et adduxit eum ad Jesum. *Psal. ut supra.*

[c] *In ordinatione pontificis.*

Antiph. Invocavit me. *Psal.* Qui habitat in adjutorio Altissimi. *Resp.* Inveni David. [d] *Off.* Inveni David servum meum. *Ad Comm.* Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

[e] *In ordinatione episcopi.*

Antiph. Elegit te Dominus. *Psal.* Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Jacob. *Resp.* Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, et holocaustum tuum pingue fiat. *Vers.* Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tueatur te. *All.* Elegit te Dominus. *Si in Quadragesima evenerit. Tract.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Off.* Memor sit Dominus. *Vers.* Exaudiat te Dominus. *Ad Com.* [f] Unguentum in capite.

Item alia.

Antiph. Sicut fuit cum Moyse. *Psal.* Exaudiat te Dominus. *Resp.* Mittat tibi Dominus. *Vers.* Exaudiat te Dominus. *All.* Disposui testamentum electis meis, juravi David servo meo. *Off.* Veritas mea et misericordia mea cum ipso. *Ad Com.* Lætabimur.

Item alia.

Antiph. Benedixit te hodie. *Psalm.* Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram. *Resp.* Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. *Vers.* Congregate illi sanctos ejus, qui ordinant testamentum ejus super sacrificia. *Allel.* Diffusa est gratia. *Si in Quadragesima evenerit. Tract.* Desiderium animæ ejus. *Off.* Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Ad Com.* Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ : Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit condemnabitur.

In ordinatione plurimorum episcoporum.

Antiph. Congregate illi. *Psalm.* Deus deorum Dominus locutus est. *Resp.* Immola Deo sacrificium laudis. *Vers.* Congregate illi sanctos. *Allel.* Sancti tui, Domine. *Off.* Benedic anima. *Ad Com.* Messis quidem multa, operarii vero pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam [g].

715 *Hebdomada prima post octavam Pentecostes.*

Antiph. [h] Domine, in tua misericordia speravi, exsultavit cor meum in salutari tuo; cantabo Domino qui bona tribuit mihi. *Psalm.* Usquequo, Domine, oblivi ceris me in finem? Usquequo avertis faciem tuam a me? *Resp.* Ego dixi, Domine, miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. *Vers.* Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberavit eum Dominus. [i] *Item aliud Resp.* Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine. *Vers.* Conturbata sunt omnia ossa mea, et anima mea turbata est valde. *All.* Dominus regnavit, decorem indutus est; indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se virtute. *Offert.* Intende voci orationis meæ. *Vers.* 1. Verba mea auribus percipe, Domine. *Vers.* 2. Dirige in conspectu tuo viam meam. *Ad Com.* Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor et exsultabo in te; psallam nomini tuo, Altissime. *Psal.* IX.

[k] *Hebdomada secunda.*

Antiph. Factus est Dominus protector meus, et eduxit me in latitudine; salvum me fecit, quoniam voluit me. *Psalm.* Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. *Psalm.* Ad Dominum, dum tribularer, clamavi, et exaudivit me. *Vers.* Domine, libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua dolosa. *Item* [l] *Resp.* Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! *Vers.*

[a] Compend. : *Resp. Justus non conturbabitur. Vers. Tota die. Allel. Inveni David. Offert. Desiderium. Com. Qui vult venire.*

[b] Compend. : *Faciam vos piscatores hominum.*

[c] Compend. : *In vigilia pontificis.*

[d] Aliud Offertorium huic jungit Compend., scilicet, *Veritas mea.*

[e] In Comp. : *In natali epis. Ant. Elegit te Dom. sibi sacerd. magn. et aperiens thesaurum suum optimum, et abundare te faciet omnibus bonis.... Alel. Mittat tibi Dominus auxilium.*

[f] Quæ hic et infra notantur in Vulgatis, ex primis verbis, integra reperiuntur in Ms. Compend. Monet quoque Pamelius latius omnia hæc officia videri in Ordine Romano, pag. 97 et seq., usque ad pag. 107.

[g] Post Missas istas sequitur in Compend. Missa de nuptiis.

[h] Monet Pamelius Bernonem meminisse hujus officii lib. de Missis, cap. 5, et Micrologum, cap. 59.

[i] Hoc Resp. et Vers. seq. desiderantur in Comp. Ibid. : *Allel. Deus judex fortis et patiens.*

[k] Melius fortasse in Mss. legitur hic et alibi : *Dominica*, pro *hebdomada*. In Theoderic. hic legitur. : *Domin.* 3, ac deinceps, 4, 5, etc. Quæ enim in aliis libris dicitur prima est secunda Theoder.

[l] Resp. hoc et Versus sequens omittuntur in Mss

Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. *Allel.* [a] Deus judex justus, fortis et patiens, numquid irascitur per singulos dies? *Offert.* Domine, convertere, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. *Vers.* 1. Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers.* 2. Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Ad Com.* Cantabo Domino qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini Altissimi. *Psalm.* XII.

Hebdomada tertia

Antiph. Respice in me, et miserere mei, Domine, quoniam unicus et pauper sum ego; vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea, Deus meus. *Psalm.* Ad te, Domine, levavi animam meam; Deus meus, in te confido, non erubescam. *Resp.* Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. *Vers.* Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi. *Item* [b] *Resp.* Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, sperent in te, qui noverunt te, quoniam non derelinques quærentes te, Domine. *Vers.* Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in æternum; exsurge, Domine, non prævaleat homo. *Allel.* [c] Diligam te, Domine, virtus mea, Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus. *Off.* Sperent in te omnes **716** qui noverunt nomen tuum, Domine, quoniam non derelinquis quærentes te. Psallite Domino qui habitat in Sion, quoniam non est oblitus orationem pauperum. *Vers.* 1. Sedes super thronum qui judicas [d] justitiam; increpasti gentes, et periit impius; nomen eorum delesti in æternum, et in sæculum sæculi; periit memoria eorum cum sonitu, et Dominus in æternum permanet. *Vers.* 2. Cognoscetur Dominus judicia faciens, in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. *Ad Com.* Ego clamavi, quoniam exaudisti me, Deus; inclina aurem tuam, et exaudi verba mea. *Psalm.* Exaudi, Domine, justitiam meam.

Hebdomada quarta.

Antiph. Dominus illuminatio mea et salus, quem timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? qui tribulant me inimici mei, infirmati sunt, et ceciderunt. *Psal. Ipse.* Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. *Resp.* Propitius esto, Domine, peccatis nostris, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eorum? *Vers.* Adjuva nos, Deus salutaris noster, et propter honorem nominis tui, Domine, libera nos. *Item Resp.* Exsurge, Domine, non prævaleat homo, judicentur gentes in conspectu tuo. *Vers.* In convertendo inimicum meum retrorsum, infirmabuntur, et peribunt a facie tua, quoniam fecisti judicium meum et causam meam. • *All.* Lauda, anima mea, Dominum; laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu ero. *Off.* Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. *Vers.* 2. Respice et exaudi me, Domine Deus meus. *Ad Com.* Dominus firmamentum meum, et refugium meum, et liberator meus, Deus meus, adjutor meus. *Psal.* X.

Hebdomada quinta.

Antiph. Exaudi, Domine, vocem meam qua clamavi ad te; adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me, Deus salutaris meus. *Psal.* Dominus illuminatio mea et salus mea; quem timebo? *Resp.* Protector noster aspice, Deus, et respice super servos tuos. *Vers.* Domine Deus virtutum, exaudi preces servorum tuorum. *Item Resp.* Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. *Vers.* Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo. *All.* [f] In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. *Off.* Benedicam Domino qui tribuit mihi intellectum; providebam Deum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. *Vers.* 1. Conserva me, Domine, dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. *Vers.* 2. Notas fecisti mihi vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua usque in finem. *Ad Com.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Psalm.* XXXII.

717 *Hebdomada sexta.*

Antiph. Dominus fortitudo plebis suæ, et protector salutarium Christi sui est. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos usque in sæculum. *Psal.* Ad te, Domine, clamabo; Deus meus, ne sileas a me, ne quando taceas a me, et assimilabor descendentibus in lacum. *Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, et deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie. *Item Resp.* Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. *Vers.* Ut videam voluntatem Domini, et protegar a templo sancto ejus. [g] *Allel.* Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. *Offert.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea; inclina aurem tuam, et exaudi verba mea; mirifica misericordias tuas, qui salvos facis sperantes in te, Domine. *Vers.* 1. Exaudi, Domine, justitiam meam, intende deprecationem meam. *Vers.* 2. Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me affixerunt. *Vers.* 3. Ego autem cum justitia apparebo conspectui tuo, satiabor cum apparuerit

[a] In Compend.: *Allel. Diligam te, Domine, virtus mea*, etc.

[b] Hoc Resp. cum Versu seq. abest a Mss. quod de cæteris officiis est intelligendum, nisi aliter notetur.

[c] Compend.: *Allel. In te, Domine, speravi.*

[d] Compend., *æquitatem*. Sunt aliæ plurimæ diversæ lectiones quas omnes observare operæ pretium non est.

[e] In Comp.: *Allel. Omnes gentes plaudite man.*

[f] Ibid.: *Allel. Te decet Hymnus, Deus in Sion.*

[g] Compend.: *Allel. Attendite, populus meus, legem meam.*

gloria tua. *Ad Com.* Circuibo, et immolabo in tabernaculo ejus hostiam jubilationis, cantabo, et psalmum dicam Domino. *Psal.* XXVI.

Hebdomada septima.

Ista hebdomada non est in Antiphonario Romano.

Antiph. [a] Omnes gentes, plaudite manibus, jubilate Deo in voce exsultationis. *Psalm.* [b] Quoniam excelsus, terribilis, Rex magnus super omnem terram. *Resp.* Venite, filii, audite me, timorem Domini docebo vos. *Vers.* Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestræ non confundentur. *Item Resp.* Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus, populus quem elegit Dominus in hæreditatem sibi. *All.* [c] Eripe me de inimicis meis, etc. *Off.* [d] Sicut in holocausto arietum et taurorum, et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. *Vers.* Et nunc sequimur in toto corde, et timemus te, et quærimus faciem tuam, Domine, ne confundas nos; sed fac nobis juxta mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiæ tuæ, quia non est confusio confidentibus in te, Domine. *Ad Com.* Inclina aurem tuam, accelera ut eruas me. *Psalm.* XXX.

Hebdomada octava.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui; secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ; justitia plena est dextera tua. *Psalm.* Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. *Resp.* [e] Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos, et eos qui nos oderunt confudisti. *Vers.* In deo laudabimur **718** tota die, et nomini tuo confitebimur in sæcula. *Resp.* Esto mihi in Deum protectorem et in locum refugii, ut salvum me facias. *Vers.* Deus, in te speravi, Domine, non confundar in æternum. *All.* Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem. *Vers.* Replebimur in bonis domus tuæ; sanctum est templum tuum, mirabile in equitate. *Off.* Populum humilem salvum facies, Domine, et oculos superborum humiliabis, quoniam quis Deus præter te, Domine? *Vers.* 1. Liberator meus de gentibus iracundis, et ab insurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me. *Vers.* 2. Clamor meus. *Ad Com.* Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. *Psalm.* Benedicam Domino.

Hebdomada nona.

Antiph. Ecce Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ. Averte mala inimicis meis, in veritate tua [f] disperde illos, protector meus, Domine. *Psal.* Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua judica me. [g] *Resp.* Esto mihi in Deum protectorem, et in locum refugii, ut salvum me facias. *Vers.* Deus, in te speravi. *Item Resp.* Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. *All.* Attendite, populus meus, legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Off.* Justitiæ Domini rectæ lætificantes corda, et dulciora super mel et favum; nam et servus tuus custodit ea. *Vers.* 1. Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos; timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi; judicia Domini vera, justificata in semetipsa. *Vers.* 2. Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. *Ad Com.* Primum quærite regnum Dei, et omnia adjicientur vobis, dicit Dominus. *Psal. ut supra.*

Hebdomada decima.

Antiph. Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam ab his qui appropinquant mihi, et humiliavit eos, qui est ante sæcula, et manet in æternum. Jacta cogitatum tuum in Domino, et ipse te enutriet. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam; intende mihi, et exaudi me. *Resp.* [h] Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. *Vers.* Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. *Item Resp.* Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus a sæculo. *Vers.* Suscipiant montes pacem populo tuo, et colles justitiam. [i] *All.* Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob, sumite psalmum jucundum cum cithara. *Off.* Ad te, Domine, levavi animam meam, Deus meus, in te confido, non erubescam; neque irrideant me inimici mei, etenim universi qui te exspectant non confundentur. *Ad Com.* Acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes et holocausta super altare tuum, Domine. *Psal.* L.

719 *Hebdomada undecima.*

Antiph. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unanimes in domo, ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi suæ. *Psalm.* Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum a facie ejus. [j] *Resp.* Custodi me, Domine, ut pupillam oculi. *Vers.* De vultu tuo judicium meum prodeat, oculi tui videant æquitates. *Item Resp.* Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus, tu solus Altissimus super omnem terram. *Vers.* Deus meus, pone illos ut rotam et sicut stipulam ante faciem

[a] Hæc Dom. notatur in Compend., Val. Cl. et al. At in Theoderic. officium hujus Dominicæ est pro Dominica octava, et officium Domin. 8 est pro Domin. 9. Sicque consequenter.

[b] In Compend.: *Psalm. subjecit pop. nob.*

[c] Ibid: *Allel. Exsultate Deo adj. nostro*, etc.

[d] Hujus Offertorii concordiam cum lectione Dominicæ 7 post Octavam Pentec. annotat. Berno, lib. de Miss. Item cum Orat. Deus cujus providentia. Ibid., et Microlog., cap. 61. *Pamel.*

[e] Compend.: *Resp. Esto mihi. Vers. Deus in te sper. All. Domine Deus salut. m.*

[f] Compend.: *Disperge illos.*

[g] Compend: *Resp. Domine, Dominus noster. Vers. Quoniam elevata*, etc. Theoder. consentiunt.

[h] Theoder. et Compend.: *Resp. Custodi me, Domine. Vers. De vultu tuo.*

[i] In Comp.: *Allel. Venite exsultemus, Dom.*

[j] In Theod. et Comp.: *Resp. In Deo speravit cor meum, et adjut. Vers. ad te, Domine, clamabo.*

venti. [a] *All.* Domine Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te. *Off.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me. Domine, clamavi ad te, et sanasti me. *Vers.* Domine, abstraxisti ab inferno animam meam, salvasti me a descendentibus in lacum. *Ad Com.* Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum, ut impleantur horrea tua saturitate, et vino torcularia redundabunt. *Psal. ut supra.*

Hebdomada duodecima.

Antiph. Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina; confundantur et revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Psalm.* Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala. *Resp.* In Deo speravit cor meum, et adjutus sum; et refloruit caro mea, et ex voluntate mea confitebor illi. *Vers.* Ad te, Domine, clamavi; Deus meus, ne sileas, ne discedas a me. *Item Resp.* Protector noster. *Vers.* Domine Deus virtutum. [b] *Offert.* Precatus est Moyses in conspectu Domini Dei sui, et dixit: Quare, Domine, irasceris in populo tuo? parce iræ animi tui. Memento Abraham, Isaac, Jacob, quibus jurasti dare terram fluentem lac et mel. Et placatus factus est Dominus de malignitate, quam dixit facere populo suo. *Vers.* Dixit Dominus ad Moysen: Invenisti gratiam in conspectu meo, et scio te præ omnibus. Et festinans Moyses, inclinavit se in terram, et adoravit, dicens: Scio quia Misericors es in millibus, auferens iniquitatem et peccata. Dixit Moyses et Aaron ad omnem synagogam filiorum Israel: Accedite ante D um; Majestas Domini apparuit in nube, et exaudivit murmurationem vestram in tempore. *Ad Com.* De fructu operum tuorum, Domine, satiabitur terra, ut educas panem de terra, et vinum lætificet cor hominis; ut exhilaret faciem in oleo, et panis cor hominis confirmet. *Psalm.* CIII.

Hebdomada decima tertia.

Antiphon. Respice, Domine, in testamentum tuum, et animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Exsurge, Domine, et judica causam tuam, et ne obliviscaris voces quærentium te. *Psalm.* Ut quid, Deus, repulisti in finem? Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ? *Resp.* [c] Benedicam Domino in omni tempore, semper laus ejus in ore meo. **720** *Vers.* In Domino laudabitur anima mea; audiant mansueti, et lætentur. *Item Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, et deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie. *All.* [d] Dominus regnavit, decorem. *Offert.* In te speravi, Domine, dixi: Tu es Deus meus; in manibus tuis tempora mea. *Vers.* 1. Illustra faciem tuam super servum tuum, et salvum fac filium ancillæ tuæ. *Vers.* 2. Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te. *Ad. Comm.* Panem de cœlo dedisti nobis, Domine, habentem omne delectamentum, et omnem saporem suavitatis. *Psalm. ut supra.*

Hebdomada decima quarta.

Antiph. Protector noster aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui, quia melior est dies una in atriis tuis super millia. *Psal.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum? concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. *Resp.* [e] Respice, Domine, in testamentum tuum, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *Vers.* Exsurge, Domine, judica causam tuam; memor esto opprobrii servorum tuorum. *Item Resp.* Domine, exaudi orationem meam. *All.* [f] Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. *Vers.* Præoccupemus faciem ejus in confessione et in Psalmis jubilemus ei. *Off.* Immittet angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus. *Ad Com.* Panis quem ego dedero, caro mea est, pro sæculi vita. *Psalm. ut supra.*

Hebdomada decima quinta.

Antiph. Inclina, Domine, aurem tuam ad me et exaudi me; salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te; miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die. *Psal.* Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, et psallere nomini tuo, Altissime. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. *Item Resp.* Timebunt gentes nomen tuum, Domine, et omnes reges terræ gloriam tuam. *Vers.* Quoniam ædificavit Dominus Sion, et videbitur in majestate sua. *All.* [g] Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnem terram. *Off.* Exspectans exspectavi Dominum, et respexit me, et exaudivit deprecationem meam; et misit in os meum canticum novum, Hymnum Deo nostro. *Ad Com.* Qui manducat carnem meam, et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo, dicit Dominus. *Psal. ut supra.*

Hebdomada decima sexta.

Antiph. Miserere mihi, Domine, quoniam ad te clamavi tota die; quia tu, Domine, suavis ac mitis es, et copiosus in misericordia omnibus invocantibus

[a] *Compend.: Allel. Quoniam Deus magnus Dom.* In Compend. et Theod.: *Resp. Benedicam Dom. in omni temp.*, etc. *Vers. In Domino laud. an. m.* Id convenit cum observatione Pamelii ad offic. hujus Dominicæ; ait enim Bernonem meminisse hujus officii, et citare Resp. Benedicam Domin., etc.

[b] Cur caret Alleluia hæc Dominica? Certe in Compend. assign.: *All. Dominus regnavit decorem ind.* et in Theod.: *Domine, refugium.*

[c] Compend. et Theod.: *Respons. Respice, Domine. Vers. Exsurge, Domine, et judicia causam tuam.*

[d] Abest a Compend. In Theod. Allel. est *Venite exsultemus Dom.*

[e] In Comp.: *Resp. Bonum est confid. in Domino. Vers. Bonum est sperare.* In Theod. idem est Resp., sed Versus est *ad Annuntiandum.*

[f] In Compend.: *All. Confitemini Domino.* In Theod.: *All. Quoniam Deus magnus.*

[g] Compend.: *All. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psal. dicam in gl. m.* Theod.: *All. Dominus regnavit.*

te. *Psal.* Inclina, Domine, aurem tuam mihi, et exaudi me, quoniam inops et pauper sum ego. **721** *Resp.* [a] Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine. *Vers.* Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Item Resp.* Misit Dominus verbum suum. *Vers.* Confiteantur Domino. [b] *All.* Dominus regnavit, exsultet terra, lætentur insulæ multæ. *Offert.* Domine, in auxilium meum respice. Confundantur et revereantur, qui quærunt animam meam ut auferant eam. Domine, in auxilium meum respice. *Vers.* Avertantur retrorsum et erubescant, qui volunt mihi mala. *Ad Com.* Domine, memorabor justitiæ tuæ solius. Deus, docuisti me a juventute mea, et usque in senectam et senium; Deus, ne derelinquas me. *Psal.* LXX.

Hebdomada decima septima.

Antiph. Justus es, Domine, et rectum judicium tuum. Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam. *Psalm.* Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. *Resp.* [c] Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Item Resp.* Bonum est confidere in Domino. *Vers.* Bonum est sperare. *All.* [d] Jubilate Deo, omnis terra, servite Domino in lætitia. *Offert.* Oravi Deum meum ego Daniel, dicens: Exaudi, Domine, preces servi tui, illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, et propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum, Deus. *Vers.* 1. Adhuc me loquente, et orante, et narrante peccata mea, et delicta populi mei Israel. *Vers.* 2. Audivi vocem dicentem mihi: Daniel, intellige verba quæ loquor tibi, quia ego missus sum ad te; nam et Michael venit in adjutorium meum. *Ad Com.* Vovete et reddite Domino Deo vestro omnes qui in circuitu ejus affertis munera, terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud omnes reges terræ. *Psal.* Notus in Judæa Deus.

Feria quarta mensis septimi. Ad sanctam Mariam.

[e] *Antiph.* Exsultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob; sumite psalmum jucundum cum cithara, canite initio mensis tuba, quia præceptum in Israel est, et judicium Deo Jacob. *Psalm.* Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti. *Resp.* Quis sicut Dominus Deus qui in altis habitat, et humilia respicit in cœlo et in terra? *Vers.* Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem. *Resp.* [f] Tribulationes. *Offert.* Meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi valde; et levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. *Vers.* 1. Pars mea Dominus. *Vers.* 2. Miserere mei secundum eloquium tuum. *Ad Comm.* Comedite pinguia, et bibite mustum, et mittite partes eis qui non præparaverunt sibi; sanctus enim dies Domini est; nolite contristari, gaudium etenim Domini est fortitudo nostra. *Psal. ut supra.*

Feria sexta. Statio [g] ad sanctos duodecim apostolos.

Antiph. Lætetur cor quærentium Dominum, et confortamini, quærite faciem ejus semper. *Psalm.* Confitemini **722** Domino, et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus. *Resp.* Convertere, Domine, aliquantulum, et deprecare super servos tuos. *Vers.* Domine, refugium factus es nobis a generatione et progenie. *Offert.* Benedic, anima mea, Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, et renovabitur sicut aquilæ juventus tua. *Vers.* Dominus in cœlo. *Ad Com.* Aufer a me opprobrium et contemptum, quia mandata tua exquisivi, Domine, nam et testimonia tua meditatio mea est. *Psal.* Beati immaculati in via.

Sabbato in XII lectionibus ad sanctum Petrum.

Antiph. [h] Venite, adoremus Deum, et procidamus ante Dominum, ploremus ante eum qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster. *Psal.* Venite, exsultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro. [*Resp.* Ego dixi: Domine, miserere mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. *Vers.* Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. *Resp.* Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Resp.* Bonum est confidere in Domino. *Vers.* Bonum est sperare in Domino. *Resp.* Liberasti nos, Domine. *Vers.* In Deo laudabimur. [i] *Hymn.* Benedictus es, Domine. *Tract.* Laudate Dominum, omnes gentes.] *Offert.* Domine, Deus salutis meæ, in die clamavi et nocte coram te; intret Oratio mea in conspectu tuo, Domine. *Ad Com.* Mense septimo festa celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Israel, cum eduxerim eos de terra Ægypti, ego Dominus Deus vester. *Psal. ut supra.*

Hebdomada decima octava.

Antiph. Da pacem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur; exaudi preces servi tui, et plebis tuæ Israel. *Psalm.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem Orationis meæ. *Resp.* Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *All.* [j] Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; annuntiate inter gentes opera ejus. *Offert.* Sanctificavit Moyses altare Domino, offerens

[a] Compend. et Theod.: *Resp. Timebunt gentes. Vers. Quoniam ædificavit.*

[b] Compend.: *All. Qui timent Dominum, sperant in eum, adjutor et protector eorum.* Theod.: All. *Confitemini Domino.*

[c] Juxta Compend. Resp. est *Vitam petiit*, et Vers. *Ut videam.* At in Theod. Resp. est *Beata gens*, et Vers. *Verbo Domini.*

[d] Compend. et Theod. assignant pro Alleluia *Laudate Dominum, omnes gentes.*

[e] Officiorum horum trium jejunii mensis septimi meminit Micrologus, cap. 28. PAMELIUS.

[f] Hoc Respons. abest a Ms. Comp.

[g] Compend., simpliciter, *Ad Apostolos.*

[h] Codex Blandin. hic nihil aliud habet quam Antiphonam, Offert. et Commun., tanquam subindicans eadem Responsoria hic legi debere quæ supra habentur in jejunio mensis primi; nempe, *Propitius. Protector. Dirigatur* et *Salvum fac populum*, quæ hic repetenda censet Micrologus, cap. 28. Quare Responsoria nova quæ notat Codex Ultrajectin. tanquam minus authentica lineis inclusimus. PAMEL.

[i] Hymnus hic non est in Compend., qui tamen cætera exhibet quæ minus authentica censet Pamelius.

[j] Alleluia in Compend. est *Dextera Domini fecit virt.*

super illud holocausta; et immolans victimas, fecit [a] sacrificium vespertinum in odorem suavitatis Domino Deo, in conspectu filiorum Israel. *Vers.* 1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Ascende ad me in montem [b] Sina, et stabis super cacumen ejus. Surgens Moyses ascendit in montem ubi constituit ei Deus; et descendit ad eum Dominus in nube, et astitit ante faciem ejus. Videns Moyses, procidens adoravit, dicens : Obsecro, Domine, dimitte peccata populi tui, et dixit ad eum Dominus : Faciam secundum verbum tuum. *Vers.* 2. Oravit Moyses Dominum, et dixit : Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi teipsum manifeste ut videam te. Et locutus est ad eum Dominus, dicens : Non enim videbit me homo, et vivere potest, sed esto super altitudinem lapidis, **723** et protegat te dextera mea, donec pertranseam. Dum pertransiero, auferam manum meam, et tunc videbis gloriam meam. Facies autem mea non videbitur tibi, quia ego sum Deus ostendens mirabilia in terra. *Ad Comm.* Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorate Dominum in aula sancta ejus. *Psal.* LXXXXV.

Hebdomada decima nona.

[c] *Antiph.* Salus populi ego sum, dicit Dominus. De quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, et ero illorum Dominus in perpetuum. *Psalm.* [d] Attendite, populus meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Resp.* [e] Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus. *Vers.* Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turribus tuis. *Item Resp.* Dirigatur Oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, Domine. *Vers.* Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. [f] *All.* Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum; cantabo et psallam tibi in gloria mea. *Offert.* Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me, Domine, et super iram inimicorum meorum extendes manum tuam, et salvum me fecit dextera tua. *Vers.* 1. In quacunque die invocavero te, exaudi me, multiplicabis in anima mea virtutem. *Vers.* 2. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. *Ad Com.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis; utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas! *Psal.* CXVIII.

Hebdomada vigesima.

Antiph. Omnia quæ fecisti nobis, Domine, in vero judicio fecisti, quia peccavimus tibi, et mandatis tuis non obedivimus; sed da gloriam nomini tuo, et fac nobiscum secundum multitudinem misericordiæ tuæ. *Psal.* Beati immaculati in via. *Resp.* Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. *Vers.* Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione. *Item Resp.* Eripe me, Domine, de inimicis meis. *Vers.* Liberator meus. *All.* [g] Redemptionem misit Dominus populo suo, mandavit in æternum testamentum suum. *Offert.* Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. *Vers.* 1. Si oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea. *Vers.* 2. Memento, Domine, filiorum Edom in die Jerusalem. *Ad Com.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti; hæc me consolata est in humilitate mea. *Psal.* CXVIII, *ut supra.*

Hebdomada vigesima prima.

Antiph. In voluntate tua, Domine, universa sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ; tu enim fecisti omnia, cœlum, et terram, et universa quæ cœli ambitu continentur. [h] *Psal.* Beati immaculati. *Resp.* Domine, refugium factus es nobis, a generatione et progenie. *Vers.* Priusquam montes **724** fierent, aut formaretur terra et orbis, a sæculo et in sæculum tu es Deus. [i] *All.* Laudate, pueri, Dominum, laudate nomen Domini. *Vers.* Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc et usque in sæculum. [j] *Offert.* Vir erat in terra nomine Job, simplex et rectus, ac timens Deum, quem Satan petiit ut tentaret, et data est ei potestas a Domino in facultate et in carne ejus, perdiditque omnem substantiam ipsius, et filios, carnem quoque ejus gravi ulcere vulneravit. *Vers.* 1. Utinam appenderentur peccata mea, utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, quibus iram merui, et calamitas, et calamitas et calamitas quam patior, hæc gravior appareret. *Vers.* 2. Quæ est enim, quæ est enim, quæ est enim fortitudo mea, ut sustineam? aut quis finis meus, ut patienter agam? *Vers.* 3. Nunquid fortitudo lapidum est fortitudo mea? aut caro mea ænea est? aut caro mea ænea est? *Vers.* 4. Quoniam, quoniam, quoniam non revertetur oculus meus, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona, ut videam bona. *Ad Comm.* In salutari tuo defecit anima mea, et in verbum tuum speravi, quando facies de persequentibus me judicium? Iniqui persecuti sunt me, adjuva me, Domine Deus meus. *Psal.* *ut supra.*

Hebdomada vigesima secunda.

Antiph. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? quia apud te propitiatio est, Deus Israel. *Psalm.* De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. *Resp.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in

[a] Compend., *fecit sacrificium matutinum.*

[b] Compend., *Sinai.*

[c] Etiam hujus officii concordiam cum lectione Dominicæ 19 et Oratione *Omnipotens et misericors Deus, universa*, etc., vide apud Bernon., loco citato. PAMEL.

[d] In Compend. Ps. est *Beati immaculati.*

[e] Respons. hoc et Versus subsequens non habentur in Compend. et Theod. sed Resp. *Dirigatur*, et vers. *Elevatio.*

[f] In Compend., pro Allel. assign. *Lætatus sum.* In Theod.: *Confitebor.*

[g] Compend.: Allel. *De profundis.* Theod. Allel. *Confitebor tibi.*

[h] Additur in Comp. *Dominus universorum tu es.*

[i] In Theod.: Allel. est *Lauda anima.* In Compend. *Confitebor, tibi, Domine.*

[j] Pulcherrime hujus Offertorii cum suis Vers. etiam Antiphon. mentionem faciunt, Alcuinus, pag. 70, et Amalarius l. III, cap. 39. PAMEL.

unum. *Vers.* Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Vers.* [a] Mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum. [b] *All.* Qui timent Dominum, sperent in eo; adjutor et protector eorum est. *Off.* Recordare mei, Domine, omnipotentia tua dominans; da sermonem rectum et bene sonantem in os meum, ut placeant verba mea in conspectu principis. *Vers.* Everte cor ejus in odium repugnantium nobis, et in eos qui consentiunt eis. Nos autem libera in manu tua, Deus noster, in æternum. *Ad Com.* Dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente. *Psal. ut supra.*

Hebdomada vigesima tertia.

Antiph. Dicit Dominus: Ego cogito cogitationes pacis, et non afflictionis; invocabitis me, et ego exaudiam vos, et reducam captivitatem vestram de cunctis locis. *Psal.* Benedixisti, Domine, terram tuam, avertisti captivitatem Jacob. [c] *Resp.* Timebunt gentes. *Vers.* Quoniam ædificavit. *Item Resp.* Liberasti nos, Domine, ex affligentibus nos, et eos qui nos oderunt, confudisti. *Vers.* In Deo laudab mur tota die, et nomini tuo confitebimur in sæcula. [d] *All.* Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem Orationis meæ. *Off.* De profundis clamavi ad te, **725** Domine. Domine, exaudi vocem meam. *Vers.* 1. Fiant aures tuæ intendentes in Orationem servi tui. *Vers.* 2. Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? *Ad Com.* Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, et fiet vobis. *Psal.* De profundis.

De sanctissima Trinitate.

Antiph. [e] Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa unitas; confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Psal.* Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in sæcula. *Resp.* Benedictus est Domine, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim. *Vers.* Benedicite Deum cœli. *All.* Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, et laudabilis in sæcula. *Off.* Benedictus sit Deus Pater, unigenitusque Dei Filius, sanctus quoque Spiritus, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Vers.* Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu, laudemus et superexaltemus eum in sæcula. *Ad Com.* Benedicite Deum cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam [f].

[g] *Pro iter agentibus.*

Antiph. Benedictus Dominus Deus. *Psal.* Exsurgat Deus, et dissipentur inimici ejus, et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. *Resp.* Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. *Vers.* Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt. *Resp.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. *Vers.* Liberator meus de gentibus iracundis. *Off.* Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Vers.* Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, ut non dominetur mei omnis injustitia. *Ad Com.* Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas.

In agenda mortuorum.

Antiph. Requiem æternam dona eis, Domine, et **726** lux perpetua luceat eis. *Psal.* Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem: exaudi Orationem meam, ad te omnis caro veniet *Resp.* Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis. *Vers.* Anima ejus in bonis demoretur, et semen ejus hæreditet terram. *Off.* Erue, Domine, animas eorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos tuos resuscitari mereantur. *Vers.* Tuam, Deus piissime Pater, deposcimus pietatem, ut eis tribuere digneris placitas et quietas mansiones. *Ad Com.* Audivi vocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe, beati mortui qui in Domino moriuntur; amodo jam dicit spiritus ut requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos.

Item alia.

Antiph. Subvenite, sancti Dei, succurrite angeli Domini, suscipientes animam ejus, offerentes eam in conspectu Altissimi. *Psalm.* Anima ejus in bonis demoretur, et semen ejus hæreditet terram. *Resp.* Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi. *Vers.* Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu. *Off.* Miserere mihi, Deus, secundum. *Vers.* 1. Quoniam iniquitatem meam ego. *Vers.* 2. Tibi soli peccavi. *Item Off.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, sed vivam et narrabo opera Domini. *Vers.* 1. In tribulatione mea invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine Dominus. *Vers.* 2. Impulsus versatus sum ut caderem, et Dominus suscepit me. *Item Off.* Convertere, Domine, et eripe animam meam, salvum me fac propter misericordiam tuam. *Vers.* 1. Domine, ne in

---

[a] Hic Versus abest a Compend.

[b] In Compend.: *Allel. Lauda, anima mea, Dominum.* In Theod.: *Allel. Qui sanat contritos.* Concordiam hujus officii cum lectione et Oratione *Deus refugium*, legi apud Bernon., l. de Miss., c. 5, monet Pamelius. Repetendum vero esse hoc off. si plures occurrant Dominicæ, tradit Micrologus, c. ult., ita tamen ut sequens officium semper dicatur proxima ante adventum Dominica.

[c] Hoc Respons. et Vers. sequens non sunt in Theod. et Comp.

[d] In Comp.: *All. Laudabuntur.* In Theod., *Qui posuit.*

[e] Hoc offic. Gregorianum non esse, sed ab Albino et Stephano Leodiensi compositum satis constat ex Microl., cap. 60, PAMEL. Exstat in Theod. et in Compend. qui videtur esse ejusdem ætatis ac Stephanus Leod.

[f] In Theoderic. 2 post Dominicam ubi fit offic. de Trinit. notatur adhuc alia Dominica, cui succedunt quinque Dominicæ ante Natale Dom. Postea legitur Missa *in dedicatione.*

[g] Quæ hic sequuntur desunt in Ms. Compend.

ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. *Vers.* 2. Miserere mihi, Domine, quoniam infirmus sum; sana me, Domine, quoniam conturbata sunt omnia ossa mea. *Ad Comm.* Ego sum resurrectio et vita, dicit Dominus. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

APPENDIX

Ex Manuscripto Compendiensi.

Feria secunda, pro peccatis.

Ant. Si iniquitates, *ut sup. Psalm.* De profundis. *Resp.* Propitius esto. *Vers.* Adjuva nos. *All.* Domine, refugium. *Off.* Sicut in holocaust. *Ad Comm.* Amen. dico vobis.

Feria tertia, de angelis.

Antiph. Adorate Dominum, omnes angeli. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Resp.* Benedicite Dominum. *Vers.* Benedic, anima. *All.* Laudate Deum. *Offert.* In conspectu angelorum. *Ad Com.* Benedicite, omnes angeli.

Feria quarta, de sapientia.

Antiph. O sapientia. *Psalm.* et *Resp.* Domine Dominus noster. *Vers.* Quoniam elevata est. *All.* Quoniam Deus magnus *Off.* Dominus possedit me. *Ad Com.* O sapientia.

Feria quinta, de charitate.

Antiph. Domine Deus Patrum nostrorum. *Resp.* Charitas Dei diffusa est. *Vers.* Charitas non quærit. *Allel.* Charitas Dei. *Off.* Diligamus nos invicem. *Ad Com.* Charitas Dei.

Feria sexta, de sancta cruce.

Antiph. Nobis autem gloriari. *Psalm.* Dominus regnavit, decorem. *Resp.* Christus factus est. *Vers.* Propter quod. *Allel.* Dominus regnavit a ligno. *Off.* Deus enim firmavit. *Ad Com.* Nos autem.

Feria septima, de virginibus.

Antiph. Vultum tuum deprecabuntur. *Psalm.* Eructavit. **727** *Resp.* Diffusa est. *Vers.* Propter veritatem. *All.* Specie tua. *Off.* Diffusa est. *Ad Com.* Dilexisti.

Gaude Eia unica columba speciosa.

Sponsa superno regi consociata. Beata semper Dei genitrix pia virgo Maria.

[a] Præclara dies nobis instat quæ temporum affert orbita revoluta. Hæc solemnitas est animæ festivitas nostræ merito veneranda. Celebremus eam lingua vocifera. Decantantes laudes Domino debitas voce c'ara. Gratulemur in ea corde pio, Dominum rogantes mente pura. Ut delicta nostra tergat manu sua. Quibus expediti cantica psallamus in excelsa. Summa pia gratia nostra conservando corpora **728** custodita. De gente fera Normanica nos libera, quæ nostra vastat Deus regna. Senum jugulat et juvenum ac virginum puerorum quoque catervam. Repelle precamur cuncta a nobis mala. Converte, rogamus, Domine, supplices nos ad te Rex gloriæ, es qui vera pax, salus pia, spes et firma. Dona nobis pacem atque concordiam. Largire nobis spem et integram fidem, simul veram charitatem continuam concede nobis et perfectam. Sanctorum precibus nos adjuvemur ad hæc impetranda. De quorum pas ione gratulamur gloriosa. Sit laus pax et gloria Trinitati quam maxima cuncta per sæcula. Amen [b].

[a] Hæc notulis ad cantus modulationem dispositis sunt inscripta. Quæ edenda putavimus, quia inde erui potest tempus scripti Codicis, ut diximus in præfat.

[b] Postea legitur *Incipiunt All.* (id est, Alleluias) *de circulo anni*, sunt autem numero 79. Deinde *Ans* (id est Antiphonas) *in litania majore, Ans. de quacunque tribulatione, Ans. de siccitate, Ans. de nimia pluvia, de mortalitate; Ans. de tempore belli, Ans. de liberatione, de pœnitentibus;* continent gratiarum actiones pro liberatione; *Ans. de natalitiis sanctorum, Ans. ad reliquias deducendas, Ans. de passione Domini, Ans. de resurrectione.*

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

AD COLLECTIONEM RESPONSORIORUM, ANTIPHONARUM, VERSUUM, etc.

730. Cum a paucis prævideamus legendam Collectionem hanc, quæ notatu digniora in ea nobis occurrerunt hic indicare non pigebit.

In Codice Compendiensi nullum nomen præfert hic liber. Ex Responsoriis *Responsalis* a quibusdam dicitur (Mabil., de Cursu Gall., pag. 398). Ab Amalario Fortunato *Antiphonarius*, propter Antiphonas, ut ex ejusdem libro *de Ordine Antiphonarii* manifestum est; ob integrum officium ecclesiasticum, sive cursum tam nocturnum quam diurnum in eo descriptum, nonnulli Codicem hunc *Officialem* appellavere. Porro etsi libri hujus multi passim meminerint (Amalar., l. IV, de eccl. Off., c. 29, et passim), nemo tamen veterum Respons., Antiph., etc., complexionem adhuc publici juris fecit. Eam autem in lucem emittendam duximus, et quidem ex vetustissimo Codice, licet mendorum non experte, ut esset omnium liturgicon veluti complementum. Qui hæc conferre voluerit cum hodiernis Antiphonariis, nihil fere de novo invectum in libros nostros ecclesiasticos observare gratissimum habebit, cum inter certissimas Ecclesiæ catholicæ notas, ea quæ ab antiquitate petitur non ultimum aut inferiorem locum obtineat.

Ad cujus Ecclesiæ usum fuerit descriptus Codex noster Compendiensis, obscurum est. Certe quamvis officium de sancto Benedicto exhibeat (quod nonnullis fortasse argumentum erit, monachos Benedictinos illo usos esse) in numero tamen et distributione Psalmorum, tam pro nocturnis quam pro diurnis horis, et in multis aliis a sancti Benedicti regula non raro recedit. Multorum sanctorum in Gallia præsertim Belgica celebrium officia propria complectitur, ut sanctorum Remigii, Vedasti, Medardi, martyrum Crispini et Crispiniani, Quintini, etc. Unde conjicitur ad alicujus in Galliis Ecclesiæ sacram supellectilem primum pertinuisse. Aliunde vero quæ leguntur in ordine ad Vesperas die sanctissimo Paschæ, exscripta videntur ex Ordine Romano, ut eo loci observavimus. His omnibus trutinatis, existimamus veterem officii divini celebrandi ritum in Ecclesia Romana observatum, ex priorum summorum pontificum, maxime vero ex sancti Gregorii præscripto, hic exhiberi, Gallicanæ cujusdam Ecclesiæ usui accommodatum, accersitis propriis officiis sanctorum, quorum præsertim in Galliis celebris est memoria.

Hoc in libro, non solum majoribus solemnitatibus proprii Psalmi, tum in nocturnis tum in matutinis et vespertinis horis assignantur; sed etiam ubi officium præscribitur de communi sive apostolorum, sive

martyrum, aut confessorum, etc., omissis Psalmis de feria, præscribuntur alii qui præmissis Antiphonis conveniunt, uti etiam nunc in Ecclesia Romana usitatum.

Quemadmodum in libro Sacramentorum assignantur Orationes nonnullæ *ad crucem*, *ad fontes*; ita etiam hac in Collectione indicantur Antiphonæ, *ad crucem*, vel *ad fontes*, pro octava Theophaniæ, forte quod in Theophania Baptismi Christi memoria celebraretur, et baptismus solemniter daretur.

In officio Purificationis, quod integrum est de sanctissima Virgine, observatione dignum Responsorium hoc: *Gaude, Maria; cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis*, etc.

In Dominica 5 Quadragesimæ, *de Passione*, jam tum nuncupata, Versus isti: *Eripe me ab homine malo*, *Eripe me de inimicis meis*, *Erue a framea*, *De ore leonis*, appellantur *Versi declinatorii*. Multi alii alibi occurrunt, ut in sanctissimo Paschæ die, cum eodem titulo. Cur vero ita dicantur, nondum assequi potuimus, nisi ex mera conjectura; quam timide proferimus, donec certius aliquid nobis suppetat. Illi versus omnino discrepant ab illis qui in Responsoriis inseruntur; idque habent singulare quod psalmodiam seu Psalmorum cantum claudant. Quando vero canuntur, facies ad altare convertitur, quem ritum observat Amalarius. Itaque dici potuerunt hi versus *declinatorii*, tum propter inclinationem seu conversionem vultus, et totius corporis ad Orientem aut altare; tum propter psalmodiæ finem quem indicant; quæ enim ad finem vergunt, ea declinare dicuntur.

In Dominica Palmarum Versus *Gloria, laus, et honor*, etc., minime leguntur.

In Ordine ad Vesperas diei Paschæ legitur: *Et tunc vadunt ad sanctum Joannem ad Vestem*; cui loco illustrando adhibuimus conjecturam doctissimi Mabillonii in notis ad 1 Ordinem Romanum tomo II Musei Ital., pag. 37. Aliam hic accipe. Lib. III, epist. 3, sanctus Gregorius jubet ad se transmitti tunicam sancti Joannis, quæ penes quemdam episcopum erat. Eam, ut optaverat, Romam delatam, et sub altari sancti Joannis in basilica Constantiniana collocatam narrat Joannes Diaconus, lib. III Vitæ sancti Gregorii, **731** cap. 57 ac seq. *Quæ quidem vestes*, inquit Joannes, *usque hactenus tantis miraculis coruscare probantur*, etc. Ab hac fortasse sacra tunica, basilica sancti Joannis, in qua asservabatur, dicta est *sanctus Joannes ad vestem*.

Non me latet Joannis Diac. testimonium a doctissimo Tillemontio reprobari (Tom. I, Hist. eccl., in notis, pag. 640), tanquam ipsi Gregorio contrarium. Verum in minime probat.

Post officium Ascensionis et Pentecostes legitur: *Añs in matutinis de sancto Germano*. De Antissiodorensi, an de Parisiensi, aut de alio quopiam Germano id sit intelligendum non liquido constat. Circa id tempus, nimirum maii die 28, celebratur natalis sancti Germani Parisiensis antistitis. De hoc festo in Codice Compendiensi agi vero propius videtur.

In officio de sancto Petro, Responsorium ultimum secundi nocturni prætereundum non est: *Tu es pastor ovium, princeps apostolorum; tibi tradidit Deus omnia regna mundi et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum*.

Amplissimum est, et ex solemnioribus officium de sancto Hippolyto martyre, die 13 augusti.

Quæ canuntur in festo sanctorum Dionysii et sociorum martyrum Antiphonæ et Responsoria, omnia desumuntur ex eorum Actis, in quibus sanctus Dionysius a sancto Clemente Petri apostoli successore missus traditur.

In nostro Codice legitur officium de sancto Andrea ex ejusdem Actis consarcinatum, quale fere nunc etiam in Breviario Romano habetur.

In festo sancti Thomæ apostoli, ejus prædicationis et martyrii apud Indos fit mentio.

Inter Responsoria hic collecta quædam inscribuntur *de auctoritate*. Quid hoc significet explicare conatur Amalarius, lib. de Ord. Antiphonarii, c. 53. At difficultatem tangit, non tollit, imo vix tantisper elevat. De re autem ita obscura silere malumus quam temere opinari.

Multa alia observatione non indigna in brevibus notis calci columnarum inscriptis offendes, quæ ideo hic repetenda et retractanda non credimus.

SANCTI GREGORII MAGNI

ROMANI PONTIFICIS

LIBER RESPONSALIS

SIVE

ANTIPHONARIUS.

(Ex Codice Compend., nono sæculo inclinante descripto; cui sancti Gregorii papæ nomen præfigitur.)

[a] IN NOMINE DOMINI JESU CHRISTI.

Incipiunt [b] Responsoria, sive Antiphonæ per anni circulum.

733 *In vigilia Dominicæ primæ de Adventu Domini.*
Ad Vesperas.

Antiph. Ecce nomen Domini venit de longinquo, et claritas ejus replet orbem terrarum.

Ad Invitatorium.

Antiph. Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro. *Item Antiph.* Regem venturum Dominum, venite adoremus. *Ant.* Angelus Domini nun-

[a] Hæc scripta sunt litteris uncialibus aureis in area purpurea, et rubris in area alba.

[b] Hinc *liber Responsalis* appellatur Codex ea continens.

tiavit Mariæ, et concepit de Spiritu sancto, alleluia. *Ant.* Jerusalem, respice ad Orientem, et vide, alleluia.

Feria tertia.

Antiph. Antequam convenirent, inventa est Maria habens in utero de Spiritu sancto, allel. *Ant.* Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est, alleluia.

Feria quarta.

Antiph. De Sion exivit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. *Ant.* Veniet fortior post me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus.

Feria quinta.

Antiph. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Ant.* Exspectabo Dominum Salvatorem meum, et præstolabor eum, dum prope est, alleluia.

Feria sexta.

Antiph. Ecce veniet Deus, et homo de domo David sedere in throno, allel. *Ant.* Ex Ægypto vocavi filium meum; veniet ut salvet populum suum.

Sabbato.

Antiph. Sion, noli timere, ecce Deus tuus veniet, **734** alleluia. *Ant.* Ecce in nubibus cœli Filius hominis veniet, alleluia. *Ant.* Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Veni, Domine, visitare nos in pace, ut lætemur coram te corde perfecto. *Ant.* Leva, Jerusalem, oculos, et vide potentiam Regis. Ecce Salvator venit solvere te a vinculo. *Ant.* Gaude et lætare, Jerusalem, quia Rex tuus venit tibi, de quo prophetæ prædixerunt, angeli adoraverunt, quem cherubim et seraphim Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant.

Responsoria in Dominica secunda.

[a] *Resp.* Jerusalem, cito veniet salus tua; quare mœrore consumeris? Nunquid consiliarius non est tibi, quia [b] innovabit te dolor. Salvabo te, et liberabo te, noli timere. *Vers.* Israel, si me audieris, non erit in te deus recens, neque adorabis deum alienum; ego enim Dominus. Salvabo te, etc. *Resp.* Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo; et erit in die illa lux magna. Et exibunt de Jerusalem, sicut aqua munda; et regnavit Dominus in æternum super omnes gentes. *Vers.* A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari. Et regnavit. *Resp.* Docebit nos Dominus vias suas, et ambulavimus in semitis ejus, quia de Sion exivit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. *Vers.* Ex Sion species decoris ejus; Deus noster manifeste veniet. Quia de Sion. *Resp.* Jerusalem, surge et sta in excelso; et vide jucunditatem quæ veniet tibi a Deo tuo. *Vers.* Leva in circuitu oculos tuos, et vide et contemplare. *Vers.* Civitas Jerusalem, noli flere, quoniam doluit Dominus super te, et auferet a te omnem tribulationem. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Et auferet. *Resp.* Ecce Dominus veniet, protector noster, Sanctus Israel, coronam regni habens in capite suo. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Coronam. *Resp.* Sicut mater consolatur filios suos, ita consolabor vos, dicit Dominus; et de Jerusalem civitate **735** quam elegi, veniet vobis auxilium; et videbitis et gaudebit cor vestrum. *Vers.* Deus a Libano veniet, et sanctus. *Resp.* Jerusalem, plantabis vineam in montibus tuis et exaltabis, quia dies Domini veniet. Surge, Sion, convertere a Deo tuo, gaude et lætare, Jacob, quia de medio gentium Salvator tuus veniet. *Vers.* Deus a Libano veniet, et sanctus de monte umbroso et condenso. Gaude. *Resp.* Egredietur Dominus de Samaria, a porta quæ respicit ad Orientem, et veniet in Bethlehem ambulans super aquas redemptionis Judæ. Tunc salvus erit omnis homo, quia ecce veniet. *Vers.* Deus a Libano veniet. Tunc. *Resp.* Rex noster adveniens Christus, quem Joannes prædicavit Agnum esse venturum. *Vers.* Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quem Joannes.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Ecce in nubibus cœli Dominus veniet cum potestate magna, all. *Ant.* Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus et antemurale. Aperite portas quia nobiscum Deus, allel. *Ant.* Ecce apparebit Dominus, et non mentietur. Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniet et non tardabit, all. *Ant.* Montes et colles cantabunt coram Deo laudem, et omnia ligna silvarum plaudent manibus, quoniam veniet Dominus, dominator in regnum æternum, alleluia, alleluia.

[c] *In Evangelio.*

Antiph. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in æternum, allel. *Antiph.* Beata es, Maria, quæ credidisti; perficientur in te quæ dicta sunt tibi a Domino, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. De cœlo veniet dominator Dominus, et in manu ejus honor et imperium. *Ant.* Ecce Rex venit Dominus terræ, et ipse auferet jugum captivitatis nostræ. *Ant.* Ego baptizavi vos aqua; ille baptizabit vos Spiritu sancto, alleluia.

Feria tertia.

Antiph. Super te, Jerusalem, orietur Dominus; et gloria ejus in te videbitur. *Ant.* Vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri.

Feria quarta.

Antiph. Ecce mitto angelum meum, qui præparavit viam tuam ante faciem tuam. *Ant.* Sion, renovaberis et videbis justum tuum, qui venturus est in te. *Ant.* Rex noster adveniet Christus, quem Joannes prædicavit Agnum esse futurum.

Feria quinta.

Antiph. Tu es qui venturus es, Domine, quem exspectavimus, ut salvum facias populum tuum. *Ant.* Qui post me venit ante me factus est, cujus non sum dignus calceamenta solvere. *Ant.* Juxta est salus mea, ut veniat; et justitia mea, ut reveletur, dicit Dominus.

Feria sexta.

Antiph. Dicite, pusillanimes, confortamini, ecce Dominus Deus noster veniet. *Ant.* Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ.

736 *Sabbato.*

Antiph. Levavit Dominus signum in nationibus, et congregavit dispersos Israel. *Ant.* Ante me non est formatus Deus, et post me non erit, quia mihi curvabitur omne genu, et confitebitur omnis lingua.

Responsoria in Dominica tertia de Adventu.

Resp. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam, et cum eo sanctorum millia. Et habens in vestimento, et in femore suo scriptum: Rex Regum et Dominus dominantium. *Vers.* Ecce dominator Dominus cum virtute veniet. Et habens. *Resp.* Bethle-

[a] Sunt Responsoria quæ canuntur post lectiones nocturnorum.

[b] Pro *innovavit*, sicuti in alio Respons. *regnavit* pro *regnabit*, usurpato *v* pro *b*, et vice versa ... Consule scholia Angeli Roccæ in librum Sacram., col. 612, A.

[c] Sic designantur Antiphonæ quæ dicuntur ante *Benedictus*, quod istud canticum ex Evangelio sit sumptum. Idem dicendum de Antiphona quæ præmittitur cantico *Magnificat*.

hem civitas Dei summi, ex te exiet dominator Israel, et egressus ejus, sicut a principio dierum æternitatis. Et magnificabitur in medio universæ terræ. Et pax erit in terra nostra dum venerit. *Vers.* Deus a Libano. Et egressus. *Resp.* Qui venturus est veniet et non tardabit. Jam non erit timor in finibus nostris, quoniam ipse est Salvator noster. *Vers.* Ex Sion species decoris ejus, Deus noster manifeste veniet. Quoniam ipse est. *Resp.* Suscipe Verbum, virgo Maria, quod tibi a Domino per angelum transmissum est. Concipies per aurem Dominum pariter et hominem, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum. Ut benedicta. *Resp.* Ægypte, noli flere, quia dominator tuus veniet tibi; ante cujus conspectum movebuntur abyssi; liberare populum tuum de manu potentis. *Vers.* Ecce Dominus. *Resp.* Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur; miserebitur Dominus Jacob, et Israel salvabitur. *Vers.* Qui venturus est veniet et non tardabit. Jam non erit timor in finibus nostris. *Resp.* Descendit Dominus sicut pluvia in vellus; orietur in diebus ejus justitia et abundantia pacis. *Vers.* A solis ortu et occasu. Orietur. *Resp.* Veni, Domine, et noli tardare; relaxa facinora plebi tuæ, et revoca dispersos in terram suam. *Vers.* A solis ortu. Et revoca. *Vers.* Ecce Dominus. *Resp.* Ecce radix Jesse, ascendit in salutem populorum; ipsum gentes deprecabuntur, et erit nomen ejus gloriosum. *Vers.* Deus a Libano veniet. Et erit. *Resp.* Docebit vos Dominus vias suas, et ambulavit [a] vos in semitis ejus, quia de Sion exivit lex, et Verbum Domini de Jerusalem. *Vers.* Ex Sion species. Et Verbum.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Veniet Dominus, et non tardabit. Et illuminat abscondita tenebrarum, et manifestabit se ad omnes gentes, alleluia. *Ant.* Jerusalem, gaude gaudio magno, quia veniet tibi Salvator, alleluia. *Ant.* Dabo in Sion salutem, et in Jerusalem gloria mea, alleluia. *Ant.* Montes et colles humiliabuntur, et erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Veni, Domine, et noli tardare, alleluia. *Ant.* Juste et pie vivamus, exspectantes beatam spem et adventum Domini. *In Evangel. Antiph.* Joannes autem cum audisset vinculis opera Christi, mittens duos de discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? *Ant.* Ite, dicite Joanni: Cæci vident, surdi audiunt, claudi curantur, leprosi mundantur. *Ant.* Tu es qui venturus es, an alium exspectamus? Dicite Joanni **737** quæ vidistis: Ad lumen redeunt cæci, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. Dicit Dominus, pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum, alleluia. *Ant.* Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini. *Ant.* Elevare, elevare, consurge, Jerusalem; solve vincula colli tui, captiva filia Sion.

Feria quinta.

Antiph. Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur, et videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Ponam in Sion salutem, et in Jerusalem gloria mea, alleluia. *Ant.* Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt, quia ecce veniet et non tardabit. *Ant.* Consolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester. *Ant.* Lætamini cum Jerusalem, et exsultate in ea, omnes qui diligitis eam in æternum. *Ant.* Docebit nos de viis suis Dominus, et ambulabimus in semitis ejus.

Feria sexta.

Antiph. Dies Domini sicut fur ita in nocte veniet, et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. *Ant.* Quomodo fiet istud, angelus Dei, quia virum in concipiendo non pertuli?

Sabbato.

Antiph. Audis, Maria virgo, Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Ant.* Hoc est testimonium quod perhibuit Joannes: Qui post me venit ante me factus est. *Ant.* Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. *Ant.* Dabit ei Dominus sedem David Patris sui, et regnabit in æternum. *Ant.* Ecce virgo concipiet et pariet filium; et vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Ant.* Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete, Dominus enim prope est. *Ant.* Venite, ascendamus ad montem Domini, quia de Sion exivit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Responsoria in Dominica quarta.

Resp. Canite tuba in Sion; vocate gentes, annuntiate populis, et dicite: Ecce Deus Salvator noster adveniet. *Vers.* A solis ortu et occasu. Salvator. *Resp.* Octava decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, et mittam vobis Salvatorem et propugnatorem pro vobis, qui vos præcedat, et introducat in terra quam juravi patribus vestris. *Vers.* Ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. *Resp.* Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium. *Vers.* Pulchriores sunt oculi ejus vino, et dentes ejus lacte candidiores. Et ipse. *Resp.* Me oportet minui, illum autem crescere. Qui post me venit ante me factus est, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti ejus solvere. *Vers.* Hoc est testimonium quod perhibuit Joannes. Qui. *Resp.* Ecce jam venit plenitudo temporum [temporis], in quo misit Deus Filium suum in terris natum de Virgine, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret. **738** *Vers.* Prope est ut veniat tempus ejus, et dies ejus non elongabuntur. Ut eos. *Resp.* Virgo Israel, revertere in civitatibus tuis. Usquequo dolens averteris? Generabis Dominum Salvatorem oblationem novam in terra. Ambulabunt homines in Salvatione. *Vers.* A solis ortu. Ambulabunt. *Resp.* Juravi, dicit Dominus, ut [ne] ultra jam irascar super terram. Montes et colles suscipiant justitiam meam. Ecce firmamentum pacis erit in Jerusalem. *Vers.* A solis ortu. Suscipiant. *Resp.* Non discedimus a te, vivificabis nos, Domine, et nomen tuum invocabimus. Ostende faciem tuam, et salvi erimus. *Vers.* Domine Deus virtutum, converte nos. Ostende. *Resp.* Intuemini quantus sit iste qui ingreditur ad salvandas gentes; ipse est sol justitiæ, cujus generatio non habet finem. *Vers.* Ecce dominabuntur [dominabitur] a mari usque ad mare. Cujus generatio.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Canite tuba in Sion, quia prope est dies Domini. Ecce veniet ad salvandum nos, alleluia, alleluia. *Ant.* Ecce veniet desideratus cunctis gentibus, et replebitur gloria domus Domini, alleluia. *Antiph.* Erunt prava in directa et aspera in vias planas. Veni, Domine, et noli tardare, alleluia. *Ant.* Dominus veniet, occurrite illi, dicentes: Magnum principium et regni ejus non erit finis; Deus fortis, dominator, princeps pacis, alleluia, alleluia. *Ant.* Omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit, alleluia. *Ant.* Exsulta satis, filia Sion, quia ecce Rex tuus venit tibi justus et Salvator, alleluia. *Ant.* Ecce concipiens in utero et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur.

[a] Forte, *et ambulabimus*. In multis aliis locis corruptus est hic Codex, crassa forsitan scriptoris inscitia.

In Evangelio.

Antiph. Ecce Deus noster, exspectamus eum, et salvabit nos, alleluia. *Ant.* Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, alleluia. *Ant.* Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exsultavit in gaudio infans in utero meo, alleluia. *Ant.* Estote parati, similes hominibus exspectantibus Dominum, quando revertatur ad nuptias.

Responsoria infra eamdem hebdomadam.

Resp. Clama in fortitudine, qui annuntias pacem; dic civitatibus Judæ et habitatoribus Sion: ecce Deus noster quem exspectabamus adveniet. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Quem. *Resp.* Orietur stella ex Jacob, et exsurget homo de Israel; et confringet omnes duces alienigenarum. Et erit omnis terra possessio ejus. *Vers.* A solis ortu. *Resp.* Egredietur Dominus, et præliabitur contra gentes; et stabunt pedes ejus supra montes Olivarum ad Orientem. *Vers.* Ex Sion species decoris. Et stabunt. *Resp.* Præcursor pro nobis ingreditur agnum [Agnus] sine macula secundum ordinem Melchisedech, Pontifex factus est in æternum, et in sæculum sæculi. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Pontifex. *Resp.* Videbunt gentes justum tuum, et cuncti reges inclytum tuum. Et vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. *Vers.* Ecce dominator Dominus. Quod os. *Resp.* Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, ad montem filiæ Sion. *Vers.* Ex Sion species. De petra. *Resp.* Germinaverunt campi eremi, germen odoris Israel; quia ecce Deus noster cum virtute veniet, **739** splendor ejus cum eo. *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Vers.* Emitte Agnum, Domine. *Resp.* Veniet nobis salus a Domino gloriæ, et conteret jugum grave, et solvet vincula peccatorum nostrorum, quia potens est. *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* Egredietur Dominus de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet, et erit justitia cingulum lumborum ejus, et fides cinctorium renum ejus. *Vers.* Ex Sion species. Et erit. *Resp.* Paratus esto, Israel, in occursum Domini, quoniam venit firmans montes, et creans Spiritus et annuntians in hominibus Christum esse venturum. *Vers.* Ecce dominator. *Resp.* Annuntiatum est per Gabriel archangelum ad Mariam virginem: de introitum regis [Da introitum Regi]. Et ingressus est per splendidam regionem, auream Virginis, visitare palatium uteri; et regressus est per auream virginis portam. *Ant.* Ave, Maria. Et. *Resp.* Radix Jesse qui exsurgat judicare gentes; in eum gentes sperabunt, et erit nomen ejus gloriosum. *Vers.* Ex Sion species.

Antiphonæ de feria secunda, in Matutinis.

Antiph. Ecce veniet Dominus princeps regum terræ: beati qui parati sunt occurrere illi. *Antiph.* Dum venerit Filius hominis, putas inveniet fidem super terram? *Ant.* Ecce jam venit plenitudo temporis in quo misit Deus Filium suum in terris. *Ant.* Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Ant.* Egredietur Dominus de loco sancto suo; veniet et [ut] salvet populum suum.

In Evangelio.

Antiph. Egredietur virga de radice Jesse, et replebitur omnis terra gloria Domini, et videbit omnis caro Salutare Dei. *Ant.* Ecce Dominus noster cum virtute veniet, et ipse conteret jugum captivitatis nostræ. *Ant.* Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite vias Dei nostri.

Feria tertia, in Matutinis.

Antiph. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum; aperiatur terra, et germinet Salvatorem. *Antiph.* Emitte Agnum, Domine, dominatorem terræ, de petra deserti, a monte filiæ Sion. *Ant.* Ut cognoscamus, Domine, in terra viam tuam; in omnibus gentibus Salutare tuum. *Ant.* Da mercedem, Domine, sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur. *Ant.* Lex per Moysen data est, et veritas per Jesum Christum facta est.

In Evangelio.

Antiph. Vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus. *Ant.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. *Ant.* Maria autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. *Ant.* Tu, Bethlehem terra Juda, non eris minima inter principes Juda. Ex te enim exiet qui regat populum meum Israel.

Feria quarta, in matutinis Laudibus.

Noli [Nolite] timere; quinta enim die veniet ad vos Dominus noster. *Ant.* Prophetæ prædicaverunt nasci Salvatorem de virgine Maria. *Ant.* Spiritus Domini super me, evangelizare pauperibus misit me. *Ant.* Ecce veniet Dominus, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat. *Ant.* Annuntiate populis et dicite: Ecce Deus Salvator noster **740** veniet. *Ant.* Propter Sion non tacebo, donec egrediatur, ut splendor justus ejus.

In Evangelio.

Antiph. Missus est Gabriel angelus ad Mariam virginem desponsatam Joseph. *Ant.* Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, alleluia.

Feria quinta, in Matutinis.

Antiph. De Sion veniet Dominus omnipotens, ut salvum faciat populum suum. *Ant.* Convertere, Domine, aliquantulum, et ne tardas [tarda, *vel* tardes] venire ad servos tuos. *Ant.* De Sion veniet qui regnaturus est Dominus Emmanuel; magnum nomen ejus. *Ant.* Ecce Dominus meus et honorabo eum; Deus Patris mei, et exaltabo eum. *Ant.* Dominus legifer noster, Deus Rex noster, ipse veniet et salvabit nos.

In Evangelio

Antiph. Veniet Dominus in potestate magna, et videbit eum omnis caro. *Ant.* Dicite: Pusillanimes, confortamini. *Ant.* Estote parati, similes hominibus exspectantibus Dominum, quando revertatur ad nuptias. *Ant.* Vigilate animo; in proximo est Dominus Deus noster. *Ant.* Veniet iterum angelus tuus, et docebit nos vias tuas, Domine. *Ant.* Intuemini quantus sit iste gloriosus, qui ingreditur ad salvandos populos.

Feria sexta, in Matutinis.

Antiph. Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. *Ant.* Ad te, Domine, levavi animam meam; veni, et eripe me, Domine, ad te confugi. *Ant.* Veni, Domine, et noli tardare; relaxa facinora plebi tuæ Israel. *Ant.* Deus a Libano veniet, et splendor ejus sicut lumen erit. *Ant.* Ego autem ad Dominum aspiciam, et exspectabo Dominum Salvatorem meum. *Ant.* Completi sunt dies Mariæ ut pareret filium suum primogenitum. *Ant.* Ecce completa sunt omnia quæ dicta sunt per angelum de virgine Maria.

Antiphonæ majores in Evangelio.

Antiph. O Sapientia! quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviter, disponensque omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ. *Ant.* O Adonai, dux domus Israel! qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti, veni ad redimendum nos in brachio extento. *Ant.* O radix Jesse! qui stas in signum populorum, super quem reges continebunt os suum, quem gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, jam noli tardare. *Ant.* O clavis David, et sceptrum domus Israel! qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit, veni et educ vinctum de domo carce-

ris, sedentem in tenebris, et umbra mortis. *Ant.* O Oriens splendor lucis æternæ, et Sol justitiæ! veni et illumina sedentem in tenebris et umbra mortis. *Ant.* O Rex gentium, et desideratus earum, lapisque angularis! qui facis utraque unum, veni, salva hominem quem de limo formasti. *Ant.* O Emmanuel Rex et legifer noster, exspectatio gentium et Salvator earum! veni ad salvandum nos, Dominus Deus noster. *Ant.* O Virgo virginum! quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem? **741** Filiæ Jerusalem, quid admiramini? Divinum mysterium hoc quod cernitis. *Ant.* Orietur sicut sol Salvator mundi, et descendet in utero Virginis sicut imber super gramen, alleluia.

Versi declinatorii.

Vers. Ex Sion species. *Vers.* Egredietur Dominus. *Vers.* Egredietur virga. *Vers.* Constantes estote. *Vers.* Ostende nobis, Domine. *Vers.* Rorate, cœli, desuper. *Vers.* Emitte Agnum, Domine. *Vers.* Super te, Jerusalem. *Vers.* Excita, Domine. *Vers.* Hodie scietis. *Vers.* Crastina die delebitur. *Vers.* Crastina erit vobis.

Responsoria de vigilia ante Natale Domini.

Resp. Sanctificamini hodie, et estote parati, quia die crastina videbitis majestatem Dei in vobis. *Vers.* Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam Dei. Majestatem. *Resp.* Constantes estote, videbitis auxilium Domini super vos. Judæa et Jerusalem, nolite timere, cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum. *Vers.* Vos qui in pulvere estis, expergiscimini et laudate, ecce Dominus veniet cum salute. Cras. *Resp.* Die illa occulta habitationis suæ egressus est Filius Dei; descendit visitare et consolare omnes, qui eum de toto corde desiderabant. *Vers.* Ex Sion species. Descendit. *Resp.* Sanctificamini, filii Israel, dicit Dominus, in die enim crastina descendet Dominus, et auferet a vobis omnem languorem. *Vers.* Ecce Dominus veniet, et [ut] salvos nos faciat et illuminat abscondita tenebrarum. Et auferet.

In Matutinis.

Antiph. Judæa et Jerusalem, nolite timere; cras egrediemini, et Dominus erit vobiscum, alleluia. *Ant.* Hodie scietis quia veniet Dominus, et mane videbitis gloriam ejus. *Ant.* Crastina die, delebitur iniquitas terræ, et regnabit super nos Salvator mundi. *Ant.* Exspectetur sicut pluvia eloquium Domini, et descendit super nos sicut ros, Deus noster. *Antiph.* Crastina erit vobis salus, dicit Dominus exercituum. *Ant.* Magnificatus est, cujus vultum desiderat universa terra. *Ant.* Magnificatus est Rex pacificus super omnes reges universæ terræ.

In Evangelio.

Antiph. Orietur Sol, *ut supra.* *Ant.* Scitote, quia prope est regnum Dei; amen dico vobis quia non tardabit. *Ant.* Levate capita vestra, ecce appropinquavit redemptio vestra. *Ant.* Dum ortus fuerit Sol de cœlo, videbitis Regem regum procedentem a Patre tanquam sponsus de thalamo suo.

In vigilia Natalis Domini, ad Vesperas.

Vers. Tanquam sponsus. *Ant.* Dum ortus, *ut supra.* *Ad Invitator.* *Ant.* Christus natus est nobis. Venite. *Ant.* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psalm.* Quare fremuerunt gentes? Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. *Psal.* Cœli enarrant gloriam. *Ant.* Diffusa est gratia. [a] *Psal.* Eructavit. *Vers.* Tanquam sponsus.

Resp. unde supra.

Resp. Hodie nobis cœlorum Rex de Virgine nasci **742** dignatus est, ut hominem perditum ad regna cœlestia revocaret. Gaudet exercitus angelorum, quia salus æterna humano generi apparuit. *Vers.* Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gaudet. *Resp.* Hodie nobis de cœlo pax vera descendit, hodie per totum mundum melliflui facti sunt cœli. *Vers.* Gloria in excelsis Deo. Hodie per. *Resp.* Descendit de cœlis missus ab arce Patris. Introivit per aurem Virginis in regionem nostram, indutus stolam purpuream. Et exivit per auream portam lux et decus universæ fabricæ mundi. *Vers.* Tanquam sponsus Dominus procedens de thalamo suo. Indutus.

In secundo nocturno.

Antiph. Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui. *Psalm.* Magnus Dominus. *Ant.* Orietur in diebus Domini abundantia pacis, et dominabitur. *Psal.* Deus, judicium tuum Regi da. *Ant.* Veritas de terra orta est, et justitia de cœlo prospexit. *Psal.* Benedixisti, Domine. *Vers.* Diffusa est gratia.

Resp. unde supra.

Resp. Quem vidistis, Pastores, dicite? Annuntiate nobis in terris quis apparuit? Natum vidimus in choro angelorum Salvatorem Dominum. *Vers.* Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. Natum. *Resp.* O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum jacentem in præsepio! Beata Virgo, cujus viscera meruerunt portare Christum Dominum. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum et timui; consideravi opera tua, et expavi in medio duorum animalium. Jacentem. *Resp.* Beata Dei genitrix Maria, cujus viscera intacta permanent. Hodie genuit Salvatorem sæculi. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Hodie.

In tertio nocturno.

Antiph. Ipse invocabit me, alleluia. Pater meus es tu, alleluia, alleluia. *Psal.* Misericordias Domini in æternum. *Ant.* Lætentur cœli, et exsultet terra ante faciem Domini, quoniam venit. *Psal.* Cantate Domino. *Ant.* Notum fecit Dominus, alleluia, Salutare suum, alleluia, alleluia. *Psalm.* Cantate 2. *Vers.* Ipse invocavit me. *Resp.* Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus referam nescio, quia quem cœli capere non poterant, tuis gremiis contulisti. *Vers.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem. *Resp.* Beata viscera Mariæ virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, et beata ubera quæ lactaverunt Christum Dominum; quia hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est. *Vers.* Ave, Maria. Quia hodie. *Resp.* Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ecce de quo dicebam vobis: Qui post me venit ante me factus, cujus non sum dignus corrigiam calceamenti solvere. *Vers.* Hoc est testimonium quod perhibuit Joannes. *Resp.* Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, alleluia. *Resp.* Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo, **743** et de meis visceribus genui Deum et hominem. *Vers.* Beatam me dicent omnes generationes. Quia. *Vers.* Casta parentis viscera, cœlestis intrat gratia, venter puellæ bajulat, secreta quæ non noverat. *Resp.* Beata et venerabilis Virgo, quæ sine tactu pudoris, mater inventa est Salvatoris. Jacebat in præsepio, et fulgebat in cœlo. *Vers.* Domine, audivi au-

[a] Tres tantum Psalmi pro singulis nocturnis assignati probant Codicem Compendiensem non fuisse scriptum ad usum alicujus monasterii, ubi regula sancti Benedicti servaretur, cum juxta regulam hanc in singulis nocturnis sex Psalmi cani debeant. Cursum seu officium hic præscribi juxta ritum Ecclesiæ Romanæ suadere videtur conformitas cum Ordine Rom., quæ infra probatur in officio Paschæ.

ditum tuum, et expavi. Jacebat. *Resp.* Continet in gremium cœlum terramque regentem. Virgo Dei genitrix, proceres comitantur hæredem, per quos orbis ovans Christo sub principe pollens. *Vers.* Virgo Dei genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Per quem. *Resp.* Confirmatum est cor Virginis, in quo divina mysteria angelo narrante concepit, reforma [speciosum forma] præ filiis hominum castis suscepit visceribus; et benedicta in æternum Deum nobis protulit et hominem. *Vers.* Domus pudici pectoris templum repente fit Dei, intacta nesciens virum, Virgo concepit Filium. Deum. *Resp.* Nesciens mater Virgo virum, peperit sine dolore. Salvatorem sæculorum ipsum Regem angelorum, sola Virgo lactabat ubera de cœlo plena [ubere pleno]. *Vers.* Ave, Maria. *Vers.* Beata viscera. *Resp.* O Regem cœli cui talia famulantur obsequia! Stabulo ponitur qui continet mundum; jacet in præsepio et in cœlis regnat. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum, et timui. Consideravi opera tua, et expavi; in medio duorum animalium. Jacentem. *Resp.* In Patre manet æternitas, quia non peribit in matre virginitas; et per intactum corpus egressus, qui in salutem omnium natus est, invisibilis non dedignatus est carne nasci. Non dereliquit imperium. *Vers.* Tanquam sponsus Dominus. Non. *Resp.* Te laudant angeli, sancta Dei genitrix, quæ virum non cognovisti, et Dominum in tuo utero bajulasti. Concepisti per aurem Dominum nostrum, ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. *Vers.* Ipsum genuisti, quem in præsepe posuisti, quem adorat multitudo angelorum. Ut benedicta. *Resp.* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis. *Vers.* Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil. Et vidimus. *Resp.* Hodie Dominus ex utero Virginis nasci dignatus est, in quem regnandus egressus est ut nos redimeret. *Vers.* Hodie sæculorum Rex de Virgine natus apparuit. In quem. *Resp.* Hic est dies, in quo ad salvanda omnia lux orta est mundo, de qua nuntiante angelo impletum est utero Virginis. Natus est nobis Salvator omni populo, quem Regis gentium prophetæ attestati sunt. *Vers.* Natus est nobis, *ut supra*. *Resp.* Hic qui advenit nemo scit naturam ejus, nisi ipse solus. Vocatur Verbum Domini, habens vestem præclaram, et omnis chorus angelorum in albis sequuntur eum. *Vers.* Tanquam sponsus. Et omnis. *Item Vers.* Ecce advenit dominator Dominus; et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium. Habens. *Resp.* Ecce advenit dominator Dominus sempiternus, et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium. *Vers.* Et factus est principatus super humerum ejus. Et regnum.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Quem vidistis, pastores, dicite, annuntiate nobis in terris, quis apparuit. Natum vidimus in choro angelorum Salvatorem Dominum, alleluia, **744** alleluia. *Ant.* Genuit puerpera Regem, cui nomen æternum, et gaudia matris habens cum virginitate pudoris, nec primam similem visa est, nec habere sequentem, alleluia. *Ant.* Facta est cum angelo multitudo cœlestis exercitus laudantium et dicentium: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia. *Ant.* Angelus ad Pastores ait: Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus est nobis hodie Salvator mundi, alleluia. *Ant.* Parvulus filius hodie natus est nobis, et vocabitur Deus fortis, alleluia, alleluia. *Vers.* Benedictus qui venit.

In Evangelio.

Antiph. Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis, alleluia, alleluia. *Ant.* Ecce advenit dominator Dominus; et regnum in manu ejus, et potestas, et imperium, alleluia, alleluia. *Ant.* Dum medium silentium tenerent omnia, et nox in suo cursu iter ageret, omnipotens sermo tuus, Domine, a regalibus sedibus venit, alleluia. *Ant.* Virgo verbo concepit. *Ant.* Nesciens mater Virgo. *Ant.* Beatus venter qui te portavit, Christe; et beata ubera quæ te lactaverunt Dominum et Salvatorem mundi, alleluia. *Ant.* Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. Alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David. *Ant.* Virgo Dei genitrix quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Vera fide genitus purgavit crimina mundi, et tibi virginitas inviolata manet. *Ant.* Ecce de quo Joannes dixit: Christus natus est in Israel, et regni ejus non erit finis. *Ant.* Beata mater, et innupta Virgo gloriosa regina mundi.

Ad Tertiam.

Antiph. Verbum caro factum est, alleluia, alleluia. *Vers.* Et habitavit in nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Ipse invocavit me.

Ad Sextam.

Resp. Notum fecit Dominus, alleluia, alleluia. *Vers.* Salutare suum, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

Ad Nonam.

Resp. Revelabitur gloria Domini, alleluia, alleluia. *Vers.* Et videbit omnis caro Salutare Dei nostri, alleluia, alleluia. *Vers.* Notum fecit.

In die, ad Vesperas.

Antiph. Tecum principium in die virtutis tuæ, in splendoribus sanctorum. Ex utero ante luciferum genui te. [a] *Psalm.* Dixit Dominus. *Ant.* Redemptionem misit Dominus populum suum [populo suo]. Mandavit in æternum testamentum suum. *Psalm.* Confitebor tibi, Domine. *Ant.* Exortum est in tenebris lumen rectis corde, misericors et miserator et justus Dominus. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. *Psal.* De profundis. *Ant.* De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. *Psal.* Memento. *Vers.* Verbum caro factum est.

In Evangelio Antiphonæ.

Antiph. Lux orta est super nos, quia hodie natus est **745** Salvator, alleluia. *Ant.* Virgo hodie fidelis, etsi verbum genuit incarnatum, Virgo mansit et post partum, quem laudantes omnes dicimus: Benedicta tu in mulieribus. *Ant.* Gaudeamus omnes fideles: Salvator noster natus est in mundo. Hodie processit proli [proles] magnifici germinis, et perseverat pudor virginitatis, alleluia. *Ant.* Hodie Christus natus est. *Ant.* Hodie intacta. *Ant.* Magnum nomen Domini.

Ad Tertiam.

Resp. Puer natus est nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Et filius datus est nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Tecum principium.

Ad Sextam.

Resp. Verbum caro factum est, alleluia, alleluia. *Vers.* Et habitavit in nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

Ad Nonam.

Resp. Notum fecit Dominus, alleluia, alleluia. *Vers.* Salutare suum, alleluia, alleluia, *Vers.* Ipse invocavit me.

Ad Vesperas.

Resp. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Vers.* Deus Dominus, et illuxit nobis, alleluia, alleluia. *Vers.* Verbum caro factum est.

[a] Ex illorum Psalmorum designatione constat in majoribus saltem solemnitatibus alios olim Psalmos quam feriales fuisse cantatos.

In vigilia sancti Stephani martyris, ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum. *Antiph.* Beatus vir qui in lege Domini meditatur, voluntas ejus permanet die ac nocte, et omnia quæcunque faciet semper prosperabuntur. *Psal.* Ipsum *. *Ant.* Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psal.* Quare fremuerunt gentes. *Ant.* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine, tu exaltans caput meum; et exaudisti me de monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Vers.* Voce mea.

Resp. unde supra.

Resp. Lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum. *Vers.* Positis autem genibus Stephanus orabat, dicens : Domine Jesu. *Resp.* Videbant omnes Stephanum qui erant in concilio, et intuebantur vultum ejus, tanquam vultum angeli stantem inter illos. *Vers.* Stephanus autem plenus gratiæ et veritatis, faciebat prodigia et signa magna in populo. Et intuebantur. *Resp.* Video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris virtutis Dei. Domine Jesu, accipe spiritum meum, et ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt quid faciunt. *Vers.* Ejicientes eum extra civitatem lapidabant Stephanum invocantem et dicentem : Domine Jesu.

In secundo nocturno.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus Sanctum suum; Dominus exaudivit eum et constituit eum in pace. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Lætentur omnes qui sperant in te, Domine, quoniam tu benedices justo. Scuto bonæ voluntatis coronasti eum. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Ipsum. *Vers.* Gloria et honore.

746 *Responsoria.*

Resp. Stephanus plenus gratiæ et veritatis, faciebat prodigia et signa magna in populo. *Vers.* Stephanus vidit cœlos apertos, vidit et introivit. Faciebat. *Resp.* Stephanus servus Dei quem lapidabant Judæi, vidit cœlos apertos; vidit, et introivit; beatus homo cui cœli patebant. *Vers.* Stephanus autem plenus gratia et fortitudine, faciebat prodigia et signa magna in populo. Beatus homo cui. *Resp.* Hesterna die Dominus natus est in terris, ut Stephanus nasceretur in cœlis; ingressus est Dominus mundum, ut Stephanus ingrederetur in cœlis. *Vers.* Stephanus vidit cœlos apertos, vidit et introivit. Ingressus.

In tertio nocturno.

Antiph. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo, operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quis. *Ant.* Vitam petiit a te, et tribuisti ei, Domine; gloriam et magnum decorem imposuisti super eum. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psal.* Domine in virtute. *Ant.* Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo Salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

Resp. unde supra.

Resp. Intuens in cœlum beatus Stephanus vidit gloriam Dei, et ait : Ecce video cœlos apertos, et filium hominis stantem a dextris virtutis Dei. *Vers.* Vidit beatus Stephanus cœlos apertos, vidit et introivit. Ecce video. *Resp.* Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent; at ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ. *Vers.* Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia et signa magna in populo. Ut mereretur. *Resp.* Stephanus vidit cœlos apertos, vidit, et introivit; beatus homo cui cœli patebant. *Vers.* Positis autem genibus, Stephanus orabat, dicens : Domine Jesu Christe, accipe Spiritum meum. Beatus homo. *Resp.* Impetum fecerunt unanimes in eum; ejecerunt eum extra civitatem invocantem et dicentem : Domine, accipe spiritum meum. *Vers.* Positis autem genibus Stephanus orabat, dicens : Domine. *Resp.* Lapides torrentis illi dulces fuerunt, ipsum sequuntur omnes animæ justæ. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Ipsum. *Resp.* Patefactæ sunt januæ cœli Christi martyri beato Stephano, qui in numero sanctorum inventus est primus; et ideo triumphat in cœlis coronatus. *Vers.* Vidit beatus Stephanus cœlos apertos, vidit, et introivit. Et ideo.

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. Lapidaverunt Stephanum, et ipse invocabat Dominum, dicens : Ne statuas illis hoc peccatum. *Ant.* Lapides torrentis illi dulces fuerunt; ipsum sequuntur omnes animæ justæ. *Ant.* Adhæsit anima mea post te, quia caro mea lapidata est pro te, Deus meus. *Ant.* Stephanus vidit cœlos apertos; vidit, et introivit; beatus homo cui cœli patebant. *Ant.* Ecce video cœlos apertos, et Jesum stantem a dextris Dei.

In Evangelio.

Antiph. Stephanus autem plenus gratia et veritate, faciebat signa magna in populo. *Ant.* Positis genibus **747** Stephanus orabat dicens : Domine Jesu Christe, ne statuas illis hoc peccatum. *Ant.* Impii super justum jacturam fecerunt, ut eum morti traderent; at ille gaudens suscepit lapides, ut mereretur accipere coronam gloriæ, alleluia. *Ant.* Dicit Dominus, Saule, Saule, quid me persequeris? Martyrem meum Stephanum ego te faciam servo meo. *Ant.* Stephanus servus Dei quem lapidabant Judæi, vidit cœlos apertos, vidit, et introivit; beatus homo cui cœli patebunt. *Ant.* Impetum fecerunt unanimiter in eum, et ejicientes eum extra civitatem lapidabant invocantem et dicentem : Domine, suscipe spiritum meum. *Ant.* Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum. *Ant.* Patefactæ sunt januæ cœli Christi martyri beato Stephano, alleluia.

In vigilia sancti Joannis evangelistæ, ad Vesperas.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

Ad Invitatorium.

Antiph. In sanctorum confessorum.

In primo nocturno.

Antiph. In omnem terram. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Clamaverunt, *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Constitues, eos principes. *Psalm.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit; cui Christus in cruce matrem Virginem virgini commendabat. *Vers.* Mulier, ecce filius tuus; ad discipulum autem: Ecce mater tua. Cui Christus. *Resp.* In illa die suscipiam te, serve meus, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo, quoniam ego elegi te, dicit Dominus. *Vers.* In tribulatione invocasti me, exaudivi te, et liberavi te. Quoniam ego. *Resp.* Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus, et scribam super eum nomen tuum [meum], et nomen civitatis novæ Jerusalem. *Vers.* In illum diem suscipiam te, servo meo [serve meus]. Et scribam.

In secundo nocturno.

Antiph. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt

* Id est, idem psalmus *Beatus vir.*

opera Dei, et facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, orationem. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Responsoria.

Resp. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit hæc, et scimus quia verum est testimonium ejus. *Vers.* Valde honorandus est beatus Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit. *Resp.* Ecce honorandus es in conspectu meo. Coronavi te, dicit Dominus, noli timere, quia tecum sum semper et adjuvi te. *Vers.* In tribulatione. *Resp.* Iste est Joannes qui supra pectus Domini in cœna recubuit. Beatus apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. *Vers.* Iste est Joannes, cui Christus in cruce. *Vers.* Ecce puer meus electus quem elegi; posui super eum Spiritum meum. Beatus.

748 *In tertio nocturno.*

Antiph. Exaltabuntur cornua justi, allel. *Psalm.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, allel. rectis corde, alleluia, alleluia. *Psalm.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus et præcepta ejus alleluia. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt opera ejus.

Responsoria unde supra.

Respons. Iste est Joannes, cui Christus in cruce matrem Virginem virgini commendabat. *Vers.* Mulier, ecce filius. *Resp.* In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, et implevit eum Dominus Spiritus sapientiæ et intellectus. *Vers.* Misit Dominus manum suam, et tetigit os ejus. Et implevit. *Resp.* Cibavit illum panem vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit illum : et exsultavit [exaltavit] eum apud proximos suos. *Vers.* In medio Ecclesiæ aperuit os ejus. Et exsultavit. *Resp.* Ecce ego. *Resp.* Tollite. *Resp.* Fuerunt.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibuit, scimus quia verum est testimonium ejus. *Ant.* Hic est discipulus meus, sic eum volo manere donec veniam. *Ant.* Ecce puer meus electus quem elegi, posui super eum spiritum meum. *Ant.* Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant filium hominis in regno suo. *Ant.* Sic eum volo manere donec veniam. *Vers.* Justus ut palma florebit.

In Evangelio.

Antiph. In medio Ecclesiæ. *Ant.* Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit; beatus apostolus cui revelata sunt secreta cœlestia. *Antiph.* Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit, quem diligebat Jesus. *Antiph.* Iste est Joannes, cui Christus in cruce matrem Virginem commendabat. *Ant.* Virgo est electus a Domino, atque inter cæteros magis dilectus, allel. *Ant.* Virgo electus a Domino vir [Virgo] in ævum permansit, allel.

In vigilia Innocentum, ad Vesperas.

Vers. Justorum animæ. *Antiph.* Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine agni.

Ad Invitatorium.

Antiph. Mirabilem Dominum. *Ant.* Regem martyrum.

In primo Nocturno.

Antiph. In lege Domini fuit voluntas ejus die ac nocte. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Prædicans præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Sub altare Dei audivi voces occisorum; quare non defendis sanguinem nostrum? et acceperunt divinum responsum : adhuc sustinete modicum, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. *Vers.* Vidi sub altare Dei animas sanctorum, propter verbum Domini quod habebant, et clara voce **749** dicebant. Quare non. *Resp.* Effuderunt sanguinem sanctorum velut aquam in circuitu Jerusalem, et non erat qui sepeliret. *Vers.* Vindica, Domine, sanguinem servorum tuorum qui effusus est. In circuitu. *Resp.* Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini Dei sui. *Vers.* Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Mittentes.

In secundo nocturno.

Antiph. Filii hominum, scitote quia Dominus Sanctum suum mirificavit. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eum, Domine. *Psal.* Verba mea. *Ant.* In universa terra gloria et honore coronasti eos. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Isti sunt sancti qui passi sunt propter te Domine, vindica eos quia clamant ad te tota die. *Vers.* Vindica, Domine, sanguinem. *Resp.* Ecce vidi Agnum stantem supra montem Sion, et cum eo sanctorum millia. Et habebant nomen ejus, et nomen patris ejus scriptum in frontibus suis. *Vers.* In excelso throno vidi sedere virum. *Resp.* Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt, et non delebo nomina eorum de libro vitæ. *Vers.* Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt. Et non.

In tertio nocturno.

Antiph. Justus Dominus, et justitias dilexit, æquitatem vidit vultus ejus. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Habitabit in tabernaculo tuo, requiescet in monte sancto tuo. *Psalm.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Sanctis qui in terris sunt ejus, mirificavit omnes voluntates in eis. *Psalm.* Conserva me.

Responsoria unde supra.

Resp. Istorum est enim regnum cœlorum qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine agni. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt. *Resp.* Centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terris; hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim permanserunt; ideo regnant cum Deo, et Agnus Dei cum illis. *Vers.* Vidi supra montem Sion, Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quatuor millia. Hi sunt. *Vers.* Vide angelum Dei volantem. *Resp.* Viri sancti. *Resp.* Tradiderunt corpora. *Resp.* Verbera carnificum. *Resp.* Hæc est vera fraternitas. *Resp.* Sancti mei, qui.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Herodes iratus occidit multos pueros in Bethlehem Judæ civitate David. *Ant.* Angeli eorum semper vident faciem Patris. *Ant.* Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus, Rachel plorans filios suos. *Ant.* Sub throno Dei omnes sancti clamant : Vindica sanguinem nostrum, Deus noster. *Ant.* Cantabant sancti canticum novum, ante sedem Dei, et resonabat terra in voces illorum. *Vers.* Justi autem.

In Evangelio.

Antiph. Sinite parvulos venire ad me; talium est enim regnum cœlorum. *Ant.* Laverunt stolas suas, et candidas eas fecerunt in sanguine agni. *Ant.* A **750** bimatu et infra, occidit multos pueros Herodes propter Dominum. *Ant.* Ambulabunt mecum in albis, quoniam digni sunt; et non delebo nomina eorum de libro vitæ. *Ant.* Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, virgines enim sunt, et sequuntur agnum quocunque ierit. *Ant.* Innocentes pro Christo infantes occisi sunt. Ab iniquo Rege lactantes interfecti sunt. Ipsum laudantes agnum sine macula, et dicunt semper : Gloria tibi, Domine. *Ant.* Hi empti

sunt ex hominibus primitiæ Deo et agno, et in ore ipsorum non est inventum mendacium.

In vigilia Octavas Domini, ad Vesperas.

Vers. Tanquam Sponsus. *Ant.* O admirabile commercium! Creator generis humani animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est. Et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem natum Dominum venite adoremus. *Ant.* Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Elevâmini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. *Psal.* Domini est terra.

In secundo nocturno.

Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Homo natus est in ea, ipse fundavit eam Altissimus. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Exsultabunt omnia ligna silvarum ante faciem Domini, quoniam venit. *Psal.* Cantate Domino.

In tertio nocturno.

Antiph. In principio et ante sæcula, Deus erat verbum; ipse natus est hodie Salvator mundi. *Psal.* Dominus regnavit. 1. *Ant.* Ante luciferum genitus, et ante sæcula Dominus Salvator noster, hodie nasci dignatus est. *Psal.* Cantate Domino. 2. *Ant.* Nato Domino angelorum chorus canebat dicens : Salus Deo nostro sedenti super thronum et Agno. *Psal.* Dominus regnavit 2.

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. O admirabile commercium! *ut supra Antiph.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ : sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum; te laudamus, Deus noster. *Antiph.* Rubum quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem. Dei genitrix, intercede pro nobis. *Ant.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem. Te laudamus, Dei genitrix. *Ant.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes vidit et exclamabat dicens : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, alleluia. *Ant.* Mirabile mysterium declaratur hodie; innovantur naturæ, Deus homo factus est, in quo fuit [id quod fuit] permansit, et quod non erat assumpsit, non commistionem passus, neque divisionem. *Ant.* Magnum hæreditatis mysterium; templum Dei factus est uterus nescienti [virum] viro. Non est pollutus ex eo carnem assumens. Omnes gentes venient dicentes : gloria tibi, Domine. *Ant.* Beatus venter. *Ant.* Qui de terra est, **751** de terra loquitur, qui de cœlo venit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur, et testimonium ejus nemo accepit; qui autem acceperit ejus testimonium signatum, quia Deus verax est, allel.

In vigilia Epiphaniæ Domini ad Vesperas.

Vers. Omnes de Saba venient. *Ant.* Venit lumen tuum, Jerusalem, et gloria Domini super te orta est, et ambulabunt gentes in lumine tuo, alleluia.

Antiphonæ in primo nocturno.

Antiph. Afferte Domino, Filii Dei, adorate Dominum in aula sancta ejus. *Psal.* Ipsum. *Antiph.* Psallite Deo nostro, psallite; psallite Regi nostro, psallite sapienter. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Omnis terra adoret te, et psallat tibi, psalmum dicat nomini tuo, Domine. *Psal.* Jubilate. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus.

Responsoria.

Respons. Hodie in Jordane baptizato Domino aperti sunt cœli; et sicut columba super eum spiritus mansit, et vox Patris intonuit : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. *Vers.* Cœli aperti sunt, et vox Patris audita est. Hic est Filius. *Resp.* Omnes de Saba venient aurum et thus deferentes, et laudem Domino annuntiantes, alleluia, alleluia, alleluia. *Vers.* Reges Tharsis et Insulæ munera offerent, reges Arabum et Saba dona adducent, alleluia. *Resp.* Stella quam viderant Magi in Oriente antecedebat eos, donec venirent ad locum ubi puer erat. Videntes autem eam gavisi sunt gaudio magno. *Vers.* Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus, et procidentes adoraverunt eum. Gavisi sunt.

In secundo nocturno.

Antiph. Reges Tharsis et Insulæ munera offerent Regi Domino. *Psal.* Deus, judicium tuum. *Ant.* Omnes gentes quascunque fecisti venient, et adorabunt coram te, Domine. *Psal.* Inclina, Domine. *Ant.* Venite, adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster. *Psal.* Venite exsultemus.

Responsoria unde supra.

Resp. Interrogabat magos Herodes : Quod signum vidistis super natum Regem? Stellam magnam fulgentem, cujus splendor illuminat mundum; et nos cognovimus, et venimus adorare Dominum. *Vers.* Magi veniunt ab Oriente inquirentes faciem Domini, et dicentes. Et nos. *Resp.* Illuminare, illuminare, Jerusalem; venit lux tua, et gloria Domini super te orta est. *Vers.* Et ambulabunt gentes in lumine tuo, et reges in splendore ortus tui. Et gloria. *Resp.* Magi veniunt ab Oriente Jerosolymam quærentes et dicentes : ubi est qui natus est, cujus stellam vidimus, et venimus adorare Dominum. *Vers.* Magi veniunt ab Oriente inquirentes faciem Domini et dicentes. Ubi est?

In tertio nocturno.

Antiph. Fluminis impetus lætificat, alleluia, civitatem Dei, alleluia. *Psal.* Deus noster. *Ant.* Adorate Dominum, allel. in aula sancta ejus, alleluia, alleluia. *Psal.* Cantate 1. *Ant.* Adorate Dominum, allel. omnes angeli ejus, alleluia, alleluia. *Psal.* Dominus regnavit 1.

Responsoria.

Resp. Tria sunt munera pretiosa quæ obtulerunt **752** magi Domino in die ista; et habent in se divina mysteria : in auro ut ostendatur regis potentia, in thure sacerdotem magnum considera, et in myrrha Dominicam sepulturam. *Vers.* Reges Tharsis, *ut supra. Resp.* Dies sanctificatus illuxit nobis : venite, gentes, et adorate Dominum, quia hodie apparuit lux magna in terra. *Vers.* Venite adoremus eum, quia ipse est Dominus Deus noster. Quia hodie. *Resp.* Videntes stellam magi gavisi sunt gaudio magno, et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre ejus; et procidentes adoraverunt eum, et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham. *Vers.* Reges Tharsis. Aurum. *Resp.* Hic est dies præclarus, in quo Salvator mundo apparuit; quem prophetæ prædixerunt, angeli adoraverunt; cujus stellam magi videntes gavisi sunt, et munera ei obtulerunt. *Vers.* Et intrantes domum. Et munera. *Resp.* De paradiso vocatus currit cum gaudio, interrogatus ab avis. Quid festinas, Jordanis? Ut Christus baptizetur, et Joannes coronetur. *Vers.* Quid est tibi mare, quod fugisti, et tu Jordanis quia conversus es retrorsum? Ut Christus. *Resp.* Hodie cœli aperti sunt, et mare dulce factum est. Terra exsultat, montes et colles lætantur, quia a Joanne in Jordane Christus baptizatus est. *Vers.* Quid est tibi, mare. *Resp.* In columbæ specie Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est : Hic est Filius meus dilectus in quo mihi bene complacui; ipsum audite. *Vers.* Vox Domini super aquas, Deus Majestatis intonuit, Dominus super aquas multas. Paterna. *Vers.* Cœli aperti sunt. *Resp.* Pastores præ claritate luminis non

intuebantur videre angelum; magis turbabantur. Et facta est vox de cœlo dicens: Nolite timere; pax vobiscum. Ego sum Gabriel angelus ad Virginem missus. *Vers.* Annuntio vobis gaudium magnum quod erit omni populo. Ego sum. *Resp.* Stella fulgens in Oriente. Occurrunt Regi offerentes ei thesaurum magnum, aurum, thus, et myrrham. *Vers.* Reges Tharsis. *Resp.* Rex magnus natus est in Israel, et venerunt reges terræ adorare eum. Et obtulerunt ei munera aurum, thus et myrrham. *Vers.* Et intrantes domum. *Ut supra.* Et obtulerunt.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Ante luciferum genitus, et ante sæcula, Dominus Salvator noster hodie mundo apparuit. *Ant.* Tria sunt munera quæ obtulerunt magi Domino, aurum, thus, et myrrham, Filio Dei, Regi magno, alleluia. *Ant.* Apertis thesauris suis, obtulerunt magi Domino, aurum, thus et myrrham, alleluia. *Ant.* Maria et flumina, benedicite Domino, hymnum dicite, fontes, Domino, alleluia. *Ant.* Magi viderunt stellam, dixerunt ad invicem: hoc signum magnum [magni] Regis est, eamus et inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus, et myrrham. *Vers.* Omnes de Saba venient.

In Evangelio.

Antiph. Hodie cœlesti sponso juncta est Ecclesia, quoniam in Jordane lavit Christus ejus crimina. Currunt cum muneribus magi ad regales nuptias, et ex aqua facto vino lætantur convivæ, alleluia. *Ant.* Ordines angelorum videntes invisibilem venientem in aquis, timore perterriti cogitabant quomodo invisibilis Deus formam servi suscepit, et apparescens mundum illuminavit. Benedictus es, Domine Deus Israel. *Ant.* Clamabat **753** Joannes ad Dominum; tibi flectunt genu cœlestium, terrestrium, quomodo in me flectis verticem? Si enim præcipis angelis, baptizabunt. *Ant.* Ipsi enim ex pennis cooperiens vultus suos. Nam ego quomodo ausus? non possum, o Domine; formido, misericors. Et iterum compellit me jussio tua irreprehensibilis, Domine, gloria tibi. *Ant.* Videntes stellam magi gavisi sunt gaudio magno; et intrantes domum obtulerunt Domino aurum, thus et myrrham. *Ant.* Stella ista sicut flamma coruscat, et Regem regum Deum demonstrat. Magi eam viderunt, et Regi munera obtulerunt. *Ant.* Stella quam viderant magi antecedebat eos, donec veniret supra ubi erat puer. *Ant.* Ab Oriente venerunt magi in Bethlehem adorare Dominum; et apertis thesauris suis, pretiosa munera obtulerunt, aurum sicut regi magno; thus sicut Dominum verum [Domino vero]; myrrha sepultura ejus, alleluia. *Ant.* Omnes de Saba venient, aurum et thus deferentes, alleluia, alleluia. *Ant.* Omnes nationes venient a longe portantes munera sua, alleluia. *Ant.* Admoniti magi in somnis ab angelo, per aliam viam reversi sunt in regionem suam. *Ant.* Vidimus stellam ejus in Oriente, et venimus cum muneribus adorare Dominum. *Ant.* Magi viderunt stellam, obtulerunt Domino aurum, thus et myrrham. *Ant.* [Deest. *Ant.* in Ms.] Lux de luce apparuisti, Christe, cui magi munera offerunt, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Venient ad te qui detrahebant tibi, et adorabunt vestigia pedum tuorum.

Antiphonæ in Octavas Theophaniæ, ad Matutinas.

Antiph. Veterem hominem renovans Salvator venit ad baptismum, ut naturæ quæ corrupta est per aquam recuperaret incorruptibili [*Forte* incorruptibilitatem], vestem circumamictans nobis. *Ant.* Te qui in spiritu et igne purificas humana contagia, Deum et Redemptorem omnes glorificamus. *Ant.* Baptista contremuit et non audet tangere Sanctum tuum, sed clamat cum tremore: Sanctifica, me, Salvator. *Ant.* Caput draconis Salvator contrivit in Jordane flumine; ab ejus potestate omnes eripuit. *Ant.* Magnum mysterium declaratur hodie, quia Creator omnium in Jordane expurgat nostra facinora. *Ant.* Præcursor Joannes exsultat cum in Jordane baptizato Domino facta est orbis terrarum exsultatio, facta est peccatorum nostrorum remissio sanctificans aquas. Ipsi omnes clamemus Miserere nobis. *Ant.* Baptizat miles Regem, servus Dominum suum, Joannes Salvatorem. Aqua Jordanis stupuit, columba protestata est, paterna vox audita est: Hic est Filius meus. *Ant.* Cœli aperti sunt super eum, et vox facta est de cœlo dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui. *Ant.* Vox de cœlo sonuit, et vox Patris audita est: Hic est Filius meus in quo mihi complacui, ipsum audite.

Antiphonæ ad crucem, vel ad fontes.

Antiph. Aqua comburit peccatum hodie, apparens Liberator et roret omnem mundum divinitatis ope. *Ant.* Pater de cœlo Filium testificat, Spiritus sancti præsentia advenit, unum edocens qui baptizatur Christus. *Ant.* Baptizatur Christus et sanctificatur omnis mundus, et tribuit nobis remissionem peccatorum. Aqua et Spiritu omnes purificamur. *Ant.* Super ripam Jordanis stabat beatus Joannes; indutus est splendore baptizans Salvatorem. Baptiza me, Joannes. Baptizo, benedico te, et tu, Jordanis, congaudens suscipe me. *Ant.* Peccati aculeo [*Leg.* aculeus] **754** contereretur hodie, baptizato Domino; et nobis data est regeneratio. *Ant.* Fontes aquarum sanctificati sunt, Christo apparente in gloria orbis terrarum. Haurite aquas de fonte Salvatoris; sanctificavit enim nunc omnem creaturam Christus Deus noster. *Ant.* Christo datus est principatus, et honor regni. Omnis populus, tribus et linguæ servient ei in æternum. *Ant.* Prædicator veritatis timorem supplex præceptum Domini sine peccato baptizare dubitabat, et ad eum respondebat: te Redemptorem scio; tu me, Salvator, sanctifica cum eos [*Leg.* eis] qui in fide sunt clamant tibi: Benedictus es, Domine Deus noster.

Antiphonæ in Evangelio per Dominicas. — Dominica prima post Epiphaniam.

Antiph. Fili, quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse. *Ant.* Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus.

Dominica secunda.

Antiph. Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ, et erat ibi Jesus cum Maria matre ejus. *Ant.* Deficiente vino jussit Jesus implere hydrias aqua [aquis] quæ in vino conversæ sunt, alleluia. *Ant.* Omnis homo primum. *Ant.* Hoc signum fecit Jesus primum coram discipulis suis. *Ant.* Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. *Ant.* Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Dominica tertia.

Antiph. Cum autem descendisset Jesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum tetigit eum dicens: Volo, mundare. *Ant.* Domine, si tu vis, potes me mundare. Et ait illi Jesus: Volo, mundare. *Ant.* Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam et curabo eum. *Ant.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Ant.* Multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum.

Dominica quarta.

Antiph. Abeunte Jesu in navicula, ecce motus magnus factus in mari. Et suscitaverunt eum discipuli ejus, dicentes; Domine, salva nos, perimus. *Ant.* Domine, salva nos, perimus; impera et fac,

Deus, tranquillitatem. *Ant.* Domine, salva nos, perimus; impera et fac, Deus, tranquillitatem. Porro homines cum vidissent quod fecerat signum, dicebant: Qualis est hic, quia et ventis imperat, et obediunt ei? *Ant.* Modicæ fidei, quare dubitasti? Quia ego tecum sum, dicit Dominus. *Ant.* Surgens Jesus imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna, et mirati sunt universi. *Ant.* Illi autem homines videntes signa quæ faciebat Jesus, mirabantur, et dicebant ad invicem: Quis est hic? [ventis et mari imperat et] Et mari obediunt ei.

Dominica quinta.

Antiph. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait **755** illis Jesus: Hoc fecit inimicus homo. *Ant.* Si vis, imus et colligimus ea. Et ait illis Jesus: Non, ne forte colligentes zizania. *Ant.* [Cætera desunt in Ms.] In tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum; triticum autem congregate in horreum meum. *Resp.* Vere famulus Dei, in quo dolus non est inventus, qui dum esset summus pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia desiderans, ideoque in humilitate positus Domini Jesu Christi confessor effectus est. *Vers.* Non est inventus similis illi qui conservaret legem excelsi. Ideoque. *Vers.* Qui dum esset summus pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

De Purificatione sanctæ Mariæ. — In Vigilia, ad Vesperas.

Vers. Responsum accepit Simeon. *Ant.* Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace.

Incipiunt Antiphonæ et Responsoria de Purificatione sanctæ Mariæ. — Ad Invitatorium.

Antiph. Regem virginum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatem [suavitatis], sancta Dei Genitrix. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis, frequentate nobis dulcia cantica drammatis. *Psalm.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua.

Responsoria unde supra.

Resp. Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe Regem Christum, quem Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo post partum, quem genuit adoravit. *Vers.* Accipiens Simeon in manibus, gratias agens, benedixit puerum Dominum. Quem Virgo. *Resp.* Senex puerum portabat, puer autem senem regebat; quem Virgo, *ut supra.* *Vers.* Accipiens Simeon. Quem Virgo. *Resp.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini. *Vers.* Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace, quia viderunt oculi mei Salutare tuum.

In secundo nocturno.

Antiph. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum, habitatio est in te, sancta Dei Genitrix. *Psal.* Fundamenta ejus. *Vers.* Diffusa est gratia.

Responsoria.

Resp. Suscipiens Jesum in ulnas suas Simeon, exclamavit, et dixit: Tu es vere lumen ad illuminationem Gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. *Vers.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini. Ad illuminationem. *Resp.* Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto non visurum se mortem nisi videret Christum Domini. Et benedixit eum et dixit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace; quia viderunt oculi mei Salutare tuum, Domine. *Vers.* Lumen ad revelationem gentium, et **756** gloriam plebis tuæ Israel. Quia viderunt. *Resp.* Videte miraculum, matrem Domini. Concepit Virgo virilem [virile] ignorans consortium. Stans honorata nobili onere Maria, matrem se Dei cognoscit, quæ se nescit uxorem. *Vers.* Casta parentis viscera cœlestis intrat gratia; venter puellæ bajulat secreta quæ non noverat. Et matrem.

In tertio nocturno.

Antiph. Hæc est quæ nescivit thorum in delicto; habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Psalm.* Cantate 1. *Ant.* Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix. *Psal.* Dominus regnavit. Exsultet. *Ant.* Post partum virgo inviolata permansisti; sancta Dei Genitrix, intercede pro nobis. *Psal.* Cantate 2. *Vers.* Adjuvabit eam. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Beata es, Maria, quæ omnium portasti Creatorem mundi. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes virgo. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena. Genuisti. *Resp.* Benedicta et venerabilis, Virgo Maria, cujus viscera meruerunt portare Dominum Christum. *Vers.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Cujus *Resp.* Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis archangeli dictis credidisti; dum virgo Deum et hominem genuisti, et post partum virgo inviolata permansisti. *Vers.* Gabrielem archangelum credimus divinitus tibi esse affatum. Uterum tuum de Spiritu sancto credimus imprægnatum. Erubescat Judæus infelix, qui dicit Christum ex Joseph semine esse natum. Dum Virgo. *Resp.* Simeon justus et timoratus exspectans redemptionem Israel, et Spiritus sanctus erat in eo. *Vers.* Accipiens Simeon, *ut supra.* *Vers.* Responsum acceperat, *ut supra.* *Resp.* Tolle puerum et matrem ejus, et vade in terram Judam; defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. *Vers.* Venit angelus Domini ad Joseph in somnis, dicens. Defuncti. *Resp.* Cum essem puella in domo patris mei, desponsavit me vir Judæus, et amavit me Christus Deus. *Vers.* Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Et amavit me. *Resp.* Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. *Vers.* Lumen ad revelationem.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Dominum. *Ant.* Accipiens Simeon puerum in manibus, gratias agens benedixit Dominum. *Ant.* Revertere in terram Judam; mortui sunt enim qui quærebant animam pueri. *Ant.* Obtulerunt pro eo Domino par turturum, aut duos pullos columbarum. *Ant.* Simeon justus et timoratus exspectabat redemptionem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo. *Vers.* Responsum accepit Simeon.

In Evangelio.

Antiph. Simeon puerum portabat, puer autem senem regebat. Quem Virgo peperit, et post partum virgo permansit. Ipsum quem genuit adoravit. *Ant.* Tolle puerum et matrem ejus, et vade in terram Juda. *Ant.* Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace. Quia quod parasti ante faciem omnium populorum. *Ant.* Lumen ad revelationem gentium, **757** et gloriam plebis tuæ Israel. *Ant.* Cum inducerent puerum Jesum, *ut supra.* *Ant.* Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia, coram Deo et hominibus.

Responsoria in natali sancti Valentini.

Resp. Per beatum Valentinum fiunt hic divina mysteria. Per Orationes ejus cæci illuminantur, et natale ejus dæmoni [in natali ejus dæmonia] effugan

tur, et infirmi sanantur. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et natali. *Resp.* Beatus Valentinus Asterio tribuno dixit : Tu crede unum esse Deum, et salva erit filia tua. *Vers.* Si dictis factis compensas, faciam quæ oraveris. Tu crede.

Antiphonæ in eodem.

Antiph. Beata progenies unde Christus natus est, quam gloriosa est Virgo, quæ cœli Regem genuit, *ut sup. Ant.* Sanctus Valentinus Asterio tribuno dixit : Tu crede unum esse Deum, et salva erit filia tua. *Ant.* Beatus Valentinus dedit Orationem dicens : Deus qui dispersa congregas, et congregata separas, auge fidem et fiduciam servis tuis. Per Christum Dominum nostrum.

(*Desunt quatuor lineæ in Ms.*)

Responsoria cum Alleluia in Septuagesima.

Resp. Alleluia. Dum præsens est imitantur illam, et desiderant eam dum se eduxerit, et in perpetuum coronata triumphat ante Dominum, allel. *Vers.* Sola namque tenes principatum in conspectu Domini; propterea revertere in thesauros tuos. Ante. *Resp.* Multiplicantur a Domino anni tui, alleluia. Per viam sapientiæ incedas, et per semitam justitiæ revertaris ad nos, alleluia, allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra.* Et per semitam. *Resp.* Allel. Revertere in thesauros tuos, te benedicent angeli, allel., allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra.* Te benedicent. *Resp.* Allel. Sola tenes principatum in conspectu Domini; propterea revertere in thesauros tuos, te benedicent angeli, quia placuisti Domino, allel., allel. *Vers.* Angelus Domini bonus comitetur tecum, et bene disponat itinere tuo. Quia placuisti. *Resp.* Angelus Domini bonus comitetur tecum, allel. ; et bene disponat itinere tuo, ut iterum cum gaudio revertaris ad nos, allel. allel. *Vers.* Sola namque, *ut supra.* Ut iterum. *Resp.* Allel. Delectatio bona in operibus manuum illius, divitiæ multæ, allel., allel. *Vers.* Speciosa facta est et suavis in deliciis suis. Divitiæ. *Resp.* Allel. Nomen bonum melius est quam divitiæ multæ. Super aurum et argentum gratia bona est, allel. allel. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum ori meo, *ut sup. Resp.* Judica judicium meum et redime me, allel. ; a calumniantibus me, allel. *Vers.* Vide humilitatem meam et eripe me. A calumniantibus. *Resp.* Allel. Mane apud nos hodie, et crastina proficisceris, allel.; et dum ortus fuerit dies, ambulabis via tua, allel., allel. *Vers.* Angelus Domini, *ut supra.*

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. Quem vidistis, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel , allel., allel., allel. *Ant.* Puer Jesus proficiebat, allel., allel., allel., allel., allel. **758** *Ant.* Omnes sitientes, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Germinavit radix Jesse, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Benedicat terra Dominum, et omnia nascentia hymnum dicant, allel., allel., allel. *Ant.* Apertis thesauris suis, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* In Domino laudabitur anima mea, alleluia, alleluia, alleluia, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Allel. Sola tenes principatum in conspectu Domini, propterea revertere in thesauros tuos, te benedicent angeli, alleluia, alleluia.

(*Desunt quatuor lineæ in Ms.*)

Antiphonæ in Evangelio infra hebdomadam.

Antiph. Simile erit regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. *Ant.* Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. *Antiph.* Circa undecimam vero horam exiit paterfamilias foras, et invenit alios in foro otiosos, et dixit illis : Ite et vos in vineam meam. *Ant.* Dicit paterfamilias operariis suis : Quid hic statis tota die otiosi? At illi respondentes dixerunt, Quia nemo nos conduxit. Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. *Ant.* Quid hic statis tota die otiosi? Ite et vos in vineam meam. *Ant.* Quid hic statis tota die otiosi? Responderunt et dixerunt : Nemo nos conduxit. *Ant.* Cum autem sero esset factum, cœpit paterfamilias suis mercedem dare cultoribus, incipiens a novissimis usque ad primos. *Ant.* Voca operarios, et redde illis mercedem suam, dicit Dominus. *Ant.* Illi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et æstus. *Ant.* Dicit autem paterfamilias : Amice, non facio tibi injuriam ; nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. *Ant.* Amice, non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. *Ant.* Tolle quod tuum est et vade, quia ego bonus sum, dicit Dominus. *Ant.* Non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum? dicit Dominus. *Antiph.* Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi ; multi enim sunt vocati, pauci vero electi. *Ant.* Erunt primi novissimi, et novissimi primi ; multi enim sunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus. *Ant.* Multi erunt primi novissimi, et novissimi primi, dixit Jesus discipulis suis. *Ant.* Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus.

Incipiunt Responsoria in Sexagesimam. — Ad invitatorium.

Antiph. Præoccupemus faciem Domini, et in Psalmis jubilemus ei.

Responsoria unde supra.

Resp. In principio fecit Dominus cœlum et terram, et creavit in ea hominem ad imaginem et similitudinem suam. *Vers.* Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. Ad imaginem. *Resp.* In principio fecit Deus cœlum et terram, et creavit in ea hominem ad imaginem et similitudinem suam. *Vers.* Igitur perfecti sunt cœli et terræ, et omnis ornatus eorum. **759** Ad imaginem. *Resp.* Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ ; et factus est homo in animam viventem. *Vers.* Plantaverat autem Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominem quem formavit. Et factus est. *Resp.* Tulit ergo Dominus hominem, et posuit eum in paradisum voluptatis, ut operaretur et custodiret illum. *Vers.* Formavit igitur, *ut supra.* *Resp.* Dixit Dominus Deus, non est bonum hominem [esse] solum. Faciamus ei adjutorium similem sibi. *Vers.* Adæ vero non inveniebatur similem [simile] sibi. Dixit vero Deus, Faciamus. *Resp.* Immisit Dominus soporem in Adam, et tulit unam de costis ejus, et ædificavit costam quam tulerat Dominus in mulierem, et adduxit eam ad Adam ut videret quid vocaret eam. Et vocavit eam virago, quia de viro sumpta est. *Vers.* Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea. Et vocavit. *Resp.* Dixit Dominus ad Adam : De ligno quod est in medio paradisi ne comedas, in qua hora comederis, morte morieris. *Vers.* Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas. In qua hora. *Resp.* Dum ambularet Dominus in paradisum, ad auram, post meridiem, clamavit, et dixit : Adam, ubi es? Audivi, Domine, vocem tuam, et abscondi me. *Vers.* Domine, audivi auditum tuum et timui, consideravi opera tua et expavi. Et abscondi. *Resp.* In sudore vultus tui vesceris panem tuum, dixit Dominus ad Adam ; cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos, sed spinas et tribulos germinabit tibi. *Vers.* Pro eo quod obedisti [obaudisti] vocem uxoris tuæ plusquam me, maledicta terra in opere tuo. Non dabit fructus. *Resp.* Ecce Adam quasi [unus] ex nobis factus est, sciens bonum et malum. Videte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in æternum

Vers. Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam lignum vitæ. Videte. *Resp.* Ubi est Abel frater tuus? dixit Dominus ad Cain. Nescio, Domine, nunquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecisti? Ecce vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. *Vers.* Maledicta terra in opere tuo, quæ aperuit os suum et suscepit sanguinis [sanguinem] fratris tui de manu tua. Ecce vox.

In matutinis.

Antiph. Miserere mei, Deus, et a delicto meo munda me, quia tibi soli peccavi. *Ant.* Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me. *Ant.* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo; quia factus es adjutor meus. *Ant.* Benedictus es in firmamento cœli, et laudabilis in sæcula, Deus noster. *Ant.* Laudate Dominum de cœlis.

In Evangelio.

Antiph. Semen cecidit in terram bonam, et attulit fructum in patientia. *Ant.* Semen cecidit in terram bonam, et tulit fructum aliud centesimum, et aliud sexagesimum. *Ant.* Jesus hæc dicens clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat. *Ant.* Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis, dixit Jesus discipulis suis. *Ant.* Qui verbum Dei retinet, corde perfecto et optimo, fructum afferet in patientia. *Ant.* Si vere, fratres, divites esse cupitis, veras divitias amate. *Ant.* Si culmen veri honoris quæritis, ad illam cœlestem patriam quantocius properate.

760 *Responsoria in Quinquagesimam. — Ad Invitatorium.*

Antiph. Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnem terram.

Responsoria.

Resp. Quadraginta dies et noctes aperti sunt cœli, et ex omni carne habentem [habentium] spiritum vitæ ingressi sunt in arcam. Et clausit a foris ostium Dominus. *Vers.* Noe vero et uxor ejus et uxores filiorum ejus. Ingressi. *Resp* Dixit Dominus ad Noe: Finis universæ carnis venit coram me; repleta est terra iniquitate eorum, et ego disperdam eos cum terra. *Vers.* Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansiunculas in arca facies. Repleta. *Resp.* Noe vir justus atque perfectus cum Deo ambulavit, et fecit omnia quæcunque præcepit ei Deus. *Vers.* Et fecit sibi Noe arcam ut salvaretur cum universo semine. *Resp.* Ponam arcum meum in nubibus cœli, dicit Dominus ad Noe, et recordabor fœderis mei quod pepigi tecum. *Vers.* Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus. *Resp.* Per memetipsum juravi, dicit Dominus, non adjiciam ultra aquas diluvii super terram. Pacti mei recordabor, ut non perdam aquis diluvii omnem carnem. *Vers.* Ponam arcum meum in nubibus cœli, et jurabo per dexteram meam. *Resp.* Ædificavit Noe altare Domino, offerens super illud holocaustum: odoratus est Dominus odorem suavitatis, et benedixit eis; crescite, et multiplicamini, et replete terram. *Vers.* Ecce ego statuam pactum meum vobiscum, et cum semine vestro post vos. Crescite.

Responsoria de Abraham.

Resp. Locutus est Dominus ad Abraham dicens: Egredere de terra, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi, et faciam te crescere in gentem magnam. *Vers.* Benedicens benedicam tibi et multiplicabo te. Et faciam te. *Resp.* Apparuerunt tres viri Abraham ad flumen [ilicem] Mambre, et dixit ad eos: Domine, si inveni gratiam in oculis tuis, transite et requiescite in loco isto. *Vers.* Auferam pauxillum aquæ, et laventur pedes vestri. Et requiescite. *Resp.* Dum staret Abraham ad radicem Mambre, vidit tres pueros descendentes per viam: tres vidit et unum adoravit. *Vers.* Dixit Dominus ad Abraham: Ecce Sara uxor tua pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Isaac. Tres vidit. *Resp.* Tentavit Deus Abraham, et dixit ad eum: Tolle filium tuum quem diligis Isaac, et offeres illum ibi holocaustum super unum montium quem dixero tibi. *Vers.* Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. *Resp.* Angelus Domini vocavit Abraham dicens: Ne extendas manum tuam super puerum, eo quod timeas Dominum. *Vers.* Et benedicentur in te omnes tribus terræ. Eo quod. *Resp.* Vocavit angelus Domini Abraham de cœlo dicens: Benedicam tibi, et multiplicabo te sicut stellas cœli. *Vers.* Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedesti voci meæ. Et multiplicabo. *Resp.* Deus Domini mei Abraham, dirige viam meam, ut cum salute revertar in domum Domini mei. *Vers.* Angelus qui fuit cum Abraham, ipse sit et mecum. *Vers.* Deus in cujus conspectu ambulaverunt Patres mei, Domine qui pascis me a juventute mea. Ut cum salute. *Resp.* Veni hodie ad fontem aquæ, et oravi Dominum, **761** dicens: Domine Deus Abraham, tu prosperum fecisti desiderium meum. *Vers.* Igitur puella cui dixero: Da mihi aquam de hydria tua ut bibam, et illa dixerit: Bibe, Domine, et camelis tuis potum tribuam, ipsa est quam præparavit Dominus filio Domini mei. Domine Deus. *Resp.* Cæcus sedebat secus viam, transeunte Domino, et exclamavit ad eum. Ait illi Dominus: Quid vis faciam tibi? Rabboni, ut videam lumen. *Vers.* Et qui præibant increpabant eum ut taceret, at ille magis ac magis clamabat: Rabboni. *Resp.* Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam et curabo eum. *Vers.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Amen dico.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Secundum multitudinem miserationum tuarum, Domine, dele iniquitatem meam. *Antiph.* Deus meus es tu, et confitebor tibi: Deus meus es tu, et exaltabo te. *Antiph.* Ad te de luce vigilo, Deus, ut videam virtutem tuam. *Ant.* Hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula. Benedicite. *Ant.* Omnes angeli ejus, laudate Dominum de cœlis.

In Evangelio.

Ant. Iter faciente Jesu [cum] deambularet Jericho, cæcus clamabat ad eum, ut lumen recipere mereretur. *Ant.* Transeunte Domino, clamabat cæcus ad eum: Miserere mei, fili David. *Ant.* Miserere mei, fili David. Quid vis faciam tibi? Domine, ut videam. *Antiph.* Et qui præibant increpabant eum, ut taceret; ipse autem magis ac magis clamabat: Fili David, miserere mei. Cæcus sedebat, secus viam et clamabat: Miserere mei, fili David. *Ant.* Quid vis faciam tibi? Domine, ut videam. Ait Jesus: Vade, fides tua te salvum fecit. *Ant.* Cum audiret quod Jesus Nazarenus transiret, clamabat dicens: Jesu fili David, miserere mei.

Feria secunda.

Ant. Cæcus magis ac magis clamabat, ut eum Dominus illuminaret. *Ant.* Omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Feria tertia.

Antiph. Domine, puer meus jacet paralyticus in domo, et male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam et curabo eum. *Ant.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. *Ant.* Domine, si tu vis, potes me mundare, et ait Jesus: Volo, mundare.

Feria quarta.

Antiph. Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. *Ant.* Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea exterminat. *Antiph.* Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.

Feria quinta.

Antiph. Me etenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt. *Ant.* Quare jejunavimus et non aspexisti, humiliavimus animas nostras, et nescisti?

762 *Feria sexta.*

Antiph. Cum facis eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. *Ant.* Nesciat sinistra tua quid faciat dextra tua. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et clauso ostio ora Patrem tuum.

Sabbato.

Antiph. Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum. *Ant.* Quis scit si convertatur et ignoscat Deus, et relinquat post se Benedictionem. *Ant.* Orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est, dicit Dominus. *Ant.* Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.

Responsoria de initio Quadragesimæ. Ad invitatorium.

Antiph. In manu tua, Domine, omnes fines terræ. *Item Ant.* Si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.

Responsoria unde supra.

Resp. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ virtutis Dei. *Vers.* In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum. Per arma. *Resp.* Paradisi portas aperuit nobis jejunii tempus. Suscipiamus illud orantes et deprecantes, ut in die Resurrectionis cum Domino gloriemur. *Vers.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis; nemini dantes ullam offensionem Ut in dic. *Resp.* Emendemus in melius quæ ignoranter peccavimus, ne subito præoccupati die mortis quæramus spatium pœnitentiæ, et invenire non possimus. Attende, Domine, et miserere, quia peccavimus tibi. *Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniqui atem fecimus. Attende. *Resp.* In jejunio et fletu orabant sacerdotes, et dicentes: Parce, Domine, parce populo tuo, et ne des hæreditatem tuam in perditionem. *Vers.* Inter vestibulum et altare plorabant sacerdotes, dicentes: Parce. *Resp.* In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros, in multa patientia, ut non vituperetur ministerium nostrum. *Resp.* Ecce nunc tempus, *ut supra.* Ut non vituperetur. *Resp.* Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et ipsa orabit pro vobis ad Dominum, quia sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna exstinguit peccatum. *Vers.* Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da pauperibus. Quia sicut. *Resp.* Tribularer si nescirem misericordias tuas, Domine; tu dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, qui Chananæam et publicanum vocasti ad pœnitentiam. *Vers.* Et Petrum lacrymantem Dominus suscepit, misericors Dominus. Qui Chananæam. *Resp.* Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Vers.* Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem. In manibus. *Resp.* Pater, peccavi in cœlum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Fac me sicut unum ex mercenariis tuis. *Vers.* Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo? Surgam et ibo ad Patrem meum, et dicam ei: Fac me. *Resp.* In te, **763** Domine, sperent omnes animæ, dicentes: Cito Deus miserebitur nostri, quia tu, Domine, locutus es dicens: Gaudeo [magis] super unum pœnitentem quam supra nonaginta novem justos qui non indigent pœnitentia. *Vers.* Invoca me in die tribulationis tuæ. Eripiam te et magnificabis me. Peccatori autem dixit Deus: Gaudeo. *Resp.* Dicam Deo: Susceptor meus es; Deus meus, sperabo in eum, quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, et a verbo aspero. *Vers.* Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis a timore nocturno. Deus meus. *Resp.* Scapulis suis obumbrabit tibi, et sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus. *Vers.* Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris ejus. Scuto.

In Matutinis.

Antiph. Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. *Antiph.* O Domine, salvum me fac, o Domine, bene prosperare. *Ant.* Sic benedicam te in vita mea, et in nomine tuo levabo manus meas. *Ant.* In spiritu humilitatis, et in anima contrita suscipiamur, Domine, ad te: et sic fiat sacrificium nostrum, ut ad te suscipiamur hodie, et placeat tibi, Domine Deus. *Ant.* Laudate Deum, cœli cœlorum et aquæ omnes.

In Evangelio.

Antiph. Ductus est Jesus in desertum, ut tentaretur a diabolo, et cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. *Ant.* Jesus autem cum jejunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. *Ant.* Et accedens tentator, [ait] Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. *Ant.* Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. *Antiph.* Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo Dei. *Ant.* Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit ei [eum] super pinnaculum templi et dixit ei: Si Filius Dei es, mitte te deorsum. *Ant.* Tentans diabolus Dominum, ostendit ei omnia regna mundi, et gloriam eorum: Hæc omnia tibi dabo, si procedens adoraveris me. *Ant.* Vade, Satanas, non tentabis Dominum Deum tuum. *Ant.* Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. *Ant.* Reliquit eum tentator, et angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Antiphonæ [a] *de apostolis.*

Antiph. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. In his ergo diebus exhibeamus nos sicut Dei ministros in multa patientia, in jejuniis et vigiliis, et in charitate non ficta. *Ant.* Commendemus nosmetipsos in multa patientia, in jejuniis multis, per arma justitiæ. *Ant.* Per arma justitiæ virtutis Dei commendemus nosmetipsos in multa patientia. *Ant.* Advenerunt nobis dies pœnitentiæ ad redimenda peccata, sed [ad] salvandas animas. *Ant.* Agite pœnitentiam, appropinquavit regnum cœlorum.

Feria secunda.

Antiph. Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. *Ant.* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, dicit Dominus.

764 *Feria tertia.*

Antiph. Scriptum est enim quia domus mea domus Orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. *Ant.* Domus mea domus Orationis vocabitur.

Feria quarta.

Antiph. Hosanna Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini. *Ant.* Generatio hæc prava et perversa signum quærit; et signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ prophetæ. *Ant.* Sicut fuit Jonas in ventre ceti, tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ. *Ant.* Sedere autem mecum, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Feria quinta.

Antiph. Dixit Dominus mulieri Chananeæ: Non

[a] Forte *de Apostolo*, quia sicut superiores Antiphonæ ex Evangelio sunt collectæ, unde dicuntur *in Evangelio*, ita istæ dici possint *de Apostolo*, quia ex Epistola Pauli depromptæ, saltem plurimæ.

est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus ad manducandum. Utique, Domine, nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Ait illi Jesus: Mulier, magna est fides tua; fiat tibi sicut petisti. *Ant.* Mulier, non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus. Utique, Domine; nam et catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. *Ant.* O mulier! magna est fides tua. Fiat tibi sicut petisti. *Ant.* Vade, mulier, semel tibi dixi, si credideris, videbis mirabilia Dei.

Feria sexta.

Antiph. Angelus Domini descendit de cœlo. Movebatur aqua, et sanabatur unus. *Ant.* Domine, non habeo hominem, ut dum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. *Ant.* Qui me salvum fecit, ille mihi præcepit: Tolle grabatum tuum, et ambula in pace. *Ant.* Vade, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Ant.* Assumpsit Jesus discipulos suos, ascendit in montem, et transfiguratus est ante eos. *Ant.* Domine, bonum est nos hic esse. Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliæ unum. *Ant.* Domine, non habeo hominem ut, cum mota fuerit aqua, mittat me in piscinam. *Ant.* Domine, si vis, faciamus hic tria tabernacula. *Ant.* Descendentibus illis de monte præcepit Jesus dicens: Nemini dixeritis visionem. *Ant.* Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat. *Ant.* Visionem quam vidistis nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat Filius hominis.

Responsoria in hebdomada secunda in Quadragesima.
Ad Invitatorium.

Antiph. Adoremus Deum, quia ipse fecit nos. *Item Ant.* Dominum qui fecit nos, venite, adoremus.

Responsoria.

Resp. Tolle arma tua, pharetram, et arcum, et affer de venatione tua, ut comedam; et benedicat tibi anima mea. *Vers.* Cumque venatu aliquid attuleris, fac mihi inde pulmentum ut comedam. Et benedicat. *Resp.* Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, **765** quem benedixit Dominus. Crescere [te] faciat Deus meus sicut arena maris, et donet tibi de rore cœli Benedictionem. *Vers.* Qui maledixerit tibi sit ille maledictus; et qui benedixerit tibi, Benedictionibus repleatur. Et donet. *Resp.* Det tibi Deus de rore cœli et de pinguedine terræ abundantiam. Serviant tibi populi; esto Dominus fratrum tuorum. *Vers.* Et incurventur ante te filii matris tuæ. Esto Dominus. *Resp.* Dum iret Jacob de Bersabee, et pergeret Aran, locutus est ei Deus dicens: Terra in qua dormis tibi dabo et semini tuo. *Vers.* Ædificavit Jacob ex lapidibus altare Domino, fundens oleum desuper, et benedixit ei, dicens. *Resp.* Dum exiret Jacob de terra sua, vidit gloriam Dei, et dixit: Quam terribilis est locus iste! non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. *Vers.* Vere Dominus est in loco isto, et ego nesciebam. Quam terribilis. *Resp.* Si Dominus Deus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo, et custodierit me, et dederit mihi panem ad edendum et vestimentum quo operiar, et revocaverit me cum salute. Erit mihi in refugium et lapis iste in signum. *Vers.* Vere Dominus est. Erit mihi. *Resp.* Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum vocabitur domus Dei. Et de universis quæ dederis mihi decimas et hostias pacificas offeram tibi. *Vers.* Si Dominus Deus meus fuerit mecum in via ista qua ego ambulo, et custodierit me. Decimas. *Resp.* Oravit Jacob et dixit: Domine, qui dixisti mihi, revertere in terram nativitatis tuæ, erue me de manu fratris mei, quia valde eum timeo. *Vers.* Deus, in cujus conspectu ambulaverunt patres mei; Domine, qui pascis me a juventute mea. Erue me. *Resp.* Dixit angelus ad Jacob: Dimitte me, aurora est. Respondit ei: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Et benedixit eum in eodem loco. *Vers.* Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo te. Et benedixit. *Resp.* Vidi Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea. *Vers.* Et dixit, nequaquam vocaberis Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Et salva facta est. *Resp.* Dum irem de terra mea, oravi Dominum Deum meum, et perduxit me in portum voluntatis suæ, gubernavit me advenam. *Vers.* Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei. Et. *Resp.* Apparuit Deus Jacob, et benedixit eum, et dixit: Ego sum Deus Bethel, ubi unxisti lapidem, et votum vovisti mihi. Crescere te faciam, et multiplicabo te. *Vers.* Ego sum Dominus omnipotens. Crescere. *Vers.* Benedicens benedicam tibi, et multiplicabo te. *Vers.* Minor sum cunctis miserationibus tuis, Domine Abraham. In baculo meo transivi Jordanem istum; et nunc cum duabus turmis regredior. Libera me, Domine, de manu Esau, quia valde contremiens cor meum illum timet. *Vers.* Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo eripe me. Quia. *Vers.* Ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quod mihi benefeceris. Libera.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. *Ant.* Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. *Ant.* Factus es adjutor meus, Deus meus. *Ant.* Trium puerorum cantemus hymnum, quod cantabant in camino ignis, benedicebant [benedicentes] Dominum. *Ant.* Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi; præceptum posuit, et non præteribit. *Vers.* Domine, refugium.

766 *In Evangelio.*

Antiph. Nemini dixeritis. *Ant.* Descendentibus illis. *Ant.* Assumpsit Jesus.

Feria secunda.

Antiph. Ego principium, qui et loquor vobis. *Ant.* Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei facio semper.

Feria tertia.

Antiph. Unus est enim magister vester, qui in cœlis est, Christus Dominus. *Ant.* Qui major est vestrum, erit minister vester, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, dicit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Ecce ascendimus Jerusalem, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. *Ant.* Tradetur enim gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum. *Ant.* Sedere autem non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.

Feria quinta.

Antiph. Factum est autem ut moreretur. *Ant.* Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aqua, et refrigeret linguam meam. *Ant.* Dives ille guttam aquæ petiit, qui micas panis Lazaro negavit. Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala. *Ant.* Fili, recordare quia recepisti. *Ant.* Rogo te, Pater, ut mittas.

Feria sexta.

Antiph. Malos male perdet, et vineam suam locabit agricolis. *Ant.* Malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. *Ant.* Quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quia sicut prophetam eum habebant.

Sabbato.

Antiph. Oportet te, fili, gaudere, quia frater tuus mortuus fuerat et revixit; perierat, et inventus est in æternum. *Ant.* Vadam ad Patrem meum et dicam ei: Pater, fac me sicut unum ex mercenariis tuis. *Ant.* Pater, peccavi in cœlum et coram te. Jam non sum dignus vocari Filius tuus. *Ant.* Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et

induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedibus ejus. *Ant.* Dedit pater pœnitenti filio stolam primam pariter et annulum; nam et calceamenta ei tribuit. Celebravit magnum convivium. *Ant.* Fili, tu semper mecum fuisti, et omnia mea tua sunt.

Responsoria de Joseph, hebdomada tertia in Quadragesima. — Ad Invitatorium.

Antiph. Dominum qui fecit nos. *Ant.* Populus Domini et oves pascuæ ejus. *Resp.* Videntes Joseph a longe, loquebantur mutuo fratres, dicentes: Ecce somniator venit, venite occidamus eum, et videamus si prosint illi somnia sua. *Vers.* Cumque vidissent Joseph fratres sui, quod a patre cunctis fratribus plus amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacifice loqui, unde et dicebant: Venite. *Resp.* Dixit Judas fratribus suis: Ecce Ismaelitæ transeunt; venite, venundetur, et manus nostræ non polluantur; caro enim et frater noster est. *Vers.* Cumque abiisset Ruben ad puteum, et non invenisset eum, scissis vestibus, pergensque ad fratres, ait: Puer non comparet, et ego quo ibo? Caro. **767** *Resp.* Extrahentes Joseph de lacu vendiderunt Ismaelitis viginti argenteis; reversusque Ruben ad puteum, et cum non invenisset eum, scidit vestimenta sua cum fletu, et dixit: Puer non comparet, et ego quo ibo? *Vers.* At illi intincta tunica Joseph sanguine, et mittentes qui ferrent eam ad patrem, et dicerent: Vide si tunica filii tui sit, an non. Puer non comparet. *Resp.* Videns Jacob vestimenta Joseph, scidit vestimenta sua cum fletu, et dixit: Fera pessima devoravit filium meum Joseph. *Vers.* Vide si tunica filii tui sit, an non; et cum vidisset pater, ait: Fera pessima. *Resp.* Joseph, dum intraret in terram Ægypti, linguam quam non noverat audivit: manus ejus in laboribus servierunt, et lingua ejus inter principes loquebatur sapientiam. *Vers.* Divertit ab oneribus dorsum ejus. Manus *Resp.* Memento mei dum bene tibi fuerit, ut suggeras Pharaonem, ut educat me de isto carcere, quia furtim sublatus sum, et hic innocens in lacum missus sum. *Vers.* Tres enim adhuc dies sunt post quos recordabitur Pharao ministerii tui, et revocet te in gradum pristinum; tunc memento mei. Ut suggeras. *Resp.* Tollite hinc vobiscum munera, et ite ad Dominum terræ; et dum inveneritis, adorate eum super terram. Deus autem meus faciat vobis eum placabilem, et reducat et hunc fratrem vestrum vobiscum, et eum quem tenet in vinculis. *Vers.* Tollite de fructibus terræ in vasis vestris; et ferte viro munera. Deus autem. *Resp.* Iste est frater vester minimus de quo dixeratis mihi? Deus misereatur tibi, fili mi; festinavitque in domum et ploravit, quia erumpebant lacrymæ, et non poterat se continere. *Vers.* Attollens autem Joseph oculos, vidit Benjamin stantem. Commota sunt omnia viscera ejus super fratrem suum. Quia erumpebant. *Resp.* Dixit Ruben fratribus suis: Nunquid non dixi vobis, Nolite peccare in puerum; et non audistis me? En sanguis ejus exquiritur. *Vers.* Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ ejus, dum deprecaretur nos, et non audivimus. Idcirco venit super nos tribulatio. En sanguis. *Resp.* Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustias animæ ejus, dum deprecaretur nos; et non audivimus. Idcirco venit super nos tribulatio. *Vers.* Dixit Ruben fratribus suis: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum, et non audistis me? Idcirco. *Resp.* Dixit Joseph undecim fratribus: Ego sum Joseph quem vendidistis in Ægyptum. Adhuc vivit pater noster senior, de quo dixeratis mihi? Ite, adducite eum ad me, ut possit vivere. *Vers.* Biennium est quod cœpit esse fames in terram; adhuc restant alii quinque. Ite, adducite. *Resp.* Ite, dicite patri meo Jacob: Joseph filius tuus vivit, et ipse dominatur totam terram Ægypti. Quo audito revixit spiritus ejus et dixit: Sufficit mihi, vadam et videbo eum antequam moriar. *Vers.* Cumque audisset Jacob quod filius suus viveret, quasi de gravi somno evigilans, ait: Sufficit. *Resp.* Loquens Joseph fratribus suis, ait: Pax vobis, nolite timere; pro salute enim vestra misit me Dominus ante vos. *Vers.* Nolite timere, ne durum vobis esse videatur quod vendidistis me in his regionibus. Pro salute. *Resp.* Salus nostra in manu tua est, Domine; respiciat super nos misericordia tua, et securi serviemus tibi. *Vers.* Domine Deus virtutum, converte nos, et ostende faciem tuam, et salvi erimus. Et securi. *Vers.* Vivat, Domine, anima tua, ut non videamus mortem neque parvulos nostros deficientes. Et securi.

768 *Antiph. in matutinis Laudibus.*

Antiph. Fac benigne in bona voluntate tua, et ædificentur, Domine, muri Jerusalem. *Ant.* Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo. *Ant.* Deus misereatur nostri, et benedicat nobis. *Ant.* Vim virtutis suæ oblitus est ignis, ut pueri tui liberarentur illæsi. *Ant.* Sol et luna laudate Deum, quia exaltatum est nomen ejus solius.

In Evangelio.

Antiph. Dum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. *Ant.* Si in digito Dei ejicio dæmonia, profecto venit in vos regnum Dei. *Ant.* Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus, et admiratæ sunt turbæ. *Ant.* Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, et non invenit. *Ant.* Accepit Jesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus.

Feria secunda.

Antiph. Amen dico vobis, quia nemo propheta susceptus est in patria sua. *Ant.* Jesus autem transiens per medium eorum ibat. *Ant.* Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum generationis [negotiationis].

Feria tertia.

Antiph. Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, dicit Dominus. *Ant.* Si duo ex vobis consenserint de eorum [omnibus] quæcunque petierint, fiet illis a Patre meo, dicit Dominus. *Ant.* Non dico tibi septies, sed usque septuagesies septies. *Ant.* Quandiu in mundo sum, lux sum mundi dicit Dominus.

Feria quarta.

Antiph. Audite et intelligite traditiones quas Dominus dedit vobis. *Ant.* Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. *Ant.* Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Feria quinta.

Antiph. Omnes qui habebant infirmos ducebant illos ad Jesum, et sanabantur. *Ant.* Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me qui misit me Pater. *Ant.* Exibant autem dæmonia a multis, clamantia et dicentia: Quia tu es Filius Dei. Et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.

Feria sexta.

Antiph. Qui biberit aquam quam ego do, dicit Dominus Samaritanæ, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. *Ant.* Aqua quam ego dedero, qui biberit ex ea, non sitiet ultra. *Ant.* Domine, ut video propheta es tu. Patres nostri in monte hoc adoraverunt. *Ant.* Mulier, venient dies quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. *Ant.* Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate. *Ant.* Venite et videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. *Ant.* Meus cibus est ut faciam voluntatem Patris mei. *Ant.* Dixit Samaritana

mulier : Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam in æternum. *Ant.* Dicit Dominus : Si quis biberit aquam quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.

769 *Sabbato.*

Antiph. Inclinavit se Jesus ; scribebat in terra : Si quis sine peccato est, mittat in eam lapidem. *Ant.* Nemo te condemnavit, mulier? nemo te condemnavit. *Ant.* Qui non colligit mecum, dispergit ; et qui non est mecum, contra me est. *Ant.* Cum immundus spiritus exierit ab homine, *ut supra.*

Responsoria in hebdomada quarta in Quadragesima. — Ad Invitatorium.

Antiph. Non sit vobis vanum surgere ante lucem, quia promisit Dominus coronam vigilantibus. *Ant.* Populus Domini et oves pascuæ ejus.

Responsoria.

Resp. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : Descende in Ægyptum ; dic Pharaoni ut dimittat populum meum. Induratum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum meum, nisi in manu forti. *Vers.* Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto ; et gemitum eorum audivi, et descendi liberare eos. Induratum. *Resp.* Stetit Moyses coram Pharaone, et dixit : Hæc dicit Dominus : Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi in desertum. *Vers.* Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, ait tibi : Dimitte. *Resp.* Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est : equum et ascensorem projecit in mare. Adjutor et protector factus est mihi Dominus in salutem. *Vers.* Currus Pharaonis et exercitus ejus projecit in mari. Adjutor. *Resp.* In mari viæ tuæ, et semitæ tuæ in aquis multis. Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi et Aaron. *Vers.* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ ; commota est et contremuit terra. In manu Moysi. *Resp.* Ecce mitto angelum meum, qui præcedat et custodiat semper. Observa et audi vocem ejus, et inimicus ero inimicis tuis, et affligentes te affligam ; et præcedet te angelus meus. *Vers.* Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum ; ego enim Dominus. Et præcedet. *Resp.* Qui persequebantur populum tuum, Domine, demersisti eos in profundum, et in columna nubis ductor eorum fuisti, Domine. *Vers.* Exclamaverunt filii Israel in angustia sua ad te, Domine, et misisti eis Salvatorem. Et in columna. *Resp.* Moyses famulus Domini jejunavit quadraginta diebus et quadraginta noctibus, ut legem Domini mereretur accipere. *Vers.* Ascendit Moyses in montem Sinai. Ut legem. *Resp.* Splendida facta est facies Moysi, dum respiceret in eum Dominus. Videntes seniores claritatem vultus ejus, admirantes timuerunt valde. *Vers.* Descendit Moyses de monte portans duas tabulas lapideas in manibus suis, scriptas utrasque digito Dei. Videntes. *Resp.* Attendite, popule meus, legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei. *Vers.* Aperiam in parabolis os meum ; loquar propositiones ab initio sæculi. Inclinate. *Resp.* Audi, Israel, præcepta Domini, et ea in corde tuo quasi in libro scribe ; et dabo tibi terram fluentem lac et mel. *Vers.* Israel, si me audieris, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Et dabo tibi. *Resp.* Vos qui transituri estis Jordanem, ædificate altare Domino de lapidibus quos ferrum non tetigit, et offerte super illud holocaustum et hostias pacificas Deo vestro. *Vers.* Cumque intraveritis terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis, **770** ædificate ibi altare Deo vestro. *Resp.* Adduxit eos Dominus in fortitudine terræ ; cibavit eos nascentibus agros [in agris], suxerunt mel de petra, et oleum de firma petra. *Vers.* Butyrum boum et lac ovium cum adipe agnorum et filiorum taurorum et hircorum. Suxerunt.

Responsoria de Josue.

Resp. Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare et esto robustus ; introduces populum meum ad terram lacte et melle manantem. *Vers.* Ego sum Dominus Deus vester, qui eduxi vos de terra Ægypti. Confortare. *Vers.* Quoniam tecum est Dominus Deus in omnibus, ad quæcunque perrexeris. Confortare. *Resp.* Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Confortare populum meum, neque timeas. Ecce Dominus Deus tuus, et non te derelinquet. *Vers.* Quoniam tecum est, *ut supra.* *Resp.* Popule meus, quid feci, aut quid molestus fui tibi ? Responde mihi. Quoniam ego eduxi vos de terra Ægypti, et de domo servitutis. Quadraginta annos manna plui vobis, et obliti estis me, dicit Dominus. *Vers.* Adduxi vos per desertum quadraginta annos, ego Dominus. Et obliti. *Resp.* Adduxi vos per desertum quadraginta annos, ego Dominus ; non sunt attrita vestimenta vestra. Manna de cœlo plui vobis, et obliti estis me, dicit Dominus. *Vers.* Popule meus, quid feci, aut quid molestus fui tibi ? Responde mihi. Quoniam ego eduxi vos de terra Ægypti. Manna de cœlo.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, si averteris faciem tuam a peccatis meis. *Ant.* Bonum est sperare in Domino, quam sperare in principibus. *Ant.* Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. *Ant.* Potens es, Domine, eripere nos de manu mortis, liberare nos, Deus noster. *Ant.* Reges terræ, et omnes principes, laudate Deum.

In Evangelio.

Antiph. Nemo te condemnavit, mulier ? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo. Jam amplius noli peccare. *Ant.* Mulier, nemo te condemnavit ? Nec ego te condemnabo. Jam amplius noli peccare. *Antiph.* De quinque panibus et duobus piscibus satiavit Dominus quinque millia hominum. *Ant.* Satiavit Dominus quinque millia hominum de quinque panibus, et duobus piscibus. *Ant.* Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dixit ad Philippum : Unde ememus panes ut manducent hi ? Ipse enim sciebat quid esset facturus. *Ant.* Cum vidissent turbæ signum quod fecerat Jesus, dicebant : Vere hic est propheta, qui venturus est in mundum. *Ant.* Hic est vere propheta qui venturus est in mundum.

Feria secunda.

Antiph. Omnis qui petit accipit, et qui quærit invenit, pulsanti aperietur. *Ant.* Auferte ista hinc, dicit Dominus, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis. *Ant.* Dicebat Jesus Judæis : Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. *Ant.* Solvite templum hoc, dicit Dominus et post triduum excitabo illud. Hoc autem dicebat de templo corporis sui.

771 *Feria tertia.*

Antiph. Quid me quæritis interficere hominem qui vera locutus est vobis? *Ant.* Unum opus feci et admiramini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato. *Ant.* Nonne Moyses dedit vobis legem ? et nonne [nemo] ex vobis facit legem. Quid me quæritis interficere ? *Ant.* Et me scitis, et unde sim scitis ; et a me ipso non veni, sed Pater meus misit me. *Ant.* Nemo in eum misit manus, quia nondum venerat hora ejus.

Feria quarta.

Antiph. Rabbi, quis [quid] peccavit homo iste quod cæcus natus est ? Respondit Jesus, et dixit : Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in eo. *Ant.* Interrogatus cæcus : Quis te illuminavit ? At ille clamabat dicens : Filius Dei. *Ant.* Ille homo qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos, et modo video. *Ant.* Lutum fecit ex sputo Dominus, et linivit oculos meos, et abii, et lavi, et credidi Deo. *Ant.* Dixi vobis jam et audistis ; lutum mihi posuit ille homo qui dicitur Jesus. *Ant.* A sæculo non est auditum quia quis aperuit oculos cæci nati, nisi Christus Filius Dei.

Feria quinta.

Antiph. Ibat Jesus in civitatem quæ vocatur Naim. *Ant.* Propheta magnus surrexit in nobis, quia Deus visitavit plebem suam. *Ant.* Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. *Antiph.* Diligebat Jesus Martham et sororem ejus Mariam, et Lazarum fratrem earum. *Ant.* Lazarus amicus noster dormit, eamus et a somno excitemus eum. *Ant.* Domine, si hic fuisses, Lazarus non esset mortuus. Ecce jam fetet quatriduanus in monumento. *Ant.* Ad monumentum Lazari clamabat Dominus, dicens : Lazare, veni foras. *Ant.* Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. *Ant.* Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso, et testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.

Responsoria de Passione Domini. — Ad Invitatorium.

Antiph. Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra. *Resp.* Isti sunt dies quos observare debetis temporibus suis. Quarta decima die ad vesperum Pascha Domini est, et in quintadecima solemnitatis [solemnitatem] celebrabitis Altissimo Domino. *Vers.* Locutus est Dominus ad Moysen dicens : Loquere filiis Israel, et dices ad eos. Quarta. *Resp.* Multiplicati sunt qui tribulant me, et dicunt : Non est salus illi in Deo ejus. Exsurge, Domine, salvum me fac, Deus meus. *Vers.* Ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum. Exsurge. *Resp.* Qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes : Deus dereliquit eum ; persequimini et comprehendite eum, quia non est qui liberet eum. Deus meus, ne elongeris a me ; Deus meus, in adjutorium meum intende. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi : verbum iniquum mandaverunt adversum me, **772** dicentes. Persequimini. *Resp.* Adjutor et susceptor meus tu es, Domine, et in verbum tuum speravi. Declinate a me, maligni, et scrutabor mandata Dei mei. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Declinate. *Resp.* Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta. Ab homine iniquo et doloso eripe me, quia tu es Deus meus et fortitudo mea. *Vers.* Emitte lucem tuam, et veritatem tuam. Quia tu es. *Resp.* Deus meus es tu, ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. *Vers.* Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti ? Longe a salute mea. Quoniam trib. *Resp.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui, quoniam tu es patientia mea. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, *ut supra.* Quoniam. *Resp.* Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam ; redime me, Domine. *Vers.* Eripe me, Domine, ab homine malo, a viro iniquo libera me. Redime. *Resp.* Tota die contristatus ingrediebar, Domine, quoniam anima mea completa est illusionibus, et vim faciebant qui quærebant animam meam. *Vers.* Et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Et vim. *Resp.* Non avertas faciem tuam a puero tuo, Domine, quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Vers.* Eripe me ab homine malo, quoniam tribulor. *Resp.* In proximo est tribulatio mea, Domine, et non est qui adjuvet ; ut fodiant manus meas et pedes meos. Libera me de ore leonis, ut narrem nomen tuum fratribus meis. *Vers.* Deus, Deus meus, respice in me ; quare me dereliquisti ? longe a salute mea. Libera me. *Resp.* In te jactatus sum ex utero, de ventre matris meæ Deus meus es tu ; ne discedas a me, quoniam tribulatio proxima est, et non est qui adjuvet. *Vers.* Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam. Quoniam tribulatio. *Resp.* Vide quia tribulor, velociter exaudi me ; intende animæ meæ et libera eam, propter inimicos meos. Eripe me, Domine. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, *ut supra.* *Resp.* Pacifice loquebantur mihi inimici mei, et in ira molesti erant mihi. Vidisti, Domine, ne sileas, ne discedas a me. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me. *Resp.* Fac mecum, Domine, signum in bono, ut videant qui me oderunt et confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me. *Vers.* Respice in me, et miserere mei, quia unicus et pauper sum ego. *Resp.* Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. Libera me de sanguinibus, Deus salutis meæ. *Vers.* Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Libera me. *Resp.* Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti inimicos meos subtus me. Et inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, et odientes me disperdidisti. *Vers.* Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant. Et inimicorum. *Resp.* Liberator meus de gentibus iracundis, ab insurgentibus in me libera me. *Vers.* Eripe me de inimicis meis. Ab insurgentibus. *Resp.* Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam, humilita em meam. *Vers.* Eripe me, Domine, ab homine. *Resp.* De ore leonis libera me, Domine, et a cornibus unicornium humilitatem meam. *Vers.* Erue a framea. *Resp.* Principes persecuti sunt me gratis, et a verbis tuis formidavit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua. *Vers.* Quasi qui invenit spolia multa. **773** Lætabor. *Resp.* Usquequo exaltabitur inimicus meus super me ? Respice et exaudi me, Domine Deus meus. *Vers.* Qui tribulant me exsultabunt si motus fuero. Ego autem in misericordia tua speravi. Respice.

Versi declinatorii.

Vers. Eripe me ab homine malo. *Vers.* Eripe me de inimicis meis, Deus meus. *Vers.* Erue a framea. *Vers.* De ore leonis.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus meus. *Ant.* In tribulatione invocavi Dominum, et exaudivit me in latitudine. *Ant.* Judicasti, Domine, causam animæ meæ ; defensor vitæ meæ, Domine, Deus meus. *Ant.* Popule meus, quid feci tibi ? Aut quid molestus fui ? responde mihi. *Ant.* Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ.

In Evangelio.

Antiph. Qui est ex Deo verba Dei audit, vos non auditis quia ex Deo non estis. *Ant.* Ego dæmonium non habeo, sed honorifico patrem meum, dicit Dominus. *Ant.* Ego gloriam meam non quæro ; est qui quærat et judicet. *Ant.* Amen, amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum. *Ant.* Abraham pater vester exsultavit ut videret diem meum ; vidit et gavisus est. *Ant.* Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti ? Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, Ego sum. *Ant.* Tulerunt lapides ut jacerent in Jesum. Jesus autem abscondit se, et exivit de templo. *Ant.* Libera me, Domine, et pone me juxta te ; et cujusvis magnus pugnet contra me. *Ant.* Animæ impiorum fremebant adversum me ; et gravatum est cor meum super eos.

Item ad Vesperas.

Antiph. Ego sum Pastor bonus, qui pasco oves meas, et pro ovibus meis pono animam meam. *Ant.* Vulpes foveas habent, et volucres cœli nidos ; Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. *Ant.* Narrabitur quid fecit mulier illa, in generationes sæculorum. *Ant.* Sicut exaltatus est serpens in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. *Ant.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quod [quos] dedisti mihi. *Ant.* Rogavi Patrem meum, ne deficiat fides tua, Petre. *Ant.* Si mihi non creditis, operibus credite, quæ ego facio in nomine ejus. *Ant.* Pastor bonus animam suam posuit pro ovibus suis. *Ant.* Si oportuerit me mori tecum, non te negabo, Domine Deus

meus, et patris mei. *Ant.* Pater, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Feria secunda.

Antiph. In die magno festivitatis, stabat Jesus e clamabat dicens : si quis sitit, veniat ad me et bibat. *Ant.* Qui sitit veniat et bibat, et ventre ejus fluent aquæ vivæ.

Feria tertia.

Antiph. Tempus meum nondum advenit, tempus vestrum semper est paratum, dicit Dominus. *Ant.* Vos ascendite ad diem festum hunc. Ego non ascendam, quia tempus meum nondum advenit. *Ant.* Quidam autem Judæi dicebant quia bonus est, alii autem dicebant : Non, sed seducit turbas.

774 *Feria quarta.*

Antiph. Circumdantes Judæi Dominum, dixerunt : Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. *Ant.* Oves meæ vocem meam audiunt; et ego Dominus agnosco eas. *Ant.* Multa bona opera operatus sum vobis; propter quod opus vultis me occidere?

Feria quinta.

Antiph. Principes sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. *Ant.* Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. *Ant.* Mittens hæc mulier in corpus meum hoc unguentum, ad sepeliendum me fecit. *Ant.* Ubicunque fuerit prædicatum hoc Evangelium in toto mundo, erit memoria ejus. *Ant.* Magister dicit : Tempus meum prope est; apud te facio pascha cum discipulis meis. *Ant.* Si oportuerit, *ut supra.* *Ant.* Pater, si non potest hic calix, *ut supra.* *Ant.* Desiderio desideravi pascha manducare vobiscum, antequam patiar. *Ant.* Appropinquabat autem dies festus, *ut supra.* *Ant.* Principes sacerdotum, *ut supra.*

Sabbato.

Antiph. Clarifica me, Pater, apud temetipsum, claritate quam habui, priusquam mundus fieret. *Ant.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Responsoria in hebdomada majore in Palmis. — Ad Invitatorium.

Antiph. Ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. *Resp.* In die qua invocavi te, Domine, dixisti : Noli timere. Judicasti causam meam, et liberasti me. Deus meus. *Vers.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris, et de manu contra legem agentis et iniqui. Judicasti. *Resp.* Fratres mei elongaverunt a me, et noti mei quasi alieni recesserunt a me. *Vers.* Amici mei et proximi appropinquaverunt, et steterunt. Quasi. *Resp.* Attende, Domine, ad me, et audi voces adversariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? *Vers.* Homo pacis meæ in quo sperabam, ampliavit adversum me supplantationem. Nunquid. *Resp.* Conclusit vias meas inimicus, insidiator factus est mihi sicut leo in abscondito, replevit et inebriavit me amaritudine. Deduxerunt in lacum mortis vitam meam, et posuerunt lapidem contra me. Vide. Domine, iniquitates illorum, et judica causam animæ meæ, defensor vitæ meæ. *Vers.* Omnes inimici mei adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum mandaverunt adversum me. Vide. *Resp.* Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Ne avertas faciem tuam a me, quoniam tribulor, exaudi me, Deus meus. *Vers.* Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me. Quoniam tribulor. *Resp.* Noli esse mihi, Domine, alienus. Parce mihi, Domine, in die mala : confundantur omnes qui me persequuntur, et non confundar ego. *Vers.* Confundantur omnes inimici mei. Et non confundar. *Resp.* Ingrediente Domino in sanctam civitatem, Hebræorum pueri resurrectionem vitæ pronuntiantes, **775** cum ramis palmarum, hosanna clamabant in excelsis. *Vers.* Ex ore infantium et lactantium perfecisti laudem. Cum ramis. *Resp.* Dominus mecum est tanquam bellator fortis; propterea persecuti sunt me, et intelligere non potuerunt. Domine, probans renes et corda, tibi revelavi causam meam. *Vers.* Et vim faciebant qui quærebant animam meam, et qui inquirebant mala mihi locuti sunt vanitates. Et intelligere. *Resp.* Dixerunt impii apud se non recte cogitantes : Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris. Promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat, et gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus si sermones illius veri sint; et si est verus Filius Dei, liberet illum de manibus nostris; morte turpissima condemnemus eum. *Vers.* Viri impii dixerunt : Opprimamus virum justum injuste, et de spoliis ejus sortem mittamus. Videamus. *Resp.* Viri impii dixerunt : Opprimamus virum justum injuste, et deglutiamus eum tanquam infernus vivum. Auferamus memoriam illius de terra, et de spoliis ejus sortem mittamus inter nos. Ipsi enim homicidæ thesaurizaverunt sibi malum, insipientes et maligni oderunt sapientiam, et rei facti sunt in cogitationibus suis. *Vers.* Dixerunt impii apud se non recte cogitantes : Circumveniamus justum. Et rei. *Resp.* Opprobrium factus sum nimis inimicis meis; viderunt me et moverunt capita sua : Adjuva me, Domine, Deus meus. *Vers.* Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant. Adjuva me, Domine. *Resp.* Insurrexerunt in me viri iniqui absque misericordia; quæsierunt me interficere, et non pepercerunt in faciem meam spuere. Et lanceis suis vulneraverunt me; et concussa sunt omnia ossa mea. Ego autem æstimabam me tanquam mortuum super terram. *Vers.* Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Ego autem. *Resp.* Animæ impiorum fremebant adversum me, et gravatum est cor meum super eos; et constituerunt pretium triginta argenteis, quod appretiatus sum ab eis. *Vers.* Contumelias et terrores passus sum ab eis qui erant pacifici mei. Et constituerunt. *Resp.* Contumelias et terrores passus sum ab eis qui erant pacifici mei, et custodientes latus meum, dicentes : decipiamus eum, et prævaleamus illi. Sed tu, Domine, mecum es tanquam bellator fortis. Cadent in opprobrium sempiternum. Et videam vindictam in eos, quia tibi revelavi causam meam. *Vers.* Omnes inimici mei, *ut supra.* Dicentes. *Resp.* Sicut agnus ductus sum ut occiderer, et nesciebam : super me autem cogitaverunt consilium. Tu autem, Domine, liberasti animam meam. *Vers.* Omnes inimici mei, *ut supra.* *Resp.* Deus Israel, propter te sustinui improperium, operuit reverentia faciem meam; extraneus factus sum fratribus meis, et hospes filiis matris meæ; quoniam zelus domus tuæ comedit me. *Vers.* Intende animæ meæ, et libera eam; propter inimicos meos eripe me. Quoniam zelus. *Vers.* Deus, Deus meus, respice, *ut supra.* *Resp.* Synagogæ populorum circumdederunt me; et non reddidi retribuentibus mihi mala. Consumetur, Domine, nequitia peccatorum, et dirige justum. *Vers.* Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, et exaltans caput meum. Consumetur.

Antiphonæ in Matutinis

Antiph. Dominus Deus auxiliator meus, et ideo non sum confusus. *Ant.* Circumdantes circumdederunt me, **776** et in nomine Domini vindicabo in eis. *Ant.* Judica causam meam, defende, quia potens es, Domine. *Ant.* Cum Angelis et pueris fideles inveniantur triumphatores [inveniamur triumphatori] mortis clamantes hosanna in excelsis. *Ant.* Confundantur qui me persequuntur, et non confundar ego, Domine, Deus meus. *Vers.* Erue a framea.

In Evangelio.

Ant. Turba multa quæ convenerat ad diem festum, clamabat [ad] Dominum : Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. *Ant.* Hosanna

Filio David; benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel, hosanna in excelsis. *Ant.* Occurrunt turbæ cum floribus et palmis Redemptori obviam, et victori triumphanti digna dant obsequia. Filium Dei ore gentes prædicant, et in laudem Christi voces sonant per nubila. Hosanna. *Antiph.* Hodie namque Christo cum humana lingua coma servivit arboria. Et quamvis fuerint rigida, miserunt Regi spolia arborum flexus. Hosanna. *Ant.* Pueri Hebræorum vestimenta prosternebant in via, et clamabant, dicentes: Hosanna Filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini. *Ant.* Pueri Hebræorum, tollentes ramos olivarum, obviaverunt Domino, clamantes et dicentes: Hosanna in excelsis. *Ant.* Tibi revelavi causam meam, defensor vitæ meæ, Dominus Deus meus. *Ant.* Invocabo nomen tuum, Domine; ne avertas iram [faciem] tuam a clamore meo. *Ant.* Missus sum ad oves quæ perierant domus Israel, dicit Dominus. *Ant.* Omnes collaudant nomen tuum, et dicent: Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis. *Ant.* Cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes laudare Deum voce magna, super omnibus quæ viderant virtutibus, dicentes: Benedictus qui venit Rex in nomine Domini. Pax in cœlo, et gloria in excelsis. *Ant.* Rex Israel, hosanna in excelsis.

Feria secunda in Matutinis.

Antiph. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me. *Ant.* Framea, suscitare adversus eos qui dispergunt gregem meum. *Ant.* Appenderunt mercedem meam triginta argenteis, quod appretiatus sum ab eis. *Ant.* Inundaverunt aquæ super caput meum; dixi: Perii, invocabo nomen tuum, Domine Deus meus. *Ant.* Labia insurgentium et cogitationes eorum vide, Domine. *Vers.* Erue a framea, Deus, animam meam.

In Evangelio.

Antiph. Appropinquabat autem dies festus, et quærebant principes sacerdotum quomodo Jesum interficerent, sed timebant plebem. *Ant.* Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset. *Ant.* Recordare mei, Domine, et erue me ab his qui persequuntur me. *Ant.* Infirmata est virtus mea, in manibus inimicorum meorum. *Ant.* Ante diem festum Paschæ sciens Jesus quia venit hora, cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.

Feria tertia in Matutinis.

Ant. Vide, Domine, et considera, quoniam tribulor, velociter exaudi me. *Ant.* Discerne causam meam, Domine; ab homine iniquo et doloso eripe me. *Ant.* Dum tribularer, clamavi ad Dominum, de ventre inferi exaudivit me. *Ant.* Domine, vim patior, responde pro me, quia nescio quid dicam inimicis meis. *Ant.* Dixerunt impii: Opprimamus **777** virum justum, quia contrarius est operibus nostris.

In Evangelio.

Antiph. Principes sacerdotum, *ut supra*. *Ant.* Nemo tollet animam meam, sed ego pono eam et iterum sumo eam. *Ant.* Quia ego tecum sum, de manu pessimorum liberabo te, dicit Dominus. *Ant.* Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumo eam. *Ant.* Scriptum est enim: Percutiam pastorem et dispergentur oves gregis. Postquam autem surrexero, præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis, dicit Dominus. *Ant.* Nunc clarificatus Filius hominis, et Deus clarificatus est in eo. *Ant.* Collegerunt pontifices et Pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. Ne forte veniant Romani, et tollent nostrum locum et gentem. *Vers.* Unus autem ex illis, Caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius, prophetavit dicens: Expedit nobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.

Feria quarta in Matutinis.

Antiph. Libera me de sanguinibus, Deus Deus salutis meæ, et exaltabit lingua mea justitiam tuam. *Ant.* Contumelias et terrores passus sum ab eis, et Dominus mecum est tanquam bellator fortis. *Ant.* Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam. Introibunt in inferiora terræ. *Ant.* Omnes inimici mei audierunt malum meum, Domine. Lætati sunt quoniam tu fecisti. *Ant.* Alliga, Domine, in vinculis nationes gentium, et reges eorum in compedibus. *Vers.* Erue a framea.

In Evangelio

Antiph. Simon, dormis; non potuisti una hora vigilare mecum. *Ant.* Concilium fecerunt inimici mei, dicentes: Conteramus eum de terra viventium. *Ant.* Dominus mecum est tanquam bellator fortis, propterea persecuti sunt me inimici mei. *Ant.* Tanto tempore vobiscum eram docens in templo, et non me tenuistis, modo flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Ant.* Quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis. Modo flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Ant.* Ancilla dixit Petro vere et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit. *Ant.* Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me in manus peccatorum quærentium me. Væ autem illi per quem tradar ego. *Ant.* Tradetur enim gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.

Antiphonæ et Responsoria in Cœna Domini, sine Invitatorio.

Antiph. Zelus domus tuæ comedit me, et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. *Psal.* Salvum me fac, Deus. *Ant.* Avertantur retrorsum et erubescant, qui cogitant mihi mala. *Psal.* Deus, in adjutorium. *Ant.* Deus meus, eripe me de manu peccatoris. *Psalm.* In te, Domine, 2. *Vers.* Deus meus, eripe me. *Resp.* In montem oliveti oravi ad Patrem: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; fiat voluntas tua. *Vers.* Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Fiat. *Resp.* Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic, et vigilate mecum; nunc videbitis turbam quæ circumdat me, vos fugam capietis, et ego vadam **778** immolari pro vobis. *Vers.* Vigilate et orate, dicit Dominus. Nunc. *Resp.* Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem; aspectus ejus in eo non est. Hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, cujus livore sanati sumus. *Vers.* Vere languores nostros ipse tulit, et infirmitates nostras ipse portavit. Cujus. *Ant.* Liberavit Dominus pauperem a potente, et inopem cui non erat adjutor. *Psalm.* Deus, judicium tuum. *Ant.* Cogitaverunt impii et locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt. *Psalm.* Quam bonus. *Ant.* Exsurge, Domine, et judica causam meam. *Psal.* Ut quid Deus. *Vers.* Exsurge, Domine.

Responsoria.

Resp. Amicus meus osculum [osculi] me tradidit signo; quem osculatus fuero ipse est, tenete eum; hoc malum fecit signum, qui per osculum adimplevit homicidium. Infelix prætermisit pretium sanguinis, et in finem laqueo se suspendit. *Vers.* Melius illi fuerat si natus non fuisset. Qui per. *Resp.* Judas mercator pessimus, osculum petit Domino. Ille ut Agnus innocens non negat Judæ osculum. Denariorum numero Christum Judæis tradidit. *Vers.* Melius fuerat. *Resp.* Unus ex discipulis meis tradet me hodie. Væ illi per quem tradar ego. Melius illi fuerat si natus non fuisset. *Vers.* Qui intingit mecum manum in paropside, hic me traditurus est in manus peccatorum. Melius fuerat. *Resp.* Eram quasi Agnus innocens, ductus sum ad immolandum, et nesciebam; consilium fecerunt inimici mei adversum [me] dicentes; Mittamus lignum in pane ejus, et conteramus eum de terra viventium. [illegible]

adversum me cogitabant mala mihi; verbum iniquum mandaverunt adversum me, dicentes. *Resp.* Una hora non potuistis vigilare mecum, qui exhortabamini mori pro me. Vel Judam non videtis, quomodo non dormit, sed festinat tradere me Judæis. *Vers.* Dormite jam, et requiescite, ecce appropinquabit qui me traditurus est. Vel Judam.

In tertio nocturno.

Antiph. Dixi iniquis: Nolite loqui adversus Deum iniquitatem. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Terra tremuit et quievit, dum resurgeret in judicium Deus. *Psal.* Notus in Judæa. *Ant.* In die tribulationis meæ, Deum exquisivi manibus meis. *Psal.* Voce mea. *Vers.* Homo pacis meæ.

Responsoria.

Resp. Seniores populi consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Cum gladiis et fustibus exierunt, tanquam ad latronem. *Vers.* Congregaverunt iniquitatem sibi, et egrediebantur foras. Cum gladiis. *Resp.* Revelabunt cœli iniquitatem Judæ, et terra adversus eum consurget, et manifestum erit peccatum illius in die furoris Domini, cum eis qui dixerunt Domino meo: Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Vers.* Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, et in retributiones et in scandalum. Cum eis. *Resp.* Ecce turba, et qui vocabatur Judas, venit, et dum appropinquaret ad Jesum ut eum oscularetur, Jesus dixit ad eum: Juda, osculo tradis Filium hominis ad crucifigendum. *Vers.* Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: Væ homini illi per quem tradar. Ad crucifigendum. *Resp.* O Judas, 779 qui dereliquisti consilium pacis; et cum Judæis consiliatus es, triginta argenteis vendidisti sanguinem justum, et pacis osculum ferebas, quæ [quam] in pectore non habebas. *Vers.* Verax datur fallacibus, pium flagellat impius. Et pacis. *Resp.* Facta est lingua iniquorum fraudulenta in ore ipsorum, et loquebantur mendacium. Omnes in sanguine insidiati sunt, virum justum venundati sunt ad mortem. Ipse autem pacifica verba loquebatur ad Judæos. *Vers.* Quid me quæritis interficere, hominem qui vera locutus sum vobis? Ipse autem.

Antiph. Justificeris, Domine, in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris. *Psalm.* Miserere mei. *Ant.* Dominus tanquam ovis ad victimam ductus est, et non aperuit os suum. *Psal.* Domine, refugium. *Ant.* Contritum est cor meum in medio mei, contremuerunt omnia ossa mea. *Psalm.* Deus, Deus meus. *Ant.* Exhortatus es in virtute tua, et in refectione sancta tua, Domine. *Psal.* Cantemus. *Ant.* ipse portavit. Oblatus est, quia ipse voluit, et peccata nostra. *Psal.* Laudate Dominum de cœlis. *Vers.* Christus factus est pro nobis obediens.

In Evangelio.

Antiph. Traditor autem dedit eis signum, dicens: quem osculatus fuero ipse est, tenete eum. *Ant.* In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem ejus quis enarrabit? *Ant.* Ait Pilatus: Mundæ sunt manus meæ a sanguine hujus justi, vos videritis. *Ant.* Petrus autem sequebatur Jesum a longe ut videret exitum rei.

In Cœna Domini ad Vesperas.

Antiph. Calicem Domini accipiam, et nomen Domini invocabo. *Psalm.* Credidi. *Ant.* Cum his qui oderunt pacem eram pacificus; cum loquebar illis, impugnabant me gratis. *Psal.* Ad Dominum cum tribularer. *Ant.* Ab hominibus iniquis libera me, Domine. *Psal.* Eripe me, Domine. *Ant.* Custodi me a laqueo quem statuerunt mihi, et ab scandalis operantium iniquitatem. *Psalm.* Domine, clamavi. *Ant.* Considerabam ad dexteram, et videbam, et non erat qui cognosceret me. *Psal.* Voce mea. *Ant.* De manu filiorum alienorum libera me, Domine. *Psal.* Benedictus Dominus Deus meus

Versi declinatorii.

Vers. Homo pacis meæ. *Vers.* Acuerunt linguas suas. *Vers.* Christus factus est pro nobis.

In Evangelio.

Antiph. Cœnantibus autem, accepit Jesus panem; benedixit ac fregit, dedit discipulis suis. *Ant.* Accepto pane Judas tradidit Dominum, sicut promiserat principibus sacerdotum. *Ant.* Si male locutus sum, perhibe testimonium; si autem bene, quid me cædis? *Ant.* Cœna facta est, dixit Jesus discipulis suis: Amen, amen dico vobis, unus vestrum hic, qui me traditurus est in hac nocte. *Ant.* Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Ant.* Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est; et qui diligit fratrem suum, ex Deo natus est, et videt Dominum. *Ant.* Si ego Dominus et Magister vester lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes? *Ant.* In diebus illis mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti: et stans retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, 780 et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Ant.* Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum. Hoc exemplum dedit [*Dele* dedit], reliquit eis. *Ant.* Ubi fratres in unum glorificant Dominum, ibi dabit Dominus Benedictionem. *Ant.* Congregavit nos Christus ad glorificandum se ipsum. Reple, Domine, animas nostras sancto Spiritu.

Antiphonæ et Responsoria de Parasceve. — In primo nocturno.

Antiph. Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. *Psalm.* Deus, Deus meus. *Ant.* Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. *Psal.* Dominus, illuminatio. *Vers.* Diviserunt sibi vestimenta mea.

Resp. unde supra.

Resp. Omnes amici mei dereliquerunt me, et prævaluerunt insidiantes mihi. Tradidit me quem diligebam, et terribilibus oculis plaga crudeli percutiens, aceto potabant me. *Vers.* Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea. *Resp.* Velum templi scissum est, et omnis terra tremuit; latro de cruce clamavit, dicens: Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Vers.* Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Latro. *Vers.* Ait latro ad latronem: Nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento. *Resp.* Vinea mea electa, ego te plantavi; quomodo conversa es in amaritudinem ut me crucifigeres, et Barabbam dimitteres? *Vers.* Ego quidem plantavi te vinea mea electa, omne semen verum. Quomodo.

In secundo nocturno.

Antiph. Vim faciebant qui quærebant animam meam. *Psalm.* Domine, ne in furore, 2. *Ant.* Confundantur et revereantur qui quærunt animam meam ut auferant eam. *Psalm.* Exspectans. *Ant.* Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam. *Psalm.* Deus, in nomine tuo. *Vers.* Insurrexerunt in me.

Responsoria in eodem.

Resp. Tanquam ad latronem exiistis cum gladiis comprehendere me. Quotidie apud vos eram in templo docens, et non me tenuistis. Et ecce flagellatum ducitis ad crucifigendum. *Vers.* Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. Væ homini illi per quem tradetur. Ad crucifigendum. *Resp.* Tenebræ factæ sunt dum crucifixissent Jesum Judæi, et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me dereliquisti? Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, et inclinato ca-

pite emisit spiritum. *Vers.* Et velum templi scissum est a summo usque deorsum, et omnis terra tremuit. Tunc unus. *Resp.* Animam meam electam tradidi in manus iniquorum, et facta est mihi hæreditas mea, sicut leo in silva. Dedit contra me vocem adversarius, dicens: Congregamini et properate ad devorandum illum. Posuerunt me in desertum solitudinis, et luxit super me omnis terra, quia non est inventus qui me agnosceret et faceret bene. *Vers.* Omnes inimici mei adversus me cogitabant mala mihi, verbum iniquum mandaverunt adversum me. Quia *Resp.* Barabbas latro **781** dimittitur, et innocens Christus occiditur, nam et Judas armidoctus sceleris, qui per pacem didicit facere bellum, osculando tradidit Dominum Jesum Christum. *Vers.* Ecce turba, et qui vocabatur Judas venit. Et dum appropinquaret ad Jesum.

In tertio nocturno.

Antiph. Ab insurgentibus in me libera me. Domine, quia occupaverunt animam meam. *Psalm.* Eripe me, Domine, de inimicis. *Ant.* Longe fecisti notos meos a me; traditus sum, et non egrediebar. *Psal.* Domine, Deus salutis. *Ant.* Captabunt in animam justi, et sanguinem innocentem condemnabunt. *Psal.* Deus ultionum. *Vers.* Captabunt in animam justi.

Resp. Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animæ meæ. Congregati sunt adversum me fortes, et sicut gigantes steterunt contra me. *Vers.* Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum. Et sicut gigantes. *Resp.* Me tradidit impius summis principibus sacerdotum, et senioribus populi; Petrus autem sequebatur a longe, ut videret finem. *Vers.* Et ingressus Petrus in atrium principis sacerdotum. Ut videret. *Resp.* Caligaverunt oculi mei a fletu meo, quia elongatus est a me, qui consolatur me. Videte, omnes populi, si est dolor similis sicut dolor meus. *Vers.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte. Si est. *Resp.* Viderunt in quem transfixerunt, et plangent super eum omnes tribus terræ, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. *Vers.* In humilitate judicium Dei sublatum est: generationem illius quis enarrabit? *Resp.* Principes sacerdotum concilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent; dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. *Vers.* Omnes inimici mei, *ut supra.* Ut Jesum.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. *Psalm.* Miserere mei, Deus. *Ant.* Anxiatus est in me spiritus meus, in me turbatum est cor meum. *Psal.* Domine, exaudi. *Ant.* Ait latro ad latronem: nos quidem digna factis recipimus, hic autem quid fecit? Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum. *Psal.* Deus, Deus meus, ad te. *Ant.* Dum conturbata fuerit anima mea, Domine, misericordiæ memor eris. *Psal.* Domine, audivi. *Ant.* Memento mei, Domine, cum veneris in regnum tuum. *Psal.* Laudate Dominum. *Vers.* Christus factus est pro nobis.

In Evangelio.

Antiph. Posuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Jesus Nazarenus Rex Judæorum. *Ant.* Replevit et inebriavit me inimicus meus. *Ant.* Jesus clamans voce magna emisit spiritum, et velum templi scissum est. *Ant.* Cum accepisset acetum dixit: Consummatum est; et, inclinato capite, tradidit Spiritum. *Ant.* Eloi, Eloi, Lamasabactani; Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? *Ant.* Tristis est anima mea usque ad mortem; sustinete hic et vigilate mecum. *Ant.* Recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat ei, et egressus foras flevit amare.

Sabbato sancto in primo nocturno.

Antiph. In pace in idipsum dormiam et requiescam. **782** *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Habitabit in tabernaculo tuo, requies et in monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Caro mea requiescet in spe. *Psalm.* Conserva me. *Vers.* Ne derelinquas me, Domine. *Vers.* In pace in idipsum.

Responsoria unde supra.

Resp. Sepulto Domino signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti, ponentes milites qui custodirent illud. *Vers.* Ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis. Ponentes. *Resp.* Jerusalem, luge, et exue te vestibus jucunditatis. Induere cinere cum cilicio, quia in te est occisus Salvator Israel. *Vers.* Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia super vos descendat. Quia. *Resp.* Plange quasi virgo plebs mea: ululate, pastores, in cinere et cilicio, quia veniet dies Domini magna et amara valde. *Vers.* Ululate, pastores, et clamate, aspergite vos cinere. Quia.

In secundo nocturno.

Antiph. Elevamini, portæ æternales, et introibit Rex gloriæ. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Credo videre bona Domini in terra. *Psal.* Dominus illuminatio. *Ant.* Domine, abstraxisti ab inferis animam meam. *Psal.* Exaltabo te. *Vers.* Tu autem, Domine, miserere.

Responsoria in eodem.

Resp. Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum sol obscuratus est; nam et ille captus est, qui captivum tenebat primum hominem. Hodie portas mortis et seras pariter Salvator noster disrupit. *Vers.* Ante cujus conspectum mors fugit, ad cujus vocem mortui resurgunt, videntes autem eum portæ mortis confractæ sunt. Hodie. *Resp.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor similis sicut dolor meus. *Vers.* Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. Si est dolor. *Resp.* Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde. Et viri justi tolluntur, et nemo considerat. *Ant.* A facie iniquitatis oblatus est justus, et erit in pace memoria ejus. *Vers.* In pace factus est locus ejus, et in Sion habitatio ejus. Et erit.

In tertio nocturno.

Antiph. Deus adjuvat me, et Dominus susceptor est animæ meæ. *Psal.* Deus, in nomine tuo. *Ant.* In pace factus est locus ejus, *ut supra.* *Psal.* Notus in Judæa Deus. *Ant.* Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber *Psal.* Domine Deus salutis. *Vers.* Collocavit me in obscuro.

Resp. unde supra.

Resp. Æstimatus sum cum descendentibus in lacum. Factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. *Vers.* Et sicut vulnerati dormientes, projecti in monumentis, quorum non es memor amplius, et ipsi de manu tua repulsi sunt. Factus sum. *Resp.* Agnus Dei Christus immolatus est pro salute mundi. Nam de parentis protoplasti fraude factor condolens, quando pomi noxialis morte morsu corruit; ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret. *Vers.* Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ipse lignum. *Resp.* Domine, post passionem tuam et post discipulorum fugam, Petrus plorabat dicens: Latro confessus est, et ego te negavi. Mulieres te prædicaverunt, et ego te timui [*Forte* renui]. Putas jam vocabis me discipulum tuum, ut iterum constituas me piscatorem mundi. Sed re pœnitentem suscipe me, **783** Domine, et miserere mei. *Vers.* Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax. *Resp.* Scindite vestimenta vestra, et induimini saccis, et plangite, quia Princeps Jerusalem super montes ejus interfectus est; flete super eum, filii Israel, quia non timuerunt occidere Christum Domini. *Vers.* Ululate, pastores, et clamate, *ut supra.* *Resp.* Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur non aperuit os suum. Traditus est ad mortem, ut vivificaret populum suum. *Vers.* In pace factus est, *ut suprà.* *Vers.* Vadis propitiator ad immolandum.

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne. *Psal.* Miserere mei. *Ant.* Plangent eum quasi unigenitum, quia innocens Dominus occisus est. *Psal.* Judica me, Deus. *Ant.* Attendite, universi populi, et videte dolorem meum. *Psalm.* Deus, Deus meus. *Ant.* A porta inferi erue, Domine, animam meam. *Psal.* Ego dixi in dimidio. *Ant.* O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus. *Psal.* Laudate Dominum de cœlis.

In Evangelio.

Antiph. Mulieres sedentes ad monumentum, lamentabantur flentes Dominum. *Ant.* Sepulto Domino signatum est monumentum, ponentes milites qui custodirent illud. *Ant.* Ululate, pastores, et clamate; aspergite vos cinere, quia completi sunt dies Domini. *Ant.* Videbunt in quem transfixerunt, et plangent super eo omnes tribus terræ. *Ant.* Joseph ab Arimathia petiit corpus Jesu, et sepelivit eum in sepulcro suo. *Vers.* Christus factus est.

Antiphonæ ad Vesperas de Evangelio. Sabbato sancto.

Antiph. Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit, Maria Magdalene et altera Maria videre sepulcrum, alleluia. *Ant.* Et ecce terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cœlo, alleluia. *Ant.* Angelus enim Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum, alleluia, alleluia. *Ant.* Erat autem aspectus ejus sicut fulgur, et vestimenta ejus sicut nix, alleluia, alleluia. *Ant.* Præ timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui, alleluia. *Ant.* Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere; scio enim quod Jesum quæritis, alleluia. *Ant.* Scio quod Jesum quæritis crucifixum; surrexit, alleluia. *Ant.* Jesum quem quæritis non est hic, sed surrexit; recordare qualiter locutus sit vobis, dum adhuc in Galilæa esset, alleluia. *Ant.* Venite et videte locum ubi positus erat Dominus, alleluia. *Ant.* Cito euntes, dicite discipulis, quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia.

Antiphonæ cum Responsoriis de vigilia sanctissimæ Paschæ.—Ad Invitatorium.

Antiph. Alleluia, alleluia, alleluia. Præoccupemus faciem Domini in confessione.

Ad nocturnum.

Antiph. [a] Ego sum qui sum, et consilium meum **784** non est cum impiis, sed in lege Domini voluntas mea est, alleluia. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Postulavi Patrem meum, alleluia. Dedit mihi gentes, alleluia, in hæreditatem, alleluia. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ego dormivi et somnum cepi, et resurrexi, quoniam Dominus suscepit me, alleluia, alleluia. *Vers.* Resurrexit Dominus.

Responsoria.

Resp. Angelus Domini descendit de cœlo, et accedens revolvit lapidem; et super eum sedit, et dixit mulieribus: Nolite timere; scio enim quia crucifixum quæritis. Jam surrexit. Venite et videte locum ubi positus erat Dominus, alleluia. *Vers.* Angelus Domini locutus est mulieribus dicens: Quem quæritis, an Jesum quæritis? Jam. *Resp.* Angelus Domini locutus est mulieribus dicens: Quem quæritis, an Jesum quæritis? Jam surrexit, venite et videte, alleluia, alleluia. *Vers.* Ecce præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, sicut dixit vobis. Jam. *Resp.* Dum transisset Sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum, alleluia, alleluia. *Vers.* Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto jam sole. Ut venientes. *Resp.* Super lapidem monumenti sedebant angeli, et psallebant de resurrectione Domini; et ante sepulcrum Jesu stabat Maria dicens: Domine, si tu sustulisti eum, dic ubi posuisti eum, alleluia. *Vers.* At illa existimans, quod hortulanus esset, dicit ei. Domine, si.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Et valde mane una Sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole, alleluia. *Ant.* Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? Alleluia, alleluia. *Ant.* Et respicientes viderunt revolutum lapidem; erat quippe magnus valde, alleluia. *Ant.* Nolite expavescere; Jesum Nazarenum quæritis crucifixum, non est hic; surrexit, alleluia. *Ant.* Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis sicut dixi vobis, alleluia. *Ant.* Cito euntes, dicite discipulis quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia. Post passionem Domini factus est conventus, quia non est corpus in monumentum. Lapis sustinuit perpetuam vitam, monumentum reddidit cœlestem margaritam, alleluia. *Ant.* Venerunt ad monumentum Maria Magdalene, et altera Maria videre sepulcrum, alleluia

Versi declinatorii.

Vers. Oportebat pati Christum. *Vers.* In resurrecti ne tua, Christe. *Vers.* Quem quæris, mulier. *Vers* Cantate Domino. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Vers.* Ecce ego vobiscum sum. *Vers.* Jubilate Domino, omnis. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Vers.* Tulerunt Dominum meum. *Vers.* Noli flere, Maria. *Vers* Dicite in nationibus. *Vers* Gavisi sunt discipuli. *Vers* Cognoverunt Dominum. *Vers.* Resurrexit Dominus. *Vers.* Omnis terra adoret te, Deus.

Incipit ordo ad Vesperas.

[b] *Conveniente schola temperius cum episcopis et diaconibus* **785** *in ecclesiam majorem* [c] *ad locum crucifixi incipiunt* Kyrie eleison, *et veniunt usque ad altare; et ascendentibus diaconibus in* [d] *pogium, episcopi et presbyteri statuantur in locis suis, et schola ante altare. Finito vero* Kyrie eleison, *annuit archidiaconus primo scholæ* [e], *et ille inclinans se incipiat* allel. *cum Psalmo* Dixit Dominus Domino meo. *Post hunc annuit secundo, vel alii cui voluerit, sed et omnibus incipientibus hoc modo præcipiat. Dicatur iterum* alleluia *cum Psalmo* Confitebor tibi. *Sequatur post hunc primus scholæ cum paraphonistis in fontibus,* alleluia. *Et respondeant paraphonistæ. Sequuntur subdiaconi cum infantibus.* Alleluia. Dominus regnavit decorem: *et semper respondent paraphonistæ, et annuunt verba infantibus. Vers.* Parata sedes tua. *Vers.* Elevaverunt flumina. *Post hos versus salutet primus scholæ archidiaconum, et illo annuente incipiat* alleluia, *cum melodiis infantibus. Qua expleta respondeant paraphonistæ primum, et finitur. Post hunc incipiat tertius* alleluia *cum Psal.* Beatus vir. *Hunc sequitur* Pascha nostrum. *Vers.* Epulemur. *Hac expleta Oratione, quo supra, incipiat archidiaconus. Ant.* Scio quod Jesum quæritis crucifixum; surrexit, alleluia. *Ant.* Jesum quem quæritis, non est hic; sed surrexit. Recordare qualiter locutus sit vobis, dum adhuc in Galilæa esset, alleluia. *Post hoc det sacerdos Orationem, et descendant ad fontes cum*

[a] Has Antiphonas esse Antiphonarii Metensis, non vero Romani, docet Amalarius, l. de Ordine Antiph., c. 45.

[b] Eadem fere leguntur in Ordine Romano 1, quem edidit Mabillonius Musei Italici tom. II. *Vide pag.* 36 *et seq.*

[c] Scilicet ubi Christi cruci affixi statua posita erat, ut etiam nunc est in inferiori chori parte.

[d] Seu *podium*. Intelligit Cangius lectrum, analectrum in ecclesia, ad quod gradibus ascenditur, laudatque hunc ipsum locum ex Ordine Rom. dep omptum. Juxta Mabillonium, in notis ad Ord. Rom. 1, pogium est locus cancellorum, quibus sanctuarium a choro dirimitur, sic dictum quod per gradus sensim assurgeret.

[e] Est cantorum chorus.

Antiphon. Ant. In die resurrectionis meæ, dicet Dominus, alleluia: congregabo gentes, et colligam regna, et effundam super vos aquam mundam, alleluia. *Quam ut finierint dicit primus scholæ* alleluia *cum Psal.* Laudate, pueri, Dominum, *sequitur* allel. *In Græco :* O Chirius Dynamin, etc., *finito ordine quo supra. Postea sequitur diaconi secundus in Evangelio. Ant.* Venite et videte locum ubi positus erat Dominus, alleluia. *Deinde dicat sacerdos Orationem, et tunc vadunt ad sanctum Joannem* [a] *ad vestem, canentes Ant.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, alleluia. Hic factus est in caput anguli. A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris, alleluia, alleluia. *Deinde* alleluia *cum Psal.* In exitu Israel. *Deinde primus scholæ dicit cum pueris* allel. Venite exsultemus Domino. *Vers.* 1. Præoccupemus. *Vers.* 2. Hodie si vocem Domini. *Post hanc sequitur diaconus Ant.* Cito euntes, dicite discipulis quia surrexit Dominus, alleluia, alleluia. *Deinde oret semper sine* Kyrie eleison. *Et tunc vadunt* [b] *ad sanctum Andream ad crucem, canentes Ant.* Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, alleluia : et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, alleluia, alleluia. *Post hoc dicant,* alleluia. Dilexi quoniam exaudiet Dominus. *Quo finito primus scholæ incipit* alleluia. Venite exsultemus, *ut supra. Ant.* Cito euntes dicite discipulis. *Deinde Orat. Deinde descendunt primates ecclesiæ ad accubitum, invitante notario vicedomini, et bibant* [c] *ter de Græco vino depactissi et de procantu. Postquam biberint omnes presbyteri et omnes diaconi seu subdiaconi, vel omnes acolyti per singulos titulos, redeunt ad faciendum Vesperas, et bibant de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam servabitur usque in Dominicam in Albis.*

786 *Feria secunda super Invitatorium per totam hebdomadam. Alleluia.*

Psalm. Cum invocarem. *Psal.* Verba mea. *Psal.* Domine, ne in furore. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Vers.* In resurrectione tua, Christe. *Resp.* Maria Magdalene, et altera Maria ibant diluculo ad monumentum. Jesum quem quæritis non est hic; surrexit sicut locutus est, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. *Vers.* Cito euntes dicite discipulis ejus et Petro quia surrexit Dominus. Præcedet. *Resp.* Surgens Jesus Dominus noster, et stans in medio discipulorum suorum dixit : Pax vobis, alleluia. Gavisi sunt discipuli viso Domino, alleluia, alleluia. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Gavisi sunt. *Resp.* Congratulamini mihi omnes qui diligitis Dominum, quia quem quærebam apparuit mihi, et dum flerem ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia. *Vers.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum; si tu sustulisti eum, dicito mihi. Et dum flerem.

(*Hic desunt tres lineæ in Ms.*)

Antiph. Qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? alleluia, alleluia. Respondens autem unus, cui nomen Cleophas, dixit ei : Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quæ facta sunt in illa his diebus? alleluia. Quibus ille dixit : Quæ? Et dixerunt de Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo, alleluia, alleluia. *Ant.* Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis interpretabatur illis Scripturas in omnibus quæ de ipso erant, alleluia. *Ant.* Et coegerunt illum dicentes ; Mane nobiscum, Domine, quia advesperascit, alleluia. *Ant.* Et intravit cum illis, et factum est cum recumberet cum illis, accepit panem, benedixit ac fregit, et porrigebat illis, alleluia. *Ant.* Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies, alleluia, alleluia.

Iterum ad Lateranum ordine quo supra his alleluia mutatis post Psalmum CXI.

Alleluia. Domine, refugium. *Vers.* Priusquam montes. *Ant.* Nonne sic oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam, alleluia. *Data Oratione descendant ad fontes cum Antiph.* Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, *et reliq. Deinde post Psal.* CXII *sequitur* alleluia. [d] Opymenonthon, etc. *Vers.* Apolon et Egyptom, etc. *Ant.* Cognoverunt Dominum, alleluia, in fractione panis, alleluia. *Et data Oratione cum Antiph. quale voluerit, descendant ad sanctum Andream, dictoque Psalmo* CXIII, *sequitur* alleluia. In exitu Israel. *Vers.* 1. Facta est Judæa. *Vers.* 2. Mare vidit.

787 *In Evangelio.*

Ant. Surrexit Dominus vere, alleluia, et apparuit Simoni, alleluia. *Sequitur Oratio.*

Feria tertia.

Psal. Domine Deus meus. *Psal.* Domine Dominus noster. *Psal.* In Domino confido. *Vers.* Surrexit Dominus vere. *Resp.* Virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluia. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum. *Resp.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Ait ei angelus : Noli flere, Maria. Surrexit sicut dixit, præcedet vos in Galilæam, ibi eum videbitis, alleluia, alleluia. *Vers.* Cito euntes dicite discipulis ejus et Petro quia surrexit Dominus. Præcedet. *Resp.* Expurgate vetus fermentum ut sitis nova conspersio; etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur in Domino, alleluia. *Vers.* Non in fermento malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis. Itaque.

In Evangelio.

Ant. Obtulerunt discipuli Domino partem piscis assi, et favum mellis, alleluia, alleluia. *Ant.* Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Jam credite, alleluia.

Ad Vesperas iterum ad Lateranum

Post psalmum CXI alleluia. Paratum cor meum. *Vers.* 1. Exsurge, gloria mea. *Vers.* 2. Ut liberentur.

In Evangelio.

Ant. Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis : Pax vobis, alleluia, alleluia. *Et data Orat., descendant ad fontes cum Antiph. Post Psal.* CXII *sequitur* [e] *alleluia.*

In Evangelio.

Ant. Videte manus meas, et pedes meos, quia ipse ego sum, alleluia, alleluia. *Data. Orat., itur ad sanctum Andream; post Psal.* CXIII *dicitur* alleluia. Confitebor tibi, Domine. *Vers.* 1. Adorabo ad templum. *Vers.* 2. Super misericordiam.

In Evangelio.

Ant. Isti sunt sermones quos dicebam vobis, cum essem vobiscum, alleluia, alleluia. *Ant.* Oportebat pati Christum, et resurgere a mortuis.

Feria quarta.

Psal. Salvum me fac, Domine. *Psal.* Usquequo.

[a] Apud Vulgatum Alcuinum, *ad fontes seu ad vestem.* Hoc loco forsitan baptizandi vestem deponebant, aut baptizati vestem albam induebant.

[b] Sancti Andreæ basilica proxima erat Vaticanæ.

[c] In Ord. Rom. jam laudato, *de Græco. de pactis, de procoma.* Ad quem locum plurimas variantes lect. affert Mabillonius. His vocibus indicantur loca, ubi hæc vini genera nascebantur.

[d] Lege ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ, *qui regis Israel;* et pro Apolon Ἄμπελον ἐξ Αἰγύπτου, *Vineam de Ægypto.* Ita legitur in Ordine Rom., de quo jam sæpe diximus.

[e] Hoc loco nihil corruptius in Codice ms. Legendum, ut in Ordine Rom. 1 a Mabill. dato : Προσέχετε, λαός μου, τῷ νόμῳ μου, κλίνατε τὸ οὖς ὑμῶν εἰς τὰ ῥήματα τοῦ στόματός μου. *Attendite, populus meus, legem meam*, etc.

Psal. Dixit insipiens. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Resp.* Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, aperire librum, et solvere septem signacula ejus, alleluia, alleluia, alleluia. *Vers.* Et unus de senioribus dixit mihi : Ne fleveris, dignus est Agnus qui occisus est accipere potestatem et fortitudinem, alleluia. *Resp.* Isti sunt agni novelli qui annuntiaverunt, alleluia, modo venerunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia, alleluia. *Vers.* Ecce præcedet vos in Galilæam ; ibi eum videbitis sicut dixit vobis. Modo in omnem terram, *ut sup. Resp.* De ore prudentis procedit mel, **788** alleluia ; dulcedo mellis est lingua ejus, alleluia : favus distillans labia ejus, alleluia, alleluia. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine, super mel et favum in ore meo. Favus.

In Evangelio.

Ant. Et recordatæ sunt verborum ejus, et regressæ a monumento nuntiaverunt hæc omnia illis undecim et cæteris omnibus, alleluia.

Ad Vesperas

Post. Psal. CXI alleluia. Te decet [Hymnus, Deus, *Vers.* 1. Replebimur.

In Evangelio.

Ant. Mittite in dexteram navigii rete, et invenietis, alleluia, *data Orat., itur ad fontes. Post. Psalm.* CXII alleluia. Confitemini Domino. *Vers.* 1. Cantate ei. *Vers.* 2. Laudamini. *Ant.* Dicit discipulus quem diligebant Jesu Petro, Dominus est, alleluia.

In Evangelio.

Data Orat., itur ad sanctum Andream. Post Psal. CXIII Inchoantes. *Resp.* Hæc dies. *Et respondent omnes*, quem fecit Dominus, *usque in finem. Ant.* Hoc jam tertio manifestatus est Jesus, postquam resurrexit a mortuis, alleluia.

Feria quinta.

Psal. Domine, quis habitabit. *Psal.* Conserva. *Psal.* Exaudi, Domine. *Vers.* Quem quæris, mulier. *Resp.* Ego sum vitis vera, et vos palmites; qui manet in me et ego in eum, hic fert fructum multum, alleluia, alleluia. *Vers.* Manete in dilectione mea, dicit Dominus. Qui manet. *Resp.* Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me. Philippe, qui videt me, videt et Patrem, alleluia. Jam creditis quia ego in Patre, et Pater in me est, alleluia, alleluia. *Vers.* Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Non creditis. *Resp.* Surrexit pastor bonus qui animam suam posuit pro ovibus suis, et pro suo grege mori dignatus est, alleluia, alleluia, alleluia. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno. Et pro grege.

In Evangelio.

Ant. Maria stans ad monumentum plorans, vidit angelum in albis sedentem, et sudarium quod fuerat super caput Jesu, alleluia.

Ad Vesperas.

Per circulum Psalm. cum all. dicant et reliq. Resp. Hæc dies quam fecit Dominus. *Ant.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, alleluia, et ego eum tollam, alleluia, alleluia. *Ant.* Venit Maria nuncians discipulis : Quia vidi Dominum, alleluia. *Ant.* Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum, quæro et non invenio ubi posuerunt eum, alleluia.

Feria sexta

Psal. Cœli enarrant. *Psal.* Exaudiat te Dominus. *Psal.* Domine, in virtute tua. *Vers.* Ecce ego vobiscum sum.

789 *Responsoria in feria secunda istius hebdomadæ.*

Resp. Maria Magdalene, *ut supra. Vers.* Cito euntes dicite discipulis. *Resp.* Surgens Dominus noster. *Vers.* Surrexit Dominus de sepulcro. *Resp.* Congratulamini mihi omnes. *Vers.* Tulerunt Dominum meum. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum, alleluia, omnibus diebus, allelu a. *Post. Psal.* CXI alleluia. Lætatus sum. *Vers.* Stantes erant pedes nostri. *Vers.* Rogate quæ ad pacem sunt. *Ant.* Undecim discipuli in Galilæa videntes Dominum adoraverunt, alleluia. *Data Orat., descendant cum Antiph....... Resp.* Hæc dies quam fecit Dominus. *Ant.* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, alleluia. *In pace post Orationes descendant ad fontes. Post Psal.* CXIII alleluia. Qui confidunt. *Vers.* 1. Montes in circuitu ejus. *Vers.* 2. Ut non extendant justi. *Ant.* Euntes in mundum, docete omnes gentes, baptizantes eos, alleluia, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, alleluia. *Ant.* Dixit Jesus discipulis suis : Afferte de piscibus quos prendidistis nunc; ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, alleluia.

Sabbato.

Psal. Dominus regit me. *Psal.* Domini est terra. *Psal.* Judica me, Domine, quoniam unicus, alleluia, *ut supra. Vers.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum, alleluia, allel., allel.

Responsoria requiruntur retro ut supra in Evangelio.

Ant. Jesum qui crucifixus est quæritis, alleluia. Non est, surrexit enim sicut dixit vobis, alleluia. *Post Psal.* CXI. All. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus. *Vers.* Notum fecit Dominus salutare suum, in conspectu gentium revelabit justitiam suam.

In Evangelio.

Ant. Gavisi sunt discipuli, alleluia, viso Domino, alleluia. *Data Orat., descendant ad fontes. Post Psal.* CXII.

In Græco, alleluia [a] yorinu degente doxon teupi esse detheron authu angelithon stercona. *Ant.* Accipite spiritum sanctum ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, alleluia, *absque Psal.* CXIII.

Pro Versibus et Responsis, a Pascha usque in Octavam, ad Tertiam, Sextam, Nonamque R. G. Hæc dies, *tantum prima sine* Kyrie eleison.

Dominica Octavæ Paschæ.

Psal. Beatus vir, *usque*, Domine, in virtute tua *sicut aliis dominicis noctibus canantur. Vers.* Jubilate Deo, omnis terra. *Vers.* Cantate Domino. *Vers.* Noli flere, Maria. *Vers.* Dicite in nationibus. *Vers.* Dominus regnavit, decorem. *Isti sunt dicendi in omnibus diebus per totam Resurrectionem.*

Responsoria requiruntur a Pascha, usque in octav. Ipsos debes canere usque in tert. hebdom. Ant. Post dies octo januis clausis, ingressus Dominus, dixit eis : Pax vobis, allel., allel. *Ant.* Pax vobis, ego sum, nolite timere, alleluia, alleluia.

Ad Vesperas, Dominica in Albis

Post. Psalm. CX, *allel.* [b] Dautha Galtoa southa **790** heiria alla laxanieu'e theothu sotori ymon. *Vers.* Protasome propasome theopropason autuonsomo logificen. *Vers.* 2 Othitheus megasterrius hebebasymegas orypason tingis eimuuden. *Alleluia sequitur*

[a] Lege : Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ· ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. ut exstat in Ordine Rom. a nobis commemorato ; id est : *Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.*

[b] Lege : Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ κυρίῳ, ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν. Προφθάσωμεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν ἐξομολογήσει. καὶ ἐν ψαλμοῖς ἀλαλάξωμεν αὐτῷ· ὅτι Θεὸς μέγας κύριος καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Id est : *Venite exsultemus*, etc., usque *et Rex magnus super omnem terram.*

Ant. Quia vidisti me, Thoma, credidisti; beati qui non viderunt, et crediderunt, alleluia, alleluia. Beatus vir. *Post hanc* Alleluia. Omnes gentes, plaudite. *Vers.* 1. Quoniam Dominus summus. *Vers.* 2. Ascendit Deus in jubilatione. *Ant.* Misi digitos meos in fixuram clavorum, et manus meas in latus ejus, et dixi: Dominus meus, et Deus meus, alleluia.

In Evangelio.

Ant. Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum, alleluia, et noli esse incredulus, sed fidelis, alleluia. *Ant.* Hæc autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ipsius, allel. *Data Orat. et finita*, post hanc bibant ecunacum primo [*Forte* bibant, una cum primo] scholæ pergant canentes ad Later. *Antiph.* Antepono.

Ab Octava Paschæ per totam Resurrectionem.

Super Psal. in Evangelium et versoria, et in sanctorum, alleluia, dicendæ sunt item Antiph. de Resurrectione Domini, ubicunque volueris. Ant. Exeuntes duo ex discipulis Jesu, ibant ipso die in castellum nomine Emmaus, alleluia. *Ant.* Pax vobis, ego sum, nolite timere, alleluia. *Ant.* Conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Et ait illis: Quid turbati estis [et cogitationes] ascendunt in corda vestra, alleluia, alleluia. *Ant.* Spiritus carnem et ossa non habent sicut me videtis habere. Jam credite, alleluia. *Ant.* Et dixit ad eos, alleluia, hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, alleluia. *Ant.* Manifestavit se Jesus ad mare Tiberiadis, alleluia, alleluia, stans Jesus in littore, vocavit discipulos suos, alleluia. *Ant.* Cum audisset Petrus quia Dominus est, tunica succinxit se, et misit in mare, et clamavit voce magna dicens: Exi a me, Domine, quia homo peccator sum. *Ant.* Dum flerent ad monumentum, vidi Dominum meum, alleluia. *Ant*, Inclinavit se Maria, prospexit in monumentum, vidit duos angelos in albis sedentes, alleluia. *Ant.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Noli flere, Maria, resurrexit Dominus sicut dixit, alleluia. *Ant.* Maria, noli jam flere Dominum Deum quem quæris, surrexit a mortuis, alleluia. *Ant.* Videntes eum adoraverunt, alleluia. Et locutus est eis, alleluia. *Ant.* Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis, alleluia. *Ant.* Una autem Sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quæ paraverant aromata, alleluia, alleluia. *Ant.* Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro; et venit prior ad monumentum, alleluia. *Ant.* Gavisi sunt discipuli, alleluia, viso Domino, alleluia. *Ant.* Sicut misit me Pater, et ego mitto vos, alleluia. *Ant.* Quomodo tradiderunt justum summi sacerdotum, et principes nostri in damnationem mortis ejus consenserunt, et crucifixerunt eum, alleluia. *Ant.* Jesus junxit se discipulis suis in via, et ibat cum illis; oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent, et increpavit eos dicens: O stulti et tardi corde, ad credendum in his quæ locuti sunt **791** prophetæ, alleluia. *Ant.* Ardens erat cor nostrum, dum loqueretur nobis in via, et aperiret nobis Scripturas, alleluia. *Ant.* Surgens autem mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua ejecerat septem dæmonia, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Præcedam vos in Galilæam; ibi me videbitis sicut dixi vobis, alleluia. *Ant.* Et ingressi, non invenerunt corpus Jesu, alleluia. *Ant.* Quem quæris, mulier, alleluia. Viventem cum mortuis, alleluia. *Ant.* Noli flere, Maria, alleluia, resurrexit Dominus, alleluia, alleluia. *Ant.* Surrexit Christus, et illuxit populo suo quem redemit sanguinem suum [sanguine suo], alleluia. *Ant.* Ardens est cor meum, desidero videre Dominum meum; quæro et non invenio ubi posuerunt eum, alleluia. *Ant.* Crucifixus resurrexit a mortuis, redemit nos, alleluia. *Ant.* Ego sum vitis vera, alleluia; vos palmites veri, alleluia. *Ant.* Dixit Jesus discipulis suis: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus, alleluia. Tu solus peregrinus es, et non audisti de Jesu, quomodo tradiderunt eum ad damnationem mortis, alleluia. *Ant.* Et ecce Jesus occurrit illis, dicens: Averte. Illæ autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, allel. *Ant.* Tunc ait illis Jesus: Nolite timere, nuntiate fratribus meis, alleluia, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt, alleluia. *Ant.* Surrexit enim sicut dixit Dominus, et præcedet vos in Galilæam, alleluia. Ibi eum videbitis, alleluia, alleluia, alleluia. *Ant.* Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam. Ibi me videbunt allel., allel., allel. *Ant.* Mitte manum tuam, et cognosce loca clavorum, alleluia, et noli esse, *ut supra*. *Ant.* Misi digitos meos, *ut supra*. *Ant.* Videte manus meas, et pedes meos, quia ipse ego sum, allel., allel. *Ant.*, Christus surrexit a mortuis, jam non moritur, alleluia. *Ant.* Euntes in mundum, alleluia, docete omnes gentes, alleluia. *Ant.* Ecce ego vobiscum sum, alleluia, omnibus diebus, alleluia. *Ant.* Surrexit Christus, et illuxit populo suo, alleluia. *Ant.* Christus via, veritas et vita, allel., allel. *Ant.* Ego sum via, veritas et vita, allel., allel. *Ant.* Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, quod non tenuimus eum in via, alleluia. *Ant.* In Galilæa Jesum videbitis, sicut dixit vobis, alleluia. *Ant.* Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno, alleluia. *Ant.* Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, alleluia, quæ non sunt scripta in libro hoc, alleluia. *Ant.* Cum esset sero die illo, una Sabbatorum, et fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati, stetit Jesus in medio, et dixit eis pax vobis. Alleluia.

(*Desunt tres lineæ in Ms.*)

In Pascha [a] *annotina.*

Ant. Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. Nemo potest hæc signa facere nisi fuerit Deus cum eo. *Ant.* Dixit Jesus Nicodemo: Tu es magister in Israel, et hæc ignoras? quia dixi vobis, oportet vos nasci denuo, alleluia. *Ant.* Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo, alleluia.

Dominica prima post Octavam Paschæ.

Ant. Ego sum pastor ovium; ego sum via, et veritas, **792** ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscunt me meæ, allel., allel. *Ant.* Mercenarius est.... *cætera desunt*. *Ant.* Sicut misit me Pater, et ego agnosco Patrem; et animam meam pono pro ovibus meis, alleluia. *Ant.* Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili. Et illas oportet me adducere; et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Dominica secunda.

Ant. Modicum et non videbitis me, dicit Dominus, et iterum modicum et videbitis me, quia vado ad Patrem, allel., allel. *Ant.* Amen dico vobis, plorabitis et flebitis vos, mundus autem gaudebit. Tristitia vestra vertetur in gaudium, allel., allel. *Ant.* Amen dico vobis, mundus plorabit, et vos gaudebitis, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia. *Ant.* Tristitia implevit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, allel., allel. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum: et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, alleluia.

Dominica tertia.

Ant. Vado ad eum qui misit me; sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum, alleluia. *Ant.* Ego veritatem dico vobis, expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, Paracletus non veniet, alleluia. *Ant.* Si enim non abiero.... *Cætera desunt.*

[a] Quid sit Pascha annotina, repete ex nota 334 ad lib. Sacram.

Dominica quarta.

Ant. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem, allel. *Ant.* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; et quæ ventura sunt annuntiabit vobis, alleluia. *Ant.* Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis, alleluia. *Ant.* Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, alleluia; propterea dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, alleluia.

Dominica quinta.

Ant. Usque modo non petistis quidquam? petite et accipietis, alleluia. *Ant.* Petite et accipietis, ut gaudium vestrum plenum sit. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis, allel. *Ant.* Hæc in proverbiis locutus sum vobis; venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiabo vobis, alleluia. *Ant.* Illo die in nomine meo petetis, et non dico vobis quia rogabo Patrem de vobis, alleluia. *Ant.* Rogabo de vobis Patrem; ipse enim pater amat vos, quia vos me amatis, alleluia. *Ant.* Exivi a Patre et veni in mundum. Iterum relinquo mundum, et vado ad Patrem, allel., allel. *Ant.* Ecce nunc palam loqueris..... *Cætera desunt.* *Ant.* Nunc scimus quia scis omnia, et non est opus tibi ut quis te interroget, in hoc credimus quia a Deo existi, allel.

Dominica sexta.

Ant. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, alleluia. *Ant.* Sed venit hora ut omnis qui interficit vos, allel., arbitretur obsequium se præstare Deo.

793 *Dominica septima.*

Antiph. Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque petieritis fiet vobis, alleluia. *Ant.* Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur, alleluia.

In litania majore.

Antiph. Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis, allel. *Ant.* Omnis enim qui petit accipit; et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur, allel. *Ant.* Quis scit si convertatur. *Ant.* Clementissime, exaudi, Domine, populum tuum. *Ant.* Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. *Ant.* Nos sumus qui peccavimus, Domine, et inique egimus. Munda nos a peccatis nostris, quia pius es. *Ant.* Omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, allel. *Ant.* Maneat in nobis spes, fides, charitas, tria hæc; major autem his est charitas, alleluia.

Responsoria de auctoritate, in Dominicam tertiam sive in quartam.

Resp. Dignus es, Domine, accipere librum et aperire signacula ejus; quoniam occisus es, et redemisti nos in sanguine tuo, allel. *Vers.* Parce, Domine, parce populo tuo, quem redemisti, Christe, in sanguine tuo. *Resp.* Ego sicut vitis, fructificavi suavitatem odoris, alleluia. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplemini, allel., allel. *Vers.* Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. Transite. * *Resp.* Audivi vocem in cœlo tanquam vocem tonitrui magni, alleluia. Regnavit Dominus noster in æternum, alleluia, quia facta est salus, et virtus, et potestas Christi ejus, allel., allel. *Vers.* Vidi angelum Dei volantem per medium cœlum, voce magna clamantem et dicentem. Regnavit. *Resp.* Locutus est ad me unus ex septem angelis, dicens: Veni, ostendam tibi novam nuptam sponsam Agni. Et vidi Jerusalem descendentem de cœlo ornatam monilibus suis, allel., allel., allel. *Vers.* Ego diligentes me, *ut supra.* *Resp.* Audivi vocem in cœlo angelorum multorum dicentium: Timete Dominum, et date gloriam illi, et adorate eum qui fecit cœlum et terram, mare et fontes aquarum, allel., allel. *Vers.* Vidi angelum Dei, *ut supra.* *Resp.* Decantabat populus in Israel, alleluia, et universa multitudo Jacob canebat legitime, et David cum cantoribus citharam percutiebat in domo Domini; et laudem Deo canebat, allel., allel. *Vers.* Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, et Samuel inter eos. Et laudem. *Resp.* Vidi portam civitatis ad Orientem positam, et apostolorum nomina et Agni super eam scripta; et super muros ejus angelorum custodia, alleluia. *Vers.* Vidi sanctam civitatem Jerusalem descendentem de cœlo, ornatam tanquam sponsam viro suo. Et super muros. *Resp.* Ostendit mihi angelus fontem aquæ vivæ, et dixit ad me, alleluia, Hic Deum adora, alleluia, alleluia. *Vers.* Vidi angelum Dei, *ut supra.* *Resp.* Vidi Jerusalem descendentem de cœlo ornatam auro mundo, et lapidibus pretiosis intextam, allel., allel. *Vers.* Ab intus in fimbriis aureis circumamictam varietate et lapidibus. *Resp.* Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis, **794** allel. Altitudo tua similis est palmæ insufficienti, in plenitudine charitatis, allel., allel., allel. *Vers.* Ego diligentes, *ut supra.* *Resp.* In diademate capitis Aaron lapides pretiosi fulgebant, dum perficeretur opus Dei, allel., allel., allel. *Vers.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis. Dum perficeretur. *Resp.* Plateæ tuæ, Jerusalem, sternentur auro mundo, alleluia; et cantabitur in te canticum lætitiæ, alleluia; et per omnes vicos tuos ab universis dicetur, allel., allel. *Vers.* Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. Et per omnes. *Resp.* Veniens a Libano quam pulchra facta est, alleluia; et odor vestimentorum ejus super omnia aromata, allel., allel. *Vers.* Speciosa facta est et suavis in deliciis suis. Et odor. *Resp.* Hæc est Jerusalem civitas magna cœlestis, ornata tanquam sponsa Agni, quoniam tabernaculum facta est, allel. *Vers.* Vidi Jerusalem descendentem, *ut supra.* *Resp.* Docete filios vestros, alleluia, ut memoriter teneant, alleluia, et ore decantent, alleluia. *Vers.* Confiteantur Domino misericordiæ ejus, et mirabilia ejus filiis hominum. Et ore. *Resp.* Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluia, splendorem Deo dederunt, alleluia, et sicut lac coagulati sunt, allel., allel. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Et sicut lac.

Responsoria de Dominica quinta.

Hi sunt canendi usque in Ascensione Domini.

Resp. Si oblitus fuero tui, allel., obliviscatur me dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, allel., allel. *Vers.* Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur tui, Sion. Adhæreat. *Resp.* Viderunt te aquæ, Deus, viderunt te aquæ et timuerunt; multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes, allel., allel., allel. *Vers.* Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ, vidit et commota est terra. *Resp.* In toto corde meo, alleluia, exquisivi te, alleluia; ne repellas me a mandatis tuis, allel., allel. *Vers.* Vide humilitatem meam et eripe me, quia legem tuam non sum oblitus. Ne repellas. *Resp.* Alleluia. Audivimus et in effrata [eum in Ephrata], invenimus eam in campis silvæ; introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, allel. *Vers.* Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum. Ubi. *Vers.* Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. Adorabimus. *Resp.* Deduc me in semitam mandatorum tuorum, allel., quoniam ipsam volui, alleluia. Inclina cor

* Alius est ordo respons. apud Amalarium, lib. de Ord. Antiph., c. 56.

meum in testimonia tua, allel., allel., allel. *Vers.* Averte oculos ne videant vanitatem, in via vivifica me. Inclina. *Resp.* Narrabo nomen tuum fratribus meis; in medio Ecclesiæ laudabo te, allel., allel. *Vers.* Qui timetis Dominum, laudate eum; universum semen Jacob, magnificate eum. In medio. *Resp.* In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel, all., all., all. *Vers.* Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra. Domino. *Resp.* Hymnum novum cantate nobis, alleluia; quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena, allel., allel. *Vers.* Super flumina, *ut supra.* *Resp.* Deus, canticum novum cantabo tibi, alleluia, in psalterio decem chordarum psallam tibi, allel., allel. *Vers.* Qui dat salutem regibus, qui redemit David servum suum de gladio maligno. In psalterio. *Resp.* Allel. Judica judicium meum, et redime me, allel. *Ant.* Calumniantibus me, alleluia. *Vers.* Vide humilitatem meam, *ut supra.* Et redime. *Resp.* Alleluia. Delectatio bona **795** in operibus manuum illius, divitiæ multæ, allel., allel. *Vers.* Speciosa facta est et suavis in deliciis suis. Divitiæ. *Resp.* Cantate Deo, allel. Psalmum dicite, allel. *Vers.* Date gloriam laudi ejus. Psalmum. *Resp.* Alleluia. Nomen bonum melius est quam divitiæ multæ; super aurum et argentum gratia bona est, allel., allel. *Vers.* Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine! super mel et favum ori meo. Super. *Resp.* Alleluia. Fac cum servo tuo secundum mirabilia tua, Domine, allel., allel., allel. *Vers.* Servus tuus ego sum, da mihi intellectum ut discam mandata tua, alleluia. *Resp.* Bonum est confiteri Domino, allel., et psallere, allel., allel. *Vers.* Ad annuntiandum mane misericordiam tuam, et veritatem tuam per noctem. Et psallere. *Resp.* Dicant nunc qui redempti sunt a Domino, allel. *Vers.* Quos redemit de manu inimici, de regionibus congregavit eos. A Domino.

(*Desunt quatuor lineæ in Ms.*)

Responsoria de sanctis cum Alleluia.

Resp. Beatus vir qui timet Dominum, alleluia, in mandatis ejus qui cupit nimis, allel., allel., allel. *Vers.* Potens in terra, *ut supra.* In mandatis. *Resp.* Tristitia vestra, alleluia, convertetur in gaudium, allel., allel. *Vers.* Mundus autem gaudebit, vos autem plorabitis, dicit Dominus, alleluia. *Resp.* Pretiosa in conspectu Domini, allel., mors sanctorum ejus, allel. *Vers.* In conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem. *Resp.* Filiæ Jerusalem, venite et videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, in die solemnitatis et lætitiæ, alleluia. *Vers.* Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filiis tuis in te. In die solemnitatis. *Resp.* Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum, alleluia, alleluia. *Vers.* Lux orta est justo, et rectis corde lætitia. Et æternitas. *Resp.* Justorum animæ, *ut supra.* *Vers.* Vidi civitatem sanctam Jerusalem ornatam et compositam decorationibus sanctorum; et ibi cantant omnes sancti canticum novum, allel., allel. *Vers.* Magnus Dominus et laudabilis nimis, in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

(*Desunt octo lineæ in Ms.*)

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. Alleluia. Ego sum vitis vera. *Ant.* Si manseritis in me. *Ant.* [a] Non turbetur cor vestrum. *Ant.* Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis; et amodo cognoscetis eum et vidistis eum, allel., allel., allel. *Ant.* Tanto tempore vobiscum sum, alleluia, et non cognovistis me, Philippe, alleluia. *Ant.* Non turbetur cor vestrum neque formidet; creditis in Deum, et in me credite. **796** In domo Patris mei mansiones multæ sunt, alleluia, alleluia. *Ant.* Angelus Domini locutus est ad Philippum; surge et vade contra meridianum ad viam quæ descendit a Jerusalem in Gaza, alleluia. *Ant.* Ecce quomodo computati sunt inter filios, et inter sanctos sors illorum est, alleluia. *Ant.* Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, allel. *Ant.* Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, allel., allel. *Ant.* Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, alleluia. *Ant.* Manete in dilectione mea sicut dilexi vos, alleluia. *Ant.* Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcunque petieritis fiet vobis, allel., allel., allel. *Ant.* Erat autem Philippus a Betsaida civitate, alleluia. *Ant.* Sancti et justi, in Domino gaudete. *Ant.* In cœlestibus regnis. *Ant.* In velamento clamabant. *Ant.* Sancti tui, Domine.

(*Deest una linea in Ms.*)

Resp. Nomen et glorios. [b] Georgius est martyr Christe, præstans Orationibus suis beneficia hominibus, usque in præsentem diem, allel., allel. *Vers.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. Usque in presentem diem.

(*Desunt quinque lineæ in Ms.*)

In vigilia Ascensionis Domini ad Vesperas.

Vers. Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem, allel., allel., allel. *Ant.* Pater, manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te vado, alleluia.

Ad Invitatorium. Ant. deest in primo nocturno.

Antiph. Elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus, allel. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant* Dominus in templo sancto suo, Dominus in cœlo, alleluia. *Psal.* In Domino confido, *Ant.* A summo cœlo egressio ejus, et occursus ejus, alleluia. *Psal.* Cœli enarrant. *Vers.* Ascendit Deus. *Resp.* Post passionem suam per dies quadraginta apparens eis, loquens de regno Dei, alleluia, et videntibus illis elevatus est, allel. Et nubes suscepit eum ab oculis eorum, alleluia. *Vers.* Et convescens præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed exspectarent promissionem Patris. Et videntibus. *Resp.* Omnis pulchritudo Domini exaltata est super sidera; species ejus in nubibus cœli, et nomen ejus in æternum permanet, alleluia. *Vers.* Nisi ego abiero, Paracletus non veniet; dum assumptus fuero, mittam vobis eum. Et nomen. *Resp.* Non turbetur cor vestrum. Ego vado ad Patrem, et dum assumptus fuero a vobis, mittam vobis, alleluia, Spiritum veritatis, et gaudebit cor vestrum, alleluia. *Vers.* Nisi ego, *ut supra.*

In secundo nocturno.

Antiph. Exaltare, Domine, in virtute tua; cantabimus et psallemus, alleluia. *Psal.* Domine, in virtute. **797** *Ant.* Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me, allel. *Psal.* Ipsum. *Ant.* Ascendit Deus in jubilatione; Dominus in voce tubæ, allel. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* A summo cœlo.

Resp. unde supra.

Resp. Ascendens in altum, allel., captivam duxit captivitatem; dedit dona hominibus, allel., allel. *Vers.* Ascendit Deus in jubilatione, allel. Dominus in voce tubæ. *Resp.* Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem. In voce. *Resp.* Modicum et non videbitis, *ut supra.* *Vers.* Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. Quia vado. *Resp.* Psallam Domino, quia, *ut supra.* *Vers.* Ecce dabit voci suæ vocem virtutis;

[a] Hoc officium videtur esse de sancto Philippo apostolo, Kalendis Maii, quem a Philippo diacono non discerni probant quæ seq.: *Angelus Domini locutus est ad Philippum*, etc.

[b] Ordine præpostero videtur hoc loco sancti Georgii officium positum post offic. de sancto Philippo nam festum sancti Georgii in lib. Sacram. et aliis vet. monumentis notatur nono Kalendas Maii.

date honorem Deo. Quia. *Ant.* Nimis exaltatus est Deus super omnes cœlos, allel. *Psalm.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Deus in Sion, allel., magnus et excelsus, allel. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Ant.* Dominus in cœlo, allel., paravit sedem suam, allel. *Psal.* Benedic, anima mea. 2. *Vers.* Nimis exaltus est super omnes Deos, allel., allel., allel.

Responsoria unde supra.

Resp. Ponis nubem ascensum tuum, Domine, qui ambulas super pennas ventorum, allel. *Vers.* Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem. Qui ambulas. *Resp.* exaltare, Domine, allel., in virtute tua, allel. *Vers.* Cantabimus et psallemus virtutes tuas. In virtute. *Resp.* Tempus est ut revertar ad eum qui misit me, dicit Dominus; nolite contristari, nec turbetur cor vestrum; rogo pro vobis Patrem, ut ipse vos custodiat, allel., allel. *Vers.* Nisi ego abiero, *ut supra.* Rogo. *Vers.* Ascendo ad Patrem meum, *ut supra. Resp.* Non conturbetur cor vestrum. Ego vado ad Patrem, et mittam vobis Spiritum veritatis, et ipse vos docebit, quæ sunt præcepta vitæ, allel. *Vers.* Nisi ego, *ut supra. Resp.* Eduxit Dominus discipulos suos foras in Bethaniam, et benedixit eis, allel. *Vers.* Et factum est dum benediceret eos, recessit ab eis, et ferebatur in cœlum, allel. *Resp.* Pacem meam do vobis, *ut supra. Vers.* Non vos relinquam orphanos, dicit Dominus. Veniam ad vos iterum. Pacem. *Resp.* Non vos relinquam orphanos, *ut supra. Vers.* Pacem meam do vobis, dicit Dominus, pacem relinquo vobis. Et gaudebit. *Resp.* Pater, cum essem cum eis, *ut supra. Vers.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Non rogo

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Viri Galilæi, quid aspicitis in cœlum? Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet, allel. *Ant.* Cumque intuerentur in cœlum, euntem illum, dixerunt, allel. *Ant.* Elevatis manibus benedixit eis et ferebatur in cœlum, allel. *Ant.* Exaltate Regem regum et hymnum dicite Deo, allel. *Ant.* Videntibus illis elevatus est, et nubes suscepit eum, allel.

In Evangelio.

Antiph. Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, alleluia. *Ant.* Sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, alleluia. *Ant.* Nisi ego abiero, Paracletus non veniet, dum assumptus, *ut supra. Ant.* Non turbetur cor vestrum, allel. Ego vado ad Patrem, allel. *Ant.* Rogavi Patrem meum, et alium **798** Paracletum mittet vobis, allel. *Ant.* Dominus quidem Jesus, postquam locutus est, ascendit in cœlum, et sedet a dextris Dei, allel. *Ant.* Pacem meam do vobis, allel. Pacem, *ut supra. Ant.* Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Deo cooperante, [et] sermonem confirmante sequentibus signis, allel., allel. *Ant.* Vado parare vobis locum, et iterum veniam ad vos, allel., et gaudebit cor vestrum, allel., allel. *Ant.* Euntes prædicate Evangelium regni. Gratis accepistis, gratis date, allel. *Ant.* Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, allel. *Ant.* Etsi mortiferum quid biberint, non eos nocebit, allel. *Ant.* O rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos; sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis, allel. *Ant.* Pater sancte, hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram; opus consummavi quos [quod] dedisti mihi, ut faciant, allel. *Ant.* Pater juste, mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi; et hi cognoverunt, quia tu me misisti; et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, ut dilectio qua dilexisti me in ipsis sit, et ego in ipsis. *Ant.* Nunc autem ad te venio..... *Cætera desunt in Ms.*

(*Duæ lineæ desunt in Ms.*)

In vigilia Pentecostes ad Vesperas.

Vers. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel., allel., allel. *Ant.* Si diligitis me, mandata mea servate, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus, allel. Non vos relinquam orphanos, allel. Vado et venio ad vos, allel. Et gaudebit cor vestrum, alleluia.

Ad Invitatorium.

Antiph. Alleluia, spiritus Domini replevit orbem terrarum, alleluia.

In primo nocturno.

Antiph. [a] Factus est repente de cœlo sonus advenientis spiritus vehementis, allel., allel. *Psalm.* Magnus Dominus et laudabilis. *Ant.* Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis, a templo sancto tuo, quod est in Jerusalem, alleluia, alleluia. *Psal.* Exsurgat Deus. *Ant.* Emitte spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ, alleluia, alleluia. *Psal.* Benedic, anima mea. 2. *Vers.* Emitte Spiritum tuum.

Responsoria.

Resp. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes, allel.; et subito factus est de cœlo sonus, allel., tanquam spiritus torrens replevit totam domum, allel., allel. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui. Tanquam Spiritus. *Resp.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Et convenit multitudo dicentium, allel. *Vers.* Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei. Et convenit. *Resp.* Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia cognovistis quæ operatus sum in medio vestri, allel. Accipite Spiritum sanctum in vobis Paracletum; **799** ille est quem Pater mittet vobis, allel. *Vers.* Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Accipite. *Resp.* Ultimo festivitatis die dicebat Jesus: Qui in me credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, allel., allel. *Vers.* Qui sitit, veniat et bibat, et de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem. *Resp.* Disciplinam et sapientiam docebit eos Dominus, allel.; firmavit in illis gratiam Spiritus sui, et intellectus implevit corda eorum, allel., allel. *Vers.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia scientia. Et intellectus. *Resp.* Spiritus sanctus procedens a throno, apostolorum pectora invisibiliter penetravit, novum [novo] sanctificationis signum, ut in ore eorum omnium genera nascerentur linguarum, allel. *Vers.* Loquebantur variis, *ut supra.* Ut in ore. *Resp.* Dum venerit Paracletus, *ut supra. Vers.* Nisi ego abiero, *ut supra.* Ille arguet. *Resp.* Non vos relinquam orphanos. *Vers.* Pacem meam. Et gaudebit. *Resp.* Ite in orbem universum, et prædicate dicentes, allel.; et qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, allel., allel., allel. *Vers.* Signa eos qui in me credunt hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis. Et qui crediderit. *Vers.* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et qui. *Resp.* Apparuerunt apostolis dispertitæ linguæ tanquam ignis, alleluia. Seditque supra singulos eorum Spiritus sanctus, allel., allel. *Vers.* Et cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis. Seditque. *Resp.* Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, allel. *Vers.* Repleti sunt

[a] Tres sequentes Antiphonas Romanos non canere, sed ex Antiphonario Metensi prodiisse ait Amalarius, de Ordine Antiphon., c. 57. Cur hac die tres tantum Psalmi canantur, ex eodem Amalario repete, ibid.

omnes Spiritu sancto, *ut supra*. *Resp.* Facta autem hac voce convenit multitudo, et mente confusa est, quia audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes magnalia Dei, alleluia. *Vers.* Nonne omnes ecce isti qui loquuntur Galilæi sunt, et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram. Illos loquentes. *Resp.* Advenit ignis divinus non comburens, sed illuminans, non consumens, sed lucens; et invenit corda discipulorum receptacula munda, et tribuit eis charismatum dona, allel., allel. *Vers.* Loquebantur variis, *ut supra*. Et tribuit. *Resp.* In servis suis, allel.; consolabitur Deus, allel. *Vers.* Loquebantur, *ut supra*.

Antiphonæ in Matutinis.

Antiph. Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter dicentes, allel. *Ant.* Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel. *Ant.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto, et cœperunt loqui, allel. *Ant.* Fontes et omnia quæ moventur in aquis, Hymnum dicite Deo, allel. *Ant.* Loquebantur variis linguis apostoli magnalia Dei, allel., allel., allel. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto.

In Evangelio.

Antiph. Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, allel. *Ant.* Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Et Pater meus, *ut supra*. *Ant.* Spiritus Paracletus, allel. Docebit vos omnia, allel. *Ant.* Verba quæ locutus sum vobis, allel. Spiritus et vita sunt. *Ant.* Spiritus qui a Patre procedit, allel., ille me clarificabit, allel., allel. *Ant.* Et si mortiferum quid biberint, non eos nocebunt, allel. *Ant.* Spiritus sanctus docebit vos, allel., quæcunque dixero vobis, allel. *Ant.* Sicut misit me Pater, allel., et ego mitto vos, allel. **800** *Ant.* Audistis, quia dictum est : Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis quia ad Patrem vado, quia Pater major me est, allel. *Ant.* Illi qui linguis loquuntur novis, Galilæi sunt. Et serpentes tollent, alleluia.

Feria secunda.

Antiph. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam, allel. *Ant.* Omnis enim qui male agit odit lucem; et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus, alleluia. *Ant.* Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta, alleluia.

Feria tertia.

Ant. Amen, amen dico vobis quia ego sum ostium ovium. Omnes quotquot venerunt fures sunt et latrones, sed non audierunt eos oves, allel. *Ant.* Ego sum ostium, dicit Dominus, per me si quis introierit salvabitur; et pascua inveniet, alleluia.

Feria quarta.

Antiph. Scriptum est in prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei, allel. *Ant.* Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam, allel.

Feria quinta.

Antiph. Ut autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, allel.

Feria sexta.

Antiph. Turba autem increpabat eos, ut tacerent; at illi magis clamabant dicentes : Miserere nostri, Fili David, alleluia. *Ant.* Stetit Jesus, et ait : quid vultis ut faciam vobis? Dicunt illi : Ut aperiantur oculi nostri, allel. *Ant.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, allel.

Sabbato.

Antiph. Si quis diligit me, *ut supra*. *Ant.* Si manseritis, *ut supra*. *Ant.* Si cognovissetis me, *ut supra*.

Antiphonæ in Matutinis de sancto Germano.

Antiph. Beatissimi Germani hodie solemnitas veneranda recolitur, christianis populis exsultatio. *Ant.* Cum Patrem festa instaurator discipulorum corda lætificat, veneratio impensa magistri. *Ant.* Cumque beatus Germanus in omnibus Christi mandatis ambularet, circumquaque regiones, vel urbes exhortationis gratia perlustrabat. *Ant.* Ad sepulcrum beati Germani ægri veniunt et sanantur; ubi benedicunt Deum dicentes : Benedictus es, Domine. *Ant.* Laudemus Dominum in beata antistitis Germani memoria gloriosa, ad sepulcrum ejus ægri veniunt et sanantur.

In Evangelio.

Antiph. Visitavit nos Deus Patrum vestrorum, allel. Ferte vobiscum hinc ossa mea, allel., et collocate me in sepulcro patrum meorum, alleluia, alleluia.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sancti ac beatissimi Medardi. Quod est VI *Id. Jun. Ad Vesperas.*

(*Desunt tres lineæ in Ms*)

801 *Antiph.* Beatissimi Medardi antistitis vita, quæ per universum orbem virtutum propalatur insignibus, silentio nequivimus præterire. *Psal.* Beatus vir qui non abiit. *Ant.* Crescat in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum sanctorum tuorum panditur magnitudo. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ita sanctus Medardus, hoc quod prædixerat, quasi propheta divino Spiritu jam probavit. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea ad Dominum clamavi.

Responsoria unde supra.

Resp. Beatissimi Medardi antistitis vita, quæ per universum orbem virtutum propalatur insignibus, solemnitatis ejus diem veneratione expetere depositionis suæ commemoratio principalis invitat. *Vers.* Crescat in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum sanctorum tuorum panditur magnitudo. Solemnitatis. *Resp.* Sanctus Medardus parvus et innocens, dum adhuc esset in scholis, dixit ad Eleutherium quemdam comparem suum, ipsum esse futurum summum Dei pontificem. *Vers.* Ita sanctus Medardus, hoc quod prædixerat, quasi propheta divino Spiritu jam probavit. Ipsum esse futurum. *Resp.* Cinctus ergo fidei fervore, dum ad templorum oracula discurreret, et patientiæ moribus temperaret propriæ voluntatis arbitrium, officium sacerdotis excepit. *Vers.* Conversus pariter animo et habitu morum charitate præcellens.

Antiphonæ in secundo nocturno.

Antiph. Occurrunt sanctissimo viro Medardo, et data Oratione discordantes quæ tulerant laxari, pergunt itinera. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Nec hoc prætereat inter reliqua miranda signa : quidam, Tasio nomine, adamantis gravatur oppressus infestatione; curari meruit, expressoque viri Dei signaculo, surrexit incolumis. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis, per diversa orbis spatia, gratia crescente, fama ejus præcelluit. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Confestim claruit apud urbis pontificem, conversatione præcipuus apud cunctos, puritate mentis sincerus. Nunquam se ubertate lætitiæ plus extulit, nunquam acerbitate mœroris turbavit. *Vers.* Cunctos tamen faciat ejus intercessio potiores. Nunquam. *Resp.* Beatus Medardus fuit semper tolerans in adversis, mitis in prosperis, cunctos sibi obedientiæ sedulitate præferens, egentibus larga miseratione succurrens. *Vers.* Ex omnibus calcato vitiorum fomite angusti callis tramitem sanctæ conversationis gressu surgente conscendens. Cunctos sibi. *Resp.* Sanctæ conversationis tramitem gressu surgente conscendens, beatus Medardus quidquid pretiosum

fuit, elegit, ut hospes cerneretur in sæculo, et jam possessor esset in cœlo. *Vers.* Ecclesiastici moris tenore percurrens presbyterii officium electus, excepit.

In tertio nocturno.

Antiph. Defuncto namque Vermandensium pontifice, in ejus loco beatus Medardus consecratur episcopus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Conversatione cœlesti sanctimonia ejus officii sacerdos exstitit pretiosus. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam, sed pervenit victor meritis ad coronam. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

802 *Resp. unde supra.*

Resp. Sanctissimus Medardus ecclesiastici moris tenore percurrens presbyterii officium electus excepit, probatus obtinuit, et i'a se [*Verbum deest in Ms.*] cepit in virtutibus, ut Christi merito putaretur alumnus. *Vers.* Sed cum jam multimodis virtutum fulgeret studiis, per diversa orbis spatia gratia crescente fama ejus præcelleret. Et ita. *Resp.* Beatus Medardus conversatione cœlesti, sanctimonia ipsius officii sacerdos exstitit pretiosus; et nisi quod percussor corporis defuit, nam martyrium confessor implevit. *Vers.* Sustinuit jugiter diabolo præliante calumniam, pervenit victor meritis ad coronam. Et nisi quod. *Resp.* Tunc sanctus Medardus longæ vitæ defessus, requiem deprecatus, Spiritum amisit [emisit], et convexa cœli athleta triumphalis ascendit. *Vers.* Conversatione cœlesti sanctimonia ejus sacerdos exstitit pretiosus. *Resp.* Sanctus Medardus quando accepit transitum corporis ipsius ore [horæ] momento cœli aperti sunt, et sancti corpusculum divina luminaria cunctis videntibus adfuerunt. *Vers.* Moxque in terra grande luxit diluvium; ita ut multum plueret aqua calida de nubilo cœli aperti. *Resp.* Cumque ad tumulandum ducerentur sancta membra beati Medardi, quidam obviam factus est damnatis aurium auditibus, dum pretiosi velaminis peplum osculans, mox recipere auditum fide promeruit. *Vers.* Psallentiumque illico stupens melos audivit. Dum. *Resp.* Prolixum est enarrare quantis se virtutibus debilium beato Medardo clamor attollat, sed, fusis precibus, quidquid expetitur incunctanter ejus effectibus et Oratione obtinetur. *Vers.* Postquam igitur devotione fidelium maximo decore præfulta ejus tumuli urna exornata surrexit. *Resp.* Inter Christicolas quos actio vexit in astris, pars tibi pro meritis magna, Medarde, patet. *Vers.* Exsilium tibi mundus erat cœnosa caventa [caverna]. *Resp.* Exsilium tibi mundus erat cœnosa caventa, et modo te gaudet cive manente polus. Exutus tenebris, vestitur tegmine lucis, post obitum frueris liberiore die. *Vers.* Inter Christicolas, *ut supra*. *Resp.* Quid referam mutus verbo, qui verba dedisti, quod gravat ejiciens, quod juvat omne locans, cuncta nec enumero; tua me præconia vincunt. *Vers.* Quidam cæcus ad eum venit, rapuit palpando salutem. In mediis tenebris fulsit aperta dies. Cuncta.

Antiphonæ unde supra. Ad nocturn.

Antiph. Sanctus Medardus requiem deprecatus Spiritum amisit [emisit], et convexa cœli athleta triumphalis ascendit. *Ant.* Postquam igitur devotione fidelium maximo decore præfulta ejus tumuli urna exornata surrexit. *Ant.* Fusis precibus quidquid expetitur incunctanter ejus effectibus obtinetur. *Ant.* Beatus Medardus sacerdos exstitit pretiosus, martyrium confessor implevit, pervenit victor meritis ad coronam.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Inter Christicolas quos actio vexit in astris, pars tibi pro meritis magna, Medarde patet. *Ant.* Quidam cæcus ad eum venit, rapuit palpando salutem, in mediis tenebris fulsit aperta dies. *Ant.* Alius quidam veniens dum veherentur membra sancta, substratus meruit cæcus habere diem. *Ant.* Ad sepulcrum sancti Medardi ægri veniunt et sanantur, ubi benedicunt Dominum dicentes: benedictus es, Domine. *Ant.* Compedibus validis alter manicisque ligatus, mox tetigit peplum, ferrea vincla **803** cadunt. *Ant.* Conferat vinctis pro indulgentia delictorum generale præsidium, qui speciale solemnitatis suæ hodie mundo præstitit ornamentum.

In Evangelio.

Antiph. E cœlo calida aqua produxit nubilo, in ejus transitu magnum fuit mysterium.

(*Deest linea in Ms.*)

Antiph. Solemnitatis ejus diem veneratione expetere depositionis suæ commemoratio principalis innituit. *Antiph.* Quando sanctus Medardus accepit transitum corporis ipsius ore [horæ] momento cœli prorsus aperti sunt, et ante sancti corpusculum, quasi per tres horas divina luminaria astiterunt; et magnum fuit mysterium. *Ant.* Cujus corporis solemne pignus Suessionensium urbs tanti muneris præmio ditata promeruit, ut cum omnium populorum fidem [*Forte* fidelium) solemni ambitione gratissima sancti Medardi membra tradenda essent sepulturæ, amore gestandi onus leve sentirent. *Ant.* Cumque sancta membra beati Medardi tumulo condirentur [conderentur], cœlum apertum est, et duæ columbæ visæ sunt descendisse, quasi nubes, et de ore ejus egressa est columba candida sicut nix. *Ant.* Beatus Medardus per Trinitatis auxilium regis exercitum.... vestigium. *Ant.* Sanctus Medardus nobilis natus, cum esset adhuc ætate parvus, jam bonitate maturus prædixit. *Ant.* Solemnitatem beati Medardi debita veneratione percolere depositionis ejus commemoratio principalis invitat. Crescat ergo in universorum pectoribus pro fidei ardore devotio, dum sancti confessoris Dei panditur magnitudo. *Ant.* Solemne itaque pignus corporis beatissimi Medardi Suessionensium urbs tanti muneris præmio ditata promeruit, et cum omnium populorum solemni ambitione gratissima membra tradenda sepulturæ feretro veherentur, unanimi voce vel clamore gestiendi onus leve senserunt.

In vigilia sancti Joannis Baptistæ, ad Vesperas

Vers. Fuit homo missus, *ut supra*. *Ant.* Ingresso Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel angelus stans a dextris altaris incensi.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem præcursoris Dominum venite adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Priusquam te formarem in utero, novi te, et antequam progredereris sanctificavi te. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Ad omnia quæ mittam te, dicit Dominus, ibis, ne timeas et [quæ] mandavero tibi loqueris ad eos. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum dicit Dominus. *Psalm.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria.

Resp. Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes erat. Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet Domino plebem perfectam. *Vers.* Erat Joannes prædicans in deserto baptismum pœnitentiæ. Et pararet. *Vers.* Tu puer Propheta Altissimi vocaberis. *Resp.* Elizabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam præcursorem Domini, qui viam Domini præparavit **804** in eremo. *Vers.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes erat. Qui viam. *Resp.* Priusquam te formarem in utero, novi te; et antequam exires de ventre sanctificavi te, et prophetam in gentibus dedi te. *Vers.* Ad omnia quæ mittam te ibis, et universa quæ mandavero tibi loqueris. Et Prophetam.

In secundo nocturno.

Antiph. Misit Dominus manum suam, et tetigit os

meum, et prophetam in gentibus fecit mihi [me] Dominus. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Ecce dedi verba mea in ore tuo, et constitui te super gentes et regna. *Psal.* Verba mea auribus. *Ant.* Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. *Psal.* Domine Dominus noster.

Responsoria.

Resp. Tu puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. *Vers.* Ad dandam scientiam salutis plebi ejus, in remissionem peccatorum eorum. Parare. *Resp.* Descendit angelus Domini ad Zachariam dicens: accipe puerum in senectute tua, et habebit nomen Joannes Baptista. *Vers.* Iste puer magnus coram Domino; nam et manus ejus cum ipso est. Et habebit. *Resp.* Hic præcursor directus, et lucerna ardens ante Dominum; ipse est enim Joannes, qui viam Domino præparavit in eremo, sed et Agnum Dei demonstravit, et illuminavit mentes hominum. *Vers.* Ipse præibit ante illum in Spiritu et virtute Eliæ. Ipse est. *Resp.* Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem scripsit, dicens: Joannes est nomen ejus. *Vers.* Apertum est os Zachariæ, et prophetavit dicens: Joannes est.

In tertio nocturno.

Antiph. Posuit os meum Dominus, quasi gladium acutum; sub umbra manus suæ protexit me. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Formans me ex utero servum sibi Dominus in lucem gentium, ut sim salus ejus ab extremis terræ. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt Dominum Deum tuum, qui elegit te. *Psal.* Benedicam Dominum. *Vers.* Justum deduxit Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur: Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. *Vers.* Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ. Nullus. *Resp.* Gabriel angelus apparuit Zachariæ dicens: Nascetur tibi filius, nomen ejus Joannes vocabitur, et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Vers.* Erit enim magnus coram Domino, vinum et siceram non bibet. Et multi. *Resp.* Ecce constitui te hodie super gentes et regna, dicit Dominus, ut evellas et dissipes, ædifices et plantes in nomine Domini. *Vers.* Tu, puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis enim ante faciem Domini, parare vias ejus. Ut evellas. *Resp.* Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista, quia viam Domini præparavit in eremo. *Vers.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes erat. Qui viam. *Resp.* Ipse præcedet ante illum in spiritu et virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum, in filios et incredulos ad prudentiam. Parare Domino plebem perfectam. *Vers.* Tu puer Propheta, *ut supra.* *Resp.* Puer qui natus est nobis, plusquam propheta **805** est; hic est enim de quo Salvator ait: inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. *Vers.* Angelus ad Zachariam locutus est, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Elisabeth Zachariæ magnum virum genuit, Joannem Baptistam præcursorem Domini. *Ant.* Innuebant Patri ejus, quem vellet vocari eum; et scripsit dicens: Joannes nomen ejus. *Ant.* Joannes vocabitur nomen ejus; et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Ant.* Joannes est nomen ejus; vinum et siceram non bibet, et multi in nativitate ejus gaudebunt. *Ant.* Iste puer magnus coram Domino nam et manus ejus cum ipso est. *Vers.* Fuit homo.

In Evangelio.

Antiph. Apertum est os Zachariæ, et prophetavit dicens: benedictus Deus Israel. *Ant.* Ipse præibit ante illum in spiritu et virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam. *Ant.* Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista. *Ant.* Tu puer, propheta Altissimi vocaberis; præibis ante Dominum parare vias ejus. *Ant.* Angelus ad Zachariam est locutus dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, et vocabis nomen ejus Joannem. *Ant.* Nazaræus vocabitur puer iste, vinum et siceram non bibet. Et omne immundum non manducabit ex utero matris suæ. *Ant.* Fuit homo missus a Deo, cui nomen Joannes erat. *Ant.* Hic venit Joannes, ut testimonium perhiberet de lumine, et pararet Domino plebem perfectam. *Ant.* Ex utero senectutis et sterilis Joannes natus est præcursor Domini. *Ant.* Pro eo quod non obedisti verbis meis, eris tacens, et non poteris loqui usque in diem nativitatis ejus. *Ant.* Inter natos mulierum non est major Joanne Baptista. *Ant.* Puer qui natus est nobis, plusquam propheta est. Hic est enim de quo Salvator ait; inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

(*Deest linea in Ms.*)

Responsoria sive Antiphonæ in vigilia sanctorum Joannis et Pauli.

Resp. Isti sunt duo viri misericordiæ, qui assistunt ante Dominum dominatorem universæ terræ. *Vers.* Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum. Dominatorem. *Resp.* Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes et angelus Domini locutus est ad me dicens: Isti sunt viri sancti facti amici Dei. *Vers.* Vidi angelum Dei volantem per medium cœlum, voce magna clamantem et dicentem. Isti. *Resp.* Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine, qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulas regias pervenerunt ad regna cœlestia. *Vers.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Contemnentes. *Resp.* Beati martyres Christi Joannes et Paulus dixerunt Juliano: nobis autem aliud non est, nisi unus Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus. *Vers.* Una fides, unum baptisma, unus spiritus erat in eis Pater. *Resp.* Beati eritis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos mentientes, propter me. Gaudete et exsultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. *Vers.* [*Deest in Ms.*]

806 *Antiphonæ in matutinis Laudibus.*

Antiph. Paulus et Joannes dixerunt ad Julianum: Nos unum Deum colimus, qui fecit cœlum et terram. *Ant.* Paulus et Joannes dixerunt ad Terentianum: Si tuus Dominus est Julianus, habeto pacem cum illo. Nobis aliud [alius] non est nisi unus Dominus Jesus Christus. *Ant.* Joannes et Paulus cognoscentes tyrannidem Juliani, facultates suas pauperibus erogare cœperunt. *Ant.* Sancti Spiritus et animæ Justorum, Hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Joannes et Paulus dixerunt ad Gallicanum: Tu crede unum esse Deum, et eris victor melior [melius] quam fuisti.

In Evangelio.

Antiph. Astiterunt justi ante Dominum, et ab invicem non separati sunt; gloriam Domini viderunt [Calicem Domini biberunt], et amici Dei appellati sunt.

In vigilia sancti Petri ad Vesperas.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Beatus Petrus apostolus vidit sibi Christum occurrere. Adorans [adoravit] eum et dixit: Domine quo vadis? Venio Romam iterum crucifigi.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem apostolorum Dominum venite adoremus. *Ant.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Psalm.* Cœli enarrant. *Ant.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos. *Psalm.* Benedicam Dominum. *Ant.* Consti-

ues eos principes super omnem terram; memores erunt nominis tui, Domine. *Psalm.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria.

Resp. Simon Petre, antequam de navi vocarem te, novi te; et super plebem meam principem te constitui, et claves regni cœlorum tradidi tibi. *Vers.* Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis. Et claves. *Resp.* Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Domine, tu nosti, quia amo te, et animam meam pono pro te. *Vers.* Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Et animam. *Resp.* Tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni cœlorum. *Vers.* Quodcunque, *ut sup.* Et tibi.

In secundo nocturno.

Ant. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem meam cum deprecor. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Domine, si tu es, jube me venire ad te super aquas. Et extendens manum apprehendit eum; et dixit ad eum: Modicæ fidei, quare dubitasti? *Vers.* Cumque vidisset ventum validum venientem timuit, et cum cœpisset, mergi clamavit dicens: Domine, salvum me fac. Et extendens. *Resp.* Surge, Petre, et indue te vestimentis tuis; accipe fortitudinem ad salvandas gentes, quia ceciderunt catenæ de manibus tuis. *Vers.* Angelus autem Domini astitit, et lumen refulsit in habitaculo carceris, **807** percussoque latere Petri excitavit eum dicens, surge velociter. Quia. *Resp.* Tu es pastor ovium, princeps apostolorum: Tibi tradidit Deus omnia regna mundi; et ideo tibi traditæ sunt claves regni cœlorum *Vers.* Quodcunque, *ut supra.* Et ideo.

In tertio nocturno.

Antiph. Exaltabuntur cornua justi, alleluia. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, alleluia, rectis corde lætitia, allel. *Psalm.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, alleluia. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Custodiebant testimonia ejus.

Responsoria unde supra.

Resp. Quem dicunt homines esse Filium hominis? Dixit Jesus discipulis suis. Respondens Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Beatus es, Simon Petre, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et ego dico. *Resp.* Ego pro te rogavi, Petre, [ut] non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. *Vers.* Caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. Et tu aliquando. *Resp.* Beatus est, Simon Petre, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui est in cœlis. *Vers.* Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Resp.* Petre, amas me? Tu scis, Domine, quia amo te. Pasce oves meas. *Resp.* Simon Joannis, diligis me plus his? Tu scis, Domine, quia amo te. *Vers.* Etsi oportuerit, *ut sup.* Quia. *Resp.* Solve, jubente Deo terrarum, Petre, catenas, qui facis ut pateant cœlestia regna beatis. *Vers.* Quodcunque. *Resp.* Qui regni claves et curam tradit ovilis; qui cœli terræque Petro commisit habenas, ut reseret clausis, et solvat vincla ligatis. *Vers.* Quodcunque. *Vers.* Ipsa tua, Petre, dissipare vincula jussit, qui te mundanos jussit dissolvere nexus. Ut reseret. *Resp.* Petrus et Joannes ascendebant in templum, ad horam Orationis nonam. Et quidam vir qui erat claudus ex utero matris suæ, quem ponebant quotidie ad portam templi. *Vers.* Argentum et aurum non est mecum, quod autem habeo hoc tibi dabo. Quem ponebant.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Petrus et Joannes ascendebant in templum, ad horam Orationis nonam. *Ant.* Argentum et aurum non est mecum; quod autem habeo, hoc tibi dabo. *Ant.* Dixit angelus ad Petrum: Circumda tibi vestimentis tuis et sequere me. *Ant.* Misit Dominus angelum suum, et liberavit me de manu Herodis alleluia. *Ant.* Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis, dicit Dominus Simoni Petro. *Ant.* Beatus es, Simon Petre. *Ant.* Significavit Dominus Petro qua morte clarificaturus esset Deum, alleluia. *Ant.* Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. *Ant.* Si diligis me, Simon Petre, pasce oves meas. Tu scis, **808** Domine, quia amo te. *Ant.* Tu es pastor ovium, princeps apostolorum; tibi traditæ sunt claves regni cœlorum. *Ant.* Tu es Christus Filius Dei vivi; et tu beatus, Simon Barjona. *Ant.* Simon Joannis, diligis me plus his? tu scis, Domine, quia amo te. *Ant.* Dixit Dominus Petro: Tibi dabo claves regni cœlorum. *Ant.* Beatus Petrus apostolus, *ut supra.* *Ant.* Commendo tibi oves quas tradidisti mihi, alleluia. *Ant.* Solve, jubente Deo terrarum, Petre, catenas, qui facis ut pateant cœlestia regna beatis. *Ant.* Super aquas ambulans Dominus Petro manum porrexit mergenti in pelagus. *Ant.* Cum respexisset Petrus crucem, lacrymis [lacrymas] fundebat præ gaudio. [*Cætera desunt.*] Non sum dignus. *Ant.* Petrus et Paulus militantes Romam venerunt. Circumdantes Simonem invenerunt [a] cum Nerone fidem permanserunt Salvatorem. *Ant.* Beatus Petrus dum penderet in cruce, alacri vultu Dominum deprecatur: Domine Jesu Christe, commendo tibi oves quas tradidisti mihi.

In die ad Vesperas.

Antiph. Juravit Dominus et non pœnitebit eum: Tu es sacerdos in æternum. *Psal.* Dixit Dominus. *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate, pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Psal.* Credidi. *Ant.* Euntes ibant et flebant mittentes semina sua. *Psal.* In convertendo. *Ant.* Confortatus est principatus eorum, et honorati sunt amici tui, Deus. *Psal.* Domine, probasti me. *Ant.* Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sancti Pauli apostoli. — In primo nocturno.

Antiph. Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes; et cognoverunt gratiam quæ data est mihi a Christo Domino. *Psal.* Cœli enarrant. *Vers.* Qui me segregavit ex utero matris suæ [meæ], et vocavit per gratiam suam. *Ant.* Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illa die justus judex. *Psal.* Benedicam Dominum. *Vers.* De reliquo reposita est mihi corona justitiæ. *Ant.* Mihi vivere Christus est, et mori lucrum, gloriari me oportet in cruce Domini mei Jesu Christi. *Psal.* Eructavit. *Vers.* Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Vers.* In omnem terram.

[a] Hæc ita corrupta sunt, ut vix sanari posse videantur.

Responsoria unde supra.

Resp. Qui operatus est Petro in apostolatum, operatus est et mihi inter gentes. Et cognoverunt gratiam Dei, quæ data est mihi. *Vers.* Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. Et cognoverunt. *Resp.* Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. *Vers.* Reposita est mihi corona justitiæ. Quia. *Resp.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi; ideoque reposita est mihi corona justitiæ. *Vers.* Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare. Ideoque. *Resp.* Damasci præpositus gentis Arethæ regis, voluit comprehendere. A fratribus per murum submissus sum in sporta, et sic evasi manus ejus in nomine Domini. *Vers.* Deus et Pater Domini mei Jesu Christi scit quia non mentior. Et sic evasi.

809 *In secundo nocturno.*

Antiph. Tu es vas electionis, sancte Paule apostole, prædicator veritatis in universo mundo. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* Per quem omnes gentes cognoverunt gratiam Dei. *Ant.* Magnus sanctus Paulus vas electionis vere digne est glorificatus; qui et meruit thronum duodecimum possidere. *Psalm.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Vers.* In regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ. *Ant.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. *Psal.* Exaudi, Deus, Orationem meam cum dep. *Vers.* De cætero reposita est mihi corona justitiæ. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

Responsoria unde supra.

Resp. Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. *Vers.* Scio cui credidi, et certus sum quia potens est depositum meum servare in illum diem. Justus. *Resp.* Isti sunt duæ olivæ, [et duo] candelabra lucentia ante Dominum, habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus. Quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. Habent. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie et generatione. *Vers.* In omnem terram, *ut supra.*

In tertio nocturno

Antiph. Saulus qui et Paulus magnus prædicator, a Deo confortatus convalescebat, et confundebat Judæos. *Psal.* Confitebimur tibi, Deus. *Vers.* Ostendens quia hic est Christus Filius Dei vivi. *Ant.* Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus, angelus Satanæ qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur a me; et dixit mihi Dominus: Sufficit tibi, Paule, gratia mea. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Vers.* Nam virtus in infirmitate perficitur. *Ant.* Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die Judex. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Cooperante gratia Spiritus sancti. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Resp. unde supra.

Resp. Isti sunt duo viri misericordiæ. *Vers.* Isti sunt duæ olivæ. Dominatorem. *Resp.* Stolam jucunditatis induit eum Dominus, et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. *Vers.* Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit eum. Et coronam. *Resp.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriæ, honoris, et opus fortitudinis. *Vers.* Quoniam prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis; posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Gloriæ. *Resp.* Posuit coronam capiti meo, et circumdedit me muro salutis, ad expugnandas gentes et omnes inimicos. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me; apprehende arma et scutum. Ad expugnandas. *Resp.* Gloria et honore coronasti eum, Domine; et constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subjecisti sub pedibus ejus. *Vers.* Quoniam prævenisti eum **810** in Benedictionibus. *Resp.* Ecce ego mitto vos. *Resp.* Tollite jugum. *Resp.* Dum steteritis. *Resp.* Egregie Dei Paule, doctor gentium, et divinorum propagator præceptorum, ecce nomen tuum in libro vitæ cœlestis ascriptum est, et memoriale tuum non derelinquetur in sæcula. *Vers.* Magnus sanctus Paulus vas electionis, vere digne est glorificatus.

In Matutinis.

Antiph. Ego plantavi, Apollo rigavit; Deus autem incrementum dedit, allel. *Vers.* Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. *Ant.* Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. *Vers.* Quando autem infirmor, tunc fortior sum. *Ant.* Sancte Paule apostole, prædicator veritatis, et doctor gentium, intercede pro nobis ad Dominum, qui te elegit. *Vers.* Ut digni efficiamur gratia ejus. *Ant.* Gratia Dei in me vacua non fuit, sed gratia ejus semper in me manet. *Vers.* Gratia Dei sum id quod sum. *Ant.* Damasci præpositus gentis Arethæ regis, voluit me comprehendere. A fratribus per murum submissus sum in sporta, et sic evasi manus ejus in nomine Domini. *Vers.* Deus et Pater Domini mei Jesu Christi scit quia non mentior. *Vers.* Constitues eos principes

In Evangelio.

Antiph. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedem judicantes duodecim tribus Israel, alleluia. *Vers.* Dum venerit Filius hominis in sede Majestatis suæ. *Ant.* Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium pertuli pro Christi nomine. *Ant.* Nocte et die in profundum maris fui. *Ant.* Petrus apostolus et Paulus prædicator gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine. *Ant.* In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Ant.* Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. *Ant.* Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere, dicit Dominus.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia [a] *beati Benedicti abbatis. — In primo nocturno.*

Antiph. Fuit vir vitæ venerabilis gratia abbas Benedictus. *Psalm.* Beatus vir. *Ant.* Ab ipso pueritiæ suæ [tempore] cor gerens senile, ætatem moribus transiens, nulli animum dedit voluptati. *Psalm.* Quare fremuerunt. *Ant.* Dum in hac terra esset, quo temporaliter uti potuisset, jam quasi aridum mundum cum flore despexit. *Psalm.* Cum invocarem. *Ant.* Nursiæ provincia exortus, Romæ liberalibus litterarum studiis traditus a parentibus fuerat. *Psalm.* Verba mea. *Ant.* Relicta domo rebusque patris soli Deo placere [cupiens], sanctæ conversationis habitum quæsivit. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Recessit igitur scienter nescius, et sapienter indoctus. *Psalm.* In Domino confido.

Responsoria unde supra.

Resp. Fuit vir vitæ venerabilis gratia Benedictus et nomine, ab ipso pueritiæ tempore cor gerens senile, ætatem quippe moribus transiens, nulli **811** animum voluptati dedit. *Vers.* Recessit igitur scienter nescius, et sapienter indoctus. Ab ipso. *Resp.* Hic itaque cum, relictis litterarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix, quæ hunc amabat, sola secuta est. *Vers.* Recessit igitur, *ut supra. Resp.* Igitur beatus Benedictus, cum conspiceret nutricem suam flere, moxque se cum lacrymis in Orationem

[a] Scilicet mensis Julii die undecima, quæ nunc ejus Translationi celebrandæ assignatur. Porro hic et passim hoc in Codice vigilia significat officium nocturnum, nec pro pridie sumi debet.

dedit; et ei sanum capisterium reparavit. *Resp.* Ipsum quoque capisterium in ecclesiæ ingressu suspenso [suspensum], quatenus et præsentis et secuturi omnes agnoscerent Benedictus puer conversationis gratia a quanta perfectione cœpisset. Moxque in to consilio venenum vino miscuere; quo accepto signavit, sicque confractum est, ac si pro signo lapidem dedisset. *Vers.* Intellexit protinus vir Dei, quia potum mortis habuerat, quod non potuit portare signum vitæ. Sicque.

In secundo nocturno.

Antiph. Hic itaque cum jam, relictis litterarum studiis, petere deserta decrevisset, nutrix quæ hunc arctius amabat, secuta est. *Psalm.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Prædicta nutrix illius, ad purgandum triticum a vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petiit, quod casu accidere [*Dele* accidere] confractum est. *Psal.* Conserva me. *Ant.* Compassus nutrici Orationem dedit Benedictus puer cum lacrymis; capisterium reparavit. *Psalm.* Domine, in virtute. *Ant.* Benedictus Dei famulus, magnum fecit miraculum; preces fudit ad Dominum, rejunxit capisterium. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Qui dum eremum peteteret, Romanum [Romanus] monachum obviavit, cujus eum desiderium cognovisset, et secretum tenuit, et adjutorium impendit. *Psalm.* Beati quorum remissæ. *Vers.* Cumque in spem positus subministi panem diabolus conspiceret, jactavit lapidem, et tintinnabulum fregit. *Resp.* Convocatis discipulis, beatus Benedictus dixit : Misereatur vobis sempiternus Deus; nunquid non prius dixi vobis, quia me s ac vestr s moribus minime conveniret? *Vers.* Itaque juxta mores vestros vobis patrem quærite, quia me habere minime potestis. Nunquid. *Resp.* Quidam rusticus defuncti corpus filii in ulnis ferens, orbitatis luctu æstuans ad monasterium venit, Benedictum Patrem quæsivit. Mox ut aspexit, clamare cœpit : Redde filium meum, redde filium meum. *Vers.* Vir autem Domini in hac voce substitit dicens : Nunquid ego filium tuum abstuli? cui ille respondit : Mortuus est, veni resuscita eum. Redde. *Resp.* Domine, non respicias peccata mea, sed fidem hujus hominis, qui rogat resuscitari filium suum; et redde in hoc corpusculo animam quam tulisti. Et completa Oratione revixit, et sanum reddidit patri suo. *Vers.* Et regrediente anima ita co pusculum omne contremuit, et sub oculis omnium qui aderant vivus apparuit. Et sanum. *Resp.* Pater sanctus dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis habere videretur, vidit Germani animam Capuani episcopi in sphæra ignea ab angelis in cœlum deferri. *Vers.* Factumque est, ut reverendissimum Germanum is qui missus fuerat defunctum reperit. *Resp.* Eodem vero anno quod [quo] de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conversantibus, quibusdam longe manentibus sanctissimi sui obitus denuntiavit diem. *Vers.* [*Supple* præsentibus indicans.] Ut audita per silentium tegerent, absentibus indicens, quale eis signum fieret quando ejus anima de corpore exiret. Sanctissimi. *Resp.* Ante sextum vero sui exitus diem aperire sepulturam 812 sibi jubet; qui mox correptus febribus acri cœpit d lore fatigari usque ad mortem. *Vers.* Cumque per singulos dies languor ingravesceret, sexto die portari se in oratorium a discipulis fecit. Qui mox. *Resp.* Sexto namque die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum dominicis sacramentis munivit, atque inter discipulorum manibus [manus] expiravit. *Vers.* Erectis in cœlum manibus fecit [stetit], et ultimum spiritum inter verba Orationis efflavit. Atque. *Resp.* Hodie sanctus Benedictus per viam Orientis tramitem videntibus discipulis cœlum tetendit, et ab angelis in gloria suscepturus est [susceptus est]. *Vers.* Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes hoc signum quod eis prædictum fuerat agnoverunt. Videntibus. *Resp.* Factum est post obitum sanctissimi viri, mulier mente capta venit ad specum ejus, et ingressa mansit in eo, et sana facta est ex illa hora. *Vers.* Et in ea sanitate quam acceperat permansit omnibus diebus vitæ suæ. *Vers.* Via recta Orientis tramite ab ejus cella ad cœlum usque tendebatur, cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cui esset via quam cernerent discipulis inquisivit; ipsi vero nescire se professi sunt.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Intempesta nocte oravit Benedictus. [*Adjiciendum forte* vidit] Fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa. *Ant.* Sicut discipulis ipse referebat, quasi sub uno solis radio omnis mundus collectus ante ejus oculos momento adductus est. *Ant.* Orabat sanctus Benedictus : Domine, non aspicias peccata mea, sed fidem hujus hominis, qui rogat resuscitari filium suum. Et sub oculis omn um viventem puerum reddidit patri suo. *Ant.* Frater Maure, curre velociter, quia puer Placidus in amne flumen [*Redundat* flumen] mergitur. *Ant.* Dumque super un las Placidus traheretur, Maurus occurrit in mediis fluctibus. Emerso pede puerum liberavit. *Ant.* Intempestæ noctis cuncta sub silentio, quasi sub solis radio omnem mundum conspexit. *Ant.* Benedictus Dei famulus per Spiritus sancti indagia præcognoscens quæ ventura sunt omnia.

In Evangelio.

Antiph. Hodie sanctus Benedictus per viam Orientis tramitem [recto tramite] videntibus discipulis cœlum tetendit; hodie erectis manibus inter verba Orationis migravit. Hodie in gloria ab angelis susceptus est. *Ant.* Sanctimonialis autem femina, cum negantis verba audisset, orationem fudit, et inundatio pluviarum erupit.

In vigilia sancti Laurentii ad Vesperas.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Beatus Laurentius cum in craticula supra positus ureretur, ad impiissimum tyrannum dixit : Assatum est jam, versa et manduca; nam facultates Ecclesiæ quas requiris, in cœlestibus thesauris manus pauperum deportaverunt.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum venite adoremus. *Ant.* Quo progrederis sine filio, pater? Quo, sacerdos sancte, sine ministro properas? *Psal.* Beatus vir. *Vers.* Beatus Laurentius dixit. *Ant.* Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi. *Psal.* Quare 813 fremuerunt. *Vers.* Quid in me ergo displicuit paternitati tuæ? *Ant.* Non ego te desero, fili, neque derelinquo, sed majora tibi debentur pro Christi fide certamina. *Psalm.* Domine, quid multip. *Vers* Beatus Sixtus dixit. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Levita Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit; et thesauros Ecclesiæ dedit pauperibus. *Vers.* Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et thesauros. *Resp.* Puer meus, noli timere, quia ego sum tecum, dicit Dominus; si transieris per ignem, flamma non nocebit te, et odor ignis non erit in te. *Vers.* Donec ponam inimicos tuos, *ut supra. Resp.* Strinxerunt corporis membra posita in craticula. Superjectis prunis insultat levita Christi. Beate Laurenti martyr Christi, intercede p o nobis. *Vers.* Hic est vir qui non est derelictus a Domino in die certaminis sui. Beate. *Vers.* Carnifices vero ministrabant carbones subter cratem ferream. *Resp.* Quo progrederis sine filio, Pater? quo, sacerdos sancte, sine diacono properas? tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. *Vers.* Quid in me ergo displicuit paternitati tuæ? Nunquid degenerem probasti? Experire certe utrum [idoneum] ministrum elegeris, cui

commisisti dominicei sanguinis consecrationem. Tu A nunquam.

In secundo nocturno.

Antiph. Beatus Laurentius orabat, dicens : Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo. *Psal.* Cum invocarem. *Vers.* Quia accusatus non negavi nomen sanctum tuum, interrogatus te Christum confessus sum. *Ant.* Dixit Romanus ad beatum Laurentium : video ante te juvenem pulcherrimum; festina me baptizare. *Psalm.* Verba mea. *Vers.* Afferens autem urceum cum aqua, misit se ad pedes ejus. *Ant.* Beatus Laurentius dixit : Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Quia ipse Dominus novit, quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum. *Vers.* Posuisti, Domine, super caput ejus.

Responsoria unde supra.

Resp. Noli me derelinquere, pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi. Non ego te desero, fili, neque derelinquo; sed majera tibi debentur pro fide Christi certamina. *Vers.* Nos enim quasi senes levioris pugnæ cursum accipimus; te quasi juvenem gloriosior de tyranno triumphus exspectat. Post triduum sequeris sacerdotem levita. Sed majora. *Resp.* Beatus Laurentius clamavit, et dixit : Deum meum colo, et illi soli servio; et ideo non timeo tormenta tua. *Vers.* Mea nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et ideo. *Resp.* In craticula te Deum non negavi, et ad ignem applicatus te Dominum Jesum confessus sum. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte. Et ad ignem.

In tertio nocturno.

Antiph. Strinxerunt corporis membra posita super craticulam; subjectis prunis insultat levita Christi. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Vers.* Carnifices vero ministrabant carbones subtus cratem ferream. *Ant.* Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Psal.* Exaudi, Domine. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte. *Ant.* Interrogatus **814** te Dominum confessus sum. Assatus gratias ago. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas.

Responsoria unde supra.

Resp. O Hippolyte, si credis in Dominum Jesum Christum, et thesauros tibi ostendo, et vitam æternam promitto. *Vers.* Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. Et thesauros. *Resp.* Gaudeo plane, quia januas Christi tuas ingredi merui, quia accusatus non negavi, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. *Vers.* Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte. Assatus. *Resp.* Voluit esse hostia levita Laurentius, qui dum assaretur non negavit Dominum, et ideo inventus est sacrificium laudis. *Vers.* In craticula depositus Deum non negavit; et ad ignem applicatus Christum confessus. Et ideo. *Resp.* Hic est vir, qui non est derelictus a Deo, in die certaminis sui; et ipse conculcavit caput serpentis antiqui. Modo coronabitur, quia fideliter vicit in mandatis Domini. *Vers.* Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Modo. *Resp.* Beatus Laurentius dixit : Ego me obtuli sacrificium Deo, in odorem suavitatis. *Vers.* Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies vocem meam. *Vers.* Gratias tibi ago, Domine. *Resp.* Protector tuus ego sum, noli timere, dicit Dominus; cum transieris per ignem, non combureris, et flamma non comburet te, quia teneho manum tuam. *Vers.* Liberasti, Domine, corpus meum a perditione, et a pressura flammæ, quæ circumdedit me. Et in medio ignis non æstuatus, quia teneho. *Resp.* Beatus vir Laurentius, qui post aurum non abiit, nec speravit in thesauris pecuniæ. Fecit enim mirabilia in vita sua. *Vers.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit. Fecit.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Laurentius ingressus est martyr, et confessus est nomen Domini Jesu Christi. *Ant.* Gaudeo plane quia januas Christi ingredi merui. *Ant.* Laurentius bonum opus operatus est, qui per signum crucis cæcos illuminavit. *Ant.* Probasti, Domine, cor meum, et visitasti nocte. *Ant.* Adhæsit anima mea post te, quia caro mea igne cremata est pro te, Deus meus. *Ant.* Misit Dominus Angelum suum, et liberavit me de medio ignis, et non sum æstuatus. *Ant.* Beatus Laurentius orabat dicens : gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Ant.* Accusatus non negavi nomen sanctum tuum. Interrogatus te Dominum confessus sum. *Vers.* Posuisti, Domine.

In Evangelio.

Antiph. In craticula sanctum Dominum non negavi, et ad ignem applicatus Christum confessus sum. Probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. *Ant.* B Gratias tibi ago, Domine, quia januas tuas ingredi merui. *Ant.* Gratias ago Deo meo, quia hostia Christi effici merui. *Ant.* Assatus non negavi, et interrogatus Christum confessus sum. *Ant.* O Hippolyte, si credideris in Dominum Jesum Christum et thesauros tibi ostendo, et vitam æternam promitto? *Ant.* Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus qui est in cœlis, dicit Dominus. *Ant.* Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus.

815 *In vigilia sancti Tiburtii martyris, ad Vesperas.*

Antiph. Inclytus martyr Tiburtius, cum nudatis plantis super prunas ferventes incederet, Fabiano præfecto dixit : Videtur mihi quod super roseos flores incedam, in nomine Domini mei Jesu Christi.

De sancto Hippolyto, ad Vesperas.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Si quis mihi ministraverit, *ut supra.*

Ad Invitatorium.

C *Antiph.* Regem martyrum Dominum, venite adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Valerianus tradidit beato Hippolyto Laurentium, ut eum custodiret. *Psal.* Beatus vir qui non abiit. *Ant.* Vidit Hippolytus a beato Laurentio cæcum illuminatum, statim credidit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Impositas [*Forte* imposuit] manus Hippolytus super oculos cæcorum, et sanabantur. *Psal.* Domine, quid multip. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria.

Resp. Beatissimus Christi martyr Hippolytus, dum baptismi gratiam accepisset a beato Laurentio, ponebat manus super oculos cæcorum, et sanabantur. *Vers.* Cæco illuminato a beato Laurentio Hippolytus credidit, et percipi [percipere] meruit baptismi sacramentum. Ponebat. *Ant.* Multi cæci et imbecilles venientes ad custodiam beati Laurentii, oranda sanD ctus Hippolytus ponebat manus, et curavit eos; propterea a militibus comprehensus, ducebatur ad Decium. *Vers.* Justinus et Hippolytus rapuerunt corpus Laurentii, et sepelierunt. Propterea. *Resp.* Requisitus a Decio sanctus Hippolytus de corpore Laurentii, et quid sepelisset, respondens Hippolytus dixit : Christianus ego sum, et Christi martyrem diligenter sepelivi. *Vers.* Miror mihi valde, præses, pro quid ore polluto martyrem nominasti. Respondens.

In secundo nocturno.

Ant. Decius Cæsar vocavit Hippolytum, et interrogavit, corpora sanctorum pro quid rapuisset. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Ingressus itaque Hippolytus in domum suam, dedit pacem omnibus. A militibus comprehensus ducebatur ad præsidem. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Dum venisset Hippolytus in præsentiam Decii, subridens Decius dixit : Tu magus factus es,

qui abstulisti corpus Laurentii. *Psalm.* Domine Dominus noster. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Regressus itaque Hippolytus post diem tertium, venit in domum suam, et dedit pacem omnibus servis suis, et communicavit de sacrificio altaris Laurentii martyris. *Vers.* Et posita mensa prius quam cibum sumeret, a militibus comprehensus pervenit ad prætoria. Et communicavit. *Resp.* Dum Hippolytus in domum suam convivia cibus [*Forte* convivii cibos] poneret, missi a Decio milites tenuerunt eum, et adduxerunt ad Decium ; quem videns Cæsar subridens dixit : Nunquid tu magus effectus es, qui corpus Laurentii abstulisti. *Vers.* Decius dixit : Fruere mihi licite ; esto noster amicus. Hippolytus dixit : Miles Christi ego sum, et ejus præcepta custodire **816** desidero. Quem videns. *Resp.* Expoliavit vestem Hippolytum Decius, qua induebatur in habitu Christiano, et dicit ei : Sacrifica diis et acquiesce præceptis nostris, et vive militiæ palmæ. *Vers.* Gratias ago Deo meo, qui me confortavit in conspectu principum. Et dicit.

In tertio nocturno.

Antiph. Respondit Hippolytus ad Decium, dicens : Non sum ego magus, nisi Christianus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Quo audito, Decius, furore arreptus, jussit Hippolytum lapidibus obtundi. *Psal.* Exaudi, Domine. *Ant.* Exspoliavit Decius Hippolyto [vestem] qua induebatur in habitu Christiano. *Psal.* Domine, in virtute.

Responsoria.

Resp. Oravit sanctus Hippolytus voce magna, et dixit : Gratias tibi ago, Domine meus Jesu Christe, quia famulos meos in conspectu tuo pati video. *Resp.* Suadens Decius Hippolyto dixit : Nunquid tu cultor deorum fuisti? sacrifica diis, fruere palma militiæ. Et respondens Hippolytus dixit : Christianus ego sum et vestigium [*Verbum deest in Ms.*] adipisci cupio. *Vers.* Tunc beatus Hippolytus voce clara dicebat : Militia mea fides christiana. *Resp.* Jussit Decius militibus dicens : Exuite Hippolytum vestem, et fustibus cædite. Ut [*Forte* et] cum cæderetur, dixit : Miles Christi ego sum, et veri era tua non reveresco. *Vers.* Utere militia pristina quam semper habuisti : respondens [respondit] Hippolytus dicens. *Resp.* Postquam in præsentia Hippolyti famuli sui martyrizati sunt, dixit Hippolytus : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia famulos meos in conspectu sanctorum [*Verbum deest in Ms.*] *Vers.* Miles Christi Hippolytus, armatus fide, in conspectu judicum dixit.

In Matutinis.

Antiph. Dixit Hippolytus ad Decium : Non me exspoliasti, sed magis vestisti. *Ant.* Præses dixit ad Hippolytum : Factus es insipiens ut nuditatem tuam non erubescis [erubesceres]. *Ant.* Dixit Cæsar ad Hippolytum : Nunc magus factus es. Respondens Hippolytus dixit ad Decium : Non sum ego magus, sed servus Domini mei Jesu Christi. *Ant.* Tunc Valerianus in conspectu Hippolyti, famulos illius martyrizare præcepit. *Ant.* Exemplum meretur fieri. *Vers.* Justum deduxit Dominus. [*Cæteræ desunt in Ms.*]

In Evangelio.

Antiph. Oravit sanctus Hippolytus voce magna, et dixit : Gratias tibi ago, Domine meus Jesu Christe, quia famulos meos in conspectu tuo pati video. *Ant.* Beatus Hippolytus obtulit se in conspectu Romuli, et voce clara dixit : Ego Christum confiteor. *Ant.* Hippolytus famulus Christi Dominum deprecabatur : Domine Jesu Christe, accipe spiritum meum. *Ant.* Audita est vox infantium et dicentium : Gloria in excelsis Deo, allel. *Ant.* Decius Cæsar vocavit Hippolytum, et interrogavit, corpora sanctorum pro quid rapuisset. *Ant.* Ingressus itaque Hippolytus in domum suam, dedit pacem omnibus. *Ant.* A militibus comprehensus ducebatur ad Decium. *Ant.* Dum venisset Hippolytus in præsentiam Decii, subridens Decius dixit : Magus factus es, quia abstulisti corpus Laurentii.

817 *Responsoria sive Antiphonæ de Assumptione sanctæ Mariæ.*

Resp. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum, cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. *Vers.* Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ et thuris? Et sicut. *Resp.* Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion ; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Et sicut cinnamomum et balsamum aromatizans. *Resp.* Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te, Deus, in æternum. *Vers.* Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis. Propterea. *Vers.* Myrrha et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo. Propterea. *Resp.* Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. *Vers.* Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. Quia. *Resp.* Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? Viderunt eam filiæ Sion, et beatam dixerunt, et reginæ laudaverunt eam. *Vers.* Quæ est ista, *ut supra.* *Resp.* Ista est speciosa inter filias Jerusalem. Sicut vidistis eam plenam charitatem et dilectionem [charitate et dilectione] in cubilibus et in hortis aromatum. *Vers.* Specie tua, *ut supra.* *Resp.* Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Vers.* Et misericordia ejus a progenie in progenies, timentibus eum. *Resp.* Ornatam in monilibus filiam Sion Dominus concupivit, et dicentes [videntes] eam filiæ Sion, beatissimam prædicaverunt dicentes, unguentum effusum nomen tuum. *Vers.* Adfuit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. *Resp.* Hæc est dies præclara hodie, in qua beata virgo genitrix Christi Maria felici cursu migravit ad Christum. Et interroga.... [*Desunt duo verba in Ms.*] virginum obtinens principatum. *Vers.* Hæc est beata virgo Maria ad cujus transitum apostoli præstaverunt obsequium. Et interroga. *Resp.* Gaude, Maria, *ut supra.* *Vers.* Gabrielem archangelum. *Resp.* Beata es, virgo Maria Dei genitrix, quæ credidisti Dominum. Perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi. Ecce exaltata es super choros angelorum, intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Intercede. *Resp.* O quam pulchra et speciosa est Maria virgo Dei, quæ de mundo migravit ad Christum ; inter choros Virginum fulget sicut sol in virtute cœlesti. *Vers.* Gaudent angeli, exsultant archangeli in Maria virgine. Quæ. *Resp.* Beata et venerabilis. *Vers.* Benedicta tu in mulieribus. *Resp.* Beata es, Maria, quæ non. *Vers.* Ave, Maria. *Resp.* Ista est Sion quam elegit Dominus in hæreditatem sibi, hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, dicit Dominus.

(*Deest linea in Ms.*)

Resp. Super salutem et omnem pulchritudinem dilecta es a Domino, et regina cœlorum vocari digna es. Gaudet chorus angelorum consortes et concives nostri. *Vers.* Valde eam nobis oportet venerari quæ nunc sancta [*Verbum deest in Ms.*] et intacta Virgo. *Resp.* Hæc est Virgo sapiens, prudens et humilis, **818** quæ in aula Regis enutriri meruit, propter quod et meruit vocari regina cœlorum. *Vers.* Diffusa est, *ut supra.*

Antiphonæ unde supra. In primo nocturno.

Antiph. Exaltata es, sancta Dei genitrix, super choros angelorum ad cœlestia regna. *Psal.* Domine Dominus noster. *Ant.* Paradisi portæ per te nobis

apertæ sunt, quas [quæ] hodie gloriosa cum angelis triumphas. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua et pulchritudine tua.

In secundo nocturno.

Antiph. Specie tua et pulchritudine tua, intende prospere procede et regna. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei genitrix. *Psal.* Fundamenta

In tertio nocturno.

Antiph. Gaude, Maria virgo, cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. *Psal.* Cantate 1. *Ant.* Dignare me laudare te, Virgo sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Post partum virgo inviolata permansisti; Dei genitrix, intercede pro nobis. *Psal.* Cantate 2. *Vers.* Elegit eam Dominus.

In Matutinis.

Antiph. Assumpta est Maria in cœlo; gaudent angeli; laudantes benedicunt Dominum. *Ant.* Maria virgo assumpta est ad ætherem thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio. *Ant.* In odore unguentorum tuorum currimus; adolescentulæ dilexerunt te nimis. *Ant.* Benedicta filia tu a Domino, quia per te fructum vitæ communicavimus. *Ant.* Pulchra es et decora, filia Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. *Vers.* Specie tua.

In Evangelio.

Antiph. Quæ est ista quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata? *Antiph.* Hodie Maria virgo cœlos ascendit; gaudete, quia cum Christo regnat in æternum. *Ant.* Maria virgo, semper lætare, quæ meruisti Christum portare cœli et terræ conditorem, quia de tuo utero protulisti mundi Salvatorem. *Ant.* O quam pulchra et casta generatio cum claritate. *Ant.* Hæc est quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Ant.* Bonorum enim laborum gloriosus est fructus. *Ant.* Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei genitrix. *Ant.* Revertere, revertere Sunamitis; revertere, revertere, ut intueamur te. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis frequentate nobis dulcia capita dragmis [cantica dramatis]. *Ant.* Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. *Ant.* Unguentum effusum est nomen tuum, Dei genitrix; et recte [recti] diligunt te. *Ant.* Oculi tui, sancta Dei genitrix, sicut piscina in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis in æternum. *Ant.* Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubicula sua. *Ant.* Sicut myrrha electa **819** odorem dedisti suavitatem, sancta Dei genitrix. *Ant.* Hortus conclusus es, sancta Dei genitrix, hortus conclusus, fons signatus. *Ant.* Sub tua protectione confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem; et propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo. *Ant.* Paradisi porta per Evam cunctis clausa est, et per Mariam virginem iterum patefacta est, alleluia. *Ant.* Beata mater[a] et innupta Virgo gloriosa regina mundi. *Ant.* In flore mater, in partu virgo, gaude et lætare, Virgo mater Domini. *Ant.* Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis libera nos semper, Virgo benedicta. *Ant.* Surge, aquilo, et veni, Auster; perfla hortum meum, et fluant aromata illius. *Ant.* Viderunt illam filiæ, et beatissimam prædicaverunt; et reginæ et concubinæ, et laudaverunt eam in æternum. *Ant.* Dilecte mi, apprehendam te, et ducam in domum matris meæ, et in cubiculum genitricis meæ. Ibi me docebis præcepta Domini. *Ant.* Trahe me post te, in odorem curremus unguentorum tuorum. Oleum effusum nomen tuum. *Ant.* Jam hiems transiit, imber abiit et recessit; surge, amica mea, et veni. *Ant.* Aquæ multæ non potuerunt exstinguere charitatem. *Ant.* Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. *Ant.* Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut annuntietis ei, quia amore langueo. *Ant.* Maria exsultavit in spiritu, et dixit: benedico te, qui dominaris super omnem Benedictionem. Benedico habitaculum gloriæ tuæ, benedico te, cui factum est habitaculum in utero meo; et benedico omnia opera manuum tuarum, quæ obediunt tibi in omni subjectione. Benedico dilectionem tuam qua nos dilexisti. Benedico omnia verba quæ exierunt de ore tuo, quæ data sunt nobis. In veritate enim credam, quia sicut dixisti sic fiet, alleluia.

Antiphonæ in Matutinis de sancto Symphoriano.

Antiph. Illustrabat enim eum cœlestis sapientia, et spiritualibus gemmis ornata simplicitas. *Ant.* Resume constantiam, fili, timere non possumus mortem, quæ sine dubio perducit ad vitam, allel. *Ant.* Sursum corda, suspende, fili, aspice illum qui regnat in cœlis. *Ant.* Symphorianus traditus ad coronam martyrii, beata mater sua, votum vovit Deo. *Ant.* Tu vir Symphoriane, mentem et oculos tuos ad astra suspende, alleluia, alleluia. *Ant.* In tormenta fortis inventus in infantia meruit coronam de manu Domini. *Ant.* Beata Augusta de muro sedulo orabat dicens: Domine Deus, respice filium meum, quia Judæi amputaverunt caput ejus.

In Evangelio.

Antiph. Sanctus Symphorianus extra murum ductus et apertus se reproferatus voto habuit. *Ant.* Gloriosa genitrix Symphoriano dixit: Sursum corda, suspende fili, tibi vita non tollitur, sed mutatur in melius. *Ant.* Beata Augusta sanctum Symphorianum exhortabatur cum lacrymis dicens: Fili, vade gaudens, hodie accipies coronam regni, alleluia. *Ant.* Petrus exorcista dixit ad Artemium: Tu crede in Deum vivum Dominum Jesum Christum. *Ant.* Artemi, si credideris in unigenitum Filium Dei, **820** salvatur filia tua. *Ant.* Tu crede in Christum et videbis opera Domini. *Ant.* Candida dixit ad Artemium: Si factum fuerit quod mihi asseris, quis dubitet verum Deum esse Christum. *Ant.* Adest homo Dei Petrus exorcista habens triumphum sanctæ crucis in manu sua.

In Evangelio.

Antiph. Exclamavit Artemius: Verus Deus unus est, per quem dæmonia ejiciuntur. *Ant.* Apparuit angelus Domini Marcellino presbytero orante nudo, et induit eum vestimentis suis, et dixit ei: Sequere me, ubi Petrus erat exorcista, alleluia.

De Martyrio sancti Joannis. — In vigilia, ad Vesperas.

Vers. Justum deduxit Dominus.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum.

Responsoria

Resp. Misit Herodes rex manus, ac tenuit Joannem, et vinxit eum in carcerem, quia metuebat eum propter Herodiadem quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Vers.* Herodes enim tenuit, et ligavit Joannem, et posuit in carcerem. Quia metuebat. *Resp*

[a] Hoc est *intacta;* nam aliquando verbum *nubere* significat copulam habere, aut a virginitate excidere. Hinc Tertullianus, lib. de Carne Christi, c. 23, de sanctissima Virgine ait: *Si virgo concepit, in partu suo nupsit;* hoc est virgo esse desiit, quod errans Tertullianus censuit.

Dicebat enim illi Joannes: Non licet tibi accipere uxorem. Quia. *Resp.* Joannes Baptista arguebat Herodem propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Vers.* Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere. Propter. *Resp.* Puellæ saltanti imperavit mater: Nihil aliud petas, nisi caput Joannis Baptistæ. Et contristatus est rex propter jusjurandum et propter simul discumbentes. *Vers.* Quæ cum exisset puella dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joannis Baptistæ. *Resp.* Petiit puella caput Joannis in carcere, quo ablato dedit matri suæ. *Vers.* Puellæ saltanti imperavit mater: Nihil aliud petas, nisi caput Joannis Baptistæ. Quo ablato. *Resp.* Metuebat Herodes Joannem, sciens eum virum justum et sanctum; et audito eo multa signa facientem, et cæcos illuminantem, et dæmones effugantem. *Vers.* Pro eo, ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. *Resp.* Quid petam, mater? Nihil aliud petas, nisi caput Joannis. Quæ cum introisset cum festinatione ad regem, petivit dicens: Precor te, domine rex, ut des mihi caput Joannis in disco. *Vers.* Rex Herodes ait puellæ: Pete a me quid vis, et dabo tibi. Caput. *Resp.* Contristatus est rex Herodes propter jusjurandum, et propter simul discumbentes, noluit eam contristari. *Vers.* Herodes funestus præcepit interficere et amputare jussit. Caput. *Resp.* In medio carceris stans beatus Joannes voce magna clamavit et dixit: Domine Deus meus, in manus tuas commendo spiritum meum. *Vers.* Quoniam tu es protector meus, Domine. *Resp.* Misit rex incredulus ministros de estabiles, et amputari jussit caput Joannis in carcere. *Vers.* Ego non prohibeo, si Christus te permisit capiti meo paratus. *Resp.* Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere; quo audito, **821** discipuli ejus venerunt et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento. *Vers.* Accedentes autem discipuli sancti Joannis Baptistæ venerunt, et tulerunt corpus ejus. Et posuerunt. *Resp.* Accedentes discipuli sancti Joannis Baptistæ tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud. *Vers.* Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere; quo audito, discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus. Et sepelierunt.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Interrogatus Joannes ab Herode dicens: Si licitum est fratris conjugem accipere? *Ant.* Dicebat enim regi Joannes Baptista: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. *Ant.* Arguebat Herodem Joannes propter Herodiadem, quam tulerat fratri suo Philippo uxorem. *Ant.* Herodes enim tenuit et ligavit Joannem, et posuit in carcerem propter Herodiadem. *Ant.* Petiit puella caput Joannis in disco; quo accepto, dedit matri suæ. *Ant.* Da mihi in disco caput Joannis Baptistæ. Et contristatus est rex propter juramentum. *Ant.* Domine mi rex, da mihi in disco caput Joannis Baptistæ. *Ant.* Major prophetis, et minor angelis, qui præparavit corda fidelium. *Ant.* In medio carceris stans beatus Joannes, voce magna clamavit et dixit: Domine Deus meus, in te commendo spiritum meum. *Ant.* Contristatus est rex propter juramentum, et propter simul discumbentes noluit eam contristari; caput Joannis jussit afferre. *Ant.* Puellæ saltanti imperavit mater: Nihil aliud petas, nisi caput Joannis. *Ant.* Herodes funestus præcipit interficere, et amputari jussit caput Joannis in carcere. *Ant.* Misso Herodes spiculatore, præcepit amputari caput Joannis in carcere; quo audito discipuli ejus venerunt, et tulerunt corpus ejus, et posuerunt illud in monumento.

In die ad Vesperas.

Antiph. In memoria æterna erit justus; ab auditione mala non timebit. *Psal.* Beatus vir qui timet. *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate, pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea. *Psal.* Credidi propter quod. *Ant.* Paravi lucernam Christo meo. Inimicos ejus induam confusione. *Psal.* Memento. *Ant.* Educ de carcere animam ad confitendum nomini tuo, Domine. *Psal.* Voce mea ad Dominum.

In Evangelio.

Accedentes sancti Joannis Baptistæ [discipuli] tulerunt corpus ejus, et sepelierunt illud. *Ant.* Herodes enim tenuit, *ut supra.* *Ant.* Puellæ saltanti. *Ant.* Domine mi rex Israel. *Ant.* Arguebat Herodem. *Ant.* Da mihi in disco. *Vers.* Posuisti, Domine. *Ant.* Tenens spiculator gladium in manibus, tertio ictu percussit caput Joannis, et amputare non potuit.

Responsoria sive Antiphonæ de Nativitate sanctæ Mariæ, ad Vesperas.

Antiph. Sub tua protectione confugimus, ubi infirmi acceperunt virtutem; et propter hoc tibi psallimus, Dei genitrix Virgo.

Responsoria unde supra.

Resp. Hodie nata est beata virgo Maria ex progenie David, per quam salus mundi apparuit, cujus vita gloriosa lucem dedit sæculo. *Vers.* Beatissimæ virginis Mariæ nativitatem devotissime celebremus. **822** *Resp.* Beatissimæ virginis Mariæ nativitatem devotissime celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Jesum Christum. *Vers.* Hodie nata est virgo Maria ex progenie David. *Resp.* Gloriosæ virginis Mariæ ortum dignissimum recolentes, cujus Dominus humilitatem respiciens, angelo nuntiante, concepit Redemptorem mundi. *Vers.* Beatissimæ virginis Mariæ. *Resp.* Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo. Ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Exsolvens maledictionem, dedit Benedictionem; et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Nativitas virginis Mariæ ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. *Ant.* Nativitas est hodie sanctæ Mariæ virginis, cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias. *Ant.* Regali ex progenie Maria exorta refulsit, cujus precibus nos adjuvari mente et spiritu devotissime poscimus. *Ant.* Corde et animo Christo canamus gloriam, in his sacris solemniis præcelsæ genitricis Dei Mariæ. *Ant.* Cum jucunditate nativitatem beatæ Mariæ celebremus, ut ipsa pro nobis intercedat ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Nativitatem hodiernam perpetuæ virginis genitricis Dei Mariæ solemnitatem celebremus, [qua] quam celsitudo throni processit, allel *Ant.* Nativitas tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo; ex te enim ortus est sol justitiæ Christus Deus noster. Exsolvens maledictionem, dedit Benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

Responsoria sive Antiphonæ in vigilia sancti Hermetis.

Resp. Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi. Nam dignitas terrena aut tollitur, aut mutatur; dignitas vero cœlestis æterna est et persistit. *Vers.* Domine Deus meus Hermes, respice præfecturam tuam, et respice patrimonium tuum. Tua domus ornata est. Dignitas. *Resp.* Domine Jesu Christe, qui me in cathedra apostoli tui sedere fecisti, præsta mihi ut mittas angelum tuum, qui me hodie vespertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen. *Vers.* Et iterum matutino hic revocet nemine sentiente donec aggrediar. Ad famulum.

(*Desunt sex lineæ in Ms.*)

In matutinis Laudibus.

Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi in nomine Domini. *Ant.* Domine Deus meus Hermes præ-

fecturam tuam tuæ domus ornatum. *Ant.* Sanctus Alexander qui tenetur in vinculis, hic me docuit præcepta tua, Domine. *Ant.* Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eum eriperet de inimicis. *Ant.* Dignitas vero cœlestis æternæ sublimitatis subsistit.

823 *In Evangelio.*

Antiph. Domine Jesu Christe, qui me in cathedra apostoli tui sedere fecisti, præsta mihi ut mittas angelum tuum, qui me hodie vespertino tempore perducat ad famulum tuum Hermen.

In Exaltatione sanctæ crucis.

Vers. Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus. *Antiph.* Helena sancta Constantini mater Jerosolymam petit, alleluia.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem magnum Dominum venite adoremus. *Responsoria unde supra.*

Resp. Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit, quæ digna fuit portare pretium hujus sæculi. *Vers.* Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Quæ digna. *Resp.* Hoc signum crucis erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit. Tunc manifesta erunt abscondita cordis nostri. *Vers.* Cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, et cœperit judicare sæculum per ignem. Tunc. *Resp.* O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum et Dominum. *Vers.* Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. Quæ sola. *Resp.* O crux gloriosa! o crux adoranda! o lignum pretiosum, et immutabile signum, per quod et diabolus est victus, et mundus Christi sanguine redemptus. *Vers.* Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit, quæ digna fuit portare pretium hujus sæculi. Per quod. *Resp.* O crux admirabilis, in cujus ramis pependit thesaurus et redemptio captivorum. Per quem mundus est redemptus sanguine Domini sui. *Vers.* O laudabilis crux, quæ in corpore Christi dedicata es. Ex ejus membrorum componeus.

In Matutinis.

Antiph. Helena Constantini mater, *ut supra*. *Ant.* Helena desiderio plena orabat cum lacrymis dicens: Tu, Domine, ostende lignum in quo salus nostra fuit suspensa, allel., allel. *Ant.* Tunc præcepit omnes igne cremari; at illi tenentes tradiderunt Judam. *Ant.* Helena sancta dixit ad Judam: Comple desiderium meum, et vive super terram, ut ostendas mihi super terram qui dicitur Calvariæ locum, ubi absconditum est pretiosum lignum dominicum, alleluia. *Ant.* Mors et vita appositæ sunt tibi, vide, ostende mihi crucem Christi.

In Evangelio.

Antiph. Cumque ascendisset Judas de lacu, perrexit ad locum, ubi jacebat sancta crux, alleluia. *Ant.* Orabat Judas, Deus Deus meus, ostende mihi lignum sanctæ crucis, alleluia. *Ant.* Cum orasset Judas, commotus est lacus ille, in quo sancta crux jacebat, alleluia. *Ant.* Ecce crucem Domini, fugite, partes adversæ. Vicit Leo de tribu Juda, radix David, alleluia.

(*Desunt quatuor lineæ in Ms.*)

824 *Idem Antiph. unde supra.*

Antiph. O magnum pietatis opus! mors mortua tunc est, quando in hoc ligno mortua vita fuit. *Ant.* Salva nos, Christe Salvator, per virtutem crucis, qui salvasti Petrum in mari, miserere nobis. *Ant.* O crux admirabilis, evacuatio vulneris, restitutio sanitatis. *Ant.* Nos autem gloriari oportet. *Ant.* Crux benedicta nitet, Dominus qua carne pependit, atque cruore suo vulnera nostra lavit. *Ant.* Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem laudamus et glorificamus, quia venit salus in universo mundo. *Ant.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus. *Ant.* Crux fidelis inter omnes, arbor una nobilis, nulla sylva talem profert fronde, flore, germine: dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinens. *Ant.* Dulce lignum, dulcem clavum, dulce pondus sustinuit: quæ digna fuit portare pretium sæculi. *Ant.* Per signum crucis, de inimicis nostris libera nos, Deus Israel, allel. *Ant.* Tuam crucem adoramus, Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. Miserere nostri, qui passus es pro nobis. *Ant.* Lignum vitæ, crux tua, Domine, manifestata est; mors enim per ipsam damnata est, et mundus omnis per ipsam illuminatus est. Omnipotens Domine, gloria tibi. *Ant.* Super omnia ligna cedrorum, tu sola excelsior, in qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit, allel. *Ant.* Crucem tuam adoramus, Domine, et sanctam resurrectionem tuam laudamus et glorificamus. Ecce enim propter crucem venit gaudium in universo mundo. *Ant.* Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per crucem tuam redemisti mundum. *Ant.* O crux benedicta, quia in te pependit Salvator mundi, et in te triumphavit Rex angelorum, alleluia. *Ant.* Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit; venite, adoremus. *Antiph.* Crux Jesu Christi adaperiat nobis januas cœli. Crux, solve vinculum mortis; per hoc vitæ lignum signum sit salutis nostræ. Defende nos, Jesu Christe, hic et in futuro.

De sancto Mauritio. — Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Sanctus Mauritius legionem sanctam præmonuit, ut ad cœlestia regna properarent. Beatus Exuperius miles, Candidus et Victor, junctis meritis, se sociaverunt. *Ant.* Sancta legio Auganensium [Agaunensium] martyrum, dum resisteret adversariis, sacro duce Mauritio interveniente, immortalitatis compendium acquisierant. *Ant.* Pretiosa sunt Thebæorum martyrum vulnerata [vulnera] sancti Mauritii cum sociis suis, qui sub Maximiano mortem decreverunt suscipere. *Ant.* Ecce factus est sacer ille Auganensium [Agaunensium] locus, per suffragia sanctorum salus præsentium, præsidium futurorum. *Ant.* Sanctorum corpora sacri sanguinis unda perfudit, pretiosorum martyrum societas consecravit. Quod novit Redonus, in pugnando refugit. *Ant.* Flagrabat in beatissimis martyribus gloriosus odor, quia trucidati ferro, collis submissis, a Maximiano perempti sunt, quos multitudo angelorum cum gaudio suscepit. *Ant.* Triumphant sancti martyres Christi, qui sub Maximiano mortem decreverunt suscipere, et cum sancto Mauritio regna cœlestia acceperunt.

825 *In natali sanctorum Cosmæ et Damiani.*

Antiph. Cosmas et Damianus, Artimus, Leontius, Euprepius; hi quinque fratres a Deo coronati sunt.

(*Deest linea in Ms.*)

Antiphonæ et Responsoria. — In vigilia sancti Michaelis, ad Vesperas.

Vers. Stetit angelus super aram templi. *Ant.* Dum sacrum mysterium cerneret Joannes, archangelus Michael tuba cecinit: Ignosce, Domine Deus noster, qui aperis librum, et solvis signacula ejus, alleluia.

(*Deest linea in Ms.*)

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem archangelorum Dominum venite adoremus. *Ant.* Stetit angelus super aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, de manu angeli. *Psal.* Domine quis habitabit. *Ant* Michael archangelus venit in adju

torium populo Dei. *Psal.* Afferte. *Vers.* Stetit angelus.

Responsoria unde supra.

Resp. Factum est silentium in cœlo, cum committeret bellum draco cum Michael archangelo: et audita est vox millia millium dicentium: Salus, honor et virtus omnipotenti Deo. *Vers.* Millia millium ministrabant ei, et decies millies centena millia assistebant ei. *Resp.* Stetit angelus super aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua, et data sunt ei incensa multa, et ascendit fumus aromatum in conspectu Domini, de manu angeli. *Vers.* In conspectu angelorum psallam tibi, adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Et ascendit. *Resp.* In conspectu angelorum nolite metuere; vos enim in cordibus vestris adorate et timete Dominum; angelus enim ejus vobiscum est. *Vers.* Stetit angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. *Resp.* In conspectu angelorum psallam tibi, et adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. *Vers.* Angelus qui fuit cum Jacob, ipse sit mecum in terra perigrinationis meæ. Et benedixit vias meas Deus meus. Et adorabo.

In secundo nocturno.

Antiph. Michael præpositus paradisi, quem honorificat angelorum civis. *Psal.* Magnus Dominus. *Ant.* Gloriosus apparuisti in conspectu Domini; propterea decorem induit te Dominus. *Psal.* Te decet Hymnus. *Ant.* Angelus archangelus Michael Dei nuntius de animabus justis, allel. *Psal.* Quam dilecta. *Vers.* Ascendit fumus aromatum.

Responsoria unde supra.

Resp. Hic est Michael archangelus princeps militiæ angelorum, cujus honor præstat beneficia populorum, et Oratio perducit ad regna cœlorum. *Vers.* In conspectu angelorum, *ut supra. Vers.* Angeli, archangeli, throni, et dominationes, principatus et potestates, virtutes cœlorum. *Resp.* Venit Michael archangelus cum multitudine angelorum, cui tradidit Deus animas sanctorum ut perducat eas in paradisum exsultationis. *Vers.* Emitte, Domine, spiritum tuum de cœlis, spiritum sapientiæ **826** et intellectus. Ut perducat. *Resp.* Locutus est ad me unus, *ut supra. Vers.* Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaverint.

In tertio nocturno.

Antiph. Concussum est mare, et contremuit terra, ubi archangelus Michael descendebat de cœlo. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Laudemus Dominum quem laudant angeli, quem cherubim et seraphim: Sanctus, Sanctus, Sanctus proclamant. *Psal.* Cantate 1. *Ant.* Data sunt ei incensa multa, ut adoleret ea ante altare aureum, quod est ante oculos Domini. *Psal.* Benedic, anima. *Vers.* Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

Responsoria unde supra.

Resp. Audivi vocem in cœlo angelorum, *ut supra. Vers.* Vidi angelum Dei fortem. *Resp.* Ostendit mihi angelus. *Resp.* Docebat quæ ventura sunt. Require in prophetis. *Vers.* Ego sum angelus ille qui offero Orationes vestras. *Resp.* Nunquid scis quare non venerint ad te? Nunc revertar ut prælier adversus principem Persarum contradicentem tuis precibus, et mea legationis [meæ legationi]. Verumtamen Michael archangelus princeps vester. Adjutor meus ad Dominum Deum tuum. *Vers.* Benedicite Dominum, omnes angeli ejus, potentes virtutes [virtute] qui facitis verbum ejus. *Resp.* In tempore illo consurgens [consurget] Michael princeps vester, qui stat pro filiis vestris, et veniet tempus quale non fuit, ex eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud. *Vers.* In tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit in libro vitæ. Et veniet. *Resp.* Fidelis sermo et omni acceptione dignus. Michael archangelus qui pugnavit cum diabolo; gratia Dei ille victor in cœlis exstitit, et ille hostis antiquus patuit ruinæ magnæ. *Vers.* Gaudent angeli, exsultant archangeli, lætantur sancti, congratulantur martyres. Et ille. *Resp.* Hic est præpositus paradisi archangelus Michael. Non dimittat animas, donec assignet eas ante tribunal Christi. *Vers.* Vidi angelum Dei, *ut supra.* Non dimittat.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Dum præliaretur Michael archangelus cum dracone antiquo, dedit ei Dominus victoriam sempiternam. *Ant.* Cum committeret bellum draco cum Michael archangelo, audita est vox millia millium dicentium: Salus Deo nostro. *Ant.* Archangele Michael, constitui te principem super omnes animas suscipiendas. *Ant.* Angeli Domini, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Angeli, archangeli, throni, et dominationes, principatus et potestates, virtutes cœlorum, laudate Dominum de cœlis, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Factum est silentium in cœlo, dum draco committeret bellum, et Michael pugnavit cum eo, et fecit victoriam, allel. *Ant.* Michael, Gabriel, cherubim, et seraphim, qui non cessant clamare quotidie: Dignus es, Domine, accipere gloriam, alleluia. *Ant.* Angeli et omnes virtutes, laudate Dominum. *Ant.* Hic est præpositus paradisi archangelus Michael. Non dimittit animas, donec assignet eas ante tribunal Christi.

(*Deest. linea in Ms.*)

Antiph. Justus ut palma florebit. Præsulis summi ac doctoris egregii.

(*Deest pagina integra in Manuscripto.*)

827 Doctor eximius Atrebatum, Vedastus, sacris præconiis celebretur; ut quos in carne verbis, exemplis instruxit, sedulus pro eis ad Dominum intercedat. Ne lupus insidians oves Christi incursare præsumat. *Vers.* Ut quos spiritali studio informavit, monitis ac miraculis animavit. Sedulus. *Resp.* Hic est Vedastus Aulescorum sensibus [*Forte* Aulercorum sentibus] ortus, quem fama celebrior verbum prædicaturum [a] Ludovico regi socium itineris ascivit. *Vers.* Quatenus per singulos itineris sui gressus saluberrimis ab eo imbueretur doctrinis. Quem fama. *Resp.* Vedastus igitur festinantem ad vitæ fontem deducebat regem. Remigius pontifex venientem abluebat. *Vers.* Ambo pene pari pietate pares, sed Vedastus monita salutis dabat. Remigius. *Resp.* Dum ergo iter caperet cum rege sacer Vedastus, nec mortale sonans cœlestia pertractaret, et occurrenti cæco lumen restituit, et cor principis in fide solidavit. *Vers* Sensit itaque vir Dei virtutem sibi adesse supernam, et totum se in sacras effudit preces. Et occurrenti. *Resp.* Qui de rupe arida sitienti populo fontem aquæ vivæ produxit, ipse per beatum Vedastum de sicco vase vinum manare concessit, ac suos poculo mirabili satiavit. *Vers.* Cum pocula vitæ vir Domini cuidam propinaret amico, qui in Cana Galileæ aquas convertit in vinum. [Ipse per beatum] prædicator egregius vir Domini Vedastus urbi Atrebatum destinatus, in ipsa urbis porta duos a clade relevavit ægrotos; nam, et claudo gressum, et cæco lumen reddidit oculorum. *Vers.* Antequam verbis plueret, miraculis coruscaret, qui caducis carebat, munera est superna largitus. Nam et claudo. *Resp.* Mos ubi quondam fuerat ferarum, ibi pontifex summus beatus Vedastus chorum fecit resonare psallentium. Nam et ursi specum in aulam vertit sacrorum. *Vers.* Ut sicut mores bestiales in usu mutavit agnorum, ita ex fœdis et turpibus pulchra reddidit et honesta. Nam et ursi. *Resp.* Invitatus ad prandium sanctus Dei sacerdos, Christi exemplum secutus, assensum præbere non abnuit, ut verbum vitæ convivarum cordibus artium [*Forte* altius] infunderet, et dæmonum commenta fugaret. *Vers.* Extenta namque dextera crucis signum vasis impressit, fugans larvam ex liquore fuso, mira-

[a] Ludovicus is est Clodovæus primus regum Francorum qui Christo credidit.

culo coruscavit. Et Verbum. *Resp.* O beatum virum Vedastum pontificem, cujus exitum columna lucis edocuit, ut verus Israel ab Ægypti ærumnis ad promissa regna percepturus præmia festinaret. *Vers.* Vita est igitur spatio duarum horarum columna lucis a domo pontificis usque ad cœlum fastigium eminere. Ut verus.

Antiphonæ et Responsoria de sancto Dionysio cum sociis suis. — In Vigilia, ad Vesperas.

Antiph. Sanctus Dionysius, qui, tradente beato Clemente Petri apostoli successore, verbi divini semina **828** gentibus parturienda susceperat. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Quo amplius gentilitatis fervere cognovit errorem, illuc intrepidus et calore fidei flammatus accessit. Ad Parisios, Domino ducente, pervenit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Non veritus incredulæ gentis experiri feritatem, quia virtutem suam præteritarum pœnarum recordatio roborabat. *Psal.* Domine, quid. *Vers.* Lætamini in Domino. *Resp.* Post passionem Domini in universis gentibus prædicatio profutura successit; ita ut fide crescente multi mererentur fieri confessores, quos catholica postmodum gaudet Ecclesia meruisse martyres. *Vers.* Qui cum imminere suas cernerent passiones, quæ Domino Jesu Christo donante didicerant, repleti Spiritus sancti gratia, docuerunt. Postmodum. *Vers.* Beatus Dionysius divini verbi semina gentibus tradente Clemente profutura successit. *Resp.* Gratias tibi, Domine, qui infestantis inimici jacula probationem fidelium tuorum præstitisti esse, et non vulnera, et talem tuis martyribus tribuis pro labore mercedem, ut nullum tuorum fuisse gaudeat hostis imbellem. *Vers.* Justorum autem animæ. *Resp.* Beatissimus Dionysius Christi martyr tradente beato Clemente parturienda gentibus semina divina suscepit. Et quo amplius gentilitatis errorem fervere cognovit, illuc intrepidus et virtute fidei armatus advenit. *Vers.* Et Parisios Domino ducente pervenit, non veritus incredulæ gentis expetere feritatem. Illic intrepidus.

In secundo nocturno.

Antiph. Tunc memorata civitas et conventu Germanorum et nobilitate pollebat, quia aura salubris, aere jucunda, fluminibus fecunda, terris arboribus nemorosa uberrima. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Hunc ergo locum Dei famulus elegit exspectando. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Tantas per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Exsultate justi in Domino.

Responsoria.

Resp. Adest namque beati Dionysii sacratissima dies, in qua triumphans agonem explevit, et coronam victoriæ accipere meruit de manu Domini. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et coronam. *Resp.* In hoc ergo loco experiuntur infirmi quantum Dei famulos conveniat honorari, ubi recipit cæcitas visum, debilitas gressum, et obstructæ aures recipere merentur auditum. *Vers.* Hunc ergo locum Dei famulus elegit exspectando. Ubi recipit. *Resp.* Per beatum Dionysium fiunt hic divina mysteria. Per Orationes ejus cæci illuminantur, et natale ejus dæmones effugantur, et infirmi sanantur. *Vers.* Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ.

In tertio nocturno.

Antiph. Ecclesia illis needum in locis erat. Populus ille novam construxit, in qua officia servientium clericorum ex more constituit, probatasque personas honore secundi ordinis ampliavit. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Miroque modo **829** inermi viro non valebat plebs armata resistere. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Cinctus ergo fide, et misericordiam anteponens, paulatim sociabat Deo, quos diabolo subtrahebat. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria.

Resp. Tantas per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, ut rebellium corda non minus miraculis quam prædicationibus obtineret. *Vers.* Miroque modo inermi viro non valebat plebs armata resistere. Quam prædicationibus. *Resp.* Isti sunt viri sancti. [a] *Require in apostolor.* *Resp.* Beatus Dionysius, Rusticus et Eleutherius, in hac ergo fidei pertinacia permanentes, reddentes terræ corpora, animas cœlo cum gaudio intulerunt. *Vers.* Tali namque ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Illi sancti viri a beati Dionysii nunquam sustinuerunt abesse præsentia, quos in unum interrogatio percussoris invenit. *Ant.* Tali namque ad Dominum meruerunt professione migrare, ut amputatis capitibus adhuc putaretur lingua palpitans Dominum confiteri. *Ant.* In hac ergo fidei constantia permanentes, reddentes terræ corpora, beatas cœlo animas intulerunt. *Ant.* Beata nimium et Deo grata societas, inter quos nec primus alter potuit esse nec tertius; sed Trinitatem confitentes, trium meruerunt decorare martyrio. *Ant.* Eligunt Sequanæ profundisque gurgitibus martyrum corpora perdenda committere. *Ant.* In hoc ergo loco experiuntur infirmi quantum Dei famulos conveniat honorari, ubi recipiet cæcitas visum, debilitas gressum, et obstructæ aures recipere merentur auditum. *Vers.* Justorum animæ.

In Evangelio.

Antiph. Adest namque beati Dionysii sacratissima dies, in qua triumphans agonem explevit, et coronam victoriæ accipere meruit de manu Domini. *Ant.* O beate Dionysi, magna est fides tua. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Ant.* Metuentes igitur percussores, ne conversi populi Christiani sanctorum corpora sibi ad patrocinium tumularent. *Ant.* Tunc matrona quædam, quæ licet paganorum implicata teneretur errore, conversione se desiderare facere aliquid cogitans Domino placitura. *Ant.* Usa subtilitate consilii ad convivium postulabat percussores, et dum copiam ablata humanitatis extendit a memoria eorum quæ susceperunt agenda discurrit. *Ant.* Sanctum Dionysium cum sociis suis contra incredulos dimicantem Parisiis repererunt. *Ant.* Deus omnipotens, qui electis tuis in agone certantibus gloriæ coronam largiris, et sortitis præmium regni cœlestis tradidisti, inter quos athleta tuus Dionysius atque beatissimus Eleutherius seu Rusticus in tua confessione palma martyrii consecrasti, præsta, Redemptor mundi, ut si meritis non valemus, per eorum suffragia veniam consequamur.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani.

Antiph. Oriundi sunt Romæ sancti Dei Crispinus **830** et Crispinianus. In Galliam devoti venerunt, et sub Maximiano crudeli examinatione certaverunt. *Psal.* Beatus vir qui non. *Ant.* Sancti martyres in Oratione dixerunt: Potens es, Domine, ab impiis liberare tormentis, et ab hoc igne illæsos educere. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Martyres sancti inter acerrimos dolores spe gaudentes in tribulatione orabant Dominum, et dicebant: Judica, Domine, judicium nostrum, et libera nos ab homine iniquo et doloso. *Psal.* Domine, quid.

Responsoria.

Resp. Oriundi sunt Romæ sancti Dei Crispinus et

[a] Hoc est: *Require hoc Responsorium in officio de apostolis.*

Crispinianus; in Galliam devoti venerunt; et sub Maximiano crudeli examinatione certaverunt. *Vers.* (*Deest in Ms.*) *Resp.* Isti sunt duo viri pretiosi martyres, qui Roma pro Christi nomine ad prædicandum venerunt, et sub Maximiano crudeli principe mortem gloriosam decreverunt suscipere. *Vers.* Romæ nobili ortu progeniti, in Gallia autem pro Christi amore venerunt. *Resp.* Beatissimi martyres respondentes Maximiano: Honores quos polliceris nobis dare, tuis dona. Nobis vivere Christus est et mori lucrum. *Vers.* Pecunia vero et honores quos polliceris nobis dare, tuis dona. Ista olim pro Christi amore nos gaudemus reliquisse. Nobis.

In secundo nocturno.

Antiph. Quibus hæc orantibus, exsiliens gutta plumbi ferventis in oculum Rictiovari, gravi illum dolore crucians excæcavit afflictum. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Mox, oratione finita, reduxit eos pariter angelus Domini sine dolore ab igne. *Psal.* Verba mea. *Ant.* O mirum divinæ æquitatis judicium, ut qui multos martyres per ignem peremit ad cœlestia properantes, ipse in igne vitam finivit, et ad ignem æternum cruciatus pervenit. *Psal.* Domine Dominus noster.

Responsoria.

Resp. Cum essent in tormentis martyres Christi Crispinus et Crispinianus, cœlestia contemplantes dicebant: Adjuva nos, Domine, ut perficiamus opus tuum sine macula. *Vers.* Respice in servos tuos, et in opera tua, Domine, et adjuva nos. Ut perficiamus. *Resp.* Judica, Domine, judicium nostrum, et libera nos ab homine iniquo. Tunc illis orantibus exsilierunt sudes de ungulis eorum, et ministros percutientes interfecerunt illos. *Vers.* Martyres inter acerrimos dolores spe gaudentes, in tribulatione patientes. Tunc. *Resp.* Sancti martyres in Oratione dixerunt: Potens es, Domine, ab impiis liberare tormentis, et ab hoc igne illæsos educere. *Vers.* Mox Oratione finita eduxit eos angelus Domini sine dolore ab igne. Et ab hoc.

Antiphonæ in tertio nocturno.

Antiph. Impius Maximianus jussit eos ambos capite truncari. *Psal.* Exaudi, Domine, justitiam. *Ant.* Qui juxta [*Forte* quibus jussu] regis amputata sunt capita, amborum pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Relicta sancta corpora Crispini et Crispiniani, quæ Christo custodiente permanserunt intacta. *Psal.* Benedicam Dominum.

Responsoria.

Resp. O mirum divinæ æquitatis judicium, ut qui multos martyres per ignem peremit, ad cœlestia properantes, ipse in igne vitam finivit, et eos de colluctatione sui certaminis ad se venire jubet propitius. Ipse. *Resp.* Relicta sancta corpora Crispini et Crispiniani, quæ Christo custodiente a morsu orum [*Forte* ferarum] permanserunt intacta. *Vers.* Quorum animæ cœlis ab angelis translatæ, corpora vero a carnificibus bestiis sunt relicta. Quæ. *Resp.* Angelica admonitione sepelierunt corpora sanctorum cum gaudio, ubi populus hodie adorat Majestatem Dei. *Vers.* In quo loco Christiani postea magnam ædificaverunt basilicam. Ubi.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Sancti vero martyres Crispinus et Crispinianus audacter regi impio responderunt, dicentes: Pro Christi amore nos venisse fatemur, qui est verus Deus in Trinitate unus, cui servimus in fide ac dilectione devoti. *Ant.* Beatissimi martyres responderunt Maximiano, dicentes: Honores quos polliceris nobis dare, tuis dona; nobis vivere Christus est, et mori lucrum. *Ant.* Cum essent in tormentis martyres Christi, cœlestia contemplantes dicebant: Adjuva nos, Domine, ut perficiamus opus tuum sine macula. *Ant.* Beata es, gloriosa mors sanctorum, qui deambulabant in flammarum incendia, decantabant hymnum dicentes: Adjuva nos, Deus salutaris noster. *Ant.* Orabant sancti martyres dicentes: Gratias tibi agimus, Domine, qui nos de hoc sæculo eripiens ad te venire præcipis.

In Evangelio.

Antiph. Sancti Dei Crispinus et Crispinianus submissa colla percussoribus tradiderunt, animas sanctas Creatori Domino reddiderunt. Et ideo coronantur et accipiunt palmam, et vivunt in æternum. *Ant.* Isti sunt sancti Dei Crispinus et Crispinianus nobili progenie rebusque ditati. Egressi sunt Roma propter amorem Christi. Reliquerunt omnia, secuti sunt Dominum, et pervenerunt ad præmia regni, quæ promisit Dominus diligentibus se. *Ant.* Angelica admonitione sepelierunt corpora sanctorum cum gaudio, ubi populus hodie adorat Majestatem Dei. *Ant.* Ad locum properat senex, ubi sancti martyres decollati jacebant. *Ant.* Oblatus est a parentibus puer variis infirmitatibus cæcus, surdus, mutus, et claudus, quæ largiente Christo martyrum precibus recepit.

In vigilia sancti Quintini. — Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Sanctus vir Quintinus cum beato Lucio ab urbe Roma se in hanc transtulerunt regionem. *Ant.* Cumque pervenissent ad loca municipii, quæ Augusta Veremandorum nuncupatur. *Ant.* Tunc Rictiovarus furore plenus, jussit eum tendi et quaternionibus cædi. *Ant.* Beatus Quintinus orabat dicens: Domine Deus, miserere mei servi tui. *Ant.* Et cum vidisset, cervices suas percussoribus obtulit, dicens: Facite nunc quod vobis præceptum est.

In Evangelio.

Antiph. Et vox de cœlo dicens: Quintine, famule meus, veni, accipe coronam quam tibi præparavi. *Ant.* Beatus Quintinus ad Rictiovarum dixit: Christianus sum, et Christum confiteor. Et tamen si certissime scire vis nomen meum, Quintinus vocor.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia omnium sanctorum. — Ad Invitatorium.

Antiph. Præoccupemus faciem Domini in confessione sanctorum.

In primo nocturno.

Antiph. Ave, Maria. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Laudemus Dominum. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Ant.* Custodiebant. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Justorum animæ.

Responsoria.

Resp. Beata es, virgo Maria. *Vers.* Ave, Maria. *Resp.* Audivi vocem. *Vers.* Vidi angelum. *Resp.* Sancti tui, Domine. *Vers.* Quoniam percussit.

In secundo nocturno.

Antiph. In omnem terram. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Clamaverunt. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Exsultabunt sancti. *Psal.* Exsultate, justi. *Vers.* Justi autem.

Responsoria.

Resp. Fuerunt sine querela. *Vers.* Tradiderunt corpora. *Resp.* O veneranda martyrum. *Vers.* Isti sunt qui venerunt. Isti sunt viri sancti. *Vers.* Sancti per fidem.

In tertio nocturno.

Antiph. In odore. *Psal.* Deus noster. *Ant.* Lætamini in Domino. *Psal.* Beati quorum. *Ant.* Cantabant sancti. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Vers.* Mirabilis Deus.

Responsoria.

Resp. Quinque prudentes. *Vers.* Tunc surrexerunt. *Resp.* Sancti mei. *Vers.* Venite, benedicti. *Resp.* Beati estis. *Vers.* Gaudete, et exsultate.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Post partum virgo. *Ant.* Justi autem. *Ant.* Vos qui secuti estis. *Ant.* Spiritus et animæ. *Ant.* Angeli, archangeli. *Capit.* Benedictio et claritas. *Vers.* Lætamini in Domino.

In Evangelio.

Antiph. Laudem dicite Deo nostro. *Ant.* Fulgebunt justi. *Ant.* Adoremus Dominum, qui in sanctis gloriosus est. *Ant.* Te trina deitas unaque poscimus, ut culpas abluas, noxia subtrahas; des pacem famulis, nos quoque gloria per cuncta tibi sæcula. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Ant.* Laudemus Dominum. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Exaltata est sancta Dei. *Psal.* Cœli enarrant. *Vers.* Lætamini in Domino.

Responsoria unde supra.

Resp. In patre manet. *Vers.* Tanquam sponsus. *Resp.* In conspectu angelorum. *Vers.* Angelus qui fuit. *Resp.* Beata es, Virgo. *Vers.* Ave, Maria. *Resp.* Inter natos. *Vers.* Fuit homo.

833 *In secundo nocturno.*

Antiph. Inter natos. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Vos amici mei. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Dabo sanctis. *Psal.* Omnes gentes. *Vers.* Exsultent justi.

Responsoria.

Resp. Inter natos. *Vers.* Fuit. *Resp.* Cives apostolorum. *Vers.* In omnem terram. *Resp.* O veneranda. *Vers.* Isti sunt qui venerunt.

In tertio nocturno.

Ant. Sint lumbi vestri. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Tunc surrexerunt. *Psal.* Cantate 1. *Ant.* Omnes sancti. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Vers.* Justi autem.

Responsoria.

Resp. Sacerdotes ejus. *Vers.* Illuc producam. *Resp.* Audivi vocem. *Vers.* Media autem. *Resp.* Omnes sancti. *Vers.* Effugerunt.

In Matutinis.

Angeli, archangeli. *Ant.* Vos qui secuti estis. *Ant.* Sacerdotes Dei. *Ant.* Prudentes virgines. *Ant.* Fulgebunt justi.

In Evangelio.

Antiph. Istorum est enim regnum. *Ant.* Astiterunt justi ante Dominum. *Ant.* Vestri capilli capitis. *Ant.* Sancti per fidem vicerunt regna.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sancti Martini, ad Vesperas.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Ora pro nobis, beate Martine, ut digni efficiamur promissione Christi.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem confessorum Dominum, venite adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est, baptismi gratiam percepit. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Ego signo crucis non clypeo protectus aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Hic est Martinus electus Dei pontifex, cui Dominus post apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, ut in virtute Trinitatis Deificæ mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus. *Vers.* Sanctæ Trinitatis fidem Martinus confessus est. Ut trium. *Vers.* Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare, dedit illi Dominus gratiam. Ut. *Resp.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso subire propter eos labores. Fiat voluntas tua. *Vers.* Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. Fiat. *Vers.* Oculis ac manibus in cœlum semper intentus invictum ab Oratione spiritum non relaxabat. Fiat. *Resp.* O Beatum virum Martinum antistitem, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. *Vers.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua. Qui nec.

In secundo nocturno.

Confido in Domino, quod filia mea precibus tuis reddenda sit sanitati. *Psal.* Cum invocarem. **834** *Ant.* Tetradius, cognita Dei virtute, ad baptismi gratiam pervenit. *Psal.* Verba mea. *Ant.* O ineffabilem virum, per quem nobis tanta miracula coruscant. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria unde supra.

Resp. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictum ab Oratione spiritum non relaxabat. *Vers.* O virum ineffabilem, nec labore victum nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. Invictum. *Vers.* Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. Spiritum. *Resp.* Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. *Vers.* Orante sancto Martino, apparuit ei angelus Domini. *Vers.* Oculis ac manibus, *ut supra.* *Resp.* Beatus Martinus obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratribus dissolutionem sui corporis imminere, quia judicabat se jam resolvi. *Vers.* Dixerunt discipuli. *Vers.* Viribus corporis cœpit repente destitui, convocatisque discipulis in unum, dixit. Dissolutionem. *Resp.* Dixerunt discipuli ad beatum Martinum: Cur nos, Pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. *Vers.* Domine, si adhuc populo tuo. *Vers.* Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur; nostri potius miserere quos deseris. Invadent.

In tertio nocturno.

Antiph. Dominus Jesus Christus non se inquit purpuratum, nec diademate renitentem se venturum esse prædixit. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Sacerdos Dei, Martine, pastor egregie, ora pro nobis Dominum. *Psal.* Domine, quis. *Ant.* Sacerdos Dei Martine, aperti sunt tibi cœli, et regnum Patris mei. *Psal.* Domine, in virtute tua. Justum deduxit Dominus. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. O beatum virum, in cujus transitu sanctorum canit numerus, angelorum exsultat chorus, omniumque cœlestium virtutum occurrit psallentium exercitus. *Vers.* Ecclesia Domini virtutum roboratur, sacerdotes revelatione glorificant, quem Michael assumpsit cum angelis. Virtutum. *Resp.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur. Martinus hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur; Hymnis cœlestibus honoratur. *Vers.* Oculis ac manibus, *ut supra.* *Vers.* Martinus episcopus migravit a sæculo, vivit in Christo gemma sacerdotum. Hymnis. *Resp.* Ora pro nobis, beate Martine, ut digni efficiamur promissione Christi. *Vers.* Tu autem, confessor sancte, beate Martine, ora pro nobis Dominum. Ut digni. *Vers.* Dum sacramenta, *ut supra.* Ut digni. *Resp.* O quantus erat luctus omnium, quanta præcipue mœrentium lamenta monachorum! quia et pium est gaudere Martino, et pium est flere Martinum. *Vers.* Beati viri corpus usque ad locum sepulcri, hymnis canora cœlestibus turba prosequitur. Quia. *Vers.* Tanta erat de sancti illius meritis exsultatio, quam pia de morte confusio. Ignosceris [ignosce] flentibus, gratulare gaudentibus. Quia. *Resp.* Cum videret beatus Martinus discipulos suos flentes, motus his fletibus, conversus ad Dominum, dixit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. [*Cætera desunt in Ms.*]

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Dixerunt discipuli ad beatum Martinum: **835** Cur nos, Pater, deseris? aut cui nos desolatos

relinquis? Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. *Ant.* Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua. *Ant.* O virum ineffabilem! nec labore victum, nec morte vincendum; qui nec mori timuit, nec vivere recusavit. *Ant.* Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, invictus ab Oratione spiritum non relaxabat, alleluia, alleluia. *Ant.* Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur; Martinus, hic pauper et modicus, cœlum dives ingreditur, Hymnis cœlestibus honoratur. *Vers.* Ecce sacerdos magnus.

In Evangelio.

Antiph. O quantus luctus omnium! quanta præcipue lamenta monachorum et virginum chorus [*Dele* chorus, *aut lege* chori]. Quia et pium est gaudere Martino, et pium est flere Martinum. *Ant.* O sanctissima anima! quam si gladius persecutoris non abstulit, tamen palmam martyrii non amisit. *Ant.* Dum esset summus pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit. *Ant.* Beatus Martinus dixit Juliano, Christi enim sum miles, pugnare mihi non licet. *Ant.* Martine, audit nos Dominus tibi auxilium ferre, et rusticam multitudinem effugasse. *Ant.* Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. *Ant.* Sacerdotes Dei, benedicite Dominum, servi Domini Hymnum dicite Deo, alleluia. *Ant.* Imposita manu puero beatus Martinus, immundum spiritum ab eo ejecit. *Ant.* Arborius stupens ad miraculum, gratias referebat Deo. *Vers.* Ecce sacerdos. *Ant.* O beatum virum: cujus anima paradisum possidet, unde exsultant angeli, lætantur archangeli, chorus sanctorum proclamat, turba virginum invitat; mane nobiscum in æternum. *Ant.* Orante beato Martino, apparuit ei angelus Domini. *Ant.* Tu crede in Christo, et videbis opera Domini. *Ant.* Unus est Dominus Deus invisibilis per quem dæmones ejiciuntur.

De sancto Briccio Antiphonæ. — In matutinis Laudibus.

Antiph. Post excessum beatissimi Martini episcopi, beatus Briccius cathedram episcopalem suscepit. *Antiph.* Trigesimo ordinationis suæ anno oritur contra eum lamentabile crimen. Nam quædam mulier quæ cubicularius vestimenta abluebat, concepit et peperit et omne [*Forte* omnes] crimen episcopo objiciunt. *Ant.* illo quoque negante, jussit afferri infantem. Cumque oblatus fuisset triginta ab ortu dies habens, ait ad eum Briccius: Adjuro te per Deum, et si ego te generavi coram cunctis edicas. *Ant.* Respondens autem infans coram omni populo, beato viro dixit: Non es tu, inquit, Pater meus. *Ant.* Sanctus Briccius satisfaciens populo prunas ardentes ab urbe in birro suo deferens, et ante sepulcrum beati Martini coram populo projiciens, vestimentum ejus inustum apparuit. *Vers.* Ecce sacerdos magnus.

In Evangelio.

Antiph. Populis autem non credentibus, et ab episcopatu eum ejicientibus, Romam petiit, flens et ejulans, atque dicens: Merito hæc patior, quia **836** peccavi in sanctum Dei.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sancti Andreæ apostoli, ad Vesperas.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieri piscatores hominum.

Responsoria unde supra.

Resp. Dum perambularet Dominus supra mare, secus littus Galileæ, vidit Petrum et Andream retia mittentes in mare, et vocavit eos dicens: Venite post me, faciam vos piscatores hominum. *Vers.* Exaudi, Deus, deprecationem meam, intende Orationi meæ. A finibus terræ. Vocavit. *Resp.* Venite post me, faciam vos piscatores hominum. At illi, relictis retibus et navi, secuti sunt Dominum. *Vers.* Dum perambularet Dominus supra mare secus littus Galileæ, vidit duos fratres Petrum et Andream, et vocavit eos. At illi. *Resp.* Mox ut vocem Domini prædicantis audivit beatus Andreas, relictis retibus, quorum usu actuque vivebat, æternæ vitæ secutus est largitorem. *Vers.* Ad unius jussionis vocem Petrus et Andreas, relictis retibus, secuti sunt Redemptorem. Præmia. *Resp.* [a] Oravit sanctus Andreas, dum respiceret cœlum; voce magna clamavit, et dixit: Tu es Deus meus quem vidi, ne me patiaris ab impio judice deponi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi. *Vers.* Tu es magister meus, Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum; tantummodo in ista voce exaudi me. Ne me permittas. *Resp.* Homo Dei ducebatur ut crucifigerent eum. Populus autem clamabat voce magna, dicens: Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. *Vers.* Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveteraverunt et claudicaverunt a semitis suis, vivit Dominus. Innocens. *Resp.* O bona crux, quæ decorem et pulchritudinem de membris Domini suscepisti. Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. *Vers.* Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. *Resp.* Doctor bonus et amicus Dei Andreas ducitur ad crucem, aspiciens a longe vidit crucem: Salve, crux, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te, magister meus Christus. *Vers.* Salve, crux, *ut supra.* Qui pependit. *Resp.* Expandi manus meas tota die in cruce, ad populum non credentem, sed contradicentem mihi, qui ambulat vias non bonas, sed post peccata sua. *Vers.* Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit. Exaltare qui judicas terram, redde retributionem superbis. *Resp.* Vir iste in populo suo mitissimus apparuit, sanctitate autem et gratia plenus. Iste est qui assidue orat pro populo, et pro civitate ista. *Vers.* Pro eo ut me diligerent, detrahebant mihi; ego autem orabam. Pro populo. *Resp.* Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. Dum penderet in cruce, dignum sibi computavit martyrem, quem vocavit apostolum, dum esset in mari, et ideo amicus Dei appellatus est. *Vers.* Tu es magister meus, Christe, *ut supra.* Et ideo. *Resp.* Beatus Andreas de cruce clamabat, dicens: Domine, Jesu Christe, non jubeas me deponi de ista cruce, nisi prius accipias spiritum meum. *Vers.* Domine, exaudi Orationem meam, et clamor meus ad te veniat. **837** *Resp.* Beatus Andreas vidit crucem. Exclamavit ad eam: Suscipe discipulum ejus, qui pependit in te, quem vidi, quem amavi, quem secutus sum mundo corde; quapropter lætus pergo ad te, quia secretum agnovi, qua de causa fixa es. *Vers.* Vidit crucem Andreas, exclamavit et dixit: Suscipe, beata crux, humilem propter Dominum, suscipe discipulum ejus. Qui pependit. *Resp.* Cum videret beatus Andreas crucem, exclamavit et dixit: Salve, crux, quandiu fatigaris, exspectans me sicut exspectasti Dominum et magistrum meum. *Vers.* Suscipe, beata crux, humilem propter Dominum; suscipe discipulum ejus, qui pependit in te. *Resp.* Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata es, suscipe discipulum ejus qui pependit in te. *Vers.* Quoniam tu es protector, *ut supra.* *Vers.* Salve, crux pretiosa, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te magister meus Christus. Suscipe. *Resp.* Dum penderet beatus Andreas in cruce, non cessavit prædicare verbum Dei die ac nocte. Et populus irruebat ad impium judicem dicentes: Solve hominem justum, dimitte hominem innocentem. *Vers.* Ut et nos mereamur patria, et omnis patria habet pacem, missus sum prædicare in omnibus ut cognoscar [*Forte* cognoscant] recti corde secreta crucis Domini mei.

[a] Hæc et sequentia desumuntur ex Actis sancti Andreæ, de quorum antiquitate et sinceritate dubitatur. Ea totis viribus propugnat Andreas du Saussay.

Vers. Videns crucem Andreas, exclamavit dicens : O crux admirabilis! o crux quæ per totum mundum fulgida es, suscipe discipulum Christi, non me dimittas errare sicut ovem non habentem pastorem. *Vers.* Vivens pendebat in cruce pro Christi nomine beatus Andreas, et docebat populum. *Vers.* Salve, crux, *ut supra*. Non me dimittas.

(*Deest linea in Ms.*)

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Salve, crux pretiosa, suscipe discipulum ejus qui pependit in te magister meus Christus. *Ant.* Beatus Andreas orabat, dicens : Domine Rex æternæ gloriæ, suscipe me pendentem in patibulo. *Ant.* Andreas Christi famulus, dignus Deo apostolus, germanus Petri et in passione socius. *Ant.* Maximilla Christo amabilis, tulit corpus apostoli; optimo loco cum aromatibus sepelivit. *Ant.* Qui persequebantur justum, demersisti eos, Domine, in infernum, et in ligno crucis dux justi fuisti. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Unus ex duobus qui secuti sunt Dominum, erat Andreas frater Simonis Petri, alleluia. *Ant.* Christus me misit ad istam provinciam, ubi non parvum populum acquisivi. *Ant.* Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari; tempus est ut commendes terræ corpus meum. *Ant.* Biduo vivens pendebat in cruce pro Christi nomine beatus Andreas, et docebat populum. *Ant.* Dignum sibi Dominus computavit martyrem, quem vocavit apostolum, dum esset in mari, alleluia. *Ant.* Sancte Andreas apostole Christi, deprecare pro nobis ad Dominum Jesum. Intercede pro nobis. *Ant.* Andreas apostolus Domini, magnum operatus est miraculum; templum Dei prædicando jugiter, convertit populum Myrmidonem. *Ant.* Dixit Andreas Simoni fratri suo : Invenimus Messiam, qui dicitur Christus. *Ant.* Videns Andreas crucem cum gaudio dicebat : Quia amator tuus **838** semper fui, et desideravi. *Ant.* Continuo, relictis retibus et patre, secuti sunt Salvatorem. *Ant.* Vidit Dominus Petrum et Andream, et vocavit eos. *Ant.* Relictis retibus suis, secuti sunt Dominum Jesum Christum. *Ant.* Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis, allel. *Ant.* Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. *Ant.* Recipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit, allel. *Ant.* Tu es Deus meus, in quo complacui et dilexi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi, alleluia. *Ant.* Dum perambularet Dominus supra mare, secus littus Galilææ. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieri piscatores hominum.

In die ad Vesperas.

Antiph. Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : Tu es sacerdos in æternum. *Psal.* Dixit Dominus. *Ant.* Potens in terra erit semen ejus, generatio rectorum benedicetur. *Psal.* Beatus vir qui timet. *Ant.* Collocet eum Dominus cum principibus populi sui. *Psal.* Laudate, pueri. *Ant.* Dirupisti, Domine, vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. *Psal.* Credidi propter. *Ant.* Confortatus est principatus eorum, et honorati sunt amici tui, Deus. *Psal.* Domine, probasti me. *Ant.* Nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.

In Evangelio.

Antiph. Concede nobis hominem justum, redde nobis hominem sanctum; ne interficias hominem Deo charum, justum, mansuetum et pium.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia sanctæ Cæciliæ virginis, ad Vesperas.

Antiph. Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, non diebus neque noctibus a colloquiis divinis, et oratione vacabat.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem virginum Dominum venite adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Cæcilia virgo Almachium exsuperabat, Tiburtium et Valerianum ad coronas vocabat. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Expansis manibus orabat ad Dominum, ut eam eriperet de inimicis. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Specie tua et pulchritudine.

Responsoria unde supra.

Resp. Cantantibus organis Cæcilia virgo in corde suo soli Domino decantabat, dicens : Fiat, Domine, cor meum, et corpus meum immaculatum, ut non confundar. *Vers.* Biduanis ac triduanis jejuniis orans suam Domino pudicitiam commendabat. Fiat. *Resp.* O beata Cæcilia, quæ duos fratres convertisti, Almachium judicem superasti, Urbanum episcopum in vultu angelico demonstrasti. *Vers.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi Urbanum. *Resp.* Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore; et non diebus neque noctibus vacabat a colloquiis divinis et oratione. *Vers.* Est secretum, Valeriane, quod tibi volo dicere : **839** Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. Et non diebus. *Vers.* Fiat, Domine, cor meum, et corpus meum immaculatum, ut non confundar.

In secundo nocturno.

Antiph. Domine Jesu Christe, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium : Hodie te fateor esse meum cognatum, quia amor Dei te fecit esse me contemptum. ª *Psal.* Verba mea. *Ant.* Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum, ut non confundar. *Psal.* Domine Dominus noster. *Vers.* Adjuvabit eam.

Responsoria unde supra.

Resp. Cilicio Cæcilia membra domabat, Deum gemitibus exorabat, Almachium exsuperabat, Tiburtium et Valerianum ad coronas vocabat. *Vers.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Tiburtium. *Resp.* Cæciliam intra cubiculum orantem invenit, et juxta eam angelum Domini, quem videns Valerianus nimio terrore correptus est. *Vers.* Angelus Domini descendit de cœlo, et lumen refulsit in habitaculo. Quem videns. *Resp.* Domine Jesu Christe, Pastor bone, seminator casti consilii, suscipe seminum fructus, quos in Cæciliam seminasti. Cæcilia famula tua, quasi ovis [apis] tibi argumentosa deservit. *Vers.* Nam sponsum quem quasi leonem accepit, tibi quasi agnum mansuetissimum sociavit. Cæcilia famula.

In tertio nocturno.

Antiph. Credimus Christum Filium Dei verum Deum esse, qui te talem accepit famulam. *Psal.* In Domino. *Ant.* Nos scientes sanctum nomen omnino negare non possumus. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Tunc Valerianus perrexit ad antistitem, et [ad] signum quod acceperat invenit sanctum Urbanum. *Psal.* Eructavit. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Beata Cæcilia dixit ad Tiburtium : Hodie fateor te esse meum cognatum, quia amor Dei te fecit esse contemptorem idolorum. *Vers.* Suscipe, Domine, seminum fructus, quos in Cæcilia seminasti. Quia amor. *Resp.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Urbanum, quia ad ipsum habeo secreta quæ perferam. *Vers.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam, et salutare tuum da nobis. Quia. *Vers.*

ª Forte *sicut me contemptum*. Vulgo legitur *te fecit contemptorem idolorum*, quod etiam infra habet Codex.

Tunc Valerianus perrexit ad antistitem, et [ad] signum quod acceperat invenit sanctum Urbanum. Quia. *Resp.* Dum aurora finem daret, Cæcilia dixit: Eia, milites Christi, abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis. *Vers.* Cæcilia valedicens fratribus, et exhortans eos ait: Eia.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Cantantibus organis, Cæcilia Domino decantabat dicens: Fiat cor meum immaculatum, ut non confundar. *Ant.* Est secretum, Valeriane, quod tibi volo dicere: Angelum Dei habeo amatorem, qui nimio zelo custodit corpus meum. *Ant.* Valerianus in cubiculo Cæciliam cum angelo orantem invenit. **840** *Ant.* Benedico te, Pater Domini mei Jesu Christi, quia per Filium tuum ignis exstinctus est a latere meo. *Ant.* Cæcilia famula tua, Domine, quasi ovis tibi argumentosa deservit. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Dum aurora finem daret Cæcilia sancta dixit: Eia, milites Christi, abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis. *Ant.* Triduanas a Domino poposci inducias, ut domum meam Ecclesiam consecrarem. *Ant.* Cæcilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum Urbanum, quia ad ipsum habeo secreta quæ perferam. *Ant.* Suscipe, Domine, seminum fructus, quos in Cæciliam seminasti. *Ant.* Cæciliam intra cubiculum orantem invenit.

In vigilia sancti Clementis, ad Vesperas.

Vers. Justum deduxit Dominus. *Ant.* Dum iter maris cœpisset populus, voce magna clamabat: Domine, salva eum. Et Clemens cum lacrymis dicebat: Accipe, Pater, spiritum meum.

Responsoria unde supra.

Resp. Orante sancto Clemente, apparuit ei Agnus Dei, de sub cujus pede fons vivus emanat; fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Vers.* Vidi supra montem Sion Agnum stantem. De sub cujus. *Resp.* Ora pro nobis, beate Clemens, ut digni efficiamur promissione Christi. *Vers.* Sperate in eo omnis conventus plebis, effundite coram illo corda vestra. Ut digni. *Resp.* Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari, in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum; iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia Dei. *Vers.* Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos. Iter præbens. *Resp.* Fœbus et Cornelius discipuli beati Clementis dixerunt ad populum: Oremus omnes ad Dominum, ut ostendat nobis martyris sui corpus.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Orante sancto Clemente, apparuit ei Agnus Dei. *Ant.* Non meis meritis ad vos me misit Dominus, ad vestras coronas participem fieri. *Ant.* Vidi supra montem Agnum stantem, de sub cujus pede fons vivus emanat. *Ant.* De sub cujus pede fons vivus emanat; fluminis impetus lætificat civitatem Dei. *Ant.* Omnes gentes per gyrum crediderunt Christum Domini.

In Evangelio.

Antiph. Oremus omnes ad Dominum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontis venas aperiat. *Ant.* Invenerunt in modum templi marmorei habitaculum a Deo paratum. *Ant.* Oremus ad Dominum, ut ostendat nobis martyris sui corpus. *Ant.* Dedisti, Domine, habitaculum martyri tuo Clementi in mari in modum templi marmorei angelicis manibus præparatum; iter præbens populo terræ, ut enarrent mirabilia Dei.

[a] *In vigilia sancti Andreæ, ad Vesperas.*

Vers. In omnem terram. *Ant.* Dum perambularet D[ominus juxta] mare secus littus Galileæ, alleluia.

841 *Ad Invitatorium.*

Antiph. Regem apostolorum Dominum, venite, adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Vidit Dominus Petrum et Andream, et vocavit eos. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Venite post me, dicit Dominus, faciam vos fieri piscatores hominum. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Relictis retibus suis secuti sunt Dominum Jesum Christum. *Psal.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Dum perambularet Dominus, *ut supra.* *Vers.* Exaudi Deus. *Resp.* Venite post me, *ut supra.* *Vers.* Dum perambularet. *Resp.* Mox ut vocem, *ut supra.* *Vers.* Ad unius jussionis. *Resp.* Oravit sanctus Andreas, *ut supra.* *Vers.* Tu es magister meus.

In secundo nocturno.

Antiph. Dilexit Andream Dominus in odorem suavitatis. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dignum sibi Dominus computavit martyrem, quem vocavit apostolum dum esset in mari, allel. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecat. *Ant.* Salve, crux, quæ in corpore Christi dedicata es, et ex membris ejus tanquam margaritis ornata. *Psal.* Exaudi, Deus, Orat. cum dep. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Homo Dei ducebatur, *ut supra.* *Vers.* Filii alieni. *Resp.* O bona crux, *ut supra.* *Vers.* Salve, crux. *Resp.* Doctor bonus, *ut supra.* *Vers.* Salve, crux. *Vers.* Cum vero pervenisset ad locum, ubi crux parata erat, videns eam a longe, exclamavit voce magna, dicens: Salve, crux.

In tertio nocturno.

Antiph. Accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo; ut per te me recipiat, qui per te me redemit, alleluia. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Tu es Deus meus in quo complacui et dilexi, quia virtutem sanctæ crucis agnovi. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Non me permittas, Domine, famulum tuum a te separari. Tempus est ut commendes terræ corpus meum. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

Responsoria unde supra.

Resp. Expandi manus meas, *ut supra.* *Vers.* Deus ultionum Dominus. *Resp.* Salve, crux, quæ in corpore, *ut supra.* *Vers.* Quoniam tu es protector meus. *Resp.* Dilexit Andream Dominus. *Vers.* Tu es magister meus. *Resp.* Vir iste in populo suo, *ut supra.* *Vers.* Pro eo ut me diligerent. *Resp.* Cum vidisset beatus Andreas, *ut supra.* *Vers.* Suscipe, beata crux. *Resp.* Dum penderet beatus Andreas, *ut supra.* *Vers.* Ut et nos mereamur. *Resp.* Videns crucem Andreas, *ut supra.* *Vers.* Vivens pendebat. *Vers.* Salve, crux, *ut supra.*

Antiphonæ in matutinis Laudibus. — In Evangelio.

Antiph. Unus ex duobus, *ut supra.* *Ant.* Videns Andreas crucem, cum gaudio dicebat: Quia amator tuus semper fui et desideravi. Amplector te, o bona crux. *Ant.* Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem. *Ant.* Non me permittas, *ut supra.* *Ant.* Christus me misit.

842 *In die ad Vesperas.*

Antiph. Juravit, *cum reliquis, ut supra.*

In Evangelio.

Antiph. Concede nobis, *ut supra.* *Ant.* Biduo vivens pendebat in cruce, *ut supra.* *Ant.* Andreas apostolus Domini magnum operatus est miraculum in templo Dei. Prædicandum [*Forte* prædicando] jugiter convertit populum Mirmidonium.

at idem fere officium de sancto 'perius, nos latet. Fortasse duo erant olim dies sancti Andreæ memoriæ dicati, unus ob martyrium, alter propter corporis translationem.

In vigilia sanctæ Luciæ virginis. Ad Vesperas.

Antiph: Orante sancta Lucia, apparuit ei beata Agathes, et consolabatur ancillam Christi.

Responsoria unde supra.

Resp. Lucia virgo, quid a me petis quod ipsa poteris præstare continuo? Nam et matri tuæ fides tua subveniat, et ecce salva est, quia jucundum Domini in tua virginitate habitaculum præparasti. *Vers.* Sicut per me civitas Cathanensium sublimatur a Christo, ita per te civitas Syracusana decorabitur. Quia jucundum. *Resp.* Rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mihi. Et impetravi a Domino inducias martyrii mei. *Vers.* Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam. *Resp.* Grata facta est a Domino in certamina, quia apud Deum et apud homines glorificata est. In conspectu principum loquebatur sapientiam, et Dominus omnium dilexit illam. *Vers.* Erecta namque in virtutis [virtute] tormenta derisit. Et Dominus. *Vers.* Adjuvabit eam.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Orante sancta Lucia, *ut supra. Ant.* Lucia virgo, quid a me petis, quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? *Ant.* Per te, Lucia virgo, civitas Syracusana decorabitur a Domino Jesu Christo. *Ant.* Soror mea Lucia, virgo Deo devota, quid a me petis quod ipsa poteris præstare continuo matri tuæ? *Ant.* Benedico te, Pater Domini, *ut supra. Ant.* Ego rogavi Dominum meum Jesum Christum, ut ignis iste non dominetur mihi, sed credentibus in Domino timorem auferam passionum. *Ant.* Tanto pondere eam fixit Spiritus sanctus, ut virgo Domini immobilis permaneret. *Vers.* Diffusa est gratia.

In Evangelio.

Antiph. Columna es immobilis, Lucia martyr Christi, quia omnis plebs te exspectat, ut accipias coronam regni, allel. *Ant.* In tua patientia possedisti animam tuam, Lucia martyr Christi. Odisti quæ in mundo sunt, et coruscas cum angelis. Sanguinem proprium inimicis fudisti. *Ant.* Ego cognovi virtutem Domini mei Jesu Christi, secure contemno minas tuas.

(*Deest linea in Ms.*)

De sancto Thoma, in matutinis Laudibus.

Antiph. Apparuit Thomæ Dominus in visu nocte dicens ei : Ne timeas descendere in India, quia ego non te derelinquo. *Ant.* Rex autem rogabat apostolum : Peto tibi, vir Dei, ut eas, atque benedicas puero cum filia mea. *Ant.* Thomas orabat ad Dominum : Deprecor te, Domine, ut benedicas hos innocentes, et spira eis quæ agi oporteat. *Ant.* Vos autem estote fortes, et custodite quæ **843** a me accepistis, quia non videbitis ultra faciem meam. *Ant.* Circumdet hodie famulum tuum gloria tua, Domine Jesu Christe.

In Evangelio.

Antiph. Orabat sanctus Thomas ad Dominum : Respice in me, Domine, exspectantem ac revertentem a nuptiis. *Ant.* Adesto, Domine, servo tuo, et cum pace dirigas me ad sedem tuam, alleluia, alleluia. *Ant.* Advenientes milites qui percusserunt eum lanceis; et ille gaudens migravit ad Dominum.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia apostolorum, ad Vesperas.

Vers. In omnem terram. *Ant.* Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos; et ante reges et præsides ducemini propter me, in testimonium illis et gentibus. *Ant.* Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente, et accipietis regnum æternum, alleluia.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem apostolorum Dominum, venite, adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine. *Psal.* Eructavit. *Vers.* In omnem terram.

Responsoria unde supra.

Resp. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, dicit Dominus; estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. *Vers.* Dum lucem habetis, credite in lucem ut filii lucis sitis, dicit Dominus. Estote. *Resp.* Tollite jugum meum super vos, dicit Dominus, et discite quia mitis sum et humilis corde. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Vers.* Et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim. *Resp.* Dum steteritis ante reges et præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. *Vers.* Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Dabitur.

In secundo nocturno.

Antiph. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham. *Psal.* Omnes gentes. *Ant.* Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum, Domine. *Psal.* Exaudi, Deus, deprecationem. *Ant.* Annuntiaverunt opera Dei, et facta ejus intellexerunt. *Psal.* Exaudi, Deus, Orat. meam cum dep. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Responsoria unde supra.

Resp. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et angelus Domini locutus est ad me, dicens : Isti sunt viri sancti facti amici Dei. *Vers.* Vidi angelum Dei volantem per medium cœlum, voce magna clamantem, et dicentem : Isti sunt. *Resp.* Isti sunt triumphatores et amici Dei, qui contemnentes jussa principum meruerunt præmia æterna. Modo coronantur et accipiunt palmam. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine agni. Modo. *Resp.* Isti sunt qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam **844** sanguine suo : non sunt de terris corpora eorum separata, quorum merito sunt in cœlis animæ sanctorum coæquales. *Vers.* In omnem terram exivit sonus eorum, *ut supra.*

In tertio nocturno.

Antiph. Exaltabuntur cornua justi, allel. *Psal.* Confitebimur. *Ant.* Lux orta est justo, allel. rectis corde lætitia, allel. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Custodiebant testimonia ejus, et præcepta ejus, allel. *Psal.* Dominus regnavit, irascantur. *Vers.* Annuntiaverunt.

Responsoria.

Resp. Isti sunt viri quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam, quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sol et luna. *Vers.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati justitiam. Quorum. *Resp.* Fuerunt sine querela ante Dominum, et ab invicem non sunt separati. Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. *Vers.* Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ideo coronantur et accipiunt palmam. *Resp.* In omnem terram exivit sonus eorum. Et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Non sunt loquelæ, neque sermones quorum non audiantur voces eorum. Et in fines. *Resp.* Constitues eos principes super omnem terram, memores erunt nominis tui, Domine, in omni progenie et generatione. *Vers.* In omnem terram, *ut supra. Resp.* Cives apostolorum et domestici Dei advenerunt hodie, portantes pacem, illuminantes patrias, dare pacem gentibus, et liberare populum Domini. *Vers.* In omnem terram. *Resp.* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus

vester maneat. *Vers.* Non enim vos estis qui loquimini. *ut supra.* Et fructus vester.

(*Desunt duæ lineæ in Ms.*)

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. *Ant.* Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. *Ant.* Vos amici mei estis, si feceritis quæ præcipio vobis, allel. *Ant.* Beati mundo corde, quoniam Deum videbunt. *Ant.* In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Vers.* Constitues eos principes.

In Evangelio.

Antiph. Vos qui reliquistis omnia, et secuti estis me, centuplum accipietis, et vitam æternam possidebitis. *Ant.* Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes judicantes duodecim tribus Israel, allel.

Item Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Ego vos elegi de mundo, ut eatis et fructum plurimum afferatis. *Ant.* Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allel. *Ant.* Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, et posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. *Ant.* Beati pacifici, beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. *Ant.* Jam non dicam vos servos, sed amicos meos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.

In Evangelio.

Antiph. Vos estis lux hujus mundi. In patientia **845** possidebitis animas vestras. *Ant.* Vestri capilli capitis omnes numerati sunt; nolite timere, multis passeribus meliores estis vos. *Ant.* Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis, dicit Dominus. *Ant.* Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabitur vobis a Patre meo, dicit Dominus.

Item Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Ego vos elegi de mundo, quia mundus odio vos habuit. *Ant.* Manete in dilectione mea, sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Ant.* Tollite jugum meum super vos, quia mitis sum et humilis corde. *Ant.* Jugum enim meum suave est, et onus meum leve. *Ant.* Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. *Ant.* Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt, dicit Dominus.

In Evangelio.

Antiph. Amen dico vobis, mundus plorabit, et vos gaudebitis, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. *Ant.* Ego sum via, veritas et vita; nemo vadit ad Patrem nisi per me, allel. *Ant.* Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. *Vers.* Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Ego autem in medio vestri sum sicut qui ministrat, alleluia.

(*Deest linea in Ms.*)

Antiphonæ et Responsoria in vigilia plurimorum martyrum, ad Vesperas.

Antiph. Ecce adest tempus, venite ad me, omnes sancti, quia paravi vobis regnum, ut maneatis mecum in æternum. *Ant.* Astiterunt justi ante Dominum, et ab invicem non sunt separati, gloriam Domini viderunt, et amici Dei appellati sunt.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum, venite, adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Secus decursus aquarum. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Prædicans. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Filii hominum, scitote quia. *Psal.* Cum invocarem. *Vers.* Lætamini in Domino.

Responsoria unde supra.

Resp. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum; et jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, quoniam priora transierunt. *Vers.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. Quoniam priora. *Resp.* Viri sancti gloriosum sanguinem fuderunt pro Domino, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua; et ideo coronas triumphales meruerunt. *Vers.* Unus spiritus et una fides erat in eis. Et ideo. *Resp.* Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia, et meruerunt habere coronas perpetuas. *Vers.* Isti sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. Et meruerunt.

In secundo nocturno.

Antiph. Filii hominum. *Psal.* Cum invocarem. *Ant* Scuto bonæ. *Psal.* Verba mea. *Ant.* In universa terra. *Psal.* Domine Dominus noster.

846 *Resp. unde supra.*

Resp. Sancti tui, Domine, mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis. Terra apparuit arida, et in mari Rubro via sine impedimento. *Vers.* Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquæ, et torrentes inundaverunt. Terra. *Resp.* Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine, ut hæredes fierent in domo Domini. *Vers.* Magnus Dominus et laudabilis valde, in civitate Dei nostri, in monte sancto ejus. Ut hæredes. *Resp.* Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine, qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulam regiam pervenerunt ad regna cœlestia. *Vers.* Ecce quam bonum et quam jucundum, *ut supra.*

In tertio nocturno.

Antiph. Sancti qui in terra sunt. *Psal.* Conserva me, Domine. *Ant.* Hæc est generatio. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Lætamini in Domino. *Psal.* Beati quorum. *Vers.* Justi autem.

Resp. unde supra.

Resp. Propter Testamentum Domini et leges paternas; ideoque steterunt in amore fraternitatis, quia unus fuit semper spiritus in eis et una fides. *Vers.* Ecce quam bonum, *ut supra.* Quia unus. *Resp.* Sancti mei qui in isto sæculo certamen habuistis, mercedem laborum ego reddam vobis. *Vers.* Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi. *Resp.* Sancti Dei, dedit vobis Dominus locum istum ut faciatis in eo mirabilia. *Vers.* Sancti et justi, in Domino gaudete, vos elegit Dominus in isto loco. Ut faciatis. *Resp.* In circuitu tuo, Domine, lumen est quod nunquam deficiet, ubi constituisti lucidissimas mansiones, ubi requiescunt sanctorum animæ. *Vers.* Magnus Dominus, *ut supra. Vers.* Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. *Resp.* Certamen magnum habuerunt sancti; transierunt per ignem et aquam, et coronas acceperunt a Domino Deo. *Vers.* Isti sunt sancti, qui pro Testamento Dei sua corpora tradiderunt. Et coronas. *Resp.* Coronavit eos Dominus corona justitiæ, quia passi sunt pro Domino. *Vers.* Et adjuvavit eos Dominus, et liberavit eos, et eripuit eos. Quia. *Resp.* O veneranda martyrum gloriosa certamina, qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta, et ideo percipere meruerunt immarcessibilem æternæ gloriæ coronam. *Vers.* Isti sunt qui venerunt. *Resp.* Isti sunt sancti, qui pro Testamento Dei corpora sua tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas. *Vers.* Justi in perpetuo vivent, et apud Dominum est merces sanctorum. Et in sanguine. *Resp.* Omnes sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones, obturaverunt ora leonum, et fortes facti sunt in bello. *Vers.* Effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate. Et fortes. *Resp.* Qui, pro Christi amore minas hominum contemnentes, Christi amici facti sunt in regno

cœlorum *Vers.* Sancti per fidem, *ut supra. Resp.* Beati estis, sancti Dei omnes, qui meruistis consortes fieri cœlestium virtutum, et perfrui æternæ claritatis gloria; ideoque precamur ut memores nostri intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Vers.* Gaudete et exsultate, quia merces vestra multa est in cœlo.

847 *Antiphonæ in matutinis Laudibus.*

Antiph. Omnes sancti quanta passi sunt tormenta, ut securi pervenirent ad palmam martyrii! *Ant.* De palma ad regna pervenerunt sancti; coronas decoris meruerunt de manu Dei. *Ant.* Corpora sanctorum in pace sepulta sunt, et vivunt nomina eorum. *Ant.* Martyres Domini, Domino benedicite in æternum. *Ant.* Martyrum chorus, laudate Dominum, alleluia.

In Evangelio.

Antiph. Dabo sanctis meis locum nominatum in regno Patris mei. *Ant.* Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. *Ant.* Hi sunt qui pro lege Dei sui morti se tradere non dubitaverunt. Ab iniquis interfecti sunt, et in æternum vivunt cum Christo. Agnum secuti sunt, et acceperunt palmam. *Ant.* Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt promissiones.

Item Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Justorum autem animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum malitiæ. *Ant.* Si coram hominibus tormenta passi sunt, spes electorum est immortalis in æternum. *Ant.* Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ideo coronantur, et accipiunt palmam. *Ant.* Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausta accepit illos in æternum. *Ant.* Spiritus et animæ Justorum, Hymnum dicite Deo nostro, allel., allel. *Ant.* Exsultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.

In Evangelio.

Antiph. Fulgebunt justi, et tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Judicabunt nationes, et regnabunt in æternum. *Ant.* Isti sunt sancti, qui pro Dei amore minas hominum contempserunt. Christi martyres in regnum cœlorum exsultant cum angelis. O quam pretiosa est mors sanctorum, qui assidue assistunt ante Dominum, et ab invicem non sunt separati. *Ant.* Nomen sempiternum dabo sanctis meis, dicit Dominus, gaudium et lætitiam obtinebunt in æternum.

Item Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. In cœlestibus regnis sanctorum habitatio, et in æternum requies eorum. *Ant.* Dabo sanctis meis, *ut supra. Ant.* Via justorum recta facta est. Sanctorum iter præparatum est in æternum. *Ant.* Sancti spiritus et animæ Justorum, Hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Justi autem in perpetuum vivent, et apud Dominum est merces eorum. *Ant.* Sancti qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas ut aquilæ; volabunt et non deficient.

In Evangelio.

Antiph. Ecce merces sanctorum copiosa est apud Deum; ipsi vero mortui sunt pro Christo, et vivunt in æternum. *Ant.* Isti sunt sancti qui pro Testamento Dei sua corpora tradiderunt, et in sanguine Agni laverunt stolas suas. *Ant.* Hæc est vera fraternitas, quæ nunquam potuit violari certamine. Qui effuso sanguine secuti sunt Dominum, contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna cœlestia. **848** *Ant.* Propter Testamentum Domini, *ut supra.*

Item Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Super nivem dealbabuntur sancti tui, Domine. *Ant.* Sancti estis, dicit Dominus; multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco sto. *Ant.* Sic in sancto apparuit tibi, ut viderent virtutem tuam, Domine. *Ant.* In velamento sancti tui, Domine, clamabunt dicentes: Deus, Deus meus, allel., allel. *Ant.* Sancti Domini, Domino benedicite in æternum. *Ant.* Hymnus omnibus sanctis ejus. *Ant.* In sanctis et in firmamento virtutis ejus laudate Dominum omnes angeli ejus.

In Evangelio.

Antiph. O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti! Amicti stolis albis, sequuntur Agnum quocunque ierit. *Ant.* In tabernaculis justorum vox lætitiæ, allel. *Ant.* Sanctorum sicut aquilæ juventus renovabitur. Florebunt sicut lilia in civitate Domini. *Ant.* Sanguis sanctorum martyrum pro Christo effusus est in terris, ideo adepti sunt præmia sempiterna. *Ant.* Istorum est enim regnum cœlorum, *ut supra. Ant.* Beati estis, sancti Dei omnes, qui meruistis consortes fieri cœlestium virtutum, et perfrui claritatis gloriæ; ideoque precamur, ut memores nostri intercedere dignemini pro nobis ad Dominum Deum nostrum. *Ant.* Gaudent in cœlis animæ sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti. Et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideoque cum Christo exsultant sine fine. *Ant.* O viri misericordiæ, quorum non acceperunt oblivionem justitiæ, et semen eorum et filii propter eos usque in æternum cum gloria permanent. Corpora eorum in pace sepulta, non derelinquentur virtutibus plena; vivunt nomina eorum in sæcula. *Ant.* O veneranda martyrum certamina, qui in suis corporibus pro Christo immania pertulerunt tormenta! Ideo percipere meruerunt immarcessibilem æternæ gloriæ coronam, allel. *Ant.* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. In pace sunt ea quæ possident, allel. *Ant.* Beati eritis cum vos oderint homines; et cum spreverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum, propter Filium hominis. Gaudete et exsultate, ecce enim merces vestra multa est in cœlo. *Ant.* Sancti mei qui in isto sæculo certamen habuistis, mercedem laborum ego reddam vobis. *Ant.* Sancti tui, Domine, florebunt sicut lilia, et sicut odor balsami erunt ante te, allel.

Antiphonæ et Responsoria in vigilia unius martyris, ad Vesperas.

Vers. Justus ut palma florebit. *Ant.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit; qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit; sed ad cœlestia regna feliciter pervenit.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem martyrum Dominum.

In primo nocturno.

Antiph. In lege Domini. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Prædicans. **849** *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Voce mea. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram. *Vers.* Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. Fundatus. *Resp.* Domine, prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Vers.* Vitam petiit a te, et tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, et in sæculum sæculi. *Resp.* Justus germinabit sicut lilium, et florebit in æternum ante Dominum. *Vers.* Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. Et florebit. *Resp.* Iste cognovit justitiam, et vidit mirabilia magna; et exoravit Altissimum, et inventus est in numero sanctorum. *Vers.* Iste est qui contempsit, *ut supra.* Et inventus.

In secundo nocturno.

Antiph. Filii hominum. *Psal.* Cum invocarem.

Ant. Scuto bonæ voluntatis. *Psal.* Verba mea. *Ant.* In universa terra. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Vers.* Gloria et honore.

Resp. unde supra.

Resp. Stolam jucunditatis induit eum Dominus, et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. *Vers.* Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit eum. Et coronam. *Resp.* Corona aurea super caput ejus, expressa signo sanctitatis, gloriæ, honoris, et opus fortitudinis. *Vers.* Quoniam prævenisti eum in Benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa. *Resp.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit, qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Qui minas.

In tertio nocturno.

Antiph Justus Dominus. *Psal.* In Domino confido. *Ant.* Habitabit. *Psal.* Domine, quis habitabit. *Ant.* Posuisti, Domine. *Psal.* Domine, in virtute. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Posuit coronam capiti meo, et circumdedit me vestimento salutis, ad expugnandas gentes et omnes inimicos. *Vers.* Judica, Domine, nocentes me, expugna impugnantes me. Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. Ad expugnandas. *Resp.* Hic est vir, qui non est derelictus a Deo in die certaminis sui. Et ipse conculcavit caput serpentis antiqui. Modo coronabitur, quia fideliter vicit in mandatis Domini. *Vers.* Armis divinis percutiens sævitiam persequentium supervicit. Modo. *Vers.* Iste est qui contempsit. *Resp.* Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine, et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. *Vers.* Vitam petiit. *Resp.* Gloria et honore coronasti eum, Domine, et constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus. *Vers.* Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos, Deus. Omnia. *Vers.* Quoniam prævenisti eum. *Resp.* Qui me confessus fuerit coram hominibus, dicit Dominus, et ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis est. *Vers.* Qui mihi ministrat, me sequatur; et ubi ego sum, illic et minister meus erit.

850 *Antiphonæ in matutinis Laudibus.*

Antiph. Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo. *Ant.* Qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. *Ant.* Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus, qui est in cœlis, dicit Dominus. *Ant.* Qui mihi ministrat me sequatur; et ubi ego sum, illic erit et minister meus. *Ant.* Volo, Pater, ut ubi ego sum, illic sit et minister meus. *Vers.* Justus ut palma.

In Evangelio.

Antiph. Si quis per me introierit, salvabitur, et pascua inveniet, dicit Dominus. *Ant.* Qui vult venire post me, dicit Dominus, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Ant.* Amavit eum. *Ant.* Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. *Ant.* Iste sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit; fundatus enim erat supra firmam petram. *Ant.* Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna. *Ant.* Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. *Ant.* Beatus vir qui suffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. *Ant.* Hic vir despiciens mundum et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

(*Duæ lineæ desunt in Ms.*)

In vigilia unius confessoris. Ad Vesperas.

Vers. Ecce sacerdos magnus. *Ant.* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam super petram. *Ant.* Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem confessorum Dominum.

In primo nocturno.

Antiph. Beatus vir qui in lege Domini meditatur, voluntas ejus permanet die ac nocte; et omnia quæcunque faciet, semper prosperabuntur. *Psal.* Beatus vir. *Antiph.* Beatus iste sanctus, qui confisus est in Domino, prædicavit præceptum Domini, constitutus est in monte sancto ejus. *Psal.* Quare fremuerunt. *Ant.* Tu es gloria mea, tu es susceptor meus, Domine. Tu exaltans caput meum, et exaudisti me de monte sancto tuo. *Psal.* Domine, quid multiplicati sunt. *Vers.* Voce mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. *Vers.* Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Intra. *Resp.* Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. *Vers.* Benedictionem omnium gentium dedit illi, et Testamentum suum confirmavit super caput ejus. *Resp.* Juravit Dominus, et non pœnitebit eum, **851** Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. *Vers.* Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis. Secundum.

In secundo nocturno.

Antiph. Invocantem exaudivit Dominus sanctum suum; Dominus exaudivit eum et constituit eum in pace. *Psal.* Cum invocarem. *Ant.* Lætentur omnes qui sperant in te, Domine, quoniam tu benedixisti Justo. Scuto bonæ voluntatis coronasti eum. *Psal.* Verba mea. *Ant.* Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quia gloria et honore coronasti sanctum tuum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. *Psal.* Ipsum. *Vers.* Gloria et honore.

Responsoria.

Resp. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea; manus enim mea auxiliabitur ei. *Vers.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim. *Resp.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *Vers.* Iste est qui contempsit. *Resp.* Iste homo ab adolescentia sua partim meruit infirmos curare. Dedit illi Dominus claritatem magnam, cæcos illuminare et dæmones effugare. *Vers.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abtinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Dedit.

In tertio nocturno.

Antiph. Domine, iste sanctus habitabit in tabernaculo tuo; operatus est justitiam, requiescet in monte sancto tuo. *Psalm.* Qui ingreditur sine macula. *Ant.* Vitam petiit a te, tribuisti ei gloriam, et magnum decorem imposuisti super eum. Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. *Psal.* Domine, in virtute. *Ant.* Hic accipiet benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo, quia hæc est generatio quærentium Dominum. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Posuisti, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. Amavit eum Dominus et ornavit, stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum. *Vers.* Induit eum Dominus loricam fidei, et coronavit eum. Et ad portas. *Resp.* Iste homo perfecit

omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum : Ingredere in requiem meam, quia vidi te justum coram me ex omnibus gentibus. *Vers.* Iste est qui contempsit vitam mundi. *Resp.* Cibavit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientiæ salutaris potavit eum. *Vers.* Custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit eum. *Vers.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei, et dedit scientiam sanctorum, honestavit illum in laboribus suis. *Vers.* Cibavit illum. *Vers.* Magnificavit eum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ. Honestavit. *Resp.* Sacerdotes ejus induant justitiam, et sancti ejus exsultatione exsultabunt. *Vers.* Illuc producam cornu David. Paravi lucernam Christo meo. Et sancti.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, et inventus est justus. *Ant.* Beatus ille servus quem cum venerit Dominus ejus, **852** et pulsaverit januam invenerit vigilantem. *Ant.* Fidelis servus et prudens, quem constituit dominus super familiam suam. *Ant.* Sacerdotes Dei, benedicite Domino. Servi Domini, Hymnum dicite Deo in æternum. *Ant.* Serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Vers.* Justum deduxit Dominus.

In Evangelio.

Antiph. Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus. *Ant.* Euge, serve bone, in modico fidelis, intra in gaudium Domini tui. *Ant.* Domine, quinque talenta tradidisti, ecce alia quinque superlucratus sum.

Item in Matutinis.

Antiph. Euge, serve bone, in modico fidelis. *Ant.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. *Ant.* Ideo jurejurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam. *Ant.* Magnificavit illum in conspectu regum, et dedit illi coronam gloriæ. *Ant.* Servi Domini, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Et Testamentum suum confirmavit super caput ejus, et invenit gratiam coram oculis Domini. *Ant.* Statuit illi Testamentum sempiternum; et dedit illi sacerdotium magnum.

In Evangelio.

Antiph. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris. *Ant.* Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est; et omnis terra doctrina ejus repleta est. Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. *Ant.* Sacerdotes tui induant justitiam, et sancti tui exsultent, Domine. *Ant.* Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, quando Dominus vester venturus sit. *Ant.* Hoc autem scitote, quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique et non sineret perfodi domum suam.

Antiphonæ de susceptione regum.

Antiph. Exaudita est Oratio tua, dicit Dominus, et eleemosynæ tuæ ascenderunt in conspectu Domini Dei tui. *Ant.* Honora Dominum de tua substantia, et de primitiis frugum tuarum da pauperibus. In conspectu. *Ant.* Famulo meo ego præstiti honorem magnum, dicit Dominus, et omnes inimicos ejus humiliavi, et coronam vitæ dedi ei. *Ant.* Inimicos ejus induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. *Ant.* Erit Dominus adjutor tuus contra omnes inimicos tuos. Et sicut argentum igne probatum mundum faciet te. Tunc orando habebis fiduciam, et dum oraveris ad eum, exaudiet te. *Ant.* Multitudinem dierum et annos vitæ apponet tibi Dominus, misericordia et veritas non te deserent, quia Dominus erit in latere tuo, et custodiet te. Et dum. *Vers.* Erit Dominus adjutor tuus contra inimicos tuos. *Resp.* Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum; manus enim mea auxiliabitur ei. *Vers.* Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit eum. *Resp.* Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum, dicit Dominus. Conforta populum meum, neque timeas. Ecce Dominus Deus tuus ante te est; non te derelinquet. *Vers.* Quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcunque perrexeris. Et non te. *Resp.* Dominus qui **853** elegit me, ipse me confortavit corona justitiæ. Via enim mea recta est coram te, Domine. *Vers.* Via justorum, *ut supra*. *Vers.* Elegisti, Domine, principem et judicem populo tuo, ut ædificarem templum nomini tuo in civitate habitationis tuæ. *Resp.* Doctrinam sapientiæ dedi in corde tuo, dicit Dominus, et exaudivi te. Et protegam civitatem istam. Et sit pax in diebus tuis. *Vers.* Inquisivi sapientem, et sacerdotem similem sibi non inveni. Ut video, Spiritum Dei habes in te; ideo magnus es in domo Domini; et de ore tuo audiet omnis populus, qui tibi commissus est. *Vers.* Beatum dixerunt populum cui hæc sunt, beatus populus. Qui tibi. *Resp.* Elegit te Dominus sacerdotem sibi, ad sacrificandum ei hostiam laudis. *Vers.* Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta. Ad sacrificandum. *Vers.* Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua. *Resp.* Ego te tuli. *Resp.* Da mihi, Domine. *Resp.* Posui adjutor.

Deest linea in Ms.

Antiph. Ecce virum prudentem qui ædificavit supra petram. Et in ore ejus non est inventus dolus, quia Deus elegit eum sacerdotem sibi. *Ant.* Ecce vere Israelita, *ut supra*. *Ant.* Justus florebit sicut rosa plantata juxta rivos. Et sicut lilium dans suavitatem odoris. *Ant.* Plantatus in domo Domini, in atriis Dei nostri florebit. *Ant.* Iste est fidelis et prudens dispensator, quem constituit Dominus super familiam suam, ut daret illis in tempore tritici mensuram. *Ant.* Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi. *Ant.* Erit Dominus adjutor tuus contra omnes inimicos tuos. Mundum te faciet, et dum oraveris ad eum, exaudiet te. *Ant.* Elegisti, Domine, principem judicem populo tuo in civitate tua. *Ant.* Doctrinam sapientiæ dedi in corde tuo, dicit Dominus, et exaudivi te ut protegas gregem istum, et sit pax in diebus tuis. *Ant.* Benedictus tu in civitate. Benedictus in agro. Benedictus sermo oris tui. *Ant.* Multitudinem dierum et annos apponat tibi Dominus; misericordia et veritas non te deserant. *Ant.* Statuit illi Testamentum sempiternum, et dedit illi sacerdotium magnum. *Vers.* Justum deduxit Dominus. *Ant.* Qui me dignatus es de stercore erigere, miserere mihi servo tuo; et concede mihi gratiam ad regendam plebem tuam. *Ant.* Luce splendida fulgebis, et omnes fines terræ adorabunt te; nomen magnum invocabunt te.

In die ad Vesperas.

Antiph. Virgam virtutis tuæ. *Psal.* Dixit Dominus. *Ant.* In concilio justorum. *Psal.* Confitebor. *Ant.* Potens in terra erit semen. *Psal.* Beatus vir. *Ant.* Pretiosa in conspectu. *Psal.* Credidi. *Ant.* Justi confitebuntur. *Psal.* Eripe me, Domine. *Vers.* Ecce sacerdos magnus.

In Evangelio.

Antiph. Hodie huic domui salus a Deo facta est, atque supra firmam petram ædificata est Ecclesia Dei. *Ant.* Architectus fundavit domum istam, et sanctificavit eam, alleluia, quia sancta sanctorum manebunt in ea, alleluia.

In vigilia unius virginis, ad Vesperas.

Vers. Specie tua. *Ant.* Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas; **854** inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem virginum Dominum, venite, adoremus.

In primo nocturno.

Antiph. Ante thorum. *Psal.* Domine, Dominus noster. *Ant.* Hæc est quæ nescivit. *Psal.* Cœli enarrant. *Ant.* O quam pulchra est. *Psal.* Domini est terra. *Vers.* Specie tua.

Responsoria unde supra.

Resp. Diffusa est gratia. *Vers.* Myrrha et gutta. *Resp.* Veni, electa mea. *Vers.* Specie tua. *Resp.* Pulchra facie, sed pulchrior. *Vers.* Specie tua et pulchritudine.

In secundo nocturno.

Antiph. Specie tua et pulchritudine. *Psal.* Eructavit. *Ant.* Adjuvabit eam. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Dignare me laudare. *Psal.* Fundamenta. *Vers.* Adjuvabit eam.

Responsoria unde supra.

Resp. Virgo gloriosa semper. *Vers.* Fiat, Domine, cor meum. *Resp.* Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ, acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum, et veniente Domino introivit cum eo ad nuptias. *Vers.* Media autem nocte clamor factus: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. Et veniente. *Resp.* Induit me Dominus vestimento. *Vers.* Induit me Dominus cycladem in gyro textam, et immensis monilibus ornavit me. Et tanquam.

In tertio nocturno.

Antiph. Revertere, revertere. *Psal.* Cantate Domino. 1. *Ant.* Hæc est virgo sapiens. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Ant.* Tunc surrexerunt omnes. *Psal.* Dominus regnavit, irasc. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Responsoria unde supra.

Resp. Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit; pro cujus amore sanguinem tuum fudisti, et cum angelis in paradisum introibis. *Vers.* Veni, electa mea, et ponam in te thronum meum, quia concupivit Rex speciem tuam. Et cum angelis. *Vers.* Propter veritatem, *ut supra. Resp.* Quinque prudentes virgines. *Vers.* Tunc surrexerunt. *Resp.* Ista est speciosa. *Vers.* Ista est quæ ascendit. *Resp.* Hæc est virgo sapiens et una. *Vers.* Media autem nocte. *Resp.* Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede, et regna. Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem.

In matutinis Laudibus.

Antiph. Hæc est virgo sapiens, et una de numero prudentum. *Ant.* Hæc est virgo sapiens, quam Dominus invenit vigilantem. *Ant.* Veni, sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit in æternum. *Ant.* Media nocte clamor factus est: Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. *Ant.* Benedico te, Pater, *ut supra. Ant.* Inventa una pretiosa margarita, dedit omnia sua, et comparavit eam. *Vers.* Diffusa est.

In Evangelio.

Antiph. Veniente Sponso, virgo prudens præparata, **855** introivit cum eo ad nuptias. *Ant.* Et quæ paratæ erant intraverunt cum eo ad nuptias. *Ant.* Et clausa est janua. *Ant.* Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit; exite obviam ei. *Ant.* Quinque prudentes.

In dedicatione ecclesiæ, in vigilia, ad Vesperas.

Vers. Domum tuam, Domine. *Ant.* Fundamenta templi hujus sapientia sua fundavit Deus, in quo Dominum cœli collaudant angeli. Si irruant venti, et fluant flumina, non poterunt illud movere unquam. Fundatum enim est supra petram. *Ant.* Lapides pretiosi. *Ant.* Vere locus iste sanctus est, et porta cœli.

Ad Invitatorium.

Antiph. Regem magnum Dominum.

In primo nocturno.

Antiph. Tollite portas principes vestras, et elevamini, portæ æternales. *Psal.* Domini est terra. *Ant.* Erit mihi Dominus in Deum, et lapis iste vocabitur domus Dei. *Psal.* Deus noster refugium. *Ant.* Ædificavit Moyses altare Domino Deo. *Psal.* Magnus Dominus. *Vers.* Domum tuam, Domine.

Responsoria unde supra.

Resp. In dedicatione templi decantabat populus laudem, et in ore eorum dulcis resonabat sonus. *Vers.* In Hymnis et confessionibus benedicebant Dominum. Et in ore. *Resp.* Fundata est domus Domini super verticem montium, et exaltata est super colles, et venient ad eam omnes gentes, et dicent: Gloria tibi, Domine. *Vers.* Benedic, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Et venient. *Vers.* Venientes autem, *ut supra. Resp.* Si Dominus meus fuerit. *Vers.* Vere Dominus est in loco. *Vers.* Surgens ergo mane Jacob tulit lapidem quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum, fundens oleum desuper, dixit: Erit mihi.

In secundo nocturno.

Antiph. Non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta cœli. *Psal.* Quam dilecta. *Ant.* Vidit Jacob scalam, summitas ejus cœlos tangebat, et descendentes angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est. *Psal.* Fundamenta. *Ant.* Erexit Jacob lapidem in titulum, fundens oleum desuper. *Psal.* Domine, Deus salutis. *Vers.* Domus mea.

Responsoria unde supra.

Resp. Erit mihi Dominus in Deum. *Vers.* Si Dominus Deus. *Vers.* Si reversus fuero. *Resp.* Exaudisti, Domine, Orationem meam. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Domine, qui custodis pactum. *Resp.* Domine, si conversus. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Si peccaverit in te populus.

In tertio nocturno.

Antiph. Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Psal.* Ipsum. *Ant.* Templum Domini sanctum est, Dei cultura est, Dei ædificatio est. *Psal.* Cantate. 1. *Ant.* Benedicta gloria Domini de loco suo. *Psal.* Dominus regnavit, exsultet. *Vers.* Hæc est domus Domini.

Responsoria unde supra.

Resp. Tu, Domine universorum. *Vers.* Qui regis. *Resp.* Audi, Domine, Hymnum. *Vers.* Respice de sanctuario. *Resp.* Respice, Domine, domum istam, quam ædificavi nomini tuo. Venientium in loco isto exaudi, Domine, preces in excelso solio gloriæ tuæ. **856** *Vers.* Audi, Domine, preces quas fundit famulus tuus coram te, ut aperias oculos tuos super domum istam. Quam ædificavi. *Vers.* Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Exaudi. *Resp.* Adduxisti sanctos tuos in præparationem, quam præparaverunt manus tuæ, Domine. *Vers.* Hæc est domus Domini, et porta cœli. *Resp.* Fundata est domus Domini super verticem montis Sion, et super cacumen ejus mater exsultet Ecclesia, et venient ad eam omnes gentes et lætabuntur, quia in ea decantet vox lætitiæ. *Vers.* Mater Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea. Et ipse fundavit eam Altissimus. *Resp.* Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres gemmis ædificabuntur, et propugnacula ejus auro mundo. *Vers.* Duodecim portæ, duodecim margaritæ sunt, et ipsæ duodecim margaritæ lapides pretiosi. *Vers.* Hæc est domus Domini, et porta cœli. Et vocabitur aula Dei. *Resp.* In montem Dei Oreb vidit tabernaculum Dei magnam lucem fulgentem, in quo canent angeli, dicentes: Vere domus Dei hic, est habitatio sanctorum. *Vers.* Magnus Dominus.

Antiphonæ in matutinis Laudibus.

Antiph. Domum tuam, Domine, decet sancti-

tudo in longitudine dierum. *Ant.* Domus mea, domus Orationis vocabitur. *Ant.* Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. *Ant.* Bene fundata est domus Domini supra firmam petram. *Ant.* Lapides pretiosi omnes muri tui, et turres Jerusalem gemmis ædificabuntur. *Vers.* Fundata est domus.

In Evangelio.

Antiph. O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta cœli. *Ant.* Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. At ille festinans descendit, et suscepit illum gaudens in domo sua. Hodie huic domui salus a Deo facta est, alleluia. *Ant.* Mane surgens Jacob, erigebat lapidem in titulum, fundens oleum desuper, votum vovit Deo. Vere locus iste sanctus est, et ego nesciebam. *Ant.* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum, quia hæc est domus Dei, in qua invocetur nomen ejus de quo scriptum est : Et erit ibi nomen meum, dicit Dominus. *Ant.* Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psal.* Miserere mei, Deus. Ecce odor filii mei sicut odor agri quem benedixit Dominus. *Ant.* Sanctificavit Dominus tabernaculum suum : Deus in medio ejus non commovebitur. *Psal.* Deus noster.

[a] *Antiphonæ de Hymno trium puerorum.*

Antiph. Tres in fornace ignis deambulabant, et collaudabant Dominum regem, canentes ex uno ore Hymnum dicebant : Benedictus es Deus, alleluia. *Ant.* Video virum similem Filio Dei confortantem pueros in camino ignis, alleluia. *Ant.* Tres ex uno ore canebant regi magno : Gloria in excelsis Deo, allel. *Ant.* Tres ex uno ore clamabant in camino ignis, et psallebant : Benedictus Deus. *Ant.* Laudemus viros gloriosos, qui vicerunt regna mundi, alleluia. *Ant.* Tres video viros ambulantes per medium ignis, et aspectus quarti similitudo est Filii Dei, alleluia. *Ant.* Hymnum dicamus, **857** alleluia, Domino Deo nostro, alleluia. *Ant.* Benedictus es, Domine, qui intueris abyssos, et sedes super cherubim, allel. *Ant.* Benedictus Dominus Sidrac, Misac, et Abdenago, qui eruit servos suos de camino ignis ardentis, allel. *Ant.* Ambulabant in camino ignis pueri tres, et in medio eorum Filius Dei, et Hymnum Deo dicebant, allel. *Ant.* Sidrac, Misac et Abdenago, quasi ex uno ore Hymnum canebant Regi magno, allel. *Ant.* In camino ignis pueri tres uno ore collaudabant Deum, allel. *Ant.* Ambulabant in camino ignis pueri tres, et inter illos Deus erat Rex; et dicebant : Deum Regem habemus. *Ant.* Non cessabant ministri regis succendentes flammam, ut sanctos Dei pueros comburerent. De cœlo venit tanquam spiritus roris flantis; refrigerium præstabat sanctis. *Ant.* Tres pueri in camino Trinitatem figurantes, et ignis minas conculcantes, hæc laudantes cantabant : Benedictus es, deus Patrum nostrorum, alleluia. *Ant.* Tres pueri jussu regis in caminum missi sunt, non timentes flammam ignis, dicebant : Benedictus Deus. *Ant.* Anania, Azaria, Misael, Dominum benedicite in æternum. *Ant.* Sidrac, Misac, Abdenago, magni servi Dei excelsi. *Ant.* Hymnum dicite, et superexaltate eum in sæcula, et benedicite. *Ant.* Laudate, et superexaltate Dominum in sæcula, et benedicite. *Ant.* Benedictus es in firmamento cœli, et laudabilis et gloriosus et superexaltatus in omnia sæcula. *Ant.* In camino ignis ardentis pueri tres, et in medio eorum Deus erat Rex. Una voce dicebant : Benedictus es, Deus. *Ant.* Est Deus in cœlis cujus [cui] nos servimus. Potens est eripere nos de camino ignis, et de manibus tuis, o rex, liberare nos.

(*Desunt quinque lineæ in Ms.*)

[b] *Responsoria de libro Regum.*

Resp. Deus omnium exauditor est, ipse misit angelum suum, et tulit me de ovibus patris mei, et unxit me unctione misericordiæ suæ. *Vers.* Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me. Et unxit. *Resp.* Dominus qui eripuit me de ore leonis, et de manu bestiæ liberavit me, ipse me eripiet de manibus inimicorum meorum. *Vers.* Misit Deus misericordiam suam et veritatem suam, animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Ipse. *Resp.* Prævaluit David in Philistæo, in funda et lapide, in nomine Domini agminum Dei Israel. *Vers.* Ut sciat omnis terra quia est Deus in Israel, quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus. Agminum. *Resp.* Ego te tuli de domo patris tui, dicit Dominus, et posui te facere [pascere] gregem populi mei, et fui tecum in omnibus ubicunque ambulasti, firmans regnum tuum in æternum. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Et fui tecum. *Resp.* Montes Gelboe, nec ros, nec pluvia veniat super vos, ubi ceciderunt fortes Israel. *Vers.* Omnes montes, qui in circuitu ejus sunt, visitet Dominus, a Gelboe transeat, ubi ceciderunt. *Resp.* Peccavi super numerum arenæ maris, **858** et multiplicata sunt peccata mea; et non sum dignus videre altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatis meæ, quoniam irritavi iram tuam, et malum coram te feci. *Vers.* Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, et delictum meum coram me est semper; tibi soli peccavi. *Resp.* Recordare, Domine, Testamenti tui, et dic angelo percutienti : Cesset jam manus tua, ut non desoletur terra, et ne perdas omnem animam vivam. *Vers.* Quiescat, Domine, ira tua a populo tuo, et a civitate sancta tua. Ut non. *Resp.* Exaudisti, Domine, Orationem servi tui, ut ædificarem templum nomini tuo. Benedic et sanctifica domum istam in sempiternum, Deus Israel. *Vers.* Qui regis, *ut supra.* *Resp.* Domine, si conversus fuerit populus tuus, et oraverit ad sanctuarium tuum, tu exaudies in cœlo, Domine; et libera eos de manibus inimicorum eorum. *Vers.* Si peccaverit in te populus tuus, et conversus egerit pœnitentiam; veniensque oraverit in loco isto. Tu exaudies. *Resp.* Audi, Domine, Hymnum et Orationem, qua servus tuus orat coram te hodie, ut sint oculi tui aperti, et aures tuæ intentæ super domum istam die ac nocte. *Vers.* Qui regis, [c] *usque* appare. *Resp.* Præparate corda vestra Domino, et servite illi, et liberabit vos de manibus inimicorum vestrorum. *Vers.* Auferte deos alienos de medio vestri. Et liberabit. *Resp.* Factum est dum tolleret Dominus Eliam per turbinem in cœlum, Eliseus clamabat dicens : Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus. *Vers.* Oro, Domine, ut fiat duplex spiritus tuus in me. At ille, si videris, quando tollar a te, erit quod petisti. Eliseus

Antiphonæ in eodem.

Antiph. Loquere, Domine, quia audivit servus tuus. *Ant.* Cognoverunt omnes a Dan usque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini. *Ant.* Prævaluit David in Philistæo in funda et lapide, in nomine Domini. *Ant.* Nonne iste est David, de quo canebant in choro dicentes : Saul percussit mille, et David decem millia in millibus suis. *Ant.* Iratus Saul dixit : Mihi mille dederunt, et filio Isai dederunt decem millia. *Ant.* Quis enim in omnibus [d] sicud [sicut] David fidelis inventus est in regno tuo, egrediens et regrediens, et pergens ad imperium regis. *Ant.* Dixitque

[a] De his Antiphonis et de sequentibus Respons. fuse Amalarius, lib. de Ord. Antiphonarii, cap. 70, et seq.

[b] Cantabantur a Dominica 2 post Pentecosten, usque ad mensem Aug. V. de Amalarium, de Ord. Antiphonarii, in prolog.

[c] Hoc est, usque ad *appare coram Ephraim*, etc., in eodem Psalm. *Qui regis.*

[d] In Ms. sæpe usurpatur *d* pro *t*, et vice versa.

universus populus ad Samuel : Ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur universi pro peccatis nostris. *Ant.* Dixitque David ad Dominum, cum vidisset angelum cædentem populum : Ego sum qui peccavi, ego inique egi; isti qui oves sunt quid fecerunt? Avertatur, obsecro, Domine, ira tua a populo tuo, allel. *Ant.* Rex autem David cooperto capite incedens lugebat filium, dicens : Absalon fili mi, fili mi Absalon, quis mihi det ut ego moriar pro te, fili mi Absalon.

[a] *Responsoria de Sapientia Salomonis.*

Resp. Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ; ut mecum sit, et mecum laboret : ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore. *Vers.* Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam. Ut. *Resp.* Domine Pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno. **859** Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, et desiderio [desiderium] maligno averte a me, Domine. Aufer a me concupiscentiam, et animo irreverenti et infrunito ne tradas me, Domine. *Vers.* Da mihi, Domine, *ut supra.* Et animo. *Resp.* Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam; et noli me reprobare a pueris tuis, quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillæ tuæ. *Vers.* Domine Pater, et Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu maligno. *Resp.* Gyrum cœli circuivi sola, et in fluctibus maris ambulavi. In omni gente et in omni populo primatum tenui, superborum et sublimium colla propria virtute calcavi. *Vers.* Ego in altissimis inhabitavi, et thronus meus in columna nubis. Superborum. *Resp.* Initium sapientiæ timor Domini; intellectus bonus facientibus eam : laudatio ejus manet in sæculum sæculi. *Vers.* Dispersit, dedit pauperibus. Laudatio. *Resp.* Verbum iniquum et dolosum longe fac a me, Domine; divitias et paupertates ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria. *Vers.* Ne forte satiatus evomam illud, et perjurem nomen Dei mihi. Sed. *Resp.* Ne derelinquas me, Domine Pater, et dominator vitæ meæ, ut non corruam in conspectu adversariorum meorum, ne gaudeat de me inimicus meus. *Vers.* Apprehende arma et scutum, *ut supra.* Ne gaudeat. *Resp.* Magna enim sunt judicia tua, Domine et inenarrabilia verba tua : magnificasti populum, et honorasti. *Vers.* Deduxisti sicut oves populum tuum, in manu Moysi et Aaron. Magnificasti. *Resp.* Super salutem et omnem pulchritudinem dilexi sapientiam, et proposui pro luce habere illam. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa. *Vers.* Dixi sapientiæ : Soror mea es, et prudentiam vocavi, anima mea. Venerunt. *Resp.* Quæ sunt in corde hominum oculi tui vident, Domine, et in libro tuo omnia scribentur. Homo videt in facie, Deus autem in corde. *Vers.* Imperfectum meum viderunt oculi tui. Et in. *Resp.* Præbe, fili, cor tuum mihi, et oculi tui vias meas custodiant, ut addatur gratia capiti tuo. *Vers.* Attende, fili mi, sapientiam meam, et ad eloquium meum inclina aurem tuam. Ut addatur. *Resp.* In principio Deus antequam terram faceret, priusquam abyssos constitueret prius quam produceret fontes aquarum, antequam montes collocarentur, ante omnes colles generavit me Dominus. *Vers.* Ego in altissimis habito. Ante omnes colles.

(*Desunt tres lineæ in Ms.*)

Antiphonæ in eodem.

Antiph. Salomon fili, scito Deum Patris tui, et servi ei corde perfecto, et animo humiliato. *Ant.* Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem. Subdidit sibi gentes, superborumque et sublimium colla propria virtute calcavit. *Ant.* Ego in altissimis inhabitavi, et thronus meus in columna nubis. *Ant.* Sapientia clamitat in plateis : Si quis diligit sapientiam, ad me declinet, et eam inveniet; et eam dum invenerit, beatus est si tenuerit illam. *Ant.* Dominus possedit me initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio : necdum erant abyssi, et ego parturiebar; quando præparabat cœlos, aderam, cum eo componens **860** omni tempore. *Ant.* Omnis sapientia a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante ævum.

[b] *Responsoria de beato Job.*

Resp. Si bona suscipimus de manu Domini, mala autem quare non sustineamus? Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum. *Vers.* In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. *Resp.* Antequam comedam suspiro, et tanquam inundantes aquæ sic rugitus meus, quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit. Nonne dissimulavi, nonne silui, et jam quievi, et venit super me misericordia tua, Domine. *Vers.* Nolo multa fortitudine contendat mecum, nec magnitudinis suæ mole me premat; æquitatem proponat contra me. *Resp.* Utinam appenderentur peccata mea quibus iram merui, et calamitas quam patior, in statera! *Vers.* Quasi arena maris hæc gravior appareret; unde et verba mea dolore sunt plena. Et calamitas. *Resp.* Quare detraxistis sermonibus veritatis? ad increpandum verba componitis, et subvertere nitimini amicum vestrum. Verumtamen quæ cogitastis explete. *Vers.* Militia est vita hominis super terram, et sicut dies mercenarii dies ejus. Verumtamen. *Resp.* Induta est caro mea putredine, et sordibus pulveris cutis mea aruit et contracta est. Memento mei, Domine, quia ventus est vita mea. *Vers.* Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fenum arui. Memento. *Resp.* Memento mei, Deus quia ventus est vita mea; nec aspiciat me visus hominis. *Vers.* De profundis clamavi ad te, Domine, Domine, exaudi vocem meam. Nec aspiciat. *Resp.* Paucitas dierum meorum finitur brevi. Dimitte me, Domine; sine, plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam et opertam mortis caligine. *Vers.* Ecce in pulvere sedeo, et in pulvere dormio; et si mane me quæsieris, non subsistam. Antequam. *Resp.* Ne abscondas me, Domine, a facie tua. Manum tuam longe fac a me, et formido tua non me terreat. *Vers.* Voca me, et respondebo tibi; aut certo loquar, et tu responde mihi. Manum. *Resp.* Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, Domine; nisi tu qui solus es Deus, ut constituas tempus in quo recorderis mei. *Vers.* Nunquid sicut dies hominis dies tui, ut quæras iniquitatem meam, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. Nisi. *Resp.* Nunquid Dominus supplantat judicium, aut omnipotens subvertit quod justum est? Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. *Vers.* Apprehende arma et scutum, et exsurge in adjutorium mihi. Libera. *Resp.* Nocte os meum perforatur doloribus, et qui me comedunt non dormiunt. A multitudine eorum consumitur vestimentum. Comparatus sum luto, et assimilatus sum favillæ et cineri. *Vers.* O custos hominum! quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. Comparatus. *Resp.* Scio, Domine, quia morti me traditurus es, ubi constituta est omnis domus viventium; spero in te, Domine, quia non ad consumptionem meam emittis manum tuam; et si in profundo inferni demersus fuero, **861** inde me liberabis. *Vers.* Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum. Inde me.

Antiphonæ in eodem.

Antiph. Cum audisset Job nuntiorum verba, sustinuit patienter et ait : Si bona suscepimus de manu

[a] Pro Dominicis mensis Aug. ex eodem Amalario, loco citato, excepta tamen priori Dominica.

[b] Pro Dominica 2 et 3 Septembris, ex laudato Amalario, ibid.

Domini, mala autem quare non sustineamus? In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque aliquid stultum contra Deum locutus est. *Ant.* In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid contra Deum locutus est. *Ant.* Quantas habeo iniquitates et peccata, ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tibi?

(*Deest linea in Ms.*)

[a] *Responsoria de Tobia.*

Resp. Peto, Domine, ut de vinculo improperii hujus absolvas me, aut certe desuper terram eripias me. Ne reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum; neque vindictam sumas de peccatis meis, quia eruis sustinentes te, Domine. *Vers.* Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. Ne reminiscaris. *Resp.* Omni tempore benedic Deum, et pete ab eo ut vias tuas dirigat, et omni tempore consilia tua in ipso permaneant. *Vers.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. Et omn. *Resp.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. *Vers.* Fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna omnibus qui faciunt eam. Habebis. *Resp.* Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitiæ computarentur. Nunquam fuisset pecunia illa pro qua emisisti filium nostrum baculum senectutis nostræ. *Vers.* Heu me! fili mi, ut quid te misimus peregrinari lumen oculorum nostrorum. Baculum. *Resp.* Benedicite Deum, cœli, et coram omnibus viventibus confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. *Vers.* Tempus est ut revertar ad eum qui me misit; vos autem benedicite Deum, et enarrate omnia mirabilia ejus. *Vers.* Benedicite Deum, cœli, et coram omnibus viventibus confitemini ei. Et enarrate.

Antiphonæ in eodem.

Antiph. Ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, neque vindictam sumas de peccatis meis. *Ant.* Memor esto, fili, quoniam pauperem vitam gerimus. Habebis multa bona si timueris Deum. *Ant.* Omni tempore benedic Deum.

[b] *Responsoria de Judith.*

Resp. Adonai, Domine Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum. *Vers.* Qui regis, *ut supra. Resp.* Tribulationes civitatum audivimus, quas passæ sunt, et defecimus. Timor et hebetudo mentis cecidit super nos, et super liberos nostros. Ipsi montes nolunt recipere fugam nostram. Domine, miserere. *Vers.* Qui regis, *ut supra. Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Domine, miserere. *Resp.* Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum **862** redegit inimicos nostros, ut non deficiat laus tua de ore hominum. *Vers.* Benedicta es tu a Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus. Ut non deficiat. *Resp.* Nos alium Deum nescimus præter Dominum in quo speramus, qui non despicit nos, nec amovet salutem a genere nostro. *Vers.* Quoniam omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit. Qui non. *Resp.* Dominator Domine cœlorum et terræ, Creator aquarum, Rex universæ creaturæ tuæ, exaudi Orationem servorum tuorum. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Tu, Domine, cui humilium semper et mansuetorum placuit deprecatio. Exaudi. *Resp.* Domine Deus qui conteris bella ab initio, eleva brachium tuum super gentes, quæ cogitant servis tuis mala, et dextera tua glorificetur in nobis. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Allide virtutem eorum in virtute tua, cadat virtus eorum in iracundia tua. Et dextera. *Resp.* Vos qui in turribus estis, aperite portas. Dominus omnipotens fecit virtutem, et victoriam dedit de inimicis nostris. *Vers.* Laudate Dominum Deum nostrum, qui non deseruit sperantes in se, et in me adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel. *Vers.* Laudate Dominum, omnes gentes, et collaudate eum, omnes populi.

Antiphona in eodem.

Antiph. Adonai, Domine Deus magne et mirabilis, qui dedisti salutem in manu feminæ, exaudi preces servorum tuorum.

Responsoria de Esther.

Resp. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit resistere voluntati tuæ. Libera nos propter nomen tuum. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Exaudi Orationem nostram, et converte luctum nostrum in gaudium. Propter. *Resp.* Conforta me, Rex sanctorum, principatum tenens, et da sermonem rectum in ore meo. *Vers.* Da nobis, Domine, locum pœnitentiæ, et ne claudas ora canentium te, Domine. Et da. *Resp.* Miserere, Domine, populo tuo, quia volunt nos inimici nostri perdere, et hæreditatem tuam delere, ne despicias partem tuam, quam redemisti ex Ægypto. Sed converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus te, Domine. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Exaudi deprecationem nostram, et propitius esto sorti et funiculo hæreditatis tuæ. Sed converte. *Resp.* Da nobis, Domine, locum pœnitentiæ, et ne claudas ora canentium te, Domine. *Vers.* Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram. Et ne claudas. *Resp.* Recordare mei, Domine, *ut sup. Vers.* Qui regis. *Resp.* Spem in alium nunquam habui præter te, Deus Israel, qui irasceris, et propitius eris; et omnia peccata hominum in tribulatione dimittis. *Vers.* Domine Deus cœli et terræ, respice ad humilitatem nostram.

Antiphona in eodem.

Antiph. Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita, et non est qui possit tuæ resistere voluntati.

Responsoria de Esdra.

Resp. Memento mei, Deus, in bono, et ne deleas **863** miserationes meas, quas feci in domo Dei mei, et in cæremoniis ejus. *Vers.* Memento verbi tui servo tuo, Domine, in quo mihi spem dedisti. In. *Vers.* Recordare mei, Domine Deus meus. Et ne deleas.

Antiphona in eodem.

Antiph. Memento, Domine, et ostende nobis in tempore tribulationis.

[c] *Responsoria de libro Machabæorum.*

Resp. Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis; et faciat pacem in diebus nostris. Concedat vobis salutem, et redimat vos a malis. *Vers.* Exaudiat Dominus orationes vestras, et reconcilietur vobis. Concedat. *Resp.* Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris. *Vers.* Qui regis, Tu es. *Vers.* Creator omnium Deus, terribilis et fortis, justus et misericors. Da pacem. *Resp.* Refulsit sol in clypeis aureis, et resplenduerunt montes ab eis, et fortitudo gentium dissipata est. *Vers.* Dirumpam vincula populi mei, dicit Dominus, et disperdam omnia mala quæ induxi super eum. Et fortitudo. *Resp.* Impetum inimicorum ne timueritis. Memores estote, quomodo salvi facti sunt patres nostri. Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri Deus noster. *Vers.* Mementote mirabilium ejus quæ fecit Pharaoni et exercitui ejus [quos] projecit in mari. Et nunc. *Resp.* Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino; et facta est lætitia

[a] Assignantur Dominicæ ultimæ Septembris apud Amalarium, loco jam laudato.

[b] Ibidem Responsoria ex Judith et Esther notantur pro duabus prioribus Dominicis Octobris.

[c] Pro duabus ultimis Dominicis Octobris, ex eodem Amalario.

magna in populo. *Vers.* In Hymnis et confessionibus benedicebant Deum. Et facta est. *Resp.* In Hymnis et confessionibus benedicebant Dominum, quia magna fecit in Israel, et victoriam dedit illis Dominus omnipotens. *Vers.* Ornaverunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino. Qui magna. *Resp.* Congregati sunt inimici nostri, et gloriantur in virtute sua. Contere fortitudinem illorum, Domine, et disperge illos, ut cognoscant quia non est alius qui pugnat pro nobis, nisi tu, Deus noster. *Vers.* Disperge illos in virtute tua, et destrue eos, protector noster, Domine. Ut cognoscant. *Resp.* Dixit Judas fratribus suis: Elige tibi viros, et vade, libera fratres tuos in Galilæam. Ego autem et Jonathas frater meus ibimus in Galaaditim. Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. *Vers.* Et nunc clamemus in cœlum, et miserebitur nostri. Sicut fuerit. *Resp.* Hic est fratrum amator, et populi Israel; hic est qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate Jerusalem. *Vers.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Et universa. *Resp.* Exaudiat Dominus Orationes vestras, et reconcilietur vobis; nec vos deserat in tempore malo Dominus Deus vester. *Vers.* Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis; et faciat pacem Dominus. *Resp.* Congregatæ sunt gentes in multitudine, ut dimicent contra nos, et ignoramus quid agere debeamus. Domine Deus, ad te sunt oculi nostri, ne pereamus. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Tu scis quæ cogitant in nos, quomodo poterimus subsistere ante faciem illorum, nisi tu adjuves nos. Domine Deus. *Resp.* Tu, Domine universorum, qui nullam habes indigentiam, voluisti templum tuum fieri in nobis. Conserva domum istam immaculatam in æternum, Domine. *Vers.* Qui regis. Conserva.

864 *Antiphonæ in eodem.*

Antiph. Lugebat autem Judam Israel planctum magnum, et dicebat: Quomodo cecidit potens, qui salvum [faciebat] populum Domini. *Ant.* Adaperiat Dominus cor vestrum in lege sua, et in præceptis suis, et faciat pacem. *Ant.* Tua est potentia, tuum regnum, Domine. Tu es super omnes gentes. Da pacem, Domine, in diebus nostris. *Ant.* Disrumpam vincula populi mei, dicit Dominus, et disperdam omnia mala quæ induxi super eum.

[a] *Responsoria de prophetis minoribus [uno de majoribus].*

Resp. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum. Et plena erat omnis terra Majestate ejus; et ea quæ sub ipso erant replebant templum. *Vers.* Seraphim quoque stabant juxta illud, sex alæ uni, et sex alæ alteri. Et plena. *Resp.* Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis. Inclina, Deus meus, aurem tuam et audi, aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram. *Vers.* Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph, qui sedes super cherubim. Aperi. *Resp.* Aspice, Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis. Sedet in tristitia domina gentium, Non est qui consoletur eam nisi tu Deus. *Vers.* Qui dicunt, exinanite, exinanite, quoadusque fundamentum in ea, filia Babylonis misera. *Resp.* Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, tota die et nocte non tacebunt laudare nomen Domini. *Vers.* Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, et ne detis silentium ei. Tota die. *Resp.* Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, et armis tuæ potentiæ protege nos semper. Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Erue nos in mirabilibus tuis, et da gloriam nomini tuo. Et armis. *Resp.* Sustinuimus pacem et non venit. Quæsivimus bona et ecce turbatio. Cognovimus, Domine, peccata nostra; non in perpetuum obliviscaris nos. *Vers.* Peccavimus cum patribus nostris, injuste egimus, iniquitatem fecimus. Non in perpetuum. *Resp.* Oravi Deum meum ego Daniel, dicens: Exaudi, Domine, preces servi tui; illumina faciem tuam super sanctuarium tuum, et propitius intende populum istum, super quem invocatum est nomen tuum, Deus. *Vers.* Qui regis. *Resp.* Misit Dominus angelum suum, et conclusit ora leonum; et non contaminaverunt, quia coram eo justitia inventa est in me. *Vers.* Misit Deus misericordiam suam, *ut supra*. *Resp.* Angustiæ mihi undique, et quid eligam ignoro. Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. *Vers.* Si enim hoc egero mors mihi est, si autem non egero non effugiam manus vestras. *Resp.* Laudabilis populus, quem Dominus exercituum benedixit dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea, Israel. *Vers.* Qui regis. Opus. *Vers.* Beata gens cujus Dominus Deus ejus, populus electus in hæreditate. Opus. *Resp.* Redemit Dominus populum suum; et venient, et exsultabunt in monte Sion, et gaudebunt de bonis Domini, super frumentum, vinum, et oleum; et ultra non esurient. *Vers.* A fructu frumenti, vini et olei, multiplicati sunt. Et ultra. *Resp.* A facie furoris tui, Deus, conturbata est omnis terra; sed tu, Domine, miserere. Et ne facias consummationem. *Vers.* Qui regis. *Vers.* Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. Et ne.

(*Desunt tres lineæ in Ms.*)

865 *Antiphonæ in eodem.*

Antiph. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum; et plena erat omnis terra majestate ejus. Et ea quæ sub ipso erant replebant templum. *Ant.* Aspice, Domine, de sede sancta tua, et cogita de nobis. Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi; aperi oculos tuos et vide tribulationem nostram. *Ant.* Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos, Domine, et armis tuæ potentiæ protege nos semper. Libera, Domine Deus Israel, clamantes ad te. *Ant.* Qui cœlorum contines thronos, et abyssos intueris, Domine Rex regum; montes ponderas, terram palmo concludis. Exaudi nos, Domine, in gemitibus nostris.

Antiphonæ quotidianis diebus. — Ad Invitatorium. — Feria secunda.

Antiph. Venite, exsultemus Domino.

Feria tertia.

Antiph. Jubilemus Deo salutari nostro.

Feria quarta.

Antiph. In manu tua, Domine, omnes fines terræ.

Feria quinta.

Antiph. Adoremus Dominum, quoniam ipse fecit nos.

Feria sexta.

Antiph. Dominum qui fecit nos, venite, adoremus.

Feria septima.

Antiph. Dominum Deum nostrum, venite, adoremus.

(*Desunt duæ lineæ in Ms.*)

Antiphonæ ad Invitatorium de cunctis festivitatibus sanctorum, et diebus Dominicis.

Antiph. Regem venturum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Christus natus est nobis, venite, adoremus. *Ant.* Regem magnum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Præoccupemus [faciem] Domini, et in Psalmis. *Ant.* In manu tua, Domine, omnes fines terræ. *Ant.* Venite adoremus, et procidamus ante Deum. *Ant.* Dominum qui fecit nos, venite, adoremus. *Ant.* Hodie si vocem Domini audieritis, nolite. *Ant.* Ipsi vero non cognoverunt vias meas. *Ant.* Ecce venit Rex, occurramus obviam Salvatori nostro. *Ant.* Christus apparuit nobis, venite, adore-

[a] Pro Dominicis Novembris, teste Amalario, ibid.

mus. *Ant.* Præoccupemus faciem Domini, venite, adoremus eum. *Ant.* Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes. *Ant.* Venite, 866 adoremus Dominum, qui in sanctis gloriosus. *Ant.* Adoremus Deum, quia ipse fecit nos. *Ant.* Populus Domini et oves pascuæ ejus, venite, adoremus. *Ant.* Non sit vobis vanum mane surgere ante lucem.

In sanctissima nocte Paschæ, ad Invitatorium.

Antiph. Alleluia, de [Deum] præoccupemus, allel. *Ant.* Surrexit Dominus vere, allel. *Ant.* Christum ascendentem in cœlum. *Ant.* Alleluia. Spiritus Domini replevit orbem terrarum. *Ant.* Regem apostolorum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem martyrum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem confessorum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem virginum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem archangelorum Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Regem præcursoris Dominum, venite, adoremus. *Ant.* Mirabilem Dominum in sanctis suis, venite, adoremus.

Antiphonæ in Evangelio de * *prophetia Zachariæ.*

Antiph. Benedictus Deus Israel. *Ant.* Benedictus Dominus, quia visitavit nos, et ab inimicis nostris liberavit nos. *Ant.* Benedictus Dominus, quia visitavit plebem suam; et benedictus Deus meus, qui liberavit eam de tenebris, et umbra mortis, allel. *Ant.* Benedictus Dominus Deus Israel, et benedictum nomen Domini Jesu de die in diem. Benedictus Deus. *Ant.* Visitavit et fecit redemptionem Dominus plebis suæ. *Ant.* Visita, et libera plebem tuam, Domine. *Antiph.* Visita, Domine, plebem tuam; et libera eam a tenebris, et umbra mortis, sicut locutus es. *Ant.* Visitavit nos Dominus et illuminavit nos, et liberavit nos ab inimicis nostris. *Ant.* Erexit Dominus nobis cornu salutis, in domo David pueri sui. *Ant.* Erexit nobis Dominus cornu, allel., in domo David pueri sui, allel. Sicut locutus est, allel., allel. *Ant.* In domo David pueri sui fecit redemptionem Dominus plebis suæ. *Ant.* Sicut locutus es per os sanctorum, Domine, recordare Testamenti tui. *Ant.* Salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui nos oderunt, libera nos, Domine. *Ant.* Liberati ab inimicis nostris, serviamus Domino in sanctitate. *Ant.* Liberavit nos Dominus ab inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos. *Ant.* De manu omnium qui nos oderunt, libera nos, Domine. *Ant.* Ad faciendam nobis, Domine, misericordiam, liberati serviamus Domino. *Ant.* Liberati serviamus Domino in sanctitate. *Ant.* Memorare, Domine, Testamenti sancti tui; et fac nobiscum redemptionem. *Ant.* Jusjurandum quod juravit Dominus, daturum se nobis. *Ant.* Sine timore et de manibus inimicorum nostrorum liberati. *Ant.* In sanctitate serviamus Domino; et liberabit nos ab inimicis nostris. *Ant.* Ad dandam scientiam plebi tuæ, Domine, in remissionem peccatorum eorum. *Ant.* Da scientiam plebi tuæ, Domine, in remissionem peccatorum eorum. *Ant.* Per viscera misericordiæ Dei nostri, visitavit nos Oriens ex alto. *Ant.* Visitavit nos Oriens ex alto, benedictus Dominus. *Ant.* Oriens ex alto, redemit nos Deus Israel, alleluia. *Ant.* Illuminare, Domine, de his qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis, alleluia, alleluia. *Ant.* Illumina, Domine, sedentes 867 in tenebris, et umbra mortis. *Ant.* Sedentes in tenebris, et umbra mortis, illumina, Domine, Deus Israel. *Ant.* Visitare et illuminare. *Ant.* Ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, Deus Israel. *Ant.* Dirige pedes nostros. *Ant.* Dirige pedes nostros in viam pacis, sicut locutus es. *Ant.* In viam pacis dirige nos, Domine.

Item Antiphonæ in Evangelio cum alleluia.

Antiph. Benedictus Dominus, qui visitavit. *Ant.* Visita, Domine, plebem tuam. *Ant.* Erexit nobis Dominus cornu. *Ant.* Memorare, Domine, allel., alleluia. *Ant.* Oriens ex alto redemit nos. *Ant.* Illuminare, Domine. *Ant.* Dirige, Domine, alleluia. *Ant.* Allel. Fecit Dominus redemptionem.

Antiphonæ de Hymno sanctæ Mariæ.

Antiph. Magnificat anima mea Dominum. *Ant.* Magnificat anima mea Dominum, et sanctum nomen ejus. *Ant.* Magnificet te semper anima mea, Deus meus. *Ant.* Magnificat anima mea Dominum, quia respexit Deus humilitatem meam. *Ant.* Magnificamus te, Domine, quia fecisti nobiscum magnalia, sicut locutus es. *Ant.* Magnificemus Christum Regem Dominum, qui superbos humiliat, et exaltat humiles. *Ant.* Exsultavit spiritus meus, in Deo salutari meo. *Ant.* Exsultat spiritus meus, in Domino Deo salutari meo. *Ant.* In Deo salutari meo exsultavit spiritus meus. *Ant.* Respexisti humilitatem meam, Domine Deus meus. *Ant.* Respice humilitatem meam, Domine. *Ant.* Respexit Dominus humilitatem meam, et fecit in me magna, qui potens est. *Ant.* Quia respexit Deus humilitatem meam, beatam me dicent omnes generationes. *Ant.* Quia fecit mihi Dominus magna quia potens est, et sanctum nomen ejus. *Ant.* Qui fecit in me magna, potens est; recordatus Dominus misericordiæ suæ. *Ant.* Recordatus mei Deus, fecit in me magna quia potens est. *Ant.* Fecit in me Deus meus magna quia potens est, et sanctum nomen ejus. *Ant.* Fac nobiscum, Domine, magna, quia potens es, sicut locutus es. *Ant.* Sanctum est nomen tuum, Domine, a progenie in progenies. *Ant.* Misericordia Dei et sanctum nomen ejus, super timentibus eum. *Ant.* Misericordia Domini a progenie in progenies, timentibus eum. *Ant.* A progenie in progenies misericordia tua, Domine. *Ant.* Super timentes Dominum misericordia ejus. *Ant.* Fecit potentiam Dominus in brachio suo, et exaltavit humiles. *Ant.* Deposuit potentes sanctos persequentes, et exaltavit humiles Christum confitentes. *Ant.* Deposuit Dominus potentes de sede, et exaltavit humiles. *Ant.* Exalta, Domine, humiles, sicut locutus es. Esurientes, Domine, reple bonis, sicut locutus es patribus nostris. *Ant.* Suscepit Israel puerum suum: recordatus Dominus misericordiæ suæ. *Ant.* Suscepit Israel puerum suum, sicut juravit Abraham et semini ejus. Exaltavit humiles usque in sæculum. *Ant.* Sicut locutus es ad patres nostros, Domine, memorare misericordiæ tuæ. *Ant.* Ad patres nostros, Dominus locutus est, a progenie in progenies. *Ant.* Abraham et semen ejus usque in sæculum magnificans Dominum.

(*Desunt duæ lineæ in Ms.*)

Antiph. In omnem terram, allel., allel., allel., allel., allel. 868 *Ant.* Clamaverunt justi, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Constitues eos, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Dedisti hæreditatem, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Annuntiaverunt, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Exaltabuntur cornua justi, allel., allel., allel. *Ant.* Dominus Jesus postquam locutus, allel., allel., alell., alel., allel., allel., *Ant.* Dives ille, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Sursum corda suspendi, fili, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Petrus et Joannes, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Ego pro te rogavi, Petre, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Et recordatæ sunt, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Significavit Dominus Petro, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Ite, dicite Joanni, alleluia, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Simon Joannis, diligis me plus his, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Gloriosa genitrix, alleluia, alleluia, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Argentum et aurum, allel., allel., allel. *Ant.* Estote

* Non esse intelligendum Zachariam, qui inter minores prophetas undecimus ponitur; sed Zachariam Joannis Baptistæ patrem legenti palam fiet.

fortes in bello, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Juravit Dominus, allel., allel., allel. *Ant.* Benedictus Dominus, quia visitavit, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* In velamento clamabant, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Unus ex duobus, allel., allel. allel., allel., allel., allel., *Ant.* Hymnum dicamus, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Dum venerit Filius hominis, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Inter natos mulierum, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Potens in terra erit semen ejus, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Ante thorum hujus Virginis, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Media nocte clamor, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Secus decursus aquarum, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Volo, Pater, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Quem vidistis, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Puer Jesus, allel., allel., allel., allel., allel., allel, *Ant.* Germinavit radix Jesse, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Apertis thesauris suis, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Non in solo pane vivit homo. allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Posuerunt super caput ejus, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Data est mihi omnis potestas, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Jusjurandum quod juravit, allel., allel., allel., allel. *Ant.* Nato Domino angelorum, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Post passionem Domini, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Nisi digitos meos, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Venientes venient, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Tulit ergo lectum suum, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Ecce vir Israelita, allel., allel., allel, allel. *Ant.* O sapientia, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel.. allel., allel .allel. *Ant.* Beatus vent., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Ecce veniet Deus et homo, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Nesciens mater Virgo virum, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Dabit ei Dominus sedem David, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Pastor bonus, allel., allel, allel., allel., allel., *Ant.* Illuminare, Domine, allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Memorare, Domine, allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Magnum hæreditatis, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Et respicientes, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Isti sunt sermones, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel. *Ant.* Modicum et non **869** videbitis, allel., allel., allel., allel. allel., allel., allel. allel., allel., allel., *Ant.* Qui sequitur me, allel., allel., allel., allel., allel., allel., allel.

(*Deest linea in Ms.*)

Incipiunt Antiphonæ per Dominicas ab Octava Pentecostes usque ad Adventum Domini.

***Dominica* 1.**

Antiph. Homo quidam erat dives et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus. Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinu Abrahæ. *Ant.* Factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur ab angelis in sinu Abrahæ. *Ant.* Pater Abraham, *ut supra*. *Ant.* Dives ille. *Ant.* Fili, recordare.

(*Desunt duæ lineæ in Ms.*)

Dominica 2.

Antiph. Quidam homo fecit cœnam magnam, et vocavit multos; et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis ut venirent, quia omnia parata sunt, dicit Dominus. *Ant.* Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, cæcos et claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea, alleluia. *Ant.* Dico autem vobis quod nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.

Dominica 3.

Antiph. Quis ex vobis homo qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam quæ perierat donec inveniet eam. *Ant.* Congratulamini mihi, quia invenio ovem meam quæ perierat, dicit Dominus. *Ant.* Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam et evertit domum; et quærit diligenter donec inveniat. *Ant.* Dico vobis, gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.

Dominica 4.

Antiph. Estote ergo misericordes sicut et Pater vester misericors est, dicit Dominus. *Ant.* Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, dicit Dominus. *Ant.* Mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinu vestro.

Dominica 5.

Antiph. Cum turbæ irruerent ut audirent Verbum Domini, et ipse stabat secus stagnum Genesar. Piscatores autem descenderant et lavabant retia in capturam. *Ant.* Ascendens Jesus in navem, et sedens, docebat turbas, allel. *Ant.* Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. *Ant.* Cum audisset Simon Petrus quia Dominus est, tunica succinxit se, et misit se in mare, et clamavit voce magna dicens : Exi a me, quia homo peccator sum, Domine. *Ant.* Dixit autem Dominus Simoni : Noli timere, ex hoc enim homines eris capiens. *Ant.* Ambulabat Petrus super undas maris : venit ventus validus, turbata est aqua; præ timore clamans : Domine, jube me venire ad te; ait illi Jesus : Veni, modicæ fidei, **870** quare dubitasti?

(*Desunt duæ lineæ in Ms.*

Dominica 6.

Antiph. Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. *Ant.* Audistis quia dictum est antiquis : Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. *Ant.* Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo. Et tunc veniens offeres munus tuum, alleluia.

Dominica 7.

Antiph. Misereor super turbam, quia jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent; et si dimisero eos jejunos, deficient in via, alleluia. *Ant.* Et accipiens Jesus septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbæ, allel. *Ant.* Erant autem qui manducaverunt quasi quatuor milia, et dimisit eos, alleluia, alleluia.

Dominica 8.

Antiph. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. *Ant.* Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. *Ant.* Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum, allel. *Ant.* Si quis fecerit voluntatem Patris mei.

Dominica 9.

Antiph. Dixit Dominus villico : Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, allel. *Ant.* Laudavit Dominus villicum iniquitatis, eo quod prudenter fecisset. *Ant.* Facite vobis amicos de mam-

mona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

Dominica 10.

Antiph. Videns Dominus civitatem Jerusalem, flevit, super illam, dicens : Quia si cognovisses et tu quæ ad pacem tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. *Ant.* Scriptum est enim quia domus mea domus Orationis est cunctis gentibus, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in templo. *Ant.* Domus mea domus Orationis vocabitur, dicit Dominus.

Dominica 11.

Antiph. Stans a longe publicanus, nolebat oculos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ant.* Deus, propitius esto mihi peccatori. *Ant.* Descendit hic justificatus in domum suam ab illo, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. *Ant.* Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

Dominica 12.

Antiph. Dum transiret Dominus per medios fines Tyri, surdos fecit audire, et mutos loqui. **871** *Ant.* Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui. *Ant.* Quanto eis præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, et eo amplius admirabantur dicentes : surdos fecit audire, et mutos loqui.

Dominica 13.

Antiph. Beati oculi qui vident quæ vos videtis..... *Cætera desunt.* *Ant.* Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam æternam, allel. *Ant.* Homo quidam descendebat a Jerusalem in Jericho; et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt semivivo relicto. *Ant.* Accidit autem ut descenderet quidam sacerdos eadem via, et viso illo præterivit. *Ant.* Quis tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? et ait illi : Qui fecit misericordiam in illum. Vade, et tu fac similiter, allel.

Dominica 14.

Antiph. Dum transisset Jesus quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, levaverunt vocem dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. *Ant.* Decem viri leprosi steterunt a longe, levaverunt vocem, dicentes : Jesu præceptor, miserere nostri. *Ant.* Unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, allel. *Ant.* Nonne decem mundati sunt, et novem ubi sunt? Non est inventus qui rediret et daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Vade, quia fides tua te salvum fecit, alleluia.

Dominica 15.

Antiph. Respicite volatilia cœli, quoniam non serunt neque metunt, sed Pater vester cœlestis pascit illa, allel. *Ant.* Considerate lilia agri quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis. *Ant.* Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. *Ant.* Nolite solliciti esse dicentes : Quid manducabimus, aut quid bibemus? Scit enim Pater vester cœlestis, quid vobis necesse sit, alleluia. *Ant.* Quærite ergo primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

Dominica 16.

Antiph. Accessit autem Jesus, et tetigit loculum. Hi autem qui portabant steterunt. Et ait : Adolescens tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, et cœpit loqui, allel. *Ant.* Accepit autem omnes timor, et magnificabant Deum dicentes : Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

Dominica 17.

Antiph. Cum intrasset Jesus in domum principis A Pharisæorum Sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum. *Ant.* Cum invitatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit : Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, allel. *Ant.* Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

Dominica 18.

Antiph. Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus : Diliges Dominum Deum tuum **872** ex toto corde tuo, allel. *Ant.* Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? dicunt omnes : David. Respondens Jesus dixit : Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis? *Ant.* Omnes enim vos fratres estis, et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester qui in cœlis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus. *Ant.* Unus est enim magister vester qui B in cœlis est Christus Dominus. *Ant.* Qui major est vestrum erit minister vester, quia omnis qui se exaltat humiliabitur, dicit Dominus.

Dominica 19.

Antiph. Dixit Dominus paralytico : Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua, alleluia. *Ant.* Dixit Dominus Jesus : Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere : surge et ambula? *Ant.* Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, allel. *Ant.* Dicit ei Jesus : Fili, remittuntur tibi peccata tua; surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. *Ant.* Tulit ergo paralyticus lectum suum in quo jacebat, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. *Ant.* Videntes autem turbæ timuerunt et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Dominica 20.

C *Antiph.* Dixit autem Dominus ad cultorem vineæ : Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea et non inveni. *Ant.* Dicite invitatis : Ecce prandium paravi, venite ad nuptias, allel. *Ant.* Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati sunt non fuerunt digni. *Ant.* Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias, allel. *Ant.* Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Rex autem dixit : Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium, allel. *Ant.* Multi enim sunt vocati, pauci vero electi, dicit Dominus.

Dominica 21.

Antiph. Erat quidam regulus cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset, quia Jesus veniret in Galilæa, rogabat eum ut sanaret filium ejus. Domine, descende, ut sanes filium meum priusquam moriatur. Et dixit ei Jesus : Vade, filius D tuus vivit, allel. *Ant.* Cognovit autem Pater quia illa hora erat in qua dixit Jesus : Filius tuus vivit. Et credidit ipse et domus ejus tota.

Dominica 22.

Ant. Dixit autem Dominus servo : Redde quod debes. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens : Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. *Ant.* Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, nonne ergo oportuit, et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? *Ant.* Misertus autem Dominus servo, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Dominica 23.

Antiph. Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, allel. *Ant.* Interrogatus a Pharisæis Dominus, si licet censum dari Cæsari, an non? quibus ille respondit : Reddite ergo quæ sunt Cæsaris **873** Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, allel.

Ant. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo, allel.

Dominica 24.

Antiph. Domine, filia mea modo defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, et vivet. *Ant.* Dicebat enim intra se: Si tetigero fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero. *Ant.* Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva esse potero ab infirmitate mea. *Ant.* At Jesus conversus, videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit, alleluia.

Dominica 25.

Antiph. Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo zizania? Ait illis Jesus: inimicus homo hoc facit. *Ant.* Si vis imus et colligimus ea? et ait illis Jesus: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum.

Dominica 26.

Antiph. Cum sublevasset oculos Jesus, et vidisset maximam multitudinem venientem ad se, dicit ad Philippum: Unde ememus panes ut manducent hi? Ipse enim sciebat quid esset facturus. *Ant.* Cum vidissent turbæ signum quod fecerat Jesus, dicebant: Vere hic est propheta, qui venturus est in mundum.
(*Deest linea in Ms.*)
Perfecti estote; pacem habete; et Deus dilectionis et pacis erit vobiscum, alleluia. Confortamini in gratia Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro, alleluia. Existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Glorificate et portate Deum in corpore vestro. Vigilate et orate, viriliter agite, et omnia vestra in charitate fiant. Sit vobis cor unum in Deum, et anima una. Scitis quoniam cum gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio quod nemo in spiritu Dei loquens dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto, allel. Maneat in nobis spes, fides, charitas tria hæc; major autem his est charitas, allel. Pax Domini, quæ præcellit omnem intellectum, custodit corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu Domino nostro. Consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo ipse surrexit a mortuis, ita et nos in novitate vitæ ambulemus, allel. Deus charitas est, et qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei, alleluia. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita æterna, alleluia.
(*Deest linea in Ms.*)

In Natali Domini. [a] *Ad Tertiam.*

Resp. Verbum caro factum est, allel., allel., *Vers.* Et habitavit in nobis, allel., allel. *Vers.* Ipse invocabit.

874 *Ad Sextam.*

Resp. Notum fecit Dominus, allel., allel. *Vers.* Salutare suum, allel., allel.

Ad Nonam.

Resp. Ipse invocabit me, allel., allel. *Vers.* Pater meus es tu, allel., allel. *Resp.* Revelabitur gloria Domini, allel., allel. *Vers.* Et videbit omnis caro salutare Dei nostri, allel., allel. *Vers.* Viderunt omnes fines terræ.

Ad Vesperas.

Resp. Benedictus qui venit in nomine Domini, allel., allel. *Vers.* Deus Dominus et illuxit nobis, allel., allel. *Vers.* Verbum caro factum est.

Responsoria de Epiphania. Ad Tertiam.

Resp. Adorate Dominum, allel., allel. *Vers.* In aula sancta ejus, allel., allel. *Vers.* Omnis terra adoret te Deus.

Ad Sextam.

Resp. Fluminis impetus lætificat, allel., allel. *Vers.* Civitatem Dei, allel., allel. *Vers.* Adorate Dominum.

Ad Nonam.

Resp. Adorate Dominum, allel., allel. *Vers.* Omnes angeli ejus, alleluia, allel. *Vers.* Omnes gentes quascunque fecit.

Ad Vesperas.

Resp. Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi, allel., allel. *Vers.* Psalmum dicat nomini tuo, allel., allel. *Vers.* Omnes de Saba venient.

Responsoria de Ascensione Domini. Ad Tertiam.

Resp. Ascendit Deus in jubilatione, allel., allel. *Vers.* Dominus in voce tubæ, allel., allel. *Vers.* Ascendens Christus in altum.

Ad Sextam.

Resp. Elevata est magnificentia tua, allel., allel. *Vers.* Super cœlos Deus, allel., allel. *Vers.* Dominus in templo sancto suo.

Ad Nonam.

Resp. Ascendens Christus in altum, allel., allel. *Vers.* Captivam duxit captivitatem, allel., allel. *Vers.* Ascendit Deus in jubilatione.

Responsoria de Pentecoste. Ad Tertiam.

Resp. Loquebantur variis linguis apostoli, allel., allel. *Vers.* Magnalia Dei, allel., allel. *Vers.* Repleti sunt.

Ad Sextam.

Resp. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, allel., allel. *Vers.* Et hoc quod continet omnia. *Vers.* Emitte Spiritum.

Ad Nonam.

Resp. Repleti sunt omnes Spiritu sancto, allel., allel. *Vers.* Et cœperunt loqui, allel., allel. *Vers.* Spiritus sanctus docebit vos.

875 *Ad Vesperas.*

Resp. Spiritus sanctus docebit vos, allel., allel. *Vers.* Quæcunque dixero vobis, allel., allel. *Vers.* Loquebantur variis linguis apostoli. *Vers.* Spiritus Domini. *Vers.* Repleti sunt omnes Spiritu sancto. *Vers.* Emitte Spiritum tuum. *Vers.* Confirma hoc Deus. *Vers.* Spiritus paracletus.
(*Deest linea in Ms.*)

Responsoria quotidianis diebus post Octavam Pentecostes usque ad Adventum Domini, et ab Octava Epiphaniæ usque initium Quadragesimæ.

Ad Tertiam.

Resp. Sana animam meam, quia peccavi tibi. *Vers.* Ego dixi, Domine, miserere mei. *Vers.* Adjutor meus esto.

Ad Sextam.

Resp. Benedicam Dominum in omni tempore. *Vers.* Semper laus ejus. *Vers.* Dominus regit me.

Ad Nonam.

Resp. Redime me, Domine, et miserere mei. *Vers.* Pes enim meus stetit in via recta, in Ecclesiis benedicam Dominum. Et miserere. *Vers.* Ab occultis meis.

Ad Vesperas.

Resp. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

[a] Hic nulla mentio Primæ aut Completorii, quamvis has horas eo tempore ad cursum seu officium ecclesiasticum pertinuisse constet ex Amalario passim. Verum ad Primam et ad Completorium eadem semper recurrunt Responsoria, iidem Versus; hoc autem loco assignantur diversa pro diversitate festivitatum, ad Tertiam, Sextam, etc.

Vers. Qui fecit cœlum et terram. In nomine Domini. *Vers.* Qui fecit cœlum et terram.

(*Deest linea in Ms.*)

Resp. Usque ad Vesperum, quam magnificata sunt opera tua, Domine. *Vers.* Omnia in sapientia fecisti, repleta est terra. Opera. *Vers.* Vespertina Oratio. Ascendat ad te, Domine.

(*Desunt tres lineæ in Ms.*)

Die Dominico. Ad Tertiam.

Resp. Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua. *Vers.* In cœlo, et in sæculum sæculi vanitatem; in via tua vivifica me. In testimonia. *Vers.* Ego dixi, Domine.

Ad Sextam.

Resp. In æternum, Domine, permanet verbum tuum. *Vers.* In cœlo, et in sæculum sæculi veritas tua. Permanet. *Vers.* Cantate Domino canticum novum. Cantate.

Ad Nonam.

Resp. Clamavi in toto corde meo, exaudi me, Domine. *Vers.* Justificationes tuas requiram. Exaudi me. *Vers.* Jubilate Deo, omnis terra.

Ad Vesperas.

Resp. Magnus Dominus noster, magnaque virtus ejus; et sapientiæ ejus non est numerus. *Vers.* Qui numerat multitudinem stellarum, et omnibus eis nomina vocans. Et sapientiæ. *Vers.* Suscipiens mansuetos Dominus, humilians autem peccatores usque ad terram. Et sapientiæ. *Resp.* Quam magnificata sunt opera tua, Domine. *Vers.* Omnia in sapientia **876** fecisti; repleta est terra. Opera. *Vers.* Dirigatur, Domine.

In natali unius martyris. Ad Tertiam.

Resp. Justum deduxit Dominus per vias rectas. *Vers.* Et ostendit illi regnum Dei. *Vers.* Voce mea.

Ad Sextam.

Resp. Gloria et honore coronasti eum. *Vers.* Et constituisti eum super opera manuum. *Vers.* Justus ut palma.

Ad Nonam.

Resp. Amavit eum Dominus, et ornavit eum. *Vers.* Stolam gloriæ induit eum. Et ornavit. *Vers.* Posuisti, Domine.

Ad Vesperas.

Resp. Posuisti, Domine, super caput ejus. *Vers.* Coronam de lapide pretioso. Super. *Vers.* Amavit eum Dominus.

In natali apostolorum. Ad Tertiam.

Resp. In omnem terram exivit sonus eorum. *Vers.* Et in fines orbis terræ verba eorum. *Vers.* Dedisti hæreditatem.

Ad Sextam.

Resp. Constitues eos principes super omnem terram. *Vers.* Memores erunt nominis tui, Domine. *Vers.* In omnem terram.

Ad Nonam.

Resp. Nimis honorati sunt amici tui, Deus. *Vers.* Nimis confortatus est principatus eorum. *Vers.* Annuntiaverunt opera Dei.

In natali virginum. Ad Tertiam.

Resp. Diffusa est gratia in labiis tuis. *Vers.* Propterea benedixit te Deus in æternum. *Vers.* Specie tua.

Ad Sextam.

Resp. Specie tua et pulchritudine tua. *Vers.* Intende, prospere procede, et regna. *Vers.* Adjuvabit.

Ad Nonam.

Resp. Adjuvabit eam Deus vultu suo. *Vers.* Deus in medio ejus non commovebitur. *Vers.* Diffusa.

In natali confessorum. Ad Tertiam.

Resp. Sancti tui lætentur propter David servum tuum. *Vers.* Sacerdotes tui induantur justitiam, et sancti tui exsultent. *Vers.* Justi autem.

Ad Sextam.

Resp. Sancti tui, Domine, benedicent te. *Vers.* Gloriam regni tui dicent, et potentiam tuam loquentur. Benedicent. *Vers.* Gloria et honore.

Ad Nonam.

Resp. Sancti tui, Domine, sicut psalma florebunt. *Vers.* Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. *Vers.* Justus Dominus.

De pluribus martyribus. Ad Tertiam.

Resp. Lætamini in Domino, et exsultate justi. *Vers.* Et gloriamini omnes recti corde. *Vers.* Justorum animæ.

877 *Ad Sextam.*

Resp. Exsultent justi in conspectu Dei. *Vers.* Delectentur in lætitia. *Vers.* Lætamini in Domino.

Ad Nonam.

Resp. Justi autem in perpetuum vivent. *Vers.* Et apud Dominum est merces eorum. *Vers.* Exsultent justi.

(*Deest linea in Ms.*)

Vers. Justorum animæ. *Vers.* Justi autem. *Vers.* Ecce sacerdos magnus. *Vers.* Justum deduxit Dominus. *Vers.* Adoremus Dominum. *Vers.* Domus mea. *Vers.* Omnis terra adoret te, Deus. *Vers.* In conspectu angelorum.

In natali virginum. Ad Tertiam.

Resp. Specie tua et pulchritudine tua. *Vers.* Intende, prospere procede, et regna. *Vers.* Elegit eam Dominus.

Ad Sextam.

Resp. Adjuvabit eam Deus vultu suo. *Vers.* Deus in medio ejus non commovebitur. *Vers.* Specie tua.

Ad Nonam.

Resp. Elegit eam Dominus, et præelegit eam. *Vers.* In tabernaculo suo habitare fecit eam. *Vers.* Adjuvabit eam.

(*Deest linea in Ms.*)

In Cœna Domini, ad Mandatum.

Antiph. Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos, dicit Dominus. *Psal.* Beati immaculati. *Ant.* Postquam surrexit Dominus a cœna, misit aquam in pelvim, cœpit lavare pedes discipulorum. Hoc exemplum reliquit eis. *Psal.* Deus misereatur nostri. *Ant.* Dominus Jesus Christus postquam cœnavit cum discipulis suis, *ut supra*. *Psal.* Laudate Dominum, quoniam bonus. *Ant.* Cum surrexisset Dominus Jesus Christus a cœna, posuit vestimenta sua. Cœpit lavare pedes discipulorum suorum, et tergere linteo quo erat **878** præcinctus. Imitemur ergo eum ut habeamus pacem in regno suo. *Psal.* Benedicam Dominum. *Ant.* In diebus illis mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod Jesus accubuit in domo Simonis leprosi, attulit alabastrum unguenti. Et stans retro secus pedes Domini Jesu, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. *Psal.* Miserere mei, Deus, secundum. *Ant.* Diligamus nos invicem, quia charitas ex Deo est, et qui diligit fratrem suum ex Deo natus est. Et vide [videt] Deum. *Psal.* Ecce quam bonum. *Ant.* Si ego Dominus et magister lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes. *Psal.* Quam dilecta. *Ant.* In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis in invicem. *Psal.* Confitemini Domino, et invocate. *Ant.* Locutus est omnipotens discipulis suis, dicens: Venite et videte pacem fallacem quam

protulit proditor; fingit amare me labiis, et odium cordis protulit mortem. Anathema Aramachamatale [Maranatha] discipulum. *Ant.* Discumbens Dominus accepit panem, et dedit discipulis suis, dicens: Accipite et manducate hunc panem, et sciatis quia hoc est corpus meum. Et hunc calicem, et bibite ex illo, et sciatis quia hic est sanguis meus novi Testamenti; effunditur pro universis [in] remissionem peccatorum. *Ant.* Locutus est Dominus discipulis suis: Exemplum enim dedi vobis, ut alter alterius pedes vestros lavetis, quia in hoc cognoscent omnes homines quod mei estis discipuli, si vos invicem dilexeritis. *Ant.* Ubi est charitas et dilectio, ibi sancta est congregatio, ibi nec ira est nec indignatio, sed firma charitas in perpetuum. Christus descendit mundum redimere, ut liberaret a morte hominem. Exemplum præbuit suis discipulis, ut sibi invicem pedes abluerent. *Ant.* Domine, tu mihi lavas pedes. Respondit Jesus, et dixit ei: Et si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. *Ant.* Domine, non tantum pedes, sed et manus et caput. *Ant.* Vos vocatis me Magister et Domine. *Ant.* Mulier quæ erat in civitate peccatrix. *Ant.* Maria autem unxit pedes Jesu. *Ant.* Congregavit nos Christus ad glorificandum seipsum. Reple, Domine, et animas nostras sancto Spiritu, alleluia.

HYMNI A BEATO GREGORIO PAPA CONSCRIPTI.

DIE DOMINICO.

AD NOCTURNUM.

1. Primo dierum omnium
Quo mundus exstat conditus,
Vel quo resurgens conditor
Nos, morte victa, liberat.

2. Pulsis procul torporibus,
Surgamus omnes ocius,
Et nocte quæramus pium
Sicut prophetam novimus.

3. Nostras preces ut audiat,
Suamque dextram porrigat,
Ex expiatos sordibus
Reddat polorum sedibus.

4. Ut quique sacratissimo
Hujus diei tempore
Horis quietis psallimus,
Donis beatis muneret.

5. Jam nunc, paterna claritas,
Te postulamus affatim,
Absit libido sordidans,
Omnisque actus noxius.

6. Ne fœda sit vel lubrica
Compago nostri corporis,
Per quod averni ignibus
Ipsi crememur acrius.

7. Ob hoc, Redemptor, quæsumus
Ut probra nostra diluas,
Vitæ perennis commoda
Nobis benigne conferas.

8. Quo carnis actu exsules,
Effecti ipsi cœlibes,
Ut præstolamur cernui,
Melos canamus gloriæ.

9. Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paracleto
Regnans per omne sæculum.

ALIUS.

1. Nocte surgentes, vigilemus omnes:
Semper in Psalmis meditemur, atque
Nisibus totis Domino canamus
Dulciter Hymnos.

2. Ut pio Regi pariter canentes,
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul et beatam
Ducere vitam.

3. Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

AD LAUDES.

1. Ecce jam noctis tenuatur umbra,
Lucis aurora rutilans coruscat:
Nisibus totis rogitemus omnes
Cunctipotentem

2. Ut Deus noster miseratus omnem
Pellat languorem, tribuat salutem,
Donet et nobis pietate Patris
Regna polorum.

3. Præstet hoc nobis Deitas beata, *ut supra.*

AD VESPERAS.

1. Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.

2. Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis,
Tetrum chaos illabitur,
Audi preces cum fletibus.

3. Ne mens gravata crimine
Vitæ sit exsul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

4. Cœlorum pulset intimum,
Vitale tollat præmium,
Vitemus omne noxium,
Purgemus omne pessimum.

IN QUADRAGESIMA.

AD NOCTURNUM.

1. Clarum decus jejunii
Monstratur orbi cœlitus,
Quod Christus auctor omnium
Cibis dicavit abstinens.

2. Hoc, Moyses charus Deo,
Legisque lator factus est,
Hoc Eliam per aera
Curru levavit igneo.

3. Hinc Daniel mysteria
Victor leonum viderat,
Per hoc amicus intimus
Sponsi Joannes claruit.

4. Hæc nos sequi dona, Deus,
Exempla parcimoniæ;
Tu robur auge mentium,
Dans spiritale gaudium. Amen.

AD VESPERAS.

1. Audi, benigne conditor,
Nostras preces cum fletibus
In hoc sacro jejunio
Fusas quadragenario.

2. Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium;
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.

3. Multum quidem peccavimus:
Sed parce confitentibus;
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.

4. Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Jejunet ut mens sobria
A labe prorsus criminum.

5. Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas,
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

IN DOMINICA PALMARUM.

1. Magno salutis gaudio
Lætetur omne sæculum,
Jesus Redemptor omnium
Sanavit orbem languidum.

2. Sex ante Paschæ ferias
Advenit in Bethaniam,
Ubi pie post triduum
Resuscitavit Lazarum.

3. Nardi Maria pistici
Sumpsit libram mox optimi,
Unxit beatos Domini
Pedes rigando lacrymis.

4. Post hæc jugalis asinæ
Jesus supernus arbiter
Pullo sedebat: inclytam
Pergebat Jerosolymam.

5. O quam stupenda pietas,
Mira Dei clementia!
Sessor aselli fieri
Dignatur auctor sæculi.

6. Ramos virentes sumpserat
Palma recisos tenera,
Turba præcessit obviam
Regi perenni plurima.

7. Honor, virtus, imperium
Sit Trinitati unicæ,
Patri, Nato, Paracleto
Per infinita sæcula. Amen.

IN PASSIONE DOMINI.

1. Rex Christe factor omnium,
Redemptor et credentium,
Placare votis supplicum,
Te laudibus colentium.

2. Cujus benigna gratia
Crucis per alma vulnera,

Virtute solvit ardua
Primi parentis vincula.

3. Qui es creator siderum,
Tegmen subisti carneum,
Dignatus hanc vilissimam
Pati doloris formulam.

4. Ligatus es ut solveres
Mundi ruentis complices,
Per probra tergens crimina,
Quæ mundus auxit plurima.

5. Cruci, Redemptor, figeris,
Terram sed omnem concutis,
Tradis potentem spiritum,
Nigrescit atque sæculum.

6. Mox in paternæ gloriæ
Victor resplendens culmine,
Cum Spiritus munimine
Defende nos, Rex optime.
Amen.

APPENDIX (a).

ANTIQUI LIBRI RITUALES

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ.

IN ORDINEM ROMANUM COMMENTARIUS PRÆVIUS.

[1] I. *Rituum Romanorum cognitio necessaria Amalarii in eos commentarii vexati. Prima Romani Ritualis editio improbata; Electi Corcyrensis plagium retectum.*

Cum Romana Ecclesia aliarum, maxime Occidentis, Ecclesiarum norma sit et exemplar, non parum interest rei publicæ Christianæ ut sacri ritus quibus ab initio fundatæ religionis Deum opt. max. coluit omnibus cogniti ac perspecti habeantur. Proxima quippe est fidei divinæ religio, quæ quam illa credit ac suspicit supremam Majestatem certis signis et cæremoniis communi consilio institutis colit veneraturque. Et quemadmodum a Romana Ecclesia fidei suæ originem repetunt pleræque, ne dicam omnes, Occidentis Ecclesiæ, sic etiam ab eadem modum ac formam divini cultus derivari par est. Certe cum animo recogito varios ritus quos in præcipuis Galliarum Ecclesiis majorum nostrorum pietas instituit; atque hactenus illibatos ad nos usque magna ex parte transmisit, videre mihi videor [II] quamdam Romanorum rituum imaginem, qualem scilicet in antiquis libris animadvertimus.

Non immerito itaque viri pii ac docti (quod notavit Cassander) judicant « nihil hoc in genere præstantius inveniri posse, quam ipsum Romani Ordinis libellum, quem omnes qui de ecclesiasticis ritibus et officiis divinis scripserunt tanquam principem et caput agnoscunt, summamque ei auctoritatem deferunt, sic ut omnia ejus generis scripta nihil aliud sint quam hujus libelli commentaria. » Non ergo audiendi, si qui minus periti existiment hoc argumentum non ejus esse dignitatis, quod cum tanto apparatu tractari mereatur. Meminerint si qui in ea erunt persuasione, hominibus etiam sapientissimis non indignam esse hanc operam et cogitationem in nova lege, quando in illa veteri, mysteriorum nostrorum gravitatem tantum adumbrante, Deus ipse sacrorum rituum descriptionem, quibus coli et honorari volebat, non infra se posuit.

Et quidem magni nominis viri hoc genus argumenti adeo non despexerunt, ut studia sua eo contulerint. Ut enim Cassandrum, Hittorpium, Radulfum decanum Tungrensem, aliosque similes interim sileamus, Onufrius Panvinius hanc ritualem materiam scriptis suis illustravit, haberemusque ea de re Salmasii lucubrationem, nisi mors ejus consilium prævertisset. Huc testem appello Salmasium ipsum, qui in præfatione ad Solinum ait se huic auctori illustrando adjecisse animum, *sepositis tantisper quæ in mente ac manibus habebat in universam priscæ Ecclesiæ ritualem historiam commentationibus*; quæ commentationes an ab eo perfectæ fuerint et absolutæ, fateor me ignorare.

Ad Onufrium quod attinet, opus ejus integrum exstat manu descriptum in bibliotheca Vaticana, ejusdemque exemplum in bibliotheca regia habetur. Hoc vero non tam Onufrii commentationem exhibet quam collectionem veterum librorum ritualium Romanæ Ecclesiæ. Collectioni præmittitur Onufrii epistola nuncupatoria, *Alexandro Farnesio, episcopo cardinali Sabino, summæ et apostolicæ sedis cancellario*, quæ epistola prolixam continet præfationem ad illustrandam ex antiquis sacræ synaxeos actionem. Sequuntur libelli de Ordine Romano quatuor, prout ab Hittorpio vulgati sunt, tum Micrologus, deinde interpretatio vocum ecclesiasticarum, [III] quæ obscuræ vel barbaræ videntur; quibus succedit index stationum quæ nostro tempore in singulis Urbis ecclesiis per annum celebrantur. Hæc omnia excipit liber Ritualis Censii cardinalis S. R. E. camerarii, quem librum, mutato auctoris ordine, dividit Onufrius in tres partes. Demum totum opus concludit Missæ expositio, quam idem ex Patrum dictis et sententiis contexuit, excurrendo in communes locos, quos alii postea sunt persecuti.

Non defuerunt etiam ex antiquis quibus idem consilium idemque animus fuit, illustrandi scilicet ritus Romanos. Plerosque in unum corpus redegit Melchior Hittorpius, cujus Editio est in omnium manibus, ut necesse non sit auctorum illorum nomina hoc loco recensere. His adjungendi sunt Rupertus, Joannes Belethus, et Durandus uterque, quos magno agmine sequitur turba recentiorum, sed insignior præ cæteris piæ memoriæ cardinalis Bona. Ex illis antiquis auctoribus Amalarius, et qui sub humili nomine latere voluit Micrologus, libellos de Ordine Romano studiosius rimati sunt, atque ex eis aliarum Ecclesiarum ritus aut correxerunt, aut illustrarunt.

Amalarius, Mettensis, ut videtur, Ecclesiæ clericus, Lugdunensis chorepiscopus fuit. Hujus sententiæ auctorem habemus Florum ejusdem Ecclesiæ diaconum, qui in priori epistola adversus eumdem Amalarium inedita tria ejus opera commemorat, nempe *magnum quemdam Codicem quatuor voluminibus*, id est libris, *diffusum*, quem *Officialem* nuncupavit; deinde *Antiphonarium velut a se digestum ac correctum; novissime novum volumen, quod Embolim opusculorum suorum* appellavit, quodque *apud Lugdunum ornate induit, ac vittis sericeis distingui fecit*. Hæc ex prima Flori epistola *contra falsiloquas adinventiones Amalarii, quondam Lugdunensis chorepiscopi, de corpore Domini tripartito*; qua in epistola Florus Amalarium durius carpit, uti et Agobardus et ipse Lugdunensis antistes. Nam etsi fortasse longius progressus est Amalarius in quærendis

(a) Consule monitum a nobis huic tomo præfixum. EDIT.

mysticis significationibus sacrorum rituum, quibus Ecclesia utitur, non ea tamen acerbitate tractandus erat vir ut illis temporibus doctus, qui pia religione et studio res sacras illustrandi utique ducebatur. Typis vulgata sunt priora duo ejus opuscula, nempe Officialis, et liber de Antiphonario; at Embolim adhuc in tenebris [iv] latere credimus. Edita illa duo non sine fructu terunt rerum ecclesiasticarum studiosi, qui longe aliis oculis hæc legunt quam Florus et Agobardus. Libellum Officialem appellavit Amalarius post Patres concilii iv Toletani, in canone 26.

Agobardi libri tres exstant adversus Amalarium scripti. Primus est liber *de Psalmodia*, in quo Amalarium quasi *stultum et improbum calumniatorem* arguit, quod in nocturnis officiis quædam *humani ingenii figmenta* adhiberet. Idem explicat in altero libro *de correctione Antiphonarii*, in quo nonnullas Antiphonarum et Responsoriorum emendationes ab Amalario factas reprehendit: correctus et ipse a viro modestissimo Josepho Maria Thomasio in notis ad Responsorialia et Antiphonaria Romana, ubi quasdam Amalarii restitutiones vindicantur ad fidem veterum Codicum Ecclesiæ Romanæ. Sic rigidi censores aliquando in se provocant justam censuram aliorum. Tertius denique Agobardi fetus est *contra libros quatuor Amalarii abbatis*, id est contra librum ejus officialem, in quo nonnullas morales interpretationes sugillat Agobardus.

Non minus Amalario infensus fuit Florus diaconus, ac demum presbyter Ecclesiæ Lugdunensis, a quo Amalarius in medium provocatus fuit in synodo Carisiacensi; ab eodemque in concilio episcoporum apud Theodonis Villam accusatus, quod Christi corpus triforme dixisset, et quod ritus sacros passim traduceret ad mysticas significationes. Quid in utraque synodo gestum sit, explicat Florus ipse tum in epistola mox laudata, tum in opusculo subsequenti, tum in alia epistola ad Patres concilii apud Theodonis Villam congregati. Prima epistola *Drogoni sacri concilii magistro et pontifici clarissimo, Hetti Trevirorum antistiti, Aldrico reverendissimo Cenomanorum episcopo, Rabano abbati venerabili, et ex provincia Lugdunensi prima Alberico Lingonensi episcopo* nuncupata est. Primum ac præcipuum caput accusationis est quod doceret *præceptor ipse Amalarius egregius ita corpus Christi esse triforme et tripartitum, ut tria sint Christi corpora, primum quod ipse suscepit, secundum in nobis qui super terram ambulamus, tertium in illis qui sepulti jacent*; atque ideo in sacrificio Missæ *tres debere fieri partes, unam in calice pro Christo, alteram in patena pro vivis, tertiam in altari pro mortuis.* Alterum accusationis caput est quod idem Amalarius [v] plerosque sacrificii ritus ad morales et figuratas, uti mox dicebam, significationes transferret. Tertium denique est quod *libellum Romani Ordinis tantæ auctoritatis haberet, ut eum pene ad verbum niteretur exponere*, tametsi hunc libellum *Romano archidiacono, cujus traditionibus gloriabatur, ignotum* fuisse fateretur. Verum tantum abest ut Amalarius ob expositum Romani Ordinis libellum de Ecclesia male meruerit, ut contra multum ei obstrictissimus, quod hujus libelli antiquitatem dignitatemque nobis unus ex priscis auctoribus comprobaverit.

Præter superius memorata opuscula idem Amalarius composuit eglogam de Ordine Romano, quæ ab eruditissimo Baluzio publici juris facta est in appendice ad Capitularia. In hujus opusculi titulo Amalarius vocatur *abbas*, cum in Codice sancti Galli, ad quem Baluziana Editio accurata est, tum in Einsidlensi, quemadmodum etiam in titulo tertii libelli, quem Agobardus condidit adversus Amalarium, de quo hæc modo dicta sufficiant.

Micrologi obscurior est notitia quam ætas. In quibusdam exemplaribus hic liber *Micrologus Joannis*, aliis *Joannis episcopi* inscriptus legitur; sed quis sit Joannes ille, incertum. Gallum fuisse conjectura est ex cap. 11, in quo refert quamdam Orationem *juxta Gallicanum Ordinem*. Sane Germanum eum non fuisse inde colligitur, quod concilii Moguntiacensis decretum de jejunio quatuor temporum designande parvi pendat. Eumdem titulum operi suo de Musica imposuit Guido Aretinus; sed alius est sine dubio, quisquis sit, hic Micrologus, quem tempore Gregorii VII et Anselmi Lucensis vixisse intelligitur ex capitibus 14 et 17. Is Ordinem Romanum laudat interpretaturque multis in locis, ut in capitibus 9, 10, 11, 17, et aliis.

Ordinem Romanum Coloniæ anno 1531 primus typis excudi curavit Georgius Cassander, et post annos septem Melchior Hittorpius ibidem recudit una cum aliis antiquis rerum ecclesiasticarum scriptoribus. Verum ante utrumque Christophorus Marcellus, archiepiscopus Corcyrensis electus, Venetiis in lucem emiserat *Rituum ecclesiasticorum, sive sacrorum cæremoniarum S. R. E. libros tres*; et quidem cum pontificio privilegio Leonis X, dato sub finem anni 1516.

Hanc Editionem graviter tulit Paris de Crassis, cæremoniarum [vi] tunc in Urbe magister, ratus arcanos ejusmodi Ecclesiæ ritus non esse proferendos in vulgus, ne in contemptum tandem veniant. Unde querelas de hac Editione deposuit apud pontificem, apud quem accusavit plagii archiepiscopum Corcyrensem, propterea quod Augustini Piccolominei opus de sacris cæremoniis sub suo nomine vulgasset. Paris factum hoc modo narrat in Cæremoniali suo. *Reverendus electus Corcyrensis hoc anno, cum librum cæremonialem imprimendum Venetiis tradidisset, vel potius, ut ita dicam, in vulgus prostituisset, forte (quod pace sua dictum sit) quia rituum ecclesiasticorum admodum ignarus est, quippe qui per pauculos ante dies clericali professione ex mercatore Veneto addictus fuerat, necdum forte talium dogmatum capax, cosque libros sic impressos ad diversos Italiæ locos et extra eam, ut mos est mercatorum, etiam ad Urbem vendendos transmisisset, ego ubi id intellexi, illico ad pontificem accedens condolui, supplicavique, ut pro justitia tanto sacrilegio occurrere dignaretur, ne suæ sacrosanctæ sedis apostolicæ cæremonias, quæ semper in secretiori bibliotheca Palatina custoditæ fuerunt, nunc suo sub pontificatu contaminari per illarum divulgationem pateretur. Cumque sanctitas sua juste benigneque annuisset, forte nonnulli ipsius Corcyrensis compatriotæ tum præsentes, quia id in mercaturæ damnum cederet, e contra intercedere ausi, petierunt, quas ob causas etiam cæremonialia sacra non possent, sicut Missalia et Pontificalia, publicari. Quibus, quia tunc in paucis non licuit, tandem in hunc qui sequitur modum prolixiorem tam scilicet præfatæ rationi, quam illorum petitioni satisfecisse puto. Sed et ipse quoque mihi satisfecit pro honore collegæ, immo magistri mei episcopi Pientini, veri ipsius libri Cæremonialis auctoris; cujus abraso nomine et titulo, iste Corcyrensis falsi sibi titulum et nomen auctoris vindicare non erubuit.* Quæ inde consecuta sint non habet Codex manu exaratus, ex quo nonnullos quaterniones nonnemo detraxit.

Verum ex diario ejusdem auctoris, etsi non omnia, quædam nihilominus supplentur, quæ hic paucis delibanda sunt. Paris audito librum Cæremonialem Augustini Pientini episcopi, suppresso veri auctoris nomine, ab electo Corcyrensi Venetiis editum esse, rem primo retulit ad cardinales; ex quibus multi commoti sunt, *quod cæremoniæ sacræ et mysteria eorum divulgata fuerint*. Deinde querelæ ad pontificem delatæ, qui, *prima facie turbatus, dixit se facturum quod cardinalibus placeret*. [vii] At *quia cardinalis sanctæ Crucis forsan fuerat causa, quod imprimeretur liber ille, dixit non malum esse*. Sed tamen cavit ne ullum ejus exemplar divenderetur, dum in proximo consistorio super hoc negotio statutum fuisset. Hæc facta sunt anno 1517, die 11 Martii. Mense sequenti post festum sancti Marci, Paris prolixam hac de re episto-

lam a se scriptam legit in consistorio, in qua eorum sententiam refellere conatur qui *existimant religionis Christianæ cæremonias ad publicam mortalium utilitatem esse divulgandas*, aitque, si hæc semel licentia invaluerit, summi pontificis venerationi magnopere detractum iri, quem, cum ut deus aliquis in terris ob hæc arcana sacra, *quæ tum rerum magnitudine, tum varietate divinitatem quamdam præ se ferre videantur*, existimetur et credatur, iis publicatis mox hac opinione cadere necesse sit, reducique in cæterorum mortalium classem. Gravi itaque pœna dignum esse electum illum Corcyrensem, qui librum Cæremoniarum S. R. E. furto subripuisset, atque in lucem emisisset temere, suppresso etiam veri auctoris nomine; imo ad mille et supra corruptiones admisisset in editis libris. Ad extremum petiit Paris *librum cæremoniarum nuper impressum omnino comburi simul cum falso auctore; aut saltem ipsum auctorem corrigi et castigari*. Pontifex vero Paridis petitiones jussit communicari tribus cardinalibus, ut eas expenderent. Hæc summatim referre visum est, quæ plenius ex ipsa Paridis tum epistola, tum narratione, ad calcem hujusce tomi referendis intelligentur.

Quod attinet ad Paridis postulata, sane in hoc correptione dignus erat electus ille Corcyrensis, quod alienum opus vero ac genuino detractum auctori tribuisset sibi; at tantas iras non merebatur ob vulgatum librum cæremoniarum, quasi reus esset violatæ pontificiæ majestatis. Non enim ex arcanis ejusmodi cæremoniis metimur summi Pontificis venerationem, quicunque in religione christiana recte sapimus, sed ex eo quod Ecclesiæ catholicæ caput sit, ac beati Petri in prima sede successor, maxime ubi supremam illam dignitatem congrua morum sanctitate (quod in beatissimo Pontifice Innocentio XI nunc suspicimus) exornat. Neque sane Paridis postulatio pro ejus votis successit, cum neque liber ustus, neque ejus Editor ignis pœnam sustinuerint. Cur autem arsissent ambo, [VIII] quos pontifex privilegio munierat? Tantæne animis cœlestibus iræ?

II. *De Ordine Romano, deque variis auctoribus ac libris qui de ritibus S. R. E. agunt.*

Nullum antiquiorem librum habemus de ritibus Ecclesiæ Romanæ, quam illum, qui vulgo inscribitur Ordo Romanus. Ejus antiquitatem plerique referunt ad sæculum octavum; nec eam sane serius differri posse constat ex Amalario, sæculi noni auctore, qui *libellos de Ordine Romano* passim laudat, eosque commentatus est. Verum Ordinem illum sæculo octavo antiquiorem esse, atque ad tempora vel Gelasii pontificis, vel saltem Gregorii Magni revocandum existimo. Certe rubricæ quæ de hebdomada sancta præscribuntur in libro Sacramentorum Gregoriano totidem verbis occurrunt in primo, quem hic edituri sumus, Ordine Romano. Ne porro eum ad Innocentii primi pontificatum rejiciamus, illud obstat, quod in eo nulla mentio fiat de fermento ad titulos Urbis mittendo ex præscripto Innocentii in epistola ad Decentium, tametsi Eucharistia ipsa *fermenti* nomine donatur in primo nostro Ordine Romano.

Non unum, sed plures olim fuisse Ordinis Romani libellos ex Amalario intelligimus, cujus hæc verba in Antiphonarii capite 52, ubi de Officio hebdomadæ paschalis. *Notum solemniter est canere matrem nostram Romanam Ecclesiam tres psalmos ante hymnum Evangelii, et post hymnum duos per diversa altaria diversorum locorum, sæpissime tamen ad crucem et ad fontes, ut ex scripturis discimus, qui continent per diversos libellos Ordinem Romanum.* Diversi erant hi libelli, non modo pro diversis argumentis, ut libellus de Missa pontificali, libellus de Missa episcopali secundum ritum Ecclesiæ Romanæ, libellus de baptismo, libellus de ordinibus sacris, etc., sed etiam pro uno eodemque argumento, id quod ex hoc Amalarii loco manifestum est, ubi *diversos libellos* citat Amalarius pro uno eodemque officio hebdomadæ paschalis. Hinc est quod nos, veterum sententiam secuti, totidem libellos Ordinis Romani distinguimus, quot ejusdem diversive de ritibus Romanis argumenti adducimus scriptiones.

[IX] Tres omnino vetustissimos de Missa pontificali libellos primo loco exhibemus, quibus alii duo succedunt de Missa episcopali secundum ritum Ecclesiæ Romanæ. Post hos sequuntur libelli de ordine baptismi, ac de ordinationibus sacris. Quæ omnia scripta sunt ante sæculum nonum aut decimum. Succedunt auctores a sæculo duodecimo. Benedictus canonicus sancti Petri sub Innocentio II, Cencius de Sabellis cardinalis sub Cœlestino III; ad hæc Cæremoniale jussu Gregorii X editum, Ordinarium Jacobi Gaietani cardinalis, ac demum liber cæremoniarum Petri Amelii episcopi Senogalliensis. Hæc omnia claudent varia fragmenta ex Historia Joannis Diaconi de basilica Lateranensi, ex diariis Romanorum pontificum, aliaque vetera monumenta.

De variis libellis Ordinis Romani a nobis hic editis præfari in præsens nihil juvat, quando singulis singulæ præmissæ sunt admonitiones ad informandum studiosum lectorem. Quale vero de his judicium ac de vulgato Ordine Romano ferendum sit, nos docet earum rerum peritissimus Josephus Maria Thomasius, in scholiis ad Responsorialia. « Ordo Romanus antiquitus, inquit, non eo modo quo apud nos editus est circumferebatur. Discretis namque libellis continebatur, quibus potiora per annum explicabantur officia. Cæterum Ordo ille Romanus, editus ab Hittorpio, farrago potius est diversorum rituum secundum varias consuetudines, ita ut antiquiores germanioresque ritus in tanta varietate discernere sine eorum libellorum ope pene sit impossible. »

Fatendum est tamen non insuper habendam esse illam Hittorpii Editionem, nec omnino destitui commendatione antiquitatis. Hæc enim reperitur, nonnullis quidem additis aut detractis, tum in Codice Romano bibliothecæ Vallicellanæ, tum in nostro Vindocinensi, iis exceptis quæ ad priorem Hittorpii partem, id est, ad Missæ pontificalis et episcopalis ritum, pertinent. Atqui Codex Vallicellanus Ottonum tempore scriptus fuit; Vindocinensis autem ante annos fere sexcentos, et quidem Goffridi abbatis Vindocinensis tempore, qui fortasse hoc exemplar ex Urbe attulerit. Etsi porro multa ex duplici illo Codice in Vulgatis emendari possent, totum id operis recudere non visum est nobis operæ pretium, quibus satis fuerit veteres libellos qui de Missa, baptismo et ordinationibus sacris agunt, aut nondum editos aut ad fidem [X] exemplarium castigatos, exhibere.

De Benedicto canonico, Cencio, aliisque auctoribus, quos antiquioribus illis libellis subjicimus, hic modo agere supersedemus, de eis acturi suo loco. Legatur ipsius Cencii in librum censuum S. R. E. præfatio, apud Baronium, sub finem anni 1192, sub hoc titulo : *Incipit liber sensuum S. R. E. a Cencio camerario compositus secundum antiquorum Patrum regesta et memorialia diversa, anno Incarnationis dominicæ millesimo centesimo nonagesimo secundo, pontificatus Cœlestini papæ tertii anno secundo.* Et paulo infra : *Ego Cencius quondam felic. record. Clementis papæ tertii, nunc vero domini Cœlestini papæ tertii camerarius, sanctæ Mariæ Majoris canonicus*, etc. Hæc de Cencio. Animus erat Petri Mallii de Vaticana sancti Petri basilica opusculum, Alexandro tertio inscriptum, prædictis auctoribus adjungere; sed quia pauca continet ritualis argumenti, quædam tantum ex eo fragmenta, quæ ad nostrum institutum pertinent, retulerimus. Omnino vero locum in his ritualibus libris merebatur Cæremoniale Romanum Augustini Patricii ad Innocentium VIII. Verum quia jam ab Electo Corcyrensi episcopo, paucis mutatis, editum est, sæpiusque recusum, aliis novæ ejus Editionis curam permittimus, contenti proferre nuncupatoriam auctoris epistolam ad Innocentium VIII, quæ et tempus scripti operis præfert, id est, annum 1488, Kal. Martii,

et ipsum opus genuino vindicat auctori, præter ea quæ ex Paride superius retulimus. Cæterum Augustinus Patricius, antea Piccolomineus appellatus per adoptionem, ex magistro cæremoniarum Innocentii VIII renunciatus fuit Pientis episcopus anno 1483 obiitque anno 1496, Alexandro VI pontifice, quod ascriptum legimus in Codice Chigiano, qui Lactantii opera complectitur. Idem Augustinus in opere suo quædam de se ipse commemorat. Scilicet *quatuor annos servivit* Pio secundo, a quo Piccolominei cognomen habuit. Eidem adfuit morienti, cujus extrema verba refert. Memoratu dignum est id quod scribit in libri tertii cap. 13 de reverentia episcoporum erga cardinales. Ait quippe « se audivisse quosdam ex cardinalibus permittere episcopos *ante se loqui genuflexos*; et in mensa, dum lavant manus, *serviliter mantile ministrare*, quod ipsi *valde absurdum videtur. Et quamvis sæpe*, inquit, *apud plerosque reverendissimos dominos in conviviis fuerim, et ante*, [XI] *et postquam inter episcopos, quamvis indignus, ascriptus sim, nunquam tamen id servari vidi. Ascribendum est hoc (pace illorum dixerim) ignaviæ ac vecordiæ prælatorum qui talia faciunt, qui supremam in Ecclesia Dei episcopalem dignitatem non cognoscunt; sive eorumdem ambitioni atque adulationi, qui ut gratiam cardinalium aucupentur, dignitatis suæ rationem non habent, quam serviliter deturpant. Cardinales autem qui talia, sive ex inadvertantia, sive alia causa patiuntur; in charitate Dei*, ait, *obsecro, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant, et cogitent summum pontificem non alio titulo quam episcopali decorari; et cum hic publice, etiam in re divina, lavat manus, non episcopus aliquis, sed capellanus suus, auditor Rotæ, mantile subministrat. Quod si forte aliquos mei similes indignos tanto fastigio viderint, non personam, sed sacrosanctam dignitatem in eis venerentur, et opera illorum utantur in illis rebus quæ dignitati utriusque congruunt.* Addit idem auctor: *Decet tamen episcopos in rebus omnibus publice et privatim, quantum per dignitatem licet, reverendissimos dominos cardinales honorare, venerari, et eis pro viribus assistere, obsequi, et inservire; nec minus convenit cardinales ipsos benigne suscipere episcopos; et quos pontifex summus* Fratres *appellat, non ut servos, sed ut conservos honorare.* » Ita apposite religiosus auctor.

III. *De antiquis basilicis ac titulis Urbis, de diaconiis, et de septem regionibus ecclesiasticis, ubi de forma veterum basilicarum.*

Qui de Ordine Romano libellos ediderunt primi, quasi pro necessario fundamento, præmiserunt septem esse regiones ecclesiasticas in urbe Roma, et quem quisque ordinem in eis teneret, presbyteri scilicet, diaconi, cæterique ministri sacri. Eorumdem auctorum vestigiis insistentes, operæ pretium duximus quædam hic in antecessum observare de antiquis basilicis ac clero Romano, ut magis dilucide lector in his ritibus legendis procedat.

Atque ut ab ecclesiis ordiamur, earum quadruplex in Urbe classis distingui potest. Aliæ quippe erant patriarchales, aliæ titulares; aliæ diaconiæ, aliæ oratoria seu cœmeteria. Patriarchales sine titulo erant, quod essent proprie summi pontificis, quæ definitum populum non habebant, sed omnium censebantur. [XII] Ejusmodi erant basilica Lateranensis, Vaticana, basilicæ sanctæ Mariæ Majoris, sancti Pauli, et sancti Laurentii in agro Verano. His patriarchalibus accensebantur aliæ majores ecclesiæ, quæ itidem titulo destitutæ erant, quales erant basilicæ sanctæ Crucis in Jerusalem, sanctæ Agnetis extra muros, sanctæ Mariæ ad Martyres, et si quæ aliæ ejusmodi nonnullæ. Honorius Augustus in rescripto ad Symmachum præfectum adversus Eulalium, distinguit *titulos et loca quæ conventu celebri frequentantur*, et ante eum Arcadius, cum lege lata hæreticis omnia Urbis loca interdicit, *sive sub ecclesiarum nomine*, inquit, *teneantur, sive quæ diaconica appellantur, vel etiam decanica*; ubi quid decanicorum vocabulo intelligat non satis constat, nam hoc loco, ut alicubi alias, carceres significari haud simile veri est.

Titulos appellabant parœciales ecclesias quibus animarum cura addicta erat, singulisque singuli primo presbyteri hanc curam gerentes; deinde plures, quorum qui principalior erat, cardinalis dicebatur. Tituli habebant diœceses seu parochias sibi præfixas ac definitas. Horum porro titulorum numerum sensim ad XXVIII accrevisse, et circa tempora Innocentii primi, vel Zozimi, expletum fuisse affirmat cum multis Onufrius Panvinius in libello de episcopatibus, titulis et diaconiis urbis Romæ; eumque numerum ad nostra fere tempora perseverasse, quod propius considerandum.

Cornelius papa, in epistola ad Fabium præsulem Antiochensem ab Eusebio relata testatur, « suo tempore, id est, medio seculo tertio, Romæ fuisse presbyteros quatuor et quadraginta, septem vero diaconos, totidemque subdiaconos, acolythos duos et quadraginta, exorcistas et lectores cum ostiariis quinquaginta duos, viduas denique cum infirmis et egentibus plusquam mille et quingentas, quibus universis gratia et benignitas Dei alimenta suppeditabat. » Ita apud Eusebium, in lib. VI, cap. 43. Ex hoc autem loco vir magnæ eruditionis, Henricus Valesius, colligit basilicas tunc Romæ exstitisse quatuor et quadraginta. Cum enim tunc singuli presbyteri suas regerent basilicas, si quadraginta quatuor fuere presbyteri, totidem basilicas fuisse dicendum est. Et quidem Optatus (quod ipse Valesius observat) lib. VI agens de basilicis quæ Romæ exstabant tempore persecutionis Diocletiani, quo tempore Macrobius Donatista illuc accessit, quadraginta [XIII] et amplius ibidem fuisse tradit basilicas, ad quas accedere non permittebantur Donatistæ, *qui inter quadraginta, et quod excurrit, basilicas locum ubi colligerent non habebant.* Quem locum si cum Cornelii epistola conferas, qui presbyteros Romæ quatuor supra quadraginta fuisse tradit, totidem ex Optato basilicas tempore Diocletiani, id est, post annos a Cornelio quadraginta, illic exstitisse intelliges. Unde non immerito Cyprianus in epistola ad ipsum Cornelium, quæ est novæ Editionis 58, clerum Romanum *florentissimum* vocat.

Jam vero basilicæ illæ, quæ suos quæque presbyteros habebant, titulares haud dubie erant. Nam tituli nihil aliud sunt quam basilicæ, quibus certi sacerdotes ac ministri ascripti et addicti habentur. Longe ergo supra XXVIII tituli ante Innocenti I tempora in Urbe erant. Id vero luculenter probatur, tum ex ordinatione Bonifacii papæ I, quæ *subscribentibus plus minus septuaginta presbyteris* anno 419 facta est, præter alios qui per seditionem Eulalium tumultuarie elegerant; tum ex synodo Romana sub Symmacho anno 499 habita, cui subscripserunt Romani presbyteri numero LXVI, et quidem omnes titulati. Neque tamen tot eo tempore exstabant in Urbe tituli; sed jam tunc usus invaluerat ut uni titulo plures presbyteri essent ascripti. Unde in illa synodo aliquando unus, aliquando duo, tres, quatuorve unius ejusdemque tituli presbyteri subscripti inveniuntur, duo quidem tituli sanctæ Cæciliæ, Pudentis, Cyriaci, Pammachii, Nicomedis, Julii, sancti Clementis, sanctæ Savinæ, sancti Cyriaci, Tigridæ, Gaii, Lucinæ, Laurentii, et Marcelli; tres vero tituli Vestinæ, sancti Chrysogoni, Æquitii, Æmilianæ, Crescentianæ, Eusebii, Anastasiæ, et Apostolorum, et Marci: quatuor autem tituli Fasciolæ. Sed quia istæ subscriptiones aliquanti sunt momenti ad cognoscendos veteres Urbis titulos eas exhibere juvat, prout illas descripsimus ex Codice Vallicellano, apposito ad caput numero cujusque tituli, præterquam ubi repetendus aliquis erit qui plures presbyteros habuerit.

1. *Cælius Laurentius archipresbyter tt. Praxidæ his*

subs. 2. *Januarius presb. tt. Vestinæ.* 3. *Marcianus præsb. tt. sanctæ Cæciliæ.* 4. *Gordianus presb. tt. Pammachii.* 5. *Petrus presb. tt. sancti Clementis.* [XIV] *Urbicus presb. tt. sancti Clementis.* 6. *Paulinus presb. tt. Juli.* 7. *Valens presb. tt. sanctæ Savinæ.* 8. *Petrus presb. tt. Chrysogoni. Seranus presb. tt. Vestinæ.* 9. *Asterius presb. tt. Pudentis. Justinus presb. tt. Pudentis.* 10. *Felix presb. tt. Æquitii. Redemptus presb. tt. Chrysogoni.* 11. *Projec itius presb. tt. Damasi.* 12. *Jobinus presb. tt. Æmilianæ.* 13. *Bonus presb. tt. Crescentianæ.* 14. *Paschasius presb. tt. Eusebii. Joannes presb. tt. Pammachii.* 15. *Sebastianus presb. tt. Nicomedis.* 16. *Martinus presb. tt. Cyriaci. Epiphanius presb. tt. Cyriaci.* 17. *Andreas presb. tt. sancti Matthæi. Servus dei presb. tt. sancti Clementis. Opilio presb. tt. Vestinæ. Petrus presb. tt. Chrysogoni.* 18. *Romanus presb. tt. Tigridæ.* 19. *Marcellinus presb. tt. Juli. Domninus presb. tt. Crescentinæ. Abundantius presb. tt. Savinæ.* 20. *Marcellinus presb. tt. Romani.* 21. *Asellus presb. tt. Bizantis. Sebastinus presb. tt. Æquitii. Valentinus presb. tt. Eusebii.* 22. *Anastasius presb. tt. Anastasiæ. Genesius presb. tt. Nicomedis. Dionysius presb. tt. Æmilianæ.* 23. *Eiphanius presb. tt. Apostolorum. Paulinus presb. tt. Fasciolæ. Adeodatus presb. tt. Æquitii.* 24. *Dominicus presb. tt. Priscæ. Severus presb. tt. Gaii. Crescentius presb. tt. Apostolorum. Septimus presb. tt. Julii. Epiphanius presb. tt. Fasciolæ.* [XV] 25. *Petrus presb. tt. Praxedis.* 26. *Hilarus presb. tt. Lucinæ.* 27. *Laurentius presb. tt. sancti Laurentii. Julianus presb. tt. Anastasiæ. Vincemalus presb. tt. Crescentiæ.* 28. *Venantius presb. tt. Marci. Paulus presb. tt. sancti Laurentii. Acontius presb. tt. Fasciolæ. Agapitus presb. tt. Apostolorum. Benedictus presb. tt. Gaii. Redemptus presb. tt. Tigridæ.* 29. *Stephanus presb. tt. Marcelli. Julianus presb. tt. Anastasiæ. Cyprianus presb. tt. Marci. Bonifacius presb. tt. Cæciliæ. Timotheus presb. tt. Marcelli. Victorius presb. tt. Savinæ. Eutyches presb. tt. Æmilianæ.* 30. *Marcus presb. tt. Lucinæ. Abundius presb. tt. Marci. Stephanus presb. tt. Eusebii. Subscripserunt presbyteri numero* LXVI.

In tanto subscribentium numero triginta duntaxat numerantur tituli, nempe quod presbyteri aliorum abessent, aut tituli ipsi vacarent. In illis titulis non computantur quinque patriarchales ecclesiæ, nequidem intramuranæ, Lateranensis et Liberiana; nedum extramuranæ, Vaticana, sancti Pauli, et sancti Laurentii in agro Verano. Desunt etiam basilicæ titulares sancti Silvestri, sanctæ Susannæ, sancti Xysti, sanctæ Balbinæ, sanctorum Marcellini et Petri, et sanctorum quatuor Coronatorum, quorum titulorum presbyteri in synodo Romana sub Gregorio Magno testes fuerunt, ubi titulus Pammachii appellatur sanctorum Joannis et Pauli. Desunt etiam tituli sanctæ Priscæ, sanctæ Potentianæ, nedum sanctæ Mariæ, qui in alia synodo subscribunt sub Zacharia pontifice.

Duas ob causas tituli illi instituti fuerunt, nempe *propter baptismum et pœnitentiam eorum qui ex paganis* ad fidem Christianam *convertebantur, et propter sepulturas martyrum*, ut loquitur vulgatus Anastasius in Marcello papa XXXV, [XVI] qui XXV *titulos* in Urbe constituisse dicitur, *quasi diœceses*, quod postremum etsi non est tantæ auctoritatis, ut huic adhiberi possit certa fides, nihilo minus duplex illa instituendorum titulorum causa assignari potest. Atque adeo non omnes forte tituli erant parœciales ecclesiæ, sed quidam instituti fuerunt, ut sepulturis martyrum honor haberetur. Unde in concilio Chalcedonensi martyria, id est, basilicæ martyrum, inter titulos censentur. Archipresbyter autem dicebatur qui prior erat ordinatione inter presbyteros illorum titulorum, qui *catholicæ ecclesiæ* ab Anastasio dicuntur in actis Benedicti III. Verum quia Innocentius primus in epistola ad Decentium manifeste distinguit titulos a cœmeteriis, id est, ab ecclesiis super martyrum sepulcra constructis, quod tituli *plebem haberent*, non vero cœmeteria; et quod ad titulos fermentum seu eucharistia, non vero ad cœmeteria martyrum mitterentur, id asserere licet, duplicis generis titulos fuisse, majores videlicet, id est parochiales ecclesias; et minores, qui solitariis basilicis Martyrum competebant.

In illis omnibus ecclesiis Missæ publicæ nonnunquam dicebantur, imo etiam nonnunquam in aliis, quæ titulorum nomine insignitæ non erant, ubi scilicet populi concursus ob reliquias vel cultum martyrum id exigebat. Sic in basilicam sancti Pancratii, quæ titularis non fuit ante Leonem X, *dominico die populi Missarum solemnia audituri* conveniebant, testante Gregorio Magno in lib. III, epist. 18, qui et ibidem homiliam ad populum habuit, quæ est 27 in Evangelia. Observat autem Pancirolus ideo non tributum fuisse a principio tituli honorem prædictæ basilicæ, propterea quod extra Urbem sita esset; tituli vero non tribuerentur basilicis extramuranis, neque etiam stationes, nisi essent ecclesiæ patriarchales. Unde passim leguntur assignatæ stationes ad sanctum Petrum, item ad sanctum Paulum, et ad sanctum Laurentium extra muros; de quibus ecclesiis Simplicius papa constituit, ut per unam hebdomadam *presbyteri manerent ibi propter pœnitentes et baptismum.* Neque tamen in solis titulis aut ecclesiis patriarchalibus stationes fiebant, sed etiam (ut ex dicendis constabit) in diaconiis, de quibus modo paucis agendum est.

Apud Romanos, ait Sozomenus in lib. I, cap. 15, *diaconi non plures sunt hactenus quam septem, instar eorum qui ab* [XVII] *apostolis primum ordinati sunt. Apud alios vero haud quaquam definitus est numerus diaconorum.* Id certum est de Romanis diaconis, qui *regionarii* appellabantur; sed alii diaconi erant in illis ecclesiis quæ titulorum nomine erant insignes. Regionarii præcipui censebantur, neque presbyteris titularibus, ut alii, sed archidiacono, qui primus inter illos septem erat, subjiciebantur. Hi sub cura sua singuli illas diaconias habebant, quæ in sibi assignata regione erant sitæ. In diaconiis nosocomia et pauperum diversoria erant, ubi viduæ aliique egentes ecclesiastica stipe alebantur. Cuilibet hospitio adjuncta erat ecclesia, cui præerat *Pater diaconiæ*, de quo mentio est in primo Ordine Romano hic edito, et in Itinere nostro Italico, pag. 151, ubi Ustathius dux quosdam fundos diaconiæ sanctæ Mariæ *in Cosmedin* legat ea conditione, *ut presbyter, qui pro tempore fuerit facturus quotidianas Missas, accipiat a Patre solidos tres.* Pater ille temporalium rerum curam sub diacono regionario habebat, eratque aliquando ex ordine clericorum, aliquando sæcularis. In his fuit *Theodatus olim dux*, tunc *primicerius sanctæ sedis apostolicæ*, id est primicerius notariorum, *et Pater diaconiæ* sancti Angeli in Piscina sub Gregorio II, ut legitur in veteri inscriptione apud Torrigium de cryptis Vaticanis. Temporum decursu in collegia clericorum conversæ sunt ejusmodi diaconiæ, inde adeo facultatibus deminutæ, ut nihil subsidii afferant pauperibus, in quorum gratiam primitus institutæ fuerant. Nunc tituli dicuntur diaconorum cardinalium, tametsi quando cardinales diaconi nomen suum subscribunt a tituli vocabulo abstinent, sed omissa regione ecclesiam solam exprimunt. Antiqui porro diaconi regionarii, cum nomen suum in conciliis apponerent, non servabant ordinem regionum, sed suæ ordinationis, ut patet ex synodo Romana sub Symmacho, cui primus subscripsit *Cyprianus diaconus S. R. E. regionis* 7, secundus *Anastasius regionis* 1, tertius *Citonatus reg.* 5, quartus *Joannes diaconus reg.* 2, quintus *Tarrensis diac. reg.* 1, sextus *Tertullus diaconus reg.* 4. Ubi cum legimus diaconos duos regionis primæ, Anastasium et Tarrensem, id argumento est, unum fuisse regionarium, alium titularem ejusdem regionis. Nam principio septem tantummodo diaconi regionarii erant pro numero septem regionum ecclesiasticarum;

postea vero, nimirum a tempore Honorii II, numerus [xviii] ad xviii accrevit, cui duæ aliæ demum additæ diaconiæ numerum xx constituerunt. In isto diaconorum augmento, alii regionarii dicebantur, numero duodecim; alii palatini, numero sex, regionariis præfecti. Omnes diaconias numero octodecim comprehendit Cencius, pag. 173, quas enumerat Petrus Mallius, hic, pag. 160.

Subdiaconos in tres ordines distinguit vetus libellus a Baronio laudatus, ad annum 1057, in hæc verba: *Subdiaconi sunt omnes numero viginti et unus; septem regionarii, qui epistolas et lectiones cantant in stationibus; septem palatini, qui idem munus præstant in ecclesia Lateranensi; septem alii, qui dicuntur schola cantorum, qui cantant tantummodo quando summus pontifex celebrare consuevit.* Ex primis erat Joannes ille *subdiaconus primæ regionis*, qui e collo Silverii papæ pallium abstulisse perhibetur, et exutum veste monastica induisse, quod Sixtus *subdiaconus regionis sextæ* clero nuntiavit.

Denique erant etiam acolythi regionarii, erant et titulares, de quibus plura dicturi sumus, cum nonnulla præmiserimus de distinctione regionum ecclesiasticarum, quarum notitia ad hunc locum necessaria est.

Explorata est Urbis divisio in septem regiones ecclesiasticas, cum ex Augusti decreto in quatuordecim fuisset distributa; sed longe obscurior est, quæ tamen longe posterior fuit, divisio illa ecclesiastica, utpote modo obsoleta, quam civilis, hactenus retenta. Omnium optime Nardinus situm ac limites cujusque regionis ecclesiasticæ assignavit ex Anastasio, qui montem Aventinum in prima, in secunda viam Mamertinam, basilicam sancti Laurentii super sanctum Clementem in tertia, et Caput Tauri in quinta collocat. Alias designat idem auctor ex conjectura. His adde in regione quarta titulum Vestinæ, ex veteri inscriptione quæ legitur in Romæ subterraneæ, tomo II, seu lib. iv, cap. 25, ubi laudatur *Abundantius acolythus reg. quartæ tt. Vestinæ*, qui titulus sanctorum Gervasii et Protasii, seu sancti Vitalis postea est appellatus.

Ad hunc locum Paulus Aringhus observat acolythorum tria genera Romæ olim fuisse: palatinos, qui pontifici maximo in apostolico palatio ac Lateranensi basilica ins rviebant; stationarios, quorum id potissimum munus erat, eidem pontifici in ecclesiis in quibus stationes de more haberentur ministerium exhibere; regionarios demum, qui diaconis [xix] in titularibus eorumdem regionibus ad sacra obeunda munia sedulo ministrabant, ex quorum numero fuerit Abundantius mox laudatus. Verum duo tantum acolythorum genera primis illis temporibus fuisse ex Ordine Romano primo et tertio manifeste intelligitur, regionarios scilicet ac titulares, quorum illi diaconis regionariis et pontifici, hi presbyteris titularibus serviebant. Palatini erant Lateranenses, stationarii ex regionariis assumpti. Ordo Romanus ab Hittorpio vulgatus *parochianos clericos* vocat, pag. 31. Idem agens de ordinatione eorumdem, pag. 89, singulos *ad titulum* fuisse ordinatos aperte declarat; idemque de subdiaconis, diaconis et presbyteris, pag. 91. Gregorius Magnus, referente Joanne Diacono, in lib. ii Vitæ ejus, cap. 11, *remotis a cubiculo suo sæcularibus, clericos et monachos sibi consiliarios familiaresque delegit, cum quibus Gregorius, diu noctuque versatus, nihil monasticæ perfectionis in palatio, nihil pontificalis institutionis in ecclesia dereliquit.*

Post titulos et diaconias res exigit ut de oratoriis quædam hic observemus. Ea duplicis generis erant: quædam cardinali, alia nulli presbytero addicta. Gregorius Magnus in epistolis suis, ubi de oratoriis dedicandis agit, quinque conditiones passim requirit: nempe ut nullum corpus eo in loco sit humatum; ut dos sufficiens assignetur; ut nullum ibi constituatur baptisterium; nullus etiam presbyter cardinalis, ac proinde nullæ ibidem Missæ publicæ celebrarentur, A quas solis presbyteris cardinalibus celebrare licebat: adeo ut si quando sacra in ejusmodi oratoriis fierent, ab episcopo presbyter deberet impetrari, *quatenus nihil alia a quolibet sacerdote alio ullatenus præsumeretur*, quæ omnia leguntur in lib. ii, epist. 9, ind. 10, et in aliis. Verum quædam oratoria erant in quibus licebat presbyterum habere cardinalem, non qui parochus esset, sed veluti capellanus. Hujus generis erat oratorium illud, quod idem pontifex Passivo episcopo Firmano dedicare permittit in lib. x, epistola 12: *Presbyterum quoque te illic constituere volumus cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri sibi Missas voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia valeat impedire.*

Ejusmodi tituli minores dici possunt, alii majores, quibus scilicet animarum cura annexa erat. In his presbyter unus, aliquando plures, cum aliis ministris; in illis unicus incardinatus erat, [xx] quo nomine Gre- B gorius utitur in lib. i, epistola 81. Anastasium, qui in ordinem redactus est a Leone papa IV in synodo Romana, ob relictam parochiam suam, id est urbis Romæ, presbyterum *cardinis nostri* appellat pontifex in ipsis synodi actis ab Holstenio vulgatis. Sic Gregorius Magnus Petrum acolythum ecclesiæ Romanæ, quem Sabiniano diacono in legatione socium dederat, postea fugitivum communione privat, ex lib. vii, epist. 7, ind. 1.

Hic opportune agendum esset de ecclesiis Urbis, earumque numero, quas ad trecentas et decem numerat Cencius, quem hic consulat qui volet, a pag. 190. Nec prætermittendum id quod ea de re scribit sæculo undecimo Arnoldus ex comite monachus Ratisponensis, ubi de cultu religionis, qui tunc in Urbe vigeret, agens: *in tantum crevit*, inquit, *in divino cultu, ut pro ruinis murorum et veterum fanorum surgant quotidie innumera ædificia ecclesiarum, sive monasteriorum, e quorum incredibili numero, ut audivi a quodam sene, qui se dixit nutritum in eadem ci- C vitate, viginti possidentur a sanctimonialibus, quadraginta a monachis, exceptis iis quæ extra civitatem sunt, et in aliis ecclesiis sive capellis, quæ in eadem urbe abundant.* Verum non tot virorum monasteria, neque tot canonicorum collegia tunc fuisse colligere licet ex Cencii et Petri Mallii enumeratione, qui non ultra viginti duas virorum abbatias numerant. Sæculo ipso undecimo canonicorum cœtus erat in ecclesia Lateranensi. Unde Petrus Damiani *Petro Lateranensis canonicæ archipresbytero* scribens, eum *sancti conventus rectorem* vocat, quod quidem de canonicis regularibus forsan intelligendum. Idem auctor alibi *canonicam sanctæ Cæciliæ* laudat.

Etsi vero apud Lateranum erant eo tempore canonici regulares, hi tamen illius ecclesiæ titulos non ita occupabant, ut alii clerici, imo et monachi ab ejusmodi titulis excluderentur. Quippe Oderisius monachus Casinas a Nicolao II factus est diaconus ecclesiæ Lateranensis, teste Leone Marsicano, atque D Alexander II Todinum itidem Casinatem, Romam accersitum, *in Lateranensi patriarchio levitam constituit*, ex eodem auctore. Alia exempla afferre licet, sed hæc longius nos ferunt.

Antequam tamen ulterius progrediamur, juvat in transcursu ob oculos ponere formam veterum Urbis basilicarum. Pleræque Orienti, [xxi] quædam Occidenti obversæ erant. Navis columnis fulta, aut tabulato picto, aut ipsa tecti fabrica terminata: in qua viri ad Austrum, mulieres ad Septentrionem residebant. Sequebatur schola cantorum, nobis chorus appellatus, cujus peribolum seu septum ex marmore constabat, ad hominis ferme altitudinem. Ambon sive lectorium unum aut alterum adjunctum erat, quatuor aut quinque hinc inde gradus duplices habens pro ascensu et descensu. Ex quo videas, longe disparem fuisse formam ambonum a forma odeorum nostrorum, quorum situs etiam diversus, cum ambones illi plurimum ad Septentrionem positi essent,

odea vero nostra ea parte quæ chorum a navi discriminat. Ambones illi Romani ad eum modum accedebant quem describit Gregorius Turonensis antistes, in lib. de Gloria martyrum, cap. 94, ubi agit de beatissimo Cypriano episcopo Carthaginensi, *in cujus basilica*, inquit, *analogius, in quo libro supra posito cantatur aut legitur, mirabiliter compositus esse refertur. Nam ex uno lapide marmoris totus sculptus asseritur, id est, mensa desuper, ad quam per quatuor gradus ascenditur. Cancelli in circuitu; subter columnæ, quia et pulpitum habet, sub quo octo personæ recipi possunt.* Hæc Gregorius Turonicus antistes, cujus descriptioni consentit Ordo Romanus nono loco a nobis editus, in quo ordinandi sub pogii seu ambonis gradibus constitisse dicuntur num. 2 et 8, dum lectiones legebantur. *Pulpitum, id est, tribunal ecclesiæ*, vocat Cyprianus in epistola ad presbyteros et diaconos ecclesiæ, quæ epistola est 34 in Editione Pameliana, in Oxoniensi 3), ne quid dicam de canone 14 concilii IV Toletani, in cujus canone 39 duplex chorus, primus et secundus, distinguitur, ut apud Romanos.

Post chorum cantorum, sensim assurgebant gradus sanctuarii, quod ab eodem choro dirimebant cancelli. *Rugas* seu *regias* appellabant vel cancellorum aditus seu portas, vel cancellos ipsos, easque acolythi observabant, ut in primo nostro libello legitur, ubi pontificis in secretarium post Missam reditus describitur. De rogis plura inferius in c. 20. Sub ciborio erectum erat altare, sub altari vero confessio, et post altare in coronæ modum dispositum erat presbyterium seu chorus sacerdotum, in quo sedebant episcopi a dextris, a sinistris presbyteri, in capite habentes pontificis thronum, passim ex marmore, cum duobus accubitis, [XXII] tantisper aliis sedibus altiorem, et linteo ornatum. Unde apud Pacianum *linteata sedes*, quod etiam Cypriani ævo jam obtinuisse Pontius innuit. In basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe thronus papæ stabat ex parte mulierum, ita *ut post sedem pontificis mulieres, ad sacra Missarum solemnia stantes, prope assistere juxta pontificem viderentur*. Sed eam in superiori loco Paschalis primus pro more collocavit, teste Anastasio. Infra presbyterii cancellos senatorium erat in parte australi, cancellis proximior, ubi senatores et principes consistebant, ex adversa parte matronæ.

Presbyterium itaque situm erat sub apside, quæ fornice et musivis picturis solebat esse instructa, ex qua pendebant ad ornatum calices, coronæ, et alia id genus. Altare ornabat ciborium, quatuor columnis innixum, quod *propitiatorium* Anastasius quandoque videtur appellare. *Umbraculum altaris* vocat Ordo Romanus vulgatus, pag. 122. Sub ciborio posita confessio, qui locus est in quo sanctorum reliquiæ et corpora servabantur. Vela ad portas basilicæ, itemque ad altare quadruplicia, quæ Anastasio *tetravila* dicuntur.

Secretarium, vulgo sacristiam, in inferiori parte navis ad austrum collocabant, scilicet ex parte virorum. Unde in veteri basilica Vaticana et in Lateranensi secretaria erant ad sinistram ingredientium in easdem basilicas, quia basilicæ ipsæ orienti obversæ, austrum habebant ad sinistram. Contra vero vetus sacrarium diaconiæ sanctæ Mariæ Cosmedinæ stabat ad dexteram ingredientium, propterea quod auster ejusdem ecclesiæ ingredientibus dexter erat. In illis porro secretariis oratorium etiam habebatur, ut in Lateranensi sancti Thomæ, in Vaticana sancti Gregorii, quod oratorium nunc sanctæ Mariæ de Febre appellatur; sed neutrum modo pro secretario est. In his secretariis Romani pontifices sacra facturi vestes quibus in sacrificio uterentur induebant, et inde ad altare solemni ritu procedebant. Ibidem concilia celebrari mos erat, aliquando in sanctuariis seu presbyteriis; quæ nonnunquam etiam secretaria vocantur. Huc spectat canon 15 concilii secundi Arelatensis, *ut in secretario diacono inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi præsente presbytero tradere non præsumat.* Cæterum secretaria illa ex imitatione antiquorum Romanorum, uti et pleraque alia, accepta fuisse ex eo intelligitur, quod vetus sanctæ Martinæ basilica [XXIII] senatus Romani secretarium fuisse testatur vetus inscriptio, ejus apsidi insculpta in hunc modum: *Salvis dominis nostris, Honorio et Theodosio, victoriosissimis principibus, secretarium amplissimi senatus, quod vir illustris instituerat, et fatalis ignis absumpsit, Flavius Annius Eularius Epifanius V. C. præfect. Urbi vice sacra iud. reparavit, et ad pristinam faciem reduxit.* Sic etiam ex imitatione ethnicorum, qui templorum muros et concamerationem pingere solebant, teste Plinio in lib. XXXV, cap. 3, nostri etiam apsidas et parietes basilicarum picturis exornari curarunt. De basilica sancti Hippolyti lege Prudentii hymnum 11, de coronis.

* [XXVII] IV. *De clero Romano, et de prisco ritu celebrandi officia divina in ecclesia Romana.*

Primis novem Ecclesiæ sæculis rara in Urbe, et forte nulla, præterquam in basilica Vaticana, clericorum collegia erant. In titulis, ut superius vidimus, unus aut duo tresve presbyteri cum pari fere numero sacrorum ministrorum rem divinam agebant. In patriarchalibus adhibebantur mansionarii seu custodes ecclesiarum, ad eas ornandas, emundandas, aliaque præstanda quæ necessaria erant; cætera quæ divini cultus erant aliarum basilicarum titulares a pontifice designati obire solebant. Basilicæ sancti Petri sæculo nono *ministri*, id est clerici, jam addicti erant, quos Amalarius se interrogasse dicit in præfatione altera ad libros de ecclesiasticis officiis, *quot Orationes soliti essent celebrare ante epistolam Missæ per dies festos.*

Neque tamen putes officia divina per id tempus in Ecclesia Romana defuisse. Et quidem quotidiana fuisse celebrata intelligimus ex cap. 13 regulæ sancti Benedicti, qui in privatis seu ferialis diebus ad Matutinos, id est ad Laudes, assignat *canticum unumquodque die suo ex prophetis, sicut psallit Ecclesia Romana.* Et vulgatus Anastasius ait Gregorium tertium in ecclesia sancti Chrysogoni constituisse *abbatem et monachorum congregationem ad persolvendas Deo laudes in eodem titulo diurnis atque nocturnis temporibus, ordinatam secundum instar officiorum Ecclesiæ beati Petri apostoli;* additque prædictum abbatem cum sua congregatione [XXVIII] fuisse *segregatum* seu exemptum *a jure potestatis presbyteri prædicti tituli.*

Prævisse Lateranensi basilicæ exemplum Ecclesiæ Vaticanæ, colligitur ex ejusdem auctoris verbis subsequentibus, ubi idem pontifex renovasse memoratur *monasterium sanctorum Joannis evangelistæ, Joannis Baptistæ, et sancti Pancratii, secus ecclesiam Salvatoris antiquitus institutum, quod ab omni ordine monachico exstiterat nimia incuria destitutum; in quo congregationem monachorum et abbatem constituit ad persolvenda quotidie sacra officia laudis divinæ in basilica Salvatoris, quæ Constantiniana nuncupatur, juxta Lateranis, diurnis nocturnisque temporibus ordinata juxta instar Ecclesiæ beati Petri apostoli.* Deservierant igitur tunc temporis eo in loco nostri ordinis monachi, quos, everso per Longobardos Casinensi monasterio, Pelagius papa Laterani constituerat, cujus loci abbas erat Valentinianus tum, cum Gregorius Magnus librum secundum Dialogorum scribere meditaretur. Is enim quædam de sancto Benedicto se dicit accepisse a Valentiniano, *qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit.* Tertius post eum Lateranensis monasterii congregationem rexit Theodorus, cujus mentionem facit Faustus monachus in præfatione ad libellum de vita sancti Mauri abbatis. Aliud erat monasterium Honorii, basilicæ Lateranensi adjunctum, quod Adrianus I pari modo instauravit.

Redeo ad basilicam sancti Petri, in qua monachi

* Paginæ XXIV, XXV et XXVI exhibent rude specimen basilicæ sancti Clementis in regione Cælimontana prope amphitheatrum. Quod specimen, a scopo nostro prorsus alienum, consulto omisimus. EDIT.

quatuor monasteriorum divina officia persolvebant. Hæc erant monasteria sancti Martini, ac sancti Stephani minoris a dextro basilicæ latere; sancti Stephani majoris, atque sanctorum Joannis et Pauli a sinistro. Monasterium sancti Stephani majoris alio nomine *Catafarfara* seu *Catagalla patricia* dicebatur, sancti Stephani minoris *Catabarbara patricia*. De tribus ex his monasteriis Gregorius tertius constitutum edidisse memoratur apud vulgatum Anastasium, qui unum ex illis, nempe sanctorum Joannis et Pauli, a Leone Magno conditum fuisse testatur.

Basilica sancti Pauli, quæ tertia patriarchalis est, tempore Gregorii Magni per præpositos regebatur; quod patet ex lib. x, epist. 9, sed a Gregorio secundo monachis concessa, aut potius restituta est. *Hic enim monasteria quæ secus basilicam* [XXIX] *sancti Pauli erant ad solitudinem deducta, innovavit, atque ordinatis servis Dei monachis congregationem post longum tempus constituit, ut ibidem die noctuque Deo redderent laudes.* Idem præstitum ab eodem pontifice in basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe, ubi ex gerontocomio monasterium instituit; idem ab aliis pontificibus institutum in basilica sancti Laurentii extra muros. Exstat in tabula marmorea in basilica sanctæ Mariæ ad Præsepe vetus inscriptio, tempore Gregorii IV marmori incisa, compendio referens donationem ejdem basilicæ factam a Flavia filia Xanthippi, quondam Egisti imperialis a secretis, in gratiam mansionariorum qui in eadem ecclesia tunc degebant. Subscribunt inter alios *Theodorus adorator numeri Theodosiæ*, *Gregorius Optius numeri militum*, *Epiphanius aurifex*, *Theodorus acolythus S. R. E.* Tempus factæ donationis a breviatore omissum est. In his subscriptionibus *numerus* pro legione sumitur, atque adeo *Adorator* forte idem erit ac tribunus sive comes, quæ conjectura est illustriss. Ciampini et Fabretti, quibuscum hanc inscriptionem eruditus atque optimus Pater Thomasius, priusquam eam ad nos transmitteret, communicavit. Itaque illam basilicam Liberianam mansionarii curabant; sed vicini monachi, ut in cæteris aliis patriarchalibus ecclesiis, divinas laudes noctu et interdiu persolvebant.

Quod attinet ad Missas, iis celebrandis ibidem adhibebantur in Lateranensi quidem basilica septem episcopi suffraganei Romani pontificis; in aliis vero presbyteri hebdomadarii ex titulis asciti. Hunc morem esse antiquum manifestum est ex gestis Stephani papæ IV, qui statuit *ut omni die Dominico a septem episcopis cardinalibus hebdomadariis, qui in ecclesia Salvatoris observant Missarum solemnia, super altare beati Petri celebraretur, et* Gloria in excelsis Deo *diceretur.* Jam ergo tunc usus invaluerat, ut septem illi episcopi cardinales, sua quisque hebdomada, in Lateranensi ecclesia sacris operarentur. Hanc ob prærogativam Petrus Damiani maxime extollit Lateranensem ecclesiam, quæ *sicut Salvatoris est insignita vocabulo, qui nimirum omnium caput est electorum, ita mater et quidam apex et vertex est omnium per orbem ecclesiarum. Hæc septem cardinales habet episcopos, quibus solis, post apostolicum, sacrosanctum illud altare licet accedere, ac divini cultus mysteria celebrare.* Ita Petrus, in lib. II, [XXX] epistola 1, quæ *sanctis episcopis Lateranensis ecclesiæ cardinalibus* inscripta est. Hi episcopi erant Ostiensis, Portuensis, sanctarum Rufinæ et Secundæ, alias Silvæ Candidæ, Sabinensis, Prænestinus, Tusculanus, et Albanus. Quinam presbyteri ex titulis urbanis ministrarent aliis patriarchalibus ecclesiis, docet appendix nostra ad Ordinem Romanum 11, infra pag. 160.

Præterea certis diebus festis clerus Romanus conveniebat cum pontifice in illas basilicas, ubi stationes indictæ erant, ibique sacra faciebant, imo aliquando vigilias nocturnas pro festorum celebritate agebant. Quin etiam in pervigilio Paschæ ecclesiæ suburbanæ in illis conventibus se sistebant: cujus rei argumento est appendix nostra ad primum libellum de Ordine Romano, pag. 34 et 35. In cæteris festis et Dominicis diebus Vesperas in suis titulis celebrabant presbyteri titulares cum acolythis regionum, ut in eadem appendice legitur, de hebdomada paschali, pag. 38. Item Missam publicam iisdem diebus cum sua plebe celebrabant iidem presbyteri; nec propterea opus erat clericorum collegio aut schola cantorum, sed diaconi ac subdiaconi ministerium sufficiebat, qui præter epistolam et evangelium, cætera facile explere poterant, omissis forte Antiphona ad Introitum, Offertorio, et Antiphona ad communionem.

Quodnam fuerit ante sæculum nonum Romanæ Ecclesiæ officium nocturnum ac diurnum, ex Amalarii Antiphonario intelligitur. Numerum lectionum in vigiliis assignat liber Diurnus in cautione episcopi. Ea autem erat per id tempus Romanorum religio, ut si quando tempus vigiliarum ex incuria fuisset elapsum, omisso aut breviato nocturnali officio, Laudes ad auroram inciperent. Habemus hac de re testem luculentum Amalarium, in Antiphonarii cap. 4, ubi hanc consuetudinem magnopere laudat. *Ipsa enim* Romana Ecclesia *quotocunque ordine vel numero lectionum viderit matutam*, id est auroram, *procedere, ut audivi, dimittit nocturnale officium, et incipit matutinale. Periculosum est enim transgredi terminos Patrum*, etc. Eadem religione ductus sanctus Pater Benedictus statuit in regulæ suæ cap. 11, ut si forte aliquando fratres *tardius* surrexerint, quod maxime cavendum ait, aliquid de lectionibus aut responsoriis detrahatur, ut scilicet Matutini seu Laudes, quæ ineunte aurora canendæ sunt, debito tempore [XXXI] compleantur. Optandum esset ut hæc religio postliminio restitueretur in Italiæ plerisque Ecclesiis, ubi nocturnæ vigiliæ, lucente adhuc sole diei præcedentis, non tam canuntur quam recitantur.

Quod diximus de more Urbis, ut episcopi cardinales et presbyteri titulorum certis hebdomadis ad patriarchiales ecclesias venirent ad sacra celebranda, non caruit etiam exemplo in Ecclesiis Gallicanis. Id enim in Virdunensi usu venit sæculo septimo, uti ex Pauli episcopi Actis discimus, qui ordinavit ut forenses presbyteri per certas vices ad cathedralem ecclesiam accederent, officia divina persoluturi. Sed præclarum est in primis exemplum Ecclesiæ Antissiodorensis, in qua ex institutione Tetrici antistitis, qui ineunte octavo sæculo devixit, abbates, archipresbyteri, imo et rectores ecclesiarum ruralium, per suas quique vices *divinum persolvebant officium*, ea lege, ut ex *dominico cellario ab ecclesiæ œconomo stipendium sufficiens acciperent.* Hæc ipsa verba refero ex Actis ejusdem Ecclesiæ episcoporum, in quibus Actis qua quique singulorum mensium hebdomada deservire debeant diserte explicatur. Quæ pro mense Septembri desunt apud Labbeum, supplenda sunt ex sæculi quarti Benedictini part. II, pag. 575. Similes aliarum Ecclesiarum ritus omittimus.

V. *De collectis et stationibus, deque litaniis Romanis.*

Stationis vox ambigua aliquando pro jejunio voluntario, quandoque pro statu orantium usurpatur. In utroque significatu occurrit passim apud Tertullianum aliosque auctores. Hoc loco sumitur pro concursu populi ad locum indictum, id est ad ecclesiam, in qua Processio clericorum consistit statis diebus, ad statas preces faciendas. Antiquus quippe in Urbe ritus est ut certis diebus clerus Romanus in unam aliquam ecclesiam conveniat supplicationis causa, ubi sacra fiunt, aliaque divina officia.

Cleri Romani Processio in illas stationes duplex est, solemnis aut privata. Hæc fit cum unusquisque privatim in locum indictum se recipit; solemnis vero cum solemni more, decantando litanias aliasque preces, pontifex aliique omnes eo sese recipiunt. Processiones solemnes præcedit Collecta, id est coadunatio clericorum in una ecclesia, ut ex ea, quasi [XXXII] agmine facto, in locum stationis procedatur; sic dicta, quod in eo loco clerus cum populo colliga-

tur ad faciendam Processionem solemnem. Et quia in loco ubi fit collecta Oratio super populum funditur ante Processionem; inde fit quod ejusmodi Orationes etiam Collectæ appellantur, quoniam *super Collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una ecclesia in aliam ad stationem faciendam*, ut loquitur Micrologus, in cap. 3. Sic *in capite jejunii illa Oratio, Concede quæsumus apud sanctam Anastasiam super Collectam populi dicitur, qui stationem apud sanctam Sabinam celebraturus est.* Sed ejusmodi Collectæ fiebant præcipue in Quadragesima, et in singulis triduis quatuor temporum, propterea quod illis diebus solemnis Processio celebrabatur; at quia forte privata erat aliis temporibus Processio, nullæ Collectæ assignantur in veteri indice Collectarum et stationum, quem inferius suo loco exhibebimus. De Collectis quæ sæculo duodecimo in usu erant ita scribit Benedictus canonicus sancti Petri : *Collecta fit secunda feria, quarta et sexta, et Sabbato per totam Quadragesimam, et in quatuor temporibus totius anni, et in quinta feria ad sanctam Mariam trans Tiberim, et ad sanctam Apollinarem.*

Gregorius Magnus stationes, antea vagas vel certis ecclesiis scripto non addictas, in suo Sacramentario constituit, *ordinavitque per basilicas vel beatorum martyrum cœmeteria*, testante Joanne Diacono, in ejus Vitæ lib. III, cap. 18. Primitus vero stationes illæ institutæ fuerant vel ob sanctorum natalitia, vel ob dies publicæ Processionis, sive Missæ sacratiori tempore celebrandæ. Stationes ob sanctorum natalitia fiebant in eorum memoriis vel in cœmeteriis, id est in ecclesiis super eorum tumulos constructis, quæ ob id cœmeteria quandoque appellantur. Hinc cum notissimæ essent sanctorum festivitates et memoriæ, non erat necessarium harum stationum diem et locum assignare in Sacramentariis in quibus quæcunque propriæ sanctorum Missæ habebantur, publicas olim stationes exigebant. At vero stationes aliorum dierum, puta Quadragesimæ, quatuor temporum, Adventus, Natalis Domini, Paschatis et similium, cum incertæ essent, eas designari oportebat, ne qua oriretur dubitatio ad quamnam ecclesiam esset procedendum ad publicam stationem. Unde Gregorius eas certis diebus in suo Sacramentario addixit, ut a cunctis cognosci [XXXIII] possent. Eas porro constituit passim in basilicis præcipuis, scilicet patriarchalibus et titulis; aliquando tamen in diaconiis et in oratoriis, ut in oratorio sancti Pancratii, in qua idem sanctus pontifex homiliam habuit. Gregorius secundus supplevit vacantes aliquot Quadragesimæ dies, nempe in feriis quintis; quas stationes, ne repeterentur in titulis, in aliis ecclesiis statuit. Hoc est quod significare voluit scriptor libri de Gestis pontificum his verbis : *Hic Quadragesimali tempore ut in quinta feria jejunium*, id est statio, *atque Missarum celebritas fieret, in ecclesiis (quod non agebatur) instituit.* Attamen singulas Quadragesimæ ferias quintas ante Gregorium II festivas fuisse instar Dominicæ Micrologus auctor est in cap. 50.

Etsi autem fixæ ac ratæ essent in Sacramentario stationes, eas tamen populo denuntiari mos erat. Id fiebat ab archidiacono in publica Missa præcedente. Postquam enim pontifex communicaverat, veniebat *archidiaconus cum calice ad cornu altaris, et annunciabat stationem*; quæ verba leguntur in primo libello Ordinis Romani, num. 19. Non dubium quin etiam denuntiaretur Collecta, ubi res exigebat. Aliquando tamen notarius id muneris præstabat loco archidiaconi; cujus rei insigne est exemplum in Actis Leonis tertii, qui *cum die quadam more solito in litaniis quæ ab omnibus majores appellantur procederet, ubi sibi populus obviam occurrere deberet, et secundum annuam consuetudinem litanias et Missarum solemnia cum sacerdotibus celebraret, et secundum antiquam traditionem a notario S. R. E. in ecclesia beati Georgii martyris in ejus natali ipsa litania prædicata fuisset, omnes, tam viri, quamque feminæ, devota mente catervatim in ecclesia beati Christi martyris Laurentii, quæ Lucinæ nuncupatur, ubi et Collecta prædicta inerat, occurrerunt.* Collecta itaque etiam in litaniis majoribus fiebat, tametsi nulla huic tempori in nostro indice assignatur. Pergit liber Pontificum narrare de Leone tertio, qui cum *a patriarchio egressus fuisset, obviam illi sine planeta iniquus, nec dicendus paschalis primicerius occurrit, et in hypocrisi veniam ab illo petebat, dicens, quia infirmus sum, et ideo sine planeta veni.* Ex quo intelligitur ministros sacros planetis ornatos in illis Collectis pontifici occurrisse.

Ad locum stationum deferebantur ex patriarchio Lateranensi vasa sacra, præeunte cruce stationali pontificem in sella gestatoria eo portari mos erat. Aliquando tamen equo vehebatur. [XXXIV] Leo IV instauravit *crucem auream*, quæ (*ut mos antiquitus est*, ait Anastasius) *subdiaconi manibus ferebatur, prædecessorum pontificum.* Presbyteria etiam, id est erogationes, fiebant, tum ob ministrorum obsequia, tum ob laudes et acclamationes. Imo pontifex quandoque in ipso itinere causas finiebat, aut certe ad ejus nutum nomenclator et sacellarius, ut in primo Ordine Romano, num. 2. Cætera explicant libelli nostri, in quibus videas quænam fuerint olim apud Lateranum, quænam ad sanctum Petrum stationes.

Cæterum ejusmodi Processiones non raro litaniæ appellantur apud antiquos auctores. Inter primos numerandus est Arcadius Augustus, qui in rescripto adversos hæreticos, dato ad Clearchum Urbis præfectum, *interdicit iis omnibus ad litaniam faciendam intra civitatem, noctu vel interdiu, profanis coire conventibus.* Ubi litania pro supplicatione, seu Processione, videtur usurpari. Quanquam temporis processu preces et rogationes quæ in ejusmodi supplicationibus fiunt litaniæ vocabulo magis proprie significari mos fuit, sed maxime sanctorum invocationes. Apposite Walafridus Strabo, in cap. 28 : *Notandum autem litanias non tantum dici illam recitationem nominum qua sancti in adjutorium vocantur infirmitatis humanæ, sed etiam cuncta quæ in supplicationibus fiunt rogationes appellari.* Principio tamen litaniæ nomine significabatur solummodo initium nostrarum litaniarum, ita ut *Kyrie eleison* pluries frequentaretur, quo sensu accipitur non semel in regula sancti Benedicti. Eodem sensu usurpatum legitur in vetusto Rituali Romanæ Ecclesiæ, quod nobis exhibet Codex Casinensis, ubi de Assumptione beatissimæ Virginis supplicatio præscribitur cum ter centena repetitione litaniæ nostræ initialis. Verba ipsa huc ascribo. *In Assumptione sanctæ Mariæ, in ipsa vespera vigiliarum, præparatur quoddam portatorium in sancto Laurentio apud Lateranos, suppositaque tabula, imagine Christi Domini nostri insignita, a medio noctis concurrente populo, exeunt cum litania ad sanctam Mariam Minorem, mundatis per viam plateis, et suspensis per domos lucernis; ibique in gradibus sanctæ Mariæ deposita aliquandiu icona, omnis chorus virorum ac mulierum, genibus humiliter ante eam flexis, pugnis etiam pectora cædentes, una voce per numerum dicunt centies* Kyrie eleison, *centies* Christe eleison, [XXXV] *item centies* Kyrie eleison; *fusisque lacrymis et precibus, per sanctum Adrianum recta via vadunt ad sanctam Mariam Majorem; auditaque Missarum celebritate, ad palatium revertuntur. Unde quidam cum interesset, ita mirando prorupit :*

Sancta Maria, quid est? si cœli climata scandis,
Esto benigna tuis.

Et post aliquot versus, tempus scripti carminis indicatur his versibus :

Tertius Otto tuæ nixus solamine palmæ
Præstoque sit veniæ.
Hic tibi, si quid habet, devoto pectore præstat,
Spargere non dubitat.
Gaudeat omnis homo, quia regnat tertius Otto.

Hactenus Codex ille Casinensis.

Cæterum in basilica Lateranensi sunt tantum sta-

tiones octo, quarum duæ antiquissimæ, nempe Dominica prima Quadregesimæ, et Dominica in albis; feria tertia ante Ascensionem recentior. In basilica sancti Petri stationes viginti, pleræque antiquissimæ; in basilica sancti Pauli extra muros stationes quinque: in basilica sanctæ Mariæ Majoris duodecim; in basilica sancti Laurentii extramurana tres. Sed has aliasque aliarum ecclesiarum stationes veteres inferius exhibebit libellus singularis. Onufrius, in Historia basilicæ Vaticanæ enumerat quadraginta quatuor ecclesias in quibus hodie stationes fiunt; stationes autem octoginta septem, diebus octoginta tribus. De his hactenus; nunc ad majora veniamus.

VI. *Singulares ritus Missæ pontificalis secundum Ordinem Romanum; et primo ab initio ad Canonem.*

Prætermissis communibus sacrosancti Missæ sacrificii cæremoniis, utpote quæ ab expositoribus, præsertim a piæ memoriæ cardinale Joanne Bona illustratæ sunt, singulares duntaxat hoc loco persequemur Missæ pontificiæ aut episcopalis ex Romano Ordine ritus, ne actum agere videamur. Sic autem hoc argumentum tractabimus, ut si quid nobis occurrat ad singularia hæc illustranda, breviter afferamus, sin minus, rem uti est indicare nobis satis fuerit.

1. Insigne est in primis venerandæ antiquitatis momentum, [xxxvi] quod in primo nostro Romani Ordinis libello occurrit, num. 8, in Processione pontificis ad altare, nempe quod *duo acolythi tenentes capsas cum Sanctis apertas, et subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta pontifici, vel diacono qui præcesserit*, id est et diacono. *Tunc inclinato capite pontifex vel diaconus salutat Sancta, et contemplatur, ut si fuerit superabundans, præcipiat ut ponatur in conditorio.* Quid sint hæc *Sancta*, nemo hactenus, ni fallor, exposuit. Attendat velim lector, an ea quæ allaturi sumus probent hoc vocabulo Eucharistiam significari.

- Principio, ubicunque hoc nomen *Sancta* in plurali solitarie occurrit, maxime in his libris, aut semper, aut fere semper Eucharistiam significat, exemplo Græcorum, qui τὰ Ἅγια appellant; et Tertullianus *Sanctum* absolute appellat tum in libro de Oratione, tum in alio de Præscriptione. Idem Ordo Romanus, num. 17: *Cum dixerit* Pax Domini sit semper vobiscum, *faciens crucem tribus arcibus manu sua super calicem, mittit Sancta in eum.* Hunc locum de Eucharistia intelligendum nullus dubitaverit. Mihi vero nihil aliud esse videtur quam particula consecrata ex illis *Sanctis* quæ pontifici ad altare procedenti in capsa ostensa sunt, quæ et cum diacono adoravit. Neque enim particula hæc in calicem sic immissa facile explicari potest de parte Hostiæ in ea Missa quæ tunc peragitur consecratæ, siquidem proxime post superiora subditur pontificem *rumpere oblatam, et de ipsa Sancta, quam momorderit ponere in manus archidiaconi. dicendo in calice*, Fiat commistio, etc. Duplex itaque particula mittebatur in calicem, una scilicet ante oblatæ fractionem, alia post fractionem, ex ipsa Oblata; adeoque prima nihil aliud esse videtur quam particula ex antea consecrata Eucharistia, quam pontifex ad altare procedens adoraverat, in capsa ostensam; ex qua partem quæ *superabundans* fuisset præceperat reponi *in conditorio*, id est in eo loco ubi Eucharistia soleret asservari. In secundo libello duplex etiam particulæ sacræ in calice commistio præscribitur, sed utraque ex præsente sacrificio: contra quam in primo libello, ubi prima commistio, meo quidem judicio, fit ex præcedente, altera ex præsente. Et ne quis dubitet duplicem particulam missam fuisse in calicem, id diserte notavit Amalarius, qui, relato hoc ritu, ita commentatur [xxxvii] in lib. III, cap. 31. *Si hoc ita agitur in Romana Ecclesia, ab illis potest addisci quid significet* bis positus panis in calicem. *Non enim vacat a mysterio quidquid in officio agitur juxta constitutionem Patrum.*

Constat itaque duplicem Eucharistiæ particulam fuisse immissam in calicem, unam ex priori (ut quidem opinor) consecratione, alteram ex præsente. Cur autem particula ex Eucharistia asservata immissa fuerit in calicem? fortasse ut sacrificii unitas et perpetuitas hoc ritu inculcaretur. Id enim colligi potest ex alio persimili ritu, qui in eodem primo libello nostro subsequitur, num. 21, ubi contigerit, pontifice absente, Missam in loco in quo statio fuerit ab episcopo celebrari. *Sexto loco quando dici debet* Pax Domini sit semper vobiscum, *deportatur a subdiacono oblationario particula fermenti quod ab apostolico consecratum est, et datur archidiacono; ille vero porrigit episcopo. At ille consignando tribus vicibus, et dicendo* Pax Domini sit semper vobiscum, *mittit in calicem.* Hic locus insignis est ad probandum id quod alias diximus, fermentum illud, de quo agit Innocentius primus in epistola ad Decentium, esse ipsammet Eucharistiam consecratam, non eulogias seu panem benedictum; deinde ex hoc ritu Missæ episcopalis, absente pontifice celebratæ, illustrari similem ritum Missæ pontificalis, in qua particulam Eucharistiæ antea consecratæ deferri ad altare, et postea immitti in calicem modo observabamus; denique hoc ritu sacrificii unitatem commendari, atque unionem pontificis cum sacerdote qui *Sancta* prius consecrasset, et episcopi cum pontifice fermenti, id est Eucharistiæ, particulam a pontifice antea consecratam in calicem immittentis.

Ex his non obscure conficimus *Sancta* hæc quæ pontifici ad altare procedenti præferebantur Eucharistiam fuisse. Consimilis ritus in Parasceve observabatur sæculo XIV, teste Jacobo Gaietano in Ordinarii sui cap. 92, ubi cum descripsit Processionem papæ cum suo clero ab Ecclesia Lateranensi ad basilicam sanctæ Crucis cum corpore Domini, hæc subdit: *Presbyter, qui portat corpus Domini, ponat illud in secretario, dum dominus papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante papam in Processione ad altare.* Hinc illustrari et confirmari possunt ea quæ hac de re superius diximus.

[xxxviii] 2. De fermento per titulos Dominicis diebus singulis mittendo ita scribit Innocentius primus in epistola 29 ad Decentium: *De fermento vero, quod die Dominica per titulos mittimus, superflue nos consulere voluisti, cum omnes ecclesiæ nostræ intra civitatem sint constitutæ: quarum presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se a nostra communione, maxime illa die, non judicent separatos.* Unde videas fermentum illud fuisse communionis ecclesiasticæ Symbolum, uti mox dicebamus. Addit pontifex: *Quod per parochias fieri debere non puto, quia non longe portanda sunt sacramenta, nec nos per cœmeteria diversa constitutis presbyteris destinamus*, cum *presbyteri eorum conficiendorum jus habeant atque licentiam.* Mittebatur itaque fermentum illud singulis Dominicis per titulos, id est per titulares Urbis ecclesias; non vero per parochias, seu per ecclesias suburbanas; neque per cœmeteria, seu per ecclesias super martyrum tumulis erectas. Innocentii decretum præcessisse fertur Miltiadis constitutio, *ut oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu episcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum.* Similis Siricii papæ circumfertur constitutio, ut nullus presbyter Missas celebraret per omnem *hebdomadam* seu Dominicam, *nisi consecratum episcopi loci designati susciperet declaratum, quod nominatur fermentum.*

Hoc porro fermentum nihil aliud esse quam Eucharistiam, jam superius observavimus, constatque ex vetustissimo Codice Ratisponensi, in quo habentur glossæ super decretales pontificum epistolas, cujus Codicis hæc verba sunt, in itinere nostro Germanico jam relata. *De fermento quod dicit, mos est Romanis, ut de Missa quæ cantatur in Cœna Domini, et in Sabbato sancto, et in die sancto Paschæ, et in Pentecosten, et in Natali Domini, de Sancta* (sic legendum, non *die sancto*) *per totum annum servetur; et ubicunque*

per stationes, si ipse papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa (forte *Sancta*) *mittitur in calicem, cum dicitur*, Pax Domini sit semper vobiscum. *Et hoc dicitur fermentum.* Hinc illustrantur ea quæ superius notavimus, tum de fermento sumpto pro Eucharistia, itidemque de *Sancta*; tum de asservata Eucharistia ex priori sacrificio ad immittendam particulam consecratam in Missis [XXXIX] subsequentibus : tum denique de ritu usitato in Missa episcopali, ubi statio fuisset absente pontifice. Ejusdem glossæ verba proxime addita subjungo : *Tamen Sabbato sancto Paschæ nullus presbyter per ecclesias baptismales neminem communicat, antequam mittatur ei de ipsa sancta, quam obtulit dominus papa.* Verum non tantum Sabbato sancto, sed etiam qualibet Dominica id fiebat, ut ex præmisso Innocentii testimonio intelligimus. Secus fiebat in cœmeteriis, id est in ecclesiis super tumulos martyrum erectis, in quibus, non exspectato pontificis fermento, presbyteris sacra licebat celebrare, quemadmodum in parochiis, id est in ecclesiis suburbanis.

Consimilis ritus servabatur in ordinatione episcoporum et presbyterorum, ut postea videbimus, quibus ab ordinatore porrigebatur integra oblata consecrata, ex qua communicabant in certos a sua ordinatione dies, immittendo scilicet particulam ex accepta prius oblata in calicem a se consecratum, ut sic suam cum suo ordinatore communionem atque sacrificii unitatem protestarentur, quæ duplex ratio erat pontifici mittendi Eucharistiam ad titulos Urbis singulis Dominicis per acolythos. Tertiam afferre licet ex Innocentii verbis mox relatis, ut scilicet potestas fieret presbyteris titularibus Missam celebrandi, secus quam presbyteris parochiarum seu ecclesiarum suburbanarum, atque cœmeteriorum, quod *presbyteri eorum conficiendorum jus haberent atque licentiam.*

Cur autem, inquies, per acolythos deferebatur fermentum, si ipsa Eucharistia erat, et non per majores ministros? aut cur tandem Eucharistia *fermenti* nomine donata est? an quia panis ex quo conficiebatur fermentatus erat?

Ad primum, acolythorum id officium erat, ut sacculos ad confringendas in Missa oblatas consecratas portarent, easque sacerdotibus confracturis exhiberent, uti patet ex libellis Ordinis Romani. Quapropter in sua ordinatione sacculos ab episcopo antiquitus accipiebant in signum hujus muneris et officii. Id probat libellus octavus hic editus de Ordinationibus sacris. Unde acolythi duo in Missa pontificali, cum pontifex procedebat ad altare, deferebant *capsas cum Sanctis*, id est Eucharistia, easque tenebant *apertas*, dum pontifex *Sancta* adorasset, atque ex eis particulam assumi jussisset in unum sacrificii quod mox ab ipso celebrandum erat. Huc forte spectat id quod in Propyleo ad tomum I Aprilis, Bollandiani [XL] legitur de Zephyrino papa, cujus fuit hoc constitutum, *ut patenas vitreas ante sacerdotes in ecclesia ministri portarent, dum episcopus Missam celebraret.* Sane Tharsicius martyr ex illorum acolythorum numero erat : *qui cum quodam die deferret Christi corporis sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tam diu est fustibus ac lapidibus maceratus ab eis, quousque exhalaret spiritum*, testante Usuardo ad XVIII Kal. Septembris.

Jam vero quam ob causam fermenti nomen Eucharistiæ hoc in loco impositum sit, an quia ex pane fermentato confecta esset, an potius ob mysticam aliquam rationem, non est facile definire. Illud certum videtur, hac in sola occasione fermenti vocabulum Eucharistiæ in tota antiquitate tributum. Erat ergo præcipua et singularis in ipso facto hujus appellationis causa. Quid si ad tegendum profanis rei sacræ arcanum pro more illorum temporum? Quid si ad designandam communionem ac vinculum unitatis hoc vocabulum aptius visum est? Nam Eucharistia in ejusmodi occasione hujus rei gratia ad titulos mittebatur, ex dictis, ne presbyteri titulares, qui diebus Dominicis propter plebem sibi creditam una cum pontifice convenire non poterant, *ab ejus communione separati* viderentur. In hujus rei signum nulla vox convenientior afferri poterat quam *fermenti*. Sicut enim modicum fermentum, ut recte monet apud illustrissimum Ciampinum Josephus Thomasius, totam farinæ cui injicitur massam fermentat, sic unicum illud divinumque pontificis fermentum, per titulos missum, veluti unam massam et corpus fideles unius urbis copulabat. Nihil ergo facit hic locus ad probandum panis fermentati usum in Ecclesia latina. Sive enim azymus fuerit panis ille, sive fermentatus, Eucharistia fermenti vocabulo designata est, non a materia ex qua constaret, sed a causa morali ac mystica, quod idem prestaret in corpore Christi mystico, quod præstat fermentum in pane materiali.

Cæterum hunc morem transmittendi fermentum seu Eucharistiam per titulos Urbis ante sæculum nonum in desuetudinem abiisse, colligimus ex libellis Ordinis Romani, in quibus nulla istius missitationis memoria superest, sicut neque apud Alcuinum aliosque Ordinis Romani commentatores.

Ex his conjicere licet recentiorem morem Eucharistiam præferendi pontifici, cum aliquo proficisciur, forsitan manasse [XLI] non solum ex communi primorum Christianorum more, qui peregrinantes Eucharistiam secum gestare solebant, sed etiam ex veteri consuetudine deferendi sacrosancta mysteria ante pontificem, cum ad Missarum solemnia celebranda ad altare procederet; qui tamen ritus in primo tantum Romani Ordinis libello præscribitur, non in aliis. Nam secundus libellus præcipit ut pontifex, cum pervenerit ad altare, *primo adoret Sancta*, quæ proinde ibidem antea exstitisse necesse est.

3. Gregorius Magnus initio Sacramentarii sui ita Missæ ordinem explicat paucis. *In primis ad Introitum Antiphona, qualis fuerit statutis temporibus, sive diebus festis, seu quotidianis, deinde* Kyrie eleison. *Item dicitur* Gloria in excelsis Deo, *si episcopus fuerit, tantummodo die Dominico, sive diebus festis; a presbyteris autem minime dicitur, nisi solum in Pascha. Quando vero litania agitur, neque* Gloria in excelsis Deo, *neque* Alleluia *canitur. Postmodum dicitur Oratio. Deinde sequitur Apostolus. Item gradale, seu* Alleluia. *Postmodum legitur Evangelium; deinde Offertorium; et dicitur Oratio super oblata.* Sic fere perpetuo vocatur hæc Oratio in antiquis libris, quæ in Editis et ab Amalario *Secreta* dicitur. *Qua completa, dicit sacerdos excelsa voce*, Per omnia sæcula sæculorum, etc. Confer Micrologi caput 23, ubi brevis descriptio Missæ affertur.

Multa in superioribus Gregorii verbis essent notanda; sed aliis hæc permittimus, insigniora tantum observaturi.

In primis *Kyrie eleison* toties repetebatur, quoad pontifex aliquo nutu finem designaret. Unde Paris de Crassis observat *Kyrie* in Missis pontificiis tandiu protrahi, quandiu reverentia papæ a cardinalibus facienda durat. Verum in iis Missis quæ litanias subsequebantur *Kyrie eleison* omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet, ob eam videlicet causam quod in litaniis jam cantatum fuisset.

Cum dicendum est *Pax vobis*, pontifex se convertit ad populum, ubi ecclesia directa est versus orientem; secus si versus occidentem, ut in basilicis Lateranensi, Vaticana, aliisque similibus, in quibus pontifex sacra faciens vultum habet conversum ad populum, nec se vertit ad clerum, cui obversus est. Vide Ordinarium Jacobi Gaietani, pag. 410.

Deinde in Missa non sedebat pontifex ante absolutam Orationem [XLII] quæ Epistolæ præmittitur; eoque sedente ac annuente, episcopi et presbyteri sedebant, non vero diaconi aut subdiaconi, aliive ministri. Huc spectat Hieronymi ad Evagrium epistola 85. *Cæterum etiam in Ecclesia Romæ presbyteri sedent, et stant diaconi, licet paulatim, increbrescentibus vitiis, inter presbyteros, absente episcopo, sedere diaconum viderim, et in domesticis conviviis benedi-*

ctiones presbyteris dare. Discant qui hoc faciunt non se recte facere. Id vero ex superbia ortum esse scribit vetus auctor apud Augustinum : *Sed quia Romanæ Ecclesiæ ministri sunt, idcirco honorabiliores putantur quam apud cæteras Ecclesias, propter magnificentiam urbis Romanæ, quæ caput esse videtur omnium civitatum.* At propter eamdem causam presbyteri Ecclesiæ Romanæ sibi etiam plus tribuere debere recte infert Hieronymus, qui hanc diaconorum temeritatem in eorum paucitatem eodem loci refundit. *Diaconos paucitas honorabiles, presbyteros turba contemptibiles facit.* Plura de his apud Baronium ad annum 402.

Ad hæc ante Gregorii Magni pontificatum *Alleluia* in Missa non dicebatur extra Pentecosten, id est extra illos quinquaginta dies qui a Paschate ad festum Spiritus sancti intercedebant. Testis est lib. VII, epist. 64, indict. 2 ad Joannem episcopum Syracusanum. Confer ea quæ inferius dicturi sumus de ritibus Sabbati sancti.

Si vulgato de Romanis pontificibus libro fides est, Anastasius papa I *constituit ut quotiescunque sancta Evangelia recitarentur, sacerdotes non sederent, sed curvi starent.* Huc spectat id quod tanquam *insolens* factum de Alexandrina Ecclesia Sozomenus refert, nempe *quod ad Evangelium episcopus non assurgat.* Id vero cum quidam Romani presbyteri attentarent, Anastasius decreto suo hoc emendavit.

Post Evangelium Gregorius in rubrica superiori nullam facit mentionem de Symbolo, nec de concione. Et quidem plerique existimant Symbolum in Romana Ecclesia non fuisse recitatum ante Henrici primi imperatoris tempus; atque ad id probandum afferunt Bernonis abbatis Augiensis, testis oculati, auctoritatem, qui re vera id diserte affirmat; additque Romanos hujus rei causa ab imperatore interrogatos respondisse, *videlicet quod Romana Ecclesia non fuisset aliquando ulla hæreseos feci infecta.* Sed tamen imperatorem a Benedicto papa id impetrasse, ut Symbolum in posterum *ad publicam Missam* [XLIII] *decantaretur*, quod anno 1014 contigit. Verum longe ante id tempus Symbolum in Missa pontificali decantari mos erat, ut fidem facit libellus secundus de Ordine Romano. Et ne quis interpolationem hoc in loco causetur, Amalarius in Egloga super hoc libello, eumdem locum commentatur. Quin etiam in libellis V et VI de Missa episcopali secundum Romanos, qualis in usu erat ante sæculum nonum, Symbolum post Evangelium assignatur. Itaque per illud intervallum quod a sæculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem in Missa intermissam a Romanis fuisse dicendum est. Quod etiam de Oratione dominica contigisse veri simillimum, siquidem eam in Missa post canonem Gregorius Magnus recitari præcepit, ex lib. VII, epistola 64, indict. 2. Certe Walafridus Strabo, in cap. 22 ait usum decantandi Symboli CP. ex ea urbe *ad Romanos* credi pervenisse, apud Gallos autem ac Germanos *idem Symbolum latius et crebrius* in Missarum officiis cœpisse recitari; quod præter alios attestatur Æneas Parisiensis episcopus in lib. adversus Græcos, cap. 1, ubi fidem catholicam vocat *quam die Dominica decantat ad Missam universalis Galliarum Ecclesia.* Denique Cencius affirmat ita scriptum esse ad Cœnam Domini *in libro Gelasii : Non dicant Symbolum;* quod argumento est aliis diebus dici potuisse Gelasio primo pontifice, de quo hunc locum intelligendum existimamus. Sed quia nihil ejusmodi legitur in Sacramentario Gelasiano apud Thomasium vulgato, suspendenda tantisper sententia est de Symboli recitatione Gelasii pontificatu, maxime cum Patres Concilii III Toletani, in canone 2, usum recitandi in sacris Symboli inducant *secundum formam orientalium Ecclesiarum*, dicturi secundum Romanæ, si hic ritus apud Romanos tum usitatus fuisset eo tempore, id est æra Hispanica 627.

Post Evangelium aut Symbolum nonnunquam pontifex sermonem ad populum habebat, quod a Leone Magno primum fieri cœptum colligitur, tum ex eo quod nullæ pontificum Romanorum ante eum homiliæ exstant, tum ex Sozomeni lib. VII, cap. 19, ubi, de Roma agens : « In eadem Urbe, inquit, nec episcopus, nec alius quisquam in ecclesia populum docet; sed apud Alexandrinos solus civitatis Alexandrinæ episcopus concionatur. Quam consuetudinem, cum antea introducta non fuisset, introductam esse ferunt ex quo Arius presbyter, [XLIV] de doctrina fidei disserens, nova dogmata invexit. » Idem auctor quædam alia ibidem observat, quæ hoc loco referri possunt. « Est etiam hoc, inquit, Alexandriæ insolens. Ad Evangelium episcopus non assurgit. Et illic quidem solus archidiaconus Evangelium legit; alibi vero diaconi, in multis autem locis presbyteri, in quibusdam episcopus in præcipuis festis, ut Constantinopoli die sancto Paschæ. » Verumtamen Prudentius, Leone Magno et Sozomeno antiquior, in hymno 11, de coronis, ubi Romanam sancti Hippolyti basilicam describit, Pontificem in tribunali ad populum verba facere solitum fuisse testatur.

Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal
Tollitur, antistes prædicat unde Deum.

Verum id fortasse rarius. Certe post Gregorium Magnum paucas habemus Romanorum pontificum homilias; tametsi nonnulli aliquando concionati sunt, quos inter Innocentius III, et post eum Clemens VI multas conciones habuit.

Observatu dignum est id quod scribit Optatus in lib. III, omnem *episcopalem tractatum* seu concionatorium sermonem prædicum fuisse *salutatione geminata. Non enim*, inquit, *aliquid incipit episcopus ad populum dicere, nisi primo in nomine Dei populum salutaverit. Similes sunt exitus initiis. Omnis tractatus in ecclesia a nomine Dei incipitur, et ejusdem Dei nomine terminatur.* Ab aliquot sæculis exordium fit a salutatione angelica, qui ritus jam invalueral sæculo XV, ut patet ex Cæremoniali Petri Amelii, cap. 42 quod hic habetur ordine 15.

4. Oblationem quisque suam, non modo laici utriusque sexus, sed etiam sacerdotes et diaconi in Missa pontificali faciebant. Id quo ritu fieret, singillatim explicant libelli de Ordine Romano. Principum oblationes, panis scilicet, accipiebat pontifex *in senatorio*, qui locus erat ipsis ad australem partem assignatus; archidiaconus autem post pontificem amulas vini accipiebat ab eisdem. Aliorum laicorum oblatas episcopus hebdomadarius; amulas diaconus, quas in scyphum refundebat. Idem fiebat tum a Pontifice, tum a diaconis, in parte feminarum. Panem solum absque vino sacerdotes et diaconi offerebant.

De forma panis oblati Onufrius ita scriptum legit *a Joanne Diacono in expositione Ordinis Romani*, quam expositionem [XLV] reperire minime potuimus : *Oblationum forma atque mensura, cum videatur fuisse antiquitus, prout erat cujusque studium atque devotio in religione divina, possumus tamen ex scriptis beati Gregorii certiora quædam capere illius rei indicia, qui scribit in libro IV Dialogorum, cap. 55 : « Quemdam presbyterum detulisse duas oblationum coronas cuidam personæ, quales coronas solebat tunc Christiana religio offerre Deo pro se suisque omnibus. » Et paulo post : « Manifestum cujus mensuræ vel formæ debeant esse sacerdotum oblatæ, quæ ex pugillo similæ fieri jubentur, et ad speciem coronæ. »* Notum est factum matronæ illius Romanæ, quæ, cum communionem a Gregorio acciperet ex pane a se oblato, risit corpus Christi dici quod esset ex illa oblatione, *quam ego*, inquit, *manibus meis feci, et tibi obtuli.* Moris quippe tunc erat ut unusquisque suam ipsius oblatam (quam vocabant) propria manu conficeret. Unde Valens imperator dona quæ ipsemet fecerat, ὢν αὐτουργὸς ἦν, divinæ mensæ obtulisse perhibetur a Gregorio Nazianzeno in funebri oratione Basilii Magni.

Neque prætermittendum hoc loco est id quod Humbertus cardinalis in libro contra Michaelem C-

rularium scribit, *quod diaconi cum subdiaconis, seu ipsi sacerdotes, sacris amicti vestibus, cum melodia Psalmorum conspersum*, id est panem infermentatum ad sacrificium, *et in secretario paratum ex secretario proferebant*. Qua de re legendæ Consuetudines Cluniacenses.

Ad vinum quod attinet, amulas oblatas fundebat archidiaconus in calicem, quo utebatur pontifex ad consecrationem; et cum ad summum repletus erat, in alium calicem ministerialem, quem tenebat unus acolythus, deplebat. Hic calix in libellis nostris scyphus appellatur, præter quem alius calix major assignatur in tertio libello. Hæc observatio necessaria est ad ea illustranda quæ de laicorum sub altera specie communione postea dicturi sumus. Porro cantor aquam linteo coopertam offerebat diacono, qui eam cum vino in calice miscebat, infundendo in modum crucis.

Joannes III statuit *ut oblationes, et amulæ, vel luminaria in cœmeteriis per omnes Dominicas de Lateranis ministrarentur*. Gregorius III item instituit *ut in cœmeteriis circumquaque positis Romæ, in die natalitiorum eorum, luminaria ad vigilias faciendas et oblationes de patriarchio per oblationarium* [XLVI] *deportarentur ad celebrandas Missas per quem providerit pontifex, qui pro tempore fuerit, sacerdotem*. Exstat ejusdem Gregorii III diploma de oblationibus quotidianis per eum factis ad sanctum Paulum, nempe *in prima Missa ad corpus oblatam unam; in secunda Missa ad sanctum Timotheum oblatam unam; in tertia Missa ad imaginem Salvatoris, quæ et Apostolorum, oblatam unam; in quarta Missa ad sanctum Gregorium ad januas oblatam unam; deinde in Missa quinta ad altare majore oblatas duas*. Ex quo videas jam tunc in illa basilica sex missas *per singulos dies*, et quidem in diversis altaribus solitas celebrari. Diploma ita concludit pontifex: *Nos vero ideo dedimus hoc majore altare monachis, ut hæc omnia fiant omni tempore*. Confer Typicum Irenæ Ducæ imperatricis, cap. 34, quæ singulis diebus in divina liturgia *septem panes* offerri præcepit, Analectorum Græcorum tomo primo, qui nostrorum studio nuperrime prodiit in lucem.

Ab annis amplius quadringentis desita est offerri a laicis materia sacrificii; sed Augustinus Patricius, in suo Cæremoniali describit modum qui ante annos ducentos observandus erat in oblatione ad Missam pontificalem. Quippe lecto Evangelio, *diaconus Evangelii latinus accipit Hostiam unam de tribus quæ sunt super patenam, et cum ea alias duas Hostias tangit, et eam dat sacristæ comedendam. Deinde accipit aliam Hostiam de duabus quæ remanserant, et cum ea tangit patenam et calicem per totum, intus et extra; et similiter dat eam sacristæ comedendam*. Id fit ad vitandum veneni periculum, quod in caput sacristæ, qui omnia parare debet, hoc pacto redundaret. *Post hæc*, ob eamdem rationem *de ampullis vinum et aquam in taream dat sacristæ ad prægustandum; et deinde accipiens patenam cum Hostia, eam dat in manibus papæ, qui illam Deo offerens dicit:* Suscipe, sancte Pater, etc. Hæc ex Augustino, ubi de Missa majore in die Natalis Domini, quod iterum repetit in Sabbato sancto.

Hic agendum esset de vasis sacris, quorum usus in sacrificio Missæ apud Romanos. Verum consulendus hac de re præ aliis piæ memoriæ cardinalis Bona. Unum hic addere lubet de vasis sacris basilicæ Vaticanæ, de quibus fit mentio apud Orosium, qui, de Romanæ urbis direptione per Alaricum facta agens, in lib. VII, cap. 39, ait militem Arianum vasa sacra extorquere voluisse a virgine quadam, cui commissa erant. [XLVII] Tum, *expositis opibus, attonitum fuisse barbarum magnitudine, ac pondere, ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate*. Cui virgo illa dixit: *Hæc Petri apostoli ministeria sunt*.

Inter varia instrumenta quæ rei sacræ inserviebant censendum est *flabellum ad abigendas muscas*, quod tenebat is qui mitram pontifici ministrabat, testante Jacobo Gaietano, pag. 297. Duplex ejusmodi flabellum idem auctor memorat pag. 305, unum scilicet ad refrigerandum aerem, aliud ad abigendas muscas. Etsi vero nulla de hisce flabellis mentio fiat in antiquioribus nostris libellis, eorum tamen antiquitas probatur ex Vita Fulgentii episcopi Ruspensis, qui, cum esset monachus, *ex palmarum foliis flabellos sæpissime contexebat*. Λειτουργικὸν ῥιπιστήριον vocat Cyrillus monachus in libro de vita Euthymii abbatis, tomo I Analectorum Græcorum, pag. 60. Sed ad alia progrediamur.

5. Innocentius primus, in epistola 29, duo reprehendit in sacris mysteriis præpostere (ut ipse sentiebat) observata. Primum est quod pacem *ante confecta mysteria* quidam tradebant: *Cum post omnia*, inquit, *quæ aperire non debeo* (sic tunc sacra illa arcana tegebant), *pax sit necessario indicenda, per quam constet populum ad omnia quæ in mysteriis celebrantur atque in ecclesia aguntur præbuisse consensum, ac finita esse pacis concludentis signaculo demonstretur*. Alterum est quod nomina offerentium recitentur, *antequam precem sacerdos faciat*, id est ante Orationem factam super oblata, imo ante Canonem, quem *precis* nomine etiam designat Vigilius papa infra. *Prius ergo*, ait Innocentius, *oblationes sunt commendandæ; ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria*, id est post consecrationem, *nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus*. Utrumque ritum, quem hic improbat Innocentius, servabant Gallicanæ et Hispanicæ Ecclesiæ, et quidem priorem astruit Justinus martyr in Apologia secunda. Hæc autem Innocentii constitutio a Gallis recepta fuit anno 789, in Capitulari Aquisgranensi, cap. 53 et 54.

[XLVIII] VII. *Continuatio rituum in Missa pontificali singularium a Canone ad Communionem.*

Omissa Præfatione, in qua nihil singulare occurrit, progredimur ad Canonem, quem sacerdos non inchoabat ante absolutum a choro trisagii cantum. Id enim libelli nostri præcipiunt, et post eos Herardus episcopus Turonensis, cap. 16: *Ut Secreta presbyteri non inchoent antequam Sanctus finiatur*. Secreta vocat Canonem, quod eum sacerdos submissa voce, et quidem solus, recitaret. Eodem modo appellatur in veteri Missali Gallicano, mihi pag. 335, ubi *Collectio post Secreta* ea dicitur quæ consecrationi proxime succedebat; quod argumento est Canonem Missæ submissa voce etiam in Ordine Gallicano fuisse recitatum. Ita etiam in Romano; unde in secundo Ordine Romano hic legitur, quod pontifex *secrete intrat in Canonem*.

Preces et *canonicam precem* appellant veteres, in primis Vigilius papa, in epistola ad Profuturum episcopum Bracarensem: *Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festivitate significamus habere diversum; sed semper eodem tenore oblata Deo munera consecrare. Quoties vero Paschæ, aut Ascensionis Domini, vel Pentecostes, et Epiphaniæ, Sanctorumque Dei fuerit agenda festivitas, singula capitula diebus apta subjungimus, quibus commemorationem sanctæ solemnitatis, vel eorum facimus, quorum natalitia celebramus; cætera vero ordine consueto prosequimur. Quapropter et ipsius canonicæ precis textum direximus subter adjectum, quem Deo propitio ex apostolica traditione accepimus*. Varietas illa, de qua loquitur Vigilius, hactenus servatur in illa Canonis parte quæ incipit a verbo *Communicantes*.

Precem illam *Canonem* primus, aut inter primos absolute vocat Gregorius Magnus, in lib. XI, epistola 59, ubi notat Januarium episcopum, *tempore quo sacrificium celebrat, tantam pati frequenter angustiam, ut vix post longa intervalla ad locum Canonis redire valeat quem reliquit; atque ex hoc multos dubitare si*

communionem debeant de ejus consecratione percipere. Quos admonendos dicit, *ut nullatenus pertimescant, sed cum omni fide et securitate communicent, quia ægritudo personæ* [XLIX] *sacri mysterii Benedictionem nec mutat, nec polluit;* imo nec peccatum sacerdotis, attestante Optato Milevitano, in lib. VI. *Ergo liquido apparet ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum.* Canonem fere integrum, sed verbis aliquantisper immutatis, refert vetustissimus auctor, lib. IV de Sacramentis, apud Ambrosium. In antiquissimo Codice Reginæ Sueciæ, num. 1454, deest *enim* in verbis consecrationis corporis Christi. In quibusdam Ecclesiis *Amen* post verba consecrationis a populo dicebatur; sed nihil hac de re nec in libellis nostris, nec in Sacramentario Gregoriano, tametsi ejus rei meminit Augustinus in epistola ad Januarium.

Per totum Canonem *episcopi, diaconi, subdiaconi* pontifici servientes, *et presbyteri in presbyterio permanebant inclinati,* nisi quod ad verba Nobis quoque peccatoribus, *surgebant diaconi.* Hac corporis inclinatione adorabant sacram Actionem et sacra mysteria, quæ vulgatus Anastasius in Martino papa adorandam Hostiam vocat.

Non statim post consecrationem in altum a sacerdote Hostia, itemque calix primis illis temporibus efferebantur, sed sub finem Canonis, cum diceret sacerdos *Per quem hæc omnia*, etc., erigebat se archidiaconus solus; et cum diceretur Per ipsum et cum ipso, *levabat cum offertorio calicem per ansas, et tenebat exaltans illum juxta pontificem.* Micrologus *corpus cum calice* tunc *levatum* fuisse dicit in cap. 15, ubi nullam alterius post consecrationem levationis mentionem facit. [a] Orientales id præstant paulo ante communionem. Porro elevatio post consecrationem in Gallia post medium sæculum undecimum videtur fieri cœpta, haud scio an paulo serius in Ecclesia Romana, tametsi utrobique ad consecrationem sacra mysteria adorarentur. Huc spectat Ivonis episcopi Carnutensis epistola 142, ad Mathildem Anglorum reginam, cui gratias agit, ob campanas ecclesiæ suæ concessas, quarum sonitu ait renovari ipsius reginæ memoriam, tunc præsertim, *quando illa salutaris Hostia, pro nobis redimendis in ara crucis oblata, per novi sacerdotii ministros in Domini mensa quotidie consecratur;* ubi nulla mentio elevationis, uti nec in Usuum Cisterciensium, cap. 53. Sic vero in Institutionibus Capitulorum generalium, cap. 25, dist. 3, ubi in Capitulo generali anni 1215 statutum legitur *ut, consecratione peracta,* [L] *Hostia elevetur;* quo fere tempore Guillelmus episcopus Parisiensis, et in Germania Guido cardinalis statuerunt ut ad elevationem campanula pulsaretur. Hoc loco in memoriam redit sancti Malachiæ Hiberniæ primatis calix sacer, in thesauro Claræ-vallensi asservatus, ex cujus labio dependent aliquot campanulæ, quibus ad motum calicis astantes ad adorandum excitarentur. Denique sæculo XIII, in Cæremoniali Gregorii X hic edito, pag. 235, præscribitur ut *in elevatione corporis Christi prosternant se ad terram, et adorent reverenter in facies cadendo, et sic prostrati stent usque ad* Per omnia. Quod hodie quoque actitant Cartusiani. Adde Jacobi Gaietani Ordinarium, in quo etiam mentio fit elevationis et adorationis, hic pag. 285.

In canone duplex commemoratio fiebat, fitque hodie quoque, vivorum ante consecrationem, mortuorum vero post eam. In utraque recitabantur nomina Ecclesiarum apostolicarum, cum nominibus vivorum antistitum in priori commemoratione, et mortuorum in posteriori. Id colligimus ex Augustini epistolis 43, 52 et 53. *De Codicibus non tantum nostris,* ait ille in epistola 43, num. 21, *sed etiam illorum,* scilicet Donatistarum, *recitamus Ecclesias, quarum nomina hodie legunt, et quibus hodie non communicant; quæ cum recitantur in conventiculis eorum, lectoribus suis dicunt* Pax tecum, *et cum ipsis plebibus quibus illæ litteræ scriptæ sunt non communicant.* Hæc nomina Ecclesiarum apostolicarum, id est *quibus apostoli scripserunt,* ex epistola 53, num. 3, scripta erant *in libris sanctis in Codicibus sanctis,* nempe in libris Sacramentorum, quo nomine libros sacrosancti sacrificii modum continentes solebant designare.

Canoni subjungitur Oratio Dominica, de qua quidam e Sicilia Græci vel Latini conquerebantur, quod eam Græcorum exemplo *mox post Canonem* Romani pontifices dici statuissent. Respondet Gregorius: *Orationem Dominicam mox post precem,* id est Canonem, *dicimus, quia mos apostolorum fuit ut ad ipsam solummodo orationem oblationis Hostiam consecrarent.* Gregorius autem hujusce institutionis auctorem se innuit his verbis subsequentibus: *Et valde mihi inconveniens visum est ut precem, quam scholasticus composuerat, super oblationem diceremus; et ipsam traditionem* (forte *Orationem*) *quam Salvator noster composuit, super ejus corpus et sanguinem taceremus.* [LI] Addit tandem modum esse diversum a Græcis in Ecclesia Romana, quod *Dominica Oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote.* Ex illis, inquam, verbis, *valde mihi inconveniens visum est,* colligitur Gregorium auctorem fuisse ut Oratio Dominica in Missa diceretur apud Romanos, aut potius restitueretur. Neque enim verisimile est Orationem illam divinam, quam in omnibus aliis liturgiis, tam orientalibus, quam occidentalibus, Gallicanis, Hispanicis, et Mediolanensi, et quidem apostolorum exemplo, in sacris frequentatam fuisse constat, a sola Romana Ecclesia, quæ apostolicam præ aliis traditionem semper secuta est, prætermissam initio fuisse. Certe totam sacrificii petitionem *fere* omnis ecclesia *Dominica Oratione concludebat* Augustini ævo, ex ejus epistola modo 149, ad Paulinum. Idem in sermone 351, qui exstat in tomo quinto novæ Editionis, docet, num. 6, *Antistites ad altare assistentes* solitos fuisse *cum omnibus* pectora tundere. Quod recitanda Oratione Dominica factum indicat paulo infra his verbis: *Nam si non habemus peccata, et tundentes pectora dicimus* Dimitte nobis peccata nostra, *ex hoc ipso certe et graviter nullo dubitante peccamus, cum inter sacramenta mentimur.* Ubi sacramentorum nomine consecrationem significat sacrorum mysteriorum corporis et sanguinis Christi Domini, quæ plurali nomine etiam alibi *sacramenta* vocat. Ergo, ut dicere cœperam, mos erat Ecclesiæ universalis ante Gregorii ævum ut Oratio Dominica in Missa diceretur. Sed cum fortasse Romani quidem sacerdotes hanc Orationem, quasi alias communem, omitterent, [b] uti presbyteri Hispanici extra Dominicam in divinis officiis ex concilii IV Toletani canone 9, Gregorius Romanos ad uniformem ritum decreto suo revocavit. Certe in Missa præsanctificatorum, quæ quotannis in Parasceve celebratur ritu primitivo, Oratio Dominica recitatur.

Post Orationem Dominicam fit fractio panis consecrati, et una ex tribus particulis in calicem demittitur. At duplex in Missa pontificali commistio antiquitus fiebat, una ante *Agnus Dei* ex priori sacrificio, ut superius vidimus, alia post communionem pontificis ex præsente. Verum jam a multis sæculis unica tantum, nempe posterior, fit commistio ex relicta parte Eucharistiæ intra digitos pontificis post communionem.

[LII] In Gallicanis et Hispanicis Ecclesiis, antequam diceretur *Pax Domini sit semper vobiscum,* Benedictionem populo circumstanti ab episcopo sacra celebrante impendi antiquus mos est, ut patet tum ex antiquissimis libris Ordinis Gallicani, tum ex concilii IV Toletani canone 18. Hæc Benedictio triplici Oratione populo impertiebatur, quales Orationes non semel

[a] Vide Vitam Euthymii abbatis, tom. I Analect. Græc., p. 62.

[b] Sic Patres concilii Basileensis conqueruntur quod in Missa omittatur Oratio Dominica in aliquibus Ecclesiis. (Tit. 16, *de his qui in Missa non complent.*)

typis excusæ sunt. Verum has Benedictiones non invenio receptas in Missa pontificali, imo eas graviter improbare videtur Zacharias papa. De his enim interpretor hæc ejus verba epistolæ ad Bonifacium : *Pro Benedictionibus autem quas faciunt Galli, ut nosti, frater, multis vitiis variantur. Nam non ex apostolica traditione hoc faciunt, sed per vanam gloriam, adhibentes sibi damnationem.... Regulam itaque catholicæ traditionis, quam a sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore deservio, accepisti, omnibus prædica.* Si de his Benedictionibus (ut quidem opinor) agit Zacharias, duriora sunt ejus verba quam causa, quæ alias laudabilis censeri potest, mereatur. De ejusmodi Benedictionibus quædam verba intrusa sunt in secundum Ordinem Romanum : *Post solutas, ut in his partibus mos est, pontificales Benedictiones, cum dixerit* Pax Domini sit semper vobiscum, *mittit in calicem de sancta oblata.* Sed hæc verba, *ut in his partibus mos est,* dicta esse consideratione loci, ubi descriptus est iste Ordo Romanus, satis intelligitur. Non ergo inserendum erat *Benedictionale* novæ Gregorii operum Editioni, quod a ritu Romanorum atque adeo ipsius Gregorii mente alienum est, tametsi in Codice bibliothecæ Cæsareæ Sacramentario Gregoriano subjectum reperiatur, utpote descriptum ad alterius Ecclesiæ usum quam Romanæ.

VIII. *Singularia sacræ communionis in Missa pontificali.*

Cum multa singularia occurrant in communione, qualis olim fiebat in Missa pontificali, ut ea facilius observentur, præmittendum est in illis solemnibus sacris, etiam postquam Missæ tantisper multiplicari cœpe unt, omnes, non solum laicos et sacerdotalis Ordinis expertes, sed etiam presbyteros et episcopos, qui sacris interer ant, communionem sacram participasse. Hunc ritum apud Orientales advertimus in facto Nestorii patriarchæ CP. qui, Dorotheum episcopum [LIII] anathema dicentem in eos qui Virginem Deiparam dicerent, non modo non redarguit, verum etiam ad mysticam communionem mox admisit, ejusque participem effecit, quemadmodum legitur in epistola Cyrilli Alexandrini ad eos qui de se conquerebantur. Idem ritus servabatur apud Romanos in Missa pontificali, uti exponitur in sequentibus libellis Ordinis Romani ; sed an presbyteri simul cum pontifice sacra celebraverint, non explicant. Id supplet Amalarius in lib. I, cap. 12 : *Mos est Romanæ Ecclesiæ ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri, et simul cum pontifice verbis et manu conficiant.* Ex quo intelligitur hunc morem esse antiquum. Jacobus a Vitriaco ejus rei testis est in Historiæ occidentalis cap. 38. *Consueverunt,* inquit, *presbyteri cardinales summo pontifici in sacramento altaris assistere, et cum eo pariter celebrare,* imo et communicare. Utrumque enim Innocentius tertius docet in lib. IV de mysteriis Missæ cap. 25, ubi ait consuevisse presbyteros cardinales Romanum *circumstare pontificem, et cum eo pariter celebrare; cumque consummatum est sacrificium, de manu ejus communionem accipere.* Nunc operæ pretium est sigillatim exponere hujusce communionis ritus.

1. Et primo quidem, dicto *Pax Domini sit semper vobiscum,* non statim cantabatur *Agnus Dei,* sed pontifex *mittebat in calicem Sancta,* seu *de Sancta,* sive, ut in secundo libello habetur, *de Sancta oblata.* Quæ particula non videtur ex præsente sacrificio, siquidem tunc nondum fracta erat oblata, sed ex præcedenti sumpta fuisse. Hoc facto, pontifex dabat pacem archidiacono.

2. Archidiaconus, accepta pace a pontifice, *pacem dabat episcopo priori, deinde cæteris per ordinem, et populis,* ita ut episcopus eam daret priori juxta se stanti, hic vero sequenti ; et sic per ordinem, *separatim* autem *viri et feminæ.*

3. Pontifex *rumpebat oblatam ex latere dextro, et particulam quam ruperat super altare relinquebat, reliquas vero oblationes suas ponebat in patenam, quam tenebat diaconus.* Hunc locum, sane obscurum, illustrat Micrologus in cap. 17 : *Cum autem dicit* Per Dominum nostrum, *rumpit Hostiam ex dextro latere, juxta Ordinem, ad designandum dominici lateris percussionem. Deinde majorem partem in duo confringit, ut tres portiones de corpore dominico efficere possit. Nam* [LIV] *unam in calicem, faciendo crucem, mittere debet..... alteram vero ipse presbyter necessario sumit,* etc. Secundum hanc interpretationem aliæ oblationes, quas pontifex ponebat in patenam, erant duæ particulæ reliquæ ex illa fractione. Cur autem prima illa particula super altare remaneret ex Ordine Romano, aliam affert causam primus libellus noster, aliam Micrologus, quæ tamen causæ non omnino contrariæ sunt. Libellus noster de Ordine Romano primus docet id factum *quia ita observant, ut dum Missarum solemnia peraguntur altare sine sacrificio non sit* (quæ ratio etiam fortasse movit ut Eucharistia pontifici ad sacra facienda procedenti præferretur). Micrologus vero ait illam particulam esse *dimissam communicaturis sive infirmis.* At communicaturis in illa pontificia Missa distribuebantur aliæ oblatæ consecratæ. Post prædictam fractionem pontifex revertebatur ad sedem suam.

4. Ad hæc in primo tantum Ordine Romano legitur nomenculatorem (cujus officium erat pransuros ad convivium invitare, eorumque nomina describere), saccellarium (qui saccello seu thesauro fisci præfectus erat) et notarium vicedomini seu œconomi, postquam inter sese *Agnus Dei* dixissent, ascendisse ad altare *ante faciem pontificis, ut annueret eis scribere nomina eorum qui invitandi erant, sive ad mensam pontificis per nomenculatorem, sive ad vicedomini per notarium ipsius; quorum* nomina postquam descripserant, *descendebant ad invitandum eos,* ac deinde *redibant ad sedem* ubi pontifex consistebat.

5. Archidiaconus interim *levabat calicem* ex altari, *et dabat eum subdiacono regionario,* seu *archisubdiacono, ut teneret* eum *juxta cornu altaris dextrum.*

6. *Accedebant* deinde *subdiaconi sequentes cum acolythis,* qui sacculos portabant, *a dextris et a sinistris altaris;* et acolythi quidem *extendebant brachia cum sacculis,* quorum sinus subdiaconi, *stantes a fronte,* explicabant ad recipiendas oblationes ab archidiacono, qui eas in sacculos demittebat.

7. *Evacuato oblationibus altari,* archidiaconus scholæ cantorum innuebat ut canerent *Agnus Dei,* quod in confractione corporis Domini a clero et populo decantari Sergius papa I constituisse fertur. Certe in Missa Sabbati sancti, quæ veteri more etiam nunc celebratur, omittitur *Agnus Dei* cum Antiphonis ad Offertorium et ad Communionem, quæ primarii non esse instituti Walafridus Strabo et alii observarunt. In [LV] rubricis tamen Sacramentarii Gregoriani ad Missas consuetas assignatur *Agnus Dei,* sed fortasse a solis cantoribus, uti in libellis nostris antiquioribus præscribitur, tum cani mos erat, quod *a clero et populo* decantari Sergius præceperit : *ut dum præparatur ad dispensandum corpus dominicum, rogent accepturi, quatenus ille, qui pro eis oblatus est innocens, faciat eos salubriter pignora salutis æternæ percipere,* ut idem qui supra Walafridus scribit in cap. 22.

8. Acolythi, oblationibus in sacculos acceptis, in duas partes divisi, pars ad episcopos qui ad dextram pontificis erant, pars ad presbyteros qui ad sinistram accedebant, præcedentibus hinc inde duobus subdiaconis regionariis, qui suam uterque patenam portabat, ut ad nutum pontificis oblationum confractio super illas patenas fieret, tum per episcopos, tum per presbyteros atque diaconos. Patenæ propterea amplissimæ erant, quarum unam a Sergio papa I datam *viginti libras* appendisse Anastasius auctor est, a quo quandoque *communicales* absolute vocari existimo. *Comminutæ*

ad distribuendum Eucharistiæ meminit Augustinus in epistola 149, ad Paulinum, num. 16.

9. Expleta confractione, canebatur antiphona ad communionem cum suo psalmo; tumque diaconus minor a subdiacono accipiebat patenam, in qua repositæ erant duæ particulæ post confractionem Hostiæ factam a pontifice, eamque deferebat *ad sedem pontificis, ut communicaret corpore dominico*, et quidem stans conversus ad Orientem, quod habemus ex quinto libello nostro. Innocentius III habet tantum *consistens*, infra.

10. Eucharistia sumpta, pontifex *de ipsa sancta quam momorderat* particulam *inter manus archidiaconi in calicem* quam tenebat subdiaconus *ponebat*, dicendo: *Fiat commistio et consecratio*, etc. *Amen.* Ubi *consecrare est simul sacrare*, quæ verba sunt Pelagii papæ I in epistola ad Joannem Patricium, apud Holstenium in collectione Romana. Eodem spectant verba canonis 17 concilii primi Arausicani. Sic itaque duplex in Missa pontificali fiebat commistio in calice, una statim post primam confractionem a pontifice factam, altera post ejusdem communionem. Utriusque meminit Amalarius, ut superius vidimus, tametsi unica in tertio libello memoratur. At in primo libello, ubi prima commistio ex præcedente (ut mihi visum est) sacrificio facta est, alia ex præsente fiebat, ex dictis.

[LVI] 11. Post hæc verba, *Fiat commistio*, etc., in duobus prioribus libellis subditur *Pax tecum*. Resp. *Et cum spiritu tuo.* Deinde in primo pontifex *confirmatur ab archidiacono*, accipiendo scilicet sanguinem *pro complemento communionis*, uti Micrologus loquitur. Quid sibi velit hæc pacis imprecatio, non apparet ex his libellis. Forsan hoc referendum ad id quod tradit Innocentius tertius in lib. VI, cap. 9, ubi communionem pontificis et ministrorum ita exponit. *Ut autem in perceptione corporis et sanguinis Christi nulla possit fallacia suboriri, sed in utroque perceptionis veritas evidenter appareat, summus pontifex non statim particulam Hostiæ dimittit in calicem, sed eam post trinum crucis signaculum in patenam reponit. Et post osculum pacis ad sedem ascendens, ibique consistens, universis cernentibus, partem majorem oblatæ de patena, quam ei subdiaconus repræsentat, ipsamque videntibus dividens, unamque particulam sumens, aliam mittit in calicem, quem tenet coram ipso subdiaconus, de quo sanguinem haurit cum calamo. Deinde particulam unam cum osculo tradit diacono, aliamque subdiacono sine osculo, quem ad altare ministrans ei calicem diaconus osculatur.* Non dubito quin pontifex Eucharistiam tradendo diacono, eumque ita, ut dicit Innocentius, osculando, dixerit verba superiora *Pax tecum*, respondente archidiacono *Et cum spiritu tuo*.

Sane olim fideles, suscepta Eucharistia, episcopum seu sacerdotem a quo eam acceperant osculari solebant, cum in Oriente, tum in Occidente. Hieronymus, in epistola 62 adversus Joannem Jerosolymitanum: *Quisquamne tibi invitus communicat? quisquamne extenta manu vertit faciem, et inter sacras epulas Judæ osculum porrigit?* Paulus Emeritensis diaconus, de Vitis Patrum, cap. 7, de Fideli episcopo loquens: *Vade*, inquit, *communica, et da nobis osculum*. Denique in quodam tractatu fratrum Prædicatorum, apud Stevartium edito: *Participationem sanctæ communionis, non similiter Græci, ut nos, perficiunt; sed dicunt quod qui Missam celebrat sacerdos osculatur volentem communicare.* Subdit post præmissa Innocentius tertius: *Diaconus et qui superioris sunt ordinis, cum percipiunt Eucharistiam, osculum suscipiunt ab episcopo, acolythus, et qui sunt inferiorum ordinum, non suscipiunt. Subdiaconus vero, quia character hujusmodi quondam inter non sacros, nunc autem inter sacros ordines reputatur, in perceptione corporis non suscipit osculum a pontifice, sed in perceptione sanguinis suscipit osculum a diacono.*

[LVII]. 12. In quibusdam festis pontifex, cum sacra celebraret, communionem percipiebat ad altare, scilicet in die sancto Parasceves. Jacobus Gaietanus et Petrus Amelius addunt etiam primam Missam in Natali Domini; et Augustinus Patricius feriam quartam Cinerum, quibus diebus sacrosanctum Christi sanguinem non ex calamo, sed ex calice hauriebat. Nicolaus III Psalmum *Lætatus sum*, cum aliquot versiculis et Collecta de Pace, cantari ante communionem præcepit ad impetrandam pacem inter principes Christianos, quod etiam Joannes XXII suo tempore constituit. Idem ritus perseverabat tempore Urbani VI, ex Cæremoniali Petri Amelii.

13. Absoluta communione pontificis, archidiaconus futuram *stationem annuntiabat*. Ita in libellis duobus primis Ordinis Romani; sed modum exprimit unus Benedictus canonicus, agens de feria 4 Cinerum, in libelli decimi num. 33: *Ante communionem stat subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: Crastina die veniente statio erit in ecclesia sancti Georgii martyris ad Velum aureum. Respondet schola, Deo gratias.* Quo autem modo, finita Missa, fieret salutatio pontifici ab ipsius diei statione, idem auctor ibidem explicat. Post communionem pontificis fiebat etiam jejunii quatuor temporum denuntiatio, cujus rei formulas refert eminentissimus cardinalis Bona.

14. Confirmato pontifice, archidiaconus *refundebat parum de calice* seu de sanguine consecrato *in scyphum*, quem tenebat acolythus. Hic est scyphus seu calix ministerialis, in quem vinum oblatum ex majori calice refusum fuisse superius notavimus; ac proinde sanguis refusus in illum scyphum cum vino jam in eum refuso commiscebatur ad populum confirmandum, ut mox dicemus. In aliis locis et Ecclesiis non infundebatur vinum cum sanguine consecrato, nisi ubi advertebant ministri non suffecturum sanguinem purum communicaturis.

Hujus rei exemplum habemus in usuum Cisterciensium cap. 53: *Dum autem fratres percipiunt sanguinem, infundatur vinum in calice a diacono, cum opus fuerit, de ampulla a subdiacono ante præparata juxta altare. Si quid autem residuum fuerit de ipso sanguine, bibat illud cum calice*, etc. Ergo sanguis absolute dicebatur etiam post illam vini admistionem. [LVIII] Clarius et apertius Cæremoniale sancti Benigni apud Divionem: *Debet autem vinum in ampulla juxta eum*, scilicet diaconum, *jugiter esse, ut, quando opus esse perspexerit, eodem vino sanguinem dominicum augere possit.* Ita Cæremoniale annorum fere sexcentorum, a quo tempore parum decedunt primi illi Usus Cistercienses. Paulo recentius est Ordinarium abbatiæ sancti Victoris apud Parisios, cujus hæc verba: *Interim autem dum communicant subdiaconus cum ampulla vinaria diacono debet astare, et quoties opus fuerit, calici vinum infundere*, etc. Idem observavit Nicolaus abbas Panormitanus, *in quibusdam locis*, ubi *post sumptionem corporis et sanguinis Christi aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, et superinfunditur vinum purum, ut alii communicantes inde sumant. Non enim esset decens tantum sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur.* Denique Guillelmus de Lindwode, officialis Ecclesiæ Cantuariensis, in Collectione Constitutionum provincialium Ecclesiæ suæ: *Sacerdos, qui tenet calicem cum sanguine, videns quod quantitas sanguinis non sufficeret omnibus fratribus, ponit ibi modicum de vino:* Ita Guillelmus, qui vivebat sub initia sæculi XV. Verum hac de re iterum infra; nunc ad ritus Romanos redeamus.

15. Mox accedebant episcopi et presbyteri, ut a pontifice communionem acciperent, episcopi quidem stantes ad sedem pontificis, presbyteri vero ad altare genibus flexis, ut patet ex Cæremoniali Gaietani, pag. 312 et 313, contra veterem ritum saltem Græcorum, de quo Valesius in Eusebium, pag. 115. Utrosque archidiaconus sanguine dominico; episcopus vero sequentes Ordines stans in cornu altaris confirmabat. Presbyteri et diaconi manu, subdia-

cuni ore Eucharistiam accipiebant, ex libello sexto. At in quinto subdiaconus calicem præbet primo presbytero communicanti, *qui et tribuat subsequenti*, et sic de aliis successive.

16. Post hæc archidiaconus, recepto de manu episcopi calice, reliquum sanguinis refundebat in scyphum acolythi, supra cujus meminimus, aut certe in calicem majorem, in quo pariter vinum ex oblatione contentum esset. Hæc secunda refusio in duobus primis libellis diserte exprimitur, sed unica in tertio, cujus hæc verba notanda sunt: *Sed ipse pontifex confirmatur ab archidiacono in calice sancto, de quo parum refundit archidiaconus in majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet acolythus ut ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia* [LIX] *vinum, etiam non consecratum, sed sanguine Domini commistum, sanctificatur per omnem modum.* Ex hac consequentia (quæ in aliis libellis non habetur, fortasse a posteris intrusa) intelligitur saltem, in illo majori calice, sive in scypho contentum fuisse vinum ex oblatione refusum, antequam sanguis Christi in eum refunderetur. Cur autem populus non ex puro, sed ex misto eum vino sanguine fuerit confirmatus, postea expendemus. Sic evacuatus calix sacer tradebatur primum subdiacono, qui mox calamum archidiacono tribuebat ad confirmandum populum; tum acolytho, qui eumdem calicem *in paratorium* seu in thecam suam recondebat.

17. Post hanc secundam refusionem pontifex e sede descendebat in senatorium, ubi magnates Eucharistia reficiebat; et in adversam partem, ubi matronæ consistebant, eisdem communionem præbiturus, subsequente archidiacono cum scypho prædicto ad utrosque confirmandos. Primis temporibus Eucharistia etiam laicis tribuebatur in manus, qua de re testis est in primis Augustinus, tum in lib. II contra epistolam Parmeniani cap. 7, tum in lib. item XI adversus litteras Petiliani, cap. 23. Verum apud Romanos jam ante Gregorii Magni pontificatum in os immittebatur a sacerdote, ut probat lib. III Dialogorum, cap. 3, ubi Agapitus papa cuidam muto et claudo *corpus dominicum in os misisse* perhibetur.

18. Interim episcopi et presbyteri, annuente primicerio, populum hinc et inde sacræ communionis participem faciebant, diaconis ex scypho confirmantibus.

19. Reversus pontifex ad sedem *communicabat regionarios per ordinem, et eos qui in filo steterant, et in diebus festis de schola duodecim.* Regionarii sunt diaconi, subdiaconi et acolythi, qui *cæteris diebus in presbyterio, ubi poterant, communicabant.*

20. *Post omnes hos redeuntes nomenculator, et sacellarius, et acolythus, qui patenam tenebat, et qui manutergium tenebat, et qui aquam dabat, ad sedem communicabant, et post pontificem archidiaconus eos confirmabat.*

21. His omnibus demum succedebat Psalmi, qui præmissa Antiphona ad communionem canebatur, clausula per Versus *Gloria Patri* et *Sicut erat*, annuente subdiacono regionario per signum crucis impressum fronti suæ. *Sciendum autem*, [LX] inquit Micrologus in cap. 18, *eamdem Antiphonam semper eumdem Psalmum cum Introitu habere, si non habet proprium, ex quo sumpta videatur.*

Hactenus communionis generalis ordinem ac seriem, qualis ante sæculum nonum in Ecclesia Romana servabatur, exhibuimus; in quo quidem ritu si qua remanent obscura, id temporum longinquitati et rituum desuetudini tribuendum est.

Quærat inde aliquis an tum, cum pontifex solemni hoc ritu sacris operaretur, sicque tam episcopis quam presbyteris communionem impertiret, Missæ plures uno die Romæ celebrarentur? deinde an aliquando etiam plures in una eademque ecclesia?

Facilis ad utrumque responsio. Presbyteri titulorum vel singuli in singulis, vel plures in singulis cum essent, non omnes in illis pontificiis sacris præsentes aderant, ac proinde in suis titulis Missas celebrabant, ut plebi suæ facerent satis. Quin etiam si confluentium fidelium multitudo exigeret, in una eademque ecclesia sacrificium iterabatur. Ita enim præcepit Leo Magnus, in epistola 7 ad Dioscorum episcopum Alexandrinum: *Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri, ut cum solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, et ad eam tanta fidelium multitudo convenerit quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint non recepti, cum plenum pietatis atque rationis sit ut quoties basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur*, etc. An vero hæc sacrificii iteratio per unum aut plures sacerdotes fieret, non satis liquet. Quanquam per illa tempora idem sacerdos aliquando Missarum solemnia geminabat, quo in numero erat sanctus ille Severinus, de quo Gregorius Turonensis antistes, de Gloria confessorum, cap. 50. Is enim Severinus, seu (ut in vetustissimo Codice legitur) Severus, cum duas ecclesias ædificasset, ubi *dies Dominicus advenerat, celebratis Missis uno loco, ad alium pergebat.* Sed vetitum fuit in concilio Antissiodorensi ne unus sacerdos in uno eodemque altari plures Missas diceret.

[LXI] IX. *Quando, et quomodo desierit communio sub utraque specie in Ecclesia Romana.*

Cum laicorum communio in Ecclesia Romana haudquaquam ex puro sanguine fieret, non ita difficilis fuit transitus ad recentiorem morem, ut laici ad unius tantum speciei participationem admitterentur. Jam mos iste receptus erat sæculo tertio decimo. Id enim probant illorum temporum scriptores, ex quibus Alexander Alensis. *Dicendum*, inquit, *quod quia Christus integre sumitur sub utraque specie, bene licet sumere corpus Christi sub specie panis tantum, sicut fere ubique fit a laicis in Ecclesia.* Atqui communionem sub utraque specie viguisse ad initia sæculi duodecimi constat ex iis qui tunc florebant auctoribus, Anselmo Cantuariensi antistite, Guillelmo de Campellis, Hugone canonico sancti Victoris, et aliis. Guillelmi testimonium, antea ineditum, protuli in præfatione prima ad sæculum tertium Benedictinum, num. 75, ex quo quæ ad rem nostram faciunt hic adducere juvat. *Quod utraque species per se accipitur, eo fit, ut memoria corporis, quod in cruce visibiliter pependit, et memoria sanguinis, qui cum aqua de latere fluxit, arctius teneatur, et quasi præsentetur. Tamen sciendum quod qui alteram speciem accipit, totum Christum accipit.* Et infra: *Quod ergo dicitur, utramque speciem oportere accipi, hæresis plane est.... Et ideo licet in alterutra specie totus sumatur, tamen pro causa prædicta sacramentum utriusque speciei ab Ecclesia immutabiliter retinetur.* Hæc scripta sunt ante annum 1120, quo proinde tempore communio sub utraque specie *ab Ecclesia immutabiliter* retinebatur. Idem confirmat in Speculi Ecclesiæ cap. 7 Hugo Victorinus, qui vitam produxit ad annum 1142. Hujus rei argumentum habemus in veteri Chartario abbatiæ Absiensis apud Pictones, ubi legimus quemdam Willelmum *de Barges* de prædiis nonnullis investiisse Raineri m abbatem Absiensem *cum calice, quo communionem acceperat*, et quidem circiter annum 1150.

Vix annis decem Hugonem Victorinum excessit Robertus Pullus, S. R. E. presbyter cardinalis, quo scribente jam contrarius usus prævalere cœperat. Exstat hac de re locus apud eum in Sententiarum parte VIII, cap. 3. *Primo corpus, post* [LXII] *sanguis a presbyteris est sumendus. Institutio Christi mutanda non est.... Verum qualiter a laicis Eucharistia sumi deberet, sponsæ suæ commisit judicio; cujus consilio et usu pulchre fit ut caro Christi laicis distribuatur. Nimirum periculose fieret ut sanguis sub liquida specie*

multitudini fidelium in ecclesia divideretur; longe periculosius si infirmatis per parochiam deferretur. Jam tunc ergo laici sub unica specie communicare cœperant, teste Pullo, qui intinctam dari Eucharistiam improbat; probat vero *si cui pervalde infirmato sanguis infunditur, ut facilius insumatur*. In quibusdam tamen locis diutius perseveravit communio sub utraque specie, quæ nullo peculiari decreto, sed paulatim ac sensim, abrogata est.

Non una, sed plures simul causæ huic mutationi occasionem præbuerunt, nullo Ecclesiæ universæ decreto præeunte. Unde tempore sancti Thomæ, imo et Paludani, quædam Ecclesiæ, etiam Latinæ, veterem usum servabant. Periculum effusionis, prohibitio intinctionis, exempla communionis infirmorum et infantium, hæresis eorum qui alteram sine altera speciem non valere sentiebant, Ecclesiæ pastores paulatim induxerunt ad unius speciei communionem laicis impertiendam. Urbanus VI, post suam in Vaticana basilica coronationem, *omnes diaconos cardinales sua manu pretioso corpore et sanguine Christi communicavit, sicut de more summorum pontificum semper fuit*, uti legitur in epistola de ejusdem Urbani electione, quæ vulgata est in Spicilegii tomo IV, pag. 306, quod quidem contigit anno 1378. Verum nequidem presbyteris in eorum ordinatione altera species a pontifice Romano conceditur in Ordinario Jacobi Gaietani, qui sæculo tertio decimo desinente et quarto decimo ineunte floruit. Solis id tribuitur episcopis, qui genua non flectebant communionem sumentes. Hæc patent ex ejusdem Ordinarii capitibus 57 et 58. Attamen sub utraque specie communio regi et imperatori præbebatur a pontifice ante hæresim Hussitarum, ex ejusdem Cæremonialis cap. 107, non tamen reginæ, ex cap. 109. Clemens VI, referente Odolrico Rainaldo, Joanni Normanniæ duci ejusque conjugi, modo id privatim fieret, utriusque speciei communionem indulsit, uti et Burgundiæ duci, quod regi et reginæ Francorum itidem concesserat. Verum cum Fredericus, imperator eo nomine tertius, Paulo secundo pontifice Romam profectus esset, [LXIII] *communicavit summus pontifex altaris sacramentum cum imperatore, diacono et subdiacono de pane tantum; de calice autem, etsi consuetudo sit communicantes cum pontifice participare, propter insurgentem tamen Hussitarum ac Boemorum damnatam hæresim, quæ calicis potationem ad salutem necessariam puta', præter pontificem bibit nemo*. Hæc scribebat testis oculatus Augustinus Patricius, in libello de adventu imperatoris in Urbem, quem in Musei tomo primo retulimus.

Quo ritu Carolo quinto imperatori communio paulo ante ejus coronationem a Clemente septimo data sit, ex diario Paridis de Crassis, qui tunc cæremoniarum magister erat, referre non gravabimur. In Natali Domini, anno 1529, « dicto *Agnus Dei* in Missa, cardinalis Farnesius assistens accepit pacem a papa, distribuens aliis, osculato prius altari, et papa ipso in facie et in pectore, tum cæsare. Quem, cum vellet osculari altare ad suasionem sacristæ, ego expresse (inquit Paris) prohibui, quia neque cæsari, neque diaconibus cardinalibus licet osculari in tali casu altare, sed solum episcopis et presbyteris cardinalibus. His sic peractis, pontifex, detecto capite, ex altari venit ad solium suum, ubi stans cum devotione exspectavit sacramentum. Cardinalis vero Evangelii in altari genuflexus capiens sacramentum cum patena, in altitud nem oculorum suorum gyravit circum altare, et illud dedit subdiacono epistolæ in cornu Evangelii genuflexo exspectanti. Qui consurgens ad papam detulit, fimbrias altero magistro elevante, et ad sinistram papæ cum sacramento *se firmavit*, id est se stitit. Tum idem cardinalis genuflexus, calicem cum sanguine accipiens, pari modo gyravit, et ipse, me fimbrias elevante, portavit ad dexteram papæ, ubi se firmavit. Tum pontifex, lectis Orationibus ut in libro, sumpsit partem sacramenti, inde partem sanguinis ex calice cum calamo aureo. Cæsar et alii principes voluerunt communicare: pontifex alteram partem sacramenti fregit, et unam cardinali Cibo, aliam subdiacono dedit, osculata manu et facie papæ prius. Qui inde recesserunt ad altare, ubi partem sanguinis quilibet eorum sumpsit cum particula intus posita, ut moris est. »

Quibusdam tamen ex privilegio concessa est communio sub utraque specie, ut regibus Francorum in sua coronatione; diacono et subdiacono ecclesiæ sancti Dionysii prope Parisios [LXIV] in Dominicis et diebus solemnibus, et ministris altaris apud Cluniscum in singulis Dominicis et festis; quæ prærogativa a concilio Tridentino probata est.

X. *Ritus peculiares in Sabbato ante Palmas, et in ipsa Dominica Palmarum.*

Expositis quibusdam singularibus cæremoniis, quæ in Missa pontificali generatim in usum olim veniebant, nunc alii ritus singulares, qui certis anni diebus occurrunt, paucis præstringendi sunt. Incipimus a Sabbato ante Palmas, in quo magna est ritualium librorum varietas. Hæc circa tria potissimum versatur, nempe circa stationem, eleemosynam papæ, et fermentum.

In libris Sacramentarii Gregoriani, quos Amalarius suo tempore vidit, nulla statio assignatur, ut patet ex Officialis lib. I, cap. 9, ubi de Sabbato ante Palmas hæc leguntur: *Prætitulatur in Sacramentario nostro et in Antiphonario: Sabbato vacat. Dominus papa eleemosynam dat*, quasi diceret hoc Sabbatum vacare a statione, atque adeo ab officio proprio, propterea quod papa ipso die occuparetur, eleemosyna eroganda. Et sane hactenus Missæ officium, exceptis Collectis, Epistola et Evangelio, in eodem Sabbato repetitur ex feria sexta præcedente, quod in diebus qui a statione et officio vacant fieri solitum Micrologus jam dudum observavit. Verum tamen in nostro indice Collectarum et stationum assignatur hoc Sabbato *Collecta ad sanctum Xystum, statio ad sanctum Joannem in porta Latina*. Consentit Sacramentarium Editionis Pamelianæ, in quo, omissa Collectæ mentione, *statio ad sanctum Joannem ante portam Latinam* indicatur. Contra vero in Codice Christinæ reginæ, qui litteris majusculis sæculo octavo exaratus est, hæc verba leguntur: *Sabbatum ad sanctum Petrum, quando eleemosyna datur.* Ubi vides hic stationem poni ad sanctum Petrum, in aliis superioribus ad sanctum Joannem in porta Latina. Utrumque simul componitur in Codice Vaticano: *Sabbato ad sanctum Petrum, quando eleemosyna datur. Collecta ad sanctum Xystum, statio ad sanctum Joannem in porta Latina.* At in Capitulari epistolarum et Evangeliorum, quod eruditus Joannes Fronto sub *Kalendarii Romani* titulo vulgavit alia occurrit diversitas eodem die: [LXV] *Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi.* Unde tanta varietas?

Forte Gregorii tempore non fiebat illa eleemosyna ad sanctum Petrum; atque adeo statio ad sanctum Joannem in porta Latina fieri poterat. Quod quidem inde probari posse videtur, quod Zacharias papa statuit *ut crebris diebus alimentorum sumptus, qui et eleemosyna usque nunc appellatur, de venerabili patriarchio a procancellariis pauperibus et peregrinis qui ad beatum Petrum morantur deportarentur, eisque erogarentur.* An etiam sabbato ante Palmas? Num etiam huc referri potest id quod de Adriano I legitur, qui refecit *formam quæ vocatur Sabbatina, per quam decurrebat aqua in* gratiam pauperum qui *ad accipiendam eleemosynam in paschalem festivitatem annue occurrere et lavari* solebant, alii judicent. Quanquam si rite expendantur ea quæ de statione ad sanctum Petrum præmisimus, ea non ordinaria fuisse forsan videbitur, sed arbitraria, nempe, *quando eleemosyna dabatur*, quod ex pontificis forte voluntate pendebat.

De fermento etiam, quod in consistorio Latera-

nensi dari præcipitur, non minor difficultas. Nam fermentum istud aliud esse a prædicta eleemosyna colligitur, non solum ex vocis, sed etiam ex loci discrimine, quippe eleemosyna ad sanctum Petrum in Vaticano, fermentum in palatio Lateranensi erogabatur. Quod si fermentum hoc interpretemur de Eucharistia, quæ omni Dominico die per titulos ex consecratu pontificis mittebatur, cur potius Sabbato ante Palmas quam alia die facta ejus mentio? An quod presbyteris titularibus sequenti Dominica occupatis, non ipsa Dominica de more, sed Sabbato præcedente facta fermenti seu Eucharistiæ distributio; ideoque ob ritum extraordinarium notata? Fateor hæc mihi non bene comperta esse, sed tamen ea notare, et aliorum examini permittere visum est.

Ad eleemosynam ejusdem Sabbati quod attinet, Romani pontificis exemplo etiam aliæ Ecclesiæ pauperibus pedes ipso die lavare consueverant: in his provincia Rothomagensis, teste Joanne Abrincatensi episcopo, cujus hæc verba sunt. *In Sabbato quod Palmas præcedit episcopum aut majorem ecclesiæ pedes pauperum lavare ecclesiasticus Ordo præcipit, et fratrum unumquemque, si potest, unius pauperis*, et quidem ob exemplum Mariæ, quæ pedes Domini lavit. Nec dubium quin [LXVI] ipsis pauperibus itidem eleemosyna triberetur.

In Dominica Palmarum solebat deferri feretrum cum textu Evangeliorum, ut honor qui eo die Christo Domino exhibetur, vice ejus, sacrosancto Evangelio impenderetur. Qua de re sic habet Cencius in capite 9: *Die Dominica Palmarum præparatur quoddam portatorium honestissime, in quo intromittitur sanctum Evangelium, quod intelligitur Christus; et statuitur in ecclesia ante aram, unde clerus processurus est.*

Idem olim fiebat in aliis etiam Ecclesiis et monasteriis; sic enim legitur in libello ms. Consuetudinum Germaniæ monasteriorum: *Mane in Palmis custodes præparent diligenter quoddam portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capsæ, sive textum Evangeliorum. Desuper quoque appenduntur phylacteria sive buxæ reliquiarum. Ferant autem illud latenter ante horam primam ad ecclesiam, ad locum quo procedere debent, et cruces, et candelabra, et thuribulum, et aquam benedictam, et textum Evangelii, et albas, flores, palmas, et omnia quæ Processioni illi conveniunt.*

In quibusdam locis loco Evangelii reponebatur in feretro sacra Eucharistia; isque usus in Normanniæ monasteriis olim obtinebat etiam ante Berengarii hæresim. Hujusce ritus ordinem describit in Statutis suis Lanfrancus, Berengarii adversarius. *Cantore incipiente Antiphonam Occurrunt turbæ, exeant duo sacerdotes albis induti, qui portent feretrum, quod parum ante diem ab eisdem sacerdotibus illuc debet esse delatum, in quo et corpus Christi debet esse reconditum: ad quod feretrum præcedant statim qui vexilla portant, et cruces, et cætera quæ superius dicta sunt. Et stantibus iis qui feretrum portant, stabunt et ipsi a dextra et a sinistra sicut venerunt.* Et infra: *Taliter his peractis, abbate vel cantore incipiente Antiphonam* Ave Rex noster, *transeant portitores feretri per medium stationis, præcedentibus his qui vexilla portant, et cæteris superius dictis portitoribus, servato ab omnibus ordine in redeundo quem habuerunt in eundo. Quibus transeuntibus, flectent genua, non simul omnes, sed singuli hinc et inde, sicut feretrum transibit ante eos.*

Eumdem ritum describunt liber Usuum Beccensium nostrorum et Consuetudines monasterii Lyrensis ejusdem provinciæ, in quibus variæ ad sacrum feretrum genuflexiones præscribuntur, quæ sacrosanctæ Eucharistiæ venerationem manifeste [LXVII] probant. Sed hæc prolixius referre non juvat, quando in opere de Ritibus monasticis, quos unus e nostris Edmundus Martenne sub prelo habet, hæc omnia tractabuntur accuratius. Unum hic addo, scilicet hanc sanctissimi sacramenti solemnem delationem longe præcessisse institutionem Urbani IV, qui festum ejusdem sanctissimi sacramenti instituit primus, et annuam ejusdem sacramenti in eodem festo gestationem. Porro idem, quem ex Lanfranco supra descripsimus, ritus hactenus, ut audio, servatur in Ecclesia Rothomagensi, cujus præcipuum studium in expugnanda Berengarii hæresi nascente ea quæ in tomo secundo Analectorum retulimus manifeste probant. Hunc Rothomagensis Ecclesiæ ritum antiquum esse patet ex Actis subjunctis libro de Officiis ecclesiasticis Joannis Abrincatensis, in quo tamen nulla ejusmodi ritus mentio est.

XI. *Singulares ritus in triduo ante pascha, et primo quidem in cœna Domini et in Parasceve.*

In die Cœnæ Domini pœnitentes, qui feria quarta Cinerum præcedente reclusi fuerant, absolvi mos erat; chrisma novum consecrari, novum item ignem benedici, atque Eucharistiam in crastinum reservari; et (quod ab annis fere quadringentis institutum est) processus (ut vocant) generales seu excommunicationes pronuntiari adversus quosdam criminosos, qui processus etiam in Ascensione Domini et in dedicatione basilicæ apostolorum fieri solebant. De his omnibus fuse agitur in decursu sequentium librorum, de quibus hic quædam observanda sunt.

In primis referendum videtur id quod ex vetustissimo libros Sacramentorum Egberti Eboracensis episcopi, in Ebroicensi ecclesia asservato, de feria quinta in Cœna Domini legitur. *In Cœna Domini hora sexta celebratur Missa ad Lateranis. Sic incipiens Pontifex dicit* Oremus. *Tunc ponuntur in altare Sancta, et altare est cavum. Omnibus rite in altare compositis, oblata et libamenta, paucaque per ecclesiam luminaria accensa, diaconi dalmaticis vestiti, cerostata IX ante altare posita, stante ante altare pontifice, et elevata dicente voce* Sursum corda, *respondet populus*, Habemus ad Dominum. *Et pontifex, finito* Vere dignum, *dicit omnis* [LXVIII] *clerus et populus* Sanctus. *Sic intrat in Missam usque* Veniæ, quæsumus, Domine, largitor admittas. *Tunc diaconus cardinalis sumens oleum pro infirmis, portet usque ad pontificem: at ille paululum divertens se ab altare, stans in suo gradu, signans oleum in manu diaconi, et Orationem supra tacite dicens. Oratione finita; ponatur oleum super columnam quamdam. Sacerdos Missam ordine suo celebrat, dicit* Per quem hæc omnia, etc. *Post Orationem Dominicam, pontifex tacite signat calicem cum oblata sanctificata, nemine respondente. Diaconi cooperiunt sacramenta. Tunc archidiaconus ascendens cum chrisma, ampullam auream cum pallio albo in manu sua offert benedicendum pontifici. Finita Oratione consecrationis, ab acolythis ad salutandum proferatur, et in secretario ponatur. Communicante clero omnique populo, dicit pontifex omnibus communicantibus* Accepit Jesus panem. Oremus. *Data gratione respondet omnis populus* Amen. Huc usque Codex Egberti Eboracensis, qui medio sæculo octavo floruit.

In hoc fragmento quædam ampliori luce indigent. Et primo quidem ante Missam *ponuntur in altare Sancta*, quo nomine Eucharistiam, ex præcedente sacrificio reservatam, significari existimo, ut nempe in calicem una cum fragmento Eucharistiæ recens consecratæ commisceretur solemni ritu, quem superius explicavimus. Nam sanguis ille miraculosus, in concavo lapide asservatus, qui hoc die in Cœna Domini super altare afferebatur, ut mox videbimus non tantæ videtur antiquitatis.

Secundo Lateranensis ecclesiæ *altare est cavum*; unde pontifex, remota mensa, quæ aditum ad interiora occludebat, intra ipsum altare hac die sacris operabatur. Ordo Romanus ex Codice Maffæano hic editus ordine 10, rem exponit in hunc modum: *Levatur mensa de altari, palliis desuper complicatis, et cum reverentia et omni devotione ab eisdem reportetur ad capellam sancti Pancratii juxta claustrum canonicorum, quia ibi est locus conservationis; et cum omni cautela usque in diem Sabbati custodiatur. Deinde*

pontifex venit ad altare, accipiens ampullam vitream, quæ intus se continet quoddam vasculum aureum, et in vasculo est lapis pretiosus concavus, et in illa concavitate lapidis est sanguis Christi diligenter inclusus, qui dicitur miraculose de quadem imagine Christi percussa profluxisse, qui annualiter extrahitur, et reponitur ibi in concavitate lapidis arcæ [LXIX]; *et tunc levatur a pontifice., et ostenditur, ut to a turba valeat cum timore et omni devotione videre. Postea traditur custodienda priori et canonicis ejusdem ecclesiæ usque in diem Sabbati. Tunc pontifex ad sacrificandum intrat solus infra arcam, ut significetur quod in veteri Testamento scriptum est, quia solus pontifex intrabat solus in anno in Sancta sanctorum*, etc. Eamdem hujusce facti rationem affert Innocentius tertius in Sermone de Cœna Domini, cui accedit Guillelmus Durandus in lib. VI, cap. 75.

Facta chrismatis Benedictione, pontifex, ablutis manibus, revertebatur ad altare, ubi communicabat, et post eum *omnis populus ordine suo*, quæ verba sunt primi Ordinis Romani; *et servabatur de Sancta usque in crastinum. Ea vero die hora nona faciebant excuti ignem de lapide in loco foris basilicam, ita ut posset candela accendi*, ex qua lumen *servabatur usque in Sabbatum sanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus erat.* Modo hæc novi ignis Benedictio in Sabbatum ipsum remittitur.

In vulgato Ordine Romano præscribitur ut, facta chrismatis Benedictione, pontifex redeat ad altare, *et diaconi discooperiant Sancta*; dein *pontifex dividat oblatas ad frangendum, et communicet omnis populus ordine suo*; *et sumat de ipsis oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves, de quibus communicent absque sanguine Domini. Sanguis vero eadem die penitus consumatur.* Ita etiam legitur in Codice Vindocinensi. Et post pauca: *Fractis autem oblatis, communicent primo presbyteri, postea diaconi et cæteri omnes. Et ita perficiatur Missa pleniter ordine suo.* In Ordine Maffæano mox laudato solus Pontifex hac die communicare dicitur, ubi apud Lateranum sacra facit.

Non prætermittendus hoc loco Codex Corbeiensis, in quo habetur Ordo Romanus pro triduo ante Pascha, ritui monastico ante annos octingentos accommodatus. Quæ enim in eo leguntur de communione in Cœna Domini videntur observatione digna. *Sacerdos vero cum fregerit Sancta, mittat unam partem in calicem, et ex alia communicet. Porro tertiam in altare dimittat, et confirmetur a diacono de calice, et illo tantummodo die. Postquam confirmaverit sacerdotem, ponat calicem super altare, et accipiat diaconus patenam majorem, mittatque in ea de Sancta oblatas integras, et ponat juxta calicem* [LXX] *in sinistro latere; et duo subdiaconi veniant, unus cum patena, et alius cum calice, utrisque vacuis; et tollat diaconus de majore patena ex oblatis, quantum sufficere possit ad communicandum populum; et de calice similiter; et mittat in patenam et calicem, quæ subdiaconi tenent in manibus. Et statim illud, quod remanet super altare, cooperietur a duobus diaconibus, utrumque sindone munda. Et de illa alia juxta altare faciant confractionem, et redeant ad sacerdotem, ut communicent ipsi et reliqui per ordinem. Et data oratione post communionem, diaconus non dicat* Ite Missa est; *sed ipsa Oratione finiantur universa. Ipsa vero oblata, quæ super altare cooperta remanserant, serventur in crastinum juxta consuetudinem.* Huc usque Codex Corbeiensis, num. 663, de quo iterum infra. In superioribus verbis, *Confirmetur a diacono de calice, et illo tantummodo die*, quædam obscuritas inest, ex aliis libris illustranda, in quibus præscriptum est ut Pontifex cum fistula seu calamo sanguinem e calice sugat, præter quam in Cœna *Domini*, quo tantum die ex ipso calice sanguinem olim hauriebat. Denique in veteri Missali illustrissimi episcopi Rivensis, ab annis ferme sexcentis scripto, totidem fere quæ in ordine Romano verba referuntur in hunc modum: *Tunc communicet solus presbyter seu episcopus; et diaconus cooperit Sancta de sindone super altare. Postea presbyter lavet manus, et diaconus vadat ad altare, et discooperiat Sancta; et presbyter veniat ante altare, et dividat oblata ad frangendum, et communicet omnis populus ordine suo*, etc. *Et corpus Domini in crastinum diligentissime reservetur, et dum chorus Vesperas dixerit, ubi reservari debet, veneranter deportetur a sacerdote et diacono cum reliquis ministris, linteamen mundissimum desuper tenentibus; et hoc sine sanguine, et thuribulo et luminaribus præcedentibus, usquequo reponatur ubi reponendum est, et nunquam sine lumine remaneat.* Huc usque vetus Missale, quod fuit ad usum ejusdem Ecclesiæ Rivensis, quæ proinde Ordine Romano tunc utebatur; paucis additis pro temporis et loci circumstantiis.

Quod attinet ad pœnitentes, hi ante Missam Ecclesiæ reconciliabantur; contra vero processus generales adversus criminosos fiunt post Missam ante mandatum seu ablutionem pedum. De ejusmodi pœnitentium reconciliatione agit Hieronymus in epistola ad Oceanum, de obitu Fabiolæ, quæ saccum induta, *ut errorem publice fateretur, tota urbe spectante Romana*, [LXXI] *ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, qui Cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pœnitentium, episcopo, presbyteris et omni populo collacrymantibus.* Eumdem ritum fuse describit Sozomenus, in lib. VII, cap. 16, quem consulere non pigebit. Solemnem formam absolvendi hac die pœnitentes habes in vulgato Ordine Romano.

Cæterum ne basilica sancti Petri expers esset honoris in Cœna Domini, Joannes XIX singulari diplomate constituit ut Silvæ Candidæ episcopus ipsa die chrisma in eadem basilica consecraret, aliaque præstaret quæ in pontificiis litteris suo loco hic edendis exprimuntur.

Feria sexta, quæ dicitur Parasceves, præmissis Orationibus solitis, pro singulis Ecclesiæ ordinibus atque hominibus universis (quarum Orationum meminit Cœlestini papæ primi epistolæ subjectus libellus, continens auctoritates præteritorum sedis apostolicæ episcoporum de gratia et libero arbitrio contra Pelagianos, cap. 8), facta crucis adoratione, *presbyteri duo priores*, mox in crucem salutaverant, *intrabant in sacrarium, vel ubi repositum fuerat corpus Domini, quod pridie remanserat, ponentes eum in patenam; et subdiaconus tenebat ante eos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini, quibus tenentibus, accipiebat unus presbyter prior patenam, et alter calicem; et deferebant super altare nudatum.* Ita scriptum legitur in primo Ordine Romano et in ejus appendice. Paulo aliter habet vetustissimum Sacramentarium, Gellonensi monasterio a Carolo Magno concessum. *Istas Orationes supra scriptas expletas, ingrediuntur diaconi in sacrario, et procedunt cum corpore et sanguine Domini, quod ante die remansit, et ponunt super altare. Et venit sacerdos ante altare, adorans crucem Domini*, etc. Hic non presbyteri, sed diaconi deferunt e sacrario corpus Domini, quod *corpus et sanguis Domini* appellatur, etsi sub unica specie reservatum. Eadem verba habet ad hunc diem Sacramentarium Gelasianum. Huic testimonio suffragatur Augustinus Patricius in suo Cæremoniali, *quod ante Joannem XXII diaconus portabat ante altare sacramentum, quod etiam communis rubrica habet. Post illa tempora*, inquit, *pontifex illud reportat, et melius.* Et quidem nunc pontifex, etiamsi ipse divina non celebret, sanctissimum sacramentum solet in Cœna Domini gestare in capellam, ubi est reservandum; atque inde [LXXII] in altare die sequenti referre.

In prædicta appendice primi nostri Ordinis Romani consequenter hæc leguntur: *Salutata cruce, et reposita in loco suo, descendit pontifex ante altare, et dicit* Oremus, Præceptis, *etc.*, *cum* Pater noster. *Sequitur* Libera nos, quæsumus, Domine. *Cum dixerint* Amen, *sumet de Sancta, et ponet in calice, nihil dicens. Et communicant omnes cum silentio. Et expleta sunt universa.* Eadem totidem verbis occurrunt in primo Ordine Romano, in quo hæc adduntur: *Et dicit pon-*

tifex in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Pax tibi. *Respondent* Amen. *Et post paululum Vesperam dicit unusquisque privatim; et sic vadunt ad mensam.*

In utroque *omnes* dicuntur communionem accipere in die Parasceves, quod etiam fiebat in Cœna Domini. Idem attestatur Codex Gellonensis. Oppositum vero docet vulgatus Alcuinus, ubi de Cœna Domini: *Sunt qui quotidie Eucharistiam volunt sumere. Et quia in Parasceve non conficitur corpus Domini, necesse est ut hi quibus est voluntas communicandi habeant sacrificium ex priori die, quod tamen Romani non faciunt.* Hic locus totidem verbis apud Amalarium in lib. I, cap. 12, legitur, excepta hac clausula, *quod tamen Romani non faciunt.* At caput 15 rem ipsam habet, adducto loco præmisso ex Ordine Romano: *In superius memorato libro inveni scriptum ut duo presbyteri afferant post salutationem crucis corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, et calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur, et inde communicet populus. De qua observatione interrogavi Romanum archidiaconum, et ille respondit:* IN EA STATIONE, UBI APOSTOLICUS SALUTAT CRUCEM, NEMO IBI COMMUNICAT. Ergo tunc desierat ritus ille præscriptus in antiquioribus libellis Ordinis Romani. Nam et archidiaconus Romanus morem sui temporis ignorare non poterat, utpote testis oculatus; et Amalarius, in ejusmodi rebus accuratus, ab errati, multo magis a falsi suspicione alienus censendus est. Certe in decimo quem hic edimus (*pag.* 101, *lin.* 19) Ordinis Romani libello, solus pontifex *in Cœna Domini* et in Parasceve, seclusis etiam ministris, communicasse memoratur, tametsi alibi communio generalis hisce diebus perseverabat.

Quæ fuerit sæculo decimo illa statio, ubi pontifex in Parasceve [LXXIII] sacra officia peragebat, discimus tum ex eodem libello, tum ex Benedicto sancti Petri canonico. « In Parasceve, inquit Benedictus, episcopus hebdomadarius facit officium in basilica Salvatoris. Dominus papa descendens de palatio ibi post altare cum aliis ordinibus se induit, et discalceatus pergit cum Processione, et omnes cum eo, cantando Psalterium, usque ad sanctam Crucem. Quidam cardinalis honorifice portat corpus Domini præteriti diei, conservatum in capsula corporalium, subdiacono regionario ferente ad pectus crucem stationalem coopertam. Cum venit ad ecclesiam prædictæ basilicæ pontifex, lotis pedibus, calceatus ascendit ad altare, ubi prius orat, et postea residet. Quidam basilicarius vadit ad pulpitum, et incipit legere; deinde aliud omne officium, sicut in libro scriptum est. Peracto *Pater noster*, etc., accipit corpus Domini, quod cardinalis adduxerat, et confirmat de vino misso in calice. Finito officio, ita induti redeunt eadem Processione, sicut prius, tamen calceati, usque ad palatium, cantando residuos Psalmos. »

Verum non eo in loco, nec iisdem ritibus factam fuisse octavo sæculo stationem in Parasceve, ambigere non possumus. In primo enim Ordine Romano et in ejus appendice, ipsa die præscriptum est ut *hora tertia conveniant omnes presbyteri, tam civitatis, quam de suburbanis, et omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra Urbem, non tamen in majore Ecclesia; et ibi exspectent pontificem, vel qui vicem illius tenuerit.* Post orationes *presbyteri ecclesiarum, sive de Urbe, sive de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta ad vesperum faciant.* In antiquissimo libro stationum nullus locus assignatur pro die Parasceves, sed hæc tantum rubrica legitur: *In Parasceve diurnalem cursum separatim cantamus, et hora nona ingredimur ecclesiam cum domino episcopo sive presbytero cardinali; et induti vestimentis nigris, absque ullo cantu procedimus ad altare; et lector ascendit pulpitum.* Arbitraria proinde erat antiquitus illa statio. Quanquam cum pridie statio fuisset ad basilicam Lateranensem, ubi proinde Eucharistiæ species altera fuerat reservata; diei sequentis stationem non multum inde abesse oportebat, ne Eucharistiam longius deferri necessarium fuisset ad Missam præsanctificatorum in Parasceve celebrandam. Porro antiquissimam esse in Lateranensi basilica stationem colligitur ex Hieronymi epistola ad Oceanum de morte Fabiolæ, [LXXIV] quæ *ante diem Paschæ in basilica Laterani, qua cæsariano truncatus est gladio, stetit in ordine pœnitentium.* Hæc autem pœnitentium reconciliatio Romæ tunc fiebat *quinta feria ante Pascha*, ut diserte tradit Innocentius I in epistola ad Decentium.

Antequam hoc caput absolvamus, investigare juvat, an primis Ecclesiæ sæculis fuerit in usu Missa præsanctificatorum in Parasceve; et an ritus iste fuerit universalis; deinde cur solemnis Missa hac ipsa die non fuerit celebrata, uti nec in sabbato subsequente, nam quæ hoc die nunc dicitur Missa ad noctem subsequentem pertinebat; denique cur in calice vinum et aqua de more posita; et cur tandem Eucharistiæ particula in calicem immissa.

Ad primum non facilis est solutio. *Traditio ecclesiæ habet*, teste Innocentio I, *isto biduo*, Parasceves et Sabbati sancti, *sacramenta*, id est sacra Eucharistiæ mysteria, *penitus non celebrari.* Verum an hoc testimonium ad Missam præsanctificatorum extendi debeat, non liquet. Si ea quæ superius ex vulgato Sacramentario Gelasiano notavimus ascititia non sunt, hunc morem sæculo quinto jam obtinuisse asserendum est. Saltem quin Gregorii Magni ævo in usu fuerit, nemo jure negaverit.

Verum ritus ille apud Latinos non videtur fuisse universalis ante Gregorii pontificatum. De Africana ecclesia id unum ex Augustini sermone 218, qui in nova Editione de Passione Domini est, discimus, quod tunc *solemniter legebatur Passio, solemniter celebrabatur;* at in quo sita esset hæc solemnitas, non constat, nisi quod, ex sermone 232, *Passio, quia uno die legebatur, non solebat legi nisi secundum Matthæum.* Unde Augustinus voluerat aliquando *ut per singulos annos secundum omnes evangelistas legeretur;* quod cum factum fuisset, *non audierunt homines quod consueverant, et perturbati sunt.* Sed nec in his omnibus neque in aliis (quod quidem sciam) apud Augustinum locis quidquam de Missa præsanctificatorum.

Patres concilii Toletani IV, canone 7, reprehendunt quarumdam Hispaniæ ecclesiarum abusum, in quibus *in die sextæ feriæ Passionis Domini, clausis basilicarum foribus, nec celebratur officium, nec Passio Domini populis prædicatur.* Quare sanciunt *oportere eodem die mysterium crucis, quod ipse Dominus cunctis nuntiandum voluit, prædicari, atque indulgentiam criminum clara voce* [LXXV] *omnem populum postulare, ut pœnitentiæ compunctione mundati, venerabilem diem dominicæ Resurrectionis, remissis iniquitatibus, suscipere mererentur, corporisque ejus et sanguinis sacramentum mundi a peccatis sumerent.* Differebatur itaque communio in diem Resurrectionis; sola vero Passionis Domini prædicatio seu recitatio cum officio divino tunc in Parasceve usitata erat cum solemni peccatorum indulgentia, cujus veterem ritum accurate exhibet hac ipsa die Missale Mozarabum, in cujus Editis Missa præsanctificatorum adjecta videtur. Certe communionem generalem apud Hispanos tunc in usu non fuisse confirmatur ex ejusdem concilii canone 8, in quo *a paschali gaudio* seu communione repelluntur, qui diem Passionis Domini *per abstinentiam non honorassent*, ut solebant nonnulli, qui ipso die *ad horam nonam jejunium solvebant.*

Si auctor regulæ quæ sub Magistri nomine edita est in Gallia vixit, ex eo colligitur sæculo septimo Missam præsanctificatorum in Gallia viguisse ad diem Parasceves, siquidem Magister, in cap. 53, præcipit ut ipsa die *sacramenta altaris in patena majore vitrea finiantur*, id est, recondantur, *ut cum sexta feria Judæi ad passionem Christum quæsierint, sit ipsa die mentibus nostris reclusus*, scilicet per communionem, *ut Sabbato nobis*, inquit, *per resurrectionem in sacramento novo appareat.* Tum communione eos privat qui aliquid cibi in Parasceve degustaverint. *Jam qui sexta feria refe-*

sturi sunt sine communione reficiant, ut agnoscatur jam quis sexta feria injuste refici sine Christo. Cum ergo in pœnam percepti cibi abstinere hac die a communione Magister præcipiat, consequens est communionem iis qui totum diem jejuni perseverassent impertitam fuisse. Verum an id Gallicanis ecclesiis tribui possit, incertum est, maxime cum in antiquissimis libris liturgicis, qui ante receptum Romanum Ordinem apud nostrates Gallos in usu erant, nihil hac de re præscriptum legatur.

Jam vero quam ob rem solemne sacrificium (quæ altera quæstio est) in Parasceve et in sabbato subsequente sit prætermissum, non levis etiam difficultas. Moralem causam de Parasceve afferre solent ecclesiasticorum rituum expositores, nempe *quia in hac die Dominus seipsum obtulit, et ipsa oblatio sufficit ad salutem credentium;* quæ ratio est Amalarii et vulgati Alcuini. Probabilior est ea quæ ab Innocentio I indicatur, scilicet quod isto biduo apostoli, in mœrore constituti, jejuni [LXXVI] permanserint, adeo ut ob hanc causam *traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Hinc factum est ut primi Christiani, apostolos imitandi studio, ab omni cibo itidem hoc biduo abstinuerint, atque ab ipsa sacrificii oblatione, et fortasse etiam a communione ex præsanctificatis, quæ nescio an primis temporibus fuerit omissa.

At sive ab ipsis Ecclesiæ nascentis initiis, sive subsequentibus primis sæculis hæc Missa et communio ex præsanctificatis instituta sit, occurrit alia difficultas, cur in ejusmodi Missa aqua et vinum in calicem immissa, cur etiam particula Eucharistiæ antea consecratæ? Nimirum quia communio sacri convivii rationem habet, ex cibo et potu debet constare. At quoniam altera Eucharistiæ species in crastinum reservanda haud videbatur, nec isto biduo sacramenta celebrari mos sinebat; inde factum est ut ex puro vino aqua misto, sed tamen particula Eucharistiæ sanctificato, altera convivii pars, videlicet potus, suppleretur. Hæc nostræ conjecturæ, quas peritiorum judicio et censuræ subjicimus; nunc ad alia procedamus.

XII. *De sanctificatione calicis non consecrati ex contactu particulæ consecratæ.*

Exigit hic locus ut ad ampliorem argumenti cognitionem expendamus an calix in Missa præsanctificatorum, quæ in die Parasceves celebratur a Latinis, vere ac proprie consecretur per immissionem particulæ consecratæ, tum an scyphus, adhibitus ad communionem populi in Missa pontificia, itidem fuerit consecratus ex infusione sanguinis consecrati. In hac duplici quæstione, quæ fere in unam recidit, examinanda, distinguendi sunt auctores qui ante hæresim Berengarii ab iis qui post illam vixerunt. Deinde inquirendum privata an communis eorum fuerit sententia. Demum si quidam illorum consecrationem ex contactu fieri crediderint, an hæc opinio Romanæ de vera Christi corporis et sanguinis in Eucharistia persuasioni adversetur.

1. Atque ut a Missa præsanctificatorum incipiamus, nihil hac de re occurrit antiquius Sacramentario Gelasiano. Nam qui huc a nonnullis invehitur Arausicanus canon 22, nonnisi [LXXVII] de *admistione* Eucharistiæ in calice jam consecrato procul dubio intelligendus est. Nihil, inquam, antiquius Sacramentario Gelasiano, cujus Editionem Romæ anno 1680 procuravit vir de Ecclesia bene meritus Josephus Maria Thomasius. In illo Sacramentario hæc leguntur in Cœna Domini: *Hoc autem expleto*, scilicet chrismatis Benedictione, *venis ante altare, ponis in ore calicis de ipsa hostia. Non dicis*, Pax Domini, *nec faciunt pacem; et reservant de ipso sacrificio in crastinum, unde communicent.* Et feria sexta sequente: *His omnibus expletis, adorant omnes sanctam crucem, et communicant.*

Paulo recentior est Ordo Romanus, cujus hæc verba sunt in libris vulgatis, ubi de feria sexta in Parasceve: *Qua salutata*, scilicet cruce, *et reposita in loco suo, duo subdiaconi et presbyteri duo priores intrent in sacrarium, vel ubi positum fuerit corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes illud in patenam, et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini; quibus tenentibus, accipiat unus presbyter prior patenam, et alter calicem, et deferant super altare nudum*, [*canendo communionem* Hoc corpus, quod pro vobis. *Finita autem communione, incipiat episcopus* In spiritu humilitatis, *ante altare se inclinans; et cum se erexerit, dicat:*] Præceptis salutaribus, et Pater noster, et Libera nos, quæsumus, Domine, *usque* Per omnia sæcula sæculorum. *Cum vero dixerint* Amen, *sumit de Sancta, et ponit in calicem, nihil dicens, nisi forte secrete aliquid dicere voluerit.* Pax Domini *non dicat, quia non sequuntur oscula circumastantium. Sanctificet autem vinum non consecratum per sanctificatum panem. Et communicent omnes cum silentio, et sic expleta sunt universa.* Huc usque Ordo Romanus, prout in optimæ notæ Codice Vindocinensi legitur, ubi ansulis inclusa desunt in Vulgatis, in quibus variat etiam hic locus: Sanctificatur *autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.*

Verum quisquis sit horum verborum sensus, de quo postea, hæc a posteris explicationis causa videntur intrusa in primigenium libellum de Ordine Romano. Hæc enim verba absunt in primo nostro libello, num. 34. Absunt etiam in ejus appendice; nam utrobique, hoc glossemate prætermisso, lectio ita habet: *Sumit de Sancta, et ponit in calicem, nihil dicens; et communicant omnes cum silentio, et expleta sunt universa.* Ita in Codicibus [LXXVIII] Vaticano, Corbeiensi et Colbertino pervetustis, ex quibus Colbertinus et Corbeiensis ad annos octingentos accedunt. Ita etiam in Sacramentario Gregoriano.

Ordini Romano succedat Amalarius, in lib. I, cap. 15: *In superius memorato libro inveni scriptum ut duo presbyteri afferant post salutationem crucis corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, et calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur, et inde communicet populus... Quis juxta ordinem libelli per commistionem panis et vini consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius, isto biduo sacramenta penitus non celebrari... Ratus ordo est ut exspectemus, usquedum Dominus noster consecret sacramenta corporis et sanguinis sui in cruce, et nova ea faciat per resurrectionem suam, et sic tandem manducemus et bibamus saluberrimum illud sacramentum.*

Vulgatus Alcuinus iisdem ferme verbis utitur atque editus Ordo Romanus. *Cum vero dixerint* Amen, *sumit de pane sancto, et ponit in calicem silendo.* Pax Domini *non dicit, quia non sequuntur oscula circumstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Sed hæc ex Amalarii prima Editione desumpta esse postea videbimus.

Hi sunt auctores quos de hac consecratione seu sanctificatione mentionem fecisse invenimus ante damnatum Berengarium. Proxime post mortem Gregorii septimi, qui Berengario tandem silentium imposuit, scribebat Micrologus, qui ea de re agit in cap. 19: *Non est autem authenticum quod quidam corpus Domini intingunt, et intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia et in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominica Oratione et Dominici corporis immissione jubet consecrare, ut populus plene possit communicare.*

In libellis Benedicti canonici sancti Petri, et Cencii cardinalis nulla fit mentio de illa consecratione per contactum; imo Benedictus ait pontificem, sumpto corpore Christi Domini, confirmari *de vino misso in calice*, non de vino consecrato seu sanctificato. At Jacobus Gaietanus habet, in cap. 92, *sanctificari vinum non consecratum per corpus Domini immissum.* Petrus Amelii, *per corporis Domini missionem*, quod

idem est. Denique, ut de Romanis Ritualibus absolvamus, Augustinus Patricius *vinum* simpliciter appellat, in libr. II, cap. 51 : *Sumit vinum et aquam cum particula in calice existenti*, scilicet episcopus [LXXIX] divina celebrans papa præsente; et cap. 54, pontifex ipse *non sugit vinum cum calamo*, *sed de calice bibit*.

Major est difficultas in decimo libello nostro hic edito, ubi cum agitur de viatico infirmorum, præscribitur eis tradi *Eucharistiam Dominici corporis vino intincti*, *et vinum*, *tali intinctione sanctificatum*, *in Christi sanguinem* transmutatum *dicendo*, Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis, etc. Hic enim *transmutationis* vocabulum nullam relinquit ambigui sensus dubitationem. Verum in Rituali Romano, Florentiæ in bibliotheca sanctæ Crucis asservato, idem ritus iisdem verbis refertur, his exceptis, *in Christi sanguinem transmutatum*, quod argumento est idem evenisse isti Rituali atque Ordini Romano, ut a privato quodam auctore commentarii loco inserta sint isthæc verba, quæ non communem Ecclesiæ Romanæ, sed privatam cujusdam hominis sententiam exprimunt. Certe Jacobus a Vitriaco cardinalis, qui ejusdem Ecclesiæ doctrinam ignorare non poterat, indubitanter affirmat *mentiri* eos qui dicunt *in die Parascevæ corpus Christi ex contactu mutare vinum in sanguinem*. Nemo ergo dixerit hanc fuisse tum Romanæ Ecclesiæ doctrinam, sed ut summum quorumdam Ritualium glossatorum.

2. Alterum caput, quod hoc loco discutiendum occurrit, est an auctores et libri mox laudati eo ferant, ut non nisi de vera et proprie dicta consecratione interpretandi sint, hoc est, an ea sit eorum sententia, vinum ex contactu particulæ consecratæ vere ac proprie in Christi sanguinem commutari; an vero consecratio seu sanctificatio hæc credita sit tantum accidentaria et metaphorica.

De Sacramentario Gelasiano, deque primo Ordinis Romani libello, ejusque priori appendice, nihil certi et explorati afferri potest, quandoquidem commistæ particulæ tantum mentionem faciunt, non consecrationis aut sanctificationis ex contactu consequentis. Hanc autem diserte exprimit Ordo Romanus vulgatus ad diem Parasceves, librisque vulgatis consentit Vindocinensis Codex, nisi quod ubi in Editis habemus *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*, in prædicto Codice legitur *Sanctificet*, etc., nullo sententiæ discrimine. Verum an clausula hæc in primigenio exemplari Romani Ordinis scripta fuerit, merito dubitari potest. Neque enim in Sacramentariis Gelasiano et Gregoriano, [LXXX] neque in antiquioribus Ordinis Romani libellis repetitur hæc clausula, quæ glossema redolet interpretis, non primi auctoris ritum ipsum instituentis.

At permisso hanc clausulam esse ipsius Ordinis Romani quem tertio loco edimus propriam, non ascititiam; quis tandem ejus sensus? Sane etsi apud Cyprianum in epistola ad Epictetum idem sit oblationem *sanctificari* ac consecrari, tamen hoc loco is tantum sensus videtur esse, ut vinum non consecratum sanctificationem accidentariam accipiat ex particulæ immissæ contactu, non autem consecrationem veram ac realem, qua vinum in Christi sanguinem re vera commutetur. Id nemini obscurum videbitur, si attente expendatur locus ex officio in Cœna Domini, prout in Vulgatis exstat : *Pontifex veniens ad altare dividat oblatas, et sumat de ipsis oblatas integras ad servandum usque mane diei Parasceves*, *de quibus communicant absque sanguine Domini*. *Sanguis vero eadem die penitus consumatur*. Ex quibus verbis liquet hanc esse istius loci sententiam, ut in Parasceve communio fiat *absque sanguine Domini*, quia pridie *sanguis penitus consumptus* fuit. Ergo mens auctoris est vinum vere ac proprie sanguinem haudquaquam fieri ex contactu particulæ in calicem injectæ, alias communio non fieret *absque sanguine Domini*. Itaque cum in officio Parasceves legitur, *Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem*, si hæc verba in vulgatum Ordinem Romanum intrusa non sunt, de sanctificatione tantum accidentaria explicari debent, non vero de consecratione vera ac reali.

Huic interpretationi favet *traditio Ecclesiæ*, cujus meminit Innocentius primus in epistola ad Decentium, quæ traditio habet *isto biduo*, quod Paschæ diem antecedit, *sacramenta penitus non celebrari*; quod contra esset, si vini consecratio vera fieret quocunque demum pacto. Neque enim dici posset *sacramenta penitus non celebrari*, si vel ex parte fieret consecratio. Ut ergo sibi constet Ecclesiæ traditio, ea sola admittenda est in Parasceve sanctificatio, quæ sacramentorum omnimodam celebrationem seu consecrationem excludat, scilicet vini sanctificatio extrinsecus adveniens ex contactu particulæ antea consecratæ. Sane si Ecclesia perfectam ex utraque specie communionem in Parasceve habere absque celebratione voluisset, facile erat sanguinem Dominicum ex præcedente sacrificio [LXXXI] in crastinum reservare citra periculum vel injuriam tanti Sacramenti.

De Amalarii sententia major est difficultas; quæ ut facilius capiatur et illustretur, observare juvat non unam, sed plures factas fuisse ab Amalario libri Officialis, in quo hac de re agit, Editiones seu recognitiones. Quippe sub annum 820 istud opus, quod quatuor libris constat, composuit, illudque Ludovico Augusto nuncupavit. Deinde vero cum post annos decem Romam ab eodem imperatore missus fuisset, multaque in ritibus ecclesiasticis coram observasset, opus suum denuo recognovit, atque in eo nonnulla correxit, et mutavit, præfixa operi suo altera præfatione, quæ hujusce recognitionis mentionem facit in hæc verba : *Postquam scripsi libellum, qui a parvitate mea vocatur de ecclesiastico Officio, veni Romam, interrogavique ministros ecclesiæ sancti Petri*, etc. Ex ejusmodi interrogationibus multum profecit Amalarius ad limandum castigandumque librum Officialem, in quo nota est non parva inde varietas, cum in aliis exemplaribus lectio prior, in aliis posterior servaretur. Id patet in primis ex lib. I, cap. 15, cujus duplex est Editio omnino diversa. In illis siquidem exemplaribus, quibus deest altera cujus superius meminimus præfatio, ita affertur hoc caput : *Post hoc præcipit Ordo ut presbyteri afferant corpus Domini*, *quod pridie remansit, et calicem cum vino non consecrato*. Et quibusdam interpositis, quæ ad moralem significationem pertinent : *Hæc posita in altari, dicit sacerdos Orationem Dominicam et sequentia ejus usque* Per omnia sæcula sæculorum. *Hoc peracto*, *assumit de sancto corpore, et ponit in calice silendo*. Pax Domini sit semper vobiscum *non dicitur*, *quia non sequuntur oscula circumstantium*. *Sanctificatur enim vinum non consecratum per sanctificatum panem*. *Postea communicant omnes*. Sic habetur in Codice Colbertino, num. 224, in quo tres tantum priores libri habentur, omissa præfatione posteriori; sic in aliis tribus exemplaribus quæ viderat Hittorpius, apud quem prædictum caput 15 in operis contextu omnino diversum est, ex quo hæc delibamus. *In superius memorato libro inveni scriptum ut duo presbyteri afferant post salutationem crucis corpus Domini, quod pridie reservatum fuit, et calicem cum vino non consecrato, quod tunc consecretur, et inde communicet populus. De qua observatione interrogavi Romanum archidiaconum, et ille respondit*: [LXXXII] *In ea statione, ubi Apostolicus salutat crucem, nemo ibi communicat. Qui juxta Ordinem libelli per commistionem panis et vini consecrat vinum*, *non observat traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius isto biduo sacramenta penitus non celebrari*. Tantam discrepantiam hoc in capite, et in alio, de quo mox dicemus, cum advertisset Hittorpius, eam tribuit diversæ ejusdem operis Editioni ab auctore factæ, et priorem quidem hujus capitis lectionem primæ esse Editionis censuit, posteriorem vero recogniti operis. Illud argumento est quod Amalarius ipsum caput hoc modo recognitum incipiat ab interrogatione Romano

archidiacono facta, in sua scilicet Romana legatione, qua peracta opus suum emendavit. Inde fit quod in Codice Colbertino, in quo prior hujusce capitis lectio exstat, omissa est altera operis præfatio quæ recognitioni præfixa fuit.

Alia est in eodem opere varietas non minor in lib. IV, cap. 26, ubi relata Gregorii Magni ad Joannem Syracusanum epistola de nonnullis ritibus Ecclesiæ Romanæ, quasdam ex ea observationes colligit, inter quas hæc erat in prima operis Editione, quam in recognitione expunxit, ab Hittorpio ad calcem operis cum aliis variis lectionibus relata. *Et dubitatio aufertur de die Parasceves, de qua aliqui dubitant utrum in ea* consecretur corpus Domini, an non. In eadem die apostolica recolitur *consecratio, quæ tantum Dominicam Orationem super corpus et sanguinem Domini dicebat.* (Nempe *quia mos apostolorum fuit*, quod Gregorius in illa epistola tradit, *ut ad ipsam solummodo Orationem Dominicam oblationis Hostiam consecrarent.*) *Igitur nisi esset admonitum ex Romano Ordine ut reservaretur corpus Domini a quinta feria usque in sextam, non esset necessarium reservari, quoniam sufficeret sola Oratio Dominica ad consecrandum corpus, sicut sufficit ad consecrandum vinum et aquam. Quod enim Innocentius dicit, isto biduo sacramenta penitus non celebrari; intelligendum est, ut juxta morem Ecclesiæ nostræ non celebrentur.*

His præmissis, disquirendum est quæ fuerit Amalarii in his duobus primæ Editionis locis sententia super consecratione vini in Parasceve, et quid demum in suæ sententiæ recognitione emendaverit. In priori loco ait *sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem;* in posteriori quasi non satis valere animadverteret sanctificationem illam ex [LXXXIII] commistione particulæ consecratæ, ulterius progressus est in lib. IV, cap. 26, ratus vini consecrationem fieri per solam Orationem Dominicam. Atque ut eum de vera et proprie dicta consecratione loqui appareat, ita mentem suam exponit, ut dicat: *Nisi esset admonitum ex Romano Ordine ut reservaretur corpus Domini a feria quinta usque ad sextam, non esset necessarium reservari.* Quid ita? *Quoniam sufficeret sola Oratio Dominica ad consecrandum corpus, sicut sufficit ad consecrandum vinum et aquam.* Hoc in loco manifestum est auctorem agere de vera ac proprie dicta Dominici corporis consecratione, quæ fieret per solam Orationem Dominicam in feria sexta, si ex priori consecratione nihil fuisset reservatum. Unde consequens est eamdem Orationem Dominicam, secundum Amalarium, *sufficere ad consecrandum vinum et aquam* consecratione non tantum accidentaria, sed vera ac reali.

Nunc vero quid in secundis curis sui operis auctor in his duobus locis emendavit? De priori facilis est solutio ex comparatione quam mox fecimus primæ Editionis cum secunda, ubi nemo non videt mutata potius fuisse verba quam sensum. Nam in prima concludit *sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem;* in secunda vero *juxta Ordinem libelli* Romani *per commistionem panis et vini consecrari vinum.* Et ne quis putet id interpretandum de metaphorica consecratione, addit qui hoc fecerit, *non observare traditionem Ecclesiæ, de qua dicit Innocentius isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Atqui Innocentius agit de vera consecratione mysteriorum; ac proinde Amalarius, qui hac commistione prædictam traditionem violari existimavit, eidem commistioni veram consecrationem tribuit.

Sed quia in posteriori loco primæ editionis consecrationem illam non commistioni, sed Orationi dominicæ ascripserat, ut sibi ipse constaret, totum hunc locum sustulit, ut totam consecrandi vini virtutem commistioni tribueret. Has observationes nemini displicituras sperare licet, cum ad rem perobscuram illustrandam nonnihil conducere videantur.

Amalario superius adjunximus vulgati Alcuini locum, cui explicando non immorabimur, cum totidem ferme verbis desumptus sit ex Amalari lib. I, cap. 15, prout in priori Editione ab auctore conceptum est. Id tantum addimus, librum illum de divinis Officiis, qui Alcuini nomen in Editis præfert, esse [LXXXIV] farraginem ex diversis Amalarii, ipsiusque Alcuini genuinis consarcinatum centonibus, aliorumque auctorum Alcuino posteriorum. Quippe caput 40 nihil aliud est quam Remigii monachi Autissiodorensis libellus de expositione Missæ; et in cap. 18 refertur epistola Helprici monachi ad sanctum Gallum sub finem sæculi decimi. Ad hæc, ut multa alia omittam, *Pascha* Græcam vocem esse dicit auctor, contra expressam Alcuini sententiam, lib. VI in Joannem, cap. 32, ubi hæc verba: *Pascha, fratres, non, sicut quidam existimant, Græcum nomen est, sed Hebræum.* Denique personatus ille consarcinator *sacerdotis* vocabulum Græcum esse ait in cap. 36, quod erratum ab Alcuini doctrina prorsus alienum est. Sed hæc extra scopum.

3. Jam vero hæc, qualem modo exposuimus, Amalarii sententia catholicæ fidei de vera ac reali Christi præsentia in Eucharistia quam bene conveniat, facile est advertere. Si enim metaphoricam ac figuratam solum consecrationem admisisset, non tantopere cogitandum erat de modo quo vinum in Parasceve consecretur, per contactum particulæ immissæ, an per Orationem Dominicam. Nam unius speciei consecratione metaphorica semel facta, ex ejus contactu confici accidentariam consecrationem planum erat. Sed quia vera ac substantialis ab Amalario credebatur illa conversio, de modo quo ea fieret anxie inquirebat. Quid porro mirum si veram vini consecrationem ex contactu et admistione alterius speciei fieri opinatus est Amalarius longe ante Berengarii ætatem, cum post damnatam ejus hæresim idem senserint non pauci catholici auctores, ut postea videbimus?

Interim unum afferre lubet Micrologum, qui in cap. 17, ubi *reverendæ memoriæ* Gregorium VII laudat, se post ejus obitum scripsisse satis innuit. Is, de vitanda intinctione agens, ita loquitur in cap. 19: *Non est autem authenticum quod quidam corpus Domini intingunt, et intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, qui et in Parasceve vinum non consecratum cum Dominica Oratione et Dominici corporis immissione jubet consecrare, ut populus plene possit communicare. Quod utique superflue præciperet, si intinctum Dominicum a priori die corpus servaretur, et ita intinctum populo ad communicandum sufficere videretur.* In his verbis [LXXXV] nullus ambigendi locus relictus est quin Micrologus veram consecrationem *Dominica Oratione et Dominici corporis immissione* fieri crediderit, tum quia ex calice ita consecrato *complementum communionis* dari putat, tum quia ejusmodi consecrationem tantumdem valere, atque ex vero sanguine intinctionem opinatur. Unde Hittorpius eum in hanc sententiam inductum censet ex Romani Ordinis verbis perperam intellectis, et ex judicio Amalarii, qui per Orationem Dominicam vinum re vera consecrari primo quidem existimavit; deinde vero, retractata opinione, per immissionem particulæ consecratæ. Utrumque vero Micrologus admisit, qui proinde ab Amalario non visus est divellendus.

XIII. *Quid de hac commistione aliæ Ecclesiæ senserint, aliique auctores.*

Antequam hoc argumentum dimittamus, aliarum etiam Ecclesiarum hac de re sententiam investigare juvat, maxime Latinarum; quæ cum Romanum Ordinem omnes aut secutæ sint, aut præ oculis habuerint, non mirum si in verbis obscuris veteres ejus expositores Amalarium et Micrologum approbarint. Neque tamen ita concors et unanimis fuit, aut ita constans omnium approbatio, ut ab Amalarii et Micrologi expositione nonnullæ Ecclesiæ recedendum

nefas duxerint. Primo itaque illas Ecclesias recensebimus quæ hos auctores secutæ, deinde alias Ecclesias quæ eorum auctoritatem non admiserunt.

Atque ut a Gallicanis Ecclesiis exordium faciamus, in primis occurrit Rhemensis, in cujus veteri Missali ad diem Parasceves præscribitur ut de *sacrificio* particula mittatur in calicem, dicendo : *Fiat unitio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumentibus in remissionem peccatorum in vitam æternam.* Quæ verba nullum sensum videntur habere, si calix ex contactu in sanguinem conversus non credatur. Quomodo enim alias fieret *unitio corporis et sanguinis?* Favet Pontificale Ecclesiæ Noviomensis, in quo hæc distincte leguntur : *Commistio corporis et consecratio sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, etc., ubi commistio distinguitur a consecratione sanguinis quæ fit per illam commistionem.

Iisdem vestigiis insistebant etiam aliæ ejusdem metropolis Ecclesiæ, [LXXXVI] Suessionensis et Ambianensis. Suessionensis quidem in hæc verba : *Interea sumens episcopus de Sancta, nihil dicens ponit in calice; factoque in eo signo crucis, communicat se et omnes qui voluerint. Et sic sanctificatur vinum non consecratum per panem sanctificatum.* Quæ verba sunt vulgati Ordinis Romani, relata in veteri Missali Suessionensi, quod ad sæculum duodecimum videtur pertinere. At expressius aliud ejusdem Ecclesiæ Missale sæculi nostro superioris : *Nihil dicendo mittat sacerdos unam partem de corpore Christi in calicem. Quo facto, nihil dicendo, communicet se, et sanguinem Domini percipiat. Consecratur enim vinum per commistionem factam in calice de corpore Christi.* Paulo minus expressa est Ecclesiæ Ambianensis definitio in suo Ordinario : *Vinum et aqua in calice sanctificantur, cum corpus Domini admiscetur.* Hæc de metropoli Rhemensi.

Eadem etiam verba leguntur in Ordinario Viennensi. At Virdunense Missale : *Hic consecratur vinum per corpus Domini.* Denique, ut paucis absolvam, Mimatense Pontificale, ubi de communione infirmorum : *Tradat ei sacerdos Eucharistiam dominici corporis intincti vino, et vinum tali intinctione sanctificatum, et in Christi Domini sanguine transmutatum, dicens, Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis Domini*, etc., quæ totidem verbis habentur inferius in decimo nostro libello.

In monasteriis etiam Gallicanis plerisque vigebat eadem sententia. Cæremoniale sancti Benigni apud Divionem, ante annos quingentos scriptum, ita præscribit in Parasceve : *Sumit de Sancta, et dimittit in calicem, sanctificaturque vinum non consecratum per panem sanctificatum*; ubi sanctificari idem est ac consecrari, cum æque dicatur *sanctificatus panis* atque *sanctificatum vinum.*

Ordinarium sancti Apri apud Tullum Leucorum quædam singularia continet pro Cœna Domini, quæ huc referre visum est. *Post ultimum Agnus Dei, ille qui primus est in choro, dicat* Confiteor; *et fratres respondeant* Misereatur tui. *Deinde dicant et ipsi* Confiteor, *et ille qui primus est dicat* Misereatur vestri; *item dicat* Indulgentiam; *et responso ab omnibus* Amen, *accedant fratres ad sacram communionem. Dimittatur aliqua pars de corpore Christi in calice, et portetur a diacono super altare beati Apri, et teneat ibi calicem, et unus puer ampullam, in qua sit vinum* [LXXXVII] *quod in calicem fundatur cum necesse fuerit, donec biberint omnes fratres monachi. Sanctificatur enim vinum per corpus Christi, consecratum et in calice depositum, cum dicitur* Fiat hæc commistio. *Sacrista vero habeat alium calicem et urceum cum vino ad altare sancti Christophori, et ibi bibant conversi et conversæ, qui corpus Domini susceperunt.* Hoc in loco aliter communicant monachi choro addicti, aliter vero conversi et conversæ. Monachi enim sumpta panis eucharistici specie bibunt ex calice, in quo particula consecrata commista fuerat ad sanctificandum vinum; at conversi et conversæ sumebant vinum ex alio calice non sanctificatum.

Nec omittendum Missale cœnobii Elnonensis seu sancti Amandi in Belgio ad diem Parasceves : *Hic consecratur vinum per corpus Domini; sanctificatur non sanctificatum per sanctificatum.* Et Viconiense : *Hic consecratur vinum per corpus.* At in Rotonensi anni 1531 hæc consecratio verbis ipsius sacerdotis exprimitur : *Quando sacerdos divisit Hostiam in tres partes, tunc mittat partem panis consecrati in calicem, dicendo hæc verba :* Per panemistum sanctificatum et consecratum sanctificetur et consecretur vinum istud non consecratum. *Postea communicet se sacerdos more solito.* Hactenus de Gallicanis Ecclesiis.

Quod attinet ad alias aliorum regnorum Ecclesias, Sarisberiense in Anglia Missale duplex, sæculi XV et XVI, eadem verba refert, quæ infra ex Rothomagensi afferemus; et Oxoniense, ubi de communione infirmorum : *Hic communicetur infirmus, et ponat sacrificium in vino sine aqua, dicens : Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi*, etc. Ad hæc Bambergense in Germania : *Sanctificatur vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Utrobique idem vocabulum ad designandam panis et vini consecrationem, ut de Benigniano Cæremoniali superius notavimus.

Postremo, in Missali Mozarabum, ubi de die Parasceves, hæc leguntur : *Particulæ Regnum et Gloria* (sic appellantur duæ ex novem particulis consecratis, in quas Hostia frangitur) *mittuntur in calicem, quæ particula, secundum quosdam, consecrat vinum in calicem.* Quam opinionem etsi rubrica non approbet, non tamen eam rejicit, uti apparet ex sequenti cautela : *Accipiat patenam, et mundet eam super calicem cum pollice, et mundatam ponat eam sub mento, et, posita, sumat vinum* [LXXXVIII] *de calice cum sua particula, quia secundum quosdam consecrat vinum in calice.* Ex quibus manifestum est hanc opinionem sub dubio in Hispanicis Ecclesiis propositam fuisse.

Hactenus argumenta quæ consecrationem ex contactu stabilire possunt retulimus; nunc quæ in negantem partem ferunt proponenda sunt. Unum suppeditat Ecclesiæ Parisiensis Missale posterioribus sæculis scriptum, in quo hæc verba : *Non est consecratum vinum per immissionem partis Hostiæ consecratæ in ipsum quod facit Ecclesia die Veneris sanctæ.* Tum additur : *Caveat maxime ne dicat :* Hæc sacrosancta commistio corporis et sanguinis, *aut aliud, ubi fiat verbum de sanguine.* Eamdem sententiam confirmat vetus Rituale Dionysianum.

Pontificale quoddam Ecclesiæ Rhemensis : *Nec vinum propter hoc exstitit consecratum, sed tantummodo benedictum..... Orationes dicendæ sine mentione sanguinis..... Nec debet fieri mentio de sanguine, quia ista die sanguis non consecratur.* Missale sancti Remigii in eadem urbe, editum medio sæculo superiori, eodem spectat, uti et Missalia Rothomagensia eodem sæculo vulgata; tametsi Missale anni 1513 non sibi constet, cum distincte habeat in Parasceve de sacerdote : *Post accipiat corpus Domini dicendo* Corpus Domini, etc.; *deinde calicem, dicens* Corpus et sanguis, etc., *more solito; et communicetur qui voluerit, sicut hesterna die.* Cur enim distincte *Corpus et sanguis* pro calice, si vinum ex contactu (quod idem Missale dicit) non consecratur?

Præter hæc duo alia nobis suppetunt argumenta in partem negantem, unum ex Rituali Corbeiensi, quod annos minimum quingentos præ se fert, suggeritque hæc verba in Parasceve : Pax Domini, Agnus Dei, *et* Hæc sacrosancta commistio *non dicentur; sed frustum fractionis sinet cadere infra calicem, nihil dicendo.* Domine Jesu Christe, Corpus Domini, quod ore sumpsimus *dicentur, sed sanguis non nominabitur.* Placeat tibi *non dicetur. Omnibus communicatis, capiet quisque de vino per fistulam, et post bibet, calicibus ante majus altare præparatis.* Ubi licet vinum ex fistula seu calamo de more sumatur, diserte

tamen præcipitur a mentione sanguinis abstinendum. Quod etiam, statuit Fontisebraldense anni 1554. Postremo Missale Cluniacense anni 1530 conceptis verbis rejicit hanc consecrationem, [LXXXIX] dicendo : *Vinum ex tactu sacræ Hostiæ non consecratur, sed sanctificatur, ac reverendum efficitur.* Hactenus libri Rituales, in quibus colligendis fateor me non parum profecisse ex observationibus quas mihi subministravit religiosus et eruditus Claudius de Vert, Cluniacensis Theologus.

Jam vero si auctores hac de re consulamus, compugnantes etiam inveniemus eorum sententias. Non repetimus hic quæ superius diximus de Amalario, Micrologo, aliisque nonnullis. Pro affirmante parte militare videntur Græci nonnulli. In his Michael Cerularius patriarcha CP. ante annos sexcentos, ab Allatio relatus in tractatu de præsanctificatis, credit admistione panis præsanctificati mutari vinum in sanguinem Domini. Idem censet Simeon Thessalonicensis, trecentis annis Michaele inferior, apud eumdem Allatium.

Ad eamdem sententiam revocari potest quoddam de Eucharistia miraculum, quod Helmoldus abbas suo tempore, id est sæculo XII desinente, accidisse narrat. Id vero contigit in quadam Turingiæ puella, quæ, cum, suscepto a sacerdote viatico, *portiunculam Eucharistiæ in bicarium* in quo sacerdos data communione manus suas abluerat decidisse animadvertisset, et sibi ad bibendum jussisset afferri, totam aquam *in sanguinem mutatam* deprehendit, et portiunculam ipsam versam *in cruentam carnem*. Baronius hoc factum refert in fine anni 1192, atque hanc narrationem hoc modo concludit : *Hæc de transsubstantiatione aquæ in sanguinem Christi, per commistionem Christi corporis divinitus facta, quod semper fieri in vino, cum commistio intercederet, antiquitas existimavit. Unde illud Romani Ordinis : Vinum, etiam non consecratum*, etc.

Verum quod Baronius antiquitati tribuit, non ita accipiendum est quasi generalis fuerit totius antiquitatis ea persuasio. Nam ne quid dicam de primis octo sæculis, in quibus nulla hujusce opinationis apparent vestigia, imo in quibus illa conversio nonnisi verbis Christi a sacerdote prolatis fieri semper et ubique credita est, certe in subsequentibus sæculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio invalescere cœpit, multi auctores, iique gravissimi, in contrariam abierunt sententiam; alii vero, media via incedentes, rem sub dubio reliquerunt.

[XC] Inter auctores partis negantis quasi princeps censendus est sanctus Bernardus abbas Clarævallensis, qui ex immissa in vinum non consecratum particula vinum quidem *sacrum*, sed non vere ac proprie consecratum fuisse dicit in epistola 69. Huic occasionem præbuit factum cujusdam abbatis sacerdotis, qui cum super solam aquam in calice temere positam verba consecrationis protulisset, atque errore animadverso postea vinum infudisset, ac consecratæ Eucharistiæ particulam in calicem immisisset ad consecrationem supplendam, Bernardum, quid super hac re sentiret, consuluit, hocque responsum impetravit : *Ne sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes liquorem, etsi non ex consecratione propria atque solemni in sanguinem mutatum, sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri.* Ubi cum Bernardus dicit vini liquorem *non ex consecratione propria atque solemni in sanguinem fuisse mutatum*, cave eum existimes sensisse transmutationem factam ex consecratione minus propria minusque solemni, quæ fieret per contactum corporis sacri. Nam *sacrum* tantum fuisse ex hoc contactu liquorem, non consecratum, palam est eum existimasse.

Eamdem sententiam luculentissime confirmat Jacobus a Vitriaco in Historiæ occidentalis cap. 38 : *Non dicimus*, inquit, *quod ex tactu sanguinis vinum ablutionis convertatur in sanguinem ; sed remanet purum vinum, licet ex contactu sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua fluminis aquæ benedictæ commista dicitur santificari.* Quibus præmissis, hæc subdit quæ in rem nostram magis expresse faciunt : *Mentiuntur ergo qui dicunt quod in die Parasceve corpus Christi ex contactu mutat vinum in sanguinem. Illo enim die corpus, sed non sanguis sumitur; neutrum autem conficitur, eo quod die illo in veritate immolata fuit Hostia, et ideo non immolatur in figura.* Non poterat Jacobus magis affirmate sententiam pronuntiare.

Dixerit aliquis Jacobum post medium sæculum tertiumdecimum vixisse, quo tempore jam pene desierat communio sub altera specie, ac proinde non existimasse alteram speciem, saltem ex contactu consecratam, fuisse necessariam ad supplementum communionis, quæ causa superiores auctores ad hanc consecrationem excogitandam induxit. Verum Jacobi tempore nondum ubique abrogata erat communio sub altera specie. Deinde hæc objectio non militat in sancto Bernardo, [XCI] cujus tempore perseverabat communio sub utraque specie, ex dictis. Idem dicendum de Hugone Victorino, sciscitante cur in die Parasceves *non sumatur sanguis Christi, sicut et caro.* Quod contra esset, si vinum ex contactu esset transmutatum in sanguinem. Ad hæc auctores Ritualium librorum non pauci post Jacobum a Vitriaco, etsi communionis sub altera specie necessitatem non admiserint, hanc tamen consecrationem ex contactu nihilo minus repudiarunt.

Jacobo a Vitriaco prævivit uno ferme sæculo Joannes Belethus, qui et ipse negantem sententiam sequitur, ac ratione confirmat in cap. 99 : *Si quis autem roget num istud vinum quod eo die*, scilicet Parasceves, *sumitur ex Dominici corporis contactu consecretur, quamvis complurium scripta illud asserere videantur, non tamen veritatem magis sequentes, et ea quæ sancti Patres tradiderunt, dicimus vinum illud omnino non esse consecratum ex illo contactu, sed sanctificatum.*

Rationes hujus sententiæ subdit idem auctor, easdemque totidem fere verbis repetit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. VI, cap. 75. *Sed nunquid vinum quod in die Parasceves cum Dominico corpore servato sumitur in altari consecratur, et sanguis Christi efficitur per immissionem ipsius corporis in calicem et per ejus tactum ? Super hoc dicunt quidam* (in quibus Amalarium et Micrologum haud dubie intelligit) *quod per Dominicam Orationem, quæ tunc dicitur, fit consecratio sive commutatio vini in sanguinem. Nam Gregorius assignans causam quare Dominica Oratio in die illa a sacerdote dicatur, dicit quod in primitiva Ecclesia apostoli sola Dominica Oratione utebantur in consecratione. Nos tamen hoc non dicimus, quia si hoc jam esset, non esset necesse corpus Domini ad diem illum servari*, nempe quia æque panis ac vinum per Dominicam Orationem consecraretur. *Præterea ex his quæ in canone Dominicam Orationem præcedunt, satis patet quod ad prolationem ipsius Orationis transsubstantiatio non fit ; et nullo tempore Missa fuit celebrata sine verbis illis*, Hoc est corpus meum, *etc., quæ sola in principio nascentis Ecclesiæ proferebantur ab apostolis, qui postmodum Orationem Dominicam superaddiderunt. Dicimus ergo illud non consecrari, sed sanctificari. Differt autem inter hæc. Nam consecrare est consecratione transsubstantiare ; sanctificari est ex contactu seu admistione sacræ rei reverendum et sanctum effici*, *ut patet in aqua benedicta*, etc. Durandi rationes, quæ etiam [XCII] sunt Belethi, visum fuit integras referre, quod solidis, et quæ proposito nostro conveniunt, nitantur fundamentis.

Ex his omnibus quæ cum in hoc, tum in superiori capite diximus de præmisso argumento, quædam elici possunt non leviter prætereunda : 1° Variam et inconstantem fuisse auctorum et Ritualium librorum de consecratione per contactum sententiam, aliis affirmantibus, negantibus aliis, aliis vero rem in medio relinquentibus, nec proinde ejusmodi conse-

crationem ut dogma receptam fuisse; 2° affirmantem partem ab Ecclesia Romana nequaquam fuisse traditam aut propugnatam, neque in libellis Romani Ordinis certo assertam; imo verba hæc, *sanctificatur enim vinum non consecratum*, etc., quæ auctoribus affirmantis opinionis fundamentum præbuerunt, a quodam glossatore videri inserta; 3° non immerito Belethum dicere affirmantem illam sententiam pugnare contra ea *quæ sancti Patres tradiderunt*, quorum hæc concors et unanimis sententia est, veram utriusque speciei consecrationem nonnisi verbis Christi Domini a sacerdote prolatis perfici posse: ac tandem jacere Hieronymi argumentum adversus diaconos, qui se efferebant supra presbyteros, *ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur*, si ex contactu (qui diaconis etiam, imo et laicis tribui poterat, et re vera tribuebatur in communione domestica) verus sanguis consecrari poterat. Ex quibus omnibus corruit heterodoxorum argutatio, qui ex commistione particulæ cum vino haud consecrato communionem sub altera specie suppleri contendunt. Quam præsumptionem illustrissimus Meldorum episcopus scripto singulari libello valide explosit, et post eum Ludovicus Thomassinus Oratorii eruditus presbyter in secundo tomo de Unitate Ecclesiæ.

XIV. *De sanctificatione calicis ex commistione sanguinis consecrati.*

Confecta superiori controversia, supervacanea videtur hæc quam modo proposuimus quæstio: an scilicet vinum calicis ministerialis, quem ad communionem laicorum in Missa pontificia porrigi antea observavimus, ex infusa sacrosancti Christi sanguinis portione vere ac proprie consecretur. Verum si quis rem propius consideret, nonnihil dissimile [XCIII] in hac quæstione residere facile animadvertet. Quippe longe facilius infusus liquor in alium liquorem sese insinuat, et omnes subjecti liquoris partes pervadit, quam panis particula crassior et densior, quæ unam tantum partem ejus in quam immissa fuerit liquoris attingit.

Hæc sanguinis et vini permistio aliter fiebat in Ecclesia Romana, atque aliter in aliis nonnullis ecclesiis. Nam in Ecclesia Romana sanguis e calice consecrato refundebatur in calicem ministerialem, in quo vinum erat; in quibusdam vero Ecclesiis, cum ad communicandum populum sanguinis consecrati copia non sufficiebat, tantum vini in calicem refundebatur cum reliquo sanguine commiscendum, quantum ad supplementum communionis satis erat. Prioris generis commistionem exhibent tres primi libelli Ordinis Romani; posteriorem liber Ritualis sancti Benigni, Usus Cistercienses, itemque Victorini, et Constitutiones Anglicanæ a Guillelmo de Lindwode relatæ, quorum omnium testimonia attulimus in superiori capite octavo.

Perseverabat alter hic ritus in nonnullis Ecclesiis sub finem sæculi tertii decimi, testante Guillelmo Durando in Rationalis cap. 42, num. 1. *In quibusdam locis*, inquit, *post sumptionem corporis et sanguinis Christi, aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, et superinfundatur vinum purum, ut ipsi communicantes inde sumant. Non enim esset decens tantum sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur.*

Idem auctor in consequentibus negat vini consecrationem vere effici ex ejusmodi contactu. Quas huc affert rationes, utrique speciei communes sunt; quarum præcipua est quod nunquam fiat vera conversio panis aut vini in Eucharistia, nisi per solemnia consecrationis verba, quæ Christus instituit. Sed tamen peculiaris est difficultas de vino et sanguine consecrato, quæ facilius in sese invicem converti possunt. Nam in sanguinem infundi potest vinum in ea quantitate et qualitate, ut, si vinum utrobique purum esset, alterum ab altero penitus absorberetur; puta si parum vini debilis in magnum calicem vini generosissimi infunderetur, quidni in illud ipsum converteretur? Verum etsi intima fieret vini debilis a generosiori penetratio et insinuatio, non esset tamen vera substantiæ conversio. Aliud quippe est intime permisceri, aliud substantiam transmutari. Sic omnes fere catholici auctores existimant [XCIV], etiamsi parum aquæ in calicem infundatur, atque saporem aliasque qualitates aqua amittat, remanere tamen aquæ substantiam, nec eam cum vino in Christi sanguinem commutari. Quod etiam de parva vini quantitate in majorem infusa dicendum est, etiamsi ex gustu aliisque sensibus nulla possit fieri unius ab altero discretio.

Quærat aliquis cur non ex puro sanguine calicis communio populo tribueretur? Non una, sed plures hujus facti rationes. Prima est ut aliqua prærogativa sacerdoti cæterisque ministris sacris, quibus sanguis purus concedebatur, præ laicis tribueretur, quæ ratio potissimum valet in ritu Ecclesiæ Romanæ. Secunda ratio est, quod difficile esset accurate tantum sanguinis consecrare, quantum communicandis laicis sufficere poterat, ut ne superaret vel deesset sanguinis copia communicaturis. Unde minor quantitas sanguinis in quibusdam Ecclesiis consecrabatur, ut cum deficere cœpisset, vino superaddito augeri potuisset. Tertia mox dictæ rationi proxima est, quod ubi magna populi frequentia erat, vix tantus calix haberi posset qui sufficientem multitudini quantitatem sanguinis continere posset, quam rationem attulit supra Guillelmus Durandus. Quarta denique ratio adduci potest saltem pro ritu Romano, ut periculo effusi sanguinis minori incommodo occurreretur. Nam longe minus incommodum erat si quid liquoris ex vino commisto inter communicandum stillaret e calice, quam si purus sanguis effusus fuisset.

Propter eamdem causam in nonnullis Ecclesiis Eucharistia intincta porrigebatur, ad vitandum scilicet effusionis periculum. *Eveniebat enim frequenter*, ut loquitur Ernulfus Roffensis episcopus, *ut barbati et prolixos habentes granos*, id est pilos sparsos, *dum poculum inter epulas sumebant, prius liquore pilos inficerent, quam ori liquorem infunderent. Præterea si imberbes et sine granis, aut mulieres ad sumendam communionem sanctam convenirent, quis sacerdotum poterat tam provide ministrare, tam caute calicem Domini distribuere, ut multis eum singulatim divideret? dividens sic in ora eorum funderet, ut infundens nihil effunderet?* Ita auctor ille ad probandum sui sæculi, id est undecimi, ritum; quæ epistola refertur in Spicilegii tomo secundo. Ob eamdem itaque causam fortassis Ecclesia Romana instituit ut non purus sanguis e calice populo [XCV] distribueretur, sed majori vini quantitati permistus; tum ut ex una parte effusionis periculum minueretur, tum ut ex altera populus sacri calicis communione non omnino privaretur.

XV. *De nonnullis ritibus Sabbati sancti.*

Ad Sabbatum sanctum pertinent lectiones ex Scriptura duodecim, tum Græce, tum Latine, in Ecclesia Romana olim recitari solitæ; deinde Benedictio Fontis, et baptismus eorum qui per varia scrutinia in Quadragesima facta ad hoc sacramentum comparati fuerant.

Post celebratos media nocte Matutinos, hora tertia baptizandi in ecclesiam Lateranensem procedebant; ibique stabant ordinati, masculi quidem ad dexteram, feminæ autem ad sinistram. Tum sacerdos frontibus singulorum crucem imprimens, ritus exorcismorum et abrenuntiationum explebat.

Hora nona pontifex cum sacerdotibus, aliisque ministris e sacrario absque cantu prodibat cum vestibus sacris, præcedente uno aut altero cereo, qui in candelabro ante altare statuebatur. Deinde facta cerei paschalis Benedictione, lector, deposita planeta ambonem conscendens, lectionem ex libro Genesis Græce pronuntiabat; mox alter Latine, et sic alias alii consequenter. His absolutis, Psalmus *Sicut cervus* Græce decantabatur, aliusque Psalmus Latine.

Post hæc in sancti Joannis baptisterium procedebatur decantando litaniam; ibique fontis Benedictio fiebat. Qua finita, presbyteri, diaconi, et, si necesse erat, acolythi, excalceati, in ipsos fontes ingrediebantur, uti legitur in primo libello, quem edimus, Ordinis Romani. Quod etiam totidem verbis notat Sacramentarium Gregorianum in Codice Gellonensi, quem octavo sæculo exaratum duximus. Nec dissentit vulgatus Ordo Romanus.

Quot infantes baptizare soleret pontifex, non exprimunt antiquiores libelli nostri. *Unum, aut duos, vel quantos sibi placuerit*, suggerit libellus VII. Tres tantum assignat Ordo decimus, quem ritum imitati sunt episcopi aliarum Ecclesiarum. Nam in Actis Uldarici episcopi Augustensis, qui sæculo X floruit, legitur sanctum antistitem in Sabbato sancto, *baptizatis tribus pueris cum septena litania*, se in sacrarium recepisse *ad Missam se præparandum*. Eumdem numerum exhibet concilium [XCVI] Lemovicense anni 1031, ubi, exposito ritu baptismi quotannis celebrari soliti in monasterio sancti Martialis, *de tribus non minus infantibus in Pascha solummodo et Pentecoste*, subditur majorem numerum baptizandorum esse apud matrem ecclesiam, ubi, *peracto baptismo de tribus tantum infantibus*, scilicet per episcopum, *cæteri, si plus fuerint, ab alio presbytero baptizantur*. Diaconos etiam cum presbyteris Romæ baptizasse libelli nostri testantur, ut inferius dicturi sumus. *Cæterique a diacono cui jusserit*, scilicet pontifex, *baptizantur*.

Accepto baptismo, singuli infantes uni presbytero offerebantur; ipse vero presbyter chrismate crucis signum cum pollice in eorum vertice imprimebat. Mox eorum susceptores, lintea in manibus habentes, ipsos infantes a presbyteris et diaconis qui eos baptizaverant accipiebant, eosque pontifici sedenti offerebant. Is vero, data singulis stola, casula et chrismali cum decem siliquis, universos albis vestibus induebat; et dicta super eos Oratione, *cum chrismate crucem faciens in frontibus singulorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, tradebat eis septiformem gratiam Spiritus sancti*, id est sacramentum Confirmationis eis conferebat. Hanc duplicem unctionem, unam quidem per presbyterum, aliam per pontificem faciendam, præscribunt libelli nostri, qui de ritu baptismi agunt, atque etiam Sacramentarium Gelasianum his verbis: *Postea cum ascenderit a fonte, infans signatur a presbytero in cerebro de chrismate, his verbis :* Deus omnipotens, *etc. Deinde ab episcopo datur eis Spiritus septiformis. Ad consignandum imponit eis manum in his verbis*, Deus omnipotens, *etc. Postea signat eos in fronte de chrismate dicens :* Signum Christi in vitam æternam. *Resp.* Amen. In septimo nostro libello Ordinis Romani alio modo : In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, Pax tecum. *Resp.* Amen. Quem locum citat Amalarius. De utraque unctione agit Innocentius I, in epistola ad Decentium, quod omnibus notum est; sed verba ipsa quibus Spiritus sanctus baptizatis ab episcopo tradebatur dicere non audet, nimirum quod eatenus arcana essent : *Ne magis*, inquit, *prodere videar quam ad consultationem respondere*. Porro hac pontificali chrismatione *omne baptisma legitimum Christianitatis nomine confirmari* tradit Ordo Romanus. Non quod unctio posterior sit [XCVII] appendix baptismi, sed quod baptismi gratiam corroboret ac confirmet. Totum baptismi ritum paucis exprimit Augustinus in fine sermonis 324 : *Baptizatus est, sanctificatus est, unctus est, imposita est ei manus, completis omnibus sacramentis assumptus est*. Cyprianus ante Augustinum exprimit in epistola synodica, quæ modo est 70.

Induti et confirmati in orbem ordinabantur baptizati; et infantes quidem *in brachiis* tenebantur, ut habet vulgatus Ordo Romanus; *majores vero pedem ponebant super pedem patrini sui*, quod habet etiam Ordo Millæanus, qui decimo loco a nobis hic edendus est.

Interim schola jussu pontificis litaniam inchoabat ante altare, primum septenam, deinde quinam, ac demum ternam. Quem ritum ita explicat vulgatus Ordo Romanus : *Interim schola jussa facit litaniam ad fontem ante altare, primo septenam; et spatio facto, faciunt alteram quinam, ita enim inchoatur. Stat primicerius unus in dextro choro, et dicit cum ipso* Kyrie eleison, *et respondet secundicerius cum sinistro choro* Kyrie eleison *usque ter; deinde* Christe eleison *usque ter. Hoc fiunt septem vices repetitæ; unde et septenæ dicuntur. Post hæc*, Christe, audi nos, *usque septies, et sic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, sequuntur, ut prædictum est, litaniæ quinæ, id est quinquies repetitæ*. Postea cum *Agnus Dei* cantaretur magister scholæ luminaria jubebat accendi: quo facto, pontifex e sacrario ad altare procedebat sacra celebraturus de nocte, neque enim die Sabbati sancti hæc celebrari antiquus ritus sinebat.

In hac Missa magna cum solemnitate primum canebatur *Alleluia;* cujus rei meminit Sozomenus in lib. VII, cap. 15, ubi asserit Romæ quotannis semel cani *Alleluia*, primo die Paschalis festivitatis, adeo ut multi Romanorum hoc jurejurando uti solerent ut hunc hymnum audire et canere ipsis contingeret. Huc spectat Victor Vitensis, in libro I : *Lector unus pulpito sistens alleluiaticum melos canebat*, nempe die Paschæ; *quo tempore sagitta in gutture sagittatus, cadente de manibus Codice, mortuus cecidit*. In superiori Sozomeni testimonio id difficultatis est, quod Romæ quotannis *Alleluia* semel tantum cani affirmat, cum per totos quinquaginta dies qui a Paschate ad Pentecosten effluebant sæpius a Romanis frequentaretur ante Gregorium Magnum, qui etiam extra Pentecosten [XCVIII] *Alleluia* cani præcepit. Quam ob rem conquerentibus de Sicilia nonnullis quod hunc ritum a Græcis mutuatus esset, respondit in epistola ad Joannem episcopum Syracusanum, quæ est lib. VII, epistola 64, ind. 2 : *Ut* Alleluia *hic diceretur, de Ierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi papæ traditur tractum. Et ideo magis in hac sede illam consuetudinem amputavimus, quæ hic a Græcis fuerat tradita*, forsan quæ in exsequiis defunctorum et in Quadragesima hanc vocem induxerant. Sane in exsequiis mortuorum *Alleluia* quondam apud Romanos fuisse decantatum testis est Hieronymus in epitaphio Fabiolæ : *Jam fama volans, tanti prænuntia luctus, totius urbis populum ad exsequias congregabat. Sonabant psalmi, et aurata tecta templorum in sublime quatiebat* Alleluia. Idem etiam colligit Menardus est Codice Ratoldi, quibus adde Missale Mozarabum. Imo etiam in Quadragesima Hispanicæ quædam Ecclesiæ *Alleluia* canebant ante concilium IV Toletanum, cujus canon 10 hunc usum abrogavit. Consimilem sustulit Gregorius, statuitque ut in Missis etiam post Pentecosten *Alleluia* caneretur, non tamen in Missis defunctorum et in Quadragesima. Porro Amalarius, ex superiori epistola, recte infert in lib. IV, cap. 33, *quod aliquo tempore*, id est ante Gregorium Magnum, *cantabatur Missa in Romana Ecclesia absque* Alleluia, scilicet in Missis post Pentecosten. Redeo ad Sozomenum, qui forte in eodem errore fuit, atque Michael Cerularius, cujus inter alias hæc una est adversus Romanos objectio, quod Alleluia *in Quadragesima non psallerent, sed* semel in Pascha *tantummodo;* quod postremum de sæculo XI, quo scribebat Cerularius, falsum esse constat.

De infantium communione ita præcipit primus libellus Ordinis Romani : *Illud autem de parvulis providendum est, ut, postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent sacramenta corporis Christi; et omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, et parentes eorum offerant pro ipsis, et communicent omnes*. Idem ritus in pervigilio Pentecostes.

Joannes Diaconus, in epistola a nobis edita in Musei tomo primo, ad quæstionem sibi a Senario factam, *cur in sacratissimum calicem lac mittatur et mel, et Paschæ Sabbato cum sacrificiis offeratur*, respondet

baptizatis hoc sacrificii genus offerri, [xcix] *ut intelligant quia non alii, sed ipsi qui participes fiunt corporis et sanguinis Domini terram repromissionis accipient, cujus inter inchoantes, tanquam parvuli lacte nutriuntur et melle.* At de hoc ritu, immittendi scilicet in calicem lactis et mellis, nullam mentionem invenimus in vetustis libellis Romanis. Exstat quidem in vulgato Ordine Romano *Benedictio lactis et mellis* in Sabbato sancto, sed extra calicem facta, et seorsim parvulis porrecta. Verum fortasse nonnulli sæculo nono utrumque in calice commiscebant, quod huic quæstioni occasionem dedit. Huc spectat interdictum in Africano concilio factum, ut præter panem et vinum aqua mistum nihil in sacrificio offeratur. *Primitiæ vero, seu mel et lac, quod uno die solemnissimo in infantum mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam Benedictionem, ut a sacramento Dominici corporis et sanguinis distinguantur.*

Alium ejusdem diei ritum parum dissimilem carpebant Græci, referente Ænea Parisiensi episcopo, *quare agnum simul cum corpore Christi super altare ponerent* Latini, *et more Judæorum offerrent.* Sed hæc agni Benedictio seorsim fiebat, ut ex vulgato Ordine Romano intelligitur, non ut Deo agnus ille offerretur, sed ut carnium ejus cum Ecclesiæ Benedictione resumeretur. Unde et aliarum etiam carnium Benedictio in eodem libro habetur.

Post Missam Vesperas omittebant Romani, propterea quod ritus baptismi et Missæ subsequentis in multam noctem protraherentur. Unde in vulgato Ordine Romano : *In hac nocte de vespertinali synaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Missam, neque post Missam. Apud nos autem unus de schola, cui jussum fuerit, pro antiphona incipit* Alleluia *ad Vesperum.* Ex hoc loco nemo non videt interpolatum esse vulgatum Ordinem Romanum, ubi legitur *Apud nos autem*, etc. Verum non solum in vigilia Paschæ, sed etiam in biduo præcedente cursus diurni officii publice non recitabantur in Ecclesia Romana, ut ex libellis nostris manifestum est.

Illud hoc loco revocandum quod superius de baptismo præmisimus, ex cæremoniali Benedicti canonici sancti Petri. Nempe : « Completis lectionibus, pontifex, uti diximus, descendebat ad fontem cum diaconis et subdiaconis regionariis, dum interim litania cantaretur, et Psalmus *Sicut cervus* usque ad porticum sancti Venantii, ubi pontifex tantisper sedebat. [c] Interim cardinales, qui in choro Lateranensis basilicæ remanserant, exibant per posterulam post absidem, et per porticum sancti Joannis in oratorium sancti Venantii procedebant. Tunc, archidiacono præcipiente, duo cardinales, priorem cardinalium medium habentes, adibant ad pontificem, aliis cardinalibus subsequentibus. Priori autem cardinalium ter petita, tertioque accepta nomine omnium Benedictione, pontifex dicebat : *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Qua missione accepta, cardinales equis incedentes ad suos titulos revertebantur, sui quisque tituli parvulos baptizaturi. Addit primus libellus Ordinis Romani, num. 3, die Paschæ, pontifici ad sanctam Mariam Majorem procedenti notarium regionarium occurrisse ad Merolanas, et, salutato pontifice, dixisse : *In nomine domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei Genitrice Maria infantes masculi numero tanti, et feminæ tantæ.* Ad quæ verba pontifex respondebat *Deo gratias.* » Porro diaconi baptisma conferebant etiam præsente pontifice, adjuvantibus subdiaconis et acolytis, ut in nostris libellis habetur, maxime in primo, num. 43. At in vulgato Anastasio Bonifacius V constituisse dicitur *ut in Lateranis acolythus non baptizaret cum diacono, sed subdiaconi subsequentes.* Solum diaconum designat libellus septimus, cui præivit concilium Romanum sub Innocentio I, canone 7.

Vetus Missale Rivensis Ecclesiæ, a nobis jam superius laudatum, relatis Ordinis Romani his verbis : *Illud autem de parvulis providendum est, ut, postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec allactentur, antequam communicent Christi sacramentis; et omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedatur, et offeratur pro ipsis;* his, inquam, relatis, ibidem subditur : *Et si tales sint ut scienter possint comedere, auctoritate canonum communicandos censemus. Alioquin solo hausta dominici sanguinis sunt communicandi. Similiter et in morte eorum debet fieri.* Ubi luculentum habes communionis sub unica sanguinis specie exemplum ; quæ aliunde etiam probatur, testimoniis scilicet Cypriani, Hugonis Victorini et aliorum.

Joannes Diaconus, in prælaudata ad Senarium epistola, alium Sabbati sancti ritum singularem suggerit, nempe septem altaria in urbe Roma Sabbato Paschæ moris fuisse *celebrari* atque *componi*, id est ornari. Quo sensu *sacrosanctum altare* [ci] *compositum* vocat Ambrosius in lib. de Mysteriis, capite 8 novæ Editionis, num. 43; *apparari solemniter altaria* ait Optatus, in lib. III et VI. Quid sibi velit ejusmodi ritus, Joannes fatetur sibi penitus non liquere. Sed mirari subit, nullum hujusce ritus vestigium, quod quidem sciam, apud alios auctores haberi, nedum in libellis Ordinis Romani.

Neque prætereundum hoc loco est, quod in cereo Paschali annus dominicæ passionis apud Romanos solebat inscribi. Id enim testantur veteres non pauci, tametsi nihil hac de re in nostris libellis habeatur. Ejusmodi inscriptio appendebatur in tabella ad cereum paschalem, in qua *præcentor inscribebat quotus annus esset dominicæ Incarnationis, quota indictio, concurrens, et epacta*, apud Udalricum, in Consuetudinum Cluniacensium lib. I, cap. 14. Neque hic ritus recentiorum temporum censendus est, siquidem Venerabilis Beda in lib. de temporum Ratione, capite 45, ait Romanam et apostolicam Ecclesiam testari *indiculis, quos suis in cereis annuatim scribere solet, tempus dominicæ Passionis*, nempe, *numerum annorum triginta semper et tribus annis minorem quam ab ejus Incarnatione Dionysius ponat. Denique*, inquit, *anno ab ejus Incarnatione juxta Dionysium septingentesimo primo, indictione quarta decima, fratres nostri, qui tunc fuere Romæ, hoc modo se in Natali Domini in cereis sanctæ Mariæ scriptum vidisse et inde descripsisse referebant : A Passione Domini nostri Jesu Christi sunt* DCLXVIII. Ex quo intelligitur vel hanc inscriptionem in Natali Domini appositam fuisse ad designandum novum annum, quem Romani ab ipso die inchoabant : vel certe, si hæc inscriptio in Paschate adhibebatur, eam usque ad Natale Domini fuisse reservatum.

Non immoramur probandæ antiquitati cerei benedicendi in Sabbato Paschæ, ad quam demonstrandam perperam affertur Prudentii hymnus *ad incensum lucernæ*, quem non de cereo paschali, sed de cereo qui singulis diebus in ecclesia solemni quodam ritu accendebatur, interpretandum constat. Porro certa est in primis Ennodii diaconi Ticinensis hac de re auctoritas, qui duplicem cerei paschalis Benedictionem composuit. Non tamen ubique recepta erat ejusmodi Benedictio, ut patet ex concilio Toletano quarto, cujus hæc verba sunt in canone 9 : *Lucerna et cereus in privilegiis Paschæ apud* [cii] *quasdam Ecclesias non benedicuntur; et cur a nobis benedicantur inquirunt. Propter gloriosum enim noctis ipsius sacramentum solemniter hæc benedicimus, ut sacræ resurrectionis Christi mysterium, quod tempore hujus votivæ noctis advenit, in Benedictione sanctificati luminis suscipiamus.*

Superest afferenda Adriani papæ I responsio ad interrogata monachorum Corbeiensium, quam legimus in pervetusto Codice Corbeiensi, jam semel a nobis laudato, in quo Ordo Romanus pro triduo ante Pascha institutis monasticis accommo-

datus continetur. Sic autem habet Codex in Sabbato sancto, post hæc verba Ordinis Romani : *Ante Evangelium non portant luminaria in ipsa nocte, sed incensum; non cantant Offertorium*, nec Agnus Dei, *nec Communionem*; sic, inquam, habet Codex : *Et interrogavimus nihilominus domnum apostolicum Adrianum, secundum mandata vestra, si in paschali Sabbato debent flecti genua, dum lectiones recitantur. Et ipse respondit hoc debere omnimodis fieri. Cui cum diceremus : Et quomodo sacerdotes vel ministri seu clerus cum stolis et planetis possunt in terram posterni? ille adjecit non debere sacerdotes vel ministros seu clerum stolis prius planetisque vestiri, nisi tunc demum, cum lumen novum introducitur ut cereus benedicatur. Percunctati sumus rursum qua hora in sabbato Pentecosten conveniens sit ad lectionum officium ingredi. Qui nobis dixit hora 6 hoc fieri oportere.* Huc usque Codex Corbeiensis. Ubi cum requiritur an flecti genua debeant, dum lectiones recitantur in Sabbato paschali, id intelligendum arbitror, non de ipsis lectionibus, sed de Orationibus quæ lectionibus interseri solent, prætermissa diaconi admonitione, ut genua flectantur. Sed de his satis.

XVI. *De ordinationibus sacris Ecclesiæ Romanæ.*

Etsi nullas in vigilia Paschæ ordinationes a Romanis pontificibus, qui baptismi ritibus aliisque ministeriis tunc occupati erant, antiquitus factas legamus, rerum tamen consequentia exigit ut post baptismum et confirmationem quædam de sacris ordinationibus, prout in Romana Ecclesia olim fieri solebant, hoc loco observemus. Duos tantum hac de re libellos edimus, contenti alios indicare, qui tum apud Morinum in libro de sacris Ordinationibus, tum apud Menardum nostrum [CIII] in libro Sacramentorum vulgati exstant, præter editum Ordinem Romanum.

Primi apostolici, inquit Amalarius in lib. II, cap. 1, *semper in Decembrio mense, in quo Nativitas Domini nostri Jesu Christi celebratur, consecrationes ministrabant usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro quadragesimus nonus. Ipse primus sacravit in Februario.* Idem testatur Micrologus *ex Romano Pontificali*, quo nomine librum de gestis Romanorum Pontificum intelligit. Cur potius mense Decembri quam aliis temporibus ordinationes frequentaverint Romani antistites, non facile est definire. Moralem causam affert Amalarius, nimirum ut intimarent *conjungendos propinquius Christi corpori qui per sacrum ministerium provehuntur.* Planior afferri potest causa, quod commodior esset tempestas ad levandum ordinantis et ordinandorum laborem. Nam in æstate æstus passim in Urbe molestissimi sunt, et autumnus feriis vindemialibus occupatus; Quadragesimæ vero adventantium peregrinatio non ita conveniebat, quo tempore etiam Romani pontifices eorumque ministri stationibus per singulos dies celebrandis atque scrutiniis baptizandorum occupati erant. Sane inter tot pontifices qui ad finem sæculi noni ordinationes fecerunt, unus Leo secundus in mense Maio ordinationes fecit; et in mense Septembri unam Gregorius Magnus. Alii post Simplicium omnes vel mense Decembri, vel in prima, vel in mediana hebdomada Quadragesimæ; nulli (quos quidem sciamus) in sabbato Paschæ.

Quo tempore primis sæculis ordinationes celebratæ fuerint, docet Leo Magnus in epistola ad Alexandrinum episcopum, quæ est epistola XII Editionis Quesnellianæ. *Quod ergo a patribus nostris propensiore cura novimus esse servatum, a vobis hoc volumus custodiri, ut non passim diebus omnibus sacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur; sed post diem Sabbati ejus noctis quæ in prima Sabbati lucescit exordia deligantur, in quibus, his qui consecrandi sunt jejunis, et a jejunantibus sacra Benedictio conferatur. Quod ejusdem observantiæ erit, si mane ipso Dominico die, continuato Sabbati jejunio, celebretur; a quo tempore præcedentis noctis initia non recedunt, quam ad diem Resurrectionis, sicut etiam in Pascha Domini declaratur, pertinere non dubium est.* Leo hunc morem probat auctoritate consuetudinis, *quam ex apostolica*, inquit, *novimus venire doctrina*, et sacræ Scripturæ, [CIV] scilicet Pauli et Barnabæ facto relato ex Actuum XIII. Demum concludit ad hunc modum, *ordinandorum sacerdotum formam servari debere, ut his qui consecrandi sunt nunquam Benedictio, nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera Sabbati initium constat ascribi.* Ad hanc epistolam multa notat eruditus Quesnellius : primo Dominicæ Resurrectionis nomine intelligi non ipsum festum Paschæ, sed quemlibet Dominicum diem, ut etiam apud Gregorium Turonensem episcopum aliosque veteres auctores; secundo, tantum abesse ut Sabbato solum sancto aut Dominica subsequente ministrorum Ecclesiæ consecratio tunc fieret, ut potius illa die nunquam facta fuisse videatur propter solemnitatem baptismi, cui conferendo hoc tempus consecratum erat; tertio, quolibet tunc Dominico die celebratas fuisse ordinationes, præmisso ab ordinante ordinandisque jejunio; quarto, hoc jejunium a Sabbato præcedente in matutinum Dominicæ tempus quo fiebat ordinatio prorogatum fuisse; quod cum nimis ordinantem ordinandosque fatigaret, sensim a mane Dominicæ ad initia noctis, deinde a noctis exordio ad præcedentis Sabbati vesperam, post a vespera ad meridiem, denique a meridie ad matutinas horas, ut fit hodie, ordinatio retrogrediens tandem revocata sit.

Prima quæ quidem nobis relicta est pontificia constitutio, qua ordinationes ad tempora solemnium jejuniorum revocantur, est Gelasii primi in epistola directa episcopis per Lucaniam et Brutios constitutis. *Ordinationes presbyterorum et diaconorum nisi certis temporibus et diebus exerceri non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi, sed etiam quadragesimalis initii ac medianæ hebdomadæ, e. Sabbati jejunio circa vesperam noverit celebrandas.* Tempore Urbani secundi *ad vesperam* etiam ordinationes fiebant, ut patet ex concilio Claromontano, in quo suadetur ut *protrahatur jejunium usque ad vesperas, et, si fieri potest, usque ad crastinum, ut magis appareat in die Dominico ordines fieri.* Inde est quod Dominicæ quæ in solemnia Ordinationum tempora incidunt, omnes vacent propriis Missarum officiis, propterea quod Missa pro ordinandis Dominicæ officium et sacrificium suppleret. Consule Micrologi caput 29.

Redeo ad libellos nostros, in quibus multa veniunt observanda. In primis solius acolythi ex minoribus ordinatio diserte exprimitur [CV] in priori libello, quem octavo loco edimus, inscripto *Quomodo in sancta Romana Ecclesia acolythi ordinentur.* Ritus autem ordinandi acolythi ita describitur. *Dum Missa celebrata fuerit, induunt clericum illum planetam, et orarium. Dumque venerit episcopus, aut ipse domnus apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, et porrigit in ulnas ejus sacculum super planetam*, etc. Mirum est quod acolytho ordinando tribuitur planeta et orarium. Sed illud amplius mirandum, quod nulla mentio fiat ostiarii, lectoris et exorcistæ; neque etiam in posteriori libello, nisi quod *in schola cantorum* antea nutriti dicuntur ejusmodi pueri, tum papæ cubicularii facti, antequam acolythi instituerentur. His fere consentit Siricii papæ epistola 1, in qua mentio fit tantum lectoris, acolythi et subdiaconi. *Quicunque itaque se Ecclesiæ vovit obsequiis a sua infantia, ante pubertatis annos baptizari et lectorum debet ministerio sociari. Qui ab accessu adolescentiæ usque ad vicesimum ætatis annum, si probabiliter vixerit, una tantum uxore contentus, acolythus et subdiaconus esse debebit.* Paulo aliter Gelasius in epistola ad episcopos per Lucaniam et Brutios constitutos, ubi post gradus lectoris vel notarii aut defensoris, acolythatum et subdiaconatum memorat, prætermissa ostiarii mentione. Verum in Ordine Romano

vulgato, et in Codice Vindocinensi, ostiarii, lectoris et exorcistæ ordinatio habetur ante acolythatum; imo etiam in Sacramentario Gregoriano. Ex quo apparet quanta sit nostrorum libellorum antiquitas.

Eadem item probatur ex eo quod acolythi ordinantur porrecto, non (ut mox dictis Ordine Romano et Sacramentario notatur) *ceroferario* seu candelabro cum cereo, sed sacculo: nimirum quod ejusmodi sacculos in Missa pontificia tunc gestare solerent acolythi ad excipiendas oblationes consecratas, tum quæ in Missa confringebantur ad fidelium communionem, tum quæ fermenti nomine ad titulos mittebantur, qua de re superius actum est. Id officii diaconis tribuit Justinus in Apologia prima, ut ad absentes Eucharistiam perferrent.

Ad hæc posterior libellus tradit acolythos accepisse *primam Benedictionem ab archidiacono*, quasi dicat eos ab archidiacono fuisse ordinatos. Nam mox subdiaconi ordinatio sequitur, nulla alia acolythi ordinatione memorata.

[CVI] Tum subdit idem libellus, acolythos, *quando et ubi libitum fuerit*, in subdiaconatus officium ordinari; secus de diaconis et presbyteris, qui ordinari non poterant, *nisi in publica ordinatione*, hoc est in solemnibus jejuniorum diebus, qui ordinationibus faciendis assignati sunt. Ex quo intelligitur subdiaconatum per id tempus quo libelli isti in usu erant nondum inter sacros ordines fuisse numeratum. Unde continentiæ votum diacono primum tunc præscriptum erat, testante Siricii epistola 1. Cæterum quæ de minorum ordinum collatione hic diximus, officere non debent receptæ sententiæ, quæ eam episcopis tribuit ex veteri jure, quando Aurelium et Celerinum lectores a Cypriano (ut de aliis interim silemus) et ab ejus collegis, qui præsentes aderant, ordinatos ex ejus epistolis resciamus. Sed nos hic nostrorum libellorum specimen exhibemus, absque ullo venerandæ antiquitatis præjudicio. Omnes ordines minores memorat synodus Romana sub Silvestro.

Venio ad diaconos, in quibus ordinandis nulla unctio imprimitur, neque in nostris libellis, neque in vulgato Ordine Romano. Itaque ex alterius Ecclesiæ ritu Angli hunc ritum acceperant, ut manus diaconi oleo sancto et chrismate ungerentur, adhibitis solemnibus verbis quæ in consecratione presbyteri usurpari solent. Hanc quippe unctionem in diaconorum ordinatione præscribit non modo Codex Anglicanus a Menardo laudatus, sed etiam liber Sacramentorum Egberti Eboracensis antistitis, quem modo Ebroicensis in Gallia Ecclesiæ esse jam diximus. Gregorius, in synodo Romana, decrevit ut ne diaconi, *quos ad prædicationis eleemosynarumque studium vacare congruebat*, in posterum cantorum officium subirent, dum cantores ipsi ob vocis suavitatem sacris ministeriis adhiberentur. *Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium, dum blanda vox quæritur, quæri congrua vita negligatur; et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua de re*, inquit, *præsenti decreto constituo ut in sede hac sacri altaris ministri cantare non debeant, solumque evangelicæ lectionis officium inter Missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel, si necessitas exigit, per minores ordines exhiberi.* Ubi obiter adverte subdiaconatum a minoribus distingui ordinibus, tametsi nondum Gregorii tempore inter sacros ordines computaretur. Pro schola cantorum erant septem [CVII] subdiaconi, de quibus superius pag. XVIII.

In presbyterorum ordinatione solet archidiaconi testimonium de ordinandis rogari. Hunc ritum esse antiquissimum testatur Hieronymi epistola 85, ad Evagrium. *Sed dicis: Quomodo Romæ ad testimonium diaconi presbyter ordinatur? Quid mihi profers unius urbis consuetudinem?* Ex quo intelligitur hunc morem Ecclesiæ Romanæ peculiarem fuisse, qui hactenus in Ecclesia Latina perseverat.

De episcoporum ordinatione libelli nostri suppeditant materiam inquirendi, primo, an episcopi quondam ab uno Romano Pontifice, seclusis aliis episcopis, consecrati fuerint; secundo, an qui ex diaconis electi erant ad episcopatum, per saltum, omisso presbyterii gradu, ordinati fuerint.

Ad primum quod attinet, in priori libello nostro præsentes ordinationi dicuntur interesse sacerdotes seu episcopi cum presbyteris, et Benedictionem electo simul cum pontifice impertiri. Sic enim legitur, num. 8: *Prostratus domnus apostolicus cum sacerdotibus et ipso electo in terra ante altare, completa litania surgent, et tunc benedicent eum. Et Benedictione expleta, dat osculum domnus apostolicus, et tenens eum archidiaconus deportat eum, et sic dat osculum episcopis et presbyteris. Et tunc jubet eum domnus apostolicus supra omnes episcopos sedere.* Verum dubium est, num legi debeat in numero singulari, *et tunc benedicet eum*, scilicet domnus apostolicus. Certe apud Morinum, pag. 326, ubi hic ritus metropolitano accommodatus est, sic habetur: *Surgunt, et benedicit eum.* Hæc conjectura ex eo confirmatur, quod in posteriori nostro libello mentio fit unius pontificis manum imponentis, num. 4: *Et canunt litaniam. Et tunc accedit electus propius ad altare subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput ejus, et dicit unam Orationem in modum Collectæ; alteram eo modulamine quo solet contestata cantari, et sedet pontifex in sella sua. Ipse vero* electus *osculatur pedem ejus, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius.* Eadem leguntur in Ordine Romano vulgato, pag. 97. Ubi vides altum esse silentium de aliis episcopis qui consecrationi cooperentur, ac proinde unum Pontificem Romanum absque aliorum episcoporum ministerio ordinationem episcopalem tunc perfecisse.

Favet huic sententiæ Fulgentii Ferrandi Breviatio canonum, in cap. 6: *Ut unus episcopus episcopum non ordinet, excepta Ecclesia Romana* [CVIII] *concilio Zellensi ex epistola papæ Sirici.* Hac enim exceptione peculiaris Romano pontifici prærogativa tribuitur, ordinandi scilicet episcopum absque sociis episcopis. At huic loco geminum subesse errorem putat bonæ apud eruditos memoriæ Joannes Cotelerius, in notis ad Constitutiones apostolorum, pag. 217, nempe quod duo prima decreta epistolæ quartæ Siricii perperam commiscentur; et quod sedes apostolica primatis seu metropolitana mutatur in sedem apostolicam Romanam, non culpa (ut vir doctus suspicatur) Ferrandi, sed fraude cujusdam recentioris. En Siricii verba: 1° *ut extra conscientiam sedis apostolicæ, hoc est primatis, nemo audeat ordinare. Integrum enim judicium est, quod plurimorum sententia consequitur.* 2° *Ne unus episcopus episcopum ordinare præsumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium præstitum videatur.* In his Siricii verbis revera desideratur ecclesiæ Romanæ exceptio. Sed quid si Ferrandus, habita sui temporis ratione, hanc de suo apposuit? nam ab ipso Ferrando ascriptam fuisse, non fraude cujusdam recentioris, nos dubitare non sinit antiquissimus Codex Corbeiensis ante annos mille scriptus, continens varia concilia cum Ferrandi Breviatione, in qua totidem verbis, ut in Editis, hic locus reperitur. Non ergo sine fundamento asseri potest Romano pontifici ob principem dignitatem id privilegii concessum, ut solus absque aliis episcopis episcopalem characterem conferret.

Jam vero utrum diaconi ad episcopatum electi per saltum apud Romanos ordinati sint, non levis momenti quæstio est. Partem affirmantem astruere videtur libellus noster prior. Eadem enim ejus qui ex diacono atque illius qui ex presbytero ordinatur consecratio. Nimirum fortasse quia, ut sentit Hieronymus epistola 85, *in episcopo et presbyter continetur*. Hanc sententiam confirmat Photii adversus Romanos ista objectio, cur

levitæ episcopi fierent, presbyterii gradu non prius accepto. Hanc quidem objectionem ex calumnia oriri dicit Ratramnus, eamque retorquet in adversarios, qui *ex laicis subito tonsis faciebant episcopos contra regulas ecclesiasticas*. At Æneas Parisiensis episcopus facti veritatem non diffitetur, respondetque *quod forte illi, qui istiusce ordinationis assentiunt, hoc intelligi velint quia qui Benedictone pontificali perfungitur reliquarum Benedictionum honore decoretur*, et quod *in sublimitate majoris pontificis consistat etiam* [CIX] *honor minoris sacerdotis*. Tum subdit : *Forsitan autem illi qui de diacono ordinant episcopum prætermissa Benedictione presbyterali, assertioni beati Hieronymi in epistola loquentis ad Titum ex parte concredere videntur, qui officium presbyteri in aliquo comparticipari affirmat ministerio episcopali*. Ex quibus liquet Æneam admisisse id quod Photius objiciebat, nempe quod tunc *apud Romam plerumque diaconus quodam saltu, non percepta presbyterali Benedictione, in episcopum subito consecraretur*, quæ erat septima objectio Photiana. Hic amplus sese aperit campus exspatiandi in hoc argumentum, sed hæc proposito nostro sufficiunt.

Non ab re tamen fuerit observare id quod Alexander II decrevit de quodam clerico qui, subdiaconatus gradu prætermisso, *ad diaconatus et presbyterii honorem cursu præpropero, non ambitiose, sed negligenter conscenderat*. Hac de re cum fuisset consultus, nullum super hac quæstione *præceptum canonicum se invenisse* respondet; consilium autem dare, sicut Grimoldo Constantiensi episcopo in simili causa responderat : nempe prædictum ordinatum a sacerdotis et levitæ officio suspendendum, *donec congruo tempore interesset iis qui ad diaconii benedicendi essent honorem, et cum eis subdiaconatus acciperet Benedictionem*; quæ fusius videsis apud Baronium ad annum 1069. Ex quo intelligitur jam longe ante id tempus ejusmodi ordinationes in Ecclesia Romana probatas non fuisse, cum nulla de similibus factis tunc superesset memoria.

XVII. *De varia creatione romani pontificis.*

Vix ulla res alia tot tantisque mutationibus obnoxia fuit quam Romani pontificis creatio. Hoc argumentum Onufrius Panvinius, vir impense eruditus, libris decem complexus est, eosque Carolo Borromæo tum cardinali nuncupavit; in quibus varios creandi pontificis modos ad octodecim enumerat : quorum supremus is demum fuit, cum, remotis non modo populi, sed etiam cleri suffragiis, jus creandi pontificis ad solos cardinales translatum est. Totam hanc electionis pontificiæ historiam in pauca conferre juvat, quatenus conducere potest ad Romanos ritus explicandos. Atque ut id ordine fiat, sex hujusce electionis periodos distinguere visum est : primam a sancto Petro ad Constantinum Augustum; secundam [CX] a Constantino ad Justinianum ; tertiam a Justiniano ad Carolum Magnum ; quartam inde ad Formosi creationem; quintam a Formoso ad Ottonem Magnum ; sextam denique ab hoc Ottone ad Fredericum Ænobarbum, seu ad Alexandrum tertium papam, cujus tempore et cura electio ad solos cardinales devoluta fuit.

Præter Clementem, quem a beato Petro successorem designatum memorant, Romani pontificis post Petrum electio penes clerum et cœtum fidelium stetit. Mortuo pontifice, statim omnes finitimarum urbium episcopi a presbyteris et diaconis Ecclesiæ Romanæ de obitu Romani antistitis certiores facti, et ad comitia evocati, congregabantur ad successorem eligendum. Eadem mors etiam ad alias, maxime insigniores, Ecclesias litteris significabatur, cujus rei testes sunt in primis Cypriani quædam epistolæ. Ad hæc comitia presbyteri, diaconi, subdiaconi, acolythi cum aliis clericis, reliquusque populus Romanus fidelis, interesse poterant ; tuncque, suffragiis suis viva voce collectis, quem e numero presbyterorum diaconorumve præferebant, is demum electus consecrabatur pontifex Romanus; et ab episcopo Ostiensi aliisque præsentibus episcopis statim coram omni concilio manuum impositione consecrabatur. Succedebant laudes et acclamationes cleri et populi, qualis fuit illa confessorum qui, electo Cornelio primum adversi, et Novatiano adhærentes, demum ad partes Cornelii accesserunt cum his vocibus : *Nos Cornelium episcopum sanctissimæ catholicæ Ecclesiæ electum a Deo omnipotente et Christo domino nostro scimus*. Quæ acclamatio legitur in epistola ipsius Cornelii ad Cyprianum, non multum diversa ab ea quæ posterioribus sæculis obtinuit, apud Cencium et alios. Hanc electionis formam etiam aliæ servabant Ecclesiæ, exemplo apostolorum qui, Mathiam in Judæ traditoris locum subrogaturi, in frequenti fidelium cœtu id executi sunt. Consecratus denique pontifex mox ad apostolicas ecclesias communionis litteras dirigebat, ab eisque vicissim recipiebat : quales Cornelius Cypriano, quales Cyprianus Cornelio misit. Si quæ turbæ occasione electionis exortæ fuissent, eas componere nitebantur alii episcopi, quod præstitit Cyprianus in facto Novatiani contra Cornelium. Ejusmodi epistolas presbyteri, passim vero diaconi et subdiaconi, aliquando etiam acolythi perferebant. Præter illas litteras communicatorias Cyprianus, [CXI] audita Novatiani factione, alias litteras ab episcopis qui Cornelii electioni interfuerant requisivit; cujus facti inusitati rationem Cornelio reddit his verbis : *Quod autem scripta collegarum nostrorum qui illic ordinationi tuæ affuerant desideravimus, non veteres mores obliti novum aliquid quærebamus. Nam satis erat ut tu te episcopum factum litteris nuntiares, nisi esset ex diverso discrepans factio — cui rei sapiendæ necessarium duximus ut scribentium nobis inde collegarum nostrorum firma et solida auctoritas pararetur*. Quod idcirco visum est observare, quod primum illud fuerit dissidium in Romani Pontificis electione, ac prima proinde adversus schisma consurgens cautela.

Parta Ecclesiæ pace, cum invidiosa res etiam paganis cœpisset haberi episcopatus Romanus, varias subinde turbas facessivit novi pontificis electio; factumque est ut in eligendo pontifice cleri populique Romani suffragiis Romanorum imperatorum qui in Occidente rerum potiebantur, primum deinde, iis pulsis, Gothorum regum etiam accederet auctoritas. Non quod ipsi vel imperatores, vel reges, per se electioni interessent, sed quod missos suos Romam, qui nomine suo interessent, dirigerent; aut certe quando in electione dubia duo se pro pontifice gerebant, hi suo nutu quem vellent præferrent, quod contingit in Damaso et Ursicino, in Bonifacio et Eulalio, in Symmacho et Laurentio. Quanquam qui religiosiores erant imperatores neutrum ex illis duobus probabant, sed qui nova electione esset creatus. Hoc quippe censuit Honorius Augustus, ut ejus ad Bonifacium papam epistola probat, qui Bonifacius eum interpellaverat ut constitueretur ab eo ne in Urbe per ambitum unquam ordinaretur antistes. Porro missi illi id potissimum curabant, *ut in episcopatus electione concordia servaretur Ecclesiæ, ne per occasionem seditionis civitas vocaretur in dubium*, quemadmodum loquitur Fl. Basilius ab Odoacro post mortem Simplicii papæ missus pro Hilari electione. Huc etiam spectat Symmachi papæ decretum, ut in electione *vincat sententia plurimorum, sic tamen ut sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto judicio, de electione decreverit*. Illud probabile aliud fuit Bonifacii II constitutum, quo sibi ipse successorem Vigilium deligebat; sed cum a sacerdotibus postea congregatis id fuisset improbatum, idem suum ipsius decretum igne consumpsit. Quales essent [CXII] tunc temporis novi pontificis communicatoriæ litteræ, testatur epistola Gelasii primi ad universos episcopos per Dardaniam constitutos. Porro in creando tunc pontifice triduum a morte decessoris (quod postea lege cautum est) fuisse exspectatum, probat Symmachi præfecti ad Honorium Augustum relatio de iis quæ Zozimo papa mor-

tuo in creatione successoris contigerunt; ubi Eulalius, Bonifacii æmulus, *de exsequiis prioris episcopi a populo et a clericis ad ecclesiam Lateranensem adductus ducitur, ubi per biduum remoratus est, ut exspectaretur dies consuetus quo posset solenniter ordinari*, id est eligi. Hoc triduum cum in electione Gregorii VII, qui ipsa die mortis Alexandri II creatus est, servatum non fuisset, id postea Benno cardinalis aliique Gregorii adversarii ipsi objecerunt, quod triduum per id tempus nulla lege sancitum fuisse existimat Baronius, qui Bennonis criminationem hoc loco rejicit.

Gothis Italiæ ditione a Narse patricio, Justiniani imperatoris duce, omnino exactis, Italiaque cum urbe Roma in orientalis imperii portionem redacta, insignior fuit in electione papæ mutatio usque ad Carolum Magnum. De hac mutatione Gregorium Magnum sciscitatus est Secundinus servus Dei inclusus, cui Gregorius respondit in hæc verba : *De ordinationibus vero apostolicæ sedis pontificum utrum post beatissimum virum Hormidam aliqua sint addita, vestra charitas requirit. Sed usque ad Vigilii papæ tempora expositas ordinationes præsulum esse cognoscas*, id est publice factas, cum tempore Vigilii quædam occultis ambientium cuniculis factæ sint, quas inter ipsa etiam Vigilii electio vitio non caruit. Ab eo igitur tempore sic res se habebat. Mortuo pontifice, sedis apostolicæ vacantis cura tribus præcipuis cleri ministris committebatur, scilicet archipresbytero, archidiacono, et primicerio notariorum. Ab his quamprimum de morte papæ nuntium significatur exarcho, quem Gothis pulsis Ravennæ instituerat imperator. Post justa defuncto persoluta, exactumque tridui jejunium, de eligendo pontifice tractabatur. Huic electioni intererant clerus, optimates, populus et milites, hoc est militum stationes, qui ad tutandam adversus Langobardos reliquam Italiæ partem Romæ potissimum et Ravennæ consistebant. De electione mox referebatur ad imperatorem, a quo petebatur expectabaturque factæ electionis approbatio. De ea item scribebatur [CXIII] ad exarchum, ad judices, archiepiscopum, et apocrisiarium Ravennæ, ut electioni faverent. Post datam ab imperatore approbationem, electus tandem ordinabatur ad confessionem beati Petri, ibique fidem suam profitebatur, moxque fidei suæ confessionem ad omnes Ecclesias dirigebat. Hæc omnia constant ex libro diurno Romanorum pontificum, cujus formulæ ab eo tempore, id est a medio sæculo sexto, in usu esse cœperunt. Porro electus non se gerebat ut pontifex ante confirmationem; quod manifestum est ex epistola ad episcopos et presbyteros Scotiæ, apud Bedam relata sub hac inscriptione : *Dilectissimis et sanctissimis fratribus Thomiano*, etc., *Hilarus archipresbyter et servans locum sanctæ sedis apostolicæ, Joannes diaconus et in Dei nomine electus, item Joannes primicerius et servans locum sanctæ sedis apostolicæ*, etc., ubi Joannes, licet electus in Romanum pontificem, secundo tamen loco inscribitur; nec alii dimittunt titulum qui eis ante electionem competebat, servantium scilicet locum sedis apostolicæ. Et tamen hi episcopos *fratrum* vocabulo compellant, quemadmodum Cyprianum Carthaginensem antistitem *presbyteri et diacones Romæ fratrem* vocant, in epistola 36 novæ Editionis, et in aliis.

Neque vero gratuita erat imperatoris confirmatio, sed sub certa pecuniæ pensione, quam Heraclius imperator sustulit sub Agathone papa, privilegio etiam concesso, ut electus pontifex non exspectata imperatoris approbatione posset consecrari, quod Constantinus Heraclii pronepos etiam confirmavit. Vide quæ de Adriani primi electione dicta sunt in Musei tomo I.

Postquam vero Carolus Magnus, subacto Desiderio Langobardorum rege, qui Adriano papæ infestissimus erat, exarchatum Ravennæ atque Umbriæ et Piceni partem sedi apostolicæ a Pippino concessam eidem asseruisset, Adrianus, teste Anastasio, tanti beneficii memor, Romæ synodum cum episcoporum convocavit, et cum universa synodo tradidit *Carolo jus et potestatem eligendi pontificem, et ordinandi apostolicam sedem*, præter dignitatem patriciatus, quam ei concessit cum investitura episcopatuum. Hoc itaque Adriani decreto, quod Gratianus et Ivo retulerunt, statutum est ut is esset verus Romanus pontifex, quem Carolus rex Francorum suique successores Francorum reges consecrandum elegerent, sive jus [CXIV] eligendi pontificem a clero et populo ad unum regem translatum sit, sive electionis nomine confirmatio intelligatur, eum ad modum quo reges Francorum, qui natalium jure in regnum succedunt, a populo tamen electi non raro dicuntur apud veteres, id est, accepti et agniti. At sive hoc sive alio modo electionis vocabulum accipiatur, Carolus Magnus, mortuo Adriano, liberam eligendi successoris facultatem clero et populo reliquit, eamdemque libertatem ipse et filius suus Ludovicus augustus in creatione episcoporum singulis ecclesiis asseruerunt, sancito edito, quod ab aliis relatum est. Sed tamen eo pacto hæc libertas Ecclesiæ Romanæ concessa fuit, ut electi pontificis confirmatio et approbatio fieret per imperatores eorumve legatos, in quorum præsentia novi pontificis consecratio fieri solebat. Unde post mortem Gregorii IV, cum Sergius secundus electus fuisset, et non exspectata imperatoris auctoritate ordinatus, *Lotarius filium suum Ludovicum cum Drogone Mediomatricorum episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente apostolico quisquam illic præter sui jussionem missorumque suorum præsentiam ordinaretur antistes*, ut habetur in Annalibus Bertinianis, ad annum 844, quem locum Baronius si legisset, mitius utique egisset cum Sigeberto, qui idem factum, quanquam alio modo, commemorat. Hic ritus viguit ad Adrianum tertium, qui statuto edito cavit ne deinceps in approbando et ordinando pontifice exspectaretur imperatoris auctoritas. Ex his intelligitur suspectam esse vulgatam Ludovici Pii sanctionem, quæ hunc usum remittit, absolutamque eligendi et consecrandi pontificis facultatem clero et populo Romano restituit; quod quidem satis confutat Stephani IV decretum, statuentis ut electus *præsentibus legatis imperialibus* consecretur.

Post Adrianum tertium tumultuaria fuit passim papæ electio, usque ad principatum Ottonis Magni qui in electione pontificia summam sibi suisque posteris auctoritatem attribuit. Petrus Damiani, Alexandro secundo pontifice, ait in lib. I, epistola 20, electionem illam *per episcoporum cardinalium fieri debere principale judicium*, ita ut *secundo loco jure præbeat clerus assensum, tertio popularis favor attollat applausum; sicque suspendendam esse causam, usquedum regiæ celsitudinis consulatur auctoritas, nisi periculum fortassis immineat quod rem quantocius accelerare compellat.* Quot turbas excitaverit sub Gregorio VII [CXV] ejusque successoribus hæc imperatorum auctoritas, nemini ignotum est. Tandem post multas ac diuturnas altercationes evicit Alexander tertius, ut a solis cardinalibus (quod Nicolaus II jam statuerat, sed obtinere nequiverat) Pontifex eligeretur, ita ut ex tribus duæ partes in unum conspirarent. Nec difficile fuit Alexandro clerum removere ab hac electione, assumptis in ordinem cardinalium qui inter clericos præcipui erant, vel eorum officiis penitus exstinctis. Ita cardinales creati sunt prior seu archipresbyter Lateranensis, sancti Petri et sanctæ Mariæ Majoris archipresbyteri; sancti Pauli, et sancti Laurentii extra muros abbates. Additi ad hos etiam septem Urbis episcopi, totidemque Ecclesiæ Romanæ præcipui officiales, ut primicerius, et secundicerius, protoscrinarius, sacellarius, arcarius, adminiculator, et primicerius defensorum, quorum munera vel omnino antiquata, vel mutatis nominibus intra cardinalium collegium inclusa sunt. Sublatis igitur vel auctis cleri capitibus, facile fuit ut vulgus clericorum hoc electionis jure privaretur. Atqui clero decedente, non ægre etiam populus antiquo jure cessit. Hæc fere

Onufrius. Quod non ita intelligendum, quasi sub Alexandro tertio primum cardinalium dignitas ad hunc auctoritatis apicem provecta sit, sed quod aucta in hunc modum dignitas clero et populo jus suum facile ademerit. Sane Petrus Damiani, in epistola mox laudata, sic extollit cardinales episcopos, *qui Romanum pontificem principaliter eligebant*, ut *non modo quorumlibet episcoporum, sed et patriarcharum atque primatum jura transcendere* asserat. Et quidem jam inde a tempore Gregorii VII præcipuas cardinalium in Romani pontificis creatione fuisse partes colligitur ex formula juramenti Henrici patriarchæ Aquileiensis electi, qui Gregorio fidem suam pollicetur, ejusque successoribus, *qui per meliores cardinales intraverint*, apud Baronium, ad annum 1079. Quanquam ipsius Gregorii electioni non modo cardinales, sed cæteri etiam clerici, *acolythi, subdiaconi, diaconi, presbyteri interfuerunt, præsentibus etiam abbatibus et monachis, consentientibus turbis utriusque sexus, et acclamantibus*. Denique, ut paucis absolvamus, sub Gregorio X institutum est conclave cardinalium ad novi pontificis electionem; triplexque electionis modus, qui deinceps obtinuit, adinventus, scilicet per viam scrutinii, compromissi, vel Spiritus sancti, quæ omnia in libris nostris [CXVI] fuse explicantur, maxime in libellis XIII et XIV.

XVIII. *Ritus in consecratione pontificis olim servati.*

Electioni pontificis succedit ejusdem institutio, quæ duabus rebus peragitur, ordinatione videlicet, ac inthronizatione. Ordinatio in Vaticana sancti Petri basilica, inthronizatio in Lateranensi fieri consuevit. In his non constans ordo. Nam etsi inthronizationem consecratio sæpius præcedere solebat; nonnunquam tamen inthronizatio præmittebatur, quemadmodum ex mox dicendis constabit. Quinam ritus cum in inthronizatione, tum in ordinatione ante sæculum XI observati sint, ex Anastasio et ex Ordinis Romani libellis discimus.

In Cononis creatione, quæ anno 686 contigit, hæc Anastasius commemorat: « *Cononem sacerdotes et clerus* unanimiter apud Lateranum elegerunt. Mox *omnes judices una cum primatibus exercitus, ad ejus salutationem venientes, in ejus laudes acclamaverunt. Videns exercitus unanimitatem cleri et populi*, electioni factæ *consenserunt, atque in ejus decreto* cum eisdem *subscripserunt*. Demum iidem una cum clero et populo, *missos suos ad exarchum, ut mos erat, direxerunt*. » Electio itaque primo fiebat per clerum, deinde salutatio et acclamatio per judices et primates. Sequebatur consensus exercitus; omnium denique subscriptio in decreto, quod ad exarchum et ad imperatorem mittebatur. Addit Anastasius in creatione Stephani tertii, quæ in ecclesia beatæ Mariæ ad Præsepe facta est, « Stephanum inde in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, deportatum; atque intus inductum in patriarchium, *juxta morem* inthronizatum fuisse. »

Quænam fuerit novo pontifici facta salutatio, signantius explicat idem auctor, ubi de Valentini electione agit in palatio Lateranensi facta. Electus *condignis gloriæ laudibus et honoris amplitudine ad Lateranense patriarchium deductus* memoratur, *et in pontificali positus throno*, ejusque pedes *omnis Romanorum senatus osculatus est*, quod etiam in Leone IV servatum juxta *morem antiquum*. Id vero *salutationis* nomine appellat Anastasius. Postero die facta est Valentini consecratio in basilica sancti Petri, ut idem tradit; atque adeo inthronizatio consecrationem præcessit, uti etiam in Benedicto tertio.

[CXVII] Quo ritu celebrata sit ejusdem Valentini consecratio, tradit idem auctor his verbis: *Ejus consecrationis die sereno jam illucescente, cum lumine jam dictum antistitem ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam omnes pariter Romani a palatio deducentes, Majestate divina auxiliante, in alto throno summum consecrare pontificem. Qui mox almificæ sedis culmina scandens beati Petri apostoli et cœlestis regni clavigeri, divinis Deo laudibus et sacrificiis pie oblatis, amplo et magnifico Romanorum cœtu ad palatium*, scilicet Lateranense, *cum ingenti gaudio remeavit atque lautissimis dapibus sumptis, multis et diversis munerum donis sacram plebem et senatum populumque Romanum opime ditavit*. Tunc ergo hi erant consecrationis ritus, nempe ipsa novi pontificis consecratio ad sanctum Petrum; impositio ejusdem in sedem sancti Petri; oblatio sacrificii per novum pontificem; convivium; munera in senatum et populum erogata, quæ *presbyteria* vulgari nomine appellabant.

Antiquum illum ritum consecrandi pontificis fusius explicant Ordo Romanus et liber Diurnus Romanorum pontificum. *Psallunt secundum consuetudinem* (id est, canunt Psalmum illum qui, præmissa ad Introitum Antiphona, decantari solebat). *Procedit electus de secretario cum cereostatis septem, et venit ad confessionem* (nimirum sancti Petri). *Et post litaniam* (id est dicto minimum novies *Kyrie eleison* et *Christe eleison*) *ascendunt ad sedem simul episcopi et presbyteri. Tunc episcopus Albanensis dat Orationem primam super pontificem*, Adesto supplicationib. nost. *Deinde episcopus Portuensis dat Orationem secundam*, Propitiare, Domine, suppl. nost. *Postmodum adducuntur Evangelia, et aperiuntur, et tenentur super caput electi a diaconibus. Tunc episcopus Ostiensis consecrat pontificem ita*, Deus bonorum omnium, *in qua Oratione hæc addi debent ad locum*, Et idcirco famulo tuo N., etc. *Post hoc archidiaconus annectit ei pallium. Deinde ascendit ad sedem, et dat pacem omnibus sacerdotibus, et dicit* Gloria in excelsis Deo.

In consecratione episcopi, non a diaconis, sed ab episcopis duobus tenentur Evangelia super caput electi, cæteris qui adsunt episcopis manus super caput ejus imponentibus; quod non haberi *in auctoritate veteri, neque nova, sed neque in Romana traditione* asserit vulgatus Alcuinus, quanquam id diserte præscribit Sacramentarium Gregorianum. Nihil tamen ejusmodi [CXVIII] legitur in duobus libellis nostris, in quibus quædam præter jam dicta in ordinatione pontificis observare licet, quæ referre non est necesse, cum hic ad manum habeantur. Innocentius tertius unum addit, quod *solus pontifex Romanus (qui ante hymnum angelicum consecratur, et postmodum ipse Missarum solemnia incipit et perficit consecratus) in die consecrationis suæ valeat ordines celebrare*, quod Paschalem secundum præstitisse inferius videbimus.

Hoc in loco triplex quæstio sese offert: prima, an soli Ostiensi episcopo aliquando tributum sit ut, seclusis aliis episcopis, pontificem consecraret, quod ante Leonem secundum usu venisse Sigonius scribit, ad annum 682; secunda, an is qui ex diacono electus erat ad pontificatum, omisso presbyterii gradu, mox pontifex ordinaretur, quod in episcopis a Romano pontifice consecratis factum superius probavimus; tertia denique, an in Pontificis inthronizatione ulla sit ante sæculum XI mentio sedis illius quam vulgus *stercorariam* vocat.

Primam quæstionem contra Sigonium definit alter e duobus libellis nostris, qui de ordinatione agunt, in quo, uti in Ordine Romano, trium episcoporum mentio in pontificis ordinatione habetur. *Et accedit unus episcopus, et dat Orationem super eum, et recedit, et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum*. Atqui hic libellus haud dubie scriptus est ante pontificatum Leonis II, cujus ordinatio si attente, prout in Gestis pontificum descripta est consideretur, inde etiam idoneum contra Sigonium elicietur argumentum. *Qui supra scriptus sanctissimus vir ordinatus est a tribus episcopis, id est Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, et Placentino Veliterniensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia episcoporum minime habuit*. Ubi cum rationem reddit auctor, quod pro Albanensi episcopo, cujus sedes vacabat, suffectus sit Veliterniensis, id argumento est morem antea fuisse ut cum Ostiensi

et Portuensi episcopis, Albanensis etiam ordinationi Romani pontificis ministraret. Certe ordinationes episcoporum a tribus episcopis, etiam ante Nicænum concilium, Romæ factas fuisse colligimus ex facto Novati, qui accitos Romam tres episcopos temulentos, hora decima inclusos, adumbrata quadam et inani manuum impositione, episcopatum sibi tradere coegit, scribente Cornelio papa in epistola ad Fabianum Antiochenum, apud Eusebium, [CXIX] in lib. VI, cap. 43, unico contentus quidem futurus, si unus ad consecrandum Romanum antistitem tunc suffecisset. Sigonium fortasse in errorem induxit Augustini male intellecta auctoritas, scribentis in Breviculo collationis contra Donatistas moris esse ut Romanum pontificem ordinet, *non aliquis episcopus metropolitanus, sed de proximo Ostiensis episcopus*. Quod non ita accipiendum, quasi hic solus fuerit, sed præcipuus Romani pontificis vice metropolitani consecrator. Nescio an aliquid lucis huic quæstioni afferri possit ex facto Eulalii, qui post Zozimi obitum de pontificatu cum Bonifacio contendit. Is quippe, ut in litteris cleri Romani ad Honorium Augustum legitur, *circumventis paucissimis presbyteris, exhibito etiam cum aliis Ostiensi episcopo, in locum sibi non debitum, incustodito religionis ordine, per ambitum proruit*. Ubi cum audis Ostiensem episcopum *cum aliis* accitum fuisse ad Eulalium ordinandum, alios episcopos ejus ordinationi cooperatos fuisse vero proximum est. Hæc de prima quæstione.

Quæ de episcoporum ordinatione per saltum in superiori capite præmisimus, quoddam secundæ quæstionis præjudicium est, Romanæ sedis electum, si quando ex diaconis creabatur, prætermisso presbyteri gradu, pontificem fuisse ordinatum. Id autem conjicitur ex altero libello nostro, in quo, ubi de pontificis electione mentio fit, hæc leguntur: *Eligitur unus de cardinalibus, de qualicunque titulo fuerit, tantum ut a prædecessore sit pontifice ordinatus, aut presbyter aut diaconus, nam episcopus esse non poterit.* At vero in ejusdem electi consecratione nullum est discrimen electi diaconi aut presbyteri, sed una eademque pro utroque præscribitur ordinatio. Hanc conjecturam roborat exemplum Constantini contra Stephanum III, aliis IV, pro pontifice se gerentis, qui cum ex laico a factiosis electus fuisset, a Gregorio episcopo Prænestino primum clericus, deinde altero die subdiaconus atque diaconus, ac demum adveniente die dominico *pontifex ab eodem Georgio et aliis duobus episcopis, Eustratio Albanensi, et Citonato Portuensi, consecratus est*, ut tradit Anastasius, nulla presbyterii commemoratione facta.

Quod si quis intrusi pontificis exemplo minus legitime hoc demonstrari posse existimet, duo alia afferimus legitimorum pontificum exempla, Valentini et Nicolai I, quorum ille ex [CXX] archidiacono, hic ex diacono electus, absque alia ordinatione pontifices creati sunt, quod ex Anastasio manifestum est. Valentinus quippe *statim a sua electione condignis gloriæ laudibus ad Lateranense patriarchium deductus et in pontificali est positus throno.* Deinde *ejus consecrationis die illucescente*, eumdem *ad beati Petri ecclesiam omnes pariter Romani a palatio deducentes, in alto throno summum consecravere pontificem; qui mox culmina scandens beati Petri, sacrificiis p e oblatis, ad palatium remeavit.* Nicolaus vero, ubi apud Lateranensem basilicam *apostolico solio* impositus fuit, *postmodum in basilicam beati Petri deductus, præsente Cæsare consecratus est, apostolicaque sublimatus in sede factus est pontifex, et Missarum solemnia super sacratissimum corpus apostoli celebravit*. Vides utrobique nullam collati presbyteratus factam mentionem.

Quo vero tempore mos iste mutatus sit, non satis exploratum habetur. Jam contrarius ritus invaluerat sæculo undecimo, quo tempore Hildebrandus archidiaconus, post Alexandri II obitum electus, *infra hebdomadam Pentecostes in presbyterium ordinatus est, et in natali apostolorum in Romanum pontificem consecratus*. Unde sub initia sæculi duodecimi Gelasius secundus, ex diacono item electus, non ante pontifex consecratus fuit quam presbyter ordinatus. Rem narrat testis oculatus, nomine Pandulfus, in libro de Romanis pontificibus. Qui Pandulfus, narrato electi in portum Cajetanum adventu multorumque ad eum episcoporum accessu, hæc subdit: *In quorum præsentia idem domnus papa per manus Lamberti Ostiensis, Petri Portuensis, et Vitalis Albanensis episcoporum, cooperantibus archiepiscopis et episcopis multis, assistentibus aliis viris religiosis, et cum Guillielmo duce Apuliæ Roberto principe Capuano, Richardo de Aquila, aliisque baronibus plurimis, qui tunc ei omnes fidelitatem fecerunt, existente clero ac populo infinito, sancto dictante Spiritu, et effectus est presbyter, et in papam Gelasius infra Kalendas Martii consecratus, ubi Petrum Rufum diaconem cardinalem, Baronem subdiaconum, et me Pandulfum ostiarium, qui hæc scripsi, in lectorem et exorcistam promovit, et plures alios in minoribus gradibus ordinavit.* Ex his manifestum est Gelasium (quod de Gregorio etiam modo notabimus) seorsim accepisse sacerdotii gradum ante pontificatum, atque ita tempore intermedio Nicolaum primum inter et Gregorium VII ordinationem per saltum [CXXI] abrogatam fuisse in Ecclesia Romana. Id porro veri simile est contigisse occasione Photii objectionum, quarum una erat quod Romani per saltum episcopos ordinarent. Ex superiori autem Pandulfi testimonio probatur id quod ex Innocentio III superius observatum, nempe Romanum pontificem ipso die suæ consecrationis Ordines contulisse.

Superest investigandum quo tempore sedis illius lapideæ, quam vulgus *stercorariam* vocat, usus cœperit, quove tempore desierit. Qui istius sedis originem ad pseudopapissam Joannam referunt, facile ex hoc revincuntur, quod nulla ejusmodi sedis mentio ante sæculum duodecimum facta invenitur. Quod ut melius intelligatur, notare juvat hunc morem ab aliquot sæculis in novorum pontificum institutione observari solitum, ut electus, in ecclesiam Lateranensem introductus, primo in throno pontificali, qui in apside illius basilicæ antebac exstabat, primo collocaretur ubi *omnes episcopos et cardinales*, ut loquitur Cencius, *ad osculum* admittebat; deinde *ad sedem lapideam, quæ dicitur stercoraria*, in porticu ejusdem basilicæ inter duas fores existentem, adduceretur, in eaque sederet, cum interim caneretur hic versiculus ex Psalmo CXII: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem.* Postea perductus ad capellam sancti Silvestri prope Lateranense palatium, ubi duæ erant sedes pertusæ porphyreticæ, primo sederet ab dextram in una ex illis sedibus, tumque claves basilicæ a priore sancti Laurentii acciperet in signum regiminis et correctionis; demum, ad sinistram in altera positus, easdem claves eidem priori restitueret. Hæc ex libro Cenci hic edito strictim referre visum est, ut omnes intelligant sedem illam quæ stercoraria dicta est non ita fuisse appellatam, quasi esset perforata (neque enim pertusa erat, uti oculis ipsi probavimus), sed quod pontifice in ea stante hæc Psalmi CXII verba canerentur, *et de stercore erigit pauperem.* Hæc sedes ex marmore constat, aliæ vero duæ ex porphyrite, supersuntque omnes cum supervacanea supellectile rejectæ in peristylio Lateranensi, ut in Itinere Italico diximus.

Harum sedium qui meminerit inveni neminem ante Pandulfum supra laudatum. Nam in creatione pontificum qui post Leonem IV (cui pseudopapissam illam successisse fabulantur) electi sunt, omnes *in solio patriarchali*, intra basilicam posito, collocati perhibentur, non vero in istis sedibus, [CXXII] quæ extra basilicam positæ erant. Sic Benedictum tertium, Leonis successorem, electores in patriarchium Lateranense perducentes, *pontificali solio, ut mos est pontificum, canaque consuetudo demonstrat, posuerunt.* Ex quo intelligitur nihildum novatum fuisse. Item

contigit in Nicolao primo, quem *in patriarchium Lateranense introduxerunt, apostolicoque solio posuerunt*. Primus, ut mox dicebam, Pandulfus istarum sedium mentionem facit in Paschale secundo, cujus creationem hoc modo commemorat: *Sic eo diu renitente, a primiscriniis et scribis regionariis muta'o nomine sibi acclamatum est responsumque: Paschalem papam sanctus Petrus elegit. His aliisque laudibus solemniter peractis, chlamyde coccinea induitur a patribus, et tiara capiti ejus imposita, comitante turba cum cantu, Lateranum vectus, ante eam porticum quæ ducit ab australi plaga ad basilicam Salvatoris, quam Constantinianam dicunt, adducitur. Equo descendit, locaturque in sede quæ ibidem est, deinde in patriarchali. Ascendensque palatium, ad duas curules devenit. Hic balteo succingitur cum septem exinde pendentibus clavibus, et septem sigillis; ex quo sciat se secundum septiformem Spiritus sancti gratiam, sanctarum Ecclesiarum, quibus Deo auctore præest, regimini, in claudendo aperiendoque, tanta ratione providere debere, quanta solemnitate id quod intenditur operatur. Et locatus in utrisque, data sibi ferula in manum, per cætera palatii loca solis pontificibus Romanis destinata, jam dominus, vel sedens, vel transiens, electionis modum implevit. Die altero, mense 8, die 14, primo consecrandus in pontificem, consecraturique pontificem pontifices, cum frequentia populi plebisque, basilicam beati Petri invadunt, etc.* Hæc modo ad propositum sufficiunt, in quibus multa occurrunt animadvertenda.

Primo, chlamys coccinea electo pontifici cum tiara tunc imposita est, cujus ritus idem auctor in Callisto secundo et Honorio item secundo meminit; et ante eum Petrus Damiani, in lib. I, epistola 20, Cadaloum antipapam alloquens: *Habes nunc forsitan mitram, habes juxta morem Romani pontificis rubram cappam*; quo in habitu papa depictus exhibere solet in præclaro chartario Casauriensi, quod in bibliotheca regia servatur.

Deinde pontifex, Lateranum equo vectus, ad portam australem, quæ primaria est, equo descendens, locatus fuit in sede quæ ibidem erat, deinde in patriarchali. Ubi vides sedem illam [CXXIII] quæ in porticu basilicæ Lateranensis exstabat, distingui a patriarchali solio quod sub apside basilicæ positum diximus.

Ad hæc electus deductus est ad palatium Lateranense, pervenitque *ad duas curules*, in quibus vicissim sedit, accepitque balteum cum septem clavibus totidemque sigillis. Hæ sunt duæ sedes illæ porphyreticæ, et quidem pertusæ, quas vidimus in claustro canonicorum Lateranensium cum prædicta sede stercoraria, quo nomine Cencius primus usus invenitur. Idem Pandulfus in Honorio secundo, nulla hujus sedis mentione facta, tradit pontificem electum *in syrnis quæ ante ecclesiam beati Silvestri sitæ sunt* compositum fuisse, quo vocabulo Pandulfus duas illas sedes porphyreticas significat. Eumdem ritum fuse describit in vita Cœlestini quinti Jacobus cardinalis, ubi agit de coronatione Bonifacii VIII. Ad hæc in epistola Pilei de Prata, archiepiscopi Ravennatis et cardinalis, ad Ludovicum Flandriæ comitem, quæ epistola exstat in Spicilegii tomo IV, agitque de electione Urbani VI, post ejus coronationem in Vaticana basilica factam, *ubi omnes diaconos cardinales sua manu pretioso corpore et sanguine Christi communicavit* de more, legitur eum cum Processione solemni conductum fuisse ad Lateranensem ecclesiam, *ibique in sedibus ordinatis secundum formam Romanæ Ecclesiæ inthronizatum*.

Ex his intelligi par est prædictarum sedium usum longe ante natam, auctore Martino Polono, pseudopapissæ fabulam in creatione pontificis invectum fuisse tametsi hujusce ritus causa ignoretur. Porro idem ritus perseveravit ad Leonem X, qui, pro more vectus Lateranum, *sedit in sedella apud portam ecclesiæ jacente ad latus dexterum*, ut Paris de Crassis in ejus diario scribit. *Postea itum est ad capellam sancti Silvestri. Et primo sedens, quasi jacens, papa accepita priore canonicorum claves deinde ferulam. Et deinde illico papa surgens ivit ad aliam sedem, et jacuit; accepitque ab eodem priore canonicorum cingulum rubeum cum bursa, in qua sunt duodecim lapides vitrei, qui etiam nunc ostenduntur; et statim papa surgens consignat ferulam et claves eidem priori; cingulum vero retinet, donec acceptam pecuniam argenteam de manu vel gremio camerarii ter projicit, dicens: Dispersit, dedit pauperibus*, etc. *Et mox depouit cingulum cum bursa, et vadit ad capellam Salvatoris.* [CXXIV] Hactenus Paridis diarium.

In his Paridis verbis quædam occurrunt paulo diversa a Pandulfi narratione. Hic enim mentionem facit de balteo cum septem clavibus totidemque sigillis; ille vero cum balteo conjungit bursam, in qua duodecim lapilli erant. Paridi consentit Cencius, qui ait electum cingi zona rubea de serico, *in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt duodecim sigilla pretiosorum lapidum, et muscus.* Eadem metrice reddit Jacobus cardinalis, ubi de coronatione Bonifacii VIII.

> .... Zonaque Pater succingitur illic,
> Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
> Bis senos referens pretiosos, sculpta sigilla,
> Et muscum, quæ magna notant præsagia, magna.

Sed tandem totus ille sedium ritus penitus abolitus est post Leonem X, cum Romanos fabulæ tam male inventæ quam facile creditæ pudere cœpit, cujus ritus origo hanc fabulam uno vel altero sæculo præcessit.

Opportune hoc loco addi potest id quod legitur in *Criminationibus Græcorum adversus Latinos*, tomo III Monument. Græc. Cotelerianorum, pag. 498, art. 16.

« Successor mortui papæ hoc modo constituitur. Eligunt eum qui eorum faciunt synodum, et viventem ad mortuum corpus adducunt, sumptamque manum illius qui sensu caret collo sentientis imponunt, hocque arbitrantur esse successoris unctionem et consecrationem. Atque is primus mox pro funere defuncti qui eum unxit sacrum facit, ac deinceps, tanquam optime unctus, streuue pontificalia munia obit. »

Verum hanc criminationem falsam esse, et ex facto ecclesiæ Alexandrinæ desumptam facile est cuivis æstimare.

De ornamentis pontificalibus passim agitur in libellis nostris, quorum antiquissimus est Ordo Romanus, qui hic ordine quintus. *Cæterum cambuta seu baculo pastorali non utuntur summi pontifices, neq episcopi cardinales in Romana curia*, ut notat Jacobus Gaietanus in Ordinarii sui cap. 48.

Nec ab re erit adnotare in antiquioribus nostris libris pontificem, non *domini*, sed *domni* vocabulo solitum insigniri. Quod etiam Petri Damiani tempore usu venisse probat hic ejus versus de Alexandro secundo et Hildebrando tum archidiacono, quem, quia plurimum auctoritate pollebat apud pontificem, ipsius pontificis *dominum* appellat.

Plus domino papæ quam domno servio papæ.

Hinc est quod passim *domni* vocabulum, ubi de pontifice agitur, retinuimus pro veteri more, qui etiam ad sanctos olim transferebatur.

Porro ad stationes, quas jejunii diebus frequentabant pontifices, non raro excalceati procedebant; in aliis vero solemnioribus pompis equo albo vehi solebant. Ad quem locum referri potest id quod Gregorius Magnus ad Petrum Siciliæ subdiaconum scribit in lib. XII, epistola 30: *Præterea unum nobis caballum miserum, et quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est; illos autem bonos sedere non possum, quia asini sunt. Sed petimus ut si nos continere,* [CXXV] id est contentum reddere, *disponitis, aliquid nobis condignum defeatis.* Et id certe exigit pontificis dignitas.

XIX. *Expenditur locus Socratis scholastici de prætermissis mysteriis sacris in Sabbatis apud Romanos, ubi de hebdomada et Dominica* mediana, *atque de variis ritibus qui strictim exponuntur.*

Postquam ea quæ ad triduum ante Pascha, adeoque ad Ordinationes sacras pertinent, fuse exposuimus, nunc quidam ritus, qui aliis temporibus occurrunt, paucis præstringendi sunt, ut ad Rituales libros nostros magis parati et expediti accedamus.

Et primo quidem sese offert Socratis scholastici locus ex lib. v, cap. 22, ubi ait, « cum omnes ubique terrarum ecclesiæ per singulas hebdomadas die Sabbati sacra mysteria celebrarent, Alexandrinos tamen et Romanos, vetustam quamdam traditionem præferentes, id facere detractasse. » Id non magis vero consentaneum videtur, quam quod eodem in loco idem auctor de Quadragesima affirmat, « eos qui Romæ sunt, tres tantum continuas hebdomadas ante Pascha, exceptis Sabbato et Dominico die, jejunare. » Nam Romanos sex ante Pascha hebdomadis tum jejunasse certum est ex Cassiano, et ex Leone Magno, Socrati æqualibus tempore, sed auctoribus superioribus; nec minus exploratum est apud Romanos veteres Sabbati in Quadragesima jejunium, imo et per totum annum, ut probat eruditus Quesnellius in Dissertatione sexta ad sanctum Leonem.

Ejusdem generis erratum esse quod de sacris mysteriis in Sabbatis apud Romanos prætermissis scribit Socrates, mihi prorsus persuasum est. Primo nullum hujusce rei vestigium apparet apud vetustos auctores. Imo in antiquissimis Codicibus liturgicis Missæ propriæ in Quadragesimæ Sabbatis, uno aut altero excepto propter peculiares rationes, assignantur. Sic in Sacramentario Gelasiano, sic in Gregoriano, sic in libro Comitis, capitula epistolarum et evangeliorum in totum annum continente, qui Hieronymo licet falso tribuitur, antiquissimi tamen auctoris indubie est. Deinde hæc Socratis opinatio cum alia ejusdem videtur pugnare, cum dicit Romanos in Quadragesima tribus tantum hebdomadis jejunasse, exceptis [cxxvi] Sabbato et Dominico die. Nam hæc a jejunio Sabbati exceptio quamdam importat solemnitatem, quæ sacris utique mysteriis celebranda erat. Ad hæc Innocentius I, in epistola ad Decentium, excipit unum Sabbati sancti diem a celebratione mysteriorum, ob peculiarem rationem, quæ perperam adduceretur, si aliis etiam totius anni Sabbatis ab iisdem mysteriis cessatum fuisset.

Unde vero errandi occasionem hausit Socrates? Fortasse ex epistola Innocentii I ad Decentium, quam videre potuit, male intellecta. In ea enim pontifex rationem reddens quare in Sabbato sancto, uti et in Parasceve, sit jejunandum, ait id factum esse ob mœrorem apostolorum, qui per biduum illud jejuni permanserint. *Quod utique non dubium est*, inquit, *in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Tum subdit : *Quæ utique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id quod commemoratio diei illius semper est celebranda.* Hæc postrema verba facile in errorem inducere possunt lectorem incautum, quasi Innocentius non modo jejunium, sed etiam a mysteriis cessationem singulis anni Sabbatis assignare velit, tametsi de solio jejunio sit intelligendus, quod jejunium singulis per annum Sabbatis apud Romanos fuisse observatum, ex Augustino, Leone Magno aliisque auctoribus apud Quesnellium relatis, manifestum est.

De jejunio feriæ quintæ in Quadragesima apud ipsos Romanos major est difficultas. Nam si vulgatis pontificum Actis fidem habemus, Miltiades papa constituit ut nullus in Dominica, nec in quinta feria Quadragesimæ, jejunaret. *Unde*, infert Micrologus in cap. 50, *sanctus Gregorius in dispositione officiorum quintam feriam infra Quadragesimam vacantem dimisit, ut, quia festiva erat sicut Dominica, etiam officio dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria jejuniis postmodum applicata est, ut reliquæ, Gregorius junior*, nempe secundus, *statuit esse solemnem, officiis undecunque collectis, et maxime ex æstivalibus Dominicis. Unde et Antiphonæ ex Dominicalibus Evangeliis quintis feriis adhuc ascriptæ reperiuntur*, etc.

Et quoniam in hunc locum Quadragesimæ mentio recurrit, paucis agendum videtur de hebdomada *mediana*, quæ quartam Quadragesimæ Dominicam proxime subsequitur, deque [cxxvii] Dominica Passionis, quam *sedes apostolica medianam voluit nuncupari*, ut in libellis nostris legitur. Hujus appellationis originem inquirens vir clarissimus Henricus Valesius, in Socratis lib. v, cap. 22, inde argumentum deducit ad confirmandam Socratis opinationem, Romanos tribus tantum hebdomadis ante Pascha jejunasse in Quadragesima; nec aliam causam cur Dominica de Passione *mediana* dicta sit se invenire ait, *quam quod ex tribus hebdomadis quibus Romani in Quadragesima jejunabant hæc erat secunda Dominica*, ac proinde media seu *mediana*. Verum, pace magni viri dixerim, hæc ratio admitti non potest, tum quia sex hebdomadis ante Pascha Romanos tum jejunasse constat, ex Leone Magno et Cassiano, tum quia hebdomada Dominicam Passionis præcedens, quæ in Socratis sententia fuisset Romanæ Quadragesimæ prima, æque *mediana* dicta est ab antiquis, ut a Pelagio papa I apud Holstenium in Collectione Romana : *Veniente mediana septimana Paschæ unumquemque per officia quæ prædiximus promovere non differas;* et ante eum a Gelasio I, in epistola 9, cap. 11. *Ordinationes etiam presbyterorum et diaconorum, nisi certis temporibus et diebus, exercere non debent, id est quarti mensis jejunio, septimi et decimi; sed et etiam Quadragesimalis initii ac medianæ Quadragesimæ die Sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas.* Ubi vides quadragesimalis initii Sabbatum distingui a Sabbato Quadragesimæ medianæ, quod alias unum idemque fuisset in Socratis sententia. Cur ergo, inquis, dicta est hebdomada quarta Quadragesimæ *mediana*, eodemque vocabulo designata Dominica Passionis? Hanc opinor ob causam, quod cum sex Quadragesimæ hebdomades in duas partes æquales dividi possint, prima secundæ partis hebdomada dici potest *mediana*, quasi prima post mediam Quadragesimam; et quia Quadragesimæ caput a feria secunda incipiebat, Dominica Passionis hebdomadam medianam subsequens itidem *mediana* vocabatur.

1. Sed his omissis ut ad alios quosdam ritus procedamus, in primis notanda occurrunt in Ordine Romano bibliothecæ Vallicellanæ et Sanctigallensis hæc verba de legendis passionibus sanctorum : *Passiones sanctorum vel gesta ipsorum usque ad Adriani tempora tantummodo ibi legebantur, ubi ecclesia ipsius sancti vel titulus erat. Ipse vero a tempore suo renuere*, id est mutare, *jussit, et in ecclesia sancti Petri legendas esse* [cxxviii] *constituit.* Itaque ante Adrianum primum passiones sanctorum non legebantur in basilica Vaticana, nec etiam in Lateranensi; idque de tempore Gelasii primi patet ex ejus decreto de canone librorum sacrorum. Vide Thomasii Antiphonalis pag. 495.

2. Idem auctor ibidem observat, pag. 12, *Ecclesiam Romanam antiquitus non admisisse hymnos in divinis officiis.* Idque manifestum est tum ex Amalarii Supplemento, tum ex libris Benedicti canonici et Cencii camerarii hic editis, ex quibus apparet hunc morem ad sæculum xii perseverasse. Eumdem fermo retinuerunt Ecclesiæ Lugdunensis et Viennensis, in quibus nulli hactenus Hymni ad Vigilias nocturnas et Laudes matutinas, imo nec ad Vesperas cæterasque horas præter Completorium; in quo etiam Romana Ecclesia primum ab aliquot sæculis Hymnos admisit, deinde alios in singulis officiis. Lege Radulfum, decanum Tungrensem, propositiones 13. Thomasius sibi objicit hoc loco Udalricum in Consuetudinum Cluniacensium lib. ii, cap. 52, ubi fit

mentio Hymnorum Ecclesiæ Romanæ. Verum id de particularibus quibusdam Urbis ecclesiis vir doctus interpretatur, tametsi sanctus pater Benedictus in Regula sua Hymnos Ambrosianos laudat, præcipitque cantari. Ubi obiter in mentem recurrit id quod Leo Marsicanus scribit in Chronici Casinensis lib. II, cap. 97, tunc, id est pontificatu Stephani decimi, *Ambrosianum cantum in Ecclesia ista Casinensi cantari penitus interdictum* fuisse ab eodem Stephano, qui antea Casinensis abbas fuerat, Fridericus appellatus. In quo autem differret cantus Ambrosianus a Romano, docet idem qui supra Radulfus decanus Tungrensis, propositione 12.

3. In Vigiliis nocturnis, cum lectiones singulæ essent finiendæ, diaconi præcinebant *Tu autem*, uti Benedictus canonicus et Cencius præscribunt hic, pag. 123 et 174, quod indicium est etiam tunc lectiones protractas fuisse ad arbitrium præsidentium. Carolus Magnus, teste monacho Sanctigallensi, earum finem sibilo linguæ significabat. In Ecclesia Rhemensi nostro etiam tempore lectio prolixior, quæ ante Completorium fit in Quadragesima, absolvitur uno sacerdote *Tu autem* præcinente, quod clericus lectionem canens prosequitur et finit.

4. Cum incensatur pontifex, siquidem fuerit stans, a stante incensatur; si sedens, a genuflectente. Cujus diversitatis [CXXIX] ratio hæc reddi potest, quod ex secundo Ordine Romano hic edito, num. 9, *thuribula ad nares hominum feruntur, et per manum fumus ad os trahitur*, quod vix fieri posset, si pontifici sedenti thus a stante admoveretur.

5. Ecclesia Lateranensis, referente Joanne Diacono hic edito, *reservans apostolicam institutionem, nonnisi Dominica in officiis utitur Oratione, quoniam aliæ Orationes postea sunt super additæ*, scilicet quas vocamus Collectæ. Hunc ritum notavit Guillelmus Durandus, in lib. IV, cap. 14. Idem ritus olim vigebat in Ecclesia Pictavensi, ut probat Fulberti episcopi Carnutensis epistola 79. *Finitis capitulis post Orationem Dominicam, ubi dicitur*, Domine, exaudi Orationem meam, *statim esset subdenda Oratio, quæ ex libro Sacramentorum recitatur. Patere tamen Ecclesiam retinere suum usum ad præsens.* Sanctus Benedictus, in regula sua post Orationem Dominicam *Missas* fieri præcipit, id est, demissionem seu discedendi facultatem, ut multi interpretantur, tametsi nonnulli commentatores, etiam antiquiores, hanc dimissionem adjuncta Collecta factam existimant.

6. De prædicta ecclesia Lateranensi id memoratu dignum est quod scribit Petrus Abaelardus in epistola 5 ad Bernardum abbatem Claræyallensem: *Antiquam certe Romanæ sedis consuetudinem nec ipsa civitas tenet, sed sola ecclesia Lateranensis, quæ mater est omnium, antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente, nec ipsa etiam Romani palatii basilica.* Quod si ita est, quisquis veteres Romanæ Ecclesiæ ritus accurate indagare cupit, studiosius ea legere debet quæ pertinent ad ecclesiam Lateranensem.

7. De communione paschali quædam habet Petrus Amelii in cap. 85, quæ, quia superius non indicavimus, hoc loco breviter attigisse quoddam operæ pretium fuerit. Et primo quidem ait iste auctor in Missa pontificia, quæ die Paschæ celebrata fuisset, omnes et singulos, quicunque *vere confessi et pœnitentes essent, atque corde contriti*, potuisse a papa sacram communionem accipere *absque licentia episcopi, plebani, vel alterius majoris*; deinde iisdem omnibus *qui communicassent de manu papæ* porrectam a diacono fistulam *ad bibendum de Christi sanguine* (atque adeo constat sub finem sæculi XIV communionem saltem paschalem in Missa pontificia fuisse celebratam sub utraque specie, quæ observatio referenda est ad [CXXX] ea quæ superius hoc de argumento diximus in cap. 9); denique post sanguinis perceptionem quemlibet bibisse *modicum de vino cum calice de manu sacristæ vel acolythi calicem tenentis.*

8. Postremo in sepeliendis corporibus illustrium defunctorum id olim apud Italos, nedum Romæ, servabatur, ut loculi in locis sublimibus ponerentur, quod Mediolani in porticu ecclesiæ sancti Nazarii observare licet. Verum anno 1561 Pius IV statuit (quod refert Joannes Franciscus Firmanus in diario suo) ut deponerentur *capsæ defunctorum, quæ erant in muris ecclesiæ in altum; et fuit mandatum ordinariis ut fieret in eorum ecclesiis, quod fuit multis in locis exsecutum non sine vivorum dolore.* Sic Mediolani Carolus Borromæus, sanctissimus ille antistes ac Pii nepos, corpora Trivultiorum, quæ in prædicta porticu sancti Nazarii sublimibus locis locata erant, humo infodi curavit, loculis tamen in summo vacuis relictis.

9. Hujus loci occasione observare lubet, etiam primis olim Christianis visum nefas ut suorum corpora cum gentilium cadaveribus communi conditorio tumularentur. Quod cum secus attentasset Martialis episcopus quidam Hispanus, graviter hac de re conquestus est Cyprianus in epistola synodica adversus eumdem Martialem et Basilidem libellaticos episcopos: *Martialis quoque, præter gentilium turpia et lutulenta convivia, et collegia diu frequentata, et filios in eodem collegio exterarum gentium more apud profana sepulcra depositos, et alienigenis consepultos*, etc. Ex quo intelligitur quantum a vero aberrent qui existimant Romana cœmeteria, in quibus Christianorum corpora primitus condebantur, profanis etiam et gentilibus communia fuisse. Quanta autem in his fuerit Prudentii ævo fidelium, imo sanctorum ibi sepultorum multitudo, docet Prudentius ipse in Hymno de sancto Laurentio:

> Vix fama nota est abditis
> Quam plena sanctis Roma sit,
> Quam dives urbanum solum
> Sacris sepulcris floreat.

Ex illis porro cœmeteriis corpora sanctorum jamdudum erui solita testatur inter alios Gregorius tertius, epistola quæ est 116 inter Bonifacianas, ad Otgarium episcopum Moguntinum, [CXXXI] cujus epistolæ verba referre juvat: *De corpore vero sancto quod nobis humiliter vestra quæsivit prudentia quod dirigeremus non habuimus, quoniam cuncta sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter detulerunt, et unumquodque eorum Ecclesiis noviter dedicatis summa veneratione condidimus. Proinde benevolentiam vestram precamur, ut nobis spatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus sanctum invenire valeamus ad vestram complendam petitionem; et si inventum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim quod petistis perficiemus. Modo vero illud non misimus, quia inquirentes nequaquam invenire valuimus.* Quod si eadem modo religio et diligentia in perquirendis secernendisve sanctorum corporibus adhiberetur, longe difficilius esset, evacuatis fere celebrioribus cœmeteriis, sanctorum corpora cum certis et indubitatis sanctitatis, nedum martyrii, indiciis reperire. Verum fortasse Gregorius loquitur de sanctis ex nomine cognitis, propterea quod tunc temporis non ferret, quæ nostris temporibus obtinet, consuetudo ut baptizatorum, quos vocant, sanctorum corpora pro veris ac indubitatis reliquiis sacris distribuerentur. Sed de his hactenus.

XX. *De confessione beati Petri in basilica Vaticana. Quid rugæ, quid regiæ, et regulares apud scriptores ecclesiasticos? De variis modis asservandi Eucharistiam apud Romanos. Quid capsa in concilio Arausicano? Quid turris Gregorio et Venantio Fortunato?*

Quoniam his in libris frequens mentio est de confessione beati Petri, quædam hoc loco de ea breviter observare quiddam operæ pretium duximus. Et primo quidem *confessio* hoc in loco apud ecclesiasticos scriptores Latinos nihil aliud est quam apud Græcos *Martyrium*, seu locus in quo reliquiæ seu corpora martyrum asservabantur. Cur vero confessionis no-

mino in primis donatum sit beati Petri apostoli sepulcrum, Onufrius hanc elicit rationem ex Actis octavæ synodi C P., actione quarta, quod nullus peregrinus in basilicam sancti Petri admitteretur quin prius libellum fidei suæ edidisset, quod ad confessionem beati Petri fieri solutum affirmat. Verum cum confessio ipsa in intima basilicæ parte locata esset, prius in basilicam advenis concedebatur ingressus [CXXXII] quam fidei professionem emisissent. Simplicius est ut confessio inde appellata dicatur, quod sit locus confessoris seu martyris. Alii alias afferunt rationes, quæ non sunt hujus loci.

Quod vero ad confessionem beati Petri, imo ad ejus basilicam quisquam non admitteretur, nisi prius suam ipsius fidem probasset, colligimus ex Optati lib. VI, ubi de Macrobio pseudepiscopo Donatista Romæ degente agens: *Denique*, inquit, *si Macrobio dicatur ubi illic sedeat, nunquid potest dicere In cathedra Petri? quam nescio si vel oculis novit, et ad cujus memoriam non accedit, quasi schismaticus.* Verum id etiam de qualibet ecclesia catholica urbis Romæ interpretandum esse probant sequentia ejusdem Optati verba: *Ecce præsentes sunt ibi duorum memoriæ apostolorum; dicite si ad has ingredi potuit, ita ut obtulerit illic, ubi sanctorum memorias esse constat.* Hinc est quod non prius Polycarpus sacra fecit in ecclesia Romana quam potestatem hujus rei ab Aniceto pontifice accepisset.

Hujus loci occasione non est omittendum quod superius nobis excidit, Romæ peculiarem morem exstitisse ut adulti qui ex paganis ad christianam fidem accedebant, *ad horam profitendæ fidei, verbis certis, conceptis retentisque memoriter, de loco eminentiore, in conspectu populi fidelis*, Symbolum redderent ante baptismum, quod a Simpliciano servatum tradit Augustinus in lib. VIII Conf., cap 3.

Revertor ad sancti Petri confessionem, quam ita describit Gregorius Turonensis episcopus, in lib. I de gloria Martyrum, cap. 28. *Hoc sepulcrum, sub altari collocatum, valde rarum habetur. Sed qui orare desiderat, reseratis cancellis quibus locus ille ambitur, accedit super sepulcrum; et sic fenestella parvula patefacta, immisso introrsum capite, quæ necessitas promit efflagitat. Nec moratur effectus, si petitionis tantum justa proferatur Oratio. Quod si beata auferre desiderat pignora, palliolum aliquod momentana pensatum jacit intrinsecus, deinde vigilans ac jejunans devotissime deprecatur ut devotioni suæ virtus apostolica suffragetur. Mirum dictu! si fides hominis prævaluerit, a tumulo palliolum elevatum ita imbuitur divina virtute, ut multo amplius quam prius pensaverat, ponderaret, et tunc scit qui levaverit, ejus gratia sumpsisse quod petiit. Multi enim et claves aureas ad reserandos cancellos beati sepulcri faciunt, qui ferentes* [CXXXIII] *pro Benedictione priores accipiunt, quibus infirmitati tribulatorum medeantur. Omnia enim fides integra præstat. Sunt ibi et columnæ elegantiæ, candore niveo, quatuor numero, quæ ciborium sepulcri sustinere dicuntur.* Hactenus Gregorius Turonensis.

Non unica, sed duæ ad beati Petri sepulcrum fenestellæ erant, superior et inferior, quæ *cataractæ* appellantur in suggestione altera legatorum Germani et Joannis episcoporum nomine Justiniani Comitis ad Hormisdam, ubi hæc verba: *Unde si et beatitudini vestræ videtur, sanctuaria beatorum apostolorum Petri et Pauli secundum morem ei la gi i præcipite; et, si fieri potest, ad secundam cataractam ipsa sanctuaria deponere vestrum est deliberare.* Quippe longe major prærogativa censebatur, si ex secunda fenestella panni super loculum sacrum inferrentur, quod videlicet ex hac propior esset sacri corporis contactus. Id genus fenestella erat ad Memoriam seu oratorium beati Stephani in civitate Uzalensi, testante Evodio in lib. I de Miraculis ejusdem sancti martyris, cap. 12, quo cum quidam civis Uticensis paralysi pedum et linguæ affectus accessisset, recuperato pedum officio *exuens sibi m nicam tunicæ suæ, eo quod cruram non haberet, per fenestellam memoriæ ad interiora loca sanctarum reliquiarum manu injecta mittebat; atque inde rursum dexteram reducens, ori suo admovebat, et linguam contingendo, paulatim nodos loquendi gratia fidei resolvebat.* Ideo autem ejusmodi fenestellæ dicebantur cataractæ, quod firmis porticellis (nam firmiores portæ sic appellantur) essent præclusæ.

Quod attinet ad pannos qui super corpus beati apostoli cum precibus et jejuniis inferebantur, *brandea* vocantur a Gregorio Magno. Eodem ritu pallia pro archiepiscopis sacrari mos erat, quæ *de corpore beati Petri* sumpta dicebantur. Idem legitur de orariis ordinandorum in libello nono nostro. Nec vacat exemplo quod Gregorius Turonensis antistes superius dixit, id genus pannos in *momentana* seu statera ponderari solitos, antequam super tumulum sacrum immitterentur, ut ex majori quod inde accedebat pondere gratia virtutis accepta sentiretur. Idem quippe actitabatur ad tumulum sancti Martini, ex eodem auctore, in lib. I de Miraculis ejusdem sancti, cap. 11, ubi de Callæcis Suevis, qui *partem pallii serici pensatam super beatum sepulcrum posuerunt, dicentes: Si invenimus gratiam* [CXXXIV] *coram expetito patrono, quæ posuimus plus insequenti nocte pensabunt, eruntque nobis in Benedictionem posita, quæsita per fidem. Vigilata ergo una nocte, facto mane quæ posuerant pensitabant; in quibus tanta beati viri infusa est gratia, ut tandiu elevarent in sublime æream libram, quantum habere poterat quo ascenderet momentana.* Denique ensis quo novus imperator in solemni sua inauguratione accingendus erat *desuper confessione sancti Petri* tollebantur, singulari privilegio, quod regibus non erat concessum, ut in Ordinario Jacobi Gajetani legimus.

Ad eamdem etiam confessionem peccatorum expiatio per sacramentum pœnitentiæ fiebat. Id patet ex Petri Damiani epistola seu opusculo 55, ad Agnetem Augustam, ad quam ita Petrus scribit: *Sed ut hi qui ad apostolorum limina confluunt sanctæ devotionis tuæ salubriter imitentur exemplum, sub arcana quoque beati Petri confessione ante sacram altare me sedere fecisti, ac per lugubres gemitus et amara suspiria ab ipsa quinquenni infantia tenera adhuc et nuper ablactata levitate cœpisti, et tanquam illic ipse beatus apostolus corporaliter præsideret, quidquid subtile vel minutum in humanitatis tuæ potuit titillare visceribus, quidquid in cogitationibus vanum, quidquid præterea subrepere potuit in sermone superfluum, fidelibus est relationibus evolutum. Ad quod mihi visum est ut nihil aliud confitenti pœnitentiæ pondus injungerem, nisi ut illud divinæ legationis elogium iterarem: Age quod agis, operare quod operaris*, etc. Quod quidem (ut id obiter notem) haud satis concordare videtur cum ejusdem Petri sententia in opusculi 13, capp. 6 et 7, ubi arguit quosdam monasteriorum rectores, qui *quibuslibet a sæculo venientibus, etiamsi graviter lapsi essent, aliam pœnitentiam non imponebant, nisi ut communem monasterii ordinem servarent.* De beati Petri confessione ejusque consuetudinibus multa leges in appendice ad Ordinem 11.

His quædam addenda essent de modo administrandi pœnitentiæ sacramentum in Ecclesia Romana. Verum jam longius progressis satius videtur lectorem ad sequentium libellorum lectionem remittere, maxime ad Ordinem Romanum, qui hic ordine decimus est, ubi multa de pœnitentiæ sacramento deque communione infirmorum præclare præscribuntur. Hæc communio unctionem quam vocamus extremam [CXXXV] subsequebatur, ex decimo libello; sed contrarius usus paulatim invaluit ab ineunte sæculo, tertio decimo, cujus mutationis originem ac rationem exposuimus in præfatione ad sæculum primum Benedictinum.

Quoniam vero his in libellis et apud veteres scriptores ecclesiasticos, Anastasium et alios, quædam obscuræ voces nonnunquam occurrunt, eas in antecessum hic explicare juvat.

Et primum quidem sese offert *rugæ* vocabulum, de

cujus significatione lis est apud eruditos. Cæsar Bullingerus, habita Latinæ vocis ratione, *rugas* interpretatur *strias in marmore vel metallo*, *seu canaliculos et sulcos rugarum instar, quæ in senum fronte contrahuntur; vel tabulas ex auro et argento rugosas et striatas*. Alii plerique omnes eamdem vocem *rugas* ad Gallicam originationem revocantes, *vias seu semitas, semitulasve* ita dictas existimant, quas nos Galli *rues* appellamus. In his eruditissimus Cangius ait, *per rugam videri intelligi viam in ipsa æde sacra ante presbyterium, qua in illud pergit pontifex sacra facturus*. Ab hac sententia parum recedit illustrissimus Ciampinus in cap. 14 de Azymo, ubi tum varia de rugis loca, tum varias de ista voce auctorum sententias accurate exponit, quas hic repetere non est necesse.

Verum ut de hac voce certa possit ferri sententia, quædam in primis consideranda sunt: 1° rugas quid solidum, et ex materia solida, maxime ex argento, constitisse, imo auro gemmisque ornatas fuisse, quod patet ex variis Anastasii locis, ut in Leone III: *Fecit autem in basilica beati Andreæ ad beatum Petrum apostolum rugas argenteas, pensantes libras octuaginta*; et in Paschali I: *Fecit in ecclesia beatæ Dei Genitricis, quam vocant Dominicam, rugas ex argento, pensantes libras sexaginta sex*. Ex his aliisque locis, quæ brevitatis causa omittimus, intelligitur rugarum nomine vias seu semitas non significari, si pro spatio ipso semitarum usurpetur, quandoquidem rugas non quid inane et vacuum, sed quid solidum fuisse constat. Neque ob eamdem rationem *rugæ* de aditu ipso portarum, quæ ad presbyterium ducebant, expl cari potest. 2° Rugæ aliæ majores erant, aliæ minores, quæ et *rugulæ* dicuntur. Idem Anastasius in Paschale I: *Fecit etiam et ante vestibulum altaris rugas majores ex argento, pensantes libras septuaginta et octo*. 3° *Paria sex rugarum de aurichalco* habet idem auctor in Sergio II, [CXXXVI] atque eodem, ut verisimile est, sensu, in Leone III *rugas majores ante secretarium numero duodecim*. Quod multo minus semitis aptari potest. 4° Rugæ erant in ingressu presbyterii, cum ex parte virorum, tum ex parte mulierum: erant et in capite presbyterii ante confessionem; erant et in vestibulo altaris. Anastasius, in Stephano IV: *Fecit rugas in presbyterio a parte virorum et mulierum ex argento purissimo, pensantes libras centum triginta, necnon et alias rugas in caput presbyterii ante confessionem*. In Leone III: *Investivit rugas ante ingressum altaris ex argento purissimo*. Et in Paschali I: *Fecit etiam ante vestibulum altaris rugas majores ex argento*. 5° Erant et rugæ minores seu regulæ intra et extra confessionem. Anastasius, in Paschali I: *Confessionem cum rugulis suis interius exteriusque vallantem pulcherrime compsit*. Quod postea alio in loco repetit idem auctor. 6° Rugæ seu rugulæ insertæ erant cancellis, qui eas continebant fulciebantque. In Leone IV: *Fecit rugulas de argento fusiles cum cancellis in ingressu presbyterii et confessionis*. Et in Nicolao I: *Porro in purpureis marmoribus, quæ ante corpus beati Petri apostoli rugas argenteas retinent, dextra lævaque duas cruces argenteas offerens posuit*. 7° Denique rugis impositæ erant regulares, ex quibus vela et imagines dependebant ante rugas, ut mox videbimus.

Ex his omnibus indubitanter conficimus, rugas seu rugulas nihil aliud esse quam portas [a], porticellas, fenestellasve, quæ tum ad ingressum presbyterii, tum in vestibulo altaris, tum infra et extra confessionem erant, tum denique cancellis intermistæ; atque inde vocem Italicam *rinquieres*, quæ fenestellas ciboriorum hodie quoque significat, derivatam fuisse. His enim portis, porticellis, fenestellisve omnia quæcunque superius retulimus, facile et commode aptari possunt, ut conferenti statim apparebit. *Rugarum paria* erant portæ seu porticellæ bipatentes, ut passim in cancellis. *Rugulæ*, quas interius in confessione fuisse præmisimus, nihil aliud erant quam fenestellæ illæ, de quibus in superiori capite egimus. Sane Torrigius in cryptis Vaticanis rugas januas interpretatur. Unde in primo nostro Ordine Romano, ubi acolythi *rugas* observare dicuntur, Codex Colbertinus præfert *regias*, quæ vox portas significat.

Quanquam vocabulum *regiæ* latius tantisper patere videtur, ut non solum portas, sed etiam valvas seu cancellos eis [CXXXVII] adjunctos quandoque designent. Jacobus Gaetanus, in cap. 79 ad diem Cinerum: *Notandum quod camera ius papæ exit regias*, id est cancellos, *et dat cineres stando illis qui sunt extra*. Eadem verba habet Petrus Amelii, qui rursus in cap. 18 scribit bullam quæ cardinali ad altare sancti Petri sacra faciendi potestatem facit *per totam diem pendere ante regias*; et cap. 21, pontificem cereos distribuendi causa pergere *ad regias*. Ad hæc, cap. 56, ubi de distributione palmarum: *Vadit usque ad regias capellæ in parte dextra, et ibi projicit ramos et folia olivarum populo per foramina regiarum*, id est cancellorum. Denique, quod rem evincit, idem auctor *portam regiarum* memorat in capp. 76 et 78, quibus in locis regiarum nomine cancellos interpretari, ut nemo non videt, necesse est.

Non solum cancelli erant inter presbyterium et chorum cantorum, sed etiam inter presbyterium et altare. Unde et *rugæ erant ante ingressum altaris*, id est porticellæ, ut loquitur Anastasius in Leone III, seu *ante vestibulum altaris*, ut in Paschali I. Quapropter diaconus ordinandus, ex octavo nostro libello, stabat *ante rugas altaris*, idemque ad sacerdotium promovendus ducebatur *foras rugas altaris*.

Qui presbyterium a choro cantorum dirimebant cancelli *pogium* nonnunquam et *pectoralia* dicebantur, ut in Appendice primi nostri Ordinis Romani, num. 11: *Ascendentibus diaconus in pogium, episcopi et presbyteri statuuntur in locis suis; et schola*, scilicet cantorum, *ante altare*. Hæ sedes erant singulorum ordinum tempore sacrorum. De pogio apposite Thomasius in scholiis ad Responsorialia: *Pogium hoc loco sumitur pro iis marmoreis cancellis sive tabulis quibus sanctuarium a choro et ecclesia discernitur*. Qui ita sunt in antiquis Urbis basilicis constructi, ut ex illorum parte posteriore gradus sanctuarii sive presbyterii sensim assurgant, ut qui in area sunt ejusdem sanctuarii, et iisdem pectore tenus inniti, et circumspicere inde totum ecclesiæ cœtum commode possint. *Pectoralia* vocarunt inferioris ætatis scriptores, quæ melius *Meniana* appellarentur. Videtur is proprius levitarum locus, qui, interdicto in presbyterio sibi consessu juxta priscos canones, decenter hunc locum tenebant, ubi, medii inter pontificem una cum presbyteris, ac chorum cantorum et populum, illis quidem ministrare, [CXXXVIII] his vero præesse tanquam inspectores ac monitores facile poterant. Pontifex namque contra altare in medio sub abside sedebat, episcopis ad dextram, presbyteris ad sinistram considentibus; schola vero cantorum, cæterique subdiaconi ac clerici minores ante sanctuarium et altare in ecclesiæ sinu, in choro scilicet meniano, consistebant. Hactenus vir doctus et pius.

Ad hæc ergo septa seu meniana, quæ dimidiam hominis staturam vix excedebant, communio sacra porrigebatur; cineres et palmæ distribuebantur, aliaque id genus laicis præstabantur, quæ in sanctuario fieri illorum temporum religio haud sinebat. De communione Augustinus, in sermone 392 novæ Editionis, num. 5: *A communione se cohibeant qui sciunt quia novi peccata ipsorum, ne de cancellis projiciantur*. Leo papa IV, testante Anastasio, *secundum antiquam consuetudinem canonica auctoritate decrevit, ut dum sacra Missarum solemnia celebrantur, nullus ex laicis in presbyterio stare, vel sedere, aut ingredi præsumat, nisi tantum sacra plebs, quæ in administratione sacri officii constituta videtur*. Utinam vigeret hoc decretum etiam nunc apud omnes!

[a] Vide Sanctuar. Capuan., p. 48, ubi regulæ portæ dicuntur.

Tertio loco investigandum est quid sint *regulares*, qui super rugas positi erant, et ex quibus vela et imagines dependebant. Loca quibus id probes occurrunt apud Anastasium in Stephano IV, Adriano I, Leone III et Paschali I. Alii *cancellos fusiles*, quos Græci κιόνια vocant; alii *virgas ligneas aut æreas quibus vela adducebantur reducebanturque*, hoc vocabulo designari volunt, quæ sententia nobis probatur. Ex illis regularibus dependisse imagines probat variis in locis Anastasius. In Stephano IV: *Fecit tres regulares argenteos super rugas, per quas ingrediuntur ad altare, ubi imagines in frontispicio constitutæ sunt;* et in Adriano I: *Posuit super eumdem regularem præfatas tres imagines.* Appensa erant etiam vela. In Leone III: *Vela modica de stauraci quatuor, quæ pendent in regulari ante imagines.* Atqui portis vela appendi solita nemo nescit: quæ ut adduci reducique facile possent, his regularibus indigebant, aliquando ferreis æreisve, aliquando argenteis.

Præter hos regulares erant etiam trabes ad sustinenda vela, quæ trabes nonnunquam argenteæ erant, ut in Leone III; et quidem nonnullæ *super columnas altaris*, in Paschale I. [CXXXIX] *Vela quæ sacrum altare circumdant* habes in Gregorio IV.

Antequam hoc caput finio, juvat observare varios modos asservandi Eucharistiam apud Romanos, prout ex libellis nostris discimus.

Antiquior modus is esse videtur, ut in secretario seu sacristia servaretur, quo ex loco pontifici ad altare accedenti capsula Eucharistiam continens præferebatur. Hic modus tempore Gregorii XI perseverasse videtur saltem in basilica Lateranensi, quod innunt hujus pontificis Constitutiones hic editæ, num. 18, ubi præscribitur ut vetera ejusdem ecclesiæ instrumenta in sacristia, *ubi est mensa Domini*, reclusa custodiantur.

Alius modus est ut Eucharistia servetur in altari seu principe, seu peculiari, qui posterior ritus hodie passim in Urbe viget.

Tertius modus, qui in sola sanctæ Crucis basilica obtinet, is est, quod Eucharistia pone majus altare ad summum basilicæ parietem, absque ara supposita servatur in vasculo patente, adjectis loco ornamentis, quod opus est Francisci Quignonii cardinalis.

Res Eucharistiam continens variis nominibus appellatur in libellis nostris: *conditorium, cophinum, armarium*, quod utrumque postremum Petrus Amelii pro uno et eodem habet. *Capsæ* vocabulo utitur primus Ordo Romanus, sed in diverso paulum significatu, nimirum ita ut capsa ad præferendam pontifi i sacra facturo Eucharistiam sumatur, cum alia vocabula rem loco fixam significent.

Eodem in significatu *capsa* usurpari videtur in canone 17 concilii primi Arausicani: *Cum capsa et calix offerendus est, et admistione Eucharistiæ consecrandus.* Locus aliquanto obscurus exigit ut ei explicando paulisper immoremur. Is vero mihi sensus hujusce loci videtur, nempe ut una cum capsa, in qua sacra supellex initio Missæ ad altare, et fortasse etiam Eucharistia deferebatur, etiam et calix afferretur; qui calix postea consecratus, immissa in eum Eucharistiæ de more particula, utramque speciem consecratam simul contineret, et quasi una eademque consecratione sacratus esset. Duæ itaque sunt prædicti canonis partes. Una, ut simul cum capsa deferatur calix ad altare. Altera, ut in calice simul utraque Eucharistiæ species conjungatur. Lemma capitis posteriori tantum [CXL] respondet, *Ut in unum propositio Sacramenti consecretur.*

Ejusmodi capsam alio nomine *turrem* appellat Gregorius episcopus Turonensis, in lib. I de Gloria martyrum, cap. 86, ubi diaconus quidam impurus, *cum tempus ad sacrificium offerendum advenisset, accepta turrem, in qua ministerium dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium*, unde ex secretario in basilicam aditus erat: eoque *templum* ingresso, *ut eam altari superponeret, elapsa de manu ejus capsa ferebatur in area.* Non dubium quin *ministerii dominici* nomine sacra supellex designetur; sed Eucharistiam in illa simul contentam fuisse censuit sanctus Odo abbas Cluniacensis in Collationem, lib. II, cap. 32, ubi pro turri capsam cum Gregorio substituit, *qui dum capsam cum corpore Domini deferret*, etc.

Favet huic interpretationi Venantii Fortunati carmen *in turrem* Felicis episcopi Bituricensis, quam turrem ejusdem generis esse atque illam Gregorianam nemo inficiari potest. Atqui hæc turris Felicis continendæ Eucharistiæ inserviebat, ut probat hoc distichon, quod est in lib. III, carm. 13:

> Quam bene juncta dicent, sacrati ut corporis Agni
> Margaritum ingens aurea dona ferant!

Non igitur absque fundamento sanctus Odo abbas, illam diaconi historiam a Gregorio relatam explicans, turris nomine *capsam cum corpore Domini* intelligit. Atque adeo idem ritus apud nostrates Gallos atque apud Romanos in usu erat, ut initio Missæ sacra Eucharistia in capsa deferretur, ad quem ritum respexerit concilii Arausicani canon præmissus. Itaque turris erat capsa gestatoria, non fixum eucharistiæ reconditorium.

Redeo ad Romanos, apud quos tabernacula, ut vocant, fere sola modo in usu sunt, Eucharistia suspensa nusquam, nequidem in tota (quod quidem sciam) Italia. Vidimus tamen in Bobiensi ecclesia columbam ex aurichalco, conservandæ Eucharistiæ olim destinatam, qui ritus forte Columbano auctore ex Gallia in Bobiense monasterium inductus fuit. Sed de his satis; ad nostros ritus redeamus.

[CXLI] XXI. *An antiqui ritus semper novis præferendi? An omnes ad unum modum revocandi? Recentiores cæremoniarum arbitri notati. Quid censendum de Missa Illyriciana.*

Tria sunt quæ in sacris ritibus possunt spectari, antiquitas, uniformitas, et constantia. Eadem ferme est sacrorum rituum atque religionis antiquitas, sed eorumdem diversitas æque antiqua in diversis Ecclesiis. *Multa* quippe *pro locorum et hominum diversitate variantur*, ait Firmilianus in epistola ad Cyprianum, *nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ catholicæ pace atque unitate discessum est.* Hæc diversitas obtinuit ab initio etiam apud Romanos, non modo *circa celebrandos Paschæ dies, sed circa multa alia divinæ rei sacramenta*; asseritque Firmilianus *non observari illic omnia æqualiter quæ Jerosolymis observantur.* Legendus hac de re Socrates, in lib. V, cap. 22, ubi ait nullam religionis sectam easdem observare cæremonias, licet eamdem de Deo sententiam amplectantur.

Hæc rituum diversitas nascitur, tum ex diversis populorum moribus, qui non iisdem agendi modis delectantur, nec iisdem institutis possunt assuescere; tum ex diversis Ecclesiarum fundatoribus, qui rem, suapte natura indifferentem et in medio positam, aliter atque aliter pro temporum ac locorum varietate constituerunt. Quapropter qui omnia ad unum eumdemque modum redigere conantur, perinde mihi videntur agere, ac si omnes populos ad eosdem mores eademque penitus instituta reducere tentarent; neque satis concedunt primis Ecclesiarum institutoribus, qui res ab eis stabilitas aut permissas tam facile pervertunt. Nec sane unquam citra pacis ecclesiasticæ discrimen secus attentatum est, quod multis exemplis probari posset, si id cuivis non esset exploratum.

Ferenda itaque est rituum illa diversitas, vel maxime propter bonum pacis, imo etiam propter Ecclesiam, quæ hac varietate decoratur. Nescio enim quo modo dulcius sapit quod vario cultu ornatur. Et hoc quidem primum cavendum est in illis qui cæremoniarum magistratum gerunt, [CXLII] quorum nonnulli nunquam quiescunt, nisi omnes ad suos ritus vel invitos pertraxerint.

Alterum incommodum est eorum qui vel antiquos novis, vel e contrario novos antiquis ritus semper

præferendos volunt. Neutrum sine delectu placet. Ubi regnant antiqui ritus, hi constanter retinendi: ubi novi præ antiquis prævaluerint, antiquos laudare decet, novos non rejicere. Vix enim unquam accidit ut quod usu semel receptum est ac firmatum absque perturbatione possit mutari. Et quidem ut rituum varietatem induxit locorum varietas, ita etiam eorumdem iisdem in locis mutationem aliquando persuasit temporum diversitas.

Itaque laudanda in ejusmodi rebus constantia, modo cætera adsint, Ecclesiæ pax atque concordia, et Christiana charitas, cui omnes ritus cedere ac suffragari necesse est. Quod si salva pace et charitate retineri potest antiquitas, quin novitati præferenda sit nemo sane sapiens negaverit.

Qui novos sacrorum rituum libros novissimis temporibus scripserunt, mirum est quantum sibi tribuerint in pervertenda venerabili antiquitate, cujus institutiones, nedum institutionum rationes, omnino ignorabant. Cumque quod suo tempore fieri cernebant, id omnibus retro sæculis semper actitatum fuisse autumarent, probabiles, ut sibi videbantur, receptæ novitatis rationes adinvenerunt, quæ penitus veterum sententiæ non raro adversantur. Quod ut omnibus palam fiat, quædam huc exempla lubet afferre ad id probandum.

1. Mos olim fuit, ut vidimus, in Ecclesia Romana, ut procedenti ad altare pontifici *Sacra*, id est Eucharistia, præferrentur, ibidemque servarentur usque ad communionem, quo tempore particula Eucharistiæ antea consecratæ demittebatur in calicem. Tum ex oblatione novi sacrificii una particula reservabatur, *remanebat*que *in altari ipsa particula usque ad finem Missæ*, teste Amalario in lib. III, cap. 35, *quia ita observant*, ait primus Ordo Romanus, hic, pag. 14, *ut dum Missarum solemnia peraguntur, altare sine sacrificio non sit*. Atque ita toto tempore Missæ nunquam ab altari Eucharistia aberat, sive Eucharistia pro viatico in ipso altari, sive in secretario servaretur.

[CXLIII] Contrarius ritus jam inductus erat Leone X pontifice: quo tempore Paris de Crassis, qui cæremoniarum arbiter erat, rationem quærens *quare sacramentum corporis Christi, quod in ecclesiis communiter servari solet, ex suo loco prius levandum sit, quam solemniter celebrari contingat ibidem*, ait « Id a majoribus cautum fuisse, non quia a conspectu salutaris Hostiæ abhorrendum ducerent, sed idcirco quod inter sacrificandum non omnes cæremonias rite recteque agere possent, quandoquidem in ipsius sacramenti conspectu nec papa, nec episcopi celebrantes, congrue ibi sedere, nec mitram in caput retinere, neque incensationem in se recipere possent, nisi postquam ipsum sacramentum incensatum fuisset, maxime quia per ipsosmet toties illud adolendum esset, et non per diaconum evangelicum, cujus hoc ministerium proprium est. Adde, inquit, quod celebrans prælatus, quando quotiesve incensare debet, necesse toties habet ipse genibus sacramentum adorare, priusquam crucem altaris et oblata ac ipsum altare incensaret. Postremo valde absonum esse ut in eadem capella, seu oratorio, in qua jam est sacramentum quod adoratur, aliud sacramentum de novo ibidem conficiatur, ne quod ex illis ambobus sacramentis adorari debeat, in dubium vertatur. »

Verum primis illis temporibus sufficiebat *Sancta* semel *adorasse*, sive ad altare præferretur Eucharistia, ut in primo Ordine Romano, sive in altari ipso asservaretur, ut in secundo. Jam vero sanctis illis Patribus persuasum erat, quibusve cæremoniis sacris, si modo religiose fiant, adeo nullam Eucharistiæ inferri injuriam, ut contra his Deum honorari quam maxime existimarent. Neque porro ulla eis erat ambiguitas utra species consecrata esset adoranda, cum ad præsens sacrificium solummodo essent intenti. Et porro unius præ altera speciei adoratio nullum scrupulum causare debet, cum in idem objectum feratur.

2. Aliud exemplum ex eodem Paride proferre licet de diacono Evangelium cantante, nempe, quia desiit usus ambonum pro Evangelio et Epistola cantandis, quam in partem converti debeat diaconus, *collateralis* altari, *an conversus ad altare*, sicut *in capella palatii similique loco, ubi altare ad orientem solem non vergit*. Respondet Paris, *regulariter Evangelium recitari debere a diacono stante contra Aquilonem*, a quo, teste [CXLIV] Propheta, panditur omne malum; secus in capella palatina, in qua, quia pro situ loci *cornu evangelii non est directum ad Aquilonem, sed ad Austrum, qua in parte pontifex sacrificio præsens semper insidet*, ideo diaconus ibidem Evangelium cantans, *ne terga renesque ad pontificem in solio manentem convertat, recta ad cornu Evangelii facie* illud *cantat*, adeoque *sinistro humero ad pontificem verso*. Absente vero pontifice, *ut diaconus ipse universali consuetudini rituique satisfaciat, eum stare collateralem quidem altaris, sed conversum ad pontificis solium positum ad austrum:* quippe minus malum esse sic eum stare, *quam renes ad pontificis solium vertere, et altare, quod est sanctum sanctorum, ad sinistram suam sub se habere*. Cæterum in illis ecclesiis quarum majus altare non est conversum ad Orientem, Evangelium cantandum esse per diaconum, non *collateraliter* ad altare stantem, sed *facie ad faciem altaris, id est contra ipsum altare*.

At quam simplicius antiqui libelli Ordinis Romani præscribunt ut diaconus in ambone cantaturus Evangelium, stans ad Aquilonem faciem vertat ad partem australem, in qua viri, non ad aquilonem, in qua feminæ consistebant. Unum hoc loco notat Paris altaris cornu dextrum intelligi debere, de cornu Evangelii, *habito respectu ad ipsum altare, tanquam ad corpus magis honoratum, non autem ad sacrificantem. Nam et crucis et crucifixi super ipso altari stantis dextra ad prædictum cornu Evangelii vergit*. Secus tamen interpretandas esse Missalis rubricas, *præsertim in officio Parasceves*, ut cornu dextrum ac sinistrum dicatur habito respectu ad sacerdotem.

3. Infinitum esset ire per singula quæ ab hodiernis ritibus discrepant; quædam tamen huc conglobata referre juvat ad levanda studia lectorum. Hymnum angelicum præcinebat sacerdos conversus ad populum; contra vero salutationem ultimam, quæ Collectam post communionem præcedit, idem canebat conversus ad altare, ex primo nostro libello. Ad hæc Canonem non incipiebat nisi absoluto trisagii cantu, ut scilicet clerus et populus, sacerdote Canonem submissa voce recitante, in admiratione tanti mysterii quasi stupens sileret. Insuper Antiphona illa quæ *Communio* dicitur, non post ipsam communionem, ut fit modo in multis Ecclesiis, sed tempore ipsius communionis cum suo Psalmo cantabatur. [CXLV] Qui ritus in Africana Ecclesia servabatur, populo ad communionem accedente, cujus rei testis est locuples Augustinus, in lib. II Retractationum, cap. 11. Denique sacerdos ea non recitabat quæ tum a choro canebantur, tum a ministris legebantur; sed vel rerum quæ dicebantur meditatione, vel aliorum rituum actione totus occupatus erat. Nam quæ in Missa Illyriciana habentur ad id spatii Orationes, non sunt haud dubie antiqui Romani instituti, ut postea videbimus.

Hæc autem non eo animo referimus, quasi veterum hujusmodi rituum usus privata auctoritate revocari velimus, aut recentiorum (quod absit) induci contemptum, sed ut eos qui ejusmodi officiis præpositi sunt invitemus ad consulendam antiquitatem, quæ quanto fonti propior, tanto venerabilior est; eosdemque admoneamus ne ita vulgares et contritas ratiunculas præferant, quasi majores nostros in sanciendis contrariis ritibus omni ratione destitutos fuisse existiment; imo vero si quando ritus sacri reformandi erunt, ut veterum ratio habeatur, et ab eis quam propius abesse studeatur.

Hunc scopum sibi proposuit *Cameracensis et Atre-*

bitentis Ecclesia, cum Ordinem sacrorum rituum in meliorem formam restituere voluit, ut legitur in vetustissimo utriusque Ecclesiæ Ordine, qui ex Petri Pithœi relictis scriniis recens vulgatus est in appendice ad Codicem canonum Ecclesiæ Romanæ. Quippe Ordinis istius reformatores præmittunt se velle ea ordinare *quæ a statu rectitudinis deviando, vel ab Ordine Romano discrepare videbantur: ita tamen, ut non instituatur novus Ordo, ne objici ab invidis possit, Ordinem sacratissimum Romanum*, quem imitari desiderabant, quoquo pacto fuisse violatum. In eodem autem Ordine quædam inculcantur ex ipsomet Ordine Romano, quæ hoc loco commemorare non pigebit. Unum est, quod *matutinale officium* (Laudes appellamus) *tractim decantandum est, altius tamen ipsi Psalmi quam nocturnales. Sic enim fit in Romana Ecclesia.* Et paulo infra: *Volumus ut mane agatur Missa in Dominicis diebus, quia Dominus valde mane surrexit. Et ita usus est in sancta sede Romanæ Ecclesiæ. In titulis vero qui in civitate vel extra sunt, non ante cantetur Missa quam in ipsa publica Ecclesia in civitate;* [CXLVI] *neque illorum signa pulsentur, ut omnis populus ad publicam procedat ecclesiam, nisi forte causa infirmorum, aut pro iter agentibus.* Nec omittendum quod de vigiliis nocturnis præscribitur: *Cum omni vero honestate tractim lectiones legantur, et responsoria decantentur. Nona autem lectio sit evangelica ex homiliis Patrum. Homilia ipsius Evangelii a diacono, vel presbytero aut episcopo tota legatur, nisi forte aurora interveniens hoc distulerit.* Sic in ecclesia Romana, apparente aurora, officium nocturnale breviarii mos erat, ut superius vidimus. Hæc ex veteri illo Ordine Cameracensi, qui ante sæculum XII scriptus fuit.

Quærat aliquis, cur Hymnum angelicum, seu *Gloria in excelsis*, olim præcinuerit pontifex ad populum conversus; contra vero ultimam salutationem, quæ fit post communionem, non vero alias? De his respondere non est nostri instituti, nobisque sufficit antiquos ritus Romanos exposuisse. Placet regula Joannis Diaconi ex epistola ad Senarium: *Illud firma mente custodio, quod non a majoribus tradita custodiret Ecclesia, nisi certa sui ratio poposcisset; nec ea possumus dicere inania videri ac frivola, quia eorum minime rationem accepimus.* Si tamen conjecturis indulgere licet, ideo pontifex Hymnum angelicum præcinens convertebat se ad populum, ut eum ad laudandum Deum invitaret. Ideo vero salutationem illam postremam pronuntiabat versus altare, quod ad fideles communione seu corpore et sanguine Christi Domini tum refectos verba dirigeret, quibus proinde, non jam apprecantis optantisve, sed gratulantis more, Dominum inesse hac salutatione contestabatur.

Postremo observandum est Missam illam Latinam, quam Mathias Flaccus Illyricus olim Argentinæ vulgavit, non esse Romanam variis rationibus interpolatam, quas Orationes sacerdos, choro inter cantandum occupato, recitaret. Atqui neque Orationes illæ primo Romanæ Ecclesiæ instituto conveniunt, imo in his nonnulla penitus adversantur, quale est id quod ad Canonem legitur: *Deinde cum summa reverentia incipiat* Te igitur; *et ministri stantes in gradibus suis cantent ipsos Psalmos, usque dum* Te igitur *finiatur.* Contra vero in nostris libellis antiquioribus [CXLVII] præscribitur, ut pontifice Canonem recitante summum in choro teneatur silentium; et ministri persistent inclinati et silentes per totum Canonem; subdiaconi usque ad hæc verba, *Nobis quoque peccatoribus.* Adde quod in illa Missa præscribitur initio versus *Introibo* cum Psalmo *Judica*, qui apud antiquos in usu non erant; quod in eadem Missa fit mentio de *Sequentia*, quam alii *Prosam* vocant, cujus institutio Notkero Balbulo, qui decessit anno 912, tribuitur; denique quod in litaniis Missæ subjectis appellatur sanctus Adelbertus, quem sæculo decimo exeunte martyrio affectum fuisse constat.

Hic consequenter agendum esset de variis additionibus Sacramentario Gregoriano factis a Grimoldo abbate et aliis, qui Grimoldus videtur abbas fuisse monasterii sancti Galli apud Helvetios. Is, qui Grimaldus, et Ludovici Augusti, cognomento Pii, capellanus vocatur, quinque Benedictiones episcopales Sacramentario Gregoriano adjecit, quas non esse Romanæ institutionis superius observavimus; sed longius nos ferunt hæ commentationes; tandem ad libellos Ordinis Romani venimus.

ADMONITIO IN PRIMUM ORDINEM ROMANUM.

1. Varios fuisse Ordinis Romani libellos superius ostendimus, ex quibus tres, qui quidem ad Missam pontificalem pertinent, mox exhibituri sumus. Primus ex his, qui videtur antiquior, laudatus passim invenitur apud Amalarium, exstatque in veterrimis Codicibus, Casinensi, Sanctgallensi, Einsidlensi, et Colbertino. In lucem primo editus est Coloniæ per Georgium Cassandrum, anno 1561, ibidemque post annos septem recusus per Melchiorem Hittorpium, apud quos amplius quam media pars hujus libelli deest. Hanc vero ex Codice insignis abbatiæ sancti Galli supplevimus, nempe a num. 21.

2. Ejusdem libelli antiquitatem probant in primis Eucharistiæ initio Missæ ad altare ante pontificem delatio; *fermenti* vocabulum pro Eucharistia, ut in epistola Innocentii I ad Decentium, num. 22, usurpatum; deinde rubricæ (ut vocant) quæ in libro Sacramentorum Gregorii Magni leguntur pro hebdomada sancta, totidem verbis hic expressæ, prout cuivis conferenti patebit. Unde Gregorium ex hoc libello in suum Sacramentarium prædictas transtulisse rubricas veri simillimum est. Certe Amalarii auctoritas evincit primum hunc Ordinem, cujus verba is passim laudat exponitque, sæculo nono esse superiorem, et totus Missæ pontificiæ ritus in eodem Ordine præscriptus Gregorii ætatem meo judicio sapit. Quædam tamen processu temporis nova inserta fuere, qualia sunt quæ num. 24, referuntur de ritu in titulo per Adrianum papam, *ut flecteretur pro Carolo rege*, nempe pro Carolo Magno, et, num. 28, ut dicatur *Oratio pro rege Francorum.* Ex quibus non nemo fortasse dubius hæreat num istud supplementum, quod ex Codice sancti Galli habuimus, sequenti libello postea fuerit assutum. At satius est admittere paucula hæc quæ modo commemoravimus antiquissimo (ut fit) libello fuisse inserta. Non dissimulo tamen Onufrio antiquiorem videri Ordinem secundo loco hic editum, propterea quod in Processione ad altare pax a pontifice ibi legatur data duobus presbyteris, cum in primo nostro ac tertio Ordine detur uni ex episcopis hebdomadariis, scilicet Ecclesiæ Lateranensis, quos ante annos octingentos presbyteris successisse vir doctus existimat. Verum utrumque simul eodem tempore stare potest, ut scilicet pax detur uni ex illis episcopis, si in ecclesia Lateranensi, cujus hebdomadarii erant, Missa celebretur; secus duobus presbyteris, si in alia ecclesia. Porro quo tempore instituti fuerint illi hebdomadarii apud Lateranum episcopi, non liquet, etsi ex actis Stephani IV, constat, eos ante hunc pontificem fuisse institutos, ut in commentario prævio diximus.

3. Colbertinum exemplar, n. 416, quod subsequentem Ordinem continet, ad annos octingentos accedit,

atque hunc titulum præfert : Ordo ecclesiastici ministerii Romanæ Ecclesiæ, *vel qualiter Missa celebretur* ; at in Codice sancti Galli, Ordo ecclesiasticus *R. E.*, etc., quem titulum prætulimus.

4. Post hunc libellum, qui in num. 21 desinit, sequitur in Codice Colbertino quædam appendix *De officiis in noctibus a Cœna Domini usque in Pascha;* eademque reperitur in Vaticano, n. 487, quæ proinde appendix visa est primi hujus Ordinis Romani integro libello subjungenda. Hanc sub nomine libelli Romani laudat Amalarius, in lib. I, cap. 20. *Additur etiam in libello memorato Alter cereus, ubi dicitur :* Et tunc illuminantur duo cerei, tenentibus duobus notariis, *et reliqua.* Quæ totidem verba leguntur in dicta appendice, num. 10, ejusque antiquitatem ostendunt.

PRIMUS ORDO ROMANUS.

Incipit Ordo ecclesiasticus Romanæ Ecclesiæ, qualiter Missa pontificalis celebretur.

3 1. Primo omnium observandum est septem esse regiones ecclesiastici Ordinis urbis Romæ; et unaquæque regio singulos habet diaconos regionarios, et uniuscujusque regionis acolythi per manum subdiaconi regionarii diacono regionis suæ officii causa subduntur. Quorum diaconorum si quando quispiam moritur, donec loco ejus alius subrogetur, illius regionis acolythi archidiacono obediunt, quia omnes acolythi, cujuscunque religionis sint, causa ecclesiastici officii ad ministerium ejus pertinent. Quod etiam de subsequentibus Ordinibus intelligendum est, servata unicuique post eum proprii gradus archidiaconi [prærogativa] in sui ordinis ministerio subditis, ut si quis, verbi gratia, vim passus fuerit, sive ab ecclesiastico, seu a quacunque militari persona, si a sui ordinis primo ejus causa ad effectum minime pervenerit, habeat archidiaconus, id est vicarius pontificis, causam, qualiter subditorum sibi querelas absque notitia possit explicare pontificis; cætera vero per minores ordines finiantur. Nam primo scire oportet, ut post numerum ecclesiasticarum regionum sciat, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur. Nam prima feria regio tertia, id est Paschæ; secunda feria regio quarta; tertia feria regio quinta; quarta feria regio sexta; quinta feria regio septima; sexta feria regio prima; Sabbato regio secunda. Ordines proprios tam in processione quam in ecclesia, vel ubicunque eos propria dies 4 ratione sui gradus prisca statutio ire vel ministrare compulerit, a ministerio pontificis non poterit sine ulla sui deesse excommunicationis vel animadversionis sententia disciplinæ. Quorum ministeria primitus secundum rationem simplicem dupliciter diebus singulis dividuntur, id est in Processione apostolici ad stationem, et in egressu sacrarii usque ad Missarum consummationem.

2. Diebus itaque solemnibus, sicuti est Pascha, primo omnes acolythi regionis tertiæ, et defensores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranensi, præcedunt pontificem pedestres ad stationem. Stratores autem laici a dextris, et a sinistris equi ambulent, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes præcedunt, hi sunt : diacones, primicerius, et duo notarii regionarii, defensores regionarii, subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisis turmis, spatium inter se et apostolicum facientes. Post equum vero hi sunt qui equitant : vicedominus, vestararius (*sic*), nomenculator, atque saccellarius. Unus autem ex acolythis stationarius præcedit pedester equum pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed et omnes acolythi absque sacculis, et sindonibus, et chrismate non procedunt, quod disponit stationarius. Si quis autem adire voluerit pontificem, si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, et ex latere viæ exspectet, usque dum ab eo possit audiri. Et, petita ab eo Benedictione, discutiatur a [a] nomenculatore vel saccellario causa ejus; et ipsi indicant pontifici [b], et finiunt; quod et similiter observabitur, etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit. Qui vero pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur, ut ab eo audiatur vel benedicatur.

3. Die autem Resurrectionis dominicæ, procedente eo ad sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco qui dicitur [c] Merolanas, et salutato pontifice dicit : *In nomine Domini nostri Jesu Christi baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminæ tantæ.* 5 Respondit pontifex *Deo gratias.* Et accipit a saccellario solidum unum, pontifex autem pergit ad stationem. Feria secunda ad [d] remissa simpliciter. Feria tertia in reflexione porticus sancti Pauli, tantum item qui pedestres obsequuntur. In die vero sancti Paschæ omnes acolythi regionis tertiæ simul et defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in patriarchio Lateranensi, ut dum processerit pontifex equum illius præcedant. Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent chrisma ante pontificem, et Evangelia, sindones et sacculos, et aquamanus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem subdiaconus qui lecturus est sub cura sua habebit, Evangelium archidiaconus. Aquamanus,

[a] Nomenculatoris officium erat convivas invitare, eorumque nomina describere, ut infra videbimus, num 18. Saccellarius idem qui thesaurarius, a sacco seu saccello.

[b] Sic causæ nonnunquam in ipso processu finiebantur. Unde *processus* vocabulum lingua nostra gallica pro lite fluxisse quidam viri docti opinantur.

[c] Locus est in monte Exquilino, haud procul a basilica sanctæ Mariæ Majoris, ubi ecclesia sancti Matthæi, quæ dicitur ad Merulanas.

[d] Ita Codex sancti Galli : Colbert., *ad remissa simul*; Editi, *ad Missam similiter.* Locus obscurus et forte corruptus.

patenam quotidianam, calicem, scyphos et [a] pugillares [alios argenteos] et alios aureos, et gemelliones argenteos, colatorium argenteum et aureum, et alium majorem argenteum, amas argenteas, cantatorium et cætera vasa aurea et argentea, cereostata aurea et argentea, de ecclesia Salvatoris per manum primi mansionarii sumunt, et bajuli portant. Diebus vero festis calicem et patenam majores, et Evangelia majora de vestiario dominico exigunt sub sigillo vesterarii (sic) per numerum gemmarum, ut non perdantur. Sellam autem pontificis cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata sit dum in sacrarium venerit.

4. Ad denuntiatam stationem diebus festis primo mane præcedit omnis clerus apostolicum, ad ecclesiam, ubi statio antea fuerit denuntiata, exceptis his qui in obsequio illius comitantur, ut supra diximus; et exspectantes pontificem in ecclesia cum supplementario et bajulis, et reliquis qui cruces portant, sedentes in presbyterio; episcopi quidem ad sinistram intrantium, presbyteri vero ad dextram, ut quando pontifex sederit, ad eos respiciens, episcopos ad dextram sui, presbyteros vero ad sinistram contueatur. Sed dum venerit 6 pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolythi et defensores ex regione illa, cujus dies ad officium fuerit, in obsequio præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est; similiter et presbyter tituli vel ecclesiæ ubi statio fuerit, una cum majoribus domus ecclesiæ Romanæ vel Patre diaconiæ (si tamen illa ecclesia diaconiæ fuerit) cum subdito sibi presbytero et mansionario thymiamaterium deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Primum acolythi cum defensoribus, deinde presbyteri cum suis petita benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt pontificem usque ad ecclesiam. Advocatores autem ecclesiæ stant quidem cum majoribus, non autem præcedunt cum eis, sed ipsi tantummodo sequuntur sellarem pontificis cum acolytho, qui aquamanus portat. Quem semper necesse est sequi pontificem, usque dum ad altare ascendat, paratus sub humero in presbyterio, quando vocetur a subdiacono regionario ad aquam dandam.

5. Cum vero ecclesiam introierit pontifex, non ascendit continuo ad altare, sed prius intrat in secretarium, sustentatus a diaconibus, qui eum susceperunt de sellario descendentem, ubi dum intraverit, sedet in sella sua, et diacones, salutato pontifice, egrediuntur secretarium, et ante fores ejusdem mutant vestimenta sua, et parat Evangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetam acolythi; et si necesse fuerit propter majora Evangelia, duobus acolythis super planetas tenentibus parat Evangelium. Quo facto, acolythus Evangelium usque ante altare in presbyterium, præcedente eum subdiacono sequente, qui eum desuper planetam illius suscipiens, manibus suis honorifice super altare ponat. Nam egredientibus diaconibus de secretario, remanent cum pontifice primicerius, secundicerius, primicerius defensorum, notarii regionarii, et subdiaconus sequens, qui tenet pallium pontificis in brachio suo super planetam, in sinistro brachio cum acubus.

6. Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutat vestimenta sua [*Al.* solemnia] hoc ordine. Defert ea plicata cubicularius tonsoratus, accepta a manibus ostiarii juxta caput scamni. Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, 7 alius cingulum, alius [b] anagolaium, id est amictum, alius lineam dalmaticam, et alius majorem dalmaticam, et alius planetam, et sic per ordinem induunt pontificem. Primicerius autem et secundicerius componunt vestimenta ejus, ut bene sedeant. Novissime autem, quem voluerit domnus pontifex de diaconibus, vel subdiaconibus, cui ipse jusserit, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium, et induit super pontificem, et configit eum cum acubus in planeta retro et ante, et in humero sinistro, et salutat domnum, et dicit, *Jube, domne, benedicere*. Respondet *Salvet nos Dominus*; respondet *Amen*.

7. Deinde subdiaconus regionarius, tenens mappulam pontificis in sinistro brachio super planetam revolutam, exiens ad regiam [*Al.*, januam] secretarii dicit: *Schola* [*Al.*, vocat scholam]. Respondet *Adsum*. Et ille: *Quis psallet?* respondet *Ille, et ille*. Et rediens ad pontificem subdiaconus, porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua illius, et dicens: *Servi domini mei, talis subdiaconus regionarius leget Apostolum, et talis de schola cantabit*. Et postea non licet alterum mutare in loco lectoris, vel cantoris. Quod si factum fuerit, archiparaphonista a pontifice [c] excommunicabitur, id est quartus scholæ, qui semper pontifici nuntiat de cantoribus. Quod cum nuntiatum fuerit, statim sequitur subdiaconus astans ante faciem pontificis, usque dum ei annuat pontifex ut psallant; cui dum annuerit, statim egreditur ante fores secretarii, et dicit *Accendite*. Qui

[a] Pugillaris hoc loco significat calamum seu fistulam, qua sanguis Domini e sacro calice hauriebatur. Scyphi, calices ministeriales acolythorum, de quibus infra. Colatorium, vasculum foraminibus ab imo perforatum, quo vinum ex amulis seu ampullis repurgatum in calicem refundebatur. Gemelliones Onufrius suspicatur esse urceos, ad infundendam scilicet in manus pontificis ejusque forsan ministrorum aquam, quæ in subjectam pelvim (aquamanum, id est aquamanile, hic vocant) excipiebatur. Anastasius, in Gregorio IV, simul conjungit *amas, scyphos, gemmiliones*, ut appareat hos distinguendos esse ab amis seu amulis.

[b] In Vulgatis *anabolagium*, quam lectionem tuetur eruditissimus Cangius in Glossario. At nihil tamen mutandum suasit non solum vetustissimus Codex sancti Galli hoc loco, sed etiam alter æque antiquus, in quo habetur Ordo Missæ episcopalis, infra, ubi *anagolai* et *anagolagi* legitur. Cæterum adverte his locis, anabolagium, sive anagolagium, id est amictum, utrobique poni super albam et cingulum, uti Maronitis presbyteris mos est etiam nunc.

[c] Id est, ut quidem interpretari licet, ab officio suspendetur.

dum accenderint, statim subdiaconus sequens tenens thymiamaterium aureum, pro foribus ponit incensum, ut pergat ante pontificem. Et ille quartus scholæ pervenit in presbyterio ad priorem scholæ, vel secundum, sive tertium, inclinato capite dicit *Domne* [*Al. domni*] *jubete*.

8. Tunc illi elevantes se, per ordinem vadunt ante altare, et statuuntur per ordinem acies duæ tantum, paraphonistæ quidem hinc inde aforis, infantes ab utroque latere infra per ordinem. Et mox incipit prior scholæ antiphonam ad Introitum; **8** quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad pontificem in secretarium. Et tunc pontifex elevans se, dat manum dextram archidiacono, et sinistram secundo, vel qui fuerit in ordine; et illi, osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum. Tunc subdiaconus sequens cum thymiamaterio procedit ante ipsum, mittens incensum; et septem acolythi illius regionis cujus dies fuerit, portantes [a] septem cereostata accensa præcedunt ante pontificem usque ante altare. Sed priusquam veniant ante altare, diacones in presbyterio exuuntur planetis; et suscipit eas subdiaconus regionarius, et porrigit illas ad acolythos regionis cujus fuerint diaconi; et tunc duo acolythi tenentes capsas cum [b] Sanctis apertas, et subdiaconus sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta pontifici, vel diacono qui præcesserit. Tunc inclinato capite [c] pontifex vel diaconus salutat Sancta, et contemplatur, ut si fuerit [d] superabundans, præcipiat ut ponatur in conditorio. Tunc peraccedens, antequam veniat ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor ad dextram, et tres ad sinistram partem, et pertransit pontifex in caput scholæ, et inclinat caput ad altare, surgens et orans, et faciens crucem in fronte sua, et dat pacem uni episcopo [e] de hebdomadariis et archipresbytero, et diaconibus omnibus; et respiciens ad priorem scholæ, annuit ei ut dicat *Gloriam*; et prior scholæ inclinat se pontifici, et imponit. Quartus vero scholæ præcedit pontificem, ut ponat [f] oratorium ante altare; et accedens pontifex orat super ipsum, usque ad repetitionem [g] versus. Nam diaconi surgunt quando dicitur *Sicut erat in principio*, ut salutent altaris latera, prius duo, et duo vicissim, redeuntes ad pontificem. Et surgens pontifex osculatur Evangelia et altare, et accedit ad sedem suam, et stat versus ad Orientem.

9 9. Schola vero, finita Antiphona, imponit *Kyrie eleison*. Prior vero scholæ custodit ad pontificem, ut ei annuat si vult mutare [h] numerum litaniæ, et inclinat se pontifici. Quando vero finierint, dirigens se pontifex contra [i] populum, incipit *Gloria in excelsis Deo*, et statim regyrat se ad Orientem, usque dum finiatur. Post hoc dirigens se iterum ad populum dicens *Pax* [k] *vobis*, et regyrans se ad Orientem, dicit *Oremus*; et sequitur Oratio; post finitam [l] sedet; similiter episcopi vel presbyteri sedent.

10. Tunc ascendunt subdiaconi regionarii ad altare statuentes se ad dextram, sive ad sinistram altaris. Tunc pontifex annuit episcopis et presbyteris ut sedeant. Subdiaconus vero qui lecturus est, mox ut viderit post pontificem episcopos et presbyteros residentes, ascendit in ambonem, et legit. Postquam legerit, cantor cum [m] cantatorio ascendit, et dicit [n] Responsum. Si fuerit tempus ut dicatur *Alleluia*, bene; sin autem, Tractum; sin minus, tantummodo Responsum.

11. Deinde diaconus osculans pedes pontificis tacite, dicit ei pontifex, *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis*. Deinde venit ante altare, et osculatis Evangeliis levat in manus suas Codicem; et procedunt ante ipsum duo subdiaconi regionarii, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et ante se habent duos acolythos

[a] Pro numero scilicet totidem ecclesiasticarum regionum.

[b] Colbertinus, *Sancta* quo nomine Eucharistiam significari colligimus ex num. 17 et 18, et ex num. 30 et 34. Vide libellum Benedicti canonici sancti Petri inferius, num. 41, et commentarii prævii caput 6. Ergo conditorium hic locus seu vasculum erat in quo Eucharistia tum recondi solebat.

[c] Ita Colbert. Alii habent *pontifici vel diacono*, sed mendose.

[d] Sic Colbert. Editis *super*, sed eodem sensu.

[e] Nempe uni ex septem episcopis hebdomadariis patriarchii Lateranensis, de quibus superius in commentario prævio.

[f] Faldistorium appellant recentiores. Colbert., male, *oratorium super altare*.

[g] Id est Antiphonæ ad Introitum. Confer num. 21.

[h] Huc spectat id quod ait Paris de Crassis, *Kyrie* in Missis papalibus tandiu dici, quandiu reverentia papæ per cardinales facienda durat. Colbert., *inclinet se pontifici; quam dum finierint, incipit pontifex* Gloria in excelsis Deo, *si tempus fuerit. Non sedeat antequam dicant post orationem* Amen. *Et tunc ascendant subdiaconi regionarii ad altare*, etc. Idem Paris observat vetustissimum esse capellæ papalis morem, ut eodem tono invariato cantetur Hymnus angelicus his notis, *Ut re fa fa fa mi fa sol mi, sol fa mi mi*.

[i] Nunc facie versa ad Orientem seu altare, quod probat Amalarius in Officialis lib. III cap. 8.

[k] Idem Amalarius, sub finem alterius præfationis ad libellum (ut vocat) Officialem, inter ea quæ *a Romana sede* accepit : *Prima salutatio ad populum*, inquit, Pax vobis *pronuntiatur, non* Pax vobiscum. Vide ejusdem lib. cap. 9.

[l] Idem auctor, in lib. III, cap. 5, sub initium, tradit morem inolevisse *ut non sedeatur in ecclesia* ante finem hujus Orationis; qua de re in libello tertio, qui hic subsequitur.

[m] Quid sit cantatorium, discimus ex Amalarii præfatione in Antiphonarium. *Notandum est*, ait, *volumen quod nos vocamus Antiphonarium tria habere nomina apud Romanos. Quod dicimus* Gradale, *illi vocant* Cantatorium.

[n] Amalarius ipse, in lib. III, cap. 11 : *Lectionem quæ legitur post sessionem sequitur cantus, qui vocatur Responsorius. Responsorium vero iidem qui supra Itali tradiderunt, quos inde responsorios cantus vocant, quod alio desinente id alter respondeat.* Hinc *psalmus responsorius* apud Gregorium Turonensem, in lib. VIII, cap. 3, quod uno versu dicto per cantorem, idem a choro seu populo repeteretur, et sic consequenter de aliis. Gradalem seu gradualem posteri appellarunt, quod in pogio seu ambone caneretur, teste eloga Amalarii.

10 portantes duo cereostata. Venientes ad [a] ambonem, dividuntur ipsi acolythi ante ambonem, et transeunt subdiaconi et diaconus cum Evangelio per medium eorum. Ille qui absque thymiamaterio est, vertens se ad diaconem, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu subdiaconi aperiatur ei locus, in quo signum lectionis positum fuerit. Et interposito digito suo diaconus in loco lectionis ascendit ad [b] legendum, et illi duo subdiaconi redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Finito Evangelio dicit pontifex [c] *Pax tibi.* Deinde dicit *Dominus vobiscum.* Respondetur *Et cum spiritu tuo;* et dicit *Oremus.* Descendente autem diacono, subdiaconus, qui prius aperuerat, recipit Evangelium, et porrigit eum subdiacono sequenti, qui in filo stat; quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum omnibus per ordinem graduum qui steterint. Et post hoc præparato acolytho in pogio juxta ambonem cum [d] capsa, in qua subdiaconus idem ponit Evangelium ut sigilletur. Acolythus autem regionis ejusdem, cujus et subdiaconus est, revocat Evangelium ad Lateranis (*sic*).

12. Deinde pergente diacono ad altare, stante acolytho cum calice et corporali super eum, levat calicem in brachio suo sinistro, et porrigit diacono corporalem, et accipit desuper calice, et ponit eum super altari a dextris, projecto capite altero ad diaconem secundum ut expandant. Tunc ascendunt ad sedem primicerius et secundicerius et primicerius defensorum cum omnibus regionariis et notariis; subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur archidiaconum.

13. Pontifex descendit ad senatorium, tenente manum ejus dextram primicerio notariorum, et primicerio defensorum sinistram, et suscipit oblationes principum per ordinem [e] archium. Archidiaconus post eum suscipit amulas, et refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono regionario : quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, 11 in quo calix impletus refunditur. Oblationes a pontifice suscipit subdiaconus regionarius, et porrigit subdiacono sequenti, et subdiaconus sequens ponit in sindonem, quem tenent duo acolythi. Reliquas oblationes post pontificem suscipit episcopus hebdomadarius, ut ipse manu sua mittat eas in sindonem, quæ eum sequitur. Post quem diaconus, qui sequitur post archidiaconem, suscipit [amulas] et manu sua refundit in scyphum. Pontifex vero antequam transeat in partem mulierum, descendit ante confessionem, et suscipit oblatas [*Al.*, oblationes] primicerii, et secundicerii, et primicerii defensorum. Nam diebus festis post diacones ad altare offerunt. Similiter ascendens pontifex in partem feminarum, ordine quo supra omnia explet. Similiter et presbyteri, si necesse fuerit, post eum vel in presbyterio faciunt.

14. Post hoc pontifex, tenente ei manum primicerio et secundicerio, redit ad sedem suam, abluit manus suas. Archidiaconus stans ante altare, expleta susceptione, lavat manus suas. Deinde respicit in faciem pontificis, annuit ei, et ille resalutato accedit ad altare. Tunc subdiaconi regionarii levantes oblatas de manu subdiaconi sequentis super brachia sua, porrigunt archidiacono, et ille componit altare. Nam subdiaconi hinc inde porrigunt. Ornato vero altari, tunc archidiaconus sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario, et refundit super colum in calicem, deinde diaconorum [*Al.*, diaconi] et in die festo, primicerii, secundicerii, primicerii defensorum. Deinde descendit subdiaconus sequens in scholam, accipit [f] fontem de manu archiparaphonistæ, et defert archidiacono; et ille infundit faciens crucem [g] in calice. Tunc ascendunt diaconi ad pontificem. Quos videntes primicerius, secundicerius, et primicerius defensorum regionariorum, et notarii regionarii, et defensores regionarii, descendunt de aciebus, ut stent in loco suo.

15. Tunc surgens pontifex a sede, descendit ad altare, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii et diaconorum. Deinde archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario, et dat pontifici. Quas dum posuerit pontifex 12 in altare, levat calicem archidiaconus de manu subdiaconi regionarii, et ponit eum super altare juxta oblatam pontificis [h] a dextris, involutis ansis cum offertorio : quem ponit in cornu altaris, et stat post pontificem; et pontifex inclinans se paululum ad altare, respicit scholam, et annuit ut [i] sileant.

16. Tunc finito offertorio, episcopi stant post pontificem, primus in medio, deinde per ordinem, et archidiaconus a dextris episcoporum, secundus diaconus a sinistris, et cæteri per ordinem disposita acie. Et subdiaconi regionarii, finito offertorio, vadunt retro altare aspicientes ad pontificem, ut quando dixerit *Per omnia sæcula*, aut *Dominus vobiscum*, aut *Sursum corda*, aut *Gratias*, ipsi sint ad respondendum.

---

[a] Nullus amplius ambonum usus apud Romanos a tempore Paridis de Crassis.

[b] *Diaconus, cum legit Evangelium, juxta Romanum Ordinem vertitur ad Meridiem*, ex Micrologi cap. 9, *non ad Aquilonem, ubi feminæ consistunt.*

[c] Id habes in secundo Ordine Romano.

[d] Nulla hic mentio Symboli post Evangelium, sic vero in sequenti. Consule commentarii prævii caput 6 Romani, teste Amalario, in altera præfatione ad libros de ecclesiasticis Officiis, *post Evangelium non afferunt incensum super altare.* Accedit Micrologus in cap. 20.

[e] Ita Colbert. Quidam Codices habent *arcuum*, alii omittunt. Retinenda videtur lectio Codicis Colbertini, ut significet ordinem principem seu præcipuum.

[f] Id est aquam. Vide Ordinem Romanum de Missa episcopali infra. Eumdem ritum in Gallia observatum fuisse docet Joannes Abrincalensis episcopus apud Menardum nostrum, pag. 275 : *Cantor aquam linteo coopertam in festis diacono deferat, quam diaconus vino misceat.*

[g] Non super fontem seu aquam, ut modo fit, sed aquam in calicem infundendo in crucis modum.

[h] Hoc est quod a Romanis acceptum tradit Amalarius in fine secundæ præfationis ad libros Officiales : *Calix in latere oblatæ componitur, non post tergum.* Idem ex Micrologi cap. 10.

[i] Quale fuerit tunc Offertorium, leges inferius num. 26.

dum, stantes erecti, usque dum incipiunt dicere hymnum angelicum, id est *Sanctus;* quem dum expleverint, surgit pontifex solus et intrat in Canonem. Episcopi vero, diaconi, subdiaconi, et presbyteri in presbyterio permanent [a] inclinati. Et cum dixerit *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi; cum dixerit *Per quem hæc omnia, Domine*, surgit archidiaconus solus. Cum dixerit *Per ipsum et cum ipso*, levat cum offertorio calicem per ansas, et tenens [b] exaltat illum juxta pontificem. Pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis, dicens *Per ipsum et cum ipso*, usque *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*. Et ponit pontifex oblationes in loco suo, et archidiaconus calicem juxta eas, dimisso offertorio [c] in ansis ejusdem.

17. Nam quod intermisimus de patena, quando inchoat [d] Canonem, venit acolythus, sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextra usque in medium Canonem. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, et venit ante altare, exspectans quando eam suscipiat subdiaconus regionarius.

13 18. Finito vero Canone, subdiaconus regionarius stat cum patena post archidiaconum, quando dixerit, *et ab omni perturbatione securi*, vertit [e] se archidiaconus, et osculata patena, dat eam tenendam diacono secundo, cum dixerit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, faciens crucem tribus vicibus manu sua super calicem, mittit [f] Sancta in eum. Sed archidiaconus pacem dat episcopo priori, deinde cæteris per ordinem, et populis.

19. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, et particulam quam [g] rumpit super altare relinquit, reliquas vero oblationes suas ponit in patenam, quam tenet diaconus, et redit ad sedem. Mox primicerius, et secundicerius, et primicerius defensorum cum omnibus regionariis et notariis ascendunt ad altare, et stant in ordine suo a dextris et a sinistris. Nomenculator vero, et saccellarius, et notarius vicedomini, cum dixerint *Agnus Dei*, tunc ascendunt astare ante faciem pontificis, ut annuat eis scribere nomina eorum qui invitandi sunt, sive ad mensam pontificis per nomenculatorem, sive ad vicedomini per notarium ipsius, quorum nomina ut compleverint, descendunt ad invitandum. Nam archidiaconus levat calicem, et dat eum subdiacono regionario, quem tenet juxta cornu altaris dextrum. Et accedentes subdiaconi sequentes cum acolythis, qui saccula portant, a dextris et a sinistris altaris, extendentibus acolythis brachia cum sacculis, stant subdiaconi sequentes a fronte, ut parent sinus sacculorum archidiacono ad ponendas oblationes prius a dextris, deinde a sinistris. Tunc acolythi vadunt [h] dextra lævaque per episcopos circum altare; reliqui descendunt ad presbyteros, ut confringant Hostias. Patena præcedit juxta sedem, deferentibus eam duobus subdiaconibus regionariis ad diacones ut frangant. Sed illi aspiciunt in faciem pontificis, ut eis annuat frangere. Et dum annuerit, resalutato pontifice **14** confringunt. Et archidiaconus, evacuato altari oblationibus, [i] præter particulam quam pontifex de propria oblatione confracta super altare reliquit (quia ita observant, ut dum Missarum solemnia peraguntur altare sine sacrificio non sit), respicit in scholam, et annuit eis ut dicant *Agnus Dei*, et vadit ad patenam cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor levata de subdiacono patena, defert ad sedem, ut communicet [k] pontifex. Qui dum communicaverit, de ipsa Sancta quam momorderit ponit in manus [l] archidiaconi, dicendo in calice: *Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum spiritu tuo*, et confirmatur [m] ab archidiacono.

20. Deinde venit archidiaconus cum calice ad

[a] De hac inclinatione Amalarius, in lib. III, cap. 23: *Perseverant retro stantes inclinati, usque dum finiatur omnis præsens Oratio*, quam Canonem vocant.

[b] Hoc etiam in loco Græci et Orientales plerique primum extollunt calicem cum Hostia consecrata.

[c] Hunc ritum observat Amalarius sub finem alterius præfationis ad Officialem, et in ejusdem operis lib. III, cap. 26.

[d] Hic articulus totidem verbis ex libello Romano adducitur apud Amalarium in lib. III, cap. 27.

[e] Id ex Romano Ordine tradit Micrologus in cap. 17.

[f] Colbert., post *semper vobiscum*, cæteris omissis, subdit, *mittet in calicem de Sancta*; et sic apud Amalarium, in lib. III, cap. 31: *Dicit libellus memoratus*, scilicet Romanus, *Cum dixerit, Pax Domini*, etc., *mittit in calicem de Sancta*. Quæ *Sancta* eadem esse videntur quæ supra, num. 8, et quæ *particula fermenti*, infra, num. 22, nempe antea consecrata, et in futurum sacrificium reservata; alia vero infra, num. 19. Idem Amalarius ibidem adducit sequentia verba ex libello memorato: *Sed archidiaconus pacem dat*, etc.

[g] Ita legit Amalarius, in lib. III, cap. 31, melius quam in Editis et in Codice sancti Galli, *quam rumpit, partem super altare relinquit*; rectius etiam quam Colbert., *quam ruperit, tollit, partem aliam super altare*, etc.

[h] Colbert., *vadunt ad lævam episcoporum*.

[i] Colbert., *oblationibus, respicit ad scholam*, cæteris omissis; in Editis tantum inclusa parenthesi desunt, habentur autem in Codice sancti Galli, sane haud parvi pendenda, ad quæ respexit Amalarius, in lib. III Officialis, cap. 35: *Remanetque in altari particula usque ad finem Missæ*. Micrologus, in cap. 17 censet eam fuisse reservatam pro *communicaturis sive infirmis*. Sed ratio hic allata videtur potior.

[k] Nempe stans, et quidem conversus ad Orientem, ex quarto Ordine Romano de Missa episcopali, num. 10, et ex aliis posterioribus libellis.

[l] Paulo aliter Amalarius, in lib. III, cap. 31: *Ponit inter manus archidiaconi in calicem*, ut in ante Vulgatis, addito, *faciens crucem ter*. Colbert.: *Ponat in calice in manus archidiaconi dicendo Fiat*, etc. Post superiora ita commmentatur ibidem Amalarius: *Si hoc ita agitur in Romana Ecclesia, ab illis potest addisci quid significet bis positus panis in calicem. Non enim vacat a mysterio quidquid in eo officio agitur juxta constitutionem Patrum*.

[m] Sumendo scilicet sanguinem Domini cum *pro complemento communionis*, ut loquitur Micrologus, in cap. 19. Præclarum hoc sane specimen communionis generalis, etiam sacerdotum et episcoporum.

cornu altaris, et annuntiat [a] stationem, et refuso parum de calice in scyphum inter manus acolythi, accedunt primo episcopi ad sedem, ut communicent de manu pontificis secundum ordinem; [b] similiter et presbyteri ut communicent post eos. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, et stat in cornu altaris sequentis ordinis usque ad primicerium defensorum. Deinde archidiaconus, accepto de manibus illius calice, refundit in scyphum quem supra diximus, et tradit calicem subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit subdiaconus sequens; dat acolytho [*Colb.*, de acolytho], quem ille revocat **15** in paratorium. Qui dum confirmaverit quos papa communicat, descendit pontifex a sede cum primicerio notariorum et primicerio defensorum, tenentibus ei manus, ut communicet eos qui in senatorio sunt, post quem archidiaconus confirmat. Post hæc [*Colb.*, Post archidiaconem] episcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu sub planeta, percontato pontifice. Post eos diaconi confirmant. Deinde transeunt in partem sinistram, ut faciant similiter. Presbyteri autem, annuente primicerio, jussu pontificis communicant populum, et ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut pontifex cœperit in senatorio communicare, statim schola incipit Antiphonam ad Communionem per vices cum subdiaconibus, et [c] psallunt, usque dum, communicato omni populo, annuat pontifex ut dicant *Gloria Patri*, et tunc repetito Versu quiescunt. Et pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit ad sedem, et communicat regionarios per ordinem, et eos qui in filo steterant, et in diebus festis de schola XII. Nam cæteris diebus in [d] presbyterio communicant. Post hos omnes redeuntes nomenculator et saccellarius, et acolythus, qui patenam tenet, et qui manutergium tenet, et qui aquam dat, ad sedem communicant, et post pontificem archidiaconus eos confirmat.

21. Astat autem subdiaconus regionarius ante faciem pontificis, ut annuat ei. Ille vero contemplans populum, si jam communicati sint, et annuit ei. Et ille [e] vadit ad humerum, aspicit ad primum scholæ, faciens crucem in fronte sua, annuit ei dicere *Gloriam*; et ille resalutato, dicit *Gloria, Sicut erat*, et Versum. Finita autem Antiphona surgit pontifex cum archidiacono, et veniens ante altare dat Orationem ad Complendum, [f] directus ad Orientem. Nam in isto loco, cum *Dominus vobiscum* dixerit, non se dirigit ad populum. Finita vero Oratione, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, **16** aspicit ad pontificem ut ei annuat, et dicit ad populum *Ite Missa est*. Respondent *Deo gratias*. Tunc septem cereostata præcedunt pontificem, et subdiaconus regionarius cum thuribulo ad secretarium. Descendente autem illo in presbyterium, [g] episcopi primum dicant *Jube, domne, benedicere*. Resp. *Benedicat nos Dominus*. Resp. *Amen*. Post episcopos presbyteri; deinde monachi; deinde schola; deinde milites draconarii, id est qui signa portant; post eos bajuli, post eos cereostatarii; post quos acolythi, qui [h] rugam observant; post eos extra presbyterium cruces portantes; deinde mansionarii juniores; et intrat in secretarium.

II. *Si autem summum pontificem, ubi statio fuerit, contigerit non adesse, hæc sunt, quæ ab alio episcopo dissimiliter fiunt.*

22. In primis, quod non illi, sed diaconi præcedunt cum cereostato vel thuribulo.

Secundum namque quod non sedet in sede post altare.

Tertio non dicit Orationem post altare, sed in dextro latere altaris.

Quartum non ipse episcopus, sed diaconus in eo loco, ubi consuetudo est, cinnat [*Forte*, signat].

Quinto loco, post finitum Canonem, ubi dicitur *Per quem hæc omnia Domine*, non levatur calix ab archidiacono.

Sexto loco, quando dici debet *Pax Domini sit semper vobiscum*, deportatur a subdiacono oblationario particula [i] fermenti, quod ab apostolico consecratum est, et datur archidiacono; ille vero porrigit episcopo. At ille consignando tribus vicibus, et dicendo *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem.

Nam et hoc similiter facit, quod apostolicus non confringit; ipse vero super pallam, quæ corporalis dicitur, in altare confringit. Deinde communicant omnes præter episcopum tantum, quod non sua manu communicat. Si in ipsius manum **17** mittit partem, et ipse se communicat cum propria manu. Similiter

[a] Quo modo hæc denuntiatio futuræ stationis fieret, leges inferius in libello Benedicti canonici, num. 33.

[b] Colbertinus variat hoc loco : *Sed presbyteri omnes accedant ut communicent ad altare*; quæ lectio convenit cum aliis duobus libellis infra. Paulo post idem Colbert. : *Deinde archidiaconus de manu illius suscipiens calicem, refundit in scyphum*, etc. Clarius, sed eodem sensu.

[c] Hinc patet Antiphonam quæ hodie Communio dicitur olim Psalmo decantando præmissam fuisse; quod Micrologus diserte habet in cap. 18. Confer Liturgiam Gallicanam, lib. I, cap. 5, num. 27. In Colbertino sic legitur : *Statim schola incipit Antiphonam ad communionem et psallant usque dum communicat populus omnis. Nam pontifex mox ut communicaverint in partes mulierum*, etc.

[d] Colbert. : *Nam cæteris diebus presbyteri ubi potuerint communi ent.*

[e] Colbert. : *Et ille aspicit ad primum scholæ.*

[f] Colbert., his omissis, ita habet : *Dat Orationem ad Complendum. Qua finita, cui præcepit archidiaconus de diaconibus*, etc. Nunc sacerdos conversus ad populum dicit *Dominus vobiscum*, etiam hoc loco.

[g] Aliter Colbert. : *Episcopus primus veniat ante eum, dicens*, Jube, Domine, benedicere, etc.

[h] Non prætermittenda lectio Codicis Colbertini, ubi pro *rugam* legitur *regiam*, id est aditum seu januam cancellorum quas acolythi observare solebant. Bajulorum officium habes supra, num. 3.

[i] Notandus hic locus de fermento pro Eucharistia. Confer num. 8 et 19, supra, et commentarii nostri prævii caput 6.

facit presbyter presbytero, et diaconus diacono. Nam reliqua omnia similiter ut summus Pontifex facit.

Similiter etiam et a presbytero agitur, quando in statione facit Missas, præter *Gloria in excelsis Deo*, quia a presbytero non dicitur nisi in Pascha. Episcopi, qui civitatibus præsident, ut summus pontifex, ita omnia peragunt.

III. *Feria 4. Initium Quadragesimæ.*

23. Colligunt se omnes ad ecclesiam sanctæ Anastasiæ circa horam septimam. Ingreditur pontifex in secretarium, induit se vestibus. Schola vero canit Antiphonam ad Introitum.

24. Tunc adveniens pontifex ascendit ad altare. Ut autem finita fuerit Antiphona, stans pontifex a dextris altaris directus ad populum, dicit *Dominus vobiscum;* deinde regyrat se ad Orientem, dicit *Oremus*, diaconus, *Flectamus genua*, deinde *Levate;* sequitur Oratio. Deinde incipitur Antiphona *Per viam*. Ut autem prope ecclesiam venerint, incipient litaniam. Ut autem ingressi fuerint ecclesiam, pontifex ingreditur in secretarium. Schola pergit decantando usque ad altare. Ut autem finierint litaniam, post paululum incipiunt Antiphonam ad Introitum. Deinde veniens pontifex ascendit ad sedem, dicit *Oremus*, diaconus, *Flectamus genua*, et *Levate*. Deinde post Orationem legitur lectio, et celebratur Missa more solito. Postquam autem dixerit communionem, a diacono dicitur *Humiliate capita vestra Deo*. Clerus respondet *Deo gratias*, et dicitur Oratio super populum. Finita Oratione dicit diaconus [a] *Ite Missa est*. Simili modo agitur secunda feria, quarta feria, sexta feria, et sabbato per totam Quadragesimam. Nam Sabbato tempore Adriani institutum est ut flecteretur pro Carolo [b] rege, antea vero non fuit consuetudo.

25. Tertia feria, seu quinta feria, ut ad Missas intraverint, dicit *Dominus vobiscum*, et diaconus *Flectamus genua*, et *Levate*. **18** Missa finita, dicit diaconus *Humiliate* [c] *capita vestra Deo*. Et inclinant se omnes ad Orientem. Et dicit pontifex Orationem super populum, diaconus, *Ite Missa est*. Cæteri vero episcopi, aut presbyteri, qui Collectam non faciunt, vel statio non fuerit in ipsa ecclesia, per totam hebdomadam similiter faciunt quomodo isti in duobus diebus peragunt. Item de eo quod [d] *Gloria in excelsis Deo* usque in caput Quadragesimæ in Dominicis diebus cantatur. A presbyteris vero *Gloria in excelsis Deo* minime cantatur, nisi solum in Pascha. Ab episcopis autem omni tempore in Dominicis, seu festis diebus cantatur. Nam quando litania agitur, nec *Gloria in excelsis Deo*, nec *Kyrie eleison* post Introitum, nec *Alleluia* cantatur, excepto litania majore.

26. Item de Responsorio graduali, ab incipiente usque ad finem cantatur, et Versus similiter. Similiter in quotidianis diebus *Alleluia* simili modo. In quotidianis vero diebus, si voluerint, tantum prima dicitur.

Item candelabra tenentur in manibus usque dum ad repetitionem incipiunt, postea deponuntur in pavimentum. Et post primam Orationem Missæ datam deportantur ante altare. Item *Gloria* dividitur, sed tantum festis diebus. Ad repetendum vero, sive festis diebus, seu quotidianis, semper incipitur. Tantum semel de offertorio, seu et versu [e] ipsius, duabus vicibus ad unam Missam domno papæ cantatur.

IV. *Incipit Ordo a Dominica mediana usque in Octavas Paschæ.*

27. Igitur a Dominica quam sedes apostolica [f] Medianam voluit nuncupari, usum observantiæ credimus intimandum; unde et ea quæ ipsa die dicuntur numerum dierum ostendunt, ut est illud, *Quarta decima die ad vesperum;* et paulo post, *In quinta decima solemnitatem celebrabitis*. A quo die usque in vigiliam sanctæ Dominicæ Resurrectionis in nullo responsorio **19** decantatur *Gloria*, nec in *Venite;* a Cœna vero Domini, nec in Psalmis, nec in ullo loco decantatur *Gloria* usque in Pascha. Dominica in Palmis, cum Evangelium legitur, dicit diaconus *Dominus vobiscum*. ℟ *Et cum spiritu tuo*. Item dicat: *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum*. ℟ *Gloria tibi, Domine.*

28. Feria 4, quæ est pridie in Cœna Domini, hora tertia pontifex cum clero et ordine suo procedat ad altare in ecclesia majore, et dicit Orationes [g] solemnes hoc ordine: *Oremus*. Dat Orationem *Deus a quo et Judas*. Post *Amen* sequitur, et dicit Orationes solemnes, sicut in Sacramentorum continetur, tantummodo pro se intermittit. Dicit Orationem pro rege Francorum, deinde reliquas per ordinem, ad ultimum pro Judæis non flectunt genua. Quibus expletis, osculatur altare, et egreditur. Postea vero hora octava ingrediuntur ad Missas hoc ordine. Dicit schola Antiphonam ad Introitum, et pontifex dat Orationem. Legitur lectio una, sicut in [h] Capitulare

[a] Nunc per totam Quadragesimam, exceptis festis, dicitur *Benedicamus Domino*. Vide Micrologi caput 46, et confer caput 34.

[b] Nempe Carolo Magno, quæ verba innuunt hæc posterioris esse instituti. Vide num. 28.

[c] De hoc ritu videsis Amalarium in præfatione altera ad Officialem, sub finem præfationis.

[d] Neque modo *Gloria in excelsis* dicitur a Septuagesima ad Pascha extra festa, semper vero *Kyrie eleison*.

[e] Duo distinguuntur in Offertorio, nempe ipsum Offertorium et Versus, qualia Offertoria inveniuntur in vetustis libris cum duobus aut tribus Versibus. Vide Amalarium, in lib. III, cap. 19, in fine.

[f] Sic appellat Dominicam Passionis Ordo Romanus vulgatus, in quo multa fusius quam hic habentur a pag. 41.

[g] Amalarius, in lib. I, cap. 11, observat hac die quintam varietatem, nempe ex adjectione unius lectionis et unius Responsorii cum quinque Versibus, ac ex Passione Domini, necnon etiam, *ut scriptum habemus in libello qui dicitur Romanus Ordo, ex genuflexione*. Tum addit: *Intimat supradictus libellus ex Romana consuetudine debere eadem die ante publicum officium Orationes quas solemus in sexta feria a jere recitari*, quæ verba huc spectant. De genuflexione vide Micrologum, cap. 52.

[h] Capitulare appellant indicem Epistolarum et Evangeliorum ad Missas, quæ in fine librorum sacrorum antiquitus primis ac postremis verbis desi-

continetur. Sequitur Gradale *Ne avertas*, et legitur alia lectio. Post quam cantatur canticum *Domine, exaudi*, cum Versibus suis. Evangelium vero pronuntiabitur ita, *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Lucam*, et incipit legere; qua perlecta, expletur Missa ordine suo.

V. *Feria 5 Cœnæ Domini*

29. Media [a] nocte surgendum est, et tangitur signum; et post hæc non nisi in nocte sanctum Pascha ad Matutinum. At vero ecclesia omni lumine decoretur, et more solito *Deus in adjutorium meum* non dicant, nec *Gloriam*, nec Invitatorium; sed cantor incipit in Psalmis Antiphonam, sicut in Antiphonario continetur Nec presbyter complet in fine [b] Orationem, **20** sed tacite surgendum est, et lector Benedictionem non petat; et quando finit, non dicat *Tu autem;* sed ex verbis lectionis jubetur facere finem. Lectiones vero legantur tres de lamentatione Jeremiæ prophetæ, ubi dicit: *Quomodo sedet sola civitas*, usque, *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*. Tres de tractatu sancti Augustini, in Psalmo *Exaudi, Domine, Orationem meam* primo. Tres de Apostolo, ubi ait ad Cor. cap. LVII: *Ego accepi a Domino quod et tradidi vobis*: IX Psalmos, IX lectiones, IX Responsoria. Cum autem omnia complenda sunt, sequitur [c] Matutinum. Matutino completo non dicatur *Kyrie eleison* nec *Et ne nos inducas in tentationem*.

30. Hora autem tertia ingressi sacrarium, induuntur dalmaticis, tam pontifex quam omnes diaconi, vel omni ornamento, sedente pontifice in sella sua; et præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut, accepto balsamo, et commiscitato cum oleo, manu sua impleat eam; illam vero alii ministri teneant plenam, et pontifex lotis manibus procedit cum septem cereostata ad Missas. Dicta autem Antiphona ad Introitum, dicit *Gloria in excelsis Deo*, et Orationem. Legitur Apostoli lectio; *Fratres convenientibus vobis in unum*, usque *Ut non cum hoc mundo damnemur*. Sequitur Gradale *Christus factus est pro nobis*. Legitur Evangelium secundum Joannem cap. CXII: *In illo tempore sciens Jesus quia venit hora ejus*, usque *quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Ante quam dicatur *Per quem hæc omnia*, benedicitur oleum pro infirmis quod populus affert, et deinceps peragitur Missa ordine suo. Qua expleta, communicat episcopus solus ante altare, et diaconus confirmat eum cum calice.

31. Illa tantummodo die, postquam communicaverit, ponit calicem super altare; deinde accepta a subdiacono patena, ponit juxta calicem de latere sinistro; et statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione pontificis, post corporalem expansum. Et continuo [d] duo acolythi involutas ampullas **21** cum sindone alba serica, ita ut videri possint a medio, teneant in brachio sinistro, projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingat scapulam dextram, qua tentius possint dependentia retinere. A quibus sub humero stantibus venit subdiaconus, et accipit ampullam commistam una cum sindone, et dat eam archidiacono, et ille defert pontifici ante altare. Tunc pontifex respiciens ad Orientem, et diaconus tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutam sindone, ut supra diximus. Hic halat ter in ampullam chrismatis, et dicit pontifex *Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum*; et intrat in consecrationem chrismatis excelsa voce: sed antequam benedicatur, insufflat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei ordine quo supra delatam; et similiter halat in ipsam, sed tacite. Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur, sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutent, quam episcopus et diaconus prius nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus pontifex venit ante altare, et communicat omnis populus ordine suo, et servat de Sancta usque in crastinum.

32. Ea vero die hora nona faciunt [e] excuti ignem de lapide in loco foris basilicam; si ibidem oratorium non habuerint, in porta ibi excutiunt; sin vero, in loco in quo consideraverit prior, ita ut ex eo possit candela accendi, quæ candela in arundine debet poni, et a mansionario ecclesiæ portata præsente congregatione vel populo; et de ipso igne continuo in eadem ecclesia vel loco, ubi accenditur, lampada [f] una servetur usque in Sabbato sancto ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine quo in Sacramentorum continetur. Ipsa

gnari solebant. Vide tomum II Capitularium, col. 1310.

[a] Ergo etiam hoc triduo Romani nocturnas vigilias faciebant media nocte.

[b] Id est, in fine Orationis *Respice, quæsumus, Domine*, etc., non addit more solito *Qui tecum vivit*, etc.

[c] Matutini nomine intelliguntur Laudes, quas vocamus, ut in regula sancti Benedicti.

[d] Hæc verba aliaque refert Amalarius, in lib. I, post medium capitis 12: *Dicit libellus Romani Ordinis de consecratione chrismatis:* Continuo duo acolythi, etc. Idem post initium ejusdem capitis ait oleum simul consecrari cum corpore et sanguine Domini, nec habere proprium officium, sed eo in loco benedici, *ubi solemus*, inquit, *unas benedicere. Unde intelligimus embolim esse supra dicti officii.*

[e] Memoratu dignum est id quod a Theodoro Romanæ Ecclesiæ archidiacono se accepisse tradidit Amalarius, in lib. IV, cap. 44: *Soleo*, inquit Theodorus, *esse cum apostolico in Lateranis, quando officium celebratur de Cœna Domini. Nihil enim ibi in eadem nocte observatur de extinctione luminum. In feria sexta nullum lumen habetur lampadum sive cereorum in ecclesia in Jerusalem, quandiu domnus apostolicus ibi Orationes solemnes facit, aut quandiu crux salutatur; sed tamen in ipsa die novus ignis accenditur, de quo reservatur usque ad nocturnale officium.*

[f] Nonnihil diversum tradit Zacharias papa in epistola 12 ad Bonifacium, nempe moris esse *ut quinta feria Paschæ*, id est, ante Pascha, *quando sacrum chrisma consecratur, tres lampades in secretiori loco ecclesiæ constitutæ ardeant usque ad tertium diem*, id est, *Sabbatum*.

vero die omne diurnale officium insimul canunt. 22 A vespera autem hujus diei nuda [a] sint altaria usque in mane Sabbati.

VI. *Feria 6.*

33. In Parasceve media nocte surgendum est. Dicuntur IX Psalmi cum Responsoriis, tres lectiones de lamentatione Jeremiæ ab eo loco ubi ait: *Cogitavit Dominus dissipare*, usque *Misericordiæ Domini multæ;* tres de tractatu sancti Augustini de Psalmo LXIII, tres de Apostolo ubi ait ad Hebræos, cap. V: *Festinemus ergo ingredi*. Deinde sequitur Matutinum. Lucernæ exstinguuntur. Luminaria autem ecclesiæ ab initio cantus nocturni inchoantur exstingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim tutare [*Id est*, exstinguere], ut, verbi gratia, peracto primo nocturno, videatur pars eorum tertia esse exstincta; medio nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus, nihil luminis relinquitur, quæ in Matutino hoc ordine exstinguantur. In initio Psalmi primi sit custos semper paratus in loco dexteræ partis ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutat lampadem unam. In finem Psalmi ipsius aliam sinistræ partis; sic una ex parte una, alia ex alia tutantur, usque ad Evangelium. In Evangelio vero tutatur mediana lampada.

34. Hora tertia conveniant omnes presbyteri, tam civitatis, quam de suburbanis, et omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra urbem, non tamen in majore ecclesia; et exspectant pontificem, vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium, sicut mos est, statim ut surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem; quo sedente, statim subdiaconus ascendit ad legendum, et post lectionem cantatur canticum *Domine audivi*, cum Versibus suis. Et dicit pontifex *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua*, et dicit *Levate*. Et dat Orationem *Deus a quo et Judas*. Deinde sequitur altera lectio, post quam sequitur tractus [b] *Qui habitat*, vel *Eripe me*. Quo finito, pronuntiat 23 diaconus ita: *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem*, et incipit legere. Hac expleta, statim duo [c] diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, in modum furantis. Tunc venit pontifex ante altare, et dicit: *Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei*, et cætera per ordinem, sicut in quarta feria diximus. Cum autem ventum fuerit ad Judæos, non flectunt genua. Quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras. Presbyteri vero ecclesiarum, sive de urbe, sive de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta ad vesperum faciant, hoc tantum mutantes, ut ubi pontifex meminit apostolicum, ipsi nominent episcopum suum.

35. Post Orationes [d] præparatur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare, sustentata hinc inde a duobus acolythis, posito ante eam oratorio. Venit pontifex, et adoratam deosculatur crucem; deinde presbyteri, diaconi, subdiaconi, et cæteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero sedet in sede, usque dum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut salutaverint, intrant secretarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patena; et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini; quibus tenentibus accipit unus presbyter patenam et alter calicem, et deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutet populus crucem. Nam, salutante pontifice vel populo crucem, canitur semper antiphona, *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus*. Dicitur psalmus CXVIII, id est, *Beati immaculati*. Qua salutata et reposita in loco suo, descendit pontifex ante altare, et dicit: *Oremus, Præceptis salutaribus moniti. Pater noster;* sequitur, *Libera nos, quæsumus, Domine*. Cum dixerint *Amen*, sumit de Sancta, et ponit [e] in calicem, nihil dicens; et communicant omnes cum silentio, 24 et expleta sunt universa. Et dicit pontifex: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tibi*. Respondent *Et cum spiritu tuo*. Et post paululum Vesperam dicit unusquisque privatim; et sic vadunt ad mensam.

VII. *Sabbato.*

36. Media nocte surgendum est. Dicuntur IX Psalmi cum Responsoriis: tres lectiones leguntur de lamentatione Jeremiæ ab eo loco ubi dicit: *Misericordiæ Domini multæ*, usque ad finem. Deinde leguntur homiliæ sanctorum Patrum ad ipsum diem pertinentes, et in candelis accendendis vel exstinguendis, sicut superius habetur [f].

37. Post horam tertiam Sabbato procedunt qui baptizandi sunt ad ecclesiam, et ordinantur per ordinem, sicut scripta sunt, masculi in dexteram, feminæ in sinistram. Faciens crucem sacerdos in frontibus singulorum, postea imposita manu supra capita singulorum, dicit: *Nec te latet, Satanas*. Ipsa expleta, tangit singulis nares et aures de sputo, et dicit eis:

[a] Amalarius, sub finem cap. 12: *Restat adhuc unum in Romano Ordine, ubi præcipit ut a quinta feria usque in Sabbato sancto nuda sint altaria.*

[b] Hic psalmus etiam assignatur ab Amalario in Officialis lib. I, cap. 13, ante medium, et lib. IV, cap. 34.

[c] Hæc verba refert ex Romano libello Amalarius, sub medium prædicti cap. 13, lib. I.

[d] Idem Amalarius, in lib. I, cap. 14: *Post hæc monet libellus memoratus ut præparetur crux ante altare, quam salutant et osculantur omnes.*

[e] Idem ipse Amalarius, in prædicto cap. 15: *Qui juxta ordinem libelli per commistionem panis et vini consecrat vinum, non observat traditionem ecclesiæ, de qua dicit Innocentius isto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Verum an commistio hæc sit vera consecratio, in commentario nostro examinavimus.

[f] Amalarius sæpe laudatus, in cap. 17: *Romanus libellus narrat eodem die benedici ceram oleo mistam; indeque fieri agnos, eosque reservari usque in Octavas Paschæ;* quod hoc in libello non reperitur. Sic vero in vulgato Ordine Romano, ubi de Octavis Paschæ, et in libro qui Alcuino tribuitur

Epheta, quod est adaperire, *in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquabit enim judicium Dei*. Postea tangit de oleo sancto scapulas et pectus, et dicit: *Abrenuntias Satanæ? Resp. Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus? Resp. Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus? Resp. Abrenuntio. Ego te lino oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro propitiatus in vitam æternam. Pax tibi.*

38. Hac expleta, ambulet in circuitum, imposita manu super capita eorum, dicat tantum excelsa voce, *Credo in Deum*. Vertit se ad feminas, et facit similiter. Postea dicuntur eis ab archidiacono: *Orate, electi, flectite genua*. Et post paululum dicit: *Levate. Complete Orationem nostram in unum, et dicite Amen*. Et respondent omnes *Amen*. Iterum admonentur ab archidiacono his verbis: *Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foras*. Iterum dicit diaconus: *Filii charissimi, revertimini in locis vestris, exspectantes horam qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari.*

25 39. Hora nona ingrediuntur sacrarium pontifex, sacerdotes et cæteri, et induunt se vestimentis, cum quibus vigilias celebrare debent; et accenso cereo, procedunt simul omnes de sacrario cum ipso cereo in ecclesiam cum silentio, nihil cantantes; et ponitur in candelabro ante altare. Et unus diaconus rogat unum de sacerdotibus vel levitis, qui ibidem revestiti astant, pro se orare; et ut surrexerit, dicit ipse diaconus *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Et dicit Orationem, sicut in Sacramentorum continetur. Postea sedent pontifex et sacerdotes in sediculis suis; diaconi permanent stantes. Ipsa expleta, dicit *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Inde *Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum*. Inde *Gratias agamus Domino Deo nostro*. Resp. *Dignum et justum est*. Inde vero accedit in consecrationem cerei, decantando quasi canonem. Inde vero accenduntur in duobus [a] candelabris duo cerei, et de ipso igne accendunt in omni domo, quia omnis anterior exstingui debet.

40. Deinde lector exuit se planeta; ascendens in ambonem, [b] non pronuntiat *Lectio libri Genesis*, sed inchoat ita, *In principio fecit Deus cœlum et terram*; nam et reliquæ omnes sic inchoantur. In primis [c] Græca legitur, deinde statim ab alio Latina. Tunc primum surgens pontifex dicit, *Oremus* et diaconus *Flectamus genua*, deinde *Levate*; et datur Oratio a pontifice, et legitur lectio Græce, *Factum est in vigilia matutina*, et ab ipso cantatur canticum hoc Græce, *Cantemus Domino*. Post hæc ascendit alius, et legit supradictam lectionem Latine, et canticum cantat suprascriptum Latine. Deinde pontifex surgens dicit *Oremus*, et diaconus ut supra; et datur Oratio. Post hæc legitur lectio Græce. *Apprehendent septem mulieres*; et ab ipso cantatur canticum Græce, *Vinea*. Deinde ascendit alius legere suprascriptam Latine; **26** canticum Latine cantat suprascriptum. Et pontifex, *Oremus*. Diaconus ut supra; et iterum legitur lectio Græce, *Scripsit Moyses canticum*; et alius ascendens legit eam Latine. Deinde pontifex vel diaconus, ut supra. Post hoc cantatur Psalmus *Sicut cervus*, Græce; et alius ipsum Psalmum Latine.

41. Post hæc pontifex directus ad populum dicit *Dominus vobiscum*, et respondent, *Et cum spiritu tuo*; et dicit *Oremus*; et dat Orationem directus ad Orientem. Post finitam, dicit *Dominus vobiscum*; et statim veniens unus minister tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris, et tunc ascendit ipse præcedens pontificem ad fontes. Tunc deinde schola descendit ad fontes ad litaniam faciendam, exspectantes parati pontificem. Secundus vero scholæ tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde pontifex mittere debet chrisma in fontem, et jussi faciunt litaniam ternam. Deinde pontifex procedit cum omni decore, sustentatus a duobus diaconibus; et illa duo cereostata quæ ante fuerant illuminata semper ante ipsum procedunt, usque dum omnia finierint.

42. Litania finita, facto silentio dicit pontifex *Dominus vobiscum*. Respondent *Et cum spiritu tuo*. Dicit *Oremus*, et dat Orationem *Omnipotens sempiterne Deus*. Item alia *Deus qui invisibili potentia*. Hic primam crucem facit, *Qui hanc aquam*, cum manu sua dividens aquam in modum crucis. Secundam, *Unde benedico te*. Similiter tertiam, *Benedico te et per Jesum Christum*. Hæc omnia expleta, fundit chrisma de vasculo in fonte super ipsam aquam in modum crucis, et cum manu sua miscitat ipsam chrismam cum aqua, et spargit per omnem fontem, vel super omnem populum. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipit Benedictionem in vasis suis de ipsa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum, et vineis, et campis, et fructibus eorum.

43. Deinde presbyteri aut diaconi, etiam, si necesse fuerit, et acolythi, discalceati, induentes se aliis vestibus mundis vel candidis, ingrediuntur in fontes [d] intro aquam; et baptizantur primo masculi, deinde feminæ sub hac interrogatione: **27** [e] *Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ?* Resp.

[a] Aliter Amalarius, in lib. I, cap. 20. *Additur etiam in libello memorato alter cereus, ubi dicitur: Et tunc illuminantur duo cerei, tenentibus duobus notariis*, etc., quæ verba hinc absunt, sed adsunt in appendice quam mox subjiciemus.

[b] Hæc verba citat Amalarius in cap. 21: *Dicit libellus, de quo sæpe memoravimus, qui continet Romanum Ordinem; Non pronuntiatur lectio libri Genesis*, etc.

[c] Apposite ad hunc locum idem qui supra Amalarius, initio libri II: *Sex lectiones ab antiquis Romanis Græce et Latine legebantur (qui mos apud CP. hodieque servatur), ni fallor, propter duas causas: unam, quia aderant Græci, quibus incognita erat Latina lingua; alteram propter unanimitatem utriusque populi.* Confer Micrologum, sub finem cap. 28, et Bernonem abbatem Augiensem, cap. 7, ubi Amalarii verba sub nomine *Patrum* adducit.

[d] Idem ritus legitur in Codice Gellonensi, imo etiam in vulgato Ordine Romano.

[e] Hæc est redditio Symboli, quam Amalarius ait reddi Sabbato sancto secundum *Ordinem Romanum*; aliis in Cœna Domini, in lib. I, cap. 12, sub initium.

Creao. Credis et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum natum et passum? Resp. *Credo. Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?* Resp. *Credo.* Et acceptos infantes de parentibus baptizent eos sub trina mersione, tantum sanctam Trinitatem semel invocantes, ita dicendo: *Baptizo te, in nomine Patris*, et mergit semel; *et Filii*, et mergit iterum; *et Spiritus sancti*, et mergit tertio.

44. Levatis autem ipsis infantibus in manibus suis, offerat eos uni presbytero; ipse vero presbyter faciens de chrismate crucem cum pollice in vertice eorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, dicit: *Deus omnipotens, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui te generavit ex aqua et Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum; ipse te linet chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam. Amen.* Et sint parati qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, et accipiunt ipsos a presbyteris, vel [a] diaconibus qui eos baptizant. Pontifex vero egredietur a fonte, habens compositam sedem in ipsa ecclesia, ubi voluerit sedens in ea, et deportantur ipsi infantes ante eum, et dat singulis [b] stolam, casulam, et chrismale, et x siliquas; et vestiantur. Induti vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu, et dat Orationem super eos pontifex, cum chrismate faciens crucem in frontibus [c] eorum cum invocatione sanctæ Trinitatis, et tradit eis septiformem gratiam Spiritus sancti. Hoc autem per omnia præcaventes, ut hoc non negligant, quia tunc omne baptismum legitimum christianitatis nomine confirmatur.

45. Interim vero schola jussa facit litaniam ante altare, primam [d] sep enam; et spatio facto faciunt alteram quinam; **28** iterum spatio facto faciunt ternas; et dum dicitur *Agnus Dei*, magister scholæ dicit *Accendite*, et tunc illuminatur [e] ecclesia. Et procedit pontifex de sacrario cum duo cereostata, unde, sicut superius diximus, stant, sicut antea, a dextris et a sinistris altaris. Litania expleta, dicit pontifex *Gloria in excelsis Deo*, deinde legitur Epistola, *Alleluia, Confitemini Domino*, tractus *Laudate Dominum, omnes gentes.* Non cantant Offertoria, nec *Agnus Dei*, nec Communionem. Ante Evangelium, non portant lumen [f] in ipsa nocte, sed incensum.

46. Illud autem de parvulis providendum est, ut, postquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec lactentur, antequam communicent sacramenta corporis Christi; et omnibus diebus septimanæ Paschæ ad Missas procedant, et parentes eorum offerant pro ipsis, et communicent omnes. Hunc autem supradictum ordinem baptismi in hoc Sabbato paschæ, sicut et in Sabbato Pentecostes, omnimodis celebretur.

47. Item ipsa die diuturnale cursum separatim canunt in ipsa nocte post gallorum cantum; matutino irrumpente luce tenebras, surgentes in ecclesia veniunt, et mutua charitate se invicem osculantes dicunt, *Deus, in adjutorium meum;* sequitur Invitatorium cum *Alleluia.* Sequuntur tres Psalmi cum Antiphona *Beatus vir, Quare fremuerunt, Domine, quid multiplicati sunt?* Sequuntur vero tres lectiones cum Responsoriis. Prima lectio de Actibus apostolorum; sequitur secunda et tertia de homiliis sancti Augustini. Sequitur Matutinum cum *Alleluia.* Infra Albas Paschæ super *Venite, Surrexit Dominus vere, alleluia,* et tres Psalmos super nocturna. Imponuntur per singulas noctes usque in octavas Paschæ, id est, feria 2, *Cum invocarem, Verba mea, Domine, ne in furore tuo;* feria 3, *Domine Deus meus, in te speravi, Domine, Deus noster, In Domino confido;* feria 4, *Salvum me fac, Domine, Usquequo, Domine, Dixit insipiens,* feria 5, *Domine, quis habitabit, Conserva me, Domine, Exaudi, Domine, justitiam meam;* feria 6, *Cœli enarrant, Exaudiat te, Dominus, Domine, in virtute tua;* feria 7, *Domini est terra, Ad te, Domine, levavi, Judica me,* **29** *Domine, quoniam in innocentia.* Item a Pascha usque in octavas ad omnes cursus non cantatur Responsorium, nec lectio recitatur, sed pro Versu [g] et Responsorio cantatur Gradale, *Hæc dies*, tantum prima. Post octavas vero Paschæ super *Venite*, et super omnes Psalmos *Alleluia* cantant. In secunda feria ad *Venite*, et super tota hebdomada, *Surrexit Dominus vere, alleluia.*

VIII. *Quod sequitur habetur in eodem ms. Codice, sed dimidio folio a præcedentibus sejunctum.*

48. In diebus festis, id est, Paschæ, Pentecostes, sancti Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor solemnitates habent colligendas presbyteri cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu sua; et venit archidiaconus, et porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente pontifice ad altare, dextra lævaque circumdant altare, et simul cum illo canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus, non super altare, ut vox pontificis valentius audiatur; et simul [h] consecrant corpus et sanguinem Domini, sed tantum

[a] Libellus septimus meminit solius diaconi pro ministerio baptismi, num. 12.

[b] Ita etiam in libello septimo. In plerisque aliis fit mentio tantum de alba veste et chrismali. Idem ritus fusius in appendice sequenti.

[c] Amalarius, sub finem, cap. 27: *Dicit Romanus libellus, de quo sæpe commemoravimus: Oratione expleta facit crucem*, etc., quæ verba leguntur in subjecta appendice.

[d] Amalarius, in fine secundæ præfationis ad librum de ecclesiasticis Officiis, meminit hujusce ritus litaniarum post baptismum, *per septenarium, et quinarium, et ternarium numerum.* Vide commentarii prævii caput 15

[e] Idem, in cap. 30: *Quod illuminatio cereorum, secundum libellum Romani Ordinis exspectetur usque ad* Agnus Dei, *hoc demonstrat, quod per illum Agnum qui tollit peccata mundi unusquisque lumen accipere debet.*

[f] Amalarius, sub medium cap. 31: *Ut opinor, propter mulierum imitationem dicit Romanus libellus non portari hac nocte ante Evangelium aliud nisi thymiama*, etc.

[g] Multa de hoc Romano ritu observat Amalarius, in lib. IV, cap. 52.

[h] Huc pertinent Amalarii verba in lib. I, cap. 12, sub medium: *Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint presbyteri, et simul cum pontifice verbis et manibus conficiant.*

pontifex facit super altare crucem dextra lævaque. A Cum acolythi acceperint Hostias ab archidiacono de altare, vadunt ad presbyteros, accipientes calices [a] tres qui priores sunt. Diaconibus vero frangentibus in patenam, vertit se archidiaconus ad scholam, ut incipiant *Agnus Dei*, quod tandiu cantatur usque dum complent fractionem. Nam, si necesse fuerit, licet archidiacono quemlibet vocare ad confringendum in patenam. Ibi tamen ubi pontifex non fuerit, mox ut perfregerint diaconi excussis manibus in patenam, aspexerit, statim facit signum cum manu primus scholæ, et finiunt.

49. Quando dixerit *ab omni turbatione securi*, tunc qui in ordine fuerit diaconus junior vertit se, et recipit patenam de subdiacono, deosculans tenet eam in brachio suo; et dum dixerit *Per omnia sæcula sæculorum*, rumpit oblatam a latere dextro, **30** et partem quam ruperit, cum dicit *Pax Domini*, mittit in calicem, faciendo crucem ter.

50. Tunc sic agitur, quando ægritudo pontificis non fuerit. Stat pontifex ante altare. Diaconus ponit patenam super altare. Pontifex vero oblationes quas confringere solus debet ponit in patena, et confringet. Deinde stant diacones in parte dextra, et in parte sinistra archipresbyteri, et secundus vel quartus, vel quem voluerit pontifex; et dat unicuique eorum singulas oblationes, et confringunt cum ipso super altare in corporale; cæteras oblationes, quas superfluas habuerit, ponit episcopus, seu archidiaconus, vel qui fuerit de diaconibus, in sacculis, quos tenent acolythi; et sic ipsi deferunt ad cæteros presbyteros, qui subterius stant ad confringendum. Si autem ægritudo fuerit pontificis, ordinem quo agere debeat superius scriptum habemus.

51. Igitur diaconus quando dixerit *Per omnia sæcula sæculorum*, post *Gloria in excelsis Deo*, levant planetas in scapulas, et stant juxta pontificem; similiter levant et subdiaconi, sed cum sinu. Subdiaconus vero de schola, statim ubi imposuerit Antiphonam ad Introitum, levat planetam cum sinu. B Ad completionem *Alleluia* vel Responsoria, parat se diaconus ad Evangelium legendum. Si autem diaconus ibidem non fuerit, presbyter, sicut diaconus, stat juxta pontificem, sed non levata planeta. At ubi Evangelium relegerit, ibi se non parat ubi et diaconus, sed statim venit ante altare vestitus planeta, ornat altare, sicut diaconus.

APPENDIX.

I. *De officiis in noctibus a Cœna Domini usque in Pascha.*

1. Igitur a Dominica quam sedes apostolica Medianam voluit nuncupari, usum observantiæ credimus intimandum; unde et ea quæ ipso die dicuntur numerum dierum ostendunt, ut est illud, *Quarta decima die ad vesperum :* et paulo post, *et in quinta decima solemnitatem celebrabitis*. A quo die usque ad vigiliam Dominicæ Resurrectionis in nullo Responsorio decantetur *Gloria*. A Cœna vero Domini, nec in Psalmis, nec in nullo loco decantatur *Gloria* usque in Pascha. Eadem vero nocte surgent ad vigilias hora noctis octava, et tunc **31** ecclesia sit omni lumine decorata. Nec more solito *Deus in adjutorium meum* dicent, nec Invitatorium, nec *Gloriam*; sed cantor incipit in Psalmis Antiphonam, sicut Antiphonario continetur. Sed et in fine nocturnæ lector Benedictionem non petit, nec presbyter more solito Benedictionem complet; et quando finit lector, non dicit *Tu autem, Domine*, sed ex verbis lectionis jubetur facere finem.

2. Lumen autem ecclesiæ ab initio cantus nocturnæ inchoatur exstingui, hoc tamen ordine, ut ab introitu ipsius ecclesiæ incipiat paulatim tutari [*Id est exstingui*], ut, verbi gratia, peracto primo nocturno, videatur eorum pars tertia esse exstincta; medio nocturno iterum tertia; tertio vero expleto, exceptis septem lampadibus, nihil lumen relinquunt. Quæ in Matutinis exstinguuntur hoc ordine. Initio primi C Psalmi sit custos semper paratus in loco dextræ partis ecclesiæ prope lampadibus, ut ubi audierit Antiphonam, tenens cannam in manu sua, tutet lampadam unam, in fine vero Psalmi ipsius tutet aliam partis sinistræ. In secundo Psalmo, cum Antiphonas audierit, tutet dextra parte aliam. Sic una ex parte una, alia ex alia tutantur usque ad [b] Evangelium, in evangelio vero tutatur mediana lampada. Ea die vero Cœna Domini, hora nona, faciunt excuti ignem de lapide, in loco foris basilicæ; si ibidem oratorium habuerit, in portam ibi excutiunt; sin vero in loco quo consideraverit prior, ita ut ex eo possit candela accendi. Quæ candela in arundine debet poni, et a mansionario ecclesiæ portari præsente populo; et de ipso igne continuo in eadem ecclesia loco secreto accendatur lampada una, et servetur usque in sabbato sancto ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus est ordine quo in Sacramentorum D continetur. Et hic ordo cerei benedicendi in suburbanis civitatibus agitur.

3. Nam in catholica Ecclesia infra civitatem Romanam, mane prima, Sabbato sancto, in Lateranis venit archidiaconus in ecclesia, et fundit ceram in vas mundum majorem, et miscitat ibidem oleo, et benedicit ceram, et ex ea fundit in similitudinem agnorum, et servat eos in loco mundo. In octavas vero Paschæ dantur ipsi agni ab archidiacono in ecclesia post Missas et communionem populo, et ex eis faciunt **32** in domos suas incensum ad suffumicum *Missarum solemnia celebrantur*.

[a] Id est, calices ministeriales, qui alio nomine scyphi appellantur. Alias Gregorius II, in epistola 9 ad Bonifacium episcopum Moguntium, non scriberet congruum non esse *duos vel tres calices in altario ponere*,

[b] Id est, usque ad canticum *Benedictus*, ex Evangelio Lucæ desumptum. Eum ad modum canticum *Magnificat* designatur infra.

gradum pro qualicunque eis eveniente necessitate. Similiter in suburbanis civitatibus de cera faciunt.

4. Hoc expleto, accipit mansionarius prior jam fatam candelam in manu sua illuminatam in canna, prosequente eum populo cum supplici silentio, ita ut summitas candelæ quæ illuminatur ad altare versa inclinata respiciat illam ecclesiam quam sunt ingressuri, quæ tamen prius absque lumine erit, præparatis ante altare septem lampadibus, ita compositis, ut absque ullo impedimento cujuscunque retardationis manu mansionarii cum eadem candela possint accendi, ac deinceps præparatis custodibus omni lumine decoretur ecclesia. Et ita ingrediuntur ad Missas, sicut in Sacramentorum continetur vel Antiphonario. Missa expleta, communicant ordine constituto, et servant de Sancta usque in crastinum juxta consuetudinem. Sed et ipsa ecclesia usque ad vigilias illuminata permaneat, et sicut in isto die taxavimus, sic et sexta feria faciendum est; similiter et sabbato, ea tantum ratione, ut ad horam nonam excutiant ignem de lapide, sicut diximus, et a mansionario quinta feria portetur, sexta feria ab archidiacono; in Sabbato sancto ab episcopo juniore portetur. Si vero hic ordo in monasteriis agitur, quinta feria ipse ignis a custode ecclesiæ portetur; sexta feria a præposito; Sabbato vero sancto ab abbate portetur.

II. *Feria 4, quod est pridie Cœnæ Domini.*

5. Hora tertia conveniunt omnes presbyteri, tam civitatis, quam et de suburbanis, et omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra urbem exspectantes pontificem, qui semper in ecclesia majore per se Orationes solemnes ipso die, sicut in Sacramentorum continetur, complet. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum super oratorium, mox ut surrexerit, dicit *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua*, postea dicit *Levate*. Et pontifex [*Al.*, presbyter] dicit *Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei*, et cæteras per ordinem; tantummodo pro se intermittit; ad ultimum pro Judæis non flectunt genua. Quibus expletis, osculatur altare, et egreditur. Presbyteri vero ecclesiarum sive de urbe, seu de suburbanis, vadunt per ecclesias suas, ut hoc ordine cuncta faciant feria sexta, hora tertia, hoc scientes, **33** ut ubi pontifex de se intermisit, ipsi illum nominent. Postea vero hora octava [*Al.*, nona] ingrediuntur ad Missam hoc ordine. Dicit schola Antiphonam ad Introitum, et pontifex dat Orationem. Legitur lectio una, sicut in Capitulare commemoratur. Sequitur Gradale *Ne avertas faciem tuam*. Sequitur altera lectio, post quam canticum *Domine, exaudi*, cum Versibus suis. Evangelium pronuntiabitur ita: *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Lucam*. Qua perlecta, expletur Missa ordine suo.

III. *Feria 5 Cœnæ Domini.*

6. Hora tertia ingressi sacrarium induuntur dalmaticis, tam pontifex, quam omnes diaconi, vel omni ornamento, sedente pontifice in sella sua; et præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum una defertur pontifici, ut accepto balsamo et commixtato cum oleo manu sua impleat eam. Illam vero aliam ministri retineant plenam. Et pontifex lotis manibus procedit cum septem cereostata ad Missas. Dicta Antiphona ad Introitum, dicit Orationem. Legitur Apostoli lectio: *Fratres, convenientibus vobis in unum*, usque *Ut non cum hoc mundo damnemur*. Sequitur Grad. *Christus factus est pro nobis*. Legitur Evangelium secundum Joannem cap. XIII [*Al.*, XVII]. *In illo tempore, sciens Jesus quia venit hora ejus*, usque *quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*. Et deinceps peragitur Missa ordine suo. Qua expleta, communicat solus pontifex ante altare, et diaconus confirmat eum cum calice illa tantummodo die. Postquam communicaverit, ponet calicem super altare. Deinde accepta a subdiacono patena, ponit juxta calicem de latere sinistro, et statim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de sindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione pontificis.

7. Post corporalem expansam, continuo duo acolythi involutas ampullas cum sindone alba serico, ita ut videri possint, a medio tenent in brachio projectis sindonibus super scapulam sinistram, ita ut pertingant scapulam dextram, quatenus possint dependentia retineri; a quibus sub humero stantibus venit subdiaconus, et accipit ampullam commistam unam cum sindone, et dat eam archidiacono, et ille defert pontifici ante altare. Tunc pontifex respiciens ad Orientem, **34** et diaconus [*Al.*, archidiaconus] tenet ante ipsum ampullam in sinistro brachio revolutam sindone, ut supra præfiximus. Et dicit pontifex *Sursum corda*. Respondetur *Habemus ad Dominum*. Et intrat in consecratione chrismatis excelsa voce. Sed antequam benedicatur, halat ter in ampullam. Qua expleta, benedicit ampullam olei [a] tacite, ordine quo supra delatam, et similiter halat in ipsa ter. Ampulla autem quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut a nemine nuda videatur; sed tenente eam acolytho, omnes eam per ordinem salutant. Nam episcopus et diaconi prius eam nudam salutant. Hoc expleto, ablutis manibus pontifex venit ante altare, et communicat omnis populus ordine suo. A feria quinta vespere nuda sint altaria usque mane Sabbati, et ipsa die ad Vesperas non cantatur Responsorium.

8. Feria sexta, [b] hora tertia, procedit pontifex, vel qui vicem illius tenuerit, in ecclesia statuta infra Urbem, non tamen in majore ecclesia. Qui dum veniens de sacrario processerit ante altare ad orandum

[a] Deest *tacite* in Ordine superiori, num. 30. In Colbertino: *Benedicit chrismatis ampullam olei, ordine quo supra delatam; et similiter halat in ipsa, sed tacite ipsam benedicat ampullam, quæ cum chrismate est. Statim ut benedicta fuerit*, etc.

[b] Colbert.: *Feria 6, hora tertia, conveniant omnes*

[*Al.*, adorandum] super oratorium, sicut mos est, statim ut surrexerit, cum silentio ascendit ad sedem. Quo sedente, statim subdiaconus ascendit ad legendum; et post lectionem cantatur canticum *Domine, audivi*, cum versibus suis. Et dicit pontifex *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, *Levate*. Et dat Orationem *Deus a quo et Judas*. Deinde sequitur alia lectio, post quam sequitur Tractus [a] *Qui habitat*. Quo finito, legitur Passio Domini secundum Joannem. Qua perlecta usque *Super vestem meam miserunt sortem*, statim duo diaconi nudant altare sindone, quæ prius fuerat sub Evangelio posita, in modum furantis. Finito Evangelio, tunc venit pontifex ante altare, et dicit *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua*, et orat diutissime, et dicit *Levate*. *Oremus, dilectissimi nobis, in primis pro Ecclesia Dei*, et cætera per ordinem, sicut supra in quarta feria diximus. Quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras. [b] Presbyteri vero ecclesiarum, sive de Urbe, **35** seu de suburbanis, vadunt per ecclesias, et hoc ordine cuncta ad vesperum faciant, hoc tantum mutantes, ut ubi pontifex meminit apostolicum, ipsi nominent suum. Ad vesperum vero tam in ecclesia, in qua pontifex dicit Orationes, quam in cæteris ecclesiis presbyterorum, post Orationes præparatur crux ante altare, interposito spatio inter ipsam et altare, sustentata hinc inde a duobus acolythis. Posito ante eam oratorio [*Al.*, Posita ea ante oratorium] venit pontifex, et adoratam deosculatur crucem; deinde episcopi, presbyteri, diaconi, et cæteri per ordinem, deinde populus. Pontifex vero sedet in sede usquedum omnes salutent. Presbyteri vero duo priores mox ut salutaverint, intrant in sacrarium, vel ubi positum fuerat corpus Domini, quod pridie remansit, ponentes eum in patenam, et subdiaconus teneat ante ipsos calicem cum vino non consecrato, et alter subdiaconus patenam cum corpore Domini. Quibus tenentibus, accipit unus presbyter prior patenam, et alter calicem, et deferunt super altare nudatum. Pontifex vero sedet dum persalutat populus crucem. Nam, salutante pontifice vel populo crucem, canitur semper Antiphona: *Ecce lignum crucis, in quo salus mundi pependit, venite adoremus*. Dicitur ad repetendum psalmus CXVIII. Qua salutata et reposita in loco suo, descendit pontifex ante altare, et dicit: *Oremus. Præceptis salutaribus. Pater noster.* Sequitur, *Libera nos, quæsumus, Domine*. Cum dixerint *Amen*, sumet de Sancta, et ponet in calice, nihil dicens, et communicant omnes cum silentio, et expleta sunt universa.

9. Sabbato sancto veniunt omnes in ecclesiam, et tunc illuminantur duo cerei, tenentibus [c] duobus notariis, unus in dextro cornu altaris, et alter in sinistro. Et ascendit lector in ambone. Non pronuntiat *Lectio libri Genesis*, sed inchoat *In principio*, plane. Similiter et alias lectiones. Ante *In principio* non dicit Orationem. Post expletas Orationes et lectiones, statim veniens unus minister, tenens ampullas in manibus suis, stans in dextro cornu altaris; et tunc ascendit ipse præcedens pontificem ad fontes. Tunc deinde schola descendit ad fontes ad litaniam faciendam, exspectantes parationem pontificis; et non finiunt litaniam, dicentes *Agnus Dei* semper, usquedum pontifex venerit, et annuat eis ut sileant. **36** Secundus vero scholæ tenet vas aureum in manu sua sinistra super planetam, unde pontifex mittat chrisma in fonte. Deinde pontifex procedit cum omni decore, sustentatus duobus diaconibus; et illa duo cereostata quæ ante fuerunt illuminata semper ante ipsum præcedunt, usquedum omnia finierit [*Al.*, fuerint completa]. Mox ut venerit ante fontes, stans benedicit fontes, ut mos est. Hic primum crucem facit, *Qui hanc aquam*, cum manu sua dividens aquam in modum crucis; secundam: *Unde benedico te*; similiter tertiam: *Benedico te per Jesum Christum*. Post fontes benedictos, mittit chrisma cum vase aureo, et aspergit [*Al.*, expandit] aquam cum manu super populum. Tunc baptizat, et redit in sacrarium, exspectans, ut cum vestiti fuerint infantes, confirmet eos.

10. Deinde schola jussa facit litaniam ante altare: primam septenam; spatio facto faciunt alteram quinam; intervallo facto faciunt tertiam ternam. Et dum dicitur *Agnus Dei*, magister scholæ dicit excelsa voce *Accendite*, et tunc illuminatur ecclesia. Et procedit pontifex de sacrario cum duobus cereostatis, unde superius diximus, et stant sicut antea a dextris et sinistris altaris. Litania expleta, dicit pontifex *Gloria in excelsis Deo;* deinde legitur Apostolus, *Alleluia*, *Confitemini Domino*. Tract. *Laudate Dominum, omnes gentes*. Non [d] cantent Offerenda, nec *Agnus Dei*, nec Communionem. Ante Evangelium non portant lumina in ipsa nocte, sed tantum incensum. Episcopus debet dicere quando mittit chrisma in frontibus infantum: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tecum*. Respondetur *Et cum spiritu tuo*.

11. A Pascha usque in Octavas Domini ad omnes cursus non cantatur Responsorium, nec lectio recitatur; sed pro Versu et Responsorio cantatur Gradale *Hæc dies quam fecit Dominus*, tantum [e] semel. In Dominicum Paschæ super *Venite* dicitur *All.*

presbyteri, tam civitatis quam de suburbanis, et omnis clerus cum populo in ecclesia statuta infra Urbem, non tamen in majore ecclesia, et exspectent pontificem vel qui vicem illius tenuerit. Qui dum veniens de sacrario, etc.

[a] In Colbert.: *Eripe me, Domine;* in superiori vero Ordine: *Qui habitat*, vel *Eripe me*.

[b] Hæc desunt in Codice Romano usque ad hæc verba, *Ad vesperum vero*, etc.

[c] Hæc totidem verbis ex libello Romano refert Amalarius, lib. I, cap. 20, ut superius præmisimus.

[d] Apposite ad hunc locum Walafridus Strabo, in cap. 22, existimat *priscis temporibus Patres sanctos silentio obtulisse vel communicasse, quod etiam hactenus*, inquit, *in Sabbato sancto Paschæ observamus*.

[e] In quibusdam Mss. legitur *prima*, quod scriptores male reddiderint (ut quidem puto) hanc notam I, quæ *unum*, *primum* et *semel* pro rei natæ occasione significat.

ante *Præoccupemus faciem ejus*, et per omnes Psalmos cantatur *Alleluia*. In secunda feria ad *Venite* et per totam hebdomadam dicunt Antiphonam *Surrexit Dominus vere, All.*

12. Ad vesperas diei Paschæ sancti, conveniente [a] schola **37** temporius cum episcopis et diaconibus in ecclesia majore ad locum [b] crucifixi, incipiunt *Kyrie eleison*, et veniunt usque ad altare. Ascendentibus diaconibus in [c] pogium, episcopi et presbyteri statuuntur in locis [d] suis, et schola ante altare. Finito [e] *Kyrie eleison*, annuit archidiaconus primo scholæ; et ille inclinans se illi, incipit *Alleluia* cum Psalmo *Dixit Dominus Domino meo*. Post hunc annuit secundo, vel cui voluerit : sed et omnibus incipientibus hoc modo præcipit. Dicit igitur *Alleluia* cum Psalmo CX. Sequitur post hunc primus scholæ cum paraphonistis infantibus *Alleluia;* et respondent paraphonistæ. Sequitur subdiaconus cum infantibus *Alleluia, Dominus regnavit*, et reliqua; et semper respondent paraphonistæ, et annuntiant Vers. 2 infantibus, *Parata sedes tua Deus*. Item Vers. 3, *Elevaverunt flumina, Domine*. Post hos Versos salutat primus scholæ archidiaconum, et illo annuente incipit *Alleluia* cum melodiis infantium. Qua expleta, respondent paraphonistæ semel. Post hanc incipit tertius *Alleluia* cum Psalmo CXI. Hunc sequitur *Alleluia. Pascha nostrum immolatus est Christus*. Vers. *Epulemur in azymis*. Hoc expleto ordine quo supra, incipit archidiaconus in [f] Evangelio Antiphonam *Scio quod Jesum quæritis*, vel *Jesum quem quæritis*. Post hæc dicit sacerdos Orationem, et descendunt ad fontes cum Antiphona *In die resurrectionis meæ*. Quam ut finierint, dicit primus scholæ *Alleluia*, cum Psalmo CXII. Sequitur *Alleluia*, Ὁ κύριος ἐβασίλευσεν. Item Versum καὶ γὰρ ἐστερέωσε τὴν οἰκουμένην, ἥ τις οὐ σαλευθήσεται. Finito ordine quo supra, post hanc sequitur diaconus secundus in Evangelio Ant. *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus All., all.* Deinde dicit sacerdos Orationem, et tunc vadunt ad sanctum Joannem [g] ad Vestem, canentes **38** Ant. *Lapidem quem reprobaverunt*, deinde *All.* cum Psalmo CXIII. Deinde primus scholæ dicit cum pueris *All. Venite exsultemus Domino*. Vers. 2, *Præoccupemus faciem ejus*. Vers. 3, *Hodie si vocem ejus*. Post hoc sequitur diaconus Ant. *Cito euntes dicite discipulis ejus*. Deinde Oratio semper absque *Kyrie eleison*, et tunc vadunt ad sanctum [h] Andream ad crucem, canentes Ant. *Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro All., et omnes ad quos pervenit aqua ista salvi facti sunt, et dicent All., all.* Post hanc dicant *All.* cum Psalmo CXIV. Quo finito, schola incipit *All. Venite exsultemus Domino*, et reliqua ut supra. Post dicitur Ant. *Cito euntes*, deinde Oratio. Deinde descendunt primates ecclesiæ ad accubita, invitante notario vicedomino, et bibunt ter, de Græco [i] semel, de Pactis semel, de Procoma semel. Postquam biberint omnes presbyteri, et omnes diaconi, seu subdiaconi, vel omnes acolythi per singulos titulos, redeunt ad faciendos Vesperas, et bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam hebdomadam servabitur usque in Dominicam in Albis.

13. Feria secunda ad Vesperas iterum ad Lateranis ordine quo supra ingrediuntur, his, *All.* mutantes post Psalmum CXI. *All. Domine refugium factus es nobis a generatione et progenie*. Vers. 2 *Priusquam montes fierent aut firmaretur orbis terræ, a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus*. In Evangelio dicit diaconus Ant. *Nonne sic oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam All.* Data Oratione descendunt ad fontes cum Ant. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est, et est mirabile in oculis nostris All., all.* Deinde, post Psalmum CXII, sequitur *All.* Ὁ ποιμαίνων τὸν Ἰσραὴλ πρόσχες, ὁ ὁδηγῶν ὡσεὶ πρόβατον τὸν Ἰωσήφ. Ὁ καθήμενος ἐπὶ τὸν χερουβὶμ ἐμφάνηθι, ἐναντίον Ἐφραὶμ καὶ Βενιαμὶν, καὶ Μανασσῆ (*Psal.* LXXIX, 1, 2) Ἄμπελον ἐξ Αἰγύπτου μετῆρας. Ἐξέβαλες ἔθνη καὶ **39** κατεφύτευσας αὐτήν· Ὡδοποίησας ἔμπροσθεν αὐτῆς, καὶ ἐπλήρωσε τὴν γῆν. (*Ibid.* 9, 10). Post hunc in Evangelio Ant. *Cognoverunt Dominum All., in fractione panis, All.* Et data Oratione cum Antiphona; qualem volueris pro loco, descendunt ad sanctum Andream, dictoque psalmo CXIII, sequitur *Alleluia, In exitu Israel ex Ægypto, domus Jacob de populo barbaro.*

[a] Confer vulgatum Ordinem Romanum, a pag. 80, ubi multa quæ hic referuntur, omnino vero Græca.

[b] Id est ad locum ubi crucifixi statua trabi in basilica transversæ imposita erat, qui ritus hodie quoque apud nos servatur, vix apud Romanos.

[c] Pogii nomine hic intellige locum cancellorum, quibus sanctuarium a choro dirimitur, sic dictum quod per gradus sensim assurgeret.

[d] Id est pone altare in circuitu apsidæ, ubi presbyterium erat, exstatque Romæ etiam nunc in antiquioribus basilicis.

[e] Idem legitur in vulgato Ordine Romano, pag. 80, col. 1. Quanquam hoc videtur contrarium Amalario, cujus hæc verba sunt in lib. IV, cap. 23 : *Habemus scriptum in Romano Ordine ut non dicatur* Kyrie eleison *sive* Christe eleison *ad ullum cursum in memoratis diebus, sed sine retractatione cantemus* Hæc dies, *etc.* Confer num. 12, infra. Numeri Romani post Versus exstant tantum in Colbertino.

[f] Hoc loco et in consequentibus *Evangelium* pro cantico *Magnificat* usurpatur.

[g] Deest in quibusdam *ad Vestem*. Apud vulgatum Alcuinum, *ad sanctum Joannem ad Fontes seu ad Vestem*. Exstat nunc quoque oratorium sancti Joannis Baptistæ ad Fontes Lateranenses, a beato Hilaro papa constructum; quod, quia fortasse baptizandi vestes ibi deponebant, easdemque jam baptizati ibidem resumebant, dictum est *sancti Joannis ad Vestem*.

[h] Templum sancti Andreæ proximum erat basilicæ Vaticanæ, a Symmacho papa constructum.

[i] In Vulgatis legitur *de Græco primo, de Pactisi secundo, de Procovia tertio*. In Codice Vaticano, *de Græco* 1, *de Pactisi*, et uno *de Procoma* : at in Colbertino distincte, *de Græco* 1, id est, semel, *de Pactis* 1, *de Procoma* 1. Denique in Vindocinensi, *de Græco primo, de Pactisi secundo, de Procovio tertio*. Pacti et Procoma seu Procovium loca erant, ubi hoc genus vini nascebatur. In editis et in Codice Colbertino desunt hæc verba, *bibunt de dato presbyteri*, quæ habentur in Vaticano.

Vers. 2, *Facta est*. Vers. 3, *Mare vidit*. In Evangelio Ant. *Surrexit Dominus vere, All., et apparuit Petro, All.* Sequitur Oratio.

13. Feria 3, ad vesperum iterum ad Lateranis. Post Psalmum CXI, *Alleluia, Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo et psalmum dicam Domino*. Vers. 2, *Exsurge, gloria mea*. Vers. 2, *Ut liberentur dilecti tui*. In Evangelio Ant. *Stetit Jesus in medio discipulorum suorum*. Et data Oratione descendunt ad fontes cum Ant. Post psalmum CXII, sequitur *Alleluia*. Προσέχετε λάος μου τῷ νόμῳ μου· κλίνατε τὸ οὖς ὑμῶν εἰς τὰ ῥήματα τοῦ στόματός μου (*Psal.* LXXVII, 1) Vers. Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς. In Evangelio Ant. *Vide manus meas*, data Oratione. Item ad sanctum Andream, post Psalm. CXIII, dicit *Alleluia, Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, in conspectu angelorum*. Vers. 2, *Adorabo ad templum sanctum tuum*. Vers. 3, *Super misericordia tua*. In Evangelio Ant. *Isti sunt sermones, quos dicebam vobis*.

15. Feria 4, post Psalmum CXI, *All., all., Te decet hymnus, Deus, in Sion*. Vers. *Replebimur in bonis domus tuæ*. In Evang. Ant. *Mittite in dexteram navigii rete*. Data Oratione itur ad fontes. Post Psalm. CXIII, *Alleluia, Confitemini Domino, et invocate nomen ejus*. Vers. 2, *Cantate ei, et psallite ei*. Item Vers. 3, *Laudamini in nomine sancto ejus*. In Evangelio Ant. *Dixit ille discipulus quem diligebat Jesus, Petro, Dominus est, all.*, data oratione. Item ad sanctum Andream, Post Psalmum CXIII, inchoantes *Hæc dies*, respondent omnes : *Quam fecit Dominus*, sine Antiphona. In Evangelio Ant. *Hoc jam tertio manifestavit*. Per titulos tantummodo Psalm. cum *Alleluia* dicunt, vel Grad. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Ant. *Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum. Ascendo ad patrem meum*. Item, *venit Maria nuntians discipulis*.

16. Feria 5, Post Psalmum CXI [*Al.*, CXII] *All.*, *Lætatus sum*. Vers. 2. *Stantes erant*, Item Vers. *Rogate quæ ad pacem sunt*. In Evangelio Ant. *Undecim discipuli*. Data Oratione, descendunt cum Ant. ad crucem, **40** ad cubicellum [a] Rigodem. Post Psalm. CXIII, grad. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Ant. *Data est mihi omnis*. Inde post Orationem ad fontes. Post Psalmum CXIII, *Alleluia, Qui confidunt in Domino*. Vers. *Montes in circuitu ejus*. Item Vers. 3, *Ut non extendant justi*. In Evangelio Ant. *Euntes docete omnes gentes*. Item Ant, *Dixit Jesus discipulis suis, afferte*. Item Ant. *Ecce ego vobiscum sum alleluia, omnibus diebus, alleluia*.

17. Feria 6, [b] post psalmum CXV [*Al.*, CXI], *All.*, *Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia*. Vers. *Notum fecit Dominus*. In Evangelio Ant. *Gavisi sunt discipuli, all.* Data Oratione, descendunt ad fontes. Post Psalm. CXI [*al.*, CXV,] *All.* Οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ. Ποίησιν δὲ χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. [*Psal.* XVIII, 1 *et* 2] Vers. Ἡμέρα τῇ ἡμέρᾳ ἐρεύγεται ῥῆμα, καὶ νὺξ νυκτὶ ἀναγγέλλει γνῶσιν. In Evang. Ant. *Accipite Spiritum sanctum*.

18. Sabbato, post Psalmum. CXI [*Al.*, CX], *Alleluia*. Δεῦτε ἀγαλλιασώμεθα τῷ κυρίῳ ἀλαλάξωμεν τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρι ἡμῶν. (*Psal.* XCIV, 1). Vers. Προφθάσωμεν τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐν ἐξομολογήσει, καὶ ἐν ψαλμοῖς ἀλαλάξωμεν αὐτῷ. Vers. Ὅτι Θεὸς μέγας κύριος, καὶ βασιλεὺς μέγας ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Et in eadem ecclesia sequitur Ant. *Quia vidisti me, Thoma, credidisti ; beati qui non viderunt et crediderunt*. Psalm. *Beatus vir qui timet Dominum*. Post hunc *Alleluia, Omnes gentes, plaudite manibus*. Vers. 2, *Quoniam Dominus summus terribilis*. Vers. 3, *Ascendit Deus in jubilatione*. In Evangelio Ant. *Mitte manum tuam, et cognosce*: Item Ant. *Misi digitum meum*. Item Ant. *Hæc autem scripta sunt* ; et data Oratione finitur in nomine Domini

Explicit feliciter Deo juvante. Amen.

[a] Ita in utroque Codice, Vaticano et Colbertino.

[b] Alium Ordinem Romanum præ oculis habebat Amalarius, cum scriberet in libro Antiphonarii, cap. 32, *In sexta feria interponitur Responsorius* Hæc dies... *inter duo* Alleluia..... *de quibus scribitur in Ordine Romano : Usque ad diem octavum Paschæ, juxta Romanam consuetudinem, memoratum cursum celebramus*, etc.

41 ADMONITIO IN SECUNDUM ORDINEM ROMANUM.

1. Qui hic sequitur Ordo Romanus, primo loco editus est a Cassandro et Hittorpio. Onufrius Panvinius existimat eum esse Ordinem Gelasianum, qui a Gregorio Magno fuerit emendatus. Attamen Ordo præmissus plura continere videtur antiquioris ritus, quale est illud, quod *Sancta*, id est Eucharistia, initio Missæ pontificalis, nempe in Processione ad altare, ex secretario seu sacristia deferantur; quod eadem in calicem mittantur, præter particulam ex Hostia recens consecrata. At in sequenti Ordine pontifex ad altare perveniens *adorat Sancta*, quæ proinde in altari jam extitisse necesse est, non in secretario, ut in alio Ordine Romano; nec mentio fit nisi de una particula in calicem missa.

2. Verum nihilominus hic Ordo antiquissimus est, utpote quem per partes explicavit Amalarius, Egloga in ipsum Ordinem edita, quam vir clarissimus Stephanus Baluzius ex veterrimo Codice sancti Galli vulgavit in appendice capitularium. Eamdem visum est hic exhibere inter Probationes librorum Ritualium. Hunc ipsum Ordinem Romanum præ oculis habebat Micrologus, in cap. 9, ubi tria observat ex Ordine Romano, quæ in hoc solo leguntur : nempe signum crucis in fronte et in pectore ad Evangelii lectionem ; baculorum item depositio; et statio diaconi legentis versus Meridiem, non versus Septentrionem. In Æditis inscribitur : *Ordo Processionis ad ecclesiam sive ad Missam*. Aptior videtur titulus sequens.

ORDO ROMANUS II.

DE MISSA PONTIFICALI.

42 1. Denuntiata statione diebus festis, primo mane præcedit omnis clerus pontificem ad ecclesiam, exceptis qui obsequio illius comitantur, qui ordine suo scribuntur, exspectantes pontificem in ecclesia. Sed dum venerit pontifex prope ecclesiam, exeuntes acolythi et defensores ex regione illa, cujus dies ad officium fuerit in obsequio, præstolantur eum loco statuto, antequam veniat ubi descensurus est. Similiter et presbyter tituli vel ecclesiæ ubi statio fuerit, una cum majoribus domus illius civitatis, vel Patre diaconiæ (si tamen illa ecclesia diaconiæ fuerit), cum subdito sibi presbytero et mansionario, thymiamateria deferentibus in obsequium illius, inclinato capite dum venerit. Acolythi quidem cum defensoribus primum, deinde presbyteri cum suis petita Benedictione, divisis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt pontificem usque ad ecclesiam.

2. Cum vero ecclesiam introierit pontifex, non ascendit continuo ad altare, sed prius intrat in secretarium, sustentatus a diaconibus, qui eum susceperint de sellari descendentem; ubi cum intraverit, sedet in sella sua. Et diaconi, salutato pontifice, egrediuntur e secretario, et ante fores ejusdem mutant vestimenta sua. Et parat Evangelium qui lecturus est, reserato sigillo ex præcepto archidiaconi super planetam acolythi. Pontifex autem per manus subdiaconorum regionariorum mutans vestimenta solemnia, ordinabiliter compositis per primicerium et secundicerium vestimentis ejus, ut bene sedeant, novissime per diaconum vel subdiaconum, cui ipse jusserit, pallio superinduitur, et configitur per acus in planeta retro et ante, et in humero sinistro. Deinde subdiaconus regionarius porrigit ei mappulam, inclinans se ad genua ipsius.

3. His ita compositis, invitante ad regiam secretarii præfato subdiacono **43** scholam, quartus scholæ, qui semper nuntiat pontifici de cantoribus, astans ante faciem pontificis, et nutum ejus ad psallendum exspectans, statim dum innuit ei, egreditur ante fores secretarii, et dicit *Accendite.* Qui dum incenderint, statim subdiaconus sequens, tenens thymiamaterium aureum pro foribus, ponit incensum, ut pergat ante pontificem. Et ille quartus scholæ ad priorem vel secundum sive tertium, inclinato capite, dicit *Domini jubete.* Tunc statuuntur duæ acies in choro per ordinem ab utroque latere, et mox incipit prior scholæ Antiphonam ad Introitum. Subdiaconi vero de schola levant planetas cum sinu: quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad pontificem in secretarium.

4. Tunc pontifex elevans se, dat manum dexteram duobus presbyteris; et illi, osculatis manibus ipsius, procedunt cum ipso sustentantes eum, præcedentibus ante eos diaconibus septem. Tunc ministri cum thymiamaterio et thuribulis non amplius ternis, procedunt ante ipsum mittentes incensum, et septem acolythi portantes septem cereostata [a] foras ecclesiam accensa, procedunt ante pontificem usque in chorum. Post thuribula portatur Evangelium propius episcopo. Eadem autem Processio fit ab Austro in Septentrionem. Tunc procedit pontifex, et antequam veniat ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor ad dexteram, tria ad sinistram. Et pertransit pontifex in caput scholæ, et in gradu superiore, inclinato capite ad altare, primo adorat [b] Sancta, et stat semper inclinatus usque ad versum [c] prophetalem.

5. Tunc surgens, et faciens crucem in fronte sua, dat pacem presbyteris duobus, et diaconibus omnibus, qui dextera lævaque sunt, de altiore gradu numero minori; et de inferiore, majori; et respiciens ad priorem scholæ, annuit ei, ut dicat *Gloria Patri.* Et prior scholæ inclinans se pontifici, dat gloriam Trinitati. Et pontifex a sæpedictis presbyteris in superiorem ducendus est gradum, non omnino ad altare. In quo etiam loco figendus est gressus, usquequo presbyteri primum, et tunc duo et duo diaconi altaris cornua osculentur, **44** et novissime archidiaconus solus. Evangelium vero, statim postquam ad altare ventum fuerit, superponitur. Subdiaconi autem quasi quadam linea porrecti, usque ad altare progredientes, simul se inclinant coram eo, atque Evangelio (ut prædictum est) superposito, redeuntes in chorum, quatuor in dextera, et tres in sinistra parte consistunt. Diaconi vero, sicut prius, stantes retro episcopum inclinati, quando dicitur *Sicut erat in principio*, surgunt ut salutent latera altaris prius, id est ante [d] episcopum, duo et duo vicissim, et redeunt ad episcopum. Tandem episcopus osculatur Evangelium et altare, et pergit ad dexteram altaris ad sedem suam, et stat erectus versus Orientem; et diaconi retro illum, unus post unum stantes erecti, plures ad dexteram, pauciores ad sinistram altaris. Schola vero ad nutum diaconi imponit litaniam *Kyrie eleison*, *Christe eleison*, et reliqua. Et continuo acolythi ponunt cereostata in pavimento ecclesiæ, quatuor quidem in dexteram partem, et tria in sinistram, vel (ut alii volunt), lineatim ab Austro in Septentrionem.

6. Litania finita, incipit solus pontifex clara voce Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, si tempus fuerit.

[a] Amalarius, in Egloga: *Candelæ primo ab acolythis illuminantur extra ecclesiam*, etc.

[b] Id est, Eucharistiam, Amalarii Egloga ad hunc locum: *Episcopus veniens ante altare, adorat primo Sancta, et postea pacem dat presbyteris*, etc.

[c] Id est, usque ad repetitionem Versus seu Antiphonæ ad Introitum, quæ Antiphona ex Prophetæ Psalmis semper desumpta est.

[d] Hoc nomine pontifex non raro absolute appellatur.

Deinde vero totus respondet chorus *Et in terra pax hominibus;* et non sedet prius episcopus, antequam dicant post Orationem primam *Amen*. Postea salutans populum pontifex dicit *Pax vobiscum*, sive *Pax vobis*. [a] Resp *Et cum spiritu tuo*. Deinde dicit *Oremus*. Sequitur Oratio prima, quam Collectam dicunt, usque *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum*. Resp. *Amen*. Tunc tolluntur cereostata de loco in quo prius steterant, ut ponantur in una linea ab Oriente in Occidentem per mediam ecclesiam. Post primam autem datam Orationem, pontifex sedet [b] versus ad populum, et presbyteri cum eo ad nutum ejus, et diaconi stant ante pontificem. Subdiaconi autem ascendunt ad altare, statuentes se ad dexteram, sive sinistram.

7. Subdiaconus vero qui lecturus est, mox ut viderit post pontificem **45** presbyteros residentes, ascendit in ambonem ut legat, non tamen in superiorem gradum, quem solus solet ascendere qui Evangelium lecturus est. Postquam legerit, cantor cum cantorio sine aliqua [c] necessitate ascendit, non superius, sed stat in eodem loco ubi et lector, et solus inchoat Responsorium, et cuncti in choro respondent, et idem solus Versum Responsorii cantat. Si fuerit tempus ut dicatur *Alleluia*, bene; sin autem, Tractus; sin minus, tantummodo Responsorium. Cantor vero qui inchoat *Alleluia*, ipse solus cantat Versum de *Alleluia*. Ipse iterum *Alleluia* dicit, stans in eodem gradu, id est inferiore [d].

8. Deinde diaconus osculans pedes pontificis, petitaque Benedictione, venit ante altare, et osculans Evangelium, levat in manus suas Codicem in quo lecturus est, et partem ejus in dextero humero ponens, vadit ad ambonem. Et procedunt ante ipsum duo subdiaconi cum duobus thuribulis, sive uno, levantes thymiamaterium de manu subdiaconi sequentis, mittentes incensum. Et duo acolythi portantes duo cereostata, venientes ante ambonem, dividuntur a se, et transeunt subdiaconi et diaconi cum Evangelio per medium eorum. Subdiaconi autem duo cum thuribulis ante Evangelium in ambonem ex una parte ascendentes, et ex altera parte statim descendentes, redeunt stare ante gradum descensionis ambonis. Ille autem absque thymiamaterio vertens se ad diaconum, porrigit ei brachium suum sinistrum, in quo ponit Evangelium, ut manu subdiaconi aperiatur ei locus in quo signum lectionis positum fuerit; inventoque loco lectionis, ascendit in ambonem in superiorem gradum, et dicit *Dominus vobiscum*. Respondent omnes *Et cum spiritu tuo*. Quo audito, vertit se pontifex, et omnis sacerdotalis gradus, sive omnis populus fidelis ad [e] Orientem. Et postquam dixerit *Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam*, sive *Marcum*, et reliqua, facit crucis signum in fronte sua idem diaconus, et in [f] pectore; similiterque episcopus et **46** omnis populus; et revertuntur ad Evangelium. Sed et [g] baculi omnium deponuntur de manibus, et in ipsa hora, neque corona, neque aliud operimentum super capita eorum habetur. Ipse vero diaconus stat versus ad [h] meridiem, ad quam partem viri solent confluere, alias autem ad Septentrionem. Sed et candelæ in pavimento, prædicante eo Evangelium, de manibus acolythorum juxta ambonem deponuntur usque finitum tempus Evangelii. Perfecto evangelio, iterum se signo sanctæ crucis populus munire festinat, et descendente diacono de ambone, subdiaconus qui in filo stat, recipit Evangelium; quod tenens ante pectus suum super planetam, porrigit osculandum primum episcopo [i], deinde omnibus per ordinem graduum qui steterint, et universo clero, nec non et populo; deinde conditur in loco suo.

9. Post lectum Evangelium, [j] candelæ in loco suo exstinguuntur, et ab episcopo [k] *Credo in unum Deum* cantatur; et thuribula per altaria portantur, et postea ad nares hominum feruntur, et per manum fumus ad os trahitur. Deinde salutat episcopus populum dicens *Dominus vobiscum;* postea dicit *Oremus*. Tunc canitur Offertorium cum Versibus. Tunc venit subdiaconus, ferens in brachio dextro patenam, et in sinistro calicem, in quo recipiuntur amulæ populorum; et super calicem corporale, id est sindonem, quod accipiens diaconus ponit super altare a dextris, projecto capite altero ad diaconem secundum, ut expandant. Deinde transit sacerdos ad suscipiendas

[a] Addunt Editi : *Sacerdos autem*, Dominus vobiscum.

[b] Addunt libri editi, *tribus horis*, sed perperam, ut quidem videtur. Certe Amalarius, in Egloga sua, nihil de illis *tribus horis* habet. *Ideo* vero *altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant*, etc. Ita ille.

[c] Forte, *sine aliqua cessatione*. Quanquam egloga innuit cantorem *indifferenter* posse ascendere superius.

[d] Editi inserunt hæc verba : *Sequitur jubilatio, quam Sequentiam vocant*. At de his nihil in Egloga. Certe nec Sequentiæ (quas vocant) id est rhythmicæ illæ cantiones quæ inter *Alleluia* et Evangelium a nobis quandoque inseruntur, non erant in usu ante Notkerum Balbulum, qui earum auctor perhibetur, mortuus anno 912.

[e] Ita observat Egloga sæpissime laudata.

[f] Egloga nullam facit mentionem de pectore, sed tantum de fronte. Micrologus tamen utrumque habet in cap. 9.

[g] Eglogæ auctor : *Post hæc baculi deponuntur e manibus*, etc. Hi erant baculi quibus innitebantur stantes ad orandum ne statio esset molestior. Et infra : *Neque coronam, neque aliud operimentum super caput eadem hora tenentes*. Pluria inferius de corona pontificali.

[h] Et id notat Amalarius in Egloga. Verba sequentia, *alias autem ad Septentrionem*, videntur huc intrusa. Confer Micrologi caput 9.

[i] In Vulgatis additum *aut presbytero*

[j] Amalarius in Egloga : *Post lectum Evangelium candelæ exstinguuntur*.

[k] Ex Amalarii Egloga intelligimus locum hunc de Symbolo non esse interpolatum, etsi alio ferat Berno Augiensis, qui ait Symbolum in Ecclesia Romana cantatum non fuisse ante sancti Henrici principatum. Nihil tamen de Symbolo habet Micrologus, qui hunc Ordinem secutus est.

oblationes. Interim cantores cantant Offertorium cum Versibus, et populus dat oblationes suas, id est, panem et vinum, et offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminæ, novissime vero sacerdotes et diaconi offerunt, sed solum panem, et hoc ante altare. Subdiaconus vero cum calice vacuo sequitur **47** archidiaconum, et pontifice oblationes populorum suscipiente, archidiaconus suscipit post eum amulas, et refundit in calicem majorem, tenente eum subdiacono, quem sequitur cum scypho super planetam acolythus, in quem calix impletus refunditur. Oblationes autem a pontifice suscipit subdiaconus, et ponit in sindonem quæ eum sequitur, quam tenent duo acolythi. Tunc tenentibus duobus presbyteris manus ejus, episcopus redit in sedem, et lavat manus suas; deinde respicit archidiaconus in faciem pontificis, et innuit ei. Et ille resalutato, et cantantibus adhuc cantoribus, accedit ad altare. Tunc subdiaconi levantes oblatas de manu subdiaconi sequentis, porrigunt archidiacono, et ille componit altare. Ornato vero altari, archidiaconus sumit amulam pontificis cum vino de subdiacono, et refundit super colum in calicem. Deinde descendit subdiaconus sequens in scholam, et accipit fontem de manu archiparaphonistæ, et defert archidiacono; et ille ex amula infundit faciens crucem in calicem; et ascendunt diaconi ad pontificem. Tunc surgens pontifex a sede, et cantantibus adhuc cantoribus, descendit ad altare, et orat, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu presbyterorum et diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deinde archidiaconus suscipit oblatas duas de oblationario, et dat pontifici; quas dum posuerit pontifex in altare, levat calicem archidiaconus de manu subdiaconi, et ponit eum super altare juxta oblationes pontificis a dextris, involutis ansis cum offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, et pontifex inclinans se paulolum ad altare, respicit scholam, et annuit ut sileant, et convertit se ad populum dicens *Orate*.

10. Tunc finito Offertorio ordinantur presbyteri post pontificem, et archidiaconus a dextris eorum; secundus diaconus a sinistris, et cæteri per ordinem disposita acie. Subdiaconi etiam, finito Offertorio, vadunt retro altare, aspicientes ad pontificem, stantes erecti usquedum dicta Oratione super oblationes Secreta, et episcopo alta voce incipiente *Per omnia sæcula sæculorum*, post salutationem et exhortationem, finita Præfatione, incipiant dicere hymnum angelicum, id est *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, in quo bis repetitur *Hosanna*. **48** Quæ dum [a] expleverint, surgit solus pontifex, et [b] tacite intrat in Canonem, et diaconi et subdiaconi et presbyteri in presbyterio omnes permanent inclinati. In quo etiam Canone sex ordines [c] crucium observantur, quorum primus est, ubi dicitur *Ut accepta habeas, et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata.* Secundus quippe est, ubi dicitur *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam, ascriptam, ratam.* Tertius namque est crucis ordo, ubi narratur *Et accipiens panem in sanctas ac venerabiles manus suas, benedixit.* Item, *Tibi gratias agens, benedixit.* Quartus, ubi subinfertur *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ.* Quintus, ubi dicitur *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis.* Sextus quidem ordo sequitur, quando profertur *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso*, quando cum oblata calix tangitur. In eodem officio diaconi adhuc inclinati per ministerium acolythorum lavant manus suas. Et sacerdos quando dicit *Supplices te rogamus*, humiliato capite, inclinat se ante altare. Et cum dixerit aperta clamans voce *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi, et stant in loco, ubi ante steterunt, et sursum aspiciunt in faciem pontificis. Cum dixerit *Per quem hæc omnia, Domine*, erigit se archidiaconus solus; et cum dixerit *Per ipsum, et cum ipso*, levat cum offertorio calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta pontificem. Pontifex autem tangit e latere calicem, cum oblatis duas faciens cruces, et dicens, *Per ipsum, et cum ipso*, usque *Per omnia sæcula sæculorum.* Et ponit pontifex oblationes in loco suo, et archidiaconus calicem juxta eas, dimisso offertorio in ansas ejusdem.

11. Sequitur in altum Præfatio Dominicæ Orationis, et Oratio Dominica cum emboli [d] sua, in qua tres articuli Orationis inveniuntur. Subdiaconi autem, postquam viderint calicem, in quo sanguis Domini est, fanone circumdatum, et **49** audierint *Sed libera nos a malo*, vadunt et præparant calices sive sindones mundas, in quibus recipiant corpus Domini, ne in terram cadat, et in pulverem [e] vertatur, post diaconos stantes, donec ex eo populus vitæ sumat confortationem æternæ. Nam quod intermisimus de patena, quando inchoatur Canon, venit acolythus, sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus suum in parte dextera usque medium Canonem. Tunc subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, et venit ante altare, exspectans quando eam suscipiat subdiaconus regionarius. Finito

[a] His consentanea statuit Heraldus episcopus Turonensis, cap. 16: *Ut secreta*, id est, Canonem, *presbyteri non inchoent, antequam* Sanctus *finiatur.*

[b] Non ergo elata voce, ut apud Græcos, Canon recitabatur. Vide Eglogam et Remigium Antissiodorensem.

[c] De his signis crucium interrogatus a Bonifacio episcopo Zacharias papa respondet in epistola quæ est inter Bonifacianas ordine 142.

[d] Id est cum subsequenti oratione, *Libera nos, quæsumus, Domine*, etc.

[e] Nempe per confractionem, de qua in Ordine superiori. Obscurum est quod habet Egloga hoc loco: *Postea*, scilicet post Orationem Dominicam, *commistum corpus Domini cum vino, simulque pace annuntiata, aufertur dominicum corpus de altari.* Et infra: *Et ideo quia totus homo surrexit, simul fas est ut illico cum oblatione calix Domini auferatur de altari*, nempe ad communicandum (ut quidem videtur) pontificem, qui ad sedem suam communicare solet.

autem Canone, subdiaconus regionarius stat cum patena nuda post archidiaconem. Quando dixerit, *et ab omni perturbatione securi*, vertit se archidiaconus, et osculata patena dat eam tenendam diacono secundo [a].

12. Cum dixerit *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem de Sancta oblata. Sed archidiaconus dat pacem episcopo priori; deinde cæteri per ordinem, et populus, separatim viri et feminæ. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, et particulam quam rumpit, super altare relinquit; reliquas vero oblationes suas ponit in patenam, quam tenet diaconus, et redit ad sedem.

13. Jam archidiaconus levat calicem, et dat eum archisubdiacono, quem tenet juxta cornu altaris dextrum; et accedentes subdiaconi cum acolythis, qui sacculos portant, a dextris et a sinistris, extendentibus acolythis brachia cum sacculis, stant a fronte, ut pareant sinus sacculorum archidiacono, ad ponendas oblationes, prius a dextris, deinde a sinistris. Tunc aco'ythi vadunt dextera lævaque post episcopos circa altare; reliqui descendunt ad presbyteros, ut frangant Hostias. Patena præcedit juxta sedem, deferentibus eam duobus subdiaconibus ad diaconos ut frangant. Sed illi aspiciunt ad faciem pontificis, ut eis innuat frangere. Et dum innuerit, resalutato pontifice **50** confringunt, et archidiaconus evacuato altari oblationibus, respicit in scholam, et innuit eis ut dicant *Agnus Dei*, et vadit ad patenam cum cæteris. Expleta confractione, diaconus minor levatam de subdiacono patenam defert ad sedem, ut communicet pontifex; qui dum communicaverit, de ipsa Sancta quam momorderat ponit inter manus archidiaconi in calicem, faciens crucem ter, dicendo: *Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam*. Resp. *Amen*. *Pax tecum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*.

14. Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, et annuntiat stationem; et refuso parum in calicem de scypho inter manus acolythi, accedunt primum episcopi ad sedem, ut communicent de manu pontificis secundum ordinem. Sed et presbyteri omnes ascendunt ut communicent ad altare. Episcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, et stat in cornu altaris, ut confirmet sequentes ordines. Deinde archidiaconus, accepto de manu illius calice, refundit in scyphum, quem supra diximus, et tradit calicem subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmet populum. Calicem autem subdiaconus accipit sequens, et dat acolytho, et ille revocat in paratorium. Quos dum confirmaverit, id est quos papa communicat, descendit pontifex a sede, tenentibus ei manus qui eum duxerint, ut communicet eos qui in senatorio sunt, post quem archidiaconus confirmat. Postea episcopi communicant populum innuente pontifice, et post eos diaconi confirmant. Presbyteri autem jussu pontificis communicant populum, et ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut pontifex cœperit communicare populum in senatorio, statim schola incipit Antiphonam ad Communionem, et psallunt usquedum communicato omni populo, etiam in parte mulierum, redit in sedem, et repetito Versu quiescunt. Post omnes hos communicat ad sedem regionarios per ordinem, et eos qui in illo steterant, et saccellarium, et acolythum, qui patenam tenet, et qui manutergium tenet, et qui aquam dat, et post pontificem archidiaconus eos confirmat.

15. Pontifex autem contemplans populum communicatum esse, innuit per subdiaconum primo scholæ, et ille resalutato eo, dicit *Gloria Patri*, et *Sicut erat*, et versum. Et finita Antiphona, **51** surgit pontifex cum archidiacono, et veniens ad altare dat Orationem ad Complendum. Qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, aspicit ad pontificem, ut ei innuat, et dicit ad populum *Ite, missa est*. Resp. *Deo gratias*. Tunc septem cereostata præcedunt pontificem, et subdiaconus cum thuribulo, ad secretarium. Descendente autem illo in presbyterium, episcopi primum dicunt *Jube*, *domine*, *benedicere*. Resp. *Benedicat vos Dominus*. Resp. *Amen*. Post episcopos presbyteri, deinde [b] monachi, deinde de schola, deinde omnes processores, et mansionarii, et intrat in secretarium.

[a] Post hæc additur in Editis: *Post solutas (ut in his partibus mos est) pontificales benedictiones cum dixerit*, etc. Quod additamentum esse non dubito Gallicani vel Germanici scriptoris, cum apud Romanos in usu non essent ejusmodi Benedictiones, ut superius notavimus, nec quidquam de illis in Elgaga legatur.

[b] Monachi quippe tunc temporis, quando hæc scripta sunt, degebant apud Lateranum, et ad sanctum Petrum, ex dictis supra in Commentari cap. 4.

ADMONITIO IN TERTIUM ORDINEM ROMANUM.

52 Quo tempore scriptus sit subsequens Ordo Romanus, non facile dixerim. Eadem fere continet atque duo superiores. Non defertur Eucharistia ad altare ante Missam, nec duplex, sed unica particulæ consecratæ commistio ante communionem. Quod utrumque in secundo Ordine Romano etiam deesse superius notavimus, secus quam in primo. Monasterii vocabulum pro ecclesia majore, quod in sequenti Ordine legitur, num. 3, non videtur in usu fuisse ante sæculum nonum. Nullum hujus Ordinis locum singularem laudatum invenio nec apud Amalarium, nec apud Micrologum. Unde conjectura est hunc Ordinem non esse adeo antiquum atque alios duos qui ab utroque auctore laudati fuerunt.

Cæterum nullum tertii hujus Ordinis nobis licuit reperire exemplar, quo, si qua sunt in eo interpolata, distinguere possimus. Dubium est num ejusmodi sint ea quæ num. 18 leguntur: *Quia vinum, etiam non consecratum, sed sanguine Domini commistum, sanctificatur per omnem modum*. Quandoquidem in duobus præ-

missis libellis nihil simile habetur, etsi eadem sese offerat occasio. Sed hac de re fusius in commentario nostro.

Huic Ordini tertio subjiciemus fragmentum quarti Ordinis pontificalis ex ms. Codice, qui fuit olim Constantini Cajetani.

ORDO ROMANUS III.

In nomine Domini Incipit liber de Romano Ordine. Qualiter celebrandum sit officium Missæ.

53 1. Primo omnium observandum est septem esse regiones ecclesiastici ordinis urbis Romæ, et unamquamque regionem singulos diaconos regionaries habere, et uniuscujusque regionis acolythos per manum subdiaconi regionarii diacono regionis suæ, causa officii subditos esse; superiores autem vel diaconorum, vel subdiaconorum ordines, archidiacono, qui vicarius est pontificis, obedire, servato unicuique per eum proprii gradus ministeriali ordine.

2. Oportet autem ut post numerum ecclesiasticarum regionum sciat qui voluerit numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obsequantur juxta ordinationem antiquitus constitutam. Prima enim feria Paschæ ministrabit regio tertia, secunda feria regio quarta, tertia feria regio quinta, feria quarta regio sexta, feria quinta regio septima, feria sexta regio prima, sabbato secunda regio. Ergo unaquæque regio ordines proprios, tam in processione, quam in ecclesia habebit, vel ubicunque eos propria dies ratione sui gradus, secundum priscam constitutionem, ire vel ministrare compulerit, et nullus in aliqua designatus regione, a ministerio pontificis sine excommunicationis vel animadversionis sententia deesse poterit.

3. Denuntiata statione diebus festis, primo mane omnis clerus debet apostolicum ad ecclesiam præcedere, exceptis officialibus ministris, qui in obsequio illius comitantur pro pontificali dignitate, ut sunt diacones stationarii, subdiaconi, et omnes acolythi illius regionis, quæ ipso die pontifici debet ministrare. Sed cubiculario laico hæc cura est præscripta, ut sella pontificis in sacrario sit parata, donec ille veniat celebraturus divina mysteria. Episcopi autem atque presbyteri, exspectantes in presbyterio pontificem, cum his qui præparant **54** ornatum ecclesiasticum atque vasa ecclesiæ, sedebunt ea locali dispositione, ut intrantibus ecclesiam episcopi sint ad sinistram, presbyteri vero ad dexteram, ut quando pontifex sederit, et ad eos respexerit, episcopos ad dexteram, et presbyteros contueatur ad sinistram.

4. Suscipitur autem pontifex per presbyteros tituli vel ecclesiæ ubi indicta est statio, una cum majoribus ejusdem ecclesiæ; et offertur in obsequium illius thymiamaterium incensi, inclinato offerentium capite; atque petita Benedictione et accepta, hinc inde pontificem præcedunt ad ecclesiam, prout quemque contigit secundum ordinem militare. Sed hæc cura erit acolythorum, ut sacri ministerii vasa per manum primi mansionarii, qui est custos dominicalis vestiarii, accepta deferantur per bajulos de majori [a] monasterio ad celebrandæ stationis locum, quæ sunt aquamanile, hoc est vas manuale, patenæ, calices et scyphi, atque pugillares, aurei sive argentei, amulæ argenteæ ad vina fundenda paratæ, colatorium aureum sive argenteum, et cantatorium. Subdiaconus autem qui lecturus est, sub cura sua habebit Apostolum, et archidiaconus Evangelium.

5. Cum vero pontifex intraverit ecclesiam, non continuo ad altare ascendit, sed prius intrat in secretarium, sustentatus a diaconibus, qui eum descendentem a sellario accipiunt obviis (ut aiunt) manibus; ubi dum venerit, et in sella sua sederit, diacones, salutato pontifice, egrediuntur de secretario cum ordinabili disciplina et ante fores ipsius secretarii mutant vestimenta sua. Egredientibus autem diaconibus de secretario, remanent cum pontifice primicerius atque notarii ipsius stationis, et subdiaconi jam parati pro suo officio; quorum unus pallium pontificis cum acu super planetam teneat in brachio sinistro, atque pontifex per manus subdiaconorum regionariorum mutat et ipse vestimenta solemnia, sicut levitæ faciunt in parte altera.

6. Subdiaconi regionarii secundum ordinem suum accipiunt ad induendum pontificem ipsa vestimenta, alius lineam, alius ambolagium, id est amictum, quod dicitur humerale; alius lineam dalmaticam, quam dicimus albam, alius cingulum, alius dalmaticam, alius orarium, alius planetam; **55** et sic per ordinem induunt pontificem. Primicerius autem et secundicerius componunt vestimenta pontificis, ut ex honorabili compositione exhibeatur circumstantibus spectaculum reverendæ dignitatis. Novissime autem cui jusserit dominus pontifex ex diaconibus, sumit de manu subdiaconi sequentis pallium, et super pontificem induit, et illud cum acu in planeta retro et ante, et in humero sinistro configit, et salutat dominum, et dicit: *Jube, domine, benedicere.* Respondet *Salvet nos Dominus. Amen.*

7. Deinde subdiaconus regionarius referens ad pontificem qui debeant legere aut cantare, ponit mappulam in brachio sinistro pontificis super planetam, cum disciplinali ad genua ejus inclinatione, et pronuntiat talem subdiaconum regionarium Epistolam legere; et talem Responsorium, et talem *Alleluia* cantare; et postea non licet in loco lectoris vel cantoris alterum mutare: quod si factum fuerit, excommunicabitur archiparaphonista, id est quartus scholæ, qui semper debet pontifici de cantoribus nuntiare. Statuuntur enim per ordinem acies duæ, et parapho-

[a] Hic monasterii nomine ecclesiam intellige pro usu recepto a sæculo nono.

nistæ quatuor a foris hinc inde; sed infantes infra per ordinem ab utroque latere. Postquam autem pontifex ad psallendum annuerit archiparaphonistæ, dicit sive acolythis stantibus ante fores secretarii cum cereostatis, sive subdiacono regionario, qui ante se ad processionem debet thymiamaterium portare, *Accendite*.

8. Sed ille quartus scholæ perveniens in presbyterium, ubi chorus in quatuor (ut dictum est) ordinatus assistit reverenda dispositione, postquam dixerit inclinato capite ad priorem scholæ, vel secundum, sive tertium, *Domini*, *jubete*, mox Antiphonam ad Introitum incipit prior scholæ. Quorum voce audita, diaconi intrant ad pontificem in secretarium, et ab archidiacono atque secundario acceptis utrinque et osculatis manibus pontificis, procedunt cum ipso sustentantes eum. Reliqui gradus procedunt in ordine suo, excepto quod unus de regionariis subdiaconibus debet præcedere cum thymiamaterio. Quem sequuntur septem acolythi illius regionis cujus dies fuerit, portantes septem cereostata accensa ante pontificem, usque dum ad altare venerit. Sed antequam perveniat Processio ad scholam, dividuntur cereostata, quatuor ad dexteram partem, et tria ad sinistram. In hoc honorabili ministerio debet pontifex venire in tribunal ecclesiæ, et inclinare caput **56** contra altare, et postquam surrexerit, in fronte sua crucem facere, et uni episcoporum de hebdomadariis, et archipresbytero, et diaconis omnibus pacem dare; ac deinde respiciens ad priorem scholæ, innuit ei ut debeat *Gloriam* dicere. Qui se inclinans pontifici, imponit Hymnum, quo datur gloria sanctæ Trinitati. Sed pontifex concelebrat interim secreto Orationem, ante altare inclinatus, usque ad repetitionem Versus. Nam diaconi, quando dicitur *Sicut erat in principio*, surgunt ab inclinatione, et salutantes altaris latera, prius duo et duo vicissim redeunt ad pontificem, tenentes locum quisque pro suo ordine. At pontifex ad repetitionem Versus, sicut dictum est, surgens ab Oratione, osculatur Evangelium et altare; ac deinde accedit ad sedem, et stat versus ad Orientem.

9. Schola vero, finita Antiphona, imponit *Kyrie eleison*; sed prior scholæ debet ad pontificem custodire, quando præcipiat mutare numerum litaniæ, et innuenti inclinat se. Quæ cum finita fuerit, pontifex incipit *Gloria in excelsis Deo*, si tempus fuerit. Sedere autem non oportet pontificem antequam dicant *Amen*, post primam Orationem. Deinde debent subdiaconi regionarii ascendere, et ad dexteram altaris et ad sinistram se statuere. Sed ille subdiaconus, qui lecturus est, postquam viderit episcopos sive presbyteros post pontificem sedere, quos ipse pontifex nutu suo facit secum considere, tum ascendit in ambonem, et legit lectionem. Postquam lector legerit, cantor cum cantorio ascendit, et responsorium dicit, ac deinde per alium cantorem *Alleluia*, si tempus fuerit, sive Tractus concinitur; sin minus, Responsorium tantummodo cantatur.

10. Deinde diaconus, osculatis pedibus pontificis, et accepta ab eo hac Benedictione: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis*, venit ante altare, et osculatis Evangeliis, levat Codicem in manibus suis. Prior autem de duobus subdiaconis, qui solummodo debent diaconum præcedere, incensum mittit in thymiamaterium, sed alter per proximæ stationis subdiaconum accipit illud ad portandum. Procedunt ante ipsos duo acolythi cum duobus cereostatis, quibus acolythis ante ambonem divisis, transeunt per medium ipsorum subdiaconi et diaconus cum Evangeliis. Sed ille subdiaconus **57** qui absque thymiamaterio est, porrigit brachium sinistrum, ut a diacono accipiat librum Evangeliorum, ut per ipsum aperiatur diacono locus, in quo signum lectionis fuerit positum. Ascendente autem diacono ad legendum, ipsi duo subdiaconi redeunt stare ante descensionis gradum. Postquam finitum fuerit Evangelium, dicit pontifex *Pax tibi*, vel *Dominus vobiscum*. Sequitur responsio *Et cum spiritu tuo* Descendente autem diacono, subdiaconus ille qui prius aperuerat librum Evangeliorum, recipit eum; et reversus in presbyterium, porrigit illum uni subdiaconorum, ut ipse offerat omnibus ad osculandum, qui steterunt per ordinem graduum. Post evangelicam ergo lectionem, reponitur liber Evangeliorum in paratorio quodam, sive in secretario.

11. Sed acolythus tenens calicem in brachio sinistro, porrigit corporale superpositum diacono, ut ipse desuper calicem accipiens, illud expandat super altare, projecto ad sequentem diaconum capite altero.

12. Pontifex autem sustentatus hinc inde dextra lævaque a primicerio notariorum et primicerio defensorum, descendit ad senatorium, quod est locus principum, ut suscipiat oblationes eorum. Archidiaconus vero post eum amulas suscipit, et in calicem majorem, quem subdiaconus regionarius sequens portat, vacuum refundit: qui cum fuerit impletus, refunditur in scyphum, quem ibi tenebit sequens acolythus. Oblationes vero principum subdiaconus regionarius a pontifice suscipit, ac sequenti subdiacono porrigit, et ipse in sindonem, quam tenent duo acolythi, eas ponit. Sed episcopus hebdomadarius suscipit post pontificem oblationes reliquorum, quas ipse manu sua mittit in sindonem, quæ sequitur eum. Post quem diaconus sequens amulas suscipit, et in scyphum manu sua post archidiaconum eas refundit. Similiter transiens pontifex in partem matronarum, explet omnia, ut supra.

13. Deinde redit ad sedem, tenentibus primiceriis manus ejus. Archidiaconus autem stans ante altare, lavat manus suas expleta susceptione. Post hoc in faciem pontificis respicit, et cum ei annuerit, resalutato eo per humilem inclinationem, ad altare accedit. Tunc accipiens per subdiacones oblatas, hinc inde porrigentes eas, ponit tantas super altare, quantæ possint populo sufficere. Composito igitur altari et ornato, **58** archidiaconus deinde sumit amulam pontificis de subdiacono oblationario, et re

fundit in calicem super colatorium; deinde diaconorum, ac deinde primiceriorum et secundiceriorum. Postea autem subdiaconus sequens descendit in scholam, et accipit fontem de manu archiparaphonistæ, ac defert ad archidiaconum, et ille infundit faciens crucem in calicem. Ascendentibus vero diaconis ad pontificem, primicerius et secundicerius, notarii et defensores regionarii descendunt, et in loco suo consistunt.

14. Tunc pontifex surgens a sede, descendit ad altare, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu presbyteri hebdomadarii, et diaconorum, atque primiceriorum. Deinde archidiaconus suscipit oblatas pontificis de oblationario, et dat pontifici; quas dum posuerit pontifex in altari, levat calicem archidiaconus de manu subdiaconi regionarii, et ponit eum super altare juxta oblatam pontificis a dextris; atque cum offertorio in cornu altaris posito, involvens per ansas calicem, stat post pontificem. Et pontifex paululum inclinans se ad altare, respicit ad scholam, et annuit ut debeant silere.

15. Finito autem offertorio, episcopi stant post pontificem, primus in medio, deinde per ordinem: et archidiaconus a dextris episcoporum, secundus diaconus a sinistris, et cæteri disposita acie per ordinem. At subdiaconi regionarii, finito offertorio, vadunt retro altare, aspicientes ad pontificem, stantes erecti usquedum incipiant dicere Hymnum angelicum, id est *Sanctus*. Quem dum expleverint, surgit pontifex solus, et intrat in Canonem. Episcopi vero, diaconi, subdiaconi, presbyteri permanent in presbyterio inclinati: et cum dixerit *Nobis quoque peccatoribus*, surgunt subdiaconi: cum dixerit *Per quem hæc omnia, Domine*, surgit archidiaconus solus. Cum dixerit *Per ipsum, et cum ipso*, levat archidiaconus cum offertorio calicem per ansas, et tenet exaltans illum juxta pontificem. Pontifex autem tangit e latere calicem cum oblatis, dicens *Per ipsum, et cum ipso*, usque *Per omnia sæcula sæculorum*. Et ponit pontifex oblationes in loco suo, et archidiaconus calicem juxta eas, dimisso in ansis ejus offertorio.

16. Ecce autem finito canone subdiaconus regionarius stat ante altare cum patena post archidiaconum, quam in medio canone subdiaconus sequens accipit per acolythum; qui scilicet acolythus, **59** quando inchoat pontifex canonem, venit, sub humero habens sindonem in collo ligatam, et tenet patenam in dextera parte ante pectus suum. Quando dixerit pontifex *Et ab omni perturbatione securi*, vertit se archidiaconus, et accipiens patenam, osculatur eam, et dat diacono secundo tenendam. Cum dixerit *Pax Domini sit semper vobiscum*, mittit in calicem de Sancta, subjungens hæc verba: *Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, accipientibus nobis in vitam æternam*. Sed interim archidiaconus pacem dat episcopo priori, qui et ultra dabit juxta se stanti, ac deinde per ordinem cæteri; atque populus osculantur se invicem in osculo Christi. Tunc pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, et de ipsa Sancta quam ruperit particulam super altare relinquit, reliquas vero oblationes suas in patenam quam tunc tenet diaconus ponit. Nam archidiaconus levat calicem, et subdiacono regionario porrigit eum, ut teneat juxta cornu altaris dextrum: et accedentes subdiaconi sequentes cum acolythis, qui sacculos ad hæc idoneos portant a dextris et a sinistris altaris, ipsi ergo subdiaconi, extendentibus acolythis brachia cum sacculis, sequentes a fronte, parant sinus sacculorum archidiacono ad ponendum oblationes, prius a dextris, deinde a sinistris. Tum vadunt acolythi dextra lævaque, post episcopos sive presbyteros circum altare, ut ipsi sacerdotes incipiant Hostias confringere, patena præcedente, quam duo subdiaconi regionarii deferunt ad diaconos causa confractionis, ut ipsi quoque frangant, quando pontifex annuerit eis Sed archidiaconus evacuato altari oblationibus, respicit in scholam, et annuit eis ut dicant *Agnus Dei*; ac deinde vadit ad patenam, quam tenent duo subdiaconi regionarii, ut ipse etiam frangat cum cæteris diaconis juxta cornu altaris. Expleta confractione, diaconus minor, levata de subdiacono patena, defert eam ad pontificem, ut communicet corpore dominico. Sed ipse pontifex confirmatur ab archidiacono in calice sancto; de quo parum refundit archidiaconus in [a] majorem calicem, sive in scyphum, quem tenet acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus, quia vinum, etiam **60** non consecratum, sed sanguine Domini commistum, sanctificatur per omnem modum.

17. Accedunt primum episcopi secundum ordinem de manu pontificis communicare; et post eos ascendunt presbyteri omnes, ut communicent ad altare. Cum autem communicaverit archidiaconus, calicem interea tenet primus episcopus. [b] Sicut enim in Romana ecclesia summo pontifici ministrant episcopi, sic in cæteris ecclesiis debent episcopis facere presbyteri. Recepto calice, archidiaconus confirmat omnes sanguine dominico, quos communicaverit pontifex corpore dominico. Hoc officio juxta altare peracto, et pugillari cum quo confirmetur populus per subdiaconem regionarium jam accepto, traditur calix ab archidiacono eidem subdiacono perferendus acolytho, ut reponatur in paratorio. Deinde descendit pontifex cum primicerio notariorum et primicerio defensorum, ut communicet principes populorum, et matres familias eorum. Et sicut archidiaconus confirmat quos pontifex communicat, sic reliqui diacones confirmant quos episcopi sive presbyteri post pontificem communicant.

18. Sed cum cœperit pontifex clerum sive populum communicare, schola incipit antiphonam ad communionem psallere, ac deinde nutu pontificis

[a] Tres calices hoc in ordine assignantur, scilicet major, in quo recipiebantur primo vini oblationes; scyphus seu calix ministerialis, supra, num. 12, et calix sacer, in quo fiebat consecratio.

[b] Quæ sequuntur ad hæc verba, *Recepto calice*, etc., interjecta videntur.

Gloria Patri, Sicut erat in principio, et nunc et semper, subdiacono faciente crucem in fronte, ut ex hoc signo intelligat prior scholæ, quando post communionem debeat gloriam sanctæ Trinitati dicere, paratus etiam Versum repetitionis subjungere. Finita Antiphona, quæ repetitur ad repetitionis versum, pontifex ad altare dat Orationem ad Complendum. Qua etiam finita, diaconus, cui præceperit archidiaconus, respicit ad pontificem, ut annuat ei, et dicat ad populum *Ite, missa est*. Respondet populus *Deo gratias*. Dicentibus autem episcopis, sive presbyteris, vel sequentibus ordinibus, *Jube, domine, benedicere*, respondet pontifex *Benedicat nos Dominus. Amen*. Præcedunt igitur pontificem septem cereostata, et subdiaconus regionarius cum thuribulo ad secretarium

ORDO ROMANUS IV,

VEL

FRAGMENTUM VETERIS ORDINIS ROMANI

DE MISSA PONTIFICALI

61 . . . . *grege numerari. Per Christum Dominum nostrum*. Hic erigit se sursum. Oblatam solam hic benedicit, *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris* (Hic ambo signat, id est oblatam et calicem), *ut nobis corpus et sanguis*, usque *Omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens*, usque *Item tibi gratias agens, benedixit*. Hic quatuor vicibus solam oblatam signat, in quinta vice super calicem solum crucem faciens : *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ*, usque *Immaculatam Hostiam*. Hic inclinat se iterum juxta altare, dicens, *Supplices te rogamus, omnipotens Deus*. Hic orat apud se quod voluerit. Deinde dicit, *Jube hæc perferri per manus*, usque *in conspectum*. Hic se erigit hæc verba dicens, *Ut quotquot ex hac altaris participatione*, usque *per Christum*. Hæ Orationes duæ dicuntur, una super [a] depticios, altera post lectionem nominum ; et hoc quotidianis, vel in agendis tantummodo diebus : *Memento etiam, Domine, et eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis*. Et recitantur nomina. Deinde postquam recitata fuerint, dicat : *Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur, per eumdem. Nobis quoque peccatoribus*, usque *Sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per*. Hic erigens se archidiaconus veniet, et involvens calicem mappula, levat illum contra domnum papam. *Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*. Hic ambo signat, id est oblatam et calicem, **62** tribus vicibus, singulis singulas faciens cruces : *Sanctificas, vivificas, benedicis et præstas nobis*. Hic levat domnus papa oblatas duas usque ad oram calicis, et tangens eum de oblationibus, tenente illum archidiacono, dicit : *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria*. Tunc dicit in altum *Per omnia sæcula sæculorum*. Tunc reponit oblatam in altari, et dicit in altum *Oremus*. Deinde dicit *Præceptis salutaribus moniti*, usque *Sed libera nos*. Tunc dicit domnus papa, interveniente nullo sono, hanc Orationem : *Libera nos, quæsumus, Domine*, usque *Petro, Paulo atque Andrea*. Hic nominatim quales voluerit sanctos, vel quantos commemorat. Deinde infert, *Cum omnibus sanctis da propitius*, usque *Per omnia sæcula sæculorum*. Respondetur *Amen*. Deinde dicit *Pax Domini sit semper vobiscum*. Non mittit partem de sancta [b] in calicem, sicut cæteris sacerdotibus mos est. Dum confringit, *Agnus Dei* dicit, et expleta confractione, quando communicat domnus apostolicus, partem sibi mordet, et reliquam in calice mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus super calicem, nihil dicens. Et sic confirmatur de calice, tenente calicem archidiacono. Quando vero domnus apostolicus descendit [c] ab altari, incipit communicare populus, et dicitur Antiphona ad Communionem. Et expleta Communione et Antiphona, tunc surgit domnus papa ; et veniens ad altare, salutat altius dicens *Dominus vobiscum*. Respondetur *Et cum spiritu tuo*. Deinde dicit Orationem : *Quod ore sumpsimus, Domine, mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Per*, etc.

[a] Id intelligendum de iis qui sacris diptychis inscripti erant, quorum nomina recitari olim mos erat.

[b] Hic una diversitas, quæ non habetur in duobus primis Ordinibus Romanis, ubi domnus apostolicus mittit in calicem de Sancta prius consecrata, quem ritum Amalarius ex libello Romano laudat in lib. III cap. 31, et post eum Micrologus, in cap. 18.

[c] En altera diversitas, quod domnus apostolicus communicat de altare, non ad sedem suam, ut in præmissis Ordinibus. Ex his duobus colligitur hunc Ordinem esse aliis posteriorem : cujus præmissum fragmentum ex vetustissimo Codice, qui olim fuit Constantini Cajetani abbatis, postea translatus in bibliothecam Sapientiæ Romanæ, accepimus.

ADMONITIO IN QUINTUM ORDINEM ROMANUM.

63 Sequens Ordo Romanus multæ antiquitatis, in Codice vetustissimo sancti Galli subsequitur libellum *de Gradibus Romanæ ecclesiæ*, quem inferius subjiciemus. Præmissa enumeratione sacrarum vestium pontificis aliorumque ministrorum, exhibet Ritum Missæ episcopalis secundum morem tunc receptum in ecclesia Romana. Hunc vero Ordinem esse Romanæ Ecclesiæ intelligitur ex designatione initio facta episcopi *Romani*, alius a pontifice, et presbyteri iidem *Romani*. In Missæ ritibus multa observatione digna. Symbolum CP. post Evangelium assignatur, ut in secundo Ordine Romano, quod est contra sententiam Bernonis Augiensis abbatis, existimantis hoc non fuisse usitatum in Missa apud Romanos ante Henrici sancti imperatoris principatum.

Priori huic libro de Missa episcopali succedit alius Ordo ejusdem argumenti, jam editus, sed denuo collatus cum antiquis Codicibus manuscriptis.

ORDO ROMANUS V,

DE MISSA EPISCOPALI PRIMUS.

64 I. *De vestimentis pontificalibus.*

1. In primis cam. [a] et cingitur supra. Dein linea cum cottis, serica, et cingulum. Post hæc mittitur [b] anagolagi; exinde dalmatica minore, postea majore dalmatica, et supra orarium. Post hæc planeta, et supra mittitur pallium. Nam in his diebus Natalis Domini, Pascha, sancti Petri, et die ordinationis suæ, alius coloris planeta induitur. Sestace [c] in manu portat, item calciamenta, in pri [d] odhones, dein campagos.

II. *Item de vestimento alii Romani episcopi.*

2. In primis cam. et cing. postea tunica alba; dein orarium. Post hæc planeta; et sestace in manu, calciamenta, odhones, et campagos.

3. Presbyter Romanus similiter, præter tantum subtalares, quos mittit presbyter et diaconus. In primis cam. et supra cingulum. Postea tonica alba et cing. deinde anagolagi : post hoc [e] brachiale in dextra manu; dalmatica minore et majore, et planeta, usquedum venitur presbyterio. Ibidem **65** tollitur ab acolytho. Calciamenta sicut pontifex. Subdiaconi cam. et cing., deinde anagolagi et tunica alba, orarium, et sestace in sinistra manu. Acolythi cam. et cing., sestace in sinistra latera ad cing. pendens, tonica alba, et orarium ad collum, et planeta; et quando in gradu psallitur, planeta abstollitur, et orarium portat in manu; calciamenta, odhones, et subtolares, sicut et subdiac. Reliqui vero inferiores gradus ecclesiæ, qui in gradu psallunt, sicut et acolythi. Illi vero qui in ambone non psallunt, si habuerint, similiter induantur; sin autem non potuerint, . . .

4. Item quotidianis diebus qualiter pontifex induitur. In primis cam. et cing., deinde tonica serica, orarium, planeta, et pallium, sestace in manu. Cal- A ciamenta vero tam pontifex quam etiam et omnes reliqui, sive festis diebus, sive quotidianis, uno modo induuntur. Item diaconi.

III. *Item unde supra.*

5. In primis etenim vestietur episcopus cunctique presbyteri, qui præsentes fuerint reperti, et septem aut quinque vel tres diaconi, et tot numero subdiaconi; et acolythi quot fuerint diaconi. Presbyteri vero dum a cantore incipitur Invitatorium, omnes stent in loco suo, id est hinc et inde ex utraque parte chori. Cumque a cantore versus ad Invitatorium elevatus fuerit, inchoatur processio, præcedentibus videlicet cum thuribulis duobus acolythis. Post hos sequantur septem aut quinque sive tres acolythi cum candelabris, juxta scilicet numerum, ut præ- B diximus, diaconorum seu subdiaconorum. Dein subsequantur subdiaconi bini procedentes, quos similiter bini sequantur diaconi : quorum duo pontificem ex utraque parte sustentantes ducant, archidiaconus videlicet ad dexteram, id est lecturus Evangelium, et alius quilibet ad sinistram. Cumque ante chorum psallentium pervenerint, subdiaconi statim pergant ad loca sua in chorum; diaconi vero et acolythi candelabra et thuribula gestantes dividantur ex utraque parte pontificis, id est, si septem fuerint, quatuor stent ad dexteram, et tres ad sinistram; si vero quinque, tres ad dexteram, et duo a sinistris; tres autem si fuerint, duo stent a dextris pontificis, et unus ad sinistram. Duo quoque acolythi thuribula portantes ante ordinem stantium **66** presbyterorum C divisi stent. Pontifex autem non prolixa completa oratione, vertat se ad dexteram, annuatque uno presbytero ante cæteros stanti, osculeturque eum. Dein ad sinistram se vertens alii annuat presbytero, et similiter eum osculetur. Deinde extremo in

[a] Id est camisia, scilicet linea, et quidem strictior atque interior, teste vulgato Alcuino, super quam linea amplior cum cotta, quo nomine undulata superpellicea Romani etiam nunc appellant.

[b] Anagolagium jam sæpe pro amictu seu superhumerali usurpatum superius vidimus.

[c] *Sestacis* nomine sudarium, quod extremis digitis antiqui sacerdotes ac ministri ferebant, designari existimo.

[d] Forte *insuper odhones*. Eadem vox iterum infra, qua forsan sandalia significantur. Nam Ordo Romanus in ordinatione episcopi sandalia distinguit a campagis, qui tibiam tegebant. *Caligæ usque ad genu tendentes* vocantur in Sacramentario Menardi, pag. 260.

[e] Aliud a manicis seu chirotecis, de quibus Ordo Romanus vulgatus, pag. 99, col. 2, et Sacramentarium Menardi, pag. 260. Erat ergo brachiale hic ornamentum brachii dextri

dextera parte stanti annuat diacono, et osculetur illum; ac dein extremo in sinistra parte stanti annuat, et similiter eum osculetur, et sic cunctos diaconos vicissim se vertens osculetur, novissime tamen illum qui Evangelium legere debet.

6. Hoc autem expleto, annuat cantori ut *Gloria* dicat; ipse vero ductus a diaconibus pergat ante altare, inclinatisque ad Orationem cunctis, stantibus acolythis cum candelabris et thuribulis in loco quo prius oraverat. Prope vero expleta Oratione, annuat duobus extremis diaconibus, uno hinc et alii inde, ut vadant, osculenturque unus dextrum, et alius sinistrum cornu altaris; et sic cunctis diaconibus annuat ut bini faciant, et novissime lecturo Evangelium. Ipse vero pontifex elevat se ab Oratione, pergatque et osculetur Evangelium, quod super altare jacuerit, eatque in dexteram altaris partem, stantibus etiam eadem parte quatuor aut tribus aut duobus diaconibus, et ex altera tribus vel duobus seu uno. Ipse vero pontifex cantori annuat, quando excelsiori voce *Kyrie eleison* sive *Christe eleison* dici debeat. Ipsa autem expleta, dicatur a pontifice *Gloria in excelsis Deo*, deponenturque ab acolythis candelabra, et reponentur seu suspendentur thuribula.

7. Et *Gloria in excelsis Deo* percelebrata, dicatur a pontifice, ut mos est, Oratio; sedensque ipse annuat presbyteris ut sedeant. Subdiaconus itaque, lectione perlecta, genu osculetur episcopi. Cantores quoque qui Gradale vel *Alleluia* cantaverint, si in gradu quolibet fuerint ordinati, genu similiter osculentur episcopi; si vero extra gradum fuerint, pedibus ejus pervolvantur. Episcopus vero annuat magistro scholæ, quando a cantoribus Gradale vel *Alleluia* repetere debeat. Cum vero diaconus ad legendum Evangelium pergere debet, osculetur genu episcopi; accedensque elevat Evangelia, præcedentibus eum duobus acolythis cum candelabris, et ante illos duobus aliis acolythis cum incensoriis. Perlecto autem Evangelio, dicat episcopus *Pax tibi;* et elevat *Credo in unum Deum*. Et candelabra ab acolythis exstinguantur, et **67** post altare ponantur. Acolythorum autem gestantium incensoria unus pergat ad altare incensionem exhibere circa illud, necnon et episcopo ac presbyteris, atque diaconibus cunctoque clero; alius vero pergat ad populum. Stet autem paratus juxta pulpitum subdiaconus qui lectionem legerat, ut dum perlectum fuerit Evangelium, accipiat a diacono Evangelia, et exhibeat ea ad deosculandum episcopo; quibus exosculatis, exhibeatur ei et incensorium.

8. *Credo in unum* itaque decantato, dicatur ab episcopo *Dominus vobiscum. Oremus*. Pergatque episcopus, sustentatus a duobus diaconibus et cæteris sequentibus, primum ad viros oblationem cum vino facientes, dein ad feminas. Acolythus vero unus lineum pallium, ut mos est, factum, ante se tenens, accipiat a pontifice oblatas, aliusque cannam portans in qua diaconus quilibet libamen vini suscipiens infundat. Rediens itaque a populo pontifex accipiat oblationem [a] scholæ sine vino, et pergens ad sedem sedeat, offeraturque ei aqua, lavetque manus suas. Et habeat tunc subdiaconus in loco calicem cum vino, et super illum corporale involutum, et acolythus patenam cum oblatis. Accipiens itaque diaconus corporale, eat ad dexteram altaris partem, jactetque illud devolvendo ad alteram altaris partem; quod alius suscipiens diaconus, expandent illud desuper altare. Redeat quoque diaconus qui Evangelium legerat, osculeturque genu episcopi, et accedat ad altare, annuatque acolytho qui oblationem populi et scholæ in pallio gestat; accipiatque ex ipsis oblatis quantum ei videtur; et ponet eas desuper altare in corporale quod expanderant, infundatque de canna libamen vini in calicem; et pergat ipse cum alio diacono, et per brachia sustentando ducant episcopum ad altare, accedantque presbyteri offerentes, diaconi deinde sine uno [*Forsan* vino] videlicet. Hoc autem expleto, accipiat diaconus de manu acolythi, et porrigat episcopo; ablatisque oblatis in illa jacentibus, reddat eam iterum acolytho. Cantor vero per juniorem suum cannam cum aqua involutam mappula transmittat subdiacono calicem in manu tenenti; et ipse eamdem in calicem infundet aquam, **68** reddatque diacono calicem : qui annuente episcopo ponat eum super altare.

9. Subdiaconi itaque, dum canitur *Sanctus*, post altare pergant stare, versi videlicet contra diaconos post episcopum stantes. Post quos diaconos duo acolythi cum duabus patenis stent. Infra actionem igitur detur aqua presbyteris ut lavent manus suas. Quando dicitur a pontifice *Nobis quoque peccatoribus*, detur diaconibus [b] aqua, et subdiaconi redeant ad loca sua.

10. Unus vero eorum qui lectionem recitavera[t], stet post diaconos juxta acolythos, ut dum dicitur a pontifice *Da propitius pacem*, accipiat ab acolythis patenas, osculeturque eas, et det eas diacono, qui et illas inter manus osculetur subdiaconi; quas etiam diaconus episcopo osculandas præbeat. Acceptis itaque illis, episcopus dividat inter eas sacrosanctum corpus consecratum, rumpatque unam oblatam, et ex ea particulam unam in corporale mittat, et aliam in calicem, dicendo : *Pax Domini sit semper vobiscum.* Venientesque duo presbyteri, unus hinc et alius inde, faciant cum eo pacem; deinde archidiaconus, et redeat ad sedem. Et archidiaconus, Evangelium scilicet qui legerat, accedat ad altare; elevetque patenas, et donet eas acolythis, jubeatque unam ante presbyteros, et aliam diaconibus coram tenere, ut frangat scilicet oblatas superimpositas. Elevat etiam et calicem, donatque illum subdiacono. Fractis itaque oblatis, jubeat diaconus acolytho ut deferat

[a] Nempe aquam, qua de re supra in primo libello. Id clarius hic in consequentibus : *Cantor vero per juniorem suum cannam cum aqua involutam mappula transmittat subdiacono.*

[b] Amalarius, in lib. III, cap. 25 : *In eodem officio lavant diaconi manus.*

unam patenam ad sedem ante pontificem. Qui surgens vertat se ad Orientem, et communicet. Susceptumque diaconus ab acolytho calicem porrigat episcopo, et confirmet; rursumque a diacono calix reddatur subdiacono.

11. Accedentes quoque presbyteri communicent, quibus episcopus donet sacrosanctum corpus in manus, cantque ad sinistrum cornu altaris, osculenturque illud, et communicent. Subsequatur etiam eos subdiaconus cum calice, donecque eum primo communicanti, qui et tribuat subsequenti; et sic per ordinem unus alteri tribuat, donec omnes confirmet. Similiter quoque post illos, diaconos communicent **69** et confirment. Dein clerus communionem ab episcopo accipiat, et a diacono confirmetur. Presbyter autem unus, aut duo, vel tres, seu quatuor fuerint necessarii, aliam accipiant patenam, et ex ea in reliquas partiantur patenas; confirment sanguine sacro, et sic populum communicent, cantante schola *Agnus Dei*, et Communionem. Omnes qui voluerint habeant communicatum. Diebus vero solemnibus, id est præcipuam festivitatem habentibus, peracta Missarum solemnitate, procedente pontifice, occurrat ei cantor cum schola, et dicat: *Jube, domne, benedicere*, respondeaturque a pontifice *Benedicat nos Deus*, et tota schola alta dicat voce *Amen*. Simili etiam ratione fiat, dum ingredi in secretarium debet.

ORDO ROMANUS VI,

DE MISSA EPISCOPALI SECUNDUS.

Ordo Processionis, si quando episcopus festivis diebus Missam celebrare voluerit, ita ut ab antiquis Patribus occidentalium institutione est constitutus, hic adesse cernitur scriptus.

70 1. Postquam prima hora celebrata fuerit in conventu fratrum, qui apud quosdam capitulum nuncupatur, a decano vel cantore singuli ad Missam ministeria acturi destinandi sunt. Et cum tintinnabulum ad tertiam sonuerit, omnes simul fratres in chorum ordinatim convenire debent, humeralibus et albis, apud quosdam autem casulis induti. Sed Processionem coram episcopo acturis a custode ecclesiæ in sacrario ornamenta præbenda sunt, presbyteris duobus, qui episcopum ducturi sunt, cappæ, diaconibus stolæ, et dalmaticæ, subdiaconibus vero sibi congruæ vestes, quæ apud quosdam subdiaconales nominantur; et mappulæ in sinistra manu ferendæ, acolythis candelabra, et thuribula portaturis casulæ. His cum induti fuerint, acolytis candelabra portantibus, subdiaconus archidiacono Evangelium fert, in medio stanti extra sacrarium, sive intra, ubi se pontifex parat, retro acolythis ordinatim standum est. Duo autem presbyteri ita, ut ad Missam, excepto quod cappis induti sunt, vestiti, una cum septem diaconibus coram episcopo stantes ministrent ei, cantantes cum illo septem Psalmos cum litania.

2. Tertia vero a fratribus impleta, procedunt diaconi de sacrario, dividentes se in duas partes, quatuor ad dexteram, **71** tres ad sinistram: et tunc procedat episcopus, stetque ex choro sic prope adeo, ut cantori manu innuere valeat. Cui etiam silendum est, usquequo episcopus cantare jusserit. Dehinc innuente episcopo cantetur Introitus. Et pontifex a custode ecclesiæ, qui alba indutus esse debet, incensum accipiens, ponat in thuribulum, et archisubdiacono apportante Evangelium complicatum, osculetur; quo tamen a plerisque revoluto, illud Evangelium quod illo die legendum est osculatur. His expletis, cum [a] Psalmus cantatur, innuente episcopo præcedant acolythi cum candelabris, primum unus, tum duo et duo, et subdiaconi similiter. Protinus diaconi secuturi. Et sic procedat sacerdos in chorum, ducentibus eum duobus presbyteris, quos cappis jam ante prædiximus esse indutos, sive, ut alii volunt, diaconibus. Apud quosdam autem in hac processione aliis subdiaconibus præcedentibus, ille qui lectionem lecturus est cum Evangelio retro diaconos episcopum præcedit, coram quem duo acolythi cum candelabris, unusque cum thuribulo antecedant. Quibus utique in hoc consentiendum esse volumus.

3. Igitur ut omnis processio in chorum venerit, acolythi cum candelabris se dividunt: quatuor scilicet in dexteram, et tres in sinistram, similique modo diaconi faciant. Subdiaconi autem, protinus ut in chorum venerint, quasi quædam linea porrecti usque ad altare progredientes, simul se inclinent coram eo, atque Evangelio superposito, quatuor in dextro ejus cornu, et tres in sinistro consistant. Pontifex vero postquam in medietatem perducitur, presbyteris, qui eum ducebant, sive diaconibus manus ejus osculantibus, propriaque repetentibus loca, inclinans se Deum pro peccatis suis deprecetur. Tunc erectus primum presbyteris duobus, deinde diaconibus per ordinem omnibus pacis oscula dabit. In quibusdam enim locis usus est et consuetudo, ut his finitis minister cum thuribulo subdiaconum Evangelium portantem antecedat ad altare, coram illo incensum ponens; et subdiaconus desuper Evangelium deponens revertatur. In aliis vero non incensum ad altare portatur, antequam oblationes altari superponantur.

72 4. Igitur his peractis, cum *Gloria* innuente episcopo cantabitur, a sæpe dictis presbyteris in superiorem ducendus est gradum, non omnino ad

[a] Quippe olim non unus tantum ex Psalmo Versus, ut modo, decantabatur ad Introitum, sed Psalmus continuabatur ad nutum sacerdotis celebrantis. Vide Menardum nostrum in Sacramentarium Gregorianum, pag. 3.

altare. In quo etiam loco gressus figendus est, usquequo presbyteri primum, et tunc duo et duo diaconi altaris cornua osculentur, et novissime archidiaconus solus. Sed continuo ut episcopus in altiora scandere incœperit, subdiaconus qui prius juxta altare stabat, choro *Gloria Patri* canente, ad propria loca revertendum est, et quatuor in dextro choro, tribus in sinistro standum erit. Quibus ita finitis, item versus a choro cantandus est, et pontifex usque in medietatem altaris ducendus est; ubi se altari inclinans, Evangelium osculetur; et sic demum dextro cornu altaris, ubi etiam sedes sibi parata est, osculum ferat. Tunc alius presbyter pr primu repetat locum, alius autem librum episcopo porrigat atque revolvat, et diaconi quatuor in dextro, tres in sinistro altaris cornu consistant.

5. Peracto itaque Introitu, innuente episcopo, cantandum est *Kyrie eleison*, sine cujus insinuatione cantorem nihil canere licebit. Et tunc acolythi candelabra in inferiori gradu, quasi quodam filo, per rectam lineam ponant, vel, ut quidam volunt, in modum crucis. Igitur cum *Gloria in excelsis* percantabitur, et pontifex se ad populum, *Pax vobiscum* dicturus, converterit, diaconi simul cum eo se conversuri sunt. Cumque collectam finierit, lectio legatur. Et sedente episcopo, accedat archidiaconus, et genu flexo ante eum regat vestimenta illius, et præbens se ad pedem, revertatur. Finita vero lectione, illis, qui Gradualem et *Alleluia* cantaturi sunt juxta pulpitum in inferiori gradu standum est.

6. Cum autem omnia usque ad Evangelium impleta fuerint, accedat princeps ecclesiæ ad episcopum, pyxidem in qua thus habetur manu ferens, sequente acolytho, qui thuribulum portat, et imposito in illud incenso ab episcopo, et subdiacono in dextra parte altaris diaconum præstolante, accedat diaconus ad altare. Dominum his verbis adoraturus, *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*. Et adorato altari, genua flectens ante episcopum, accipiat ab eo Benedictionem, et præbens se ad pedes ejus, adhibente manum episcopo, osculetur eam; et protinus ad altare progrediens, sumat Evangelium continuo lecturus. Candelabra autem ferentes infra pulpitum contra diaconum **73** stare debent. Sed ille qui thuribulum tenet juxta eum stet in sinistra parte, usquequo Evangelium perlegatur. Ut autem diaconus legere incœperit, duo acolythi involuti in sacrario a custode ecclesiæ sacra vasa accepturi sunt, et ea in chorum portaturi; et alter cum calice corporali cooperto, et vino cum aqua mista infuso, in dextera parte, alterque cum patena in sinistra parte erit.

7. Itaque perlecto Evangelio, accipiat subdiaconus pulvinar et Evangelium a diacono, eumque præcedat, coram quo etiam unus cum thuribulo, et septem acolythi cum candelabris usque ad altare antecedant. Quo cum pervenerit, episcopus, accepto odore incensi et Evangelio deosculato, ad prædicationem per manus presbyteri et archidiaconi perducendus est. Et interim dum sermonem facit ad populum, subdiaconus circumeundo fratribus Evangelium apportet, ab omnibus ordinatim deosculandum; sin autem episcopus prædicare noluerit, alta voce incipiat canere *Credo in unum Deum*, et ita omnis chorus incipiens *Patrem omnipotentem*, ad finem usque perducat. Diaconus vero statim ut a pulpito gradum ad altare ascenderit, accipiens corporale ab acolytho, alio se adjuvante diacono super altare distendat. Quod utique linteum ex puro lino contextum esse debet, quia sindone munda corpus Domini legitur involutum in sepulcro; et tantæ quantitatis [a] esse debet, ut totam altaris superficiem capiat.

8. Archisubdiaconus quippe ut Evangelium ab omnibus clericis deosculatum super altare deposuerit, accipiens calicem ab acolytho, archidiacono apportet vinum, per [b] colam, quam in sinistra manu Romanus Ordo archisubdiaconum auriculari digito ferre jubet, purgandum. Quod utique vas in id opus ex aliquo metallo formatum, in medio sui plurima quasi acus foramina ad excolandum vinum ostendit, et illud archisubdiaconus per totum Missæ officium in sinistra manu illo quo prædiximus digito annulo suspensum portaturus est.

9. Quibus ita peractis, et Symbolo finito, dicat pontifex ad populum, una cum illo diaconis, ut præfati sumus, conversis, **74** *Dominus vobiscum*, et *Oremus*. Et tunc illo innuente Offertorium cantetur a choro: et ille a presbytero et archidiacono ad locum ubi oblationes a fidelibus laicis sive viris, sive feminis, offeruntur, easdem accepturus, ducatur, præcedentibus coram eo subdiacono cum calice, et acolytho cum patena. Quo cum pervenerit, diaconus a subdiacono calicem accipiens, omnibus qui oblationes obtulerunt, eisdem ab eo acceptis et in patenam impositis, manum suam cum calice ad osculandum præbeat, et illum iterum subdiacono det ad portandum; ille autem cum presbytero episcopum ad altare reducat similiter ut ante, præcedentibus ipsis cum calice et patena. Ubi cum ventum fuerit, et episcopus sedem petierit, antecedant duo acolythi cum manutergio, et genu flexo ante eum totum illi sinum de eodem cooperiant, ne lavans manus aqua casulam spargat. Tertius autem acolythus, aquam illi ministraturus, in medio duorum genuflectat cum eo. Quod ideo ab antiquis Patribus decretum fertur, ut pontifex qui cœlestem panem accepturus est, a terreno pane, quem jam a laicis accepit, manus lavando expurget. Lotis autem manibus surgat episcopus, ut accipiat oblationes a duobus presbyteris,

[a] Nunc longe minus est illud corporale, ut omnibus perspicuum est. Ejusdem magnitudinis est in præmissis libellis.

[b] Editi, *colum* seu colatorium, per quod vinum in calicem, ne quid impurum decidat, infundi mos erat. Quod additur hic ex Ordine Romano, in nostris libris non invenio.

et diaconibus, et ab omnibus clericis, quas non tam Patrum instituta jubent, quam proprium arbitrium immolare suadet. Quas cum acceperit atque altari superposuerit, a; portante sibi archidiacono oblatas in patena a nullo immolatas, accipiat ex illis quantum sibi sufficere videatur, et alias ar hidiacono restituat, quas ille custodi ecclesiæ ad observandum committat.

10. Igitur oblatione altari superposita, ac ip eus diaconus calicem ab archidiacono, super altare continuo ponat. Tunc episcopus benedicens Hostias, et dicens, *Veni*, [a] *sanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc sacrificium tibi præparatum, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum*, convertat se et sumat incensum a custode ecclesiæ, ponensque in thuribulum offerat illud altari, detque archidiacono. Ille vero postquam hoc commendaverit acolytho, eat in locum suum, scilicet in medio diaconorum, qui omnes coram altari retro episcopum per rectam lineam stare debent. Tunc episcopus dicat, ad populum conversus, *Orate pro me*. Hoc cum dixerit, **75** subdiaconi eant retro altare, et ibi stantes, cantaturi sunt quiud cim grad. et diaconi coram altari similiter. Apud quosdam usus obtinuit subdiaconos in choro stare, usquedum *Sanctus* canatur, et hoc finito, eos coram altari retro diaconos aliquot gradibus infra consistere, et tunc retro subdiaconos acolythum patenam et fistulam habentem inferius stare.

11. Ergo cum dictum fuerit *Sanctus*, veniant tres acoly hi aquam diaconibus ministraturi; qui cum loti fuerint, et archidiaconus cum episcopo cal cem levaverit, et ille dixerit *Per omnia sæcula sæculorum*, in aliquibus locis subdiaconibus in priorem locum euntibus diaconi ibi persistunt usquedum *Pater n ster* cantabitur, et sic demum omnes revertuntur. Cumque episcopus *Pater noster* finierit, accipiens archisubdiaconus patenam ab acolytho, offerat eam arc idiacono. Ille autem, ut episcopus dicit *Da propitius pacem*, patenam illi accommodans, humerum ejus osculetur. Statimque episcopo dicente *Per omnia sæcula sæculorum*, accipiat benedictionalem librum; et conversus ad populum dicat *Humiliate vos ad Benedictionem*, et clero respondente *Deo gratias*, porrigat episcopo librum.

12. Expleta autem Benedictione veniens presbyter accipiat pacem ab episcopo, eamdem cæteris oblaturus. Diaconus vero sumens calicem et patenam ab altari, subdiacono patenam porrigat, quam ille acolytho ad tene dum præbeat. Ipse autem diaconus tenens calicem et fistulam stet ante episcopum, usquedum ex sanguine et corpore Christi, quantum voluerit, sumat, et sic calicem et fistulam subdiacono commendet. Quo protinus in sinistrum cornu altaris pergente, acolythus ibi cum patena coram episcopo consistat. Presbyteri vero et diaconi osculando episcopum, corpus Christi ab eo manibus accipiant, in sinistra parte altaris communicaturi. Subdiaconi autem osculando manum episcopi, ore [b] accipiant corpus Christi ab eo. Postquam vero diaconi in sinistro cornu altaris de sanguine Christi communicent, venientes subdiaconi ordinatim accipiant sanguinem ab archidiacono, manum ejus osculantes. Et eidem archidiacono nimis caute **76** procurandum est ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi remaneat.

13. His ita peractis, duo diaconi complicantes corporale ponant super calicem, fistula adhuc in eo remanente. Interim autem cantetur *Agnus Dei*, et quæ tunc canenda sunt. Dehinc omnes cum jam communicaverint, acolythus qui patenam portat in sinistram altaris partem pergens cum subdiacono consistat. Sedente vero episcopo secundum prædictum ordinem, tres acolythi genu flexo ante eum aquam manibus ministrant. Lotis autem manibus, surgente episcopo, convertente se ad populum, et dicente *Dominus vobiscum*, subdiaconus cum calice, et acolythus cum patena una cum diaconibus se conversuri sunt. Cumque episcopus collectam finierit, et diaconus *Ite Missa est*, et clerus *Deo gratias* dixerit, duo diaconi accipientes manus episcopi, et subdiaconus cum calice, et acolythus cum patena eum antecedentes, ut prædiximus intrantem, ita exeuntem cum omni processione ad sacrarium reducant.

[a] Micrologus, in cap. 11, ait hanc Orationem recitari *juxta Gallicanum Ordinem*.

[b] Observandus hic diversus communicandi ritus, ut presbyteri et diaconi Eucharistiam manibus, subdiaconi ore accipiant.

ADMONITIO IN SEPTIMUM ORDINEM ROMANUM.

Post libellos veteres Ordinis Romani sequuntur antiqui libelli tres, unus de baptismo, ac duo de ordinationibus sacris. Primum ex his nobis suppeditavit eruditus Josephus Maria Thomasius, eumdemque contulimus cum pervetusto Codice Colbertino, n. 416. Idem libellus cum multis interpolationibus habetur in vulgato Ordine Romano a pag. 61. Ejus antiquitatem vel lectio ipsa probat. Multa his consimilia occurrunt in Sacramentario Gelasiano a pag. 47 Editionis Thomasianæ.

ORDO ROMANUS VII,

Incipit Ordo Scrutinii ad electos, qualiter debeat celebrari.

Denuntiatio scrutinii, quod tertia hebdomada in Quadragesima, secunda feria, initiatur.

77 1. « Scrutinii diem, dilectissimi fratres, quo electi nostri divinitus instruuntur, imminere cognoscite; ideoque sollicita devotione succedente sequenti quarta feria, circa horam tertiam [*All.*, diei sextam]

subvenire dignemini, ut cœleste mysterium, quo diabolus cum sua pompa destruitur, et janua regni cœlestis aperitur, inculpabile Deo juvante ministerio peragere valeamus. Per. » Ut autem ad ecclesiam venerint, sicut diximus, quarta feria, hora tertia, scribantur [a] nomina infantium, vel eorum qui ipsos suscepturi sunt ab acolytho, et vocentur ipsi infantes ab acolytho in ecclesia per nomina, vel ordine sicut scripti sunt, ita dicendo : *Ille puer*, et sic per singulos. Et statuuntur masculi seorsum ad dexteram partem, feminæ ad sinistram. Et tunc inprimitus faciat presbyter in singulorum frontibus crucem cum pollice dicendo : *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Et imponens manum super capita eorum, dicit hanc Orationem : *Omnipotens sempiterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi.* Item super feminas faciat similiter. Et postea benedicet sal hoc modo : *Exorcizo te, creatura salis.* Et mittit in ore infantium de ipso sale per singulos ita dicendo : *Accipe, ill., sal sapientiæ propitiatus in vitam æternam.* Et dicat post datum sal hanc Benedictionem : *Deus patrum nostrorum, Deus universæ conditor veritatis.*

2. Inde vero exeant foris ecclesiam, exspectantes horam **78** quando revocentur. Tunc incipiat clerus Antiphonam ad Introitum, *Dum sanctificatus fuero in vobis ;* qua finita ascendit sacerdos ad altare, et dicit Orationem : *Oremus. Da, quæsumus, Domine, electis nostris.* Et postea sedet in sede sua, et vocentur infantes a diacono dicente : *Catechumeni procedant.* Et vocantur infantes ab acolytho per nomina, vel ordine ut scripti sunt, et statuuntur ut prius, masculi ad dexteram, feminæ ad sinistram ; et postmodum commonentur a diacono ita : *Orate, electi, flectite genua.* Et postquam oraverint, dicit *Levate. Complete Orationem vestram in unum, et dicite Amen.* Et respondent omnes *Amen.* Item dicit diaconus : *Signate illos, accedite ad Benedictionem.* Et signent illos infantes in frontibus eorum patrini vel matrinæ de pollicibus suis, dicentes *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Tunc venit acolythus iterum faciens crucem in frontibus singulorum, dicendo *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Et imponit manum super eos, dans Orationem super eos excelsa voce, his verbis, *Deus Abraham.* Qua expleta, vertit se ad feminas, et faciens crucem in frontibus singularum, dicendo : *Deus cœli, Deus terræ.* Et annuntiat diaconus dicens : *Orate, electæ*, et reliqua, sicut superius. Et signant patrini ut prius. Et sequitur alius acolythus, super masculos faciens crucem, sicut primus fecit; et imponet manum super eos, dicens : *Audi, maledicte, Satanas.* Item super feminas similiter faciens crucem, et imponens manus super eas, dicendo : *Deus Abraham, Deus Isaac.* Item dicit diaconus ut orent electi et reliqua, ut prius, et signant patrini, sicut prius. Inde tertius acolythus facit crucem in frontibus puerorum, sicut anterior fecit, et imponet manum super capita puerorum, dicendo : *Exorcizo te, immunde spiritus.* Item super feminas faciens crucem ut prius, et imponet manum super capita ipsarum dicendo, *Exorcizo te, immunde spiritus.* Iterum admonet diaconus, *Orate, electæ*, et reliqua sicut antea ; et signent patrini, sicut prius. Et tunc presbyter accedit faciens crucem in singulorum frontibus, sicut prius, et imponet manum super capita ipsorum, dicens Orationem hanc : *Æternam ac justissimam pietatem tuam.* Idem ipse facit super feminas, similiter dicens ipsam Orationem. Ista omnia consummata, iterum admonentur a diacono ita : *Orate, electi, flectite genua.* Et post paululum dicit : **79** *Levate. Complete Orationem vestram in unum, et dicite Amen.* Iterum dicit : *Signate illos, state cum disciplina et cum silentio.* Et signant patrini, ut prius.

3. Inde revertit sacerdos ad sedem suam, et legitur lectio Ezechiel prophetæ : *Hæc dicit Dominus : Effundam super vos aquam mundam*, usque *et salvabo vos ex universis inquinamentis vestris.* Sequitur Gradale [*All.*, Responsorium], *Aspiciam vos, et crescere faciam.* Postea admonentur a diacono ita : *Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foras.* Et egrediuntur ipsi electi, exspectantes pro foribus, usquedum completa fuerint Missarum solemnia. Deinde legitur Evangelium secundum Matthæum : *In illo tempore, respondens Jesus dixit : Confitebor tibi, Pater cœli*, usque *Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.* Et offeruntur oblationes a parentibus, vel ab his qui ipsos suscepturi sunt, et ponit ipsas sacerdos super altare, et dicit Orationem secreto : *Miseratio tua, Deus, ad hæc percipienda mysteria.* Ubi dicit *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, recitantur nomina virorum ac mulierum qui ipsos infantes suscepturi sunt. Item infra Actionem, *Hanc igitur ;* expleta autem recitentur nomina electorum. Postquam recitata fuerint, dicit : *Hos, Domine, fonte baptismatis innovandos.* Finita vero Missarum solemnia, communicent omnes præter ipsos infantes. Deinde annuntiat presbyter ut in ipsa hebdomada revertantur ad scrutinium, ita dicendo : *Die Sabbati venite, collegite vos temporius ad ecclesiam ill. vel ill.*

4. Venientes autem omnes ad ipsum diem, sicut eis denuntiatum fuit, et faciunt ipsum scrutinium, et Missam per omnem ordinem, sicut superius scriptum est. Iterum annuntiat presbyter qualem diem voluerit in sequenti hebdomada, quæ ab initio Quadragesimæ est quarta, ita dicendo : *Illa feria veniente, collegite vos temporius ad ecclesiam illam*, qualem ipse denuntiaverit. Et ut venerint ad ecclesiam die quo eis fuerit annuntiatum, clamat diaconus dicens: *Catechumeni procedant ;* et vocantur infantes ab acolytho per nomina, vel ordine sicut prius, et faciunt scrutinium per omnia, sicut illos priores fecerunt, usque ad ubi dicit : *Signate illos, state cum disciplina et cum silentio.* Et tunc leguntur duæ lectiones in aurium apertionem. *Lectio Isaiæ prophetæ : Hæc dicit Dominus : Audite audientes me, et comedite bonum,*

[a] Habebant ergo nomina jam ante baptismum. Quanquam non raro nomina tunc imponebantur. Lege Menardum in Sacrament., pag. 58.

80 usque *Ad Dominum Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Sequitur Gradale *Venite, filii.* Item alia lectio ad Colossenses : *Fratres, exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis*, usque *Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Sequitur Gradale *Beata gens.*

5. Inde vero procedunt quatuor diacones de sacrario cum quatuor libris Evangeliorum, præcedentibus eos duobus candelabris cum thuribulo et incenso, et ponunt ipsa Evangelia in quatuor angulos altaris, et antequam aliquis eorum legat, tractet presbyter his verbis : *Aperituri vobis, filii carissimi, Evangelia, id est gesta divina*, et reliqua. His expletis, annuntiet diaconus, dicens, *State cum silentio, audientes intente.* Et tunc accipiens unus diaconus desuper angulo primo altaris sinistro librum Evangelii, præcedentibus ante eum duobus candelabris cum thuribulo, ascendit ad legendum, et legit, *Initium sancti Evangelii secundum Matthæum*, usque *ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Et postquam legerit, suscipit de eo subdiaconus ipsum Evangelium super linteum, et portet in sacrario, et tractet presbyter his verbis : *Filii carissimi, ne diutius vos teneamus.* Ipsa expleta, item annuntiat diaconus, *State cum silentio, audientes intente.* Iterum accipit diaconus desuper alio sinistro angulo altaris alium librum Evangelii, præcedentibus cereis et thuribulo, sicut superius. Iterum dicit : *Initium sancti Evangelii secundum Marcum*, usque *Ego baptizo vos in aqua, ipse vos baptizabit Spiritu sancto.* Et postmodum sequitur presbyter his verbis : *Marcus evangelista leonis gerens figuram.* Ipsa expleta, item annuntiat diaconus : *State cum silentio, audientes intente.* Et accipit diaconus desuper tertio angulo dextro altaris tertium librum Evangelii secundum Lucam, usque *Parare Domino plebem perfectam.* Et tractet presbyter his verbis : *Lucas evangelista*, etc. Ipsa expleta, iterum annuntiet diaconus ut supra. Et accipit diaconus desuper quarto angulo dextro altaris quartum librum Evangelii secundum Joannem : *In principio erat Verbum*, usque *Plenum gratia et veritate.* Iterum prosequitur presbyter his verbis : *Joannes evangelista*, etc.

6. Deinde dicit præfationem symboli, *Dilectissimi nobis, accepturi sacramenta Baptismatis.* Ipsa expleta, tenens acolythus **81** unum ex ipsis infantibus masculum in sinistro brachio, et interroget ei presbyter, dicens : *Qua lingua confitentur Dominum nostrum Jesum Christum?* Respondet, *Græce. Annuntia fidem ipsorum qualiter credant.* Et dicit acolythus Symbolum Græce, decantando his verbis, Πιστεύω εἰς ἕνα. Hoc expletum, vertit se ad feminas, et facit similiter. Iterum acolythus alter accipiens ex Latinis infantibus unum in sinistro brachio, ponens manum dextram super caput ipsius, et interroget ei presbyter : *Qua lingua confitentur?* sicut prius, et respondet, *Latine.* Dicit ei presbyter : *Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, visibilium.* Hoc expletum, vertit se ad feminas, et facit similiter. Deinde sequitur presbyter his verbis : *Hæc summa est fidei nostræ, dilectissimi nobis.* Ipsa expleta, annuntiat diaconus dicens : *State cum silentio, audientes intente.* Inde subsequitur sacerdos hanc præfationem dominicæ Orationis : *Dominus et Salvator noster.* Ipsa expleta, admonentur a diacono : *State cum silentio, audientes intente.* Et dicit presbyter : *Audistis, dilectissimi, Dominicæ Orationis.* Ipsa expleta, annuntiat diaconus : *Catechumeni recedant. Si quis catechumenus est, recedat. Omnes catechumeni exeant foras.*

7. Egressi vero parentes cum infantibus eorum, foris relinquant ipsos infantes in custodia ; et iterum ingrediuntur in ecclesiam, tam parentes quam illi qui ipsos infantes suscepturi sunt, cum oblationibus eorum, et offeruntur pro ipsis. Ipsi vero infantes pro foribus exspectant, donec consummentur Missarum solemnia. Expleta vero Missa, communicent omnes, præter ipsos infantes

8. Iterum annuntiat presbyter qualem diem voluerit sequenti hebdomada, quæ est ab initio Quadragesimæ, ut revertantur ad scrutinium. Et ut venerint, celebratur ipsum scrutinium per omnem ordinem, sicut illi duo priores ante auris apertionem fuerunt. Et postea annuntiat presbyter, ut ipsa hebdomada, qualem diem vel ad qualem ecclesiam voluerit, ut revertantur ad scrutinium quartum. Et ut venerint, facit ipsum scrutinium per omnem modum, sicut anterius fecit. Hoc expletum, iterum annuntiat eis, sicut superius, ut revertantur ad scrutinium sextum, in sequente hebdomada ultima ante Pascha, qualem diem vel ad qualem ecclesiam voluerit, et complet ipsum scrutinium vel ipsa omnia, sicut anterius fecit. Ita tamen agendum est, ut a primo scrutinio, **82** qui incipit tertia hebdomada in Quadragesimum, usque in Sabbato sancto vigiliæ Paschæ, septem scrutinia esse debeant secundum formam septem donis Spiritus sancti, ut dum septem septenario numero implebuntur, detur illis gratia septiformis Spiritus sancti.

9. Item annuntiat presbyter ut in ipso sancto Sabbato, hora tertia, revertantur ad ecclesiam, et tunc catechizantur, et reddunt Symbolum, et baptizantur, et complebuntur septem oblationes eorum. Ordo vero qualiter catechizantur ita est. Post tertiam horam Sabbati procedant ad ecclesiam, et ordinentur per ordinem, sicut scripti sunt, masculi in dexteram, feminæ in sinistram ; et faciens crucem sacerdos in frontibus singulorum, postea imposita manu super capita singulorum dicat : *Nec te latet Satanas.* Ipsa expleta, tanget presbyter singulorum nares et aures de sputo oris sui, et dicit uniuscujusque ad aurem, *Effeta, quod est adaperire, in odorem suavitatis*, et reliqua. Hac expleta, ambulat in circuitu imposita manu super capita eorum, decantando excelsa voce *Credo in unum Deum*, et reliqua. Vertitque se ad feminas, et facit similiter. Postea dicitur eis ab archidiacono : *Orate, electi, et flectite genua.* Et post paululum dicit : *Levate. Complete Orationem vestram in unum, et dicite Amen.* Et respondent omnes *Amen.* Iterum admonentur ab archidiacono his verbis : *Cate*

chumeni secedant. Si quis catechumenus est, secedat. Omnes catechumeni exeant foras, exspectantes horam, qua possit circa vos Dei gratia baptismum operari. Postea impletur Benedictio. Inde sequuntur lectiones per ordinem cum canticis ad ipsum diem pertinentes.

10. Hoc expleto, procedit pontifex de ecclesia cum omni ordine [ornatu] sacerdotum, litaniam cantantes, hoc est *Kyrie eleison*, usquedum veniunt ad fontes, præcedentibus ante eum notariis cum duobus cereos ardentes staturam hominis in altum habentes, cum tyrabulis et thymiamateriis; et incipiunt litaniam, quam subsequitur *Christe audi nos*, et reliqua. Ipsa expleta in circuitu fontis, astante clero omni vel cuncto populo cum multis luminibus, facto silentio dicit pontifex *Dominus vobiscum*, respondentibus cunctis *Et cum spiritu tuo*; et dicit *Oremus*, et dat Benedictionem: *Omnipotens sempiterne Deus.* Item alia, *Deus qui invisibili potentia tua*, et reliqua. Item alia: *Hæc nobis præcepta servantibus.* Hæc omnia expleta, **83** fundit chrisma de vasculo aureo intro in fontes super ipsam aquam in modum crucis, et cum manu sua miscitat ipsum chrisma cum aqua, et aspergit super omnem fontem vel populum circumstantem. Hoc facto, omnis populus, qui voluerit, accipiet [a] Benedictionem unusquisque in vasis suis de ipsa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad spargendum in domibus eorum, vel in vineis, campis, vel fructibus eorum.

11. Deinde pontifex baptizat unum, aut duos, vel quantos ei placuerit de ipsis infantibus, cæterique a diacono [b], cui ipse jusserit, baptizantur. Levantes autem ipsos infantes in manibus [c] suis, offerunt eos uni presbytero. Ipse vero presbyter faciens de chrisma crucem cum pollice in [d] vertice eorum, ita dicendo, *Deus omnipotens pater Domini nostri Jesu Christi*, et reliqua. Et sint parati qui eos suscepturi sunt cum linteis in manibus eorum, et accipiant eos a pontifice vel diaconibus qui eos baptizarunt. Pontifex vero egreditur de fonte, habens compositam sedem in ecclesia, ubi voluerit, sedens in eam, et deportantur ipsi infantes ante eum, et dat singulis stolam, casulam et chrismale, et decem [e] siclos, et vestiuntur.

12. Induti vero ordinantur per ordinem, sicut scripti sunt, in circuitu; et dat Orationem pontifex super eos, confirmans eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti. Oratione expleta, facit crucem cum pollice et chrisma in singulorum frontibus, ita dicendo: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, pax tibi.* Et respondet *Amen.* Et hoc omnino præcavendum est ut hoc non negligatur, quia tunc omne baptismum legitimum christianitatis nomine confirmatur. Post hoc ingrediuntur ad Missas, et communicant omnes ipsos infantes; illud providentes, ut postquam baptizati fuerint, **84** nullum cibum accipiant, nec allactentur, antequam communiceut. Et postea per totam hebdomadam Paschæ omnibus diebus ad Missam debent venire, et parentes eorum pro ipsis offerre. Hoc autem supra scripto ordine baptismum, sicut in Sabbato sancto Paschæ, sic et Sabbato Pentecosten omnimodis celebretur.

[a] In Colbertino, *accipiat de ipsa aqua in vasis suis, antequam... vel fructibus eorum. Et interrogante sacerdote Symbolum, tenentes ipsos qui eos suscepturi sunt, ita dicit*: Credis in Deum Patrem omnipotentem? R. Credo, *et cætera. Baptizat vero episcopus unum*, etc.

[b] Presbyteros vel diaconos baptismi ministros suggerit primus libellus, num. 42.

[c] In libro Sacramentorum edito a nostro Menardo: *Et infantes quidem in brachiis dextris tenentes, majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui.*

[d] Mirum est infantes (ita enim recens baptizatos, etiam adultos, appellari mos erat) ungi primum in vertice a presbytero, mox ab episcopo in fronte, quem ritum apud Romanos usitatum observat vulgatus Alcuinus, pag. 64.

[e] In primo Ordine Romano, supra, num. 44, legitur *decem siliquas.*

ADMONITIO IN OCTAVUM LIBELLUM ORDINIS ROMANI.

Hic libellus superiori fragmento *de officiis in noctibus a Cœna Domini usque ad Pascha* continenter subjicitur in pervetusto Codice Palatino Vaticano, signato n. 487. Non dubium quin sequens libellus contineat puriorem Ordinem Romanum de ordinatione sacrorum ministrorum, quam qui in Vulgatis habetur, ut facta comparatione facile quivis intelliget. Observat porro Amalarius, in lib. II, cap. 1, *primos apostolicos seu* Romanos pontifices, semper *in Decembrio consecrationes ministrasse usque ad Simplicium, qui fuit a beato Petro XLIX, primusque sacravit in Februario.* Adde Micrologum in cap. 28, qui huc auctoritatem adducit *Pontificalis Romani*, quo nomine librum de gestis Romanorum pontificum sine dubio intelligit. Plura de his in commentarii prævii cap. 15.

2. Alium libellum itidem de ordinationibus sacris secundum morem ecclesiæ Romanæ visum est item huic Ordini adjicere ex antiquo Codice sancti Galli, ut ex mutua collectione res amplius illustretur. Secundus iste Ordo magis convenit cum vulgato ordine Romano, qui tamen longe multo auctior est. Alios libros Rituales, qui apud Menardum nostrum et Morinum typis vulgati sunt, hic recudere non visum est operæ pretium.

ORDO ROMANUS VIII,

85 I. *Quomodo in sancta Romana Ecclesia acolythi ordinentur.*

1. Dum Missa celebrata fuerit, induunt clericum illum planetam et orarium. Dumque venerit episcopus, aut ipse domnus apostolicus ad communicandum, faciunt eum venire ad se, et porrigit in ulnas

ejus [a] sacculum super planetam; et prosternit se in terram cum ipso sacculo, et dat ei Orationem sic: *Intercedente beata et gloriosa semperque virgine Maria, et beato apostolo Petro, salvet et custodiat et protegat te Dominus. Amen.*

2. Et si ad subdiaconatus officium voluerit eum provocare, adducitur ad medium, et jurat coram sancta Christi Evangelia de quatuor [b] capitula secundum canones; et tunc porriget ei archidiaconus vel episcopus calicem sanctum in ulnas foras planeta; et se in terra prosternet et dat ei Orationem, ut supra diximus.

3. Et si ad diaconatus ordinem voluerit eum provocare, dum Introitus Missæ inchoatur, ipse subdiaconus indutus tunicam albam, et tenens orarium suum in manu, stat ante rugas altaris. Non dicitur tunc *Kyrie eleison*; sed completo Introitu, dat Orationem episcopus, et legitur Apostolus ad Timotheum: *Fratres, diaconos esse oportet pudicos, non bilingues*, usque in finem, *Quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Et psallitur Gradale. Deinde exuitur ipse subdiaconus planeta a diacono. Tunc episcopus dicit: *Oremus, dilectissimi, Deum Patrem omnipotentem, ut super hunc famulum suum, quem ad sacrum Ordinem dignatur assumere benedictionis suæ gratiam* **86** *clementer effundat, eique donum consecrationis indulgeat, per quod eum ad præmia æterna perducat.* Et tunc schola initiat *Kyrie eleison.* Et prosternit se episcopus ante altare, et post eum ipse subdiaconus; et expleta litania, surgent a terra, et statim dat ei Orationem consecrationis. Dum vero consecratus fuerit, dat osculum episcopo et sacerdotibus, et stat ad dexteram episcoporum jam indutus dalmatica.

4. Si vero voluerit eum consecrare ibi ipsum presbyterum, tenens eum archidiaconus ducit foras rugas altaris, exuit eum dalmatica, et sic eum induit planeta, et ducit iterum ad episcopum Et tunc aliam illi dans Orationem, consecrat eum presbyterum, dans osculum episcopo vel cæteris sacerdotibus, et stat in ordine presbyterorum, et dicitur *Alleluia*, vel Tractus et Evangelium, et quod sequitur, et completur Missa ordine suo.

II. *Item quomodo episcopus ordinatur.*

5. Dum [c] a civitate et loco episcopus fuerit defunctus, a populo civitatis eligitur alius; et fiet a sacerdotibus clero et populo [d] decretus, et veniunt ad domnum apostolicum, adducentes secum et suggestionem, hoc est rogatorias litteras, ut eis episcopum consecret, quam secum deportati sunt. Tunc domnus apostolicus præcipit sacellario vel numinculatori ut eum ad archidiaconum dirigat, et eum inquirat de quatuor capitulis secundum canones, id est arsenochita, quod est masculo; pro ancilla Dei sacrata, quæ a Francis nonnata dicitur; pro quatuor pedes, et pro muliere viro alio conjuncta; aut si conjugem habuit ex alio viro, quod Græcis dicitur deuterogamia. Et dum nulli horum ipse vir conscius fuerit, Evangeliis ad medium deductis jurat ipse electus archidiacono. Et post hæc tradito subdiacono, pergit cum præfato electo apud aulam beati Petri apostoli, ibique in ejus sacratissimum corpus confirmat, quod non cognovisset superius nominata capitula. Alio vero die nuntiatur, ab archidiacono sicut actum est.

6. Tunc domnus apostolicus induit se palleum, et sedet **87** in sede; advocans ad se episcopos vel presbyteros, jubet eos sibi consedere. Stante autem universo clero, præcipit vero sacellario suo, ut plebs civitatis ingrediatur. Ille dum perrexit eos introducendum, eligit ex illis, id est ex sacerdotibus, personam qui rationem reddat, dum fuerit interrogatus. Et dum fuerint introducti, interrogantur a domno apostolico sic: *Quid est, fratres, quod vos fatigastis?* Illi respondent: *Ut nobis, domine, concedas patronum.* Respondet domnus apostolicus, *Habetis vestrum?* Respondent, *Habemus. Quo honore fungitur?* Respondet, *diaconus, presbyter*, aut quod fuerit. Interrogantur, *Quantos annos habet in diaconato aut presbyterato?* Respondent quantos et quomodo. Domnus apostolicus dicit: *De ipsa Ecclesia est, an de alia?* Respondent, *De ipsa.* Et si dixerint de alia, dicit domnus Apostolicus: *Dimissoriam habet ab episcopo suo?* Respondent *Habet*, et mox offerunt eam. Domnus apostolicus dicit: *Conjugem habuit? disposuit de domo sua?* Respondent *Disposuit.* Domnus apostolicus dicit: *Quid vobis complacuit de eo?* Respondent: *Et castitas, hospitalitas, benignitas, et omnia bona quæ de eo sunt prolata.* Domnus apostolicus dicit: *Videte, fratres, ne aliquam promissionem fecisset vobis; scitis quod simoniacum et contra canones est.* Respondent *Absit a nobis.* Domnus apostolicus dicit: *Vos videritis.* Et iterum dicit: *Habetis decretum?* Respondent, *Habemus.* Et dum eum offerunt, jubet sacellario ut relegatur. Et dum relectus fuerit, jubet domnus apostolicus introducere electum.

7. Dum vero introductus fuerit electus, et subdiaconus a longe tertia vice se in terra prosternet, tunc domnus apostolicus Orationem dicit sic: *Protegat nos Dominus.* Respondent omnes *Amen.* Domnus apostolicus interrogat eum: *Quid te fatigasti, frater?* Respondet: *Ad quod non sum dignus isti confamuli mei me adduxerunt.* Et dicit: *Quo honore fungeris?* Respondet, *Diaconi aut presbyteri*, vel quod est. Et interrogat eum domnus apostolicus: *Quantos annos habes in diaconato, aut in presbyterato?* Respondet quantos. Iterum interrogat eum

[a] Ejusmodi sacculus erat ad recipiendam et deferendam Eucharistiam, quod officium olim fuisse acolythorum vidimus in superioribus.

[b] Quatuor hæc capitula explicantur infra num. 5, continentque quatuor genera vitii carnalis.

[c] Confer editum Ordinem Romanum, a pag. 97, et vulgatum Alcuinum, apud quem eadem fere leguntur, pag. 73, iidemque apud Morinum, pag. 325.

[d] Ejusmodi decreti formulam habes in libro Diurno pontificum Romanorum.

domnus apostolicus : *Habuisti conjugium, et de domo tua disposuisti?* Ille respondet si habuit, aut non, et quia de domo sua disposuit. Item interrogatur a domno apostolico si aliquam dationem aut promissionem fecisset? Respondet *Absit.* Iterum domnus apostolicus interrogat eum : **88** *Quales Codices in Ecclesia tua leguntur?* Respondet : *Octateuchum, Regnorum, Prophetarum, Actuum apostolorum, Evangelium, et Apostolum.* Domnus apostolicus interrogat : *Nosti canones?* Respondet : *Doce nos, domine.* Dicit domnus apostolicus : *Ordinationem si feceris,* [a] *aptis temporibus fac, id est, primi, quarti, septimi, et decimi mensis. Bigamos aut curiales ad sacros ordines ne promoveas; attamen dabitur tibi edictum de scrinio, quomodo debeas conversari.* Tunc præcipit archidiacono domnus apostolicus, et releget petitionem quam ipse electus a populo domno apostolico obtulerat. Et dum relecta fuerit, dicit domnus apostolicus : *Quomodo vota omnium in te conveniunt? Hodie te abstinueris, et crastino, si placuerit Deo, consecrandus eris.* Respondet archidiaconus : *Jussisti, domne.* Et dat domnus apostolicus ipso electo osculum, et egrediuntur foras.

8. Alia vero die, quod est Dominica, procedit domnus apostolicus in ecclesia, ibique episcopi et presbyteri cum eo, et cæteri ordines clericorum consistunt; et ingreditur domnus apostolicus secretarium, et jubet scholam psallere. Et procedit de sacrario cum omni decore in ecclesia ipsa, sicut mos est. Completo vero Introitu, non dicunt tunc *Kyrie eleison*, sed mox domnus apostolicus dat Orationem. Deinde dicitur Apostolus ad Timotheum : *Charissime, fidelis sermo, si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* et cætera. Et dum psallitur Gradale, egrediatur archidiaconus cum acolythis et subdiaconis, et induit eum dalmatica, planeta et campobus [*Leg.* compagis], et introducit eum. Dumque introductus fuerit, vocet eum domnus apostolicus : *Cleros et plebs consentiens civitatis tal. cum adjacentibus parochiis suis, elegerunt sibi illum talem diaconum, vel presbyterum episcopum consecrari. Oremus itaque pro eodem viro, ut Deus et Dominus noster Jesus Christus tribuat ei cathedram episcopalem ad regendum Ecclesiam suam et plebem universam.* Deinde schola incipit *Kyrie eleison* cum litania. Prostratus domnus apostolicus cum sacerdotibus et ipso electo in terra ante altare, completa litania surgent, et tunc [b] benedicent eum. Et Benedictione expleta, dat osculum domnus apostolicus; et tenens eum archidiaconus **89** deportat eum; et sic dat osculum episcopis et presbyteris. Et tunc jubet eum domnus apostolicus supra omnes episcopos sedere; et dum sederit, dicitur *Alleluia*, deinde Evangelium, et expletur Missa

9. Dum vero venerit ad communicandum, domnus apostolicus porrigit ei formatam atque sacratam oblationem; et eam suscipiens episcopus ipse ex ea communicat super altare, et sibi cæterum ex ea reservat ad communicandum usque ad dies [c] quadraginta, et postmodum ex præcepto domini apostolici communicat omnem populum.

[a] Hæc leguntur in edito Ordine Romano, pag. 104, sed multo prolixiora.

[b] Forte legendum *surgent, et tunc benedicet*, ut notavimus in commentarii prævii cap. 15.

[c] Idem ritus legitur tum in vulgato Ordine Romano, pag. 102, tum in Fulberti secunda epistola ad Einardum, tum apud Morinum, pag. 324, et 326.

ORDO ROMANUS IX.

De gradibus Romanæ Ecclesiæ.

1. Primum [a], in qualicunque schola reperti fuerint pueri bene psallentes, tolluntur inde, et nutriuntur in schola cantorum, et postea fiunt cubicularii. Si autem nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriuntur. Ex hac accipient primam Benedictionem ab archidiacono, ut liceat eis super linteum vellosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. Dein, sicut Sacramentorum Codex continet, quando et ubi libitum fuerit, usque in subdiaconatus officium ordinantur, diaconi vero atque presbyteri nunquam nisi in publica ordinatione. Fit enim conventus populi et congregatio regionum, primum ad sanctum Adrianum; et inde pergit pontifex una cum populo, præcedente solito apparatu, id est cruces, thuribula, vel tale, usque ad sanctam Mariam ad præsepem. **90** Accedente pontifice ad altare, schola cantorum repetit litaniam, dein Introitum, et pontifex dicit *Oremus*; et diaconus *Flectamus genua.* Post Collectam ascendit lector in ambonem, et elevata voce legit lectionem de quarta feria, et sequitur Gradale. Dein dicit pontifex *Dominus vobiscum.* Diaconus ut supra. Post collectam ascendit lector in ambonem, et elevata voce legit brevem in auribus populi, sic continentem : *Cognoscat fraternitas vestra, quia ill. et ill. vocantur in tali officio. Si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum et secundum Deum, et dicat. Memor sit tamen omnino* [b] *communionis suæ.* Quod si nullus contradictor exstiterit, sequitur Lectio, et Responsorium.

2. Post hæc advocantur sursum, et statuuntur in sinistra parte altaris, usquedum pontifex Missam percompleat. Dein advocantur feria 6 ad sanctos apostolos eo tenore ut supra. Sabbato vero egreditur pontifex ad sanctum Petrum, et universæ regiones cum eo litaniam canendo. Ingrediente papa in

[a] Confer vulgatum Ordinem Romanum, a pag. 86, ubi quædam ex his leguntur, sed multum aucta. Editionis Thomasianæ, et apud Morinum, pag. 267, 310 et 327.

[b] Ita etiam legitur in Codice Gelasiano, pag. 29

sacratarium, ipsi præstolantur adventum ejus in presbyterio. Schola cantorum canit Introitum, et pontifex dat Orationem. Subdiaconi legunt lectionem, et cantatur Gradale, exspectantes illi qui benedicendi sunt sub ambonem, donec quinque lectiones compleantur. Deinde apostolicus legit ipse advocationis brevem coram populo, et stant parati singulorum ministri cum indumento, donec archidiaconus veniat, et singulis singula sua manu tribuat. Post hæc autem descendit archidiaconus innuente pontifice, et dat uni ex ipsis manum, cæteri vero sequuntur eum, et ascendunt ad altare, et prosternit se pontifex cum ipsis in orationem, clero interim canente litaniam. Surgentes autem ab oratione, pontifex stat in sede sua, singillatim imponens manus capitibus eorum, et benedicit eos. Accedens autem archidiaconus tollit orarios de [a] confessione, qui de hesterna die repositi sunt ibi, imponit super eos, et pontifex induit eos planetis, et stant induti. Diaconilia indumenta tollunt qui diacones esse debent de medio eorum, et complentur Benedictiones eorum qui presbyteri ordinantur; et tunc descendunt in presbyterium, et statim unus ex novitiis diaconibus legit Evangelium, **91** et ad ipsam Missam ministrant unusquisque secundum officium suum. Tollit vero pontifex oblatas integras, et dat singulis novitiis presbyteris, et inde communicantur usque dies VIII. [b]

3. Expletis omnibus, Missa rite completa, stant regiones paratæ ad singulos titulos pertinentes cum candelabris et thuribulis, ut proprium suscipiant sacerdotem. Pontifex autem donat eis sacerdotalia indumenta, et ministeria Missæ, aurum vel argentum, vinum, frumentum et oleum. Egredientes autem de basilica sancti Petri, præcedent unumquemque vel triginta candelabra cum thuribulis. Ipse sedet super equum album: præcedens et subsequens populus canit ei laudem. Similiter etiam feminæ diaconissæ [c] et presbyterissæ, quæ eodem die benedicuntur. Plateæ autem civitatis, unde transituri sunt, coronantur lauro et palliis, et cum tanta gloria ad statutos titulos deducunt proprios sacerdotes, et ipse facit eis illo die convivium.

4. Episcopi autem omni tempore benedicuntur; nunc vero mos est ut nocturno tempore benedicantur. Secunda namque incisione, id est lectione sexta, egreditur pontifex de ecclesia sancti Petri, et ascendit monasterium sancti Martini, quod sub tegna ipsius ecclesiæ situm est, simpliciter cum reliquo clero incedens, et stat foris ostium oratorii. Schola cantorum incipit Introitum; postea dicit pontifex *Gloria in excelsis Deo*. Sequitur Oratio, et exeuntes ab altare unus presbyter, et alter diaconus, induunt eum vestimenta pontificalia, in primis linea, et cingulo, dein anagolagium grande, postea dalmatica minore et cingulo, brachiale, et orarium brevem, deinde dalmatica majore, clero interim canente Responsorium *Immola Deo*, Tractum *Qui seminat*, Evangelium *Misit illos binos ante faciem suam*. Et tunc advocatur in basilicam, presbyter a dextris ejus, et diaconus a sinistris. Ipse vero inclinato capite in medio eorum incedit, usquedum veniat ante altare. Tunc exuuntur casula; et induit eum pontifex planeta, et legit brevem hunc modum continentem: *Cives*, inquit, *nostri elegerunt sibi illum pastorem. Oremus itaque pro hoc viro, ut Deus omnipotens infundat* **92** *in eo gratiam spiritus sui, et dignus habeatur ad cathedram episcopatus regendam*. Et respondetur a schola *Christe, audi nos*, et canunt litaniam. Et tunc accedit propius ad altare subnixo capite. Pontifex vero ponet manum super caput ejus, et dicit unam Orationem in modum Collectæ, alteram eo modulamine quo solet [d] Contestata cantari, et sedet pontifex in sella sua. Ipse vero osculatur pedem ejus, et suscipitur ad pacem, et sic consummatur consecratio illius. Et ipso die, ubicunque apostolicus Missam celebrat, de manu ejus communionem accipiat.

5. Summus namque pontifex quando benedicitur, eligitur [e] unus de cardinalibus, de qualicunque titulo fuerit, tantum ut a præcessore sit pontifice ordinatus, aut presbyter, aut diaconus; nam episcopus esse non poterit. Egrediturque cum eo universus clerus vel populus ad basilicam sancti Petri. Ingrediens vero sacratarium, induitur indumenta pontificalia; et veniens ad confessionem sancti Petri, prosternit se in orationem, schola canente Introitum *Elegit te Dominus*. Surgens vero ascendit ad altare, et prosternit se in Orationem, et omnis clerus cum eo. Postea erigitur ab episcopis, et statuitur inter sedem et altare; et tenent Evangelium super caput vel cervicem ipsius. Et accedit unus episcopus, et dat Orationem super eum, et recedit, et alter similiter. Accedit tertius, et consecrat illum. Archidiaconus autem imponit ei pallium, et tunc inter archidiaconum et diaconum elevatur in sede. Stans vero in gradibus ipsius sedis, elevata voce dicit *Gloria in excelsis Deo*. Post hæc, data pace, schola cantorum canit ei laudem, et patroni regionum similiter. Celebrat igitur ipse Missam per ordinem, et communicat omnes. Peracta Missarum solemnitate, præcedit et subsequitur eum omnis apostolicus apparatus, et statuuntur acies dextra lævaque; ipse vero incedit in medio constipatus agmine sacerdotum, et omnes scholæ flagitant ab eo Benedictionem; quo benedicente, respondent ei omnes cum strepitu *Amen*.

6. Ingressus in sacratarium, jam tunc sedet in sella apostolica. Egrediens inde, cum ad inferiores gradus sancti Petri descendit, **93** ibi stat equus vel

[a] Id est ex tumulo sancti Petri. Hic locus illustratur ex num. 8.

[b] Dies quadraginta habet Fulbertus episcopus Carnotensis, in epistola secunda ad Einardum, ubi hac de re diserte agit.

[c] Observandus hic locus de tempore ordinandi diaconissas et presbyterissas.

[d] In Editis, *Contestatio*, quo nomine Præfatio (quam vocamus) Missæ olim significabatur, maxime apud Gallos.

[e] Hic ritus multum differt a vulgato Ordine Romano, pag. 106.

sella prædecessoris pontificis, et ad sedendum paratus. Et accedunt patroni regionum uno incipiente, cæteris respondentibus, in hunc modum canunt ei laudem : *Domnus Leo* [a] *papa, quem sanctus Petrus elegit in sua sede multis annis sedere.* Hoc usque ter dicto, accedit prior stabuli, et imponit ei in capite regnum, quod ad similitudinem cassidis ex albo fit indumento. Et tunc demum ascendit super equum, et vallatur a judicibus, constipanturque plateæ immensis cuneis populorum, exspectantium eum, et cantantium laudem.

Ordo quatuor temporum.

7. Jejunii primi, quarti, septimi et decimi mensis, id est in primo mense, a quarta et sexta feria, vel Sabbato, in prima hebdomada de mense primo primum jejunium celebretur. In quarto mense, quod facit ipse mensis, feria 4 et 6, vel Sabbato consummatur. Tertium temporis jejunium venit septimi mensis, id est Septembris, tertia hebdomada ipsius mensis, feria 4 et 6, vel Sabbato, consummatur. Quartum temporis jejunium venit decimi mensis, id est Decembris, feria 4 et 6, vel Sabbato proximo ante Natale Domini; et si vigilia [b] natalis Domini in Sabbato venit, in antecedente hebdomada supra scriptum jejunium die Sabbati celebretur.

8. Hora tertia, vel quali voluerit, ingrediuntur pontifex vel levitæ in sacratarium, et induunt se vestimentis religiosis, cum quibus debent celebrare Missarum solemnia, canentibus interim clericis Antiphonam ad ipsum diem pertinentem ad Introitum. Ipsa finita, dicunt *Kyrie eleison;* dein pontifex dicit *Oremus,* diaconus *Flectamus genua,* et, ut surrexerint, dicit *Levate.* Prosequitur sacerdos Orationem primam, sicut in Sacramentorum continetur. Sequitur lectio : et tunc pronuntiat lector lectionem libri, et legitur in sensu lectionis, sicut epistolæ Pauli diebus Dominicorum; dein Responsorium. Inde dicit sacerdos *Oremus,* diaconus, ut supra; et dicit Orationem post primam lectionem, et super unamquamque lectionem sicut superius. Expleta autem lectione, **94** quæ est Daniel prophetæ, canit [c] Benedictionem; et dum Benedictio canitur, qui ordinandi sunt stant in boio [d] sub gradibus; et tunc descendit ad eos archidiaconus, et revestit eos. Si enim diaconi ordinandi sunt, orarios et dalmaticas, si vero presbyteri, orarios et planetas. Porro orarii qui dandi sunt, primum per totam noctem super altare sunt repositi, et de altari ab archidiacono tollantur, et a pontifice super eorum colla ponantur. Benedictione completa, incipit clerus litaniam; et dum ipsa canitur, qui ordinandi sunt ante altare semper prostrati jaceant, astante super eos pontifice inclinato capite ad altare. Litania vero finita surgit pontifex, ascendit ad sedem, stet versus Orientem consecrans illos.

Sabbato Pentecostes in duodecim lectionibus statio ad sanctum Petrum.

9. Si autem ipsa hebdomada in mense quarto venerit, jejunium facient feria 4 et 6, et in Sabbato usque ad horam nonam, et eas lectiones legant quæ in mense quarto scriptæ sunt, cum Responsoriis quatuor et Benedictione. Sin autem in antea, tempore suo agatur. Cum autem leguntur, non pronuntiat lector lectionem libri, sed inchoat plane. Si vero tempore suo agitur, tunc pronuntiat, et in sensu lectionis, sicut epistolæ Pauli, legantur. Similiter et in reliquis tribus temporibus.

Ad marginem sequentia leguntur.

XII lectiones propter XII lectores dicuntur, non propter XII varietates sententiarum.

[a] Hic locus forsan intelligendus de Leone tertio, cujus tempore scriptus sit iste liber.
[b] Confer Micrologi caput 33.
[c] Id est canticum trium puerorum.

[d] Legendum *in poio* seu *pogio*, quæ vox ambonem hoc loco significat, ex præmissis num. 2*: Exspectantes illi qui benedicendi sunt sub ambonem,* qui proinde cavus esse debebat. Vide commentarii nostri cap. 3.

ADMONITIO IN SEQUENTEM LIBRUM.

95 1. In veteri Codice equitis Maffæi Romani reperitur opusculum sequens, quod continet Ordinem Romanum de triduo ante Pascha, item Ordinem ad dandam pœnitentiam, ad ungendum et communicandum infirmos, atque ad clericos sepeliendos. Prima pars, quæ est de Cœna Domini, occurrit etiam in Codice Romano, quo usus est Onufrius in scribenda Vaticanæ basilicæ Historia.

2. Quo tempore scriptus sit hic liber, nullo certo constat indicio. Antiquior est sæculo tertio decimo, et ad undecimum videtur revocandus. Triplex immersio præscribitur in baptismo : servantur etiam in hoc libro pœnitentiæ leges, absolutionis forma ante scholasticorum ætatem recepta, unctio infirmorum ante viaticum, communio eorumdem ex particula vino intincta, cinis et cilicium pro moribundis; quæ omnia bonam spirant antiquitatem. Forma unctionis infirmorum deprecativa est, non indicativa, cui illa successit.

3. Præclarus in primis ritus est in Ordine sepeliendi *clericos Romanæ fraternitatis.* Idem ritus translatus est ab alio auctore in alium Ritualem Romanæ Ecclesiæ librum, quem quidem Florentiæ in bibliotheca sanctæ Crucis vidimus; sed Ordo viatici mutatus est in prædicto Rituali, postposita unctione. Hujus Ritualis quædam fragmenta retulimus in Itinere Italico.

4. Amalarius, in Antiphonarii cap. 69 tradit, se invenisse in Romano et in Mettensi Antiphonariis *Ordinem scriptum quomodo fungi officio conveniat circa fines hominum, et circa sepulturam eorum.* Id sequenti Ordini convenire non ausim affirmare. Neque enim tantæ mihi videtur antiquitatis. In Codice Vindocinensi, qui Ordinem Romanum vulgatum continet, post Ordinem pœnitentiæ, aliaque apud Morinum in fine librorum de Pœnitentia, pag. 22, ex Codice Siculo edita, exstat *Obsequium circa morientes, vel qualiter agatur circa infirmum morte detentum,* quod officium ita incipit : « Mox ut viderint infirmum ad exitum propinquare, communicandus est de sacrificio sancto, etiamsi comedisset ipso die; **96** et faciant litaniam. Et antequam anima exeat de corpore, dicat sacerdos Antiphonam : *Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam; in illa die videbit Deum creatorem suum. Deus misericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum,* etc. Tunc presbyter det viaticum, et post hæc dicat Orationem : *Ascendant ad te, Domine, preces nostræ, et animam famuli*

tui gaudia æterna suscipiant, ut quem fecisti adoptionis participem, jubeas hæreditatis tuæ esse consortem. Per. Finita autem ista Oratione, incipiatur ab omnibus istud Respons. : *Subvenite, sancti Dei*, etc. Si autem quidquam supervixerit, canantur Psalmi, vel agatur litania, et post hanc dicitur hæc Oratio : *Omnipotens, sempiterne Deus, qui humano generi animam ad similitudinem*, etc. Item Antiph. post exitum animæ, *Chorus angelorum te suscipiat*, etc. Psal. *Dilexi quoniam*, usque ad *Ad Dominum*; et ita per ordinem usque *Super flumina*; et, si amplius necesse est, usque ad finem Psalmorum. Deinde Oratio *Diri vulneris novitate perculsi*, etc. Tunc roget sacerdos omnes pro eo orare, et ipse et omnes dicant, *Kyrie eleison*, etc. *Tibi, Domine, commendamus*, etc., fere ut in Editis. » Delato corpore in ecclesiam, dicitur officium *in vigilia defuncti*, Antiph. *Dirige Domine*, etc. ut in nostris libris, ubi et priores quinque lectiones; nam sexta est : *Spiritus meus attenuabitur*, etc. ; lectiones tres frequentes ex Enchiridio sancti Augustini; septima : *Ergo dilectissimi cum sacrificium altaris, sive quarumcunque eleemosynarum, pro defunctis omnibus baptizatis offertur*, etc.; octava : *Consolemur ergo in his sermonibus nostris invicem*, etc; nona : *Egregius namque consolator*, etc. Sequuntur Laudes, deinde Vesperæ. Quibus peractis deputandi sunt qui ipsum corpus custodiant : quousque pro ipsa anima Missæ celebrentur cum oblationibus, corpore interim in ecclesia jacente. Modum tumulandi prætereo, qui in multis cum nostro convenit. Facta a singulis presbyteris Benedictione super sepulcrum, dicunt iidem presbyteri : *Signum Christi sit super te. Amen.*

ORDO ROMANUS X.

97 *Qualiter agendum sit quinta feria in Cœna Domini. — Statio ad sanctum Joannem ad Lateranum.*

1. Hac die sacrificium sacri corporis et sanguinis ab ipso Domino nostro Jesu Christo celebrationis sumpsit initium. Hac die in toto orbe sanctum chrisma conficitur. Hac etiam die pœnitentibus [a] pro indulgentia subvenitur. Mane hujus diei primo mansionarii præparent omnia, quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis, tres ampullas oleo mundissimo plenas, maximam vero ampullam, quæ ad chrisma debet fieri de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas. Sit autem pannus adeo subtilis, quod ampullæ possint videri per eum. Hora vero tertia vel sexta sonetur signum, et veniant omnes ad ecclesiam, in qua chrisma consecrari debet. Tunc egrediantur pœnitentes de loco in quo pœnitentiam fecerunt, ut gremio ecclesiæ præsententur a pontifice, qui sedere debet præ foribus ecclesiæ, et reconciliare eos cum Antiphonis et Orationibus, quas require. Quibus finitis, pulsentur campanæ, sicut mos est in solemnibus diebus, et ex tunc sileant campanæ usque ad diem Sabbati.

2. Antequam domnus papa exeat de camera, dicit Tertiam. Hora vero sexta exit domnus papa de palatio cum episcopis et cardinalibus, et cum toto apparatu curiæ veniens ad palatium majus, ubi solet esse hospitium episcopi Albanensis, stans ibi in loco eminenti sermocinatur ad populum, ut moris est, et postea recitantur sententiæ; et facta confessione per diaconum cardinalem, et absolutione per papam, datur populo indulgentia. **98** Peractis iis omnibus, descendit ad ecclesiam Lateranensem, et intrat ecclesiam sancti Thomæ, et dicit cum capellanis suis Nonam. Sed si est ad ecclesiam sancti Petri, descendit ad præfatam ecclesiam, veniens ante secretarium ad capellam sancti Gregorii, et dicit ibi Nonam.

3. Deinde tam pontifex quam episcopi, presbyteri, diaconi, et alii clerici, quisque induatur ornatu sui ordinis. Pontifex induit vestimenta alba, episcopi pluvialia, presbyteri planetas, diaconi dalmaticas pro reverentia chrismatis. Pontifex vero jam indutus dalmatica, habens manum ad collum, sedeat in sede sua; cui præsentetur ampulla, quæ major est, cum oleo ab acolythis, et balsamum; et ipse pontifex balsamum cum oleo commisceat et conficiat, circumvolvendo cum palmis baculum immissum in ampullam. Omnes vero ampullæ remaneant ibi, et diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur.

4. Postmodum autem pontifex, lotis manibus, indutus planeta, procedit cum episcopis, presbyteris, diaconibus, et subdiaconibus et acolythis, et omnibus ordinibus; et habeant in processione crucem, Evangelium, septem candelabra, thuribulum cum incenso; et sic processionaliter pergant ad altare cum ampulla; et facta confessione et reverentia, ascendit sedem suam. Interim autem decantetur a cantoribus Introitus sine *Gloria Patri*; et finito versu primo, repetatur Introitus. Deinde pontifex dicit excelsa voce *Gloria in excelsis Deo*. Dicta Oratione, lecta Epistola et Evangelio, factoque sermone ad populum, si voluerit, et *Credo in unum Deum* decantato, prosequatur Missa ordine suo [[b] et conficiat duas Hostias, unam scilicet sumendam, alteram reservandam in crastinum, ac tot, quot necessariæ fuerint pro iis, qui hodie sunt communicaturi.]

5. Postquam domnus papa intrat ad sacrificandum, tunc acolythus conducit juniorem diaconum cardinalem, et cum eo plures subdiaconi. Unus autem ex eis subdiaconis portet crucem, acolytho antecedente cum thuribulo et thure. Et sic processionaliter vadunt ad ecclesiam sancti Thomæ vel sancti Gregorii, ubi ampullæ cum chrismate et oleo conservantur. **99** Cardinalis diaconus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis; duo alii subdiaconi accipiunt illas duas olei exorcizati et olei infirmorum, portantes eas super brachium sinistrum, et eo modo quo iverunt revertantur. Venientes autem ad altare, antequam domnus

[a] Formula, quæ tempore Gelasii in usu erat ad recipiendos pœnitentes, exstat apud Morinum de Pœnitentia, pag. 696.

[b] Quæ uncinis inclusa sunt non leguntur in Codice Maffeano, sed tantum in Codice Onufrii. Sed hoc intelligendum, cum pontifex sacra facit extra ecclesiam Lateranensem, ubi solus communicat, infra, num. 9.

papa dicat *Per quem hæc omnia*, subdiaconus qui bajulat ampullam olei infirmorum, repræsentet eam summo pontifici ad benedicendum. Pontifex vero et omnes episcopi et presbyteri cardinales, et alii existentes, dicant plana voce : *Exorcizo te, immundissime spiritus*, etc., *et per nomen dilectissimi filii ejus Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos et sæculum per ignem*. Benedictio olei infirmorum. *Emitte, quæsumus, Domine*, etc., *permanens in visceribus nostris, in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est*.

6. His Benedictionibus peractis, revertatur ad altare, et dicat *Per quem hæc omnia*, etc., usque *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus : Præceptis salutaribus moniti*, etc., usque *Pax Domini sit semper vobiscum. Agnus Dei* non cantatur, pax non datur.

7. Verumtamen scire nos convenit quod si fuerit pontifex Laterani, decantato *Credo in unum Deum*, et antequam intret ad sacrificandum, a diaconibus et subdiaconibus levatur [a] mensa de altari palliis desuper complicatis, et cum reverentia et omni devotione ab eisdem reportetur in capella sancti Pancratii juxta claustrum canonicorum, quia ibi est locus reservationis, et cum omni cautela usque in diem Sabbati custoditur.

8. Deinde pontifex venit ad altare, accipiens ampullam vitream, quæ intus se continet quoddam vasculum aureum, et in illo vasculo est lapis pretiosus concavus, et in illa concavitate lapidis est diligenter pretiosus Christi sanguis inclusus, qui annualiter extrahitur, et reponitur in concavitate arcæ; et tunc levatur a pontifice, et ostenditur, ut tota turba populi valeat cum timore et reverentia et omni devotione eum videre. Postea traditur custodienda priori et canonicis ejusdem ecclesiæ usque in diem Sabbati. Tunc pontifex ad sacrificandum intrat solus infra arcam, ut significetur **100** quod in Veteri Testamento scriptum est, quia solus pontifex intrabat semel in anno in sancta sanctorum, tantum cum cruce et linteamine suppositis, episcopo vel cardinali cum capellano sacerdote ministrante sibi.

9. Confecto itaque sacrificio, pontifex solus communicat super altare sine ministris; et non cum calamo, sed cum calice tantum se confirmet illo die, et sexta feria, et ponit illam quartam partem in calice. Postquam autem communicavit, ponit calicem super altare, et patenam juxta eum cum corpore Domini reservato, quia sexta feria de ipso sacrificio resumit, et cooperitur utrumque sindone munda.

10. Percepto itaque corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, pontifex ascendit ad sedem ligneam, et continuo duo acolythi deferunt ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio, ita ut videri possit a medio; et diaconus qui assistit domno papæ accipit ampullam unam mistam cum balsamo, et repræsentat eam summo pontifici, tenens eam in sinistro brachio involutam. Tunc pontifex halet ter in illam; halent etiam in ipsam omnes episcopi qui assistunt ibi, et presbyteri cardinales, et dicant sine cantu et sine *Dominus vobiscum*, *Exorcizo te, creatura olei*, etc., *ut fias omnibus qui ex te ungendi sunt in adoptionem filiorum per Spiritum* † *sanctum, in nomine Dei Patris omnipotentis, et Jesu Christi Filii ejus Domini nostri, qui cum eo regnat et vivit Deus in unitate ejusdem Spiritus sancti*. Deinde dicit excelsa voce, episcopi et presbyteri dicant submisse, *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda*. Resp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro*. Resp. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui in principio inter cætera bonitatis*, etc., *ut sit iis qui renati fuerint ex aqua et Spiritu sancto chrisma salutis, eosque æternæ vitæ participes et cœlestis regni facias esse consortes, per eumdem*, etc.

11. Tunc episcopus salutet chrisma nudum, et cæteri omnes. Quo expleto, benedicat ampullam olei delatam eo ordine quo supra; et similiter halet pontifex ter in ipsam, sed tacite; et præter ipsum omnes episcopi et presbyteri cardinales et alii episcopi halent ter in ipsam. Et tunc dicit sine **101** cantu et sine *Dominus vobiscum*, *Exorcizo te, creatura olei, in nomine*, etc., *ad omnem gratiam spiritualem accipiendam sanctificata, per eumdem*, etc. Et dicit pontifex *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Oremus*. Oratio. *Deus incrementorum et profectuum spiritualium remunerator*, etc., *in sacramento sunt baptismatis adepturi, per eumdem Dominum nostrum*, etc. Post Benedictionem vero istam omnes episcopi, et presbyteri cardinales, et alii episcopi salutent sanctum chrisma, et oleum, ter pro quolibet, et in salutando inclinent capita dicentes, *Ave, sanctum chrisma*, ter pro quolibet; et deosculentur ampullam semel tantum, et deferatur a subdiacono ampulla olei; et summus pontifex salutet oleum, et deosculando ampullam, sicut fecit de chrismate, et cæteri omnes salutent per ordinem ampullam in deosculando. Postea reportentur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel locum ubi sedere debent; et inde distribuatur unicuique, sicut decet et fuerit opportunum. Pontifex vero in sede sua communicat illos qui communicare volunt. Reserventur tamen oblatæ integræ de corpore Domini in die Parasceve; sanguis vero Domini penitus assumatur. Pacis osculum non datur. *Agnus Dei* dicatur, et communio *Dominus Jesus Christus*.

12. Sed antequam pontifex revertatur ad altare ad complendam Missam, junior presbyterorum cardinalium portet corpus Domini positum in pyxide ad locum præparatum, præcedentibus cum cruce et luminaribus, et papilione desuper. Tunc pontifex revertitur ad altare, et dicit hanc Orationem : *Refect*

[a] De hoc ritu levandi mensam altaris apud Lateranum mentio fit in libro tum Benedicti canonici, tum Cencii camerarii infra. Vide commentarii prævi caput 10.

vitalibus alimentis; qua expleta, diaconus dicit *Ite, Missa est*. Missa igitur solemniter peracta, indutus pontifex ascendit palatium, comitantibus eum tam episcopis quam presbyteris et diaconibus, omnibus paratis secundum ordinem suum. Pontifex vero ingreditur basilicam sancti Laurentii [a], et sine planeta residens in sede, facit mandatum duodecim subdiaconorum. Interim cantores cantant Vesperas ante eum, ut mos est. Finitis omnibus parati accedunt ad mensam.

102 *Feria sexta Parasceve.*

13. Hora sexta conveniant omnes ad Lateranensem ecclesiam, vel ad aliam ecclesiam, et dicant septem Psalmos. Tunc dominus papa induat se ornatu suo quadragesimali tantum, episcopi pluvialibus, presbyteri, diaconi, subdiaconi planetis. Tunc junior presbyterorum cardinalium ferat adornatum capsidem cum dominico corpore hesterna die reservato; et sic subdiaconus cum papali cruce Processionem præcedente, omnes discalceati sine cantu psallendo ad ecclesiam sanctæ Crucis, quæ est Jerusalem, ubi statio fieri debet, ordinate tamen, procedant, quando dominus papa est Laterani. Cum autem illuc pervenerint, ingrediuntur ecclesiam sine cantu, et prostrati in medio ecclesiæ diutius orent. Presbyter, qui portat corpus Christi in secretario ponat illud, dum dominus papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante dominum papam in Processione ad altare. Surgentes ab Oratione, dominus papa cum clero intret secretarium, et, abstracta planeta cum pallio, sedeat in sede sua, et lotis pedibus ministri calcient eum quotidiana calciamenta. Veniens ad faldistorium, dicit Nonam; et post paululum reindutus planeta et pallio, præeunte eum cruce et Evangelio, sine luminaribus et incenso, cum silentio ordinate ad altare procedant, et tunc omnes prostrati diutius orent.

14. Interim autem ministri unam tantum tualeam extendant super altare nudatum. Completa vero Oratione nihil aliud dicat, nec confessionem faciat. Pontifex deosculato altari ascendat sedem more solito, non tamen in sede ornata et solemni, sed in faldistorio ad dextrum altaris, quasi ante ad gradus, ubi stat subdiaconus in Missa; et subdiaconus statim procedat ad legendum, et sine titulo sic incipiat: *Hæc dicit Dominus; In tribulatione sua*. In tono lectionis legantur lectiones sine reverentia et osculo pedum. Finita lectione cantatur Tractus *Domine audivi auditum tuum*. Finito Tractu, dicat pontifex *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua*. Resp. *Levate*. Et dicat Orationem, *Deus, a quo et Judas*. Qua finita, subdiaconus legat similiter sine titulo: *In diebus illis dicit Dominus ad Moysen*. Tractus *Eripe me Domine*; quo finito, diaconus, facta reverentia, sine Benedictione, procedit cum Evangelio, **103** sine faculis et sine incenso, et ascendens nudum pulpitum similiter incipit: *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem*. Ei nullo respondente legat: *In illo tempore, egressus Jesus trans torrentem.* Qua finita, dicit Orationes: *Oremus, dilectissimi*. Alius a domino papa dicit has Orationes super altare. Quibus finitis, adorat crucem. Deinde repræsentat eam populo, cantans Antiphonam *Ecce lignum crucis*. Adorata cruce, diaconus expandat corporale super altare; super quo posito corpore Domini, et calice cum vino et aqua, dicat pontifex plena voce, ut mos est, sine *Per omnia sæcula sæculorum, Amen: Oremus. Præceptis salutaribus moniti*, etc., *Pater noster*. Similiter in eadem voce, *Libera nos. Oremus. Quæsumus, Domine*. Finita vero Oratione, *Pax Domini* non dicatur. *Agnus Dei* non cantatur, nec pacis osculum datur, nec postcommunio cantatur.

15. Communicat autem solus pontifex sine ministris, non ad sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ante altare, ob humilitatem reverentiæ Dei et passionem Christi. Et feria sexta præcedenti [*Forte* præsenti], et quando celebratur pro defunctis, perfusionem facit in calice, et ipse sumit, et postea lavat cum aqua in bacilibus. Deinde rediens ad sedem exuat se, et cum clericis suis dicat Vesperas præteriti diei, non cantando, sed recitando.

In Sabbato sancto.

16. Hora sexta conveniunt omnes ad ecclesiam, excusso novo igne de crystallo, sive de lapide, unde cereus debet a diacono accendi. Benedictio quæ debet fieri a juniore presbytero cardinali. Oratio: *Deus qui per Filium tuum, angularem scilicet lapidem*, etc., *valeamus festa pertingere, per eumdem*, etc. Alia Oratio: *Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens*, etc., *ut ad vitam et lucem æternam pervenire mereamur. Per*. Alia Oratio: *Domine sancte Pater omnipotens*, etc., *et adjuva nos, qui vivis et regnas cum eodem Unigenito tuo et Spiritu sancto Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen*. Benedictio incensi; *Veniat, quæsumus, omnipotens Deus*, etc., *virtus tuæ Majestatis assistat. Per*. Benedicto igne, aspergatur aqua benedicta, et adoleatur incenso. Deinde procedatur ad Benedictionem cerei.

17. Interim dum cereus benedicitur, pontifex cum cardinalibus **104** et cæteris scholis procedit ad altare, et, facta reverentia, ascendit ad ornatam sedem. Subdiaconus vero, finita Benedictione cerei, ascendens ambonem incipit legere sine titulo: *In principio Deus creavit cœlum et terram*. Eo vero completo, si dominus papa velit, Græcus subdiaconus eamdem lectionem Græce relegit; qua expleta, dicit pontifex *Oremus*, diaconus *Flectamus genua*, et, post paululum, *Levate*. Et vicissim dicant diaconi, si plures sunt, *Flectamus genua*, et *Levate*. Deinde sequitur Oratio, et sic per ordinem XII Latine, et XII Græce, sicut domino papæ placet, vicissim leguntur. Cum autem ventum fuerit ad lectionem qua legitur Nabuchodonosor, ad illam Orationem quæ sequitur dicitur *Oremus*, et non *Flectamus genua*, eo quod rex ille omnem populum sub ditione coegerat flectere genua ante statuam auream quam erexerat; quod Ecclesia reputans factum in contemptum Dei omni-

[a] Addit Codex Onufrii, *vel sancti Nicolai, si est apud sanctum Petrum.*

potentis, post illam lectionem non flectuntur genua.

18. Sed inter hæc, dum lectiones leguntur, septem subdiaconi crucem portantes, præcedentibus eos acolythis, reverenter descendunt ad Benedictionem fontium, et faciunt ibi litaniam septenam, quinam et trinam. Et unus sacerdotum canonicorum in competenti loco catechizat repræsentatos sibi infantes, et faciens crucem cum pollice in frontibus singulorum, dicit : *In nomine Patris † et Filii † et Spiritus † sancti. Amen.* Postea posita manu super capita eorum dicit hanc Orationem : *Non te lateat, Satana*, etc., *per aquam regenerationis*, etc., *in nomine Domini nostri Jesu Christi, qui venturus est.*

19. Post hæc tangit nares et aures singulorum de sputo, et dicit : *Effeta, quod est adaperire, in odorem suavitatis. Tu autem effugare, diabole, appropinquavit enim judicium Dei.* Tunc invocato nomine uniuscujusque dicit : *Abrenuntias Satanæ?* Resp. *Abrenuntio. Et omnibus operibus ejus?* Resp. *Abrenuntio. Et omnibus pompis ejus?* Resp. *Abrenuntio.* Postea tangit de oleo sancto pectus et inter scapulas, faciendo crucem cum pollice, et dicit : *Et ego te linio oleo salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam, amen.* Tunc imposita manu iterum super capita eorum, dicat Orationem dominicam et Symbolum.

20. Infantibus vero catechizatis, et finitis lectionibus, et Orationibus **105** et canticis decantatis, pontifex cum omni schola clericorum descendit ad benedicendos fontes, præcedentibus subdiaconibus cum cruce et facula, et aliis necessaria ad Benedictionem fontium, primicerio et cantoribus decantante Tractum *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum*, subdiacono vero et reliquis de clero litaniam facientibus. Sed antequam intret ad Benedictionem, dicit hanc Orationem juxta fontem : *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., *animam corpusque sanctificet. Per.* Deinde ascendit gradus, astantibus ministris hinc inde cum faculis, factoque silentio dicit *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, adesto*, etc., *tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dominum.*

21. Præfatio. *Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Sursum corda.* Resp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro.* Resp. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est*, etc., *omnipotens æterne Deus, qui invisibili potentia*, etc., *aures tuæ pietatis inclina. Deus, cujus spiritus super aquas*, etc., *aquarum natura conciperet. Deus qui nocentis mundi*, etc., *gratiam de Spiritu sancto.* Hic cum manu dividat aquam in modum crucis : *Qui hanc aquam*, etc., *inficiendo corrumpat.* Hic aqua manu tangat : *Sit hæc sancta et innocens creatura*, etc., *indulgentiam consequantur.* Hic faciat crucem super fontem, *Unde bene † dico te*, etc., *cujus spiritus super te ferebatur.* Hic dividat aquam in quatuor partes, dicens : *Qui te de paradisi fonte*, etc., *et sitienti populo de petra produxit.* Hic iterum crucem faciat, *Bene † dico te per Jesum Christum*, etc., *baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen.* Hic mutet vocem, quasi lectionem legens : *Hæc nobis præcepta*, etc., *et purificandis mentibus efficaces. Per Dominum nostrum Jesum.* Hic ponit cereos in aquam, et dicat secundum pristinum tonum : *Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus sancti.* Hic sufflet in aquam tribus vicibus in hunc modum : *Totamque hujus aquæ substantiam regenerandi fecundet officium.* Hic tollantur cerei : *Hic omnium peccatorum maculæ deleantur*, etc., *novam infantiam renascatur. Per Dominum nostrum*, etc. Hic tollatur de aqua benedicta ad spargendum in omni loco, ubicunque voluerit. Postea infundat chrisma in fontem in modum crucis super ipsam aquam, dicens : **106** *Sancti † ficetur, fecundetur fons iste in nomine Pa † tris et Fi † lii et Spiritus † sancti. Amen.* Tunc misceat ipsum chrisma cum eadem aqua, et spargat cum manu per totum fontem.

22. Benedictione completa, secedit paululum ibi in secretario juxta fontes; et abstracta planeta et pallio, acolythi præparant eum, sicut consuetudo est. Præparatus vero regreditur ad fontes, et præsentatis sibi infantibus, Joanne scilicet, sive Petro et Maria, interroget offerentem : *Quis vocaris?* Resp. *Joannes.* Inculcat et dicit, *Joannes, credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli et terræ?* Resp. *Credo.* Interrog. *Credis et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum natum et passum?* Resp. *Credo.* Interrog. *Credis et in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem omnium peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?* Resp. *Credo.* Interrog. et dicit : *Joannes, vis baptizari?* Resp. *Volo.* Tunc baptizat eum sub trina immersione, sanctam Trinitatem semel tantum invocando sic, *Et ego te baptizo in nomine Patris*, et immergat semel; *et Filii*, et immergat secundo; *et Spiritus sancti*, et immergat tertio, *ut habeas vitam æternam.* Resp. *Amen.* Similiter Petrum et Mariam. His vero tribus baptizatis, immantatus manto supra dalmaticam pontifex vadit ad chrismarium, juniore diaconorum cardinalium et sacerdotibus canonicis baptizantibus reliquos parvulos. Baptizatos autem sacerdos sacro chrismate in vertice eos perungit dicens : *Pax tecum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Oratio : *Deus omnipotens*, etc., *ipse te linivit chrismate salutis in Christo Jesu Domino nostro in vitam æternam.* Resp. *Amen.*

23. Deinde vestitur infans vestimentis, dicente sacerdote : *Accipe vestem sanctam candidam et immaculatam, quam perferas ante tribunal Domini nostri Jesu Christi, ut habeas vitam æternam.* Resp. *Amen.* Postea dat ei candelam dicens : *Accipe lampadem irreprehensibilem; custodi baptismum tuum, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere in aula cœlesti.* Resp. *Amen.*

Ordo ad consignandum pueros sive infantes.

24. Hic cum infantes in dextris brachiis tenentur, majores vero pedem ponunt super pedem patrini sui, per ordinem **107** dispositis ante pontificem, ipse

pontifex imposita manu super capita singulorum, dicat Orationem super eos cum invocatione septiformis gratiæ Spiritus sancti, sic dicens: *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare*, etc., *sanctum Paracletum de cœlis*. Resp. *Amen. Spiritum sapientiæ et intellectus*. Resp. *Amen. Spiritum consilii et fortitudinis*. Resp. *Amen. Spiritum scientiæ et pietatis*. Resp. *Amen. Adimple eos spiritu timoris tui, et consigna eos signo crucis Christi in vitam propitiatus æternam. Per.... in unitate ejusdem*. Tunc pontifex, intincto pollice in chrismate, et interrogato uniuscujusque nomine, faciat crucem in frontibus singulorum, sic dicens: *Joannes*, vel alio quovis nomine invocans eos, *Signo te signo † crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine † Patris, et Fi † lii et Spiritus † sancti. Pax tecum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*. Consignatis omnibus dicat hos Versus: *Ecce sic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum. Benedicat vos Dominus Deus ex Sion, et videatis bona Jerusalem omnibus diebus vitæ vestræ. Gloria Patri*, etc. *Pax tecum*. Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus qui apostolis tuis*, etc., *inhabitando perficiat. Qui cum Deo Patre*. Deinde faciat crucem super eos, dicens: *Bene † dicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius et † Spiritus sanctus*. Resp. *Amen*.

Ordo ad dandam Pœnitentiam.

25. Quando peccata sua vult aliquis confiteri, sacerdos dicat apud se hanc Orationem: *Domine Deus omnipotens, qui non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, propitius esto mihi peccatori, et suscipe orationem meam, quam fundo ante conspectum clementiæ tuæ, quo et me pariter, et hunc a peccatis omnibus exuas, et peccare de cætero caveamus efficias. Per Dominum*.

26. Ad hoc interroget pœnitentem dicens: *Frater, pro qua causa venisti ad istam ecclesiam?* Peccator respondet: *Ego veni agere pœnitentiam de peccatis meis*. Tunc peccator mittat manus suas inter manus sacerdotis, et dicat ad Deum tribus vicibus: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*. Deinde dicat sacerdos, *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*. Psal. *Magnus Dominus, et laudabilis nimis. Gloria*. Vers. *Sicut audivimus. Kyrie. Pater noster:* et capitula **108** ut superius scripta sunt, et dicat *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus. Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram, et famulum tuum ad confessionem et pœnitentiam veramque emendationem, et veniam tuæ pietatis inspiratione compunctum, quem delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis absolvat. Per*. Alia oratio. *Deus misericors, Deus clemens, Deus indulgentiæ, Deus pietatis et pacis, qui pro amore hominum in cruce manus expandisti, qui Chananæam et publicanum vocasti ad pœnitentiam, convertere dignare famulum tuum, qui ante tuum sanctum altare suum confitetur reatum, et humilem se recognoscit, et facinorum omnium sibi veniam petit; et præsta misericors ei pœnitendi spatium, dignos pœnitentiæ fructus et finem pœnitentialiter fructuosum. Per*. Alia Oratio. *Deus sub cujus oculis omne cor trepidat, et conscientiæ cunctæ pavescunt, propitiare famuli tui N. gemitibus, et cunctorum ejus omniumque moderare languoribus ut sicut nemo liber est a culpa, ita nemo sit alienus a venia. Per*.

27. His actis, interroget diligenter eum, si recte credit, et ne forte alicui iram vel odium teneat; et si vult parcere illis qui in se peccaverunt, et si vult abstinere a peccatis quæ hactenus gessit, et emendare si quid abstulit. Et cum promiserit hæc omnia se facturum, continuo moneat eum se confiteri Deo et sibi peccata. Confessum vero interroget, quale ministerium facit. Et si est comes, aut judex, dicat illi ut non accipiat præmia, nec judicet injuste; si est escarius, non teneat annonam familiæ; si monetarius aut negotians, non gravet aliquem in negotio, et in contracambio; si habet patrem, aut matrem, honoret eos, et det illis necessaria; si animalia pascit, non damnum aliis; si est [a] massarius, non sit fraudulentus seniori de labore suo; si habet viduam aut orphanos, faciat cum eis misericordiam; si servus est, sit fidelis domino suo, et laboret in quantum potest; et qui malefaciunt, emendet eos; si habet uxorem, non concumbat cum ea festivis diebus, nec in Quadragesima usque ad octavas Paschæ; si est monachus, aut monacha, aut presbyter, aut diaconus, aut clericus, servent quod promiserunt. Deinde consideret si est dives aut pauper, si dominus aut servus, si sanus aut infirmus, si sit conjugatus aut non, si sit **109** juvenis aut puer. Omnia consideret, et secundum quod potuerit agere imponat illi pœnitentiam; et cui non potest imponere jejunium, imponat eleemosynam, vel orationem; et ut flectat genua per diem ac noctem. Sed antequam imponat pœnitentiam, debet ostendere quam grande est illud malum, et quot annis debeat pœnitere. Debet tamen eum admonere ut non desperet, quia Dominus misericors est, et ei omnia peccata dimittet, tamen si emendaverit.

28. Tunc sacerdos ei dicat, quibus annis, temporibus et diebus debet pœnitentiam observare. Isti sunt dies qui non computantur in pœnitentia: Nativitas Domini usque in Epiphaniam, a Pascha usque ad Pentecosten, Nativitas sancti Joannis Baptistæ, sancti Laurentii, Assumptio sanctæ Mariæ, festivitas duodecim apostolorum, festivitas omnium sanctorum, et omnes Dominici dies, vel illorum sanctorum quorum reliquiæ possident festivitates. Pœnitentiales vero dies sunt Quadragesima major, Sabbatum Pentecostes, quatuor tempora, vigilia sancti Joannis Baptistæ, vigilia apostolorum, vigilia sancti Laurentii, vigilia sanctæ Mariæ, vigilia omnium sanctorum, et aliis diebus, id est feria secunda, feria tertia, et feria sexta, quibus Dominus dederit ad certamen adjutorium jejunandi.

29. Tunc sacerdos faciat ei confessionem. Deinde

[a] Id est colonus, qui massam seu fundum aliquem procurat.

dicat Orationem : *Exaudi, Domine, quæsumus, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, ut quos conscientiæ suæ reatus accusat, indulgentia tuæ miserationis absolvat. Per.* Alia Oratio. *Deus omnipotens, qui dedit potestatem beato Petro apostolo, et cæteris apostolis, deinde episcopis et sacerdotibus, ligandi atque solvendi, ipse te a tuis peccatis omnibus absolvat, et liberet. Per.* Absolutio. *Absolvimus te vice beati Petri apostoli, cui potestas ligandi atque solvendi a Deo concessa est, cujus vicem, quamvis indigni, nomine tamen, non autem merito, gerimus, et oramus ut quoad tua meretur accusatio, et ad nos pertinet culpæ remissio, omnipotens Deus omnium tuorum peccaminum sit pius indultor. Qui vivit.* Alia Oratio. *Ex auctoritate omnipotentis Dei beatus Petrus, cœlestis regni claviger, qui habet potestatem in cœlo et in terra ligandi atque solvendi, cujus, quamvis immeriti, divina tamen suffragante gratia vicem gerimus, ipse te absolvat ab omnibus peccatis tuis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium.*

110 *Ordo ad reconciliandum Pœnitentem.*

30. Dicit sacerdos capitula : *Averte faciem tuam a peccatis meis.* Resp. *Et omnes iniquitates meas dele.* Vers. *Cor mundum crea in me, Deus.* Resp. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.* Vers. *Domine exaudi orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Oratio. *Majestatem tuam, Domine, supplices deprecamur, ut huic famulo tuo N. longo squalore pœnitentiæ macerato, miserationis tuæ veniam largiri digneris, ut, nuptiali veste recepta, ad regalem mensam, unde ejectus fuerat, mereatur intrare.* Alia Oratio. *Omnipotens de Deo Deus, qui habet potestatem peccata dimittendi, et qui latroni jam in cruce suspenso peccata remisit, et eum ad paradisi delicias perduxit, et sancto Petro, cui dedit potestatem ligandi atque solvendi in cœlo et in terra, et ad alios discipulos dixit : Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta erunt ; ipse te secundum magnam misericordiam suam absolvat ab omnibus peccatis tuis, et faciat te perage e veram pœnitentiam, et sic ad finem perseverare in bonis operibus, ut dicat tibi : Jam non te condemnabo, vade, et amplius noli peccare. Qui cum Patre et Spiritu sancto,* etc. Sequitur Benedictio. *Bene † dicat te Dominus, et custodiat semper. Ostendat Dominus faciem suam tibi, et misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, et veram det tibi pacem, qui vivit.* Alia Benedictio. *Bene † dicat te omnipotens Deus, et per abundantiam Spiritus sancti cor tuum corroboret, mentem tuam sanctificet, vitam tuam amplificet, castimoniam decoret, atque sensum tuum in omnibus operibus confirmet; prospera tibi tribuat, pacem concedat, salutem conferat, quietem tribuat ; charitate muniat, et ab omnibus diabolicis et humanis insidiis sua te semper protectione et virtute defendat; et quæcunque postulaveris juste, clementer concedat. Auferat omnia mala quæ gessisti; tribuat tibi gratiam quam semper rogasti, ipso adjuvante, et præcedente nos ad regna cœlorum, qui cum Patre.* Alia Benedictio. *Bene † dicat te Deus Pater, custo † diat te Dei Filius, et illumi † net te Spiritus sanctus, corpus tuum custodiat, animam tuam salvet, et ad perpetuam vitam te perducat Christus Dei Filius, qui tecum vivit,* etc.

111 *Ordo ad visitandum infirmum.*

31. Sacerdos sit indutus sacris vestibus, et ministri accipiant oleum sanctum pro infirmo, et aquam benedictam, et crucem, et cinerem sanctum vitis, et duo candelabra ; et pergant ad domum infirmi, cantantes hunc Psalmum : *Miserere mei, Deus :* et intrans domum dicat sacerdos : *Pax huic domui.* Resp. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Mox ait sacerdos *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Oratio. *Introeat domum hanc, Domine Jesu Christe, sub nostræ humilitatis ingressu æterna felicitas, divina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna. Effugiat ex hoc loco accessus dæmonum; adsint angeli pacis, domumque hanc deserat effugata discordia. Magnifica super nos, Domine, nomen tuum, et bene † dic nostræ conversationi; sanctifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu sancto in sæcula sæculorum.* Oratio. *Oremus et deprecemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut benedicendo bene † dicat hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo, et det eis angelum bonum custodem, et faciat eos servire sibi ad considerandum mirabilia de lege sua. Avertat ab eis omnes contrarias potestates, eripiat eos ab omni perturbatione, ac sanos in hoc habitaculo custodire dignetur. Qui vivis.* Alia Oratio. *Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, et mittere digneris sanctum angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet et defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum.* Alia Oratio. *Omnipotens et misericors Deus, qui immensam pietatem tuam....., ut ad preces humilitatis nostræ salutifere visitare digneris hunc famulum tuum N., sicut visitasti Tobiam, Saram, socrum Petri, puerum Centurionis; quo, pristina corporis et animæ sanitate recepta, et Majestati tuæ debitas in ecclesia laudes exsolvat. Per.* Alia Oratio. *Deus qui famulo tuo regi Ezechiæ ter quinos annos potenter ad vitam donasti, quæsumus ut hunc famulum tuum a lecto ægritudinis misericorditer erigas ad salutem. Per Dominum.* Alia Oratio. *Deus qui beatum Petrum Apostolum ad Tabitam famulam tuam misisti, quatenus ejus precibus suscitaretur ad vitam, exaudi nos, quæsumus, et huic famulo tuo N., quem in nomine tuo visitat nostra fragilitas, desiderata clementiæ tuæ medela subveniat.* **112** *Oramus te, Domine Jesu Christe, et cum omni supplicatione rogamus, ut hunc famulum tuum per angelum sanctum tuum visitare, lætificare, et confortare, atque liberare et sanare digneris, qui vivis et regnas.*

32. Deinde sacerdos cum aqua benedicta faciat crucem super infirmum, et aspergat per totam domum aquam, dicendo *Asperges me, Domine, hyssopo et mundabor,* cum *Miserere mei Deus.* Deinde dicat : *Ad quid me vocasti, frater ?* Respondet infirmus : *Ut confitear Deo et tibi peccata mea, et ut vice Dei tu illa mihi condones, et des mihi pœnitentiam, et infundas sancti Spiritus unctionem.* Sacerdos respondet : *Con-*

donet tibi Dominus Jesus Christus omnia pecca'a tua, et salutiferam tibi tribuat unctionem. Tamen si te Deus respexit et sanaverit Dominus, custodies illam? Respondet *Custodiam.* Tunc sacerdos supra pectus faciat crucem cum aqua et cinere, superimponens cilicium ita dicens : *Apud Dominum misericordia est, et copiosa apud eum redemptio. Ita enim lapsis hominibus subvenit, ut non solum per baptismi et confirmationis gratiam, sed etiam per pœnitentiæ et unctionis medicinam spiritus humanus vitæ reparetur æternæ.* Respondet infirmus *Deo gratias.* Tunc, suscepta confessione, et indicta pœnitentia, sequantur septem Psalmi pœnitentiales et litania. Deinde dicitur *Kyrie, Christe, eleison, Kyrie; Pater noster.* Vers. *Et ne nos inducas.* Resp. *Sed libera nos.* Vers. *Salvum fac servum tuum.* Resp. *Deus meus.* Vers. *Mitte ei, Domine, auxilium.* Resp. *Et de Sion.* Vers. *Esto ei, Domine, turris.* Resp. *A facie.* Vers. *Nihil proficiat inimicus.* Resp. *Et filius.* Vers. *Domine, exaudi Orationem meam.* Resp. *Et clamor.* Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui per beatum Jacobum apostolum tuum inducere presbyteros Ecclesiæ et ungere oleo infirmos præcepisti, præsta, quæsumus, ut digneris per manus nostras hunc famulum tuum infirmum de oleo sanctificato ungere, et bene ✝ dicere; et quod fideliter postulantes exterius amplectimur, hoc interius spiritualiter divina tua virtus invisibiliter operetur.* Alia Oratio. *Domine Deus, qui per apostolum tuum locutus es : Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo sancto in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei; cura, quæsumus, Redemptor noster, gratia Spiritus sancti languores istius infirmi, et sua sana vulnera, ejusque dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis et corporis ab eo expelle, plenamque ei interius exteriusque* **113** *sanitatem misericorditer redde ut ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia. Per.*

Ordo compendiosus et consequens ad ungendum infirmum.

33. Intincto namque pollice in oleo infirmorum, sacerdos in ægri corpore signum crucis faciat in septem, vel in aliquantis locis, ita dicens, ad caput : *In nomine ✝ Patris et Filii ✝ et Spiritus sancti ✝ exstinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, imo per invocationem omnium sanctorum angelorum, archangelorum, patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, atque omnium simul sanctorum.* Resp. *Amen.* Alia Oratio. *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid oculorum vitio deliquisti.* Resp. *Amen.* Ad aures : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid aurium vitio deliquisti.* Resp. *Amen.* Ad nares : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid narium vitio deliquisti.* Resp. *Amen.* Ad os : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid linguæ, vel oris vitio deliquisti.* Resp. *Amen.* Ad manus : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam parcat tibi Dominus quidquid tactus, vel incessus, aut lumborum, seu carnis vitio deliquisti.* Resp. *Amen.* Post hæc dicat sacerdos : *Respice, quæsumus, Domine famulum tuum infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove quam creasti, ut, castigationibus emendatus, se sentiat tua medicina salvatum. Per.* Alia Oratio. *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui, benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad invocationem tui nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab ægritudine liberatum, et sanitati donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, ecclesiæ tuæ sanctisque tuis altaribus cum omni desiderata prosperitate restituas. Per.* Alia Oratio. *Dominus Jesus Christus apud te sit, ut te defendat; intra te sit, ut te reficiat; circa te sit, ut te conservet; ante te sit, ut te deducat; post te sit, ut te custodiat; super te sit, ut te bene ✝ dicat, qui in Trinitate.*

114 *Ordo ad communicandum infirmum.*

34. Lavat sacerdos manus suas, et lavaturam projicit in piscinam, vel ignem, et tunc facit ægrum adorare et osculari crucem, et ait : *Dominus Jesus Christus, qui dixit discipulis suis : Quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata, et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis, de quorum numero, quamvis indignos, nos esse voluit, ipse te absolvat per ministerium nostrum, et ab omnibus peccatis tuis quæcunque cogitatione, locutione, operatione, negligenter egisti, et a nexibus pecca'orum absolutum perducere dignetur ad regna cœlorum, qui cum Patre,* etc. Tunc tradat ei sacerdos Eucharistiam dominici corporis intincti vino, et vinum tali intinctione sanctificatum [a] in Christi sanguinem transmutatum, dicens : *Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis Domini nostri Jesus Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat te ad vitam æternam.*

Post communionem dicitur Oratio : *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sanctum corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpori, quam animæ, prosit ad remedium sempiternum. Per eumdem Dominum.*

Benedictio cilicii. *Omnipotens, et misericors Deus, qui peccatoribus pietatis tuæ misericordiam quærentibus hoc indumento vestitis misericordiam et veniam tribuisti, oramus clementiam tuam, ut hoc indumentum, quod vocatur cilicium, bene ✝ dicere, et sancti ✝ ficare digneris, ut quicunque eo pro peccatis suis indutus fuerit, et misericordiam imploraverit, veniam et indulgentiam tuæ misericordiæ consequatur. Per.*

[a] In Rituali Romano, quod Florentiæ in bibliotheca sanctæ Crucis asservatur, his omissis ita legitur : *Tali intinctione sanctificatum, dicens : Accipe, frater, Viaticum,* etc. Vide commentarii prævii caput 11.

Benedictio cineris. *Deus pietatis, Deus indulgentiæ et misericordiæ, qui Ninivitis cinere et cilicio indutis, et misericordiam tuam clamantibus subvenisti, exaudi nos propitius, ut hanc creaturam cineris, quo peccatores indulgentiam tuæ misericordiæ implorantes utuntur, bene † dicere, et sancti † ficationis tuæ gratiam super eum infundere digneris, ut quisquis illius aspersus pulvere fuerit, indulgentiam et remissionem cunctorum a te pio Domino* **115** *percipere mereatur delictorum. Per.*

35. Tunc extendatur in terra cilicium, et de cinere benedicto super illud a sacerdote fiat crux, et aquæ benedictæ aspersio; et super illud ponatur infirmus; et similiter fiat crux et aspersio super pectus illius, et dicat ei sic: *Recordare quia cinis es, et in cinerem reverteris.* Ait rursus ei sacerdos: *Placent tibi cinis, et cilicium ad testimonium pœnitentiæ tuæ ante Dominum in die judicii?* Resp. *Placent.*

Ordo sepeliendi clericos Romanæ fraternitatis.

36. In primis annuntiatio nocte fit a nuntiis per omnes ecclesias Romanæ urbis ex mandato rectorum. Mane autem facto, post pulsatas campanas, clerici congregantur ex omnibus ecclesiis secundum dispositionem prælatorum in ecclesia, ubi clericus defunctus est sepeliendus; et quisque sacerdos cum suis clericis cantet vigiliam IX lectionum. Interim episcopus vel cardinalis, seu quilibet magnus de archipresbyteris, nisi dies Dominica instet, jussu rectorum Missam celebrat pro defuncto. Finita vero Missa, clerici omnes congregantur circa feretrum in modum rotæ, et de mandato rectorum cantant clerici illius ecclesiæ, cui a rectoribus injungitur, responsorium *Subvenite.* Vers. *Suscipiat.* Finito Responsorio, unus ex rectoribus dicat *Orate omnes,* et omnes sub silentio cantent *Pater noster.* Tunc prædictus rector præcipit alicui de majoribus ut absolvat; ille vero dicit: *Et ne nos.* Vers. *In memoria æterna.* Vers. *A porta inferi.* Vers. *Requiescat.* Vers. *Domine, exaudi.* Vers. *Dominus vobiscum.* Oratio. *Absolve,* ut supra.

37. Finita vero Oratione, prædictus rector præcipit alicui ecclesiæ ut cantet Antiphonam *Requiem æternam.* Psal. *Te decet.* Postea præcipit alicui ecclesiæ ut cantet Antiphonam *Sitivit.* Psal. *Sicut cervus.* Antiphona finita, cantent *Kyrie, Christe, eleison, Kyrie, eleison, Pater noster.* Istis cantantibus, interim quatuor episcopi vel presbyteri cardinales, vel archipresbyteri, induti sacris vestibus cum pluvialibus, et cum quatuor thuribulis, ascendant ad altare, et incensent illud. Postea unus qui major est ex istis quatuor, alta voce absolvat, et dicat: *Et ne nos.* Resp. *Sed libera.* Capitula, ut supra. Capitula non dicit nisi primus. Orationes dicuntur in tono **116** Orationum Missæ. Oratio. *Non intres in judicium,* etc. *signaculo sanctæ Trinitatis. Qui vivis et regnas per omnia.* Finita Oratione reincipiat eamdem ille qui est contradictorie positus, dicens Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Oratio. *Non intres in judicium.* Post ille qui oppositus est illi subalterne eodem modo repetat prædictam Orationem. Postea quartus. Finita vero Oratione, ad mandatum prædicti incipiat cantare collegium alicujus ecclesiæ Responsorium *Adesto dolori.* Vers. *Versa est in luctum.* Dum cantatur Responsorium, illi quatuor ascendunt ad altare, ut supra dictum est, et faciunt ut supra dictum est. Tamen ille qui primus est in dicendo Orationem sequentem primus debet incensare. Cum vero reversi ad feretrum fuerint, ille qui fuit ultimus in prædicta Oratione incipiat *Dominus vobiscum,* sine capitulis. Oratio. *Deus, cui omnia vivunt,* etc., *abluas indulgendo. Per Christum Dominum.* Et faciant de ista Oratione sicut de prima. Finita Oratione, de mandato prædicti rectoris collegium alterius ecclesiæ incipiat Responsorium *Ne recorderis.* Vers. *Ne intres;* repetenda *Requiem.* Et dum Responsorium cantatur, illi vero quatuor cum incenso ascendant ad altare, et faciant sicut primus; et ille qui fuit secundus in prima Oratione debet primo incensare, et incipere *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum.* Oratio. *Fac, quæsumus, Domine,* etc., *societ angelicis choris. Per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et quater ista dicantur, sicut prima et secunda.

38. Postea de mandato prædicti rectoris Pater [a] spiritualis veniat in medium, et reddat testimonium pro defuncto, si fuerit unctus, si confessus, et de vita sua. Audito testimonio, sæpe dictus rector quærit a toto clero, dicens: *Placet vobis ut absolvatur frater iste defunctus?* Resp. *Placet.* Tunc rector rogat de voluntate omnium eum qui major est inter eos, vel qui fuit primus in Oratione, ut ipse absolvat. Ille vero cui injungitur dicit: *Orate omnes. Pater noster.* Vers. *Et ne nos.* Resp. *Sed libera.* Vers. *In memoria,* ut supra. Oratio. *Absolve.* Finita Oratione, jam dictus rector præcipit subdiacono et diacono ut accipiant feretrum. Illi accipientes deportant eum ad tumulum, cantantes Antiphonam *Chorus angelorum,* et **117** dicatur Oratio: *Deus, qui fundasti terram,* etc., *cum sanctis omnibus vera resuscitatio præstante eodem Domino nostro Jesu Christo,* etc.

39. His actis, in persona defuncti, dicatur Ant. *Aperite mihi portas,* et mox aperiatur sepultura. Psal. *Confitemini Domino.* Item in persona ejusdem dicatur Antiphona *Ingrediar in locum,* et sepelitur. Psal. *Sicut cervus;* et sepulto, item in persona ejusdem dicatur Ant. *Hæc requies mea in sæculum sæculi.* Psalm. *Memento, Domine, David.* Ant. *De terra plasmasti me, Domine, et carne induisti me, Redemptor meus, suscita me in novissimo die.* Psalm. *Domine, probasti me.* Antiph. *Non intres in judicium.* Psalm. *Domine, exaudi,* 2. Antiph. *Omnis spiritus laudet Dominum.* Psalm. *Laudate Dominum de cœlis.* Antiph. *Ego sum.* Psalm. *Benedictus.* Oratio. *Oremus, fratres charissimi, pro spiritu fratris nostri,* etc., *resuscitari faciat. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.* Oratio. *Deus,*

[a] Hoc est *testimonium sanctuli redditum* de quo in officio clericorum defunctorum apud Thomasium in Responsoriali, pag. 211. Romani patrinum hactenus *sanctulo* vocant.

cui omnia vivunt, etc., *quam præparasti diligentibus te. Per Dominum nostrum. Amen.* Oratio. *Temeritatis quidem est, Domine*, etc., *in parte dextra coronandus. Per Christum Dominum.* Oratio. *Opus est misericordiæ, Domine, sancte*, etc., *in sinum Abrahæ transferatur. Per Christum Dominum.* Resp. *Amen.* Alia Oratio. *Debitum humani corporis*, etc., *et perenni felicitate perfrui mereatur. Per Christum.* Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui humano corpori*, etc., *æternis sedibus præcipias sociari. Per Dominum nostrum.*

40. Item ad absolvendum, postquam sepultus fuerit cum aqua sancta aspergitur antequam populus recedat, et dicat sacerdos : *Pater noster.* Vers. *Et ne nos.* Vers. *Non intres in judicium.* Resp. *Quia non.* Vers. *A porta inferi.* Vers. *Erue, Domine.* Vers. *Domine, exaudi.* Resp. *Et clamor.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum.* Oratio. *Tibi, Domine, commendamus*, etc., *misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum*, etc. Pro cœmeterio Psalm. *Miserere mei, Deus. Pater noster.* Vers. *Et ne nos.* Vers. *Requiem æternam.* Vers. *A porta inferi.* Vers. *Domine, exaudi.* Resp. *Et clamor meus.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum.* Oratio. *Deus, cujus miseratione*, etc., *tecum sine fine lætentur. Per Dominum.* Postremo dicatur Oratio : *Absolve, Domine.* Et subjungatur, *Anima ejus et omnium fidelium defunctorum requiescant in pace. Amen.* Deinde redeant in ecclesiam, cantando septem Psalmos pœnitentiales cum Oratione *Absolve.*

ORDO ROMANUS XI

SEU

BENEDICTI, BEATI PETRI CANONICI LIBER POLLICITUS,

Auctore BENEDICTO, B. Petri canonico

Ad Guidonem de Castello, tunc cardinalem sancti Marci, qui postmodum factus est Cœlestinus II.

118 1. Perspicuæ scientiæ et profundæ sapientiæ magistro [a] Guidoni de Castello, divino nutu sanctæ Romanæ ecclesiæ presbytero cardinali tit. sancti Marci Benedictus, beati Petri apostoli indignus canonicus et Romanæ Ecclesiæ cantor, intimæ dilectionis affectum, et inter sanctorum antistitum agmina coronam immarcescibilem. Divinæ pietatis misericordiæ, Pater reverende, pro meæ tenuis scientiæ viribus immensas gratias ago, quoniam vestræ salutis curam et ecclesiastici ordinis sollicitudinem vos habere concerno. Unde magnam Dei misericordiam et multiplicium suarum miserationum copiosam bonitatem humiliter imploro, quatenus in hoc tam bono proposito, usquedum ipse veniet ad movendum de loco suo candelabrum, vos corroborando stabiliat. Cæterum super petitionem ecclesiastici Ordinis totius anni, et præcipue apostolicæ dignitatis et totius curiæ, de qua placuit vestræ illustri sapientiæ et egregiæ prudentiæ a me famulo vestro opusculum expetere, qualiter Deo favente domnus apostolicus cum curia sua et tota Romana Ecclesia in præcipuis solemnitatibus et quotidianis officiis valeat se regere, prout melius mihi Deus concesserit, licet si ardua, et officio professionis non indebita, elucidare aggrediar. Sed mirandum valde est cur a me idiota, et quasi nullius scientiæ, quæritis aperire quæ in apotheca cordis **119** non habeo enucleare, quæ investigare non valeo, propinare quæ sitibundus pincerna haurire a vobis gestio. Quis enim noscere potest quid agat flos campi et lilium convallium, dum montes transgreditur, et colles transilit, nisi quem torrente voluptatis suæ potavit et domus suæ ubertate inebriavit? Verumtamen, ut dixi, vestra dilectione et assidua pulsatione commotus, quod de dignitate Romani pontificis, et presbyterorum cardinalium, et diaconorum, cæterorumque ordinum curiæ, necnon de ecclesiastico officio totius anni per multa temporum spatia vidi, et a sapientibus curiæ audivi, et quod alii doctores in suis scriptis reliquerunt, ad perpetuæ recordationis memoriam scribere curabo.

2. In Adventu Domini, quando annualiter fit recapitulatio officii et librorum qui in Ecclesia leguntur, Sabbato in vigilia Adventus Domini, ad Vesperas incipit Antiphona *In illa die stillabunt montes.* Sub ista Antiph. omnes Psalmi hujus Vesperi cantantur. Qua Antiphona finita, dicitur Versus *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.* Ad *Magnificat, Spiritus sanctus in te descendit, Maria.* Finita Antiphona, dicitur Oratio [*Al.*, Orationes].

3. Ad Matutinum Invitatorium *Regem venturum*, cum suo *Venite.* Quo finito, incipit prima Antiphona : *Missus est Gabriel angelus.* Psalmus *Beatus vir*, usque *Domine, ne in ira*, et dicitur Antiphona. Deinde dicitur secunda Antiphona *Ave, Maria, gratia plena*; Psalmus : *Domine Deus meus in te speravi*, usque *In Domino confido.* Antiphona finita, dicitur tertia Antiphona : *Ne timeas, Maria.* Psalmus *Salvum me fac, Domine, quoniam defecit sanctus*, usque ad Psalmum *Domine, quis habitabit.* Antiph. finita, dicitur Versus *Ostende nobis, Domine.* Tres lectiones leguntur de Isaia propheta. Prima lectio *Visio Isaiæ.* Resp. *Aspiciens a longe*, quo finito, dicitur Vers. *Quique terri-*

[a] Proinde scriptus fuit hic liber ante annum 1143 quo Guido iste ad pontificatum assumptus est, dictus Cœlestinus II.

gentes, totum; deinde repetenda *Ite obviam et dicite.* Vers. *Qui regis Israel intende*, totum; repetenda *Nuntia nobis si tu es ipse.* Vers. *Tollite portas, principes, vestras*, totum: repetenda *Qui regnaturus es in populo Israel. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.* Incipit a capite *Aspiciens a longe.* In secunda lectione secundum Resp. *Aspiciebam in visu noctis*, cum duobus versibus: *Ecce dominator Dominus*, et *Potestas ejus potestas æterna*, cum repetendis suis, sicut superius; **120** et *Gloria Patri*, et Responsorium a capite. In tertia lectione Resp. *Missus est Gabriel angelus*, cum duobus versibus, *Ave, Maria*, et, *Dabit ei Dominus Deus.* Repetenda prima *Ne timeas, Maria;* et repetenda secunda *Et vocabitur*, et reliqua. *Gloria Patri.* Qua finita, responsorium a capite cantetur. Hæc tria Responsoria ita debent cantari in congregationibus: Prior et secundus cantant Responsorium primum ante altare cum omnibus Versibus, et repetendis usque ad finem; tertius et quartus secundum Responsorium sicut prius; quintus et sextus tertium Responsorium. In secundo nocturno incipit Antiphona *Ecce ancilla Domini;* Psalmus *Conserva me, Domine.* Alia Antiphona *Angelus Domini;* Psalmus *Exaudi, Domine, justitiam meam.* Tertia Antiphona *Antequam convenirent;* Psalmus, *Diligam te, Domine*, totoque finito cum Antiphona, dicitur Versus, et tres lectiones leguntur de sermone sancti Augustini, et sancti Leonis, et tria Responsoria cantantur sicut mos est. In tertio nocturno Antiphona *Beata es, Maria, quæ credidisti Domino;* et, *Beatam me dicent omnes generationes;* et, *Dabit ei Dominus*, cum suis Psalmis, *Cœli enarrant, Exaudiat te Dominus*, et *Domine in virtute tua.* Versus et duæ lectiones de [a] epistola, tertia de homilia. Quibus finitis, cantatur *Te Deum laudamus;* quo finito, incipiunt matutinæ Laudes, et Antiphona *In illa die*, cum omnibus aliis Antiphonis et Psalmis. Quibus finitis, dicitur Vers. Quo finito, incipit Antiphona, *Spiritus sanctus in te descendit Maria*, et, *Benedictus Dominus Deus Israel*, etc.

4. Deinde dicit Primam, et incipit secundam Antiphonam Matutini, *Jucundare*, cum Psalmis. Quibus finitis, dicit lectionem Epistolæ, et Versum, et Orationem diei. Mane statio ad sanctam Mariam Majorem, quo dominus papa cum omnibus ordinibus venit; ibique honorifice, sicut mos est, cantat Missam cum *Gloria in excelsis Deo*, sicut in aliis Dominicis usque ad Natalem Domini, et coronatur. Ad Tertiam canitur tertia Antiphona; ad Sextam quarta Antiphona; ad Nonam quinta Antiphona; ad Vesperum cum omnibus Antiphonis, sed non dicitur *Missus est Gabriel*, neque *Ecce Dominus veniet*, nisi infra hebdomadam, sed tantum Oratio.

5. Infra hebdomadam, officium de Adventu ad Matutinum **121** Invitatorium *Regem venturum.* Noct. cum Antiphona de Psalmista. Versus de Adventu, et legitur de Isaia propheta. Ad matutinas Laudes canitur una Antiphona *In illa die stillabunt montes*, sub qua omnes Psalmi cantentur. Prima canitur cum lectione de Adventu et capitulis, sicut Ecclesia consuevit, genu flexo. Tertia, Sexta, Nona cum Antiphonis de Adventu in terram prostrati, cum capitulis et Psalmis et Oratione, sicut mos est. Ad Vesperum omnes Psalmi feriales cantentur sub una Antiphona, *In illa die stillabunt montes*, et ad finem cantentur istæ Antiphonæ, *Missus est Gabriel angelus; Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum*, cum Oratione *Deus, qui de beatæ Mariæ virginis utero*, et Antiphona *Ecce Dominus veniet, et omnes sancti ejus cum eo.* Vers. *Exsultabunt sancti in gloria.* Missa de Adventu usque in quinta feria. Sexta feria canitur Missa de Cruce, quod non convenit in Adventu. Sabbato de sancta Maria, si non fuerit festivitas novem lectionum; et si fuerit, omne officium sit festivitatis; et si fuerit trium lectionum festivitas, in vigilia ad Vesperum Psalmi diei cantentur sub una Antiphona de Adventu. Cum venerit ad *Magnificat*, Versus dicatur de festivitate cum Antiphona et Oratione sancti; et fit commemoratio de Adventu, *Missus est Gabriel angelus*, etc. Matutinum totum de sancto, tamen cum nocturno diei; matutinæ Laudes, si habent proprias Antiphonas, cantentur; sin autem, sub una Antiphona communali omnes Psalmi cantentur. Prima cantetur cum una Antiphona festivitatis et lectione diei; et omne officium non prostrati, sed stando cantetur. Tertia et Sexta de festivitate, Nona et Vesperum de Adventu.

6. Dominica secunda leguntur tres lectiones de eodem propheta Isaia, et tres lectiones de sermone, et duæ lectiones de Epistola, tertia de homilia, et canitur de historia sua. Mane ad Missam fit statio ad Jerusalem in palatio Susurriano, ubi Dominus pontifex cum tota curia debet cantare Missam, et accipere coronam, et eam celebrare, sicut mos est.

7. Dominica de *Gaudete*, statio ad sanctum Petrum. Cum dominus papa cum omnibus scholis ad Vesperum venit, ibique dominus manet; tunc dominus pontifex accipit XX solidos de confessione, et expendium curiæ, et equorum suorum. Cardinales vero et diaconi, primicerius cum schola, subdiaconi basilicarii et subdiaconi regionarii, et acolythi **122** accipiunt quinque solidos den. Papiensium, quod vocatur cœnaria [*Al.* cenatica]; et archidiaconus accipit XVIII denarios pro Responsoriis qui expenduntur per manus suas; et canonici ecclesiæ debent habere de presbyterio XII sol. de eadem confessione. Prælibati vero sacri palatii ordines hospitantur in domo Agulie [*Al.*, Anguliæ], et dominus hospitii debet præparare lectos de suis bonis linteaminibus, et accipere in stabulis suis equos eorum, et custodire; et si oportuerit facere cœnam ejus diei, tamen de præscriptis denariis qui vocantur cœnatica, non solum in stationibus, verum etiam per totum annum, quandocunque [*Al.*, quocunque] venerint cardinales cantare Missam

[a] Nempe de epistola Leonis Magni ad Flavianum, quæ magna cum dignitate explicat mysterium Incarnationis contra errorem Eutychetis, de qua infra, num. 9.

cum primicerio et cantoribus vel aliis palatinis clericis, et ille dominus hospitii debet habere pro beneficio omni die unam monetam de oblatis [*Al.*, oblationibus] Missæ, et lacrymas ceræ, quæ remanent de offerenda Missæ. Hic prælibatus ordo debet esse in omnibus nocturnis stationibus sancti Petri; in diurnis vero dantur tantum quinque sol.. sed dominus papa in nocturnis et in diurnis accipit xx solidos, sicut supra dictum est.

8. Media autem nocte surgens audito signo dominus papa, cum omnibus ordinibus ad sanctum Leonem venire debet, ibique mansionarius præparat thuribulum episcopo, et episcopus pontifici, omnibus indutis de suis indumentis. Cubicularii vero cum duabus faculis accensis, et camerarii cum duobus candelabris et faculis accensis debent ire ante pontificem. Pontifex autem primum incensat altare sancti Leonis; deinde cum Processione incedens per porticum pontificium ad sanctum Gregorium, primum incensat altare ejus, et altare sancti Sebastiani, et altare sancti Tiburtii; deinde duo altaria in mediana ad crucifixos, ubi ab antiquis patribus audivimus requiescere apostolos Simonem et Judam. Postea vadit ad sudarium Christi, quod vocatur Veronica, et incensat, et altare sanctæ Mariæ similiter. Postea ascendit ad sanctum Pastorem juxta arcum triumphalem, et incensat. Deinde descendens ad corpus, incensat altare super sepulcrum sancti Petri, et sic sedet in subsellio cum candelabris ante se. Paraphonista cum schola incipit vigilias *Ex Ægypto vocavi filium meum*; Psalmus *Beatus vir*. Secunda Ant. *Ecce apparebit Dominus supra nubem candidam*; Psalmus *Quare fremuerunt gentes*. Tertia Ant. *Ecce veniet Dominus, quem Joannes prædicavit*; Psalmus *Domine, quid multiplicati sunt*. Deinde duo subdiaconi basilicarii dicunt Versum; **123** acolythi tenent librum stationalem, et cubicularii faculas, et basilicarii legunt lectiones *Gaudens gaudebo in Domino*; diaconus præcinit *Tu autem*. Primicerius cum schola cantat Responsoria. Finitis tribus lectionibus, primicerius dicit *Te Deum laudamus*. Subdiaconus regionarius porrigit Sacramentarium episcopo, et episcopus tenet ante pontificem; et basilicarii tenent candelabra, et pontifex dicit Orationem. Diaconus dicit *Benedicamus Domino*, et dominus papa benedicit.

9. Deinde [a] exiens inde ascendit ad altare majus, et incensat; et descendit ad [b] pectorale ante altare, circa eum diaconi induti. Episcopi stant ad aliud pectorale, cardinales in choro cum canonicis ecclesiæ. Cubicularii et camerarii ponunt faculas ante pontificem. Pontifex vero incipit Matutinum, *Domine, labia mea aperies*. Cantores cantant invitatorium; quo finito primicerius incipit *Ex Ægypto vocavi Filium*; Psalmus *Beatus vir*, et omnes Psalmi primi nocturni cum Antiphonis suis. Primo nocturno finito, canonici ecclesiæ legunt tres lectiones, *Gaudens gaudebo*, et cantant tria Responsoria; cætera cantores et basilicarii. Deinde episcopi legunt quartam et quintam lectionem de epistola sancti Leonis papæ, missa Flaviano episcopo de incarnatione Domini contra Eutychen hæreticum, cardinales sextam et septimam; Prior basilicarius octavam de expositione epistolæ, *Gaudete in Domino semper*; nonam vero ibi ubi intrat legit pontifex de homilia, et dicit *Jube, Domine, benedicere*. Nullus benedicit eum, nisi Spiritus sanctus; tantum omnes respondent *Amen*. Finita lectione pontificis, primicerius dicit *Te Deum laudamus*, et alii respondent; et incipit Antiphonas ad matutinas Laudes. Quo finito, basilicarii cantant versum ante altare. Primicerius nuntiat pontifici Antiphonam ad *Benedictus Dominus Deus Israel*. Episcopus repræsentat librum pontifici, sibi datum a subdiacono regionario; pontifex dicit Orationem; diaconus dicit *Benedicamus Domino*. Missa a pontifice celebratur et dicitur *Gloria in excelsis Deo*, et fit laus a diaconis, et subdiaconis, et notariis; et coronatur a sancto Petro **124** per mediam civitatem usque ad palatium cum omnibus ordinibus, sicut mos est. A festivitate sancti Nicolai usque ad feriam ante Natalem Domini cantantur hæ Antiphonæ ad Matutinum, O *Sapientia*, ad *Benedictus*, et cæteræ omnes in quatuor temporibus.

10. Feria quarta statio ad sanctam Mariam Majorem. Fit Collecta ad sanctum Petrum ad Vincula in Eudoxia. Primicerius cum schola, et subdiaconi regionarii, et acolythi cum cruce [c] stationali sancti Petri, levant inde crucem cum collecta Processionali, cantando usque ad sanctam Mariam Majorem. Ibi Dominus papa præparatus cantat Missam more quadragesimali, et ibi nuntiat quem ordinare disponit hoc modo: *Auxiliante Domino et salvatore nostro Jesu Christo elegimus hunc diaconum in presbyteratum. Si quis habet contra eum pro Deo, cum fiducia exeat, et dicat. Verumtamen memor sit conditionis suæ.*

11. Sexta feria statio ad sanctos apostolos cum processione.

12. Sabbato statio ad sanctum Petrum, ubi debet ordinatio fieri a pontifice, et celebrare Missam. Dum vero cantatur officium celeberrime a schola, et hymnus trium puerorum, *Benedicite omnia opera Domini Domino*, descendit pontifex ab altari, et vadit ad sanctum Andream. Ibi facit consecrationem. Facta consecratione, revertitur ad altare, quia ad hoc altare nulla consecratio debet fieri, nisi de Romano pontifice. Et sic in omnibus quatuor temporibus debet fieri.

[a] Hic distinctio manifesta inter vigilias et Matutinum, quod duplex officium in dominica 3 Adventus ad sanctum Petrum dicebatur. Aliquid hic videtur desse ad significandum diem.

[b] Ita cancellum appellant, eum ad modum quo Græci στήθεα vocant columellas ordine dispositas, ac superiori epistilio junctas, ut ex Goaro in Cedrenum observat doctissimus Cangius.

[c] Crux stationalis, quæ solita deferri ad stationes, quæ solebat reponi super altare, inferius, num. 29.

13. Dominica de *Canite tuba* legitur de Joel propheta, *Canite tuba in Sion*, et de sermone, et Epistola, et de homilia. Cum venerint autem feriales Antiphonæ, omnes per ordinem cantentur ad Matutinum. Ad Vesperum omnes Psalmi cantentur sub prima Antiphona. Ad *Magnificat* cantetur propria Antiphona.

14. In vigilia Natalis Domini ad Matutinum Invitatorium *Christus adveniet nobis, venite adoremus*. Ant. *Dominus dixit ad me;* Psalmus *Quare fremuerunt gentes*. Antiph. *In sole posuit tabernaculum;* Psalmus *Cœli enarrant*. Antiph. *Elevamini portæ æternales;* Psalmus *Domini est terra*. Versus *Hodie scietis quia veniet Dominus*, et quinque lectiones, et quinque **125** Responsoria. Quarta lectio sermo sancti Augustini, *Vos, inquam, convenio, o Judæi*. In quarta cantantur sibyllini versus *Judicii signum, tellus sudore madescit*. Quinta de homilia. Eo die non dicitur *Te Deum laudamus*, sed tantum *Deus, in adjutorium meum intende*, cum Antiphonis vigiliæ, et Psalmus *Dominus regnavit*, cum aliis Psalmis. Prima cum Antiphona vigiliæ, et lectio *Paulus servus Jesu Christi*, cum Versu, sine *Kyrie*, tantum dicatur Oratio diei. Tertia, Sexta et Nona cum suis Antiphonis. Non prostrati, sed tantum stando dicantur Orationes. Isto die statio ad sanctam Mariam Majorem, ubi dominus papa debet Missam cantare cum scholis clericorum et familia palatii; et episcopus Albanensis debet facere cœnam optimam toti curiæ, et debet mittere ad curiam duo optima busta porcorum. Ad Vesperas et ad vigiliam debet ibi remanere pontifex per totam noctem.

15. In prima vigilia legunt canonici ecclesiæ tres lectiones de Isaia propheta, et cantant tria Responsoria. *Primo tempore alleviata est terra Zabulon*, et *Consolamini*, et *Consurge ;* et ita fit officium per cardinales et episcopos et cantores, sicut nocturnalibus stationibus sancti Petri. In secunda vigilia de sermonibus. In tertia de eisdem sermonibus, et de homilia. Et ad præsepium debet cantare Missam, et dicere *Gloria in excelsis Deo*, et unam Orationem tantum, et *Credo in unum Deum*. Primicerius cum schola officiat Missam; qua peracta, primicerius revertitur ad chorum, cantando *Ecce Maria genuit nobis Salvatorem*, cum Psalmis et Antiphona, sicut in Antiphonario scriptum est. Finitis isto [modo] matutinis Laudibus cum Oratione, incipit pontifex [a] Matutinum. Schola dicit Invitatorium, et eo ordine fit Matutinum, sicut vigiliæ fuerunt.

16. Mane dicit Missam ad sanctam Anastasiam; qua finita, descendit cum Processione per viam juxta porticum Gallatorum ante templum Sibyllæ, et inter templum Ciceronis et porticum Cimorum [*Al.*, Crinorum]; et progrediens inter basilicam Jovis et arcum Flamineum, deinde vadit juxta porticum Severinum; et transiens ante templum Craticulæ, et ante insulam **126** Milicenam et draconiorum, et sic sinistra manu descendit ad majorem viam Arenulæ, transiens per theatrum Antonini, et per palatium Cromatii, ubi fuit Holomitreum [*Al.*, Oloritreum], et sub arcu Gratiani Theodosii et Valentiniani imperatorum; et intrans per pontem Adriani ante templum ejus, et juxta obeliscum Neronis, et ante memoriam Romuli, et per porticum ascendens in Vaticanum ad basilicam sancti Petri, ubi est statio; et ibi honorifice cantatur Missa cum omnibus ordinibus palatii, sicut decet; et debet ibi accipere coronam in capite suo, et per mediam urbem cum Processione redire ad palatium, perficere festum coronæ.

17. Sed propter parvitatem diei et difficultatem viæ, facit stationem ad sanctam Mariam Majorem, et vadit in secretarium. Cubicularii custodiunt secretarium. Prior episcopus servit de libro archidiaconus de Evangelio, subdiaconus regionarius prior de mappula, prior basilicarius de epistola, primicerius et schola de cantu; et sic sustentatus a duobus diaconis, archidiaconus sine socio solus procedit ante pontificem, et sic intrat in Processione; omnis ordo in suo loco, bini et bini procedunt, acolythi cum candelabris, et crux domini pontificis ante Processionem. In introitu ecclesiæ cubicularii alte portant mappulam super caput pontificis. Cum autem intrat presbyterium, mansionarius ecclesiæ porrigit ei arundinem cum cereo accenso. Tunc pontifex accipit eam, et ponit ignem in stupa posita super capita columnarum ad figuram finis mundi per ignem. In medio presbyterii progrediens sistit iter. Primicerius deponit mitram de capite suo, et osculatur dextram scapulam pontificis, et pontifex benedicit eum. Cumque venerit ante altare, cubicularii offerunt [b] mappulam super caput pontificis; ipse vero pontifex dat pacem priori episcopo, qui ei serviturus est; deinde duobus cardinalibus, priori et secundo.

18. Ascendens cum primo ad altare, facit confessionem, osculatur Evangelium, quod subdiaconus tenet ante eum, et intrat ad altare; et inclinato capite dicit Orationem; qua peracta, osculatur altare, et erigit se dans pacem archidiacono et omnibus diaconibus. Acolythus repræsentat thuribulum et capsam cum incenso archidiacono, qui lecturus est Evangelium. **127** Pontifex autem accipit capsam, et ponit incensum in thuribulum, et incensat altare, et archidiaconus retinet planetam ne impediatur. Posito incenso, ascendit ad sedem, et cardinales descendunt ad chorum in locis suis, et episcopi in dexteram in locis suis juxta pontificem. Interim paraphonista cum schola cantat Introitum, et *Kyrie*,

[a] Observa hic distingui Vigilias a Matutino, licet idem sit officium, quod illa summa nocte divisis nocturnis, quasi totidem vigiliis, hæ mane celebrarentur. Vide num. 60 et 65, infra. Amalarius hanc distinctionem designat in Antiphonarii cap. 15. *Reperi*, inquit, *in Romano Antiphonario duo officia nocturnalia in una eademque nocte posita*, scilicet in Nativitate.

[b] Infra, num. 40, *cum linteo extensò super caput ejus*. Hinc *mappularii* dicti, quibus id muneris concessum est, de quibus in sequenti libello Cencii.

eleison. Pontifex incipit *Gloria in excelsis Deo*, et schola respondet *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, usque in finem. Et pontifex dicit *Pax vobis*, schola respondet non in illa voce, sed alta, *Et cum spiritu tuo*; et dicitur una Oratio.

19. Interea archidiaconus cum diaconibus et subdiaconibus in filo stantibus ad dexteram juxta altare, et notarii jusum [*id est*, deorsum] in choro pluvialibus induti stantes, archidiaconus alta voce cum omnibus dicit: *Exaudi, Christe*. Respondent notarii: *Domino nostro* [a] *Innocentio, a Deo decreto summo pontifici et universali papæ, vita*. Tribus vicibus dicit archidiaconus cum suis; tribus vicibus respondent notarii. *Sancta Maria*, dicit archidiaconus; respondent notarii, *Tu illum adjuva*. *Sancta Maria*, respondent similiter de unoquoque choro tribus, sanctos (*sic*) duabus vicibus. In fine *Kyrie* tribus vicibus archidiaconus cum diaconibus et subdiaconibus, et accipiunt tres sol. pro laude.

20. Prior subdiaconus Latinus, et subdiaconus Græcus portant libros ante pectus suum cum duobus subdiaconis, et uno acolytho camiso induto, antecedente eum oblationario [*Al.* blacionario] in manu faciendo viam. Duo cantores, prior et secundus, isto die et die sanctæ Paschæ descendunt in ambonem, et acolythus stat ante in ambone. Finita laude subdiaconus Latinus legit Epistolam Latinam, deinde subdiaconus Græcus legit Epistolam Græcam. Redeunt ad altare gratias habentes, et osculantur pedes pontificis. Cantores vero incipiunt Gradale, et *Alleluia*, et primicerius cum schola Responsorium. Archidiaconus et diaconus Græcus ferentes librum ante pectora sua cum quatuor subdiaconis, acolythi ferentes candelabra ante eos manent cum candelabris accensis ante pulpitum, illi vero legunt Evangelia. Descendentes portant Evangelia obviam pontifici; et pontifex osculatur ea, ascendit in pulpitum, et prædicat Evangelium. Ad finem vero facit confessionem, **128** benedicit, et redit ad sedem, et dicit *Credo in unum Deum*. Basilicarii respondent et cantant. Primicerius cum schola cantant Offerenda. Tunc VII cardinales ascendunt ad altare cum libris, tres ex una parte, et quatuor ex alia parte, et Pontifex a diacono sustentatus intrat ad altare in Canonem ad sacrificandum Hostiam cum cardinale. Perfecta Præfatione basilicarii cantant *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc.

21. Finita Missa, pontifex ab archidiacono coronatus ascendit equum, et procedit cum Processione ad palatium hoc modo. Post eum præfectus indutus manto pretioso, et calceatus zancha una aurea, altera rubea; circa eum judices pluvialibus induti ante Pontificem, archidiaconus et diaconus cum primicerio bini et bini, deinde subdiaconi: ante quos cardinales; ante cardinales cantando ante eos notarii; ante notarios episcopi; ante episcopos crux domini papæ; ante crucem milites draconarii, portantes XII vexilla, quæ bandora vocantur; et equus domini papæ ornatus, sed vacuus; dirungarii circa Processionem; duo Præfecti navales, qui dicuntur dilungarii [*Al.*, dirungarii], cum baculis in manibus, pluvialibus induti; majorentes vero mantellis sericis et baculis, qui vocantur schola stimulati, custodientes Processionem, ne aliquis se intromittat.

22. Cum autem venit pontifex ad basilicam Zachariæ papæ, antequam descendat, descendunt cardinales ad faciendum laudes. Tunc prior cardinalis sancti Laurentii foris muros, deposita mitra, dicit: *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit eum. Qui alta voce dicit: *Summo et egregio, ac ter beatissimo papæ Innocentio vita*. Respondent cardinales omnes: *Deus conservet eum*, tribus vicibus. *Salvator mundi*. Cardinales respondent: *Tu illum adjuva*, et vicibus tribus. *Sancta Maria, tu illum adjuva*, per omnem chorum sanctorum tres sanctos. In fine, *Omnes sancti adjuvate illum*, tribus vicibus. *Kyrie* tribus vicibus. Et pro laude accipiunt tres solid. Judices vero se repræsentant, et dicit primicerius, *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit eum, et alta voce dicit *Hunc diem*. Respondent judices: *Multos annos*, tribus vicibus. *Tempora bona habeas*. Respondent judices: *Tempora bona habeamus omnes*. Tunc dominus pontifex descendit de equo; primicerius defensorum et secundicerius suscipiunt eum per manus, et **129** ducunt usque in cameram. Ibi dat presbyterium omnibus ordinibus. Isto vero die Natalis Domini et die sanctæ Paschæ dat omnibus prioribus [b] manum, id est presbyterium duplum: præfecto scilicet XX solid. dominus papa et manum; primicerio judicum IV solid. et manum; unicuique judicum IV solid.; priori episcopo IV solid. et manum; unicuique episcoporum [III solid.]; IV solid. priori cardinali et manum, unicuique card. III solid.; archid. III solid. et manum; unicuique diaconorum III solid.; primicerio cantorum III solid. et manum; secundicerio cantorum II solid.; priori basilicario II solid. et VIII den. pro honorantia; unicuique cantori II solid.; priori basilicario II solid. et manum; unicuique subdiacono II solid.; priori regionario II solid. et manum; unicuique eorum II solid.; unicuique acolytho II solid.; duobus dilungariis VIII solid.; scrinariis X solid.; majorentibus V solid.; draconariis V solid., et aliis ordinibus, sicut mos est.

23. Dato presbyterio, intrant ad mensam præparatam. Episcopi et cardinales sedent in dextra parte; archidiaconus, et diaconus, et primicerius, et prior basilicarius, et prior regionarius in sinistra; omnis ordo in suo loco. Ostiarius ponit lectorium cum libro homiliarum in medium. Circa medium convivium ex præcepto archidiaconi surgit diaconus, et legit lectionem, ipse vero archidiaconus imponit finem. Tunc pontifex [c] mandat

[a] Quippe hic liber scriptus est vivente ac sedente pontifice Innocentio secundo, cui hæ laudes aptantur.

[b] Hinc vulgatum manciæ vocabulum pro dono clientibus facto profluxisse existimo.

[c] Id est mittit, modo Italis hodie quoque familiari.

acolythum, ut surgant cantores, et cantent [a] Sequentiam modulatis vocibus, qui surgentes faciunt imperata. Finita Sequentia, vadunt et osculantur pedes pontificis, et accipiunt a sacellario unum byzantium, et dominus papa dat eis coppam plenam potione ex [b] ore suo, et bibunt. Finito convivio, omnes redeunt ad domos suas, cardinales mitti solent ad propria.

24. In festivitate sancti Stephani tres lectiones de Actibus apostolorum, *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine*, et tres de sermone sancti Stephani, cum suis Antiphonis, et Responsoriis. In tertio nocturno de Natali Domini, cum III Psalmis, Versu, et lectionibus, et suis Antiphonis. Matutinæ **130** Laudes de sancto Stephano. Finita Oratione sancti Stephani dicitur Antiphona: *Virgo hodie fidelis*, cum Oratione de Natali. Tertia, Sexta et Nona de sancto Stephano; Vesperæ vero de Natali Domini; Antiphona et Oratio de sancto Stephano et sancto Joanne, et aliarum festivitatum similiter. Summo mane dominus pontifex egrediens a palatio coronatus, cum Processione honorifice vadit ad sanctum Stephanum, ubi est statio. Ibi cantant Missam, sicut in Natali Domini, cum laude; qua finita, rediens ad palatium coronatus, acceptis laudibus a cardinalibus et judicibus, et dato presbyterio sive manibus et convivio celebrato, sicut supra scriptum est, sic omnes recedunt.

25. In festivitate sancti Joannis evangelistæ tres lectiones de Apocalypsi, et tres de sermone sancti Joannis, cum suis Antiphonis, Psalmis et Responsoriis. Quidam volunt ejus passionem legere. In tertio nocturno Antiphonæ et tres Psalmi, et tres lectiones de Natali, cum suis Responsoriis. Matutinæ Laudes de sancto Joanne, et commemoratio, sicut supra, prima de sancto Joanne; Oratio de Natali.

26. In natali Innocentium ad Matutinum tres lectiones de Apocalypsi, et tres de sermone. In tertio nocturno revertitur ad Natale Domini. Non cantatur *Te Deum*, sed incipiunt matutinæ Laudes. Prima cantatur, sicut supra. Ad Missam non cantatur *Gloria in excelsis Deo*, nec *All.*, nisi venerit in Dominica, sed omne officium est quadragesimale. Isto die Romani non comedunt carnem, nec sagimen, nisi venerit in dominico die.

27. In vigilia Epiphaniæ, officium Natalis Domini. In Epiphania statio ad sanctum Petrum, ubi dominus papa cum tota curia cantat Versus, sicut in Dominica de *Gaudete*, ea die qua superius notatum est. Nocte vero media surgit, et omnes ordines cum eo congregantur ad altare sancti Leonis; ibique cum Processione, sicut prælibatum est, incensando altaria usque ad corpus, ubi facit vigilias trium lectionum, quibus peractis, ascendit ad altare majus, et incensat. Descendit ad pectorale, et omnes ordines in suo loco. Annuit primicerio, ut incipiat vigilias. Ille autem incipit Antiph. *Afferte Domino filii Dei*, etc. Tunc leguntur tres lectiones de propheta: *Surge, illuminare Jerusalem*, et aliæ lectiones de sermone, præter unam lectionem homiliæ, quæ est domini papæ, **131** eo ordine, quo in Dominica de *Gaudete*. Missam vero honorifice cum laudibus debet cantare, et accipere coronam, et coronatus redire ad palatium, et agere sicut in aliis coronis. Infra Octavas ad Matutinum quotidie tres psalmi et tres lectiones de sermone cum suis Antiphonis et Responsoriis, excepta Dominica, quoniam fiunt novem lectiones. Post Octavas leguntur Epistolæ Pauli. Quidam legunt de expositione psalterii.

28. Dominica prima post Octavas Epiphaniæ leguntur Epistolæ Pauli, et ponitur historia de Psalmista: *Qui meditabitur in lege Domini*, usque in Septuagesimam. In primo et secundo nocturno Matutini cantantur Antiphonæ de eisdem Psalmis: *Servite Domino in timore*, etc. In tertio nocturno in loco Antiphonarum cantatur *Allel.* Ad matutinas Laudes cantatur *Allel.* in tono *Lux orta est super nos*, et cæterarum Antiphonarum, sicut in Antiphonario continetur. Ad Primam, ad Tertiam, Sextam et Nonam cantatur *Alleluia*. Vesperum de Psalmista. In omnibus ex prædictis Dominicis totius anni ita cantatur ad prælibatas Horas, exceptis Dominicis a Septuagesima usque in Octavas Pentecostes, et ab Adventu Domini usque in Octavas Epiphaniæ, necnon in festivitatibus Dominicarum. In feriis autem, si non est festivitas, cantatur ad Primam Antiphona hæc: *Benedictus es, Domine, doce me justificationes tuas*; ad Tertiam Antiphona *Inclina cor meum, Deus, in testimonia tua*; ad Sextam *Domine, vivifica me secundum verbum tuum*; ad Nonam *Aspice in me, Domine, et miserere mei*.

29. In Purificatione beatæ Mariæ leguntur sermones ejusdem festivitatis. Mane statio ad sanctam Mariam Majorem. Exeunt XVIII [c] imagines a diaconis, et cum clericis et populo veniunt ad sanctum Adrianum, ubi fit Collecta. Sed dominus pontifex descendit ad sanctam Martinam cum episcopis, et cardinalibus, et cæteris scholis. Ibi cum omnibus induitur. Quidam cardinales benedicunt cereos adductos a curia et cubiculariis. Pontifex egreditur inde, et ascendit sedem ante ecclesiam, quos ita expendit. Prius dat episcopis, deinde cardinalibus, postea diaconibus, et aliis ordinibus, et populo. Deinde vadit ad sanctum Adrianum, ubi est crux stationalis. Archidiaconus annuit ut cantet schola. Primicerius incipit, et cantat *Exsurge, Domine, adjuva nos*. Finita Antiphona, pontifex **132** dicit *Oremus*, diaconus *Flectamus genua*; alius [d] diaconus dicit *Levate*, et pontifex dicit orationem. Diaconus dicit *Procedamus cum pace*. Schola respondet *In nomine Christi*. Tunc subdiaconus regionarius levat crucem stationalem de altari, plane portans eam in manibus usque ad ecclesiam. Cum autem venit foras, levat eam sursum, quam fert ante pontificem in Processione usque ad sanctam Mariam Majorem. Primicerius in manu læva retro regendo pallium pontificis cum cantoribus cantat Antiphonam *Adorna thalamum*

[a] Sequentia hæc erat illa quæ incipit a voce *Lætabundus*, ex Cæremoniali Urbani VI.

[b] Hæret etiam nunc hic loquendi modus apud nos, *du vin de sa bouche*.

[c] De his imaginibus iterum infra, num. 33.

[d] Non alius, sed idem qui dixerat *Flectamus genua*, primis illis temporibus subdebat *Levate*, ut superius vidimus.

tuum, Sion. Pontifex cum aliis dicit psalmos; et sic procedens discalceatus ante arcum Nervæ, intrat per forum Trajani; et exiens arcum Aureæ in porticu absidata ascendit per directum (*Al.*, domum) juxta Eudoxiam, et transiens per silicem [a] domum Orphei, ascendit per titulum sanctæ Praxedis usque ad sanctam Mariam Majorem; ibique finita Antiphona a schola, subdiaconus regionarius more solito portat crucem ad altare, et facit Litaniam, respondente schola cum acolythis. Et dominus papa cantat Missam, sed non cantatur *Kyrie, eleison* propter litaniam.

30. Sabbato Septuagesimæ ad Vesperum tacetur *Alleluia*, et dicitur *Laus tibi, Domine*. Sub una Antiphona *Voca operarios* omnes Psalmi cantantur. Finitis Vesperis, apud sanctum Petrum legitur Pentateuchus in tribus lectionibus usque ad Matutinum. Ad Matutinum ponitur Genesis, unde leguntur sex lectiones: *In principio Deus creavit cœlum et terram*; septima et octava de expositione Epistolæ, nona de homilia. Deinceps tacetur *Te Deum*, et *Gloria in excelsis Deo*, nisi fuerit festivitas novem lectionum. Ad matutinas Laudes omnes Antiphonæ per ordinem cantentur. Ad Missam non dicatur *Gloria in excelsis Deo*, sed Gradale et Tractus infra hebdomadam legitur de Levitico usque in tertiam feriam Quadragesimæ. Ista Dominica Septuagesimæ statio est ad sanctum Laurentium foris muros, ubi dominus pontifex debet cantare Missam, et in prædicatione tractare de Introitibus ipsius Dominicæ et futurarum Dominicarum. *Circumdederunt me gemitus mortis* dicit peccator, et in tanta afflictione positus clamat: *Exsurge, quare obdormis, Domine?* et cum ulterius non **133** possit pati tantum dolorem, dicit: *Esto mihi, Domine, in protectorem*. Jam vero ipse confidens de misericordia Dei, dicit: *Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam*. Dominus autem, tantis lamentationibus pulsatus dicit: *Invocavit me, et ego exaudiam eum*. Sed peccator, cognita Dei misericordia respirans, dicit: *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo? Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos*. Et hunc Tractum debet jungere cum Evangelio.

31. Dominica Sexagesimæ legitur de Noe, in Quinquagesima de Abraham, in Quadragesima de sermonibus, in tertia Dominica de Jacob et Esau, in quarta de Joseph, in quinta de Moyse. In cathedra sancti Petri legitur sicut in die Natalis ejus; tamen ad Vesperas et matutinas Laudes canitur *Ecce, sacerdos magnus*. Statio in ejus basilica. Dominus papa debet sedere in [b] cathedra ad Missam.

32. In Annuntiatione beatæ Mariæ virginis, ad Vesperas Antiphona, *Missus est angelus Gabriel*; Psalmus, *Dixit Dominus*. Antiphona, *Ave, Maria*; Psalmus, *Laudate, pueri*. Antiphona, *Ne timeas*; Psalmus, *Lætatus sum*. Antiphona, *Dabit ei Dominus*; Psalmus, *Nisi Dominus*; Antiphona, *Ecce ancilla*; Psalmus, *Lauda, Jerusalem*. Versus, *Ave, Maria*. In Evangelio, *Spiritus sanctus in te descendet*; Psalmus, *Magnificat*. Ad Matutinum, *Regem virginum*, cum suo *Venite*. In primo nocturno Antiphona, *Missus est Gabriel*; Psalmus, *Domine Dominus noster*. Antiphona, *Ave, Maria*; Psalmus, *Cœli enarrant*. Antiphona, *Ne timeas, Maria*; Psalmus, *Domini est terra et plenitudo ejus*. Versus, *Ave, Maria*. In secundo nocturno Antiph., *Angelus Domini annuntiavit*; Psalmus, *Eructavit*. Antiphona, *Antequam convenirent*; Psalmus *Domine Dominus noster*. Antiphona, *Dabit ei Dominus Deus*, Psalmus, *Fundamenta*. Versus, *Benedicta tu in mulieribus*. In tertio nocturno Antiph., *Ecce ancilla Domini*; Psalmus, *Cantate Domino*, primo. Antiphona, *Beata es, Maria*; Psalmus, *Dominus regnavit*. Antiph. *Beatam me dicent omnes*; Psalmus, *Cantate*, secundo. Versus, *Ecce ancilla Domini*. Hæc sunt Responsoria: *Missus est Gabriel*, *Antequam veniant*, *Suscipe verbum*, *Ecce virgo*, *Salvatorem exspectamus*, *Lætentur cœli*, *Orietur stella*, *Beatam me dicent*. **134** Legitur de sermone et homilia sancti Ambrosii.

33. Mane fit Collecta ad sanctum Adrianum, ubi dominus papa convenit cum omnibus ordinibus palatii, et expensis cereis benedictis, cum XVIII imaginibus diaconorum discalceati pergunt processionaliter ad sanctam Mariam Majorem, sicut dictum est in Purificatione; et ibi cantat Missam et Vesperas, sicut in vigilia dictum est.

34. Quarta feria, initii Quadragesimæ, statio ad sanctam Sabinam; et Collecta ad sanctam Anastasiam, quo dominus papa cum tota curia venit; ibique indutus ipse et omnes alii ordines ascendunt ad altare. Ibi dominus pontifex dat cinerem, et primicerius cum schola cantat Antiphonam, *Exaudi nos, Domine*. Facta Collecta, pontifex discalceatus, et omnes alii cum Processione pergunt ad sanctam Sabinam. Primicerius cum schola retro cantando *Immutemur habitu*. Cum venerit ad ecclesiam, subdiaconus regionarius, deposita cruce cum litania vadit ad altare, respondentibus schola et acolythis, ubi dominus pontifex cantat Missam sine *Kyrie*, propter [c] litaniam. Ante Communionem vero stat subdiaconus regionarius juxta altare, dicens alta voce: *Crastina die veniente statio erit in ecclesia sancti Georgii martyris ad Velum aureum*. Respondet schola *Deo gratias*. Et sic postea primicerius cantat Communionem. Finita Missa, acolythus debet tollere [d] papyrum, et intingere in oleo candelæ, et diligenter extergere, et portare ad palatium ante pontificem dicens: *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit. Ille vero dicit: *Hodie fuit statio ad sanctam Sabinam, quæ salutat te*. Pontifex respondet *Deo gratias*. Acolythus repræsentat ei papyrum, qui osculatur eum pro devotione Sanctæ, et dat eum cubiculario. Cubicularius reponit, et diligenter observat usque ad mortem pontificis. Et sic

[a] Additur infra, num. 52, *ubi cecidit Simon Magus*.

[b] Id est in ipsa cathedra sancti Petri, quam hodie quoque basilica Vaticana asservat.

[c] Id est propterea quod dictum sit *Kyrie eleison*, in præmissa litania, infra, num. 35.

[d] Sic appellabant veteres ellychnium in lucernis et cereis adhibitum. Adi Glossarium Cangianum ad vocem *Papyrus*.

fit in omnibus stationibus. Ad mortem facit ex cis pulvillum, et ponit sub capite ejus in sepulcro.

35. Quando efficitur Collecta, ad Missam non cantatur *Kyrie*, quia regionarius dixit in litania. Et per totam Quadragesimam reiteratur Gradale infra hebdomadam, nisi fuerit aliquis tractus. Collecta fit secunda feria, quarta et sexta, **135** et Sabbato per totam Quadragesimam; et in quatuor temporibus totius anni, et in quinta feria ad sanctam Mariam trans Tiberim, et ad sanctum Apollinarem.

36. Dominica *Lætare, Jerusalem*, statio ad Jerusalem in palatio Sessoriano, ubi dominus pontifex honorifice cantat Missam, habens in manu sua [a] rosam de auro cum musco. Post Evangelium ascendit pulpitum, et prædicat de flore, et rubore rosæ, et odore, ostendens eam populo. Deinde tractat de Evangelio. Factis laudibus, et finita Missa, ibi accipit coronam, et coronatus cum Processione, sicut mos est, redit ad palatium. Longe ante descensum pontificis descendit præfectus, et pedester adextrat eum usque ad locum ubi pontifex descensurus est; ibi dat ei rosam, et præfectus osculatur pedes ejus. Acceptis laudibus, et celebrata corona, sicut mos est, omnes redeunt ad propria.

37. Dominica de Passione ponitur Jeremias propheta. Tres lectiones de eodem propheta, tres de sermone, septima et octava de expositione [b] Epistolæ, nona de homilia, et aliud officium [c] totum sicut scriptum est. Ab isto die usque in Sabbato sancto in nullo Responsorio, et in nullo *Venite*, et Introitu cantatur *Gloria Patri*.

38. Dominica in Palmis, ad Matutinum, tres lectiones de Jeremia, tres de sermone Passionis; duæ de Epistola, nona Evangelium passionis. Matutinæ Laudes cum suis Antiphonis, sicut in Antiphonario continetur; reliquum officium sicut ecclesia consuevit. Mane statio ad Lateranum, ubi palmæ sunt ab acolythis collectæ in basilica sancti Silvestri, de quibus dant acolythi [*Al.*, datur acolythis] basilicæ sancti Petri, et accipiunt de altare VIII [*Al.*, II] solidos. Palmas autem prædictæ basilicæ sancti Silvestri unus de cardinalibus sancti Laurentii basilicæ in palatio benedixit, quas ostiarii portant in basilicam Leonianam ad pontificem. Indutis omnibus ordinibus palatii, pontifex expendit palmas. Postea exit inde cum processione; primicerius cum schola cantando *Pueri Hebræorum*, et alias Antiphonas usque ante ostium ecclesiæ sancti Salvatoris; ibique super gradus posito subsellio pontifex sedet. Primicerius cum schola incipit *Gloria, laus et honor*. Prior basilicarius ad clausum ostium **136** cum subdiaconibus stans respondet, et cantat Versus *Cui puerile decus*. Ad omnes duos versus respondet schola, et dicit *Gloria, laus et honor*. Quibus finitis, aperto ostio intrant ecclesiam cantando: *Ingrediente Domino*. In secretario pontifex induitur, et intrat ad Missam sine mappula. Primicerius cantat Introitum sine *Gloria Patri*. Diaconus dicit Evangelium hoc modo: *Dominus vobiscum*. Respondet schola et dicit: *Et cum spiritu tuo*. Et dicit: *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Matthæum*. Respondet schola [d] *Gloria tibi, Domine*. Et postea legitur Evangelium, et non prædicatur. In quarta vero feria et sexta solummodo cum pronuntiatione legitur Evangelium Passionis sine salutatione, et sine responsione.

39. In Cœna Domini usque in Sabbato sancto: *Deus, in adjutorium meum intende* non dicitur, nec Invitatorium, nec *Gloria Patri* in Psalmis; sed incipit *Zelus domus tuæ*, sicut in Antiphonario continetur. Nec presbyter dicit *Oremus;* lector non petit Benedictionem; quando finit non dicit *Tu autem, Domine*, sed ex verbis lectionis jubetur facere finem. Lectiones leguntur novem, tres de lamentatione Jeremiæ prophetæ, aliæ de expositione Evangelii: novem psalmi et octo responsoria. Sequitur Matutinum cum suis Antiphonis et Psalmis; quo completo, non dicitur *Kyrie*, sed cantatur *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem*, et tacendo recedunt. In Parasceve protendunt *Mortem autem crucis;* in Sabbato, similiter, *Propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen.*

40. Ad Missam descendit summus pontifex in secretarium. Præparatis ampullis plenis oleo, miscitat balsamum cum oleo. Deinde se induit cum omnibus aliis, et habet septem candelabra ante se accensa, et cum processione procedit ad altare cum linteo extenso super caput ejus. Primicerius osculatur scapulam pontificis, et cantat Introitum cum *Gloria Patri* et *Kyrie*. Pontifex incipit: *Gloria in excelsis Deo*. Primicerius cum schola respondet. Qua finita, pontifex unam tantum Orationem dicit. Subdiaconus legit Epistolam in ambone. Duo cantores incipiunt Gradale: *Christus factus est pro nobis obediens*. Primicerius cum schola respondet, et illi duo cantores reiterant Gradale. Diaconus legit Evangelium. Eo die, **137** dum dominus pontifex prædicat, cardinales levant [e] mensam de altari, et denudant altare, et ponunt eam in securo loco. Peracta prædicatione, facit remissionem, populo benedicit, et descendit ad sedem, ubi nuntiat *Credo in unum Deum*. Offerenda non dicitur, sed solus pontifex intrat ad altare ad sacrificium, de quo sacrificio servat pro alio die Parascevæ. Sanctificat chrisma et oleum, sicut in Ordine episcopali dictum est. Primicerius cum schola cantat *Agnus Dei*, tribus vicibus, *Miserere nobis*, et dicit Communionem *Dominus Jesus postquam cœnavit cum discipulis suis*.

41. Finita Missa, domnus pontifex ita indutus redit in palatium in basilica sancti Laurentii, ibique exspoliat se usque ad dalmaticam; et posita pelle diurnæ.

[a] De hac rosa videsis observata in Glossario Cangiano.

[b] Forsan Epistolæ ad Hebræos ex cap. XI: *Christus assistens pontifex*, etc.

[c] Nimirum Laudes matutinæ, et aliæ Horæ

[d] Omittitur hoc tempore.

[e] Quid sit *levare mensam de altari*, de quo etiam mentio in sequenti libro Cencii, num. 19, patet ex præcedente decimo Ordine Romano, num. 7.

[a] ad collum ejus sedet. Cubicularii ponunt concham ante eum, et linteum mundum. Duodecim subdiaconi manent extra basilicam; duo ostiarii accipiunt priorem in ulnis, et portant eum ante pontificem. Pontifex vero aqua calida lavat pedes ejus, et tergit linteo; osculatur eos, et dat ei v [*Al.* II] solid.; sic facit unicuique eorum duodecim. Interim primicerius cum cantoribus et cardinalibus et diaconibus cantant Vesperum. Quo finito, cantant *Dominus Jesus postquam cœnavit*, et dominus papa dat unicuique episcopo IV solid., unicuique cardinali III solid., primicerio III solid., unicuique cantori II solid. Quibus finitis, vadunt ad cœnam in basilicam Theodori, quæ est Panetaria, ubi fit continua lectio a subdiacono. Perfecta cœna, redit in cameram, ubi se exspoliat.

42. In Parascere episcopus hebdomadarius facit officium in basilica Salvatoris. Dominus papa descendens de palatio, ibi post altare cum aliis ordinibus se induit et discalceatus pergit cum Processione, et omnes cum eo, cantando Psalterium, usque ad sanctam Crucem. Quidam cardinalis honorifice portat corpus Domini præteriti diei conservatum in [b] capsula corporalium, subdiaconus regionarius ferens ad pectus crucem stationalem coopertam. Cum venit ad ecclesiam prædictæ basilicæ pontifex, lotis pedibus, calceatus ascendit ad altare; **138** prius orat, et postea residet. Quidam basilicarius vadit ad pulpitum, et incipit legere; deinde omne aliud officium, sicut in libro scriptum est. Peracto *Pater noster qui es in cœlis*, accipit corpus Domini quod cardinalis adduxerat, et confirmat de [c] vino misso in calice. Finito officio, ita induti redeunt eadem Processione sicut prius, tamen calceati, usque ad palatium, cantando residuos Psalmos. In camera dominus papa se exspoliat, alii autem exspoliati recedunt.

43. In Sabbato sancto, mane surgit archidiaconus, et miscitat oleum et chrisma annotinum in cera munda. Acolythus conficit eam et colat, et facit ex ea in similitudinem agnorum, quos dominus pontifex expendit in Sabbato de Albis. Ad Sextam Sabbati sancti efficitur novus ignis, et cereus benedicitur; et leguntur duodecim lectiones Latine, et duodecim Græce, et cantantur tria cantica, *Cantemus Domino gloriose*, *Vinea facta est*, *Attende cœlum*. Finito hoc officio, dominus pontifex descendit ad fontem cum diaconis et subdiaconis regionariis, cantando litaniam. Primicerius cum schola cantando *Sicut cervus*, usque in porticum sancti Venantii; ibi præparato facistorio [*Al.*, faldistorio], pontifex sedet. Cardinales autem qui remanserunt in choro, exeunt per posterulam post absidem, et intrant per porticum sancti Joannis, et vadunt in ecclesiam sancti Venantii. Tunc archidiaconus præcipit duobus ut eant ad ostium sancti Venantii. Qui obediunt, accipiunt priorem cardinalium per manus, adextrantes eum usque ante pontificem, omnes cardinales sequentes eum. Prior autem inclinat se, et dicit: *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit eum. Progrediens parum, facit similiter, et benedicit. Tertia vice similiter, et benedicit eum pontifex, et dicit, *Ite, baptizate* [d] *omnes gentes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*. Cardinales vero ita induti cum [e] equitibus revertuntur ad titulos suos. Tunc pontifex intrat ad baptismum. Quo finito, redit in loco chrismali; chrismat infantes, et lavat manus. Deinde revertitur ad altare cum litania **139** facta a subdiacono regionario. Primicerius cum cantoribus cantat *Kyrie;* dominus pontifex incipit *Gloria in excelsis Deo*. Primicerius cum schola respondet. Ea finita, dicit Orationem; subdiaconus legit epistolam, et pontifex nuntiat *Alleluia*. Primicerius in pulpito cantat eam, cui schola respondet. Quo cantu finito, descendit primicerius, vadens ad pontificem: osculatur pedes ejus, et debet ei donare unum optimum pluvialem. Eo die non cantatur *Credo*, nec Offerenda, nec *Agnus Dei*, nec Communio; sed dicitur ad Vesperas *Alleluia*, Psalmus, *Laudate Dominum omnes gentes;* Antiphona, *Vespere autem Sabbati*, *Magnificat;* et dicitur Oratio, et *Ite, Missa est*, cum Benedictione.

44. In die sanctæ Resurrectionis, ad Matutinum, super *Venite, Alleluia*. Quidam dicunt *Surrexit Dominus vere*. Tres Antiphonæ et tres Psalmi, *Beatus vir*, *Quare fremuerunt gentes*, et *Domine, quid multiplicati sunt*. In loco harum trium Antiphonarum cantatur *Alleluia*, sicut in Romano Antiphonario scriptum est. Versus *Hæc dies quam fecit Dominus* cantetur sicut gradale. Tres lectiones de Evangelio cum suis Responsoriis. Quibus finitis, cantatur *Te Deum laudamus*. Matutinæ laudes cum Antiphonis suis et Psalmis. Perfectis Antiphonis, pro versu cantatur Gradale *Hæc dies quam fecit Dominus;* Antiphona *Surrexit Dominus de sepulcro*, Psalmus *Benedictus Dominus Deus Israel*, et Oratio tantum festivitatis. Prima sine Antiphona cum tribus Psalmis; quibus peractis, cantatur Gradale *Hæc dies*, et Oratio diei.

45. Ad Missam una tantum Oratio dicitur. Isto die statio est ad sanctam Mariam Majorem. Mane surgit dominus pontifex; vadit et intrat in basilicam sancti Laurentii. Posita ibi capella et subsellio, prius orat; postea induitur a diaconibus et subdiaconibus regionariis usque ad dalmaticam. Surgit et ingreditur ad Salvatorem, aperit imaginem, et osculatur pedes ejus, dicens alta voce cantando tribus vicibus, *Sur-*

[a] Sic almutia (quæ vocant) nonnulli collo circumponebant contra frigus.

[b] Observandus hic locus de capsula corporalium, in quo Eucharistia a Cœna Domini in sequentem Parasceven asservabatur. Confer primum libellum Ordinis Romani initio, num. 8.

[c] Non dicit de vino consecrato ex contactu particulæ Eucharistiæ in calicem immissæ.

[d] Hæc est missio cardinalium ad baptizandum infantes in ecclesiis baptismalibus, quæ Romæ non paucæ erant: qualis in primis ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, de qua infra, num. 45. Vide Cencium infra.

[e] Id est cum equis, more quorumdam veterum.

rexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno, alleluia. Alii respondent, et redit ad subsellium. Prius dat pacem archidiacono, qui revertitur ad locum suum; deinde secundo diacono, qui revertitur et dat pacem [a] archidiacono, et redit in filo; sic cæteri diacones faciunt. Deinde primicerius **140** cum cantoribus accipiunt pacem; similiter redeunt in filo; deinde prior basilicarius cum subdiacono accipiunt pacem, et redeunt in filo; deinde acolythi, et alii palatini ordines. Finita pace, tunc dominus pontifex induit se planeta alba, et ab isto die usque in Octavas Paschæ similiter, et induit pallium et mitram. Cum eis omnibus ordinibus descendit de palatio. Præparatis equis cum albis mappulis super sellas, coronatur, et equitat cum Processione ad sanctam Mariam Majorem. Cum autem venerit in Merolanam, stat notarius ibi, et alta voce dicit: *Jube, domne, benedicere.* Pontifex benedicit eum. Notarius dicit: *In ecclesia* [b] *sanctæ Mariæ in hac nocte baptizati sunt tot masculi et tot feminæ.* Pontifex respondet *Deo gratias.* Et notarius accipit a sacellario unum byzantium. Secunda feria similiter fit ad sanctum Petrum; tertia feria similiter ad sanctum Paulum.

46. Cum autem venerit dominus pontifex ad sanctam Mariam, ubi fit statio, descendit de equo; deponit coronam de capite, quam dat stratoribus, ut diligenter servent eam. Canonici ecclesiæ cum thuribulo et incenso, et aqua benedicta suscipiunt eum cum Processione, cantando; sed pontifex ponit incensum in thuribulo, et aspergit aquam super populum. Deinde intrat ecclesiam, et orat, et vadit ad secretarium; ubi, paratis omnibus ordinibus, prius dat pacem priori episcopo, qui ei serviturus est, et redit in locum suum. Deinde secundo episcopo, qui rediens dat pacem priori suo, et redit in filo, et aliis similiter; deinde cardinalibus similiter; postea præfecto et judicibus, delungariis quoque, id est præfectis navalibus, et majorentibus, qui dicuntur schola Stimulati, et cæteris laicis principibus. Tunc surgunt duo subdiaconi basilicarii, et accipiunt priorem subdiaconum regionarium, per manus adextrantes eum ab introitu secretarii ante pontificem. Qui alta voce dicit: *Jube, domne, benedicere.* Pontifex benedicit eum; deinde parum producunt eum, et iterum dicit: *Jube, domne, benedicere*, et benedicit. Progreditur ante, et dicit: *Jube, domne, benedicere.* Dominus benedicit eum, et dicit: *Servi Domini nostri Jesu Christi; Servi Domini nostri Jesu Christi; Servi Domini nostri Jesu Christi, G. archidiaconus legat Evangelium, Hyacinthus subdiaconus legat Epistolam, G. primicerius et cæteri cantores cantent.*

141 47. Tunc surgit dominus pontifex a duobus sustentatus, in Processione progrediens, sicut mos est. Cubicularii in introitu ecclesiæ habent mappulam extensam, quam portant super caput ejus usque ante altare. Cum intrat presbyterium ecclesiæ, mansionarius præparat ei arundinem cum cereo accenso, quam accipit, et ponit ignem in stupa super capita columnarum quæ ibi stant. Cum autem venerit ad primum cereum, primicerius deponit mitram, et osculatur scapulam dextram pontificis, qui benedicit eum. Cum venerit ante altare, cubicularii auferunt mappulam super caput ejus; deinceps facit officium, sicut Ecclesia consuevit. Primicerius autem cum cantoribus cantant Introitum *Resurrexi et adhuc sum tecum.* Dominus pontifex nuntiat *Gloria in excelsis Deo*; qua peracta, pontifex dicit Orationem. Archidiaconus vero cum diacono et subdiacono stantes juxta altare ordinate, et notarii jusum in choro cum pluvialibus, archidiaconus cum sociis alta voce dicit: *Exaudi, Christe.* Respondent notarii: *Domino nostro papæ Innocentio, a Deo decreto summo pontifici et universali papæ, vita.* Archidiaconus et diaconus iterum dicunt: *Exaudi, Christe.* Notarii respondent similiter. Sic dicitur tribus vicibus, etc., quæ sequuntur in laude. Facta laude, prior subdiaconus basilicarius legit Epistolam Latinam, subdiaconus Græcus legit Epistolam Græcam. Duo cantores in pulpito cantant Gradale *Hæc dies quam fecit Dominus.* Primicerius cum schola respondet. Finitis cantibus, archidiaconus legit Evangelium Latinum, diaconus Græcus legit Evangelium Græcum. In secreta descendunt duo diaconi ante altare, et duo subdiaconi, ordinate stantes cum silentio. Dum pontifex dicit *Per omnia sæcula sæculorum*, nullus ei respondet, sed incipit, et dicit *Pater noster qui es in cœlis*, etc., quæ sequuntur.

48. Finita Missa, coronatur, et cum Processione redit ad palatium per montem Exquilinum, intrans sub arcum, ubi dicitur macellum Lunanum [*Al.*, Eumanum], progreditur ante templum Marii, quod [a] vocatur Cimbrum, transiens per Merulanam, ascendens ad palatium juxta Fulloniam. In introitu basilicæ Zachariæ papæ, acceptis laudibus a cardinalibus et judicibus, sicuti in aliis coronis, descendit de equo; suscipitur a **142** primicerio, et secundicerius judicum deponit coronam, et dat cubiculario, quam curiose reponit in scrinio. Judices autem ducunt eum illo die in basilicam magnam Leonianam in cameram, ubi sunt præparata undecim scamna, et unum subsellium circa mensam domini pontificis, et lectus ejus bene præparatus in figura duodecim apostolorum circa mensam Christi, quando comederunt pascha. Ibi jacent in cubitis quinque cardinales, et quinque diaconi, et primicerius ad prandium, dato prius presbyterio in camera cum manibus, sicut in die Natalis Domini. Surgit inde, et venit ad locum qui dicitur Cubitorum, ubi agnus assus benedicitur; quem benedicit, et redit ad præparatum lectum mensæ. Prior basilicarius sedet in subsellio ante

[a] Sic infra, num. sequenti, pontifex prius dat pacem priori episcopo, deinde secundo, qui reversus ad locum suum, *dat pacem priori suo.*

[b] Idem ritus superius in primis Ordinibus Romanis.

[a] In alio codice, *quod nominatur arcus Galliani, nunc sancti Viti in macello Nardini, transiens per Merulanam, ascendens ad palatium Cimbrum juxta Fulloniam.*

ectum. Tunc dominus pontifex tollit parum de agno, et prius porrigit priori basilicario, dicens: *Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem;* et mittit in os ejus, qui accipit et comedit. Reliquum agni dat undecim discumbentibus, et aliis quibus placet, et sic omnes comedunt. Ad dimidium vero convivium ex præcepto archidiaconi surgit quidam diaconus, et legit lectionem. Cantores autem ex præcepto domini pontificis cantant Sequentiam, quæ sit conveniens Paschæ, modulatis organis; eaque finita, eunt, et osculantur pedes pontificis, qui dat eis coppam plenam potione; qui bibunt, et accipiunt a saccellario unum byzantium.

49. Finito convivio, descendit in basilicam Salvatoris ad secretarium, ubi parum pausat; qui surgens, dicta prius Nona, intrat ad Vesperas eo ordine, sicut in Antiphonario scriptum est. Finitis tribus Vesperis, in basilica Salvatoris, et ad Fontes, et ad sanctam Crucem, redit dominus pontifex in præparatam porticum; posito ibi facistorio [*Al.*, faldistorio], sedet ipse, et alii ordines circa eum. Architriclinus autem cum aliis juvenibus ordinate præparat ante dominum pontificem potionem, et vinum bibit ipse, et omnes alii bibunt. Interim cantores surgunt, et cantant hanc Sequentiam Græcam, Πάσχα ἱερὸν ἡμῖν σήμερον, qua Sequentia finita, eunt, et osculantur pedes pontificis, et dat eis bibere coppam potionis. Sic omnes læti recedunt.

50. Secunda feria statio ad sanctum Petrum. Ad Matutinum super *Venite*, *Surrexit Dominus vere, allel. Venite, exsultemus.* In loco trium Antiphonarum cantatur *Alleluia*, et tres Psalmi, **143** *Cum invocarem* [*Al.*, *In Domino*], *Verba mea*, *Domine ne in ira tua.* Versus *Hæc dies quam fecit Dominus;* tres lectiones de homilia, et duo Responsoria diei; *Te Deum laudamus.* Matutinæ Laudes cantantur cum suis Antiphonis, et Psalmis, et Versibus alterius diei prioris. Mane autem facto, omnes palatini ordines congregantur ad palatium cum pontifice, et descendunt de palatio, et equitat dominus pontifex. Intrat per campum juxta sanctum Gregorium in Martio; descendit in viam majorem sub arcu formæ, et dextra manu ante sanctum Clementem, declinans in lævam juxta colliseum. Transiens per arcum Aureæ [*Al.*, Nerviæ] ante forum Trajani usque ad sanctum Basilium, ascendit per montem circa militias Tiberianas; descendit per sanctum Abbacyrum, et transiens ante sanctos Apostolos, manu læva descendens in via Lata, et declinans per viam Quirinalem, et proficiscens ad sanctam Mariam in Aquiro ad arcum Pietatis, sic ascendit ad campum Martis, transiens ante sanctum Trifonem juxta posterulas, usque ad pontem Adrianum; intrat per pontem; et exit per portam Collinam [*Al.*, Colinam] ante templum et castellum Adriani; proficiscens ante obeliscum Neronis, intrat per porticum juxta sepulcrum Romuli; ascendit ad Vaticanum in basilica beati Petri apostoli, ibique cum omni populo Romano cantat Missam.

51. Qua finita, coronatur ante basilicam sancti Petri in loco, ubi ascendit equum, et coronatus cum Processione revertitur ad palatium per hanc viam Sacram, per porticum et per prælibatum pontem, intrans sub arcu triumphali Theodosii, Valentiniani et Gratiani imperatorum, et vadit juxta palatium [a] Cromacii, ubi Judæi faciunt laudem. Prosiliens per Parionem inter circum Alexandri et theatrum Pompeii, descendit per porticum Agrippinam [b]; ascendit per Pineam juxta Palatinam, prosiliens ante sanctum Marcum ascendit sub arcu Manus carneæ per clivium argentarium, inter insulam ejusdem nominis et capitolium, descendit ante privatam Mamertini; intrat sub arcu triumphali inter templum Fatale et templum Concordiæ, progrediens inter forum Trajani et forum Cæsaris; subintrat arcum Nerviæ inter templum ejusdem deæ, et templum Jani, ascendit ante asylum per silicem, **144** ubi cecidit Simon Magus, juxta templum Romuli; pergit sub arcu triumphali Titi et Vespasiani, qui vocatur Septem lucernarum; descendit ad Metam sudantem ante triumphalem arcum Constantini, reclinans manu læva ante amphitheatrum, et per Sanctam viam juxta Coloseum [*Al.*, Colliseum], revertitur ad Lateranum; ibique honorifice susceptus, factis laudibus cardinalium et judicum, ascendit palatium; dat presbyterium sine manibus, celebrat convivium in eadem basilica Leoniana. Peracto convivio, descendit ad Vesperas, et facit officium sicut scriptum est.

52. Infra Albas Paschæ, ad Matutinum, invitatorium *Surrexit Dominus*, cum suo *Venite.* Feria tertia tres Psalmi, *Domine Deus meus in te speravi*, *Domine Dominus noster*, *In Domino confido.* Versus, *Hæc dies*, tres lectiones cum suis Responsoriis. Matutinæ Laudes sicut convenit diei, et ad aliud officium. Feria quarta Psalmi *Salvum me fac, Domine*, *Usquequo, Domine; Dixit insipiens.* In loco Antiphonarum cantatur *Alleluia*, et cum Versu *Hæc dies*, et cum tribus lectionibus et Responsoriis. Matutinæ Laudes et aliud officium sicut supra. Feria quinta, Psalmi *Domine, quis habitabit*; *Conserva me, Domine, Exaudi, Domine;* cum [*Forte*, pro] tribus Antiphonis *Alleluia*, et cum versu *Hæc dies*, et cum tribus lectionibus et responsoriis. Matutinæ Laudes et aliud officium, sicut supra. Feria sexta, Psalmi *Cœli enarrant; Exaudiat te Dominus; Domine, in virtute tua.* Versus *Hæc dies*, tres lectiones cum suis Responsoriis diei. Matutinæ Laudes sicut supra, et aliud officium.

53. Sabbato de Albis, ad Matutinum, tres Psalmi *Dominus regit me; Domini est terra; Judica me, Deus.* In loco trium Antiphonarum cantetur *Alleluia*; Versus *Hæc dies*, tres lectiones cum Responsoriis.

[a] Alius Codex habet, commentarii, ut conjicio, vice, *ante palatium sancti Stephani in piscina di Bachi.*

[b] Item idem Codex addit explicandi causa, *sanctæ Mariæ Rotundæ*, *Pantheon*

Matutinæ Laudes et cæterum officium sicut supra. Mane ad Missam statio Lateranis, ubi dominus apostolicus cantat Missam, ibique mutatur Gradale in *Alleluia*, et cantantur duo *Alleluia*, cum suis Versibus. Dum primicerius cum schola cantat *Agnus Dei*, domnus Apostolicus expendit agnos per populum, hac ratione, ut sicut filii Israel in Ægypto positi præcepto Domini de sanguine immaculati Agni in liminibus domorum scripserunt hoc signum T, ne ab angelo percuterentur; ita et nos de sanguine passionis immaculati Agni Christi debemus hoc signum scribere in limine domorum nostrarum per fidem, ne a diabolo et **145** a vitiis percutiamur, et a potestate diaboli liberemur. Aliud propter infantes noviter baptizatos, in ecclesia deponentes veterem tunicam, qui annuntiant *Alleluia*, id est gloriam beatitudinis cœlestis patriæ. Tertium, quia quicunque habuit de cera prædictorum agnorum, et ex ea in domo sua crucem habuerit, vel secum portaverit, non lædetur ab aliquo phantastico spiritu, et a tonitruo. A Pascha usque in Sabbato ad Sextam, ad omnes Versus officii non dicitur Responsorium ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, et Completorium, nec lectio in eis recitatur; sed pro lectione, Versu, Responsorio, cantatur Gradale *Hæc dies*, et dicitur Versus, sicut in aliis diebus futuris.

54. Mane statio ad sanctum Pancratium. Ad Vesperum debet esse dominus pontifex ad sanctos Cosmam et Damianum, cum omnibus scholis, ibique honorifice cantare Vesperas, sicut in die sancti Paschatis, et habere cœnam de ecclesia, ipse et omnes ordines palatii, videlicet panem, vinum, lacteas et lactucas.

55. A Pascha usque in vigiliam Ascensionis cantentur tres Psalmi uniuscujusque nocturni ejusdem feriæ, et tres lectiones in loco Antiphonarum. Apud Romanos non sunt nisi tria *Alleluia*, tam in Dominicis diebus, quam in feriis et festivitatibus; ita quod ad terminum prædictum finiatur Psalterium non genu flexo in ullo officio; et non cantatur Antiphona, sed in loco Antiphonæ cantetur *Alleluia*, nisi cum fuerint dominicales Antiphonæ cum *Alleluia*; et Antiphona alicujus festivitatis, similiter cum *Alleluia*. Infra hebdomadam, ad Matutinum, Invitatorium *Alleluia*, cum suo *Venite*. In Laudibus sub una *Alleluia*. In tono *Noli flere Maria* cantantur omnes Psalmi; ad Vesperas similiter, nisi in Dominicis diebus et festivitatibus. In omnibus matutinis Laudibus et vespertinis Horis fit commemoratio Passionis Christi et Resurrectionis; Antiphona, *Crucem sanctam subiit*, et *Noli flere, Maria*, cum Versibus et Orationibus suis. Secunda feria post Octavam Paschæ ponitur Apocalypsis, et historia *Ego sum vitis*, usque in Dominicam de *Modicum*.

56. In litaniis majoribus omnes cruces Romanæ civitatis cum clero et populo honorifice cum Processione procedunt ad sanctum Marcum. Prius cantant Antiphonam, *Domine Dominus noster, qui cum patribus nostris*; deinde Psalmus *Beatus vir*, **146** et reliquos. Cum autem ad ecclesiam venerint, cantatur Responsorium *Famule Dei, Marce*. Finito Responsorio, faciunt Collectam : *Populus Sion, convertimini ad Dominum*. Finito cantu, dicunt : *Flectamus genua*, *Levate*, et Orationem *Procedamus cum pace*; respondent *In nomine Jesu Christi*. Exeuntes de ecclesia redeunt ad Processionem, per viam cantando Antiphonas et Psalmos, et in statutis locis litanias, sicut mos est, usque ad sanctum Petrum; et accipiunt a curia domini papæ presbyterium secundum consuetudinem hujus diei.

57. Interim convenientibus omnibus patriarchiarum canonicis cum suis crucibus in basilicam Salvatoris, quæ vocatur Constantiniana, ubi dominus pontifex post altare ejusdem ecclesiæ induit se cum episcopis, cardinalibus et aliis ordinibus sacri palatii; tunc primicerius cum cantoribus cantat *Populus Sion*. Finito cantu, dominus pontifex dicit *Oremus*, archidiaconus *Flectamus genua*, alius respondet *Levate*; et pontifex dicit Orationem. Schola respondet *Amen*. Archidiaconus nuntiat *Procedamus cum pace*, schola respondet *In nomine Christi*. Subdiaconus vero regionarius elevat crucem stationalem de altari, quam plene portat in brachio, ut osculetur ab omnibus, in Processione ante pontificem usque in exitu ecclesiæ; deinde levat eam erectam. Primicerius cum schola post domnum papam tenens pallium cum læva, primum incipit Antiphonam, *Domine Dominus noster*. Deinde Lateranum eamdem Antiphonam; postea sancta Maria Major; in quarto loco sanctus Petrus. Finitis patriarchiis, primicerius iterum incipit eamdem Antiphonam; et hoc ordine cantantur aliæ Antiphonæ per totam viam, dum pontifex cantat Psalmos. Cum autem venerit Processio ante Coloseum, subdiaconus regionarius incipit [a] septiformem litaniam. Basilicarii vero respondent illud idem usque ad septimum. Cum autem venerit ante sanctam Mariam Novam, in præparato lecto dominus pontifex cum episcopis, cardinalibus et diaconibus quiescit, donec litania finiatur. Qua finita, surgit dominus pontifex, dicit *Oremus*, diaconus *Flectamus genua*, respondetur *Levate*. **147** Pontifex dicit Orationem, diaconus *Procedamus cum pace*, et redeunt omnes in Processione per viam Sacram ad clivum argentarii prælibatum. Subdiaconus incipit quinqueformem litaniam eo ordine quo prius, usque ad lectum ante sanctum Marcum, ubi Dominus se pausat, sicut in primo. Deinde revertuntur in Processione usque ad arcum triumphalem Theodosii, Valentiniani et Gratiani imperatorum, ubi incipit triformem litaniam usque ad lectum in ponte Adriano. Venientes ad sanctum Laurentium in portico majore, ubi incipit simplicem litaniam usque ad lectum cantari ante sanctam

[a] Nota hic septiformem, quinqueformem, triformem, et simplicem litaniam. Septiformem litaniam instituit Gregorius Magnus, quæ in septem choros distributa erat. Lege Menardum, in notis ad Sacramentarium, pag. 94. Confer etiam primum Ordinem Romanum supra, num. 43.

Mariam in Virg ri [*Al.*, Virgariorum] in fine cortinæ.

58. Finita litania, aliisque officiis, ascendit ad basilicam sancti Petri, ubi est statio; ibique dominus pontifex cantat Missam. In hac statione habet dominus pontifex xx solid. den. Papiens., cardinales vero, et diaconi, et primicerius cum cantoribus, accipiunt XL solidos Lucenses; et prior basilicarius, et scrinarii scribunt omnes cruces, et de unaquaque habent unum Lucensem, de quibus habent acolythi medietatem, et medietatem basilicarii; x solid. [diaconi], subdiaconi regionarii VI solid.

59. Dominica de *Modicum* ponuntur Epistolæ canonicæ usque in tertiam Dominicam, *Pater, cum essem cum eis*. In hac Dominica ponitur Actus apostolorum usque in vigilia Ascensionis, et cantatur de prælibata historia, *Si oblitus*, et leguntur de hoc libro tres lectiones in Ascensione Domini, tres in Dominica de Rosis, et duæ in Pentecosten.

60. In Ascensione Domini statio ad sanctum Petrum, ubi dominus pontifex cum episcopis, cardinalibus, diaconibus et cæteris scholis debet cantare Vesperas; et, sicut in nocturnis stationibus, media nocte surgere, incensando altaria; prius ad corpus vigilias celebrare, deinde in choro ante altare majus easdem vigilias incipere. Tres lectiones de Actibus apostolorum; quinque de sermonibus festivitatis, nona de homilia eo ordine quo superius diximus. Ad Missam fiunt laudes ab archidiacono, et diaconibus et subdiaconibus, et notariis septem. Dum laudes efficiuntur, pontifex stat; quibus finitis, canitur aliud officium Missæ, eaque finita, coronatur, et sic gloriosius revertitur ad palatium. Infra hebdomadam usque in Sabbato Pentecostes, in unaquaque feria cantantur tres antiphonæ, **148** et tres Psalmi prædictæ festivitatis; et leguntur tres lectiones de sermonibus.

61. Dominica de Rosa, statio ad sanctam Mariam Rotundam, ubi pontifex debet cantare Missam, et in prædicatione dicere de adventu Spiritus sancti, quia de altitudine templi mittuntur rosæ in figura ejusdem Spiritus sancti.

62. Sabbato Pentecostes ad officium baptismi leguntur sex lectiones Latinæ, et sex Græcæ, et aliud officium sicut in sacramentario scriptum est

63. Dominica, statio ad sanctum Petrum, quo dominus pontifex ad Vesperas vigiliæ cum omnibus ordinibus venit; et in nocte ad Matutinum, sicut in nocturnis stationibus. Ad corpus vigilias trium lectionum facit; deinde ad altare majus Matutinum. Invitatorium *Alleluia*, sicut in die Resurrectionis, cum suo *Venite*. Alii cantant *Alleluia, Spiritus Domini replevit orbem terrarum, venite adoremus, allel.* Antiph., *Alleluia*, Psalmi, *Beatus vir; Quare fremuerunt gentes; Domine, quid multiplicati sunt*. Alii dicunt, *Factus est repente de cœlo sonus. Confirma hoc, Deus. Emitte Spiritum tuum et creabuntur*, cum suis Psalmis. Tres lectiones leguntur. Primam lectionem legunt canonici ecclesiæ, *Deum complerentur*, et cantant primum Responsorium. Secundam lectionem legunt cardinales de sermonibus; responsorium cantant cantores et basilicarii; tertiam lectionem legit pontifex. Cæterum officium facit primicerius cum omnibus. Missam cantat pontifex, cum laudibus. Post Missam coronatus redit ad palatium, sicut mos est. Infra hebdomadam legitur de sermonibus. Sabbato quatuor temporum ad lectiones non flectuntur genua propter Pascha, sed in loco Gradalium canitur *Alleluia*, cum suis Versibus. *Kyrie* non dicitur propter litaniam processionis, ubi dictum est *Kyrie*; sed solummodo finito hymno trium puerorum, pontifex incipit Missam, *Gloria in excelsis Deo*, et reliquum

64. Dicitur Pascha annotina, quia est in anniversario præteriti Paschatis.

65. Dominica octava Pentecostes ponitur liber Regum, usque in Kalendas Augusti; deinde nocturna Psalmorum et capitula cum genu flexo, sicut ratio requirit. Ad primam omni tempore Oratio diei non mutatur, nisi infra dies Paschatis, et magnis festivitatibus sanctorum, quando non dicitur nisi **149** Oratio festivitatis, et infra octavam.

66. In vigilia sancti Joannis Baptistæ, ad Matutinum, Invitatorium, *Regem præcursoris Dominum*, cum *Venite*. Tres autem historiæ festivitatis, et tres lectiones de sancto. Non dicitur *Te Deum laudamus*, sed incipit matutinas Laudes, *Deus, in adjutorium meum intende*. Nuntiatur una Antiphona Matutini, sub qua omnes Psalmi cantantur. Ad Primam Antiphona, et tres Psalmi, et lectio vigiliæ festivitatis, cum Versu et Oratione. Vesperas facit, et vigilias noctis in basilica sancti Joannis ad Fontes, Græci autem in basilica Salvatoris. Ad Matutinum Græci faciunt officium ad Fontes, et curia in basilica Salvatoris. Missam cantat pontifex ibi, ubi fit statio. In vigilia sancti Petri, et in vigilia sancti Laurentii, et in vigilia sanctæ Mariæ, et in vigilia sancti Andreæ, et in vigilia Natalis Domini, hoc officium fit ad Matutinum, sicut in vigilia sancti Joannis Baptistæ prædiximus. Ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam cantatur et legitur de sancto : ad Missam non cantatur *Alleluia*, propter jejunium, sed tantum Gradale.

67. In festivitate sancti Petri conveniunt curiales in basilica ejusdem apostoli, cum domino papa, ubi cantatur Vesperum. Antiphonæ, *Juravit Dominus et non pœnitebit eum*, et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis. Ad *Magnificat*, *Significavit Dominus Petro*. In primo nocturno [a] Vigiliæ incipit primicerius Antiphonam : *In omnem terram exivit sonus eorum*; Psalm., *Cœli enarrant*, et aliæ Antiphonæ apostolorum nocturnales cum suis Psalmis. Tres lectiones legunt canonici de Actibus apostolorum : *Petrus et Joannes ascendebant in templum*, et cantant tria responsoria.

[a] Hic iterum, ut supra in Nativitate, distinguuntur Vigiliæ a Matutino. Amalarius, in Antiphonarii cap. 60, *duas vigilias* vocat. *Ex Romano*, inquit, *Antiphonario posui duas vigilias in nostro Antiphonario*, scilicet pro festo sancti Petri.

Deinde judices legunt duas lectiones de sermonibus apostolorum Petri et Pauli; sextam legit episcopus, septimam cardinalis, octavam prior basilicarius; nonam legit dominus papa de expositione Evangelii. Responsoria cantant cantores et basilicarii. Finita vero lectione domini papæ, primicerius dicit : *Te Deum*, et papa dicit Orationem, et benedicit. Ad Matutinum cantores cantant Invitatorium : *Regem apostolorum Dominum*, et *Venite*. Antiphona : *Si diligis me, Simon Petre;* Psalmus, *Beatus vir*, **150** et aliæ Antiphonæ cum suis Psalmis, sicut in Antiphonario invenitur scriptum. Lectiones leguntur eo ordine quo in vigilia sive in Dominicis. Tres Psalmi cantantur, sicut prius. Matutinæ Laudes cantantur cum Antiphona, *Petrus et Joannes*, et reliquis Antiphonis cum Psalmis. Mane ad Missam domini papæ debent esse laudes, et coronari in tanta festivitate, cujus vicarius est.

68. Infra Octavas sancti Joannis, et sancti Petri, et sancti Laurentii, et sanctæ Mariæ, et Natalis Domini, et Epiphaniæ, hoc officinm fit. Tres psalmi et tres lectiones, et omne officium de festivitate, nisi fuerit inter eos dies festivitas IX lectionum.

69. In festivitate sancti Pauli vadit Pontifex illuc cum omnibus scholis; facit Vesperas, et habet cum omnibus cœnam de ecclesia. Perfecta cœna, intrat ad Vigilias. Monachi ecclesiæ legunt tres lectiones, *Saulus adhuc spirans minarum;* cantant tria Responsoria; pro unoquoque Responsorio accipiunt ab archidiacono II denarios de decem et octo denariis quos archidiaconus acceperat ab eis. Post responsorium in quarta lectione surgit dominus pontifex, et intrat ad arcam altaris sancti Pauli, ubi est foramen in fundo arcæ super corpus apostoli. Discooperto eo, mittit manum deorsum, et apprehendit thuribulum in unco plenum carbonibus et incenso, et trahit foras. Incensum et carbones dat archidiacono, archidiaconus autem dat per populum, hac ratione, ut quicunque febricitans devote in fide Apostoli ex his biberit, sanetur. Iterum replet thuribulum de carbonibus, et ponit super eos candelam vitream plenam incenso; accendit carbones, et candela incipit bullire [*Al.*, bollire]; et reponit thuribulum in prælibato unco, et cooperitur foramen arcæ a pontifice super corpus ejus. In quarta lectione annualiter, sicut in vigiliis sancti Pauli, duas lectiones legunt episcopi; duas cardinales; octavam subdiaconus; nonam pontifex; reliqua quinque Responsoria cantant cantores et basilicarii, et accipiunt ab archidiacono XVIII denarios. Aliud officium efficitur, sicut mos est. Mane pontifex celeberrime cantat Missam, et scholæ accipiunt ab ecclesia pro beneficio festivitatis IV solid. de monetis.

70. In Kalendis Augusti ponitur liber Salomonis usque in Kalendas Septembris. In festivitate sancti Laurentii dominus pontifex **151** in basilica ejus in agro Verano, ubi requiescit, cum omnibus scholis facit Vesperum, et officium per totam [a] noctem. Mane facit Missam Romano populo, et accipiunt scholæ pro beneficio ab ecclesia VIII solidos denariorum.

71. In vigilia sanctæ Mariæ, mane, dominus papa cum cardinalibus, discalceatis pedibus, facit VII genua, et aperit imaginem, et osculatur pedes Domini, et deponit jusum [*Id est*, deorsum], cantando *Te Deum laudamus*, quod constituit Leo quartus papa.

72. In Assumptione sanctæ Mariæ, dominus papa cum omni curia facit Vesperum, et vigilias novem lectionem in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris. Cum fuerint finitæ, revertitur Lateranum. Cardinales et diacones accipiunt imaginem Jesu Christi, et abstrahunt de basilica sancti Laurentii cum omni populo, portantes eam per campum Lateranum juxta basilicam sancti Gregorii. Crucem stationalem portat regionarius post eam; post quam Processio curiæ ordinate procedens, cantando Psalmos, primicerius cum schola Responsorium de eadem festivitate. Præfectus cum duodecim viris accipit a curia XII faculas, Ostiarii vero alias XII portantes accensas ante imaginem, Dum imago transit per campum, cubicularii stant in culmine sancti Georgii, tenentes duas faculas accensas, quas imagine transacta exstinguunt faculas. Cumque imago venerit ad sanctam Mariam Novam, deponunt eam ante ecclesiam, et lavant pedes ejus de basilico. Interim scholæ faciunt Matutinum in ecclesia, trium scilicet lectionum. Populi vero laudantes et benedicentes Dominum, tollunt eam inde, et portant ad sanctum Adrianum; et ibi lavant pedes. Exeuntes autem de ecclesia, redeunt per viam qua venerunt, et portant eam per arcum in Lathone, quia antiqno tempore magna persecutio erat ibi diaboli. Deinde transeunt juxta domum Orphei propter basiliscum, qui tunc temporis latitabat ibi in caverna, cujus fetore et sibilo homines ibi transeuntes infirmabantur, et moriebantur. Idcirco Sergius Papa constituit hanc processionem in hac tanta festivitate, quatenus per laudes tantorum populorum, et intercessionem sanctissimæ virginis Mariæ apud Deum, populus Romanus ab his persecutionibus liberaretur. Ascendentes ad **152** sanctam Mariam, dominus pontifex præparatus cantat Missam, benedicit populum fatigatum; omnes recedunt.

73. Dominica prima mensis Septembris ponitur liber Job et Tobiæ, Judith et Esther, usque in Dominica prima mensis Octobris. In quo mense est Nativitas sanctæ Mariæ, quæ ita celebratur a pontifice celeberrime in sancto Adriano, ubi fit collecta, sicut in Purificatione et Annuntiatione sanctæ Mariæ.

74. In exaltatione sanctæ Crucis, statio Laterani. Fit Collecta ad sanctam Mariam Majorem, ubi crux stationalis, et schola, et regionarii, et acolythi, coadunantur cum cruce sancti Joannis et canonicis, et cruce sanctæ Mariæ et canonicis. Primicerius cum schola cantat collectam, subdiaconus regionarius por-

[a] In Sacramentario Gregoriano assignatur pro hoc festo *prima Missa de nocte*, pag. 120, apud Menardum.

tat crucem stationalem. In Processione ante cantores, et processionaliter procedunt usque ad Lateranum. Primicerius cum schola primum cantat Antiphonam, *Nos autem gloriari oportet*. Deinde canonici sanctæ Mariæ venientes in campum juxta Fulloniam, ibi cum omni populo exspectant pontificem et [a] sanctuaria a palatio. Pontifex vero indutus, discalceatis pedibus, cum aliis ordinibus descendit de palatio. Cardinales portant sanctuaria in Processione, scilicet de ligno crucis Domini, et sandalia Jesu Christi, et Circumcisionem ejus ad basilicam Salvatoris, ubi est statio. Ibi pontifex cantat Missam; et cantata, omnes læti cum Benedictione recedunt.

75. Dominica prima mensis Octobris ponitur liber Machabæorum, usque in Dominica prima mensis Novembris. Mediante Octubrio, in futuris Dominicis ad matutinas Laudes, quando dicitur *Benedicite, omnia opera Domini, Domino*, cantantur hæ Antiphonæ: *Dum perdurant*, *Tres video viros*, et aliæ quæ in Antiphonario inveniuntur. Dominica prima mensis Novembris ponitur Daniel propheta, et legitur in Dominicis diebus usque ad Adventum Domini. Infra hebdomadas legitur de Ezechiele, et de XII prophetis.

76. In festivitate sancti Andreæ debet esse dominus pontifex cum omnibus scholis ad sanctum Andream in Vaticano, ibique honorifice, sicut in festivitate sancti Petri, Vesperas et vigilias celebrare. Matutinum vero ad fratrem ejus facere, **153** id est ad altare sancti Petri. Mane canitur Missa super altare beati Andreæ, ut omnis populus cum Benedictione lætus recedat. Præfectus cum adjutorio decimæ illuminat ecclesiam, et facit prandium curiæ. Deo gratias.

[a] Id est reliquias, ut ex consequentibus intelligitur. Idem duobus Codicibus desunt hæc verba, *et sanctuaria a Palatio.*

ADDITIO EX COD. VALLICELLANO

Hæ sunt festivitates, in quibus dominus pontifex debet coronari. In festivitate videlicet sanctorum quatuor Coronatorum, in festivitate sancti Martini, ubi dicitur titulus Æquitii; in festivitate sancti Clementis; in Dominica de Adventu; in Dominica de *Jerusalem*; in Dominica de *Gaudete*, in festivitate Domini, in festivitate sancti Stephani, in Epiphania, in Dominica *Lætare, Jerusalem*, in Pascha, in feria secunda ad sanctum Petrum, in Dominica *Ego sum Pastor bonus*, in Ascensione, in Pentecoste, in festivitate sancti Petri, in anniversario suo, in festivitate sancti Silvestri.

Hæ sunt nocturnales stationes sancti Petri. Dominica de *Gaudete*, Epiphania, Ascensio Domini, Pentecostes, festivitas sancti Petri, et ejus Octava; festivitas sancti Andreæ. In unaquaque earum stationum scholæ palatii, scilicet cardinales, diacones, subdiacones, cantores regionarii, acolythi debent habere v solid. den. de altari sancti Petri pro cœnatica. Archidiaconus XVIII den., pro his qui cantant LX, canonici XII solid., et ad Missam medietatem altaris inter eos et capellanos domini papæ usque ad finem. Si deerit dominus pontifex, et venerit cardinalis solus cantare Missam, in quacunque statione totam medietatem altaris habent prædictæ scholæ. Cardinalis qui cantat Missam habet tertiam partem oblationis; sed si habet aliquem socium cardinalem, non fit ita; sed oblatio, sicut mos est, communiter dividatur per scholas.

Hæ sunt sancti Petri diurnæ stationes. In omnibus Sabbatis quatuor temporum, in Dominica Quinquagesimæ, Dominica in Passione, feria secunda post Pascha, Dominica *Ego sum Pastor bonus*, in litanias majores, in Dedicatione, et in Cathedra sancti Petri. In unaquaque harum stationum accipiunt v solid. et oblationem. Sed dominus pontifex accipit **154** XX solid. in nocturnis stationibus, quando accenduntur [a] retia; et in diurnis, quando accenduntur candelæ.

[a] Pharum alio nomine appellant, id est lucernam orbicularem cum certo lucernarum aut candelarum numero.

APPENDIX.

JOANNIS PAPÆ XIX [a] DIPLOMA,

Quo facultatem concedit episcopo Silvæ Candidæ divina officia certis diebus celebrandi in ecclesia sancti Petri in Vaticano.

Joannes episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Petro Dei gratia episcopo Silvæ Candidæ Ecclesiæ, et per te eidem venerabili episcopio, successoribusque tuis in perpetuum. Convenit apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. *Et paulo post:* Iterumque concedimus et confirmamus vobis in perpetuum ecclesiam sanctarum Rufinæ et Secundæ, sitam Romæ juxta palatium nostrum, cum omnibus ad eam pertinentibus; et concedimus et confirmamus vobis in perpetuum ecclesiam sanctæ Mariæ, cum omnibus suis pertinentiis infra hanc civitatem Romanam, non longe a monte qui Augusta dicitur.

[a] Qui nobis Joannes XX, cujus annus tertius coincidit in annum 1026, indictione tertia, a Septembri incœpta.

Pariterque concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum, sicuti a memorato sancto papa, sive a cæteris prædecessoribus nostris pontificibus concessa et confirmata fuerunt, videlicet monasteria quinque, sancti Stephani, et sanctæ Mariæ, sanctorumque Joannis et Pauli, et beati Martini, atque Jerusalem, constituta juxta magnam ecclesiam sancti Petri, cum omnibus eorum pertinentiis, omnesque consecrationes quæ ibidem sunt, aut in præfata ecclesia sancti Petri, aut in cæteris ecclesiis, quæ sunt constitutæ in tota civitate Leoniana; et, si necessarium fuerit eas consecrare, nullus alius episcopus ad tale ministerium, vel consecrationem accedere præsumat, nisi vos vestrique successores **155** episcopi sanctæ Silvæ Candidæ ecclesiæ in perpetuum. Concedimus et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum sanctum diem Sabbatum ad baptismi sacramentum celebrandum, et totum officium faciendum in ecclesia sancti Petri apostoli, et supra magnum altare: in quo venerabili altari, seu in confessione, quidquid auri vel argenti, pallii vel ceræ, sive aliarum rerum, positum et oblatum, sive jactatum fuerit, vel vobis oblatum, ab hora videlicet diei tertia, qua ingredi ecclesiam ad ordinandum, et peragendum divinum officium vos volumus, usquequo expletam sanctæ Dominicæ diei Missam habueritis, per vestros curatores in vestram vestrorumque successorum, remota omni contradictione, deveniat potestatem.

Et quia usque ad nostrum tempus in præfata ecclesia sancti Petri, a qua pene omnes Ecclesiæ doctrinam acceperunt, sicut a magistra et domina, dies Dominica Palmarum, et dies Cœnæ Domini, et Parasceve tam irreverenter celebantur, ut nec Processio cum palmis in ipsa die Dominica ibi fieret, nec in die Cœnæ Domini [a] *Gloria in excelsis Deo* diceretur; et in Parasceve non tam reverenter ut decebat officium ibi fiebat, condoluimus; et meliorare hoc cupientes per vos vestrosque successores, statuimus ut omni annua die Dominica Palmarum cum Processione ab ecclesia sanctæ Mariæ in Turri exeatis, et venientes ad magnum altare sancti Petri Missam celebretis. Similiter et omni anno in die Cœnæ Domini vos vestrique successores Missam super eodem altare sancti Petri celebrare, *Gloria in excelsis Deo* dicere, sanctum chrisma conficere, et quod ad episcopum pertinet agere volumus. Et omni anno die Parasceve super ipsum altare majus sancti Petri totum officium reverenter, ut decet, vos vestrosque successores facere volumus. In quibus tribus Missis, scilicet in Missa Palmarum, seu in Missa Cœnæ Domini, et in officio Parasceve, quidquid auri vel argenti, pallii seu ceræ, vel aliarum rerum super jam dicto sacro altari beati Petri, sive in confessione positum aut jactatum fuerit, vel vobis oblatum ab hora qua ipsa Missa et officium inchoata fuerint et expleta, per vestros custodes in vestram vestrorumque successorum similiter, remota omni contradictione, deveniat **156** potestatem. In quibus dictis quinque diebus, si vobis vestrisque successoribus utile visum fuerit, aliquem diaconorum nostrorum ministrare ob honorem sancti Petri et vestram reverentiam volumus petere. Potestatem autem ejusdem ecclesiæ sancti Petri, et supra dictorum monasteriorum suorum, et cuncta ecclesiæ judicia ipsorum, seu totius civitatis Leonianæ, vobis vestrisque successoribus concedimus et confirmamus.

Simili modo ad unguendum consecrandumque imperatorem primum vestrum et vestrorum successorum episcoporum fraternitatem convocamus ut quibus regimen totius ecclesiæ sancti Petri et civitatis Leonianæ commissum est, ab his primum sit benedictus. Necnon cuncta sacra officia seu mysteria, quæ nos et successores nostri facere debemus, si ægritudine vel aliqua cura impediti facere non possumus, tam in supra dicta ecclesia sancti Petri, et monasteriis suis, quam et per totam civitatem Leonianam, per vos vestrosque successores fieri apostolica auctoritate decrevimus. Consecrationes vero altarium ecclesiæ sancti Petri, et aliorum monasteriorum, necnon consecrationes ecclesiarum, altarium, sacerdotum, clericorum, diaconorum, seu diaconissarum totius civitatis Leonianæ, vobis vestrisque successoribus in perpetuum, sicut prælibatum est, concedimus et confirmamus; super quæ et ecclesiæ sanctarum Rufinæ et Secundæ, cui Deo auctore præsidetis, vobis vestrisque successoribus in eodem venerabili episcopio in perpetuum donamus, largimur, concedimus, et confirmamus atque stabilimus perenniter in usum et utilitatem ipsius venerabilis episcopii, et ipsorum qui per tempora tenebant ipsam ecclesiam, statuentes quippe apostolica censura sub divini judicii obtestatione et anathematis interdicto, ut nulli unquam nostrorum successorum pontificum, vel qui publica functi fuerint actione, vel alia quælibet magna parvaque persona audeat vel præsumat aliquid de omnibus quæ supra continentur contra hoc nostrum pontificale privilegium agere, vel alienare, aut auferre; sed potius firma atque stabilia perpetuis temporibus, sicut a nobis statuta et confirmata sunt, decernimus permanenda. Si quis autem (quod non optamus) temerario ausu contra hoc nostrum apostolicum privilegium in quoquam ire et transgressor esse præsumpserit, vel frangere ausus fuerit, et in omnibus inobediens et non observator esse **157** præsumpserit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, et domini nostri apostolorum principis Petri, cujus, licet immeriti, Dei tamen aliqua dignatione gerimus vices, anathematis vinculo innodatum, et a regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi et omnibus impiis socius sit in inferno. Qui vero pio intuitu custos et observator hujus nostri privilegii exstiterit, meritis atque precibus beati Petri apostolorum principis, et sanctarum

[a] Quippe a simplicibus presbyteris olim non dicebatur *Gloria in excelsis* in Missa, nisi in solo Pascha, ex Sacramentario Gregoriano.

martyrum Rufinæ et Secundæ, in æthereis arcibus præmia et Benedictionis gratiam atque misericordiam a justo judice Domino Deo nostro, vitamque æternam percipere et invenire mereatur in sæcula sæculorum. Amen. Scriptum per manum Gregorii notarii regionarii atque scriniarii S. R. E. in mense Decembris, indict. supra scripta 10.

Theobaldus Velitrensis Ecclesiæ episcopus subs. Petrus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ episc. Stephanus presbyter cardinalis tt. sanctæ Cæciliæ. Petrus presbyter cardinalis tt. sancti Damasi. Joannes presbyter cardinalis tt. sancti Marci papæ. Joannes presb. card. tt. sancti Callisti transtiberim. Rodulfus indignus presb. et abbas ex monasterio sancti Laurentii, qui ponitur in Clausura. Joannes presb. card. tt. sancti Chrysogoni. Benedictus archidiaconus. Hugo diaconus. Crescentius diaconus. Joannes Dei gratia Diaconus. Crescentius diaconus. Franco diaconus. Rainerius diaconus. Joannes subdiaconus. Joannes subdiaconus de Mira.

Datum xvi Kal. Januarii, per manum Bosonis episcopi sanctæ Tiburtinæ Ecclesiæ et bibliothecarii sanctæ apostolicæ Sedis.

Datum prid. Kal. Januarii per manus Benedicti episcopi Portuensis, et vice Peregrini Coloniensis archiepiscopi, bibliothecarii sanctæ apostolicæ sedis, anno pontificatus Domini nostri Joannis summi pontificis et universalis XIX papæ in sacratissima sede beati Petri apostoli sedentis ill., mense Decembris, indict. 10.

EXCERPTA

Ex libro Petri Mallii canonici sancti Petri ad Alexandrum III.

158 *De festivitatibus, in quibus dominus papa coronabatur. Caput* XXVII.

Hæ sunt festivitates in quibus dominus papa solebat coronari. In festo videlicet sanctorum quatuor Coronatorum; in festivitate sancti Martini papæ, qui dicitur titulus Æquitii; in festo sancti Clementis, in Dominica de Adventu ad sanctam Mariam in Præsepe; in Dominica de *Jerusalem* ad sanctam Crucem; in Dominica de *Gaudete* ad sanctum Petrum; in Nativitate Domini; in festo sancti Stephani; in Epiphania Domini ad sanctum Petrum; in Dominica *Ego sum Pastor bonus;* in Ascensione Domini, in Pentecoste, in festivitate sancti Petri, in festivitate sancti Silvestri, in anniversario suo.

Nocturnales et diurnæ stationes.

Hæ sunt nocturnales stationes sancti Petri. Dominica tertia Adventus Domini, quæ dicitur de *Gaudete.* Epiphania Domini, Ascensio Domini, Pentecostes, festivitas sancti Petri et octava ejus, festivitas sancti Andreæ.

Hæ sunt sancti Petri diurnæ stationes. In omnibus sabbatis quatuor temporum, in Dominica de Quinquagesima, Dominica de Passione, feria secunda post Pascha, Dominica *Ego sum Pastor bonus;* in litaniis majoribus in die sancti Marci, in Dedicatione ecclesiarum apostolorum Petri et Pauli, in Cathedra sancti Petri.

In unaquaque harum stationum accipiunt scholæ quinque solidos denariorum Papiensium, ex oblatione scilicet; et dominus Pontifex accipit viginti solidos denariorum Papiensium. In nocturnis stationibus, quando accenduntur retia; et in diurnis, quando accenduntur quatuor candelæ per capitulum, similiter.

159 *Quando lectorium beati Petri ornabatur. Cap.* XXX.

In memoriam posterorum scribimus nos canonici basilicæ sancti Petri in quibus noctibus lectorium ejusdem basilicæ de consuetudine ornatur mappula et facula librarum duarum a confessione traditis, videlicet Dominica de *Gaudete*, Nativitas Domini, Epiphania Domini, Dominica Septuagesimæ, Dominica de carne [a], levario, Cathedra beati Petri; in Dedicatione altaris facta a papa Callisto, Dominica de Passione Domini, Dominica Palmarum, feria quarta post Palmas, in Cœna Domini, Parasceve, Sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Dominica de *Pastor bonus*, in Ascensione Domini, Pentecosten, festum sancti Petri, Octava ejusdem, in Assumptione beatæ Mariæ, in litaniis majoribus, in dedicatione basilicarum Petri et Pauli, in festo omnium Sanctorum

Certum est nos canonicos beati Petri propter alias rationes et consuetudines, quas habemus in oblatione Missæ altaris majoris beati Petri, de antiquissima consuetudine habere semper decimam hebdomadam de novem hebdomadibus totius anni, quæ sic dividuntur. Septem primas hebdomadas accipiunt septem cardinales sancti Petri. Septem hebdomadas accipiunt diaconi cardinales, præter dominicalia totius anni, quæ ad eos spectant, excepta Dominica Palmarum, et Pascha, et nisi forte sit statio. Nonam hebdomadam cantores; decimam hebdomadam canonici ecclesiæ; undecimam schola basilicaria. Qua finita, reincipiunt prædicti cardinales sancti Petri a capite, et sic fit per totum annum. Oblatio itaque, quæ spectat ad hebdomadam, est illa quæ venit ad manus cardinalis cantato Evangelio; et quæ venit ad altare, postquam calix est positus, dividitur per medium, medietas est altaris, et altera medietas est illius cujus est hebdomada. Ille igitur, cujus est hebdomada primo loco dat tria capita, id est tres monetas, de communi mansionariis, qui serviunt ad altare; deinde pro quantitate oblationis tribuit diacono et subdiacono, et illis qui serviunt de pluviali; postea,

[a] Forte *de carna levanda,* pro Dominica Quinquagesimæ, quæ apud veteres aliquando vocatur *Dominica ad carnes tollendas* seu *levandas.*

datis piscibus domino cardinali, dat sextam partem A cantoribus, **160** et duas de melioribus faculis.

De episcopis cardinalibus per patriarchias dispositis. Caput XXXI.

Septem cardinales presbyteri, qui ad sacrosanctum altare beati Petri per hebdomadas suas Missarum solemnia celebrare debent, hi sunt: sanctæ Mariæ in transtiberim, sancti Chrysogoni, sanctæ Cæciliæ, sanctæ Anastasiæ, sancti Laurentii in Damaso, sancti Marci, sanctorum Martini papæ et Silvestri, qui vocantur tit. Æquitii.

Cardinales sancti Pauli sunt hi: sanctorum Nerei et Achillei, sancti Xysti, sancti Marcelli, sanctæ Susannæ.

Cardinales sanctæ Mariæ Majoris sunt hi: sanctorum Apostolorum, sancti Cyriaci in Thermis, sancti Eusebii, sanctæ Pudentianæ, sancti Vitalis, sanctorum Marcellini et Petri, sancti Clementis.

Cardinales sancti Laurentii foris murum sunt hi: sanctæ Praxedis, sancti Petri ad Vincula, sancti Laurentii in Lucina, sanctæ Crucis in Jerusalem, sancti Stephani in monte Cælio, sanctorum Joannis et Pauli, sanctorum Quatuor Coronatorum.

Diaconiæ.

Diaconiæ sunt XVIII: sanctæ Mariæ in Dominica, ubi debet esse archidiaconus sanctæ Luciæ in circo juxta Septa solis; sanctæ Mariæ Novæ, sanctorum Cosmæ et Damiani, sancti Adriani, sanctorum Sergii et Bacchi, sancti Theodori, sancti Gregorii, sanctæ Mariæ in Schola Græca, sanctæ Mariæ in Porticu, sancti Nicolai in Carcere, santi Angeli, sancti Eustachi, sanctæ Mariæ in Aquiro, sanctæ Mariæ in via Lata, sanctæ Agathæ in equo marmoreo, sanctæ Luciæ in capite Suburræ, sancti Quirici, [sanctorum Viti et Modesti].

Abbatiæ.

Abbatiæ sunt istæ: sancti Cæsarii in palatio, sancti Gregorii in clivo Scauri, sanctæ Mariæ in Aventino, sancti Alexii, sancti Sabæ, ubi dicitur Cella Nova; sancti Pancratii in via Aurelia. Intra urbem Ravennantium, scilicet Transtiberim, est abbatia sanctorum Cosmæ et Damiani in vico Aureo. Intra urbem est abbatia sancti Silvestri inter duos hortos, quam ædificare cœpit Stephanus papa II, sed Paulus papa explevit; hi duo Apostolici requiescunt **161** in ecclesia beati Petri; ecclesia sanctæ Mariæ in Capitulo, ubi est ara Filii Dei. Sancti Basilii juxta palatium Trajani imperatoris; santæ Agathæ virginis, quæ est Suburræ monte; sancti Laurentii in Panisperna, ubi positus fuit in craticula; sancti Thomæ juxta formam Claudiam, sancti Basilii in Campo Sancto, sanctissimæ Trinitatis Scottorum. Extra urbem, in via Flaminia, est abbatia sancti Valentini: ab alia parte Romæ, via Ostiensi, est abbatia sancti Pauli, et abbatia sancti Anastasii. Iterum in urbe est abbatia sanctæ Mariæ in Pallara, ubi fuit sagittatus sanctus Sebastianus; sanctæ Mariæ in monasterio ad sanctum Petrum ad Vincula; sanctæ Mariæ in Castro aureo.

Quot lampades ardeant quotidie in ecclesia beati Petri, caput XXXVII.

Ad luminaria in altare beati Petri VIII lampades in corpore die noctuque; ante pectoralia III lampades, in unoquoque capitulo I, et in unaquoque corona I candela per totam noctem accendatur, donec Missa finiatur. Quæ nimirum capitula sunt ad minus XXXIV usque ad crucifixos. Omnes igitur lampades ab altari beati Petri usque ad crucifixos sunt L omni nocte.

In stationibus vero unoquoque capitulo IV candelæ; in reto, quod est in atrio ecclesiæ, XII; in virga XVIII; ante Veronicam X die noctuque; ante imaginem beatæ Mariæ, quæ est de mosibo post Veronicam, I; in sancto Processo I; ad sanctam Mariam de Cancellis III. In arcu majori, ubi audivimus requiescere B corpus beati Mathiæ apostoli, I, nocte et die: nocte vero tota VIII; ad sanctam crucem I. In sancto Joanne ad Fontes I; in sancta Lucia I; ad sanctum Pastorem I; ad sanctum Gregorium I, nocte dieque, in unoquoque istorum; in Vaticano I; in sancta Maria in Oratorio I; ad sanctum Leonem quartum I; Petro et Paulo I; ad sanctum Bartholomæum I; ante crucifixos II: in rete IV; in virga III; ante portas ecclesiæ deforis V; in unoquoque porticalium III; in sancta Petronilla II; in sancto Andrea I.

Omnes igitur candelæ quæ quotidie ardent in ecclesia beati Petri, sunt CXV, ad minus, omni nocte; in stationibus vero sunt CCC. In Dedicatione, in Ascensione, et festo sancti Petri et Octava ejus, retia accendantur; sed recte magnum, quod est in atrio C ecclesiæ, **162** scilicet ante portam Argenteam, in festo sancti Petri et Octava tantum.

Præter ea quatuor funes de antiqua consuetudine extenduntur in festo sancti Petri et Octava ejus in atrio ejusdem ecclesiæ, id est in paradiso, in modum crucis; et ligantur de porticalibus ad pineam æneam, quæ est in paradiso; et in unoquoque fune VI candelæ suspenduntur. In gradibus vero, scilicet ante ecclesiam sanctæ Mariæ in Turri, extenditur unus magnus funis a porticali, quod est super gradus mortuorum, usque ad domum Petri Joannis de Pampano, in qua de jure debet ligari secundum tenorem locationis, et suspenduntur in eo XVIII candelæ.

De consuetudinibus confessionis. Cap. XXXVIII.

Hæc sunt quæ dominus Papa de consuetudine recepturus est ab illis qui emunt confessionem beati D Petri pro tribus partibus; canonici vero pro quarta parte.

In primis planetas, camisos, tunicas, amictos, stolas, manuales, cingulos, crucem, thuribulum aureum, qui sit aptus ad cantandum Missam; libros et alia vasa, quæ ad officium altaris spectant; candelabra, tobalias frisatas et opertas, quæ totum altare colligant sine frisio, tantum frisatas non parvas, vel magnas; tres denarios ad pondus de balsamo, et decem libras ceræ pro facula de Sabbato sancto; et tres ampullas majores, et tres minores; et tres fanones, et oleum pro chrismate, et duodecim denarios Papienses pro palmis canonicis beati Petri; solidos sex

in sex stationibus, in unaquaque sex, et sex solidos in festivitate sancti Andreæ, et duas aquaricias olei pro festo ejusdem.

In resarciendo tecta et mutandis trabibus dantur duo denarii Papienses unicuique magistrorum et manualium in unoquoque die, donec opus compleatur. Quando sandialarii capiunt trabes, duos solidos denariorum Papiensium, et quatuor libras ceræ.

Quando dominus papa pergit ad sanctum Petrum in stationibus, viginti solidos denariorum Papiensium, et tres aquaricias clareti cardinalibus et capellanis papæ. Aliis scholis medietas altaris datur, ex quo tobalia extenditur super altare. Et in unaquaque statione unum par facularum de duabus libris ad vesperas **163** et ad Matutinas, et candelas pro lectionibus. Ad Missam similiter unum par facularum. Cardinalibus quinque solidos denariorum Papiensium in statione, et tres solidos Lucenses pro responsoriis.

In quatuor tempora, in unoquoque Sabbato, quinque solidos Lucenses cardinali diacono, subdiacono, cantoribus, et acolythis.

A festo sancti Gregorii papæ usque ad festum Pentecostes in unoquoque die duodecim denarios Papienses dantur domino papæ; et mille libræ ceræ per singulos annos; et in unoquoque mense una aquaricia olei et una libra olibani, si est in urbe vel circa urbem, per unum diem.

Ex consuetudine in majori hebdomada dominus episcopus sanctæ Rufinæ jus consuevit habere, videlicet aram et altare, ex quo pulsatur ad Matutinum, et usquedum finitur officium; et ex quo pulsatur ad Missam usque ad finem, salva medietate canonicorum et cantorum, quam habent in altari cum domino episcopo. Tota namque medietas oblationis, quæ venit in altari, est altaris domini episcopi; altera medietas est inter prædictum dominum episcopum et canonicos ecclesiæ et cantores æqualiter dividenda. Nam una pars est domini episcopi, alia canonicorum, et alia cantorum, si interfuerint constitutis officiis; si non, est canonicorum, servata prius consuetudine ad altare servientium, quæ debet esse de communi omni partium, et domini episcopi, et aliorum.

Die Jovis, ex quo pulsatur ad officium matutinale et ad Missam usque ad finem officiorum; similiter et in die Veneris sancti; similiter et in Sabbato sancto, ex quo pulsatur ad officium matutinale, et ex quo pulsatur ad baptismale officium, nocte et die tota habent jus suum, et usque ad finem Missæ majoris in Pascha, canonici basilicæ sancti Petri, et accipiunt decem libras ceræ pro facula de sabbato sancto, et tres denarios de balsamo ad pondus, et tres ampullas majores et tres minores, et tres fanones, et oleum pro chrismate.

Item dominus papa decem libras ceræ pro agnis in sancto Laurentio de Palatio. Una aquaricia olei, una libra ceræ, et dimidia de olibano per mensem; et in unaquaque hebdomada, quando dominus papa non est Romæ, duo solidi Lucenses ostiariis.

In Purificatione sanctæ Mariæ quinque libras ceræ, et quatuor denarios **164** pro [a] vinciis; in Annuntiatione totidem.

In Dominica Palmarum acolythis duodecim denarios pro palmis; mansionariis sancti Petri totidem pro palmis.

In litaniis majoribus viginti septem libras Lucenses pro presbyterio crucum, et lectis, et lobiis, episcopis et cardinalibus, et omnibus scholis palatii.

Pro eleemosyna sanctæ Rufinæ, et sanctorum Quatuor, et sancti Clementis, et sancti Pancratii, una aquaricia olei, et quinque libræ ceræ, et dimidia de olibano; et in unaquaque hebdomada pro eleemosynis pauperum undecim solidos Lucenses; et dum strata currit, extra id quod datur ejectis. Et de olibano abundanter serviant beato Petro, et omnia alia jura observent.

Sententialibus præfecti, si suspendant aliquem, quinque solidos; quando decollant, similiter: quando cæcant, duodecim denarios pro unoquoque oculo; quando truncant aliquod membrum, similiter.

In unaquaque istarum stationum scholæ palatii, scilicet presbyteri et diaconi cardinales, subdiaconi, cantores regionarii, et acolythi, debent habere quinque solidos denariorum Papiensium de altario beati Petri pro cœnatica. Archidiaconus debet habere decem et octo denarios Papienses pro his qui cantant Responsoria, et ad Missam medietatem altaris. Prædictæ scholæ habent inter eos et capellanos domini papæ usque ad finem Missæ. Canonici vero beati Petri duodecim solidos accipiebant antiquitus, sed modo habent sex per stationem

Si vero absens fuerit pontifex, et venerint cardinales solemniter cantare Missam; in quacunque statione totam medietatem altaris habent prædictæ scholæ. Cardinalis vero qui cantat Missam, habet tertiam partem oblationis; sed si habet aliquem socium, non fit ita, sed oblatio, ut mos est, communiter dividatur per scholas.

[a] Ita legitur in Codice, tam Vaticano, quam regio. Occurrebat conjectura *pro mineis*. Sed quid ad rem? Apud Cencium legitur in cap. 5: *Ecclesia sancti Petri dat quindecim libras cereas pro his cereis.* Verum id huic loco non facit satis.

ADMONITIO IN SEQUENTEM LIBRUM CENCII.

165 Quis fuerit Cencius consequentis libri auctor, nemo id melius explicaverit quam Onufrius Panvinius in ea præfatione quam eidem libro præfixit in magno Ritualium veterum opere, quod Romæ in bibliotheca pontificia palatina, et apud Parisios in regia servatur. Hæc autem præfatio sic habet.

Fr. Onufrius Panvinius pio lectori salutem.

Cum veteris bibliothecæ palatinæ, omnium instructissimæ, libros evolverem, ut aliquid invenirem quo in scri-

benda historia ecclesiastica sublevari possem; forte incidi in pervetustum Codicem, qui Censuum *inscribitur, ante annos plus minus quadringentos collectum, et in unum corpus redactum a Cencio quodam diacono cardinali sanctæ Luciæ in Orpheo, et S. R. E. camerario sub Cœlestino papa III, qui post Innocentii III mortem Romanus pontifex renuntiatus, Honorius III nominatus est. In eo cum omnibus S. R. E. redditibus, vectigalibus et censibus ab eodem Cencio summa diligentia, cum singulorum publicis instrumentis, in unum redactis, hic etiam omnium vetustissimus Ritualis, sive Cæremonialis liber descriptus est, in quo sanctæ illius et venerandæ vetustatis puritas et sinceritas, atque Romanæ Ecclesiæ in tractandis sacris et re divina celebranda summa cura et observantia inspicitur. Multa insuper cognitu non indigna, et ad Ecclesiæ præsentis status primordia dignoscenda idonea inde hauriri possunt. Quem librum cum ego hominum lectione dignissimum existimassem, illum in brevem hanc formam contractum ecclesiasticæ antiquitatis studiosorum manibus terendum evulgavi, cum nihil quod ad ejusmodi studia sublevanda pertinere existimem in obscuro, quantum a me fieri potest, jacere permittam.*

Hactenus Onufrii præfatio, ex qua intelligitur ab eo librum Cencii in aliam ab ea quam auctor instituerat formam redactum fuisse. **166** Hæc autem nova forma sic se habet. Totum opus dividitur in tres partes. Prima pars, constans capitibus XXVIII, continet omnes ritus qui ab Adventu Domini ad Exaltationem sanctæ Crucis usitati sunt in Ecclesia Romana. Secunda pars est de presbyteriis per annum erogari solitis, deque variis officialibus pontificis; habetque capita XXIII. Tertia est de electione et consecratione pontificis, ac de coronatione imperatoris. Nobis vero purum putum Cencii librum satius visum est exhibere. Felix Contelorius, archivii Vaticani secreti olim custos, in epistola ad cardinalem Barbarinum, cum ei prædicti libri transcriptum dono daret, asserit Ritualem hunc vetustissimum, ante annum 1192 in Romana Ecclesia usurpatum, a Censio insertum fuisse libro de Censibus. Cencius tamen libri scriptor censendus, ex num. 72, etsi ritum ante suum tempus receptum et observatum tradidit. Idem cancellarius fuit sub Cœlestino III, Sabellus cognominatus.

Illustrissimus Fabrettus hanc nobis notitiam de Cencio nostro suppeditavit. « Sub mœnibus Ardeæ, vetustissimæ Rutulorum civitatis, exstat templum sanctæ Marinæ dicatum, in cujus portæ limine superiori visuntur hinc inde duo orbes diametri palmaris, in quibus opere anaglypho scalpti sunt duo monachi cucullati se invicem aspicientes cum hisce titulis, in primo quidem Abbas, in altero autem orbe Pater sanctæ Marinæ. Sub ipso limine, qua parte terram respicit, adsunt hi duo versus:

Cencius, excelsæ tunc cancellarius urbis,
Obtulit hanc portam, virgo Martina, tibi.

Denique in impluvio cœnobii sancti Bartholomæi ad insulam Tiberinam exstat fragmentum cum his versibus:

Cencius, excelsæ tibi cancellarius urbis,
Se pia commendat Jesse clarissima virgo,
Qui Benedictorum fuit ortus stemmate....
Huic peccatorum veniam da....
Cencius atque bona genitor genitrixque...
Inspiciens.... mino cum dictis.... »

ORDO ROMANUS XII,

DE CONSUETUDINIBUS ET OBSERVANTIIS, PRESBYTERIO VEL SCHOLARI, ET ALIIS ECCLESIÆ ROMANÆ IN PRÆCIPUIS SOLEMNITATIBUS

Auctore CENCIO DE SABELLIS cardinale.

167 1. *Quid debeat Dominus papa facere tempore Adventus, et in Natali Domini.*

1. A Dominica de Adventu, usque ad Nativitatem Domini, dominus papa non portat aurifrixiatam mitram, excepto in Dominica qua cantatur *Canite tuba*, ad ecclesiam Apostolorum pro festo; nec cantatur *Te Deum laudamus*, nisi in præcipuis festis. Et in eadem die Adventus idem dominus papa pergit ad stationem sanctæ Mariæ Majoris. In [a] Lectionario sancti Hieronymi, *Ad sanctam Mariam de nocte primo galli cantu.*

2. In vigiliis Nativitatis Domini, in mane dominus papa vadit ad basilicam sanctæ Mariæ Majoris pro cantanda Missa, et in sero pro celebrandis Vesperis; et remanet ibi nocte ipsa, et celebrat ibi vigilias, et post vigilias celebrat ibi Missam ad præsepe, ubi quidquid offertur, quandiu dominus papa Missam celebraverit, sive ad manus, sive ad pedes ipsius domini, vel super altare, capellanorum est, excepto pane, qui est acolythorum, si recipere voluerint. Hoc idem sciendum de Missa, quam celebrat apud sanctam Anastasiam. In aurora vadit ad sanctam Anastasiam, et celebrat ibi secundam Missam; qua finita, revertitur ad basilicam sanctæ Mariæ Majoris, et intrat sacrarium cum episcopis, cardinalibus, diaconibus, subdiaconibus, et reliquis ordinibus, et dicunt Tertiam; qua dicta, induunt se, et processionaliter vadunt **168** ad altare, sicut est moris. Notandum quod septem faculæ debent esse in Missa super altari, et curia debet dare. Deinde dominus papa incipit Missam, et post primam Orationem diaconi cardinales, et subdiaconi, et alii ordines cum scrinariis [b] faciunt laudes domino papæ taliter ordinati. Archidiaconus cum aliis diaconibus et subdiaconibus ordinati stant juxta altare in duobus filis, scrinariis vero stantibus deorsum in choro cum pluvialibus. Tunc archidiaconus cum diaconibus et aliis, sic incipit laudem alta voce, *Exaudi, Christe*; scrinarii quoque respondent, *Domino nostro papæ vita*. Iterum archidiaconus dicat *Exaudi, Christe*; scrinarii quoque

[a] Hoc Lectionarium vocatur *Liber Comitis*, editus apud Pamelium. Vide appendicem Capitularium Baluzianam.

[b] Ita constet hic *scriunrii*, non *scriniarii*.

respondent similiter. Tertio archidiaconus dicit *Exaudi, Christe;* scrinarii respondent sicut prius. Iterum archidiaconus dicit *Salvator mundi*, tribus vicibus, scrinariis totidem vicibus ei respondentibus *Tu illum adjuva*. Et archidiaconus dicit *Sancta Maria*, duabus vicibus; et scrinarii respondent duabus vicibus *Tu illum adjuva*. Deinde archidiaconus dicit *Sancte Michael*, duabus vicibus; scrinarii respondent duabus vicibus *Tu illum adjuva*. Eodem modo dicitur *Sancte Gabriel, sancte Raphael, sancte Joannes, sancte Petre, sancte Paule, sancte Andrea, sancte Stephane, sancte Laurenti, sancte Vincenti, sancte Silvester, sancte Leo, sancte Gregori, sancte Benedicte, sancte Basili, sancte Saba, sancta Agnes, sancta Cæcilia, sancta Lucia*. His finitis, archidiaconus dicit *Kyrie, eleison;* scrinarii similiter respondent *Kyrie, eleison*. Iterum archidiaconus dicit *Kyrie, eleison;* scrinarii respondent *Kyrie, eleison*. Tertio vero archidiaconus cum diaconibus, subdiaconibus et scrinariis una voce dicunt *Kyrie, eleison*. Finitis laudibus, legitur prius Latina epistola, et postmodum Græca. Expleta vero Missa, dominus papa coronatur ad portam ipsius ecclesiæ ab archidiacono, cum uno diacono, reditque cum Processione ad palatium. Tunc judices et advocati veniunt ei obviam sub gradibus in porticu; ibique prior cardinalis sancti Laurentii foris murum, cum judicibus et advocatis faciunt ei laudes; et ibi dominus papa descendit, et, deposito regno accipit mitram. Deinde judices ducunt eum usque ad locum illum ubi datur presbyterium. Tunc vero exuunt eum planeta, et apposito manto super scapulas sedet in fonslatorio [fostellorio] seu cathedra, et largitur presbyterium **169** cunctis ordinibus propria manu taliter.

3. Et in eadem die Adventus, idem dominus papa pergit ad stationem sanctæ Mariæ Majoris. In secunda vero Dominica Adventus papa vadit ad stationem sanctæ Crucis. In Sabbato de *Gaudete* pergit ad Vesperas ad sanctum Petrum, ubi dominus papa eidem primicerio annuntiando Antiphonam *Juste et pie vivamus*, dat unum marabotinum vice ipsius projiciens. Ubi autem dominus papa debet facere, et vigiliis interesse, et omnia alia ibi facit et recipit cum camerario et cancellario, sicut inferius dicetur in Dedicatione sanctorum Petri et Pauli, et quibusdam aliis festivitatibus.

11. Quomodo datur presbyterium.

4. Priori igitur episcoporum Romanæ Ecclesiæ dat dominus papa duplicatum presbyterium, scilicet quatuor melequinos, et quatuor solidos in den. Papiens.; omnibus autem episcopis et aliis curiæ duos marabotinos, et duos solidos Papiens., singuli similiter. Si forte archiepiscopus aliquis extraneus tunc præsens fuerit, pro voluntate domini nostri papæ dat ei presbyterium; sed de portione tantum debet habere, quantum supra dictus prior episcoporum, quatuor scilicet melequinos, et totidem solidos; si vero aliquis episcopus extraneus fuerit, unum melequinum debet habere, et duodecim den. Papiens. Priori presbyterorum cardinalium dat dominus papa duos melequinos, et totidem solidos, pro prioratu. Priori presbyterorum sancti Laurentii foris muros pro laude duos similiter melequinos, et totidem solidos; omnibus et singulis aliis presbyteris cardinalibus unum melequinum, et duodecim denarios Papienses. Priori autem diaconorum cardinalium quatuor melequinos, et totidem solidos pro prioratu, presbyterio et laude diaconorum et subdiaconorum; omnibus aliis diaconibus et singulis unum melequinum, et duodecim denarios Papiens. Diacono Græco unum melequinum, et duodecim denarios Papienses. Si forte aliquis abbas mitratus præsens fuerit, dat ei unum melequinum, et duodecim denarios Papienses. Primicerio.... dat ei unum melequinum et duodecim denarios Papienses. Priori subdiaconorum unum melequinum, omnibus aliis subdiaconibus similiter. Si etiam centum essent, videlicet quinque, vel plus aut minus, **170** duodecim melequinos. Subdiacono Græco unum melequinum. Unicuique scholæ cantorum unum melequinum; unicuique scholæ Crucis, qui esse debent de jure ad plus quatuor, et non plures. Prior presbyterorum capellanorum, qui sunt duo, et non plures, unum melequinum; unicuique capellanorum domini papæ unum melequinum. Præfecto urbis quadraginta solidos den. Papiens.: qui videlicet præfectus ab ecclesia sanctæ virginis Mariæ usque ad palatium indutus manto pretioso, et calceatus zanca [a] una aurea, id est una caliga, altera rubea, eadem die et secunda die, et etiam in duabus diebus Paschæ, et quando papa eligitur, juxta dominum papam collateraliter nullo medio equitando incedit. Senatorum vero qui tunc urbi præsunt medietas accedit pro presbyterio, et ad comedendum cum domino papa; quorum uni dominus papa, vel duobus pro omnibus aliis, presbyterium pro unoquoque senatore similiter unum melequinum; dat dominus papa unicuique judicum urbis unum melequinum, et duodecim solidos den. Papiens. excepto priore, qui debet habere unum melequinum ultra pro prioratu, et unum melequinum pro laude. Unicuique advocatorum unum melequinum, et duos solidos den. Papiens. Omnibus scrinariis, quotquot sunt, sex melequinos et sex solidos den. Papiens. Præfectus navalium, qui dicitur Sangari, duos melequinos, et quatuor solid. den. Papiens. Et sciat secutura posteritas, quod nulli alii dominus papa propria manu, nisi superius nominatis, debet presbyterium dare. Presbyterium, ut superius dictum est, dat dominus papa.

5. Sic indutus ducitur a magistro senescalco, et a magistro ad mensam in basilica Leonis papæ III. Ad mensam vero legit unus de diaconis cardinalibus cum pluviali; circa vero finem mensæ schola cantorum debet cantare Sequentiam.

[a] Formam hujusmodi calceorum, aliorumque præfecti urbani ornamentorum habes in libro Felicis Contelorii de præfecto Urbis.

III. *Quid dominus Papa debet facere in festo sancti Stephani.*

6. In die autem sancti Stephani summo mane conveniunt omnes ordines superius prætaxati, tam clerici quam laici, induti sericis pannis in basilica, diaconibus cardinalibus et **171** subdiaconibus exceptis, qui induti dominum papam ducunt de camera sua ad basilicam ipsam, ubi cardinales universi exhibent ei reverentiam; ibique induit se planeta alba. Et descendens de palatio usque ad porticellum, ibique invenit equum faleratum cum novo scarlati; ita tamen quod secundum consuetudinem antiquam equus ipse domini papæ non debet habere collum faleratum. Et ascendens equum, et de manu adextratorum regnum recipiens, induit ipsum. Sicque vadit ad ecclesiam beati Stephani in Cælio monte coronatus.

7. Ut autem omnibus, tam præsentibus quam futuris, pateat, qualiter ordines supra dicti cum domino papa vadunt processionaliter, sciendum est quod, sicut scribetur inferius, ordinati incedunt, et cum eodem domino papa ad palatium modo simili revertuntur. Præfectus igitur urbis indutus, ut superius dictum est, juxta dominum papam incedit, et circa eum judices pluvialibus induti. Ante dominum papam aliquantulum sequestratus incedit prior subdiaconus regionarius cum toaleo, ut cum voluerit dominus papa spuere, possit illo gausape os suum mundare. Et diaconi cardinales proximi papæ bini incedunt; et post ipsos subdiaconi basilicarii, quos præcedunt tam subdiaconi regionarii quam schola cantorum cum Græcis, qui consueverunt Evangelium et Epistolam legere. Istos antecedunt scrinarii et advocati; ante eos presbyteri cardinales, ante istos episcopi cardinales, et abbates urbis; et præcedunt istos, si qui sunt, forenses episcopi aut archiepiscopi. Ante istos duo præfecti navales pluvialibus induti; ante hos vero portantes duodecim vexilla, quæ bandora vocantur; et unus equus domini papæ faleratus, sed vacuus. Ante hos omnes minor subdiaconus basilicarius cum cruce domini papæ. Sed archidiaconus et prior basilicæ cum ferulis debent, ut scriptum est, ordinare processiones; et, ne quis ipsam interrumpat, debent discurrere, et frequenter ad propria loca redire. Archidiaconus inter dominum papam et cardinales diaconos; prior basilicæ juxta primicerium inter diaconos cardinales et subdiaconos.

8. Cumque sic ad prædictam ecclesiam sancti Stephani pervenerint, deposito regno, intrat ecclesiam; factaque Oratione, vadit ad sacrarium, et, deposita planeta alba, induit rubeam, et celebrat Missam, sicut hesterna die, in omnibus. Missa vero **172** finita, resumit planetam albam, et induit regnum. Cætera vero fiunt sicut prima die, excepto presbyterio, quod sic datur. Unicuique namque episcoporum curiæ dat dominus papa duos melequinos et duos solidos Papienses; unicuique presbyterorum cardinalium unum melequinum et duodecim denarios Papienses, excepto presbytero sancti Laurentii, cui dantur duo pro laude et presbyterio. Unicuique diacono cardinali unum mel. et duodecim denarios Papienses, excepto priore, cui datur unus amplius pro laude. Unicuique archiepiscoporum duo, unicuique episcoporum forensium unum mel. et duodecim denarios Papienses; omnibus aliis, sicut altera die, eo excepto, quod subdiaconi omnes non habent nisi duodecim mel. cum priore, et etiam præfectus non habet, nisi duodecim solid. den. Papiens. Dato presbyterio ducitur dominus papa ad mensam sicut die prima.

IV. *Quod dominus papa ire debeat in Epiphania ad Sanctum Petrum.*

9. Sciendum tamen quod dominus papa in Epiphania in Vesperis pergit ad Sanctum Petrum, et omnia ibi facit et recipit cum camerario et cancellario, sicut adnotatur in festo Ascensionis, et Octava sancti Petri.

V. *Quid dominus papa facere debeat in Purificatione beatæ Mariæ virginis.*

10. In Purificatione beatæ Mariæ virginis dominus papa vadit ad Sanctam Martinam cum cardinalibus in mane, et ibi cantat Tertiam. Deinde induit se in ecclesia ipsa usque ad dalmaticam; et induto manto, apponit mitram; omnesque cardinales induunt se, ibique vastararii cum ostiariis basilicæ sacri palatii repræsentant cereos ad benedicendum, quos minor presbyterorum cardinalis in ordine benedicit. Notandum vero quod ecclesia Sancti Petri dat quindecim [*Al.*, decem] libras cereas pro his cereis. Et his factis, dominus papa exit ab ecclesia cum cardinalibus, et ascendit sedem, quæ est præ foribus illius ecclesiæ, et manu propria populo cereos porrigit. Deinde vadit ad porticum ad ecclesiam sancti Adriani, et ascendit sedem, quæ est post altare, ibique cantat Sextam; et **173** cantata, accipit faculam accensam a priore episcoporum; et, si non est præsens, a priore presbyterorum. Sed schola cantat hymnum *Lumen ad revelationem*, cum Psalmo. Post dationem candelarum subdiaconus regionarius extendit toaleam, et dominus papa abluit manus, et mittit chirothecas, et planetam, et pallium; et singulis cardinalibus, et camerario tantummodo, duas dat candelas; subdiaconibus et aliis tam clericis quam laicis pro voluntate sua.

11. Et notandum quod decem et octo sunt in urbe diaconatus, quorum clerici, postquam Missas in eisdem celebraverint, a singulis diaconibus imagines accipiendo, venient cum imaginibus istis et populo processionaliter cantando ad ecclesiam beati Adriani. Quibus in eadem ecclesia coadunatis, primicerius cum schola incipit Antiphonam *Exsurge, Domine*. Interim dominus papa discalceat se, et omnes qui sunt induti vadunt cum eo in Processione, et dominus papa reaccipit [a] planellos. Completa vero a primiceriis Antiphona, dominus papa dicit *Oremus*, et diaconus *Flectamus genua*, et alii diaconi *Levate*, et dominus papa

[a] Planellorum nomine, quos hic *reaccipit* pontifex, intelliguntur calcei, quos antea deposuerat. Id patet ex num. sequenti.

dicit Orationem de Collecta, scilicet [a] *Preces populi tui*, etc. Finita Oratione, diaconus dicit *Procedamus in pace;* et omnis chorus respondet *In nomine Christi.*

12. His sic completis, imagines præcedunt dominum papam processionaliter cantando usque ad ecclesiam beatæ Mariæ Majoris; et dominus papa sequitur Processionem. Cumque venerit ad portam ipsius ecclesiæ, exuit planellos, et nudis pedibus vadit cum aliis in Processione usque ad prædictam ecclesiam beatæ Mariæ Majoris. Sciendum tamen quod dominus papa in omnibus Processionibus, in quibus pedes vadit, pedibus discalceatis incedit, una tantum excepta in Exaltatione sanctæ Crucis, scilicet mense Septembris. Cum autem dominus papa ad ecclesiam sanctæ Mariæ venerit, primicerius cum schola cantorum in introitu ipsius ecclesiæ cantat *Te Deum laudamus;* et deinde dominus papa intrat sacrarium, et exuit planetam; ubi schola mappulariorum et **174** cubiculariorum habent aquam calidam paratam ad abluendos pedes domini papæ, et dominus papa ablutis pedibus calceat caligas cum sandaliis pro Missa cantanda, et induit planetam albam, et aurifrixiatam mitram. Diaconus cardinalis et subdiaconus, exutis planetis, induunt dalmaticas; et ita cum Processione vadunt ad altare majus, et ibi celebratur Missa de more. Missa cantata, cuncti ad propria revertuntur.

VI. *Quid debeat facere dominus papa in Annuntiatione et Nativitate beatæ Mariæ virginis.*

13. In Annuntiatione et Nativitate ejusdem sanctæ Mariæ dominus papa equitat ad Sanctam Mariam cum cardinalibus, et facit ibi, et in ecclesia sancti Adriani et sanctæ virginis Mariæ Majoris omnia, sicut prædictum est in Purificatione ejusdem sanctæ Mariæ.

VII. *Quid debeat facere dominus papa in Assumptione beatæ Mariæ virginis.*

14. In Assumptione ejusdem sanctæ Mariæ taliter fit. Dominus papa etenim vadit ad Vesperas cum cardinalibus; quibus cantatis, dominus papa ibi remanet atque jacet; et in propria persona debet in nocte cantandis vigiliis interesse. Sciendum quod minor diaconorum debet *Benedicamus Domino* dicere. Notandum vero quod ubicunque dominus papa vadit ad Vesperas, ecclesia ubi est statio ipsa debet dare omnes faculas tam in vesperis quam in nocte. Vigiliæ autem tali ordine celebrantur. Canonici ejusdem ecclesiæ tres primas lectiones legunt, et tria responsoria similiter cantant; et dominus papa legentibus illis tres lectiones Benedictionem, et ei iidem diaconi cardinales præcinunt *Tu autem*, etc. Unicuique etiam illorum trium prior diaconus dat duos denarios de senatu; ad unamquamque insuper lectionem dominus papa cum thuribulo accedit ad majus altare et præsepe; et ante ipsum mappularii portant duas faculas positas super candelabra domini papæ. Faculas autem dat eadem ecclesia. Quarta autem lectio legitur a scrinariis, quinta a priore episcoporum, sexta a priore presbyterorum, septima a priore **175** diaconorum, octava a priore subdiaconorum, nona autem a domino papa. De thuribulo autem portando ad altare dominus papa præcipit unicuique cardinali pro voluntate. Ad lectionem domini papæ nullus dat Benedictionem; et tamen ipse dicit *Jube, Domine*, etc., scilicet dicitur quod Dominus ei benedicat; circumstantes respondent *Amen.* Alia Responsoria decantantur ab uno subdiacono et alio cantore, et quilibet eorum recipit duos denarios ab illo qui domino papæ assistit, et omnes denarii debent esse de ecclesia. Quatuor vero denarii qui restant acolythorum sunt. Quandiu autem lectiones leguntur, duæ faculæ cum candelabris ejusdem ecclesiæ debent esse super pulpitum, et residuum est de acolythis. Illud vero quod remanet de faculis quas portant mappularii eorumdem mappulariorum sunt. His per ordinem sic celebratis, dominus papa dicit Orationem vigiliæ, et intrat lectum. Et summo mane dominus papa dicit Orationem, et celebrat Missam. Qua finita, revertitur ad palatium. Est notandum quod, sicut dictum est superius, ita fit in vigiliis solemnitatum omnium patriarchatuum Urbis.

VIII. *Quid debeat dominus papa facere feria quarta in capite Quadragesimæ.*

15. Feria [b] quarta in capite Quadragesimæ dominus papa circa mediam tertiam equitat cum episcopis et cardinalibus ad sanctam Anastasiam, et receptus in Processione a clericis ipsius ecclesiæ, intrat sacrarium, et induit se cum cardinalibus et aliis ordinibus. Interim autem cinis benedicitur a juniore presbytero cardinali. Deinde dominus papa vadit cum cardinalibus et schola cantorum ad sedem post altare, et præsentato ei cinere, prior episcoporum imponit ei cinerem, dicens hæc verba: [c] *Memento quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Postmodum vero dominus papa imponit cinerem episcopis, cardinalibus, et aliis ordinibus. Quibus expletis, primicerius cum schola cantorum incipit Antiphonam *Exsurge, Domine, adjuva nos.* Qua completa, dominus papa dicit *Oremus* **176**, et diaconus *Flectamus genua*, et alius diaconus deinde *Levate;* et dominus papa dicit Orationem de collecta, videlicet *Preces populi tui;* qua finita, junior diaconorum cardinalium dicit *Procedamus cum pace;* et omnis chorus respondet *In nomine Christi.* Sciendum quod dominus papa a Septuagesima usque ad Pascha non portat aurifrixiatam mitram, nec cantat *Te Deum laudamus*, nisi in præcipuis festis, et in *Lætare, Jerusalem*, in quo

[a] Alia assignatur Oratio *ad Collectam* in Sacramentario Gregoriano, nempe *Erudi, quæsumus, Domine, plebem tuam.* Est autem Oratio ad Collectam illa quæ dicitur in loco ubi fit Collecta seu conventus ad Processionem, qua de re supra in commentario nostro.

[b] Hoc loco indicat Onufrius veterem librum Cæremonialem editum nomine Caroli Magni, qui liber modo circumfertur sub nomine Alcuini. Hunc confer cum Ordine Romano vulgato, cujus pleræque Orationes, quæ ad hunc diem pertinent, desunt in Codice Vindocinensi.

[c] Omittebantur hæc verba tempore Urbani VI erga papam, ex Cæremoniali Petri Amelii, inferius.

die diaconi cardinales utuntur planetis curtis. Deinde, præcedentibus in ordine suo, dominus papa nudis pedibus cum psalmodia sequitur Processionem usque ad sanctam Sabinam, et ipsum præcedit crux sua, quam portat unus de subdiaconibus suis, et crux sancti Petri, quam portat prior subdiaconus regionarius. Cumque intraverit ecclesiam, intrat secretarium; et mappulariorum et cubiculariorum schola habent ibi aquam calidam paratam ad abluendos pedes ipsius.

16. Sciendum vero est quod in introitu ecclesiæ acolythi debent recipere crucem sancti Petri, et portant usque ad altare cum subdiaconis regionariis faciendo litaniam. Et pedibus ablutis, dominus papa paratus ad altare accedit. Et Missa de more cantata, palafredum ascendit, et ad palatium revertitur.

17. Dominica vero qua cantatur *Lætare, Jerusalem*, camerarius repræsentat domino papæ in camera rosam auream cum musco et balsamo; quam dominus papa portat in manu propria usque ad sanctam Crucem, ubi ea die debet Missam celebrare; eamdem deferens in reversione sua similiter usque ad locum in quo descendit, ubi debet esse præfectus, cui dominus papa tunc dat rosam ipsam, et eadem die portat mitram aurifrixiatam. Sciendum est quod ipsa hora qua camerarius repræsentat rosam, dominus papa debet recipere mitram aurifrixiatam.

IX. [a] *De Dominica Palmarum.*

18. Die Dominica Palmarum præparatur quoddam [b] portatorium honestissime, **177** in quo intromittitur sanctum Evangelium, quod intelligitur Christus; et statuitur in ecclesia ante aram, unde clerus processurus est. Deinde adunantur palmæ et flores, atque diversa genera [frondium.] Dicitur Oratio *Omnipotens Deus, qui antequam Filium tuum Dominum nostrum pro nobis mortem perpeti sineres.* Sequitur Benedictio palmarum, seu frondium, *Omnipotens Deus Christe.* His finitis, dantur a custodibus palmæ; accipientesque populi ramos arborum olivarum, sive florum, inchoatur Antiphona *Pueri Hebræorum.* Deinde suscipitur a diaconis prædictum portatorium cum Evangelio, bajulantes cum ingenti exsultatione jugum Christi suave, et onus ejus leve, præcedente aqua benedicta cum candelabris atque thymiamateriis cum aliis ornamentis, insuper etiam laicorum schola cum vexillis atque cum fanonibus longe præeunte. Exeunte enim clero seu populo ab ecclesia, inchoatur Antiphona *Cum appropinquaret Jesus;* qua finita, inchoat schola Antiphonam *Cœperunt omnes*, item, *Cum audisset*, item, *Appropinquante.* Cum ingressi fuerint atrium ecclesiæ, dicitur Responsorium *Ingrediente Domino*, item *Collegerunt*, item *Unus etiam* [Forte *autem*].

19. His finitis, ante atrium ecclesiæ seu loco competente subsistit schola cum baculis et reliquo ornatu; et clerus seu populus exspectant in loco atrii, inchoantes Antiphonam *Occurrunt.* Respondet schola cum Antiphona *Cum angelis.* Hac finita, inchoatur a duobus cantoribus quidam Versus Israel supra scriptum Evangelium sanctum, *Gloria, laus et honor tibi sit rex Christe redemptor.* Eo ordine sequuntur alii Versus.

20. His finitis, incipit schola cum baculis Antiphonam *Pueri Hebræorum;* et tunc prosternit omnis plebs hinc inde frondes seu flores, decantantes Antiphonam *Hosanna Filio David*, usque ad altare; et sic intrant ad Missam. Ministri vero tenent palmas usque ad completionem Missæ. Intermittunt aliqui salutationem in Passione, id est *Dominus vobiscum;* quod non legitur in Ordinibus, sed in Parasceve tantum, ubi reticetur officium sacerdotale.

X. *De feria quarta majoris hebdomadæ.*

21. Feria quarta majoris hebdomadæ hora tertia procedit apostolicus cum omni clero seu populo ad ecclesiam, et dicit **178** Orationes solemnes, sicut in sexta feria. His expletis, osculato altari egreditur. Presbyteri vero urbani ecclesiarum, suburbanique revertuntur ad titulos suos. Et hoc ordine feria sexta compleant, scientes quod ubi pontifex pro se intermittit, ibi illum commemorent.

22. Postea vero hora octava ingrediuntur ad Missam more solito; ideoque hæ Orationes hodie celebrantur, quia in hac feria quarta consilium fecerunt Judæi, ut occiderent Christum. Cujus diei Missa duas lectiones et duo responsoria cum Passione habet, quæ sine salutatione pronuntiatur. Per tres continuos, qui sequuntur, dies, id est quinta, sexta et septima feria, triduanam Domini sepulturam celebramus. *Gloria Patri* non dicitur; campanæ silent.

XI. *Quid dominus papa facere debeat in Cœna Domini.*

23. Feria quinta in Cœna Domini descendit dominus papa ad ecclesiam sancti Joannis Lateranensis cum mitra sine frisio, hora sexta; et facta Oratione ante cruces, pergit ad secretarium ad ecclesiam sancti Thomæ cum episcopis, cardinalibus et aliis ordinibus; ibique cantat Nonam. Deinde vero induit se usque ad dalmaticam, et induunt se diaconi cardinales dalmaticis, presbyteri planetis et mitris. Tunc præsentantur domino papæ. Sciendum est quod acolythi debent recipere de altari sancti Petri unam aquaritiam olei, et fanones, et ampullas, et camerarius debet tres denarios pensati balsami. Præsentatur major ampulla cum oleo a priore diacono, et residente ipso in sede sua, mittit balsamum in ipsa ampulla, et miscet balsamum oleo cum quibusdam palmarum ramusculis. Postmodum vero reponitur ampulla super altare sancti Thomæ; quo facto, in-

[a] Nihil hic dicitur de Sabbato ante Palmas, quo potissimum die pontifex eleemosynam tribuit in memoriam facti Mariæ sororis Lazari, quæ ante sex dies Paschæ unxit pedes Domini. Ideo hæc Sabbati dies *a statione publica vacat*, ut habet vulgatus Alcuinus, *non tamen a celebratione Missæ*, quæ ex præcedentibus feriis repetitur. De fermento eodem die distribuendo lege commentarium nostrum. Hoc caput cum sequente in solo Codice regio invenimus.

[b] De hoc portatorio seu feretro actum est in commentario prævio.

duit se dominus pontifex planetam et mitram aurifrixiatam; pergitque ad Missam, præcedentibus septem cereis in septem candelabris cum processione, sicut consuevit in festivis aliis diebus.

24. Notandum vero quod faculas et candelabra curia debet dare. Introitus, *Gloria Patri*, *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis Deo*, omnia ista dicuntur. Non dicant Symbolum. Ita habetur in libro papæ [a] Gelasii. Sed nos dicimus Symbolum **179** propter consecrationem chrismatis. Pacem inter se non dent; servetur de oblatis; sanguis penitus consumatur. Irenæus: « Absit ut dissonantia festi charitatis et unitatis consonantiam corrumpat. » Omnia signa productius solito pulsentur in classicum. Cantatur *Gloria in excelsis Deo* sine Symbolo, atque dicatur *Agnus Dei* absque osculo. Post prædicationem vero domini papæ diaconi cardinales levant mensam de altari, et nudato altari ponunt eam in secreto loco; et extractis duabus ampullis cum sanguine et aqua Christi, cooperiunt ipsum altare linteo, et post Missam per quatuor angulos illud sigillatur. Cum autem Præfatio inchoatur, vadunt diaconi cardinales cum subdiaconis et acolythis pro ampullis afferendis ad benedicendum, præcedente crucem thuribulo, et duobus cereis; antequam dicatur *Per quem hæc omnia*, dominus pontifex benedicit oleum pro infirmis, sicut in Ordine continetur. Postquam vero dixerit *Pax Domini sit semper vobiscum*, communicat solus pontifex ante altare et diaconus confirmat eum cum calice illa tantummodo die. Deinde ponit calicem super altare, et patenam juxta eam, et continuo cooperit utrumque de sindone munda post corporale expansum; statimque duo acolythi tenent ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio, ita ut videri possint a medio; et veniens unus de diaconibus accipit unam ampullam de balsamo mistam, et portat archidiacono; et ille defert pontifici ante altare. Tunc pontifex respiciens ad orientem, diacono tenente ampullam ante ipsum in sinistro brachio involutam sindone, halat ter in ampullam, ut intret in consecrationem chrismatis. Et dicit excelsa voce *Sursum corda;* respondetur *Habemus ad Dominum*, *Gratias agamus*, etc., sicut in Ordine continetur. Completa Benedictione, benedicit ampullam olei, delatam ordine quo supra, et similiter halat in ipsam, sed tacite; et dicit *Dominus vobiscum.* Oratio *Deus incrementorum*, etc. Porro ampulla, quæ cum chrismate est, statim ut benedicta fuerit, cooperiatur, ut a nemine videatur; sed, diacono tenente, dominus papa salutat eam, et dicit *Ave*, *sanctum chrisma*, tribus vicibus, et osculatur eam. Acolythus vero recipit ampullam; et eo tenente, omnes per ordinem salutant nudam eam, tam episcopi quam presbyteri et diaconi. Quibus expletis, pontifex ablutis manibus venit ante altare, et communicat populum ordine suo, et servat de Sacramento in crastinum in corporali. **180** Ipsa vero die schola cum cæteris omne divinum sine organo canit officium.

25. Missa tandem finita, pontifex indutus cum cæteris ad palatium in basilica sancti Laurentii revertitur, ibique exspoliat se usque ad dalmaticam; et apposita chlamyde rubea, ipsi ad cellum sedet. Cubicularii ergo parant aquam calidam pro abluendis pedibus subdiaconorum, et ponunt pelvim coram eo; et diaconus cardinalis, qui servit ei, ponit toaleam, quam camerarius dat pro ipso servitio super genua domini papæ. Duodecim autem subdiaconi cum priore remanent extra basilicam discalceati, et schola ostiariorum et mappulariorum accipiunt priorem basilicæ et alios undecim subdiacones in ulnis suis; sicque per ordinem portant eos unum post alium ante dominum papam. Pontifex autem lavat pedes eorum, et tergit cum linteo, et postmodum osculatur, et dat unicuique duos solid. denar. Papiens.

XII. *Quomodo datur presbyterium in Cœna Domini.*

26. Prior vero basilicæ secundum consuetudinem antiquam marabotinum unum debet habere sine denariis. Interim primicerius cum cantoribus et aliis ordinibus cantant Vesperum; quo finito cantant *Dominus Jesus postquam cœnavit.* Sed dum ista geruntur, summus pontifex ita presbyterium largitur. Unicuique episcoporum Romanæ Ecclesiæ duos marabot. et duos solidos den. Papiens. Si forte archiepiscopus interesset, tantumdem. Unicuique episcoporum forensium, et presbyterorum cardinalium, et diaconorum cardinalium unum marabot. et duodecim denarios Papienses. Primicerius debet habere unum marabot. sine denariis; quisque cantorum duodecim denarios Papienses. Et notandum, quod nec schola Crucis, nec clericus alius vel laicus eadem die habet presbyterium. Manus [b] etiam prioratus nemini datur. In exitu autem basilicæ de accepto presbyterio janitoribus et cubiculariis duos denarios Papienses pro unoquoque solido, exceptis prioribus, qui non dant aliquid, quisque largitur.

27. Sicque dominus papa cum aliis omnibus supradictis vadit indutus ad basilicam Zachariæ, quæ Panetaria diebus his nuncupatur; ibique indutus cum dalmatica et pluviali, sedent ordinati **181** cum mitris, lavantes manus supra mensam, sicut moris est. Sed dominus papa solus est in mensa. Archiepiscopus vero, si adfuerit, debet ex uno latere primus sedere; deinde episcopi, et presbyteri cardinales; ex alio latere diaconi cardinales cum primicerio. Ex alio latere acolythus repræsentat librum, et minor diaconorum legit versus duos ad mensam. Comestione finita, dominus papa intrat cameram, ibique incontinenti facit Mandatum abluendo tredecim pauperibus pedes, et extergendo, et postmodum osculando. Ibi etiam camerarius est paratus, qui domino papæ porriget marabotinos singulos, singulis paupe-

[a] Nihil ejusmodi legitur in libro Sacramentorum Gelasiano, quem eruditus Thomasius publici juris fecit.

[b] Manus est presbyterium duplex, ex superiori libro Benedicti canonici, num. 21.

ribus erogandos. Hoc facto, dominus papa dat eisdem pauperibus manu propria ad potandum. His ita completis, quisque festinat ad propria remeare, et dominus papa cubiculum intrat. Sciendum quod toalea, de qua dominus papa, dum abluit pedes subdiaconorum, in basilica est succinctus, diaconi cardinalis est qui ei servit; alia vero toalea, cum qua abstergit pedes subdiaconorum, cubiculariorum cameræ est.

XIII. *Quid dominus papa facere debeat feria sexta in Parasceve.*

28. Feria sexta in Parasceve, in aurora, dominus papa facit omnes capellanos coram sua præsentia evocari, et voce mediocri cantat Psalterium; quo cantato, revertuntur capellani. Sexta vero hora dominus papa cum omnibus cardinalibus intrat basilicam [a] sancti Laurentii; et facta Oratione, ibi accedit ad altare; et aperto altari extrahit inde capita apostolorum Petri et Pauli, et duas cruces. Quæ omnia postquam dominus papa cum cardinalibus osculatus fuerit, reponit ibidem; et accepta una cruce, et iterum sigillato altari, unus presbyterorum cardinalium crucem accipit, et sic vadit usque ad ecclesiam Lateranensem, sine aliquo cantu et Psalmis; factaque ibi Oratione ascendit cathedram post altare. Tunc dominus papa induit quadragesimalia indumenta, et excalceatur. Episcopi vero induunt pluvialia, presbyteri autem cardinales et diaconi, atque subdiaconi, induunt planetam. Et deinde juniori presbytero cardinali accepto corpore Christi in capsella ante pectus suum hesterna die reservato, et **182** alio prædictam crucem accipiente, et subdiacono regionario cum populo suo præcedente, omnes discalceati cum domino papa et primicerio, sine cantu psallendo psalterium pergunt ad sanctam Crucem. Episcopus vero hebdomadarius remanet ad faciendum officium in basilica Lateranensi. Pontifex autem cum ad ecclesiam venerit, et ecclesiam ipsam sine cantu intraverit, et diutius coram crucibus oraverit, intrat cum omnibus aliis claustrum, et vadit ad secretarium; et exuta planeta cum pallio, mappularii habentes aquam calidam paratam abluunt pedes ipsius, et eo sedente in sede, ministri calceant eum, non sandalia, sed quotidiana calceamenta, et induunt planetam et palleum; et sic ad altare cum Processione accedit, præeunte eum cruce et Evangelio, sine luminaribus et incensu cum silentio.

29. Sed notandum quod dominus papa cum Processione non debet ire ad altare ante cruces more solito, sed per viam quæ est in capite chori, juxta gradus altaris. Unus autem de ministris apponit unam sindonem tantum super altare nudatum, et osculato altari, dominus papa ascendit sedem; et statim subdiaconi ascendentes pulpitum, legunt more lectionis prophetiam sine titulo; et cætera sicut in Ordine continetur fiunt. Postmodum diaconus cardinalis, non osculatis pedibus, facta reverentia, ascendit pulpitum nudum, et ibi sine faculis et incenso incipit Passionem hoc modo, *Passio Domini nostri*, etc. Cum autem venerit diaconus ad locum ubi dicitur: *Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph*, etc., acolythi repræsentant ex more thuribulum cum incenso, et portant ad Evangelium; finitoque Evangelio, subdiaconus repræsentat domino papæ Evangelium ad osculandum; quo facto, dominus papa dicit Orationes. Cum autem ad Orationem Judæorum venerit, non dicitur *Flectamus genua*, quia ipsi hac die Dominum irridendo genua flectebant. Ecclesia illorum horrescens facinus, genua pro ipsis non flectit in Oratione. Finitis Orationibus, pontifex procedit ad altare, et adorat crucem cum aliis, sicut in Ordine continetur. Sciendum tamen quod, secundum antiquam consuetudinem, quidquid super crucem offertur scholæ Crucis debet esse. Osculata vero cruce a clero et populo, dominus papa revertitur ad altare; et facta confessione, sine capitulo, sine incenso, et sine osculo Evangelii, communicat de corpore Christi, **183** quod cardinales adducunt. Et notandum quod hodie *Pax Domini* non dicitur, *Agnus Dei* non cantatur, neque pacis osculum datur, neque postcommunio canitur. Sciendum vero quod acolythi repræsentant incensum ad calicem. Pontifex etiam non communicat ad sedem, sed ante altare ob humilitatem reverentiæ Dei et Passionis Christi; expletoque officio, exuit se cum aliis ordinibus, et cantat ibi Vesperas in die Jovis recitatas. Et deinde revertitur ad palatium; et intrans basilicam sancti Laurentii, crucem quam acceperat ab altari reponit, et hinc ad cameram suam accedit. Et notandum quod dominus papa eadem die nulli de familia sua vinum dat ad potandum, nec coctum ad comedendum; dat vero eis tantummodo panem et aquam, et herbas de consuetudine. Hac die ecclesia sanctæ Crucis non dat faculas.

XIV. *Quid debeat dominus papa facere in Sabbato sancto.*

30. In Sabbato sancto, hora sexta efficitur novus ignis in atrio ante portas Lateranensis ecclesiæ, et benedicitur a juniori presbyterorum cardinalium, cum incenso et aqua benedicta. Deinde pergunt in ecclesiam cum novo igne posito in canna, et diaconus dicit *Lumen Christi*, tribus vicibus; postmodum cereus benedicitur ab ipso diacono. Leguntur duodecim lectiones Latinæ, et duodecim Græcæ, et cantantur tria cantica: *Cantemus Domino gloriose*; et *Vinea facta est*; *Attende, cœlum*. Finito hoc officio, dominus pontifex descendit ad fontem, cum diaconis et subdiaconis regionariis, cantando litanias; primicerius cum schola cantando *Sicut cervus*, usque in porticum sancti Venantii. Ibi præparato faldistorio pontifex sedet. Cardinales autem, qui remanserunt in choro, exeunt per posterulam post absidam, et intrant per porticum sancti Joannis, et veniunt ad præsentiam domini papæ. Prior autem induit se, et dicit *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit eum. Progrediens parum facit similiter, et benedicit

[a] Hæc basilica sancti Laurentii adhæret palatio Lateranensi.

tertia vice eum similiter. Benedicit eum pontifex, et dicit *Ite, baptizate omnes gentes*. Cardinales vero ita induti cum equitatibus revertuntur ad titulos suos. Tunc pontifex surgit, et vadit ad ecclesiam sancti Joannis evangelistæ, et aliquantulum requiescit ibi. Deinde procedit ad fontes, et benedicit eos. Hoc facto, revertitur ad eamdem ecclesiam, **184** ibique exuit se de pallio et planeta, et induit bracalia [a] cerata; et revertitur ad fontes, et baptizat tres parvulos; et junior diaconus baptizat cæteros cum canonicis Lateranensibus. Postmodum pontifex ad locum chrismandi revertitur, et chrismat tres infantes. Sic itaque ablutis manibus, cum litania facta a subdiaconis regionariis regreditur ad altare ante ecclesiam sancti Pancratii; ibique modicum quiescit, et induit planetam.

31. Interim vero diaconi cardinales reportant mensam altaris, et aptant eam super ipso altari, sicut prius fuerat. Pontifex autem cum Processione et litania vadit ad altare, et celebrat Missam. Sciendum quod in Missa septem faculæ cum septem candelabris sunt; sed non dicit *Credo in unum Deum*, nec offerendam, nec *Agnus Dei*, neque communionem. Porro post Epistolam, ipse pontifex nuntiat *Alleluia*. Primicerius cum schola cantat eam in pulpito. Ad Evangelium vero non vadunt faculæ accensæ. Ad Vesperam autem dicitur *Alleluia*, Psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes;* Antiphona *Vespere autem Sabbati;* Oratio; *Ite, Missa est*.

XV. *Quid dominus papa facere debet in die Paschæ.*

32. In die Paschæ mane post Primam indutus albo pluviali Romanus pontifex, cum diaconis cardinalibus indutis, cum subdiaconis cæterisque minoribus ordinibus, dalmaticis, et mitris, et tunicis indutis, et capellanis suis, vadit ad basilicam sancti Laurentii. Presbyteri cardinales induunt se planetis, episcopi pluvialibus in loco qui dicitur basilica sancti Gregorii, ubi post Orationem induitur usque ad dalmaticam; et exsurgens, ingreditur ad adorandum Salvatorem. Aperit imaginem, osculatur pedes Salvatoris, dicens alta voce tribus vicibus *Surrexit Dominus de sepulcro;* et omnes ei respondent: *Qui pro nobis pependit in ligno. Alleluia*. Tunc acolythi ponunt crucem capellæ super altare, et dominus papa adorat eam. Post osculationem Salvatoris, cum omnibus aliis deinde redit ad sedem, et dat pacem archidiacono redeunti **185** ab osculo pedum ejus imaginis, dicens *Surrexit Dominus vere;* et ille respondet *Et apparuit Simoni*. Secundus quoque diaconus, osculatis pedibus Salvatoris, accedit ad pacem summi pontificis et archidiaconi, et ponit se in filo; cæteri vero diaconi cardinales similiter faciunt. Deinde primicerius cum cantoribus eo modo ad pacem vadit, et in filo se dirigit. Prior quoque basilicæ cum diaconis similiter; postmodum subdiaconi regionarii cum acolythis et capellanis, et alus palatinis ordinibus, eodem modo pacem faciunt. Interim schola canit *Crucifixum in carne*, et *Ego sum alpha et omega*.

33. Completa pace, pontifex induit planetam albam, pallium, et mitram solemnem; descendensque de palatio usque ad exitum porticelli, ubi albus palafredus cum nacco scarlatæ superposito et argenteo freno solemniter præparatus est a magistro senescalco, et ab adextratoribus, imponitur ei regnum ab archidiacono; et ita coronatus palafredum ascendit, et equitando incedit, præcedentibus in ordine suo bandulariis, archiepiscopis, episcopis, cardinalibus presbyteris, abbatibus, subdiaconis, diaconis cardinalibus, et subsequentibus præfecto aliisque nobilibus Romanorum, usque ad sanctam Mariam Majorem, sicut et superius in festo sancti Stephani enarratur. Cum autem per Merulanam transierit, scriniarius in loco antiquitus constituto ei obviat, et alta voce dicit, *Jube, domne, benedicere*. Pontifex benedicit eum, et scrinarius dicit: *In ecclesia beatæ Mariæ in hac nocte baptizati sunt tot pueri masculi et tot feminæ*. Pontifex respondet *Deo gratias*. Tunc autem scrinarius suscipit a camerario pro nuntiatione unum marabotinum. Similiter fit apud Sanctum Petrum in secunda feria. Perveniente autem pontifice cum Processione ad porticum sanctæ Mariæ, descendit ad Petram papalem, in loco antiquitus constituto; et deposito regno ducitur a judicibus ad ecclesiam; et suscepta Processione a canonicis ipsius ecclesiæ, et facta Benedictione, vadit ad secretarium; exuensque pallium et planetam, posito pluviali super humeros incipit Tertiam. Finita vero Tertia, prior episcoporum, qui ei servire debet in Missa, ducitur ante pontificem a duobus episcopis; et tertio postulata Benedictione, accedit ad pacem pontificis, et surgens ponit se in ordine ad dextrum latus ejus. Deinde secundus episcopus accedit ad pacem pontificis, **186** et porrigens osculum priori suo, stat in filo ab alio latere pontificis. Cæteri vero episcopi similiter faciunt, accedendo ad pacem pontificis, et ponendo se in filo. Prior quoque presbyterorum cardinalium ductus ante pontificem a duobus presbyteris, et tertio postulata Benedictione, accedit ad pacem pontificis et episcoporum, et dirigit se in filo. Subsequuntur cæteri presbyteri cardinales; præfectus quoque, judices, præfecti navalium, advocati, scrinarii, senatores, majorentes, qui vocantur schola Stimulati, ac cæteri laici majores et minores, in ordine suo ad pacem suscipiendam. Postmodum vero surgunt duo subdiaconi basilicarii et accipientes priorem subdiaconum regionarium, per manus eum adextrant ab introitu secretarii usque ad medium atrii, ante pontificem; qui alta voce dicit, *Jube, domne, benedicere*, tribus vicibus; et tertio Benedictione suscepta a pon-

[a] Ita etiam legit Panvinius. An femoralia cerata? Lege Anastasium in Vita Adriani papæ, ubi Carolus Magnus Romam ingressus Sabbato, *in basilica Salvatoris juxta Lateranum* dicitur stetisse, *quousque baptismatis sacramentum pontifex perficeret*, quod Onufrius notavit. Vide ibidem eumdem Anastasium de sequentibus diebus.

fice, subjungit, *Servi Domini nostri Jesu Christi*, tribus vicibus; et dicit: *Dominus archidiaconus legat Evangelium, subdiaconus legat Epistolam, primicerius et cæteri cantores cantent.*

34. His vero completis, surgit pontifex, et resumpta planeta, pallio et mitra, processionaliter vadit ad altare, et incipit Missam de more. Post Orationem vero, antequam legatur epistola, descendit archidiaconus cum diacono et subdiacono, et ordinate stant juxta altare in duobus filis, scrinariis vero stantibus cum pluvialibus; et tunc archidiaconus cum diacono et subdiacono, et aliis ordinibus, incipit laudes alta voce, et alii respondent, sicut superius scriptum est in festo beati Stephani. Finitis vero laudibus, legitur Latina Epistola prius, et postmodum Græca; et Evangelium Latinum et Græcum. In secreta vero, cum præfatio incipit, descendunt duo diaconi cum duobus subdiaconis deorsum, et stant in fronte altaris ordinatim cum silentio; quando autem pontifex dicit *Pax Domini sit semper vobiscum*, nullus ei respondet; et tunc diaconus et subdiaconus revertuntur superius.

35. Finita vero Missa coronatur, reditque cum Processione ad palatium, sicut supra dictum est, in supradicto festo sancti Stephani; et acceptis laudibus a cardinale sancti Laurentii, ducitur a primicerio et secundicerio judicibus cum mitra in basilica magna Leoniana, quæ dicitur Casa Major, ubi sunt præparata undecim scamna circa mensam pontificis, presbyteris, **187** diaconis, primicerio; et lectus ipsius pontificis ibidem solemniter præparatus in figura undecim apostolorum recumbentium circa mensam Christi. Transiens pontifex per ipsam basilicam intrat cameram; ubi recepto presbyterio a camerario in scypho argenteo, et dato sicut in Nativitate Domini, surgit et ducitur a magistro senescallo et pincerna ad locum qui dicitur Cubitorium; ibique a juniori presbytero cardinali agnus assus benedicitur; et exinde redit ad præparatum lectum mensæ. Et accipiens idem pontifex parum de ipso agno, porrigit priori basilicario sedenti in subsellio ante lectum ipsius, dicens: *Quod facis, fac citius; sicut ille accepit ad damnationem, tu accipe ad remissionem.* Reliquum vero agni distribuit discumbentibus et aliis circumstantibus. In medio vero convivii surgit unus de diaconis cardinalibus de mandato archidiaconi, et legit ad mensam. Finito autem convivio, cantores prosam cantant, quæ sit conveniens Paschæ, de mandato pontificis. Postea vero descendit in ecclesiam Lateranensem ad Vesperas, sicut continetur in Antiphonario. Celebratis tribus Vesperis in basilica Salvatoris, et ad Fontes, atque ad sanctam Crucem, revertitur ad porticum sancti Venantii; ibique sedet cum episcopis, cardinalibus cæterisque ordinibus, et aliis tam laicis quam clericis, in terra super tapeta residentibus. Deinde propinatur sibi claretum vinum, et omnibus circumstantibus, ab archidiacono et aliis pincernis.

36. Interim vero primicerius cum cantoribus surgit, et canit prosam Græcam hujusmodi: [a] Πάσχα ἱερὸν ἡμῖν σήμερον ἀνεδειχνύσθη, πάσχα καινὸν, ἅγιον πάσχα, μυστικὸν πάσχα, πανσέβασμον πάσχα Χριστοῦ τοῦ λυτρωτοῦ, πάσχα ἄμωμον, πάσχα μέγα, πάσχα τῶν πιστῶν, πάσχα τὰς πύλας ἡμῖν τοῦ παραδείσου ἀνέῳγε, πάσχα πάντας ἀναπλάττων βροτοὺς, καινὸν Πάπαν Χριστὲ φύλαξον. Et his decantatis, omnes ad propria revertuntur.

XVI. *Quid debeat facere dominus papa in secunda die Paschæ.*

37. In secunda feria post Pascha summo mane dominus pontifex **188** congregatis omnibus palatinis ordinibus in palatium, et descendens per porticum, et inveniens equum non faleratum, sed sicut moris est, pergit ad sanctum Petrum; ibique celebrata Missa de more, et laudibus atque solemnitatibus universis, sicut hesterna die, peractis, coronatur ad gradus basilicæ; revertitur Lateranum; et eo incipiente equitare, senescallus post eum vadens facit de denariis jactum unum, ut sic multitudo populi, quæ impedimentum præstat domino papæ, removeri possit, denariis ipsis colligendis intendens. Postquam vero dominus papa pervenit ad turrim Stephani Serpetri, quæ est in capite Parionis, unus de curialibus domini papæ existens in ipsa turri facit ibi unum jactum ob causam suprascriptam. Cum autem dominus papa ad palatium Centii Muscæ in Punga [*Al.*, Perunga] in via de Papa venerit, similiter quidam de curialibus ascendit palatium, et facit unum jactum ob memoratam causam. Quando autem pervenit ad sanctum Marcum, quidam simili modo de curialibus, et ob eamdem causam facit ibi quartum jactum. Cum vero pervenerit ad sanctum Adrianum, quidam alius de curialibus ascendit palatium sanctæ Martinæ, et facit ibi quintum jactum ob memoratam causam.

38. Sciendum tamen quod domino papæ ante turrim primo dictam Judæi occurrunt, et ei legem suam præsentant, faciuntque laudes; pro quibus laudibus recipiunt a camerario in presbyterium viginti solid. provesinos. Notandum præterea quod a sancto Petro usque ad palatium domini papæ fiunt arcus a Romanis honorabiles in via per quam transit; et clerici omnes Romani occurrunt eidem induti undecunque possunt cum thuribulo; in remunerationem cujus honoris Romanis pro arcubus datur presbyterium triginta quinque librarum provesinarum et dimidiæ; clericis vero pro thuribulis triginta trium librarum provesinarum, ut in sequentibus plenius apparebit. Cum vero dominus papa ad palatium venerit, et laudibus factis a cardinali sancti Laurentii et judicibus, descendens, regno deposito, ducitur in pala-

[a] Interpretatio ad verbum: *Pascha sacrum nobis hodie ostensum est, Pascha novum, sanctum Pascha, mysticum Pascha, maxime venerabile Pascha Christi redemptoris, Pascha immaculatum, Pascha magnum Pascha fidelium, Pascha portas nobis paradisi reseravit, Pascha omnes reformans mortales, novum Papam, Christe, conserva*

tium a primicerio et secundicerio; et intrans cameram dat presbyterium absque manibus, sicut in die sancti Stephani; et deinde ducitur, sicut hesterna die, ad convivium. Sed hodie in basilica Leoniana, quæ est juxta cameram, celebratur. Finitoque convivio, descendit ad ecclesiam Lateranensem; et celebratis tribus vesperis, **189** et propinato clareto et aliis, sicut hesterna die, omnes ad propria revertuntur.

XVII. *De presbyterio quod datur pro arcubus; quomodo, et quibus detur.*

39. Presbyterium triginta quinque librarum, quod est superius nominatum, datur illis qui arcus faciunt; distribuitur tali modo. In primis magistris sancti Petri, qui super gradibus arcum faciunt ferramentorum, XII sol. provesini. A Pallеariis usque ad sanctum Gregorium XIV sol. provesini. A Negotiatoribus usque ad Fiolarios XLII sol. proves. A sancto Gregorio usque ad viculum XV sol. proves., scilicet a Fiolariis usque ad porticum Romanum Marci VI sol. proves. Deinde usque ad Pisces VIII sol. proves. Deinde usque sub Fontanam VIII sol. proves. A Fontana per totum alium porticum X sol. proves. In castello Crescentii VI sol. proves. In Ponte II sol. proves. A domo Stephani Theobaldi usque ad sanctum Celsum III sol. proves. Deinde usque ad arcum, ubi est domus Joannis Pauli, XXVIII sol. proves. Deinde usque ad domum Stephani de Girone X sol. proves. Deinde usque ad domum Stephani Nizot XXVII sol. proves. Deinde usque ad domum, quæ est Marmorata, XX sol. proves. Deinde per totam regionem Pariomis VI lib. proves. Deinde usque ad domum Maximi XII sol. proves. Deinde usque ad turrim Odonis Boni Filii X sol. proves. Deinde usque ad domum Falconcellorum X sol. proves. Deinde usque ad domum Joannis cum Zoccolis cum casalino Nicolai de Hugone X sol. proves. Deinde usque ad dominum Gonzii VI sol. proves. Deinde usque ad viam de Calcariis VI sol. proves. Deinde usque ad domum Joannis de Cæsario XXIV sol. proves. et gratis IV sol. proves. Deinde usque ad Amygdalam X sol. proves. Ab Amygdala usque ad sanctum Laurentium pensilem X sol. proves. Ad porticum sancti Marci XI sol., in porticu II sol. Deinde usque ad domum Nicolai Gazzi VII sol. proves. Deinde ad angulum quatuor columnarum VII sol. proves. Deinde usque ad Gizubam VII sol. proves. Deinde usque ad domum Nicolai Ferri V sol. proves. Deinde usque ad arcum de Cairande IX sol. proves. Ab arcu usque ad porticum sancti Cosmæ V sol. proves., cum monasterio, cui dantur duo sol. Oliverico II sol. proves. Joanni de Anagnia IV den. Joanni de Roberto II sol. proves. Phoca Manietti **190** XVI den. Clericis sancti Cosmæ II sol. Theophylacto II sol. proves. In loco ubi fuerunt salacia fragmina pannorum, III sol. proves. Romano de Bonella XII den. Joanni Adulterino II sol. proves. Citæ VIII den. Joanni de Tinto VI den. In domo Joannis de Gregorio VI den. In domo Saisonis Macellarii VIII den. In domo Gregorii de Benedicta II sol. proves. In domo Dodæ XII den. In domo Ptolomæi V den. In domo Rainucii de Franco V den. In domo Rainucii de Conella VI den. In domo Michinæ IV den. In domo Benedictæ de Pagano XII den. In domo Adelasiæ VIII den. In horto II sol. in domo Scriniarii V sol. proves. Joanni Machino pro domo sua et nepotis XX den. pro domo Petri de Mantino VIII den. In domo Petri de Paulo XII sol. prov. Familiæ Fraipanorum de Cartularia VII sol. den. proves. In domo Sansonis Mauchino II sol. proves. In domo Sansonis de Olianta XII den. In domo Brobotiani XII sol. proves. In domo Romani de Petro Ocilenda XII den. In domo Joannis Wigarelli VIII den. In tota domo Balnei II sol. prov. In domo Gerardi II sol. proves. In domo Grisoli VIII den. In domo Ulixæ XII den. In domo Joannis de Benedicto IV den. In domo Mariæ Joannis de Rainucio IV den. In domo Esoni Lornarii IV den. In domo Mariæ de Mancino IV den. In domo Regiminæ IV den. In domo Benedicti de Romano IV den. In domo Uxi presbyteri IV den. In domo Benedictæ IV den. In domo Joannis de Gregorio XVIII den. In domo Petri de Roberti XXX den. In domo Romani Crassi XXX den. In domo Robatiani Romani de Rainucio VI den. In domo Odonis Romani Crassi XXX den. In domo Marmoratæ usque ad Sambucas X sol., et dehinc usque ad sanctum Nicolaum de Colissæo V sol. den. prov. Deinde usque ad sanctam Mariam de Ferrariis X sol. Deinde usque ad domum Joannis papæ VII sol. proves. Deinde usque ad angulum sancti Clementis VIII sol. prov. Ab angulo ipso usque ad palatium Lateranense XV sol. Et licet horum nomina transacta sint, et termini sive signa mutata; nihilominus tamen presbyterium ipsum, sicut prædiximus, per loca dividitur supra scripta.

XVIII. *De presbyterio pro thuribulo dato; quibus et quomodo detur.*

40. Hoc est presbyterium superius nominatum, quod datur presbyteris Romanis pro thuribulo. Ecclesiæ beati Petri VIII **191** sol. Sanctæ Mariæ Majori III sol. Sancto Joanni Lateran. IV sol. Sancto Laurentio in Lucina II sol. Sancto Marcello II sol. Sancto Marco II sol. Sancto Laurentio in Damaso II sol. Sancto apostolo Petro ad Vincula II sol. Sancto Martino in Montibus II sol. Sanctæ virgini Praxedi II sol. Sancto Eusebio II sol. Sanctæ Pontianæ II sol. Sancto Vitali II sol. Sanctæ Susannæ II sol. Sanctæ Cruci II sol. Sancto Stephano in Cælio monte II sol. Sanctis Joanni et Paulo II sol. Sanctæ Priscæ II sol. Sancto Sixto II sol. Sancto Nereo II sol. Sanctæ Balbinæ II sol. Sancto Clementi II sol. Sanctæ Anastasiæ II sol. Sancto Cyriaco II sol. Sanctæ Sabinæ II sol. Sanctis Petro et Marcellino II sol. Sanctæ Mariæ in Transtiberim II sol. Sancto Chrysogono II sol. Sanctæ Cæciliæ II sol. Sanctæ Mariæ in Dominica II sol. Sanctæ Luciæ in Septem soliis XVIII den. Sanctæ Mariæ Novæ XVIII den. Sanctæ Luciæ in Sili e XVIII den. Sancto Vito XVIII den. Sancto Gosmato XVIII den. Sancto Adriano XVIII den. Sanctis Sergio et Baccho XVIII den. Sancto Theodoro XVIII den. Sancto

Georgio ad Velum Aureum xviii den. Sanctæ Mariæ Scholæ Græcæ xviii den. Sanctæ Mariæ de Porticu xviii den. Sancto Nicolao de Carcere xviii den. Sancto Angelo Piscium venditorum xviii den. Sanctæ Agathæ xviii den. Sanctæ Mariæ in via Lata xviii den. Sanctæ Mariæ in Aguiro xviii den. Sancto Eustachio xviii den. Sancto Laurentio in Miranda ii sol. Monasterio Palladii ii sol. Monasterio Agathæ ii sol. Sanctis Quatuor ii sol. Sancto Cæsario Græcorum ii sol. Sanctæ Mariæ in monasterio ii sol. Monasterio dominæ Rosæ ii sol. Sanctæ Trinitatis Scotorum ii sol. Monasterio de Villa xviii den. Monasterio sancti Pancratii ii sol. Sancto Blasio Gatru Secuta ii sol. Sancto Blasio xviii den. Sanctæ Mariæ in Capitolio ii sol. Sancto Vincentio xviii den. Sancto Sergio Palatii Caruli xii den. Sancto Stephano Nuzino xii den. Sancto Salvatori Torrionis vi den. Sancto Zenoni vi den. Sancto Martino Bergariorum vi den. Sancto Justino vi den. Sancto Peregrino vi den. Sancto Ægidio vi den. Sancto Gregorio de Curtina vi den. Sancto Laurentio Piscium vi den. Sancto Martino de Curtina vi den. Sancto Salvatori Coxæ caballi vi den. Sancto Michaeli vi den. Sanctæ Mariæ Saxiæ vi den. Sanctæ Mariæ Transpontinæ vi den. Sancto Abbacyro xii den. Sancto Salvatori Miliciarum vi den. Sancto Nicolao Funariorum vi den. **192** Sancto Andreæ inde vi den. Sanctæ Mariæ Canapariæ vi den. Sanctæ Mariæ de Guinizzo vi den. Sanctæ Mariæ de Macello vi den. Sanctæ Mariæ Arcus aurei vi den. Sanctis Petro et Marcellino vi den. Sancto Andreæ Transtiberim vi den. Sanctæ Mariæ in Turri Transtiberim vi den. Sanctæ Bonosæ vi den. Sancto Laurentio de Piscinula vi den. Sanctæ Mariæ de Capella vi den. Sancto Benedicto in Piscinula vi den. Sancto Salvatori Pedemontis xii den. Sanctæ Agatæ Transtiberim vi den. Sancto Stephano inde vi den. Sancto Blasio de Mercato vi den. Sanctæ Mariæ in Prætorio ii den. Sancto Salvatori Trium imaginum vi den. Sancto Triphoni xii den. Sancto Stephano de Pila vi den. Sancto Nicolao Macelli vi den. Sanctæ Mariæ Rotundæ xviii den. Sanctæ Mariæ Campitelli vi den. Sancto Salvatori de Cere vi den. Sanctæ Virgini Mariæ de arca Noe vi den. Sancto Joanni de campo Turriclano vi den. Sancto Celso xvi den. Sancto Anastasio de Trivio vi den. Sancto Andreæ de Mortarriis vi den. Sanctæ Mariæ de Cannella vi den. Sanctæ Mariæ Balneapolim vi den. Sancto Salvatori Divitiarum vi den. Sanctæ Mariæ cunctis donæ Micinæ vi den. Sanctæ Mariæ in Tofella vi den. Sancto Laurentio de Muso vi den. Sancto Nicolao de Marmoratis vi den. Sancto Laurentio de Bascio vi den. Sancto Anastasio inde vi den. Sanctæ Annæ vi den. Sancto Salvatori in Marmorata vi den. Sanctæ Mariæ de Gradella vi den. Sancto Gregorio de Gradella vi den. Sanctæ Mariæ Secundicerii vi den. Sancto Gregorio de Ponte vi den. Sancto Laurentio a flumine vi den. Sancto Stephano Rotundo vi den. Sancto Laurentio Modezzarii vi den. Sancto Geminiano vi den. Sancto Gregorio Græcorum vi den. Sanctæ Mariæ Joannis Bovis vi den. Sanctæ Mariæ de Vallicella vi den. Sancto Sergio de Forma vi den. Sancto Joanni de Insula vi den. Sancto Bartholomæo xviii den. Sanctæ Martinæ xviii den. Sanctæ Mariæ in Minerva xii den. Sanctæ Mariæ in Cambiatoribus vi den. Sanctis Abdon et Sennen vi den. Sancto Pantaleoni muri Clibanorum vi den. Sancto Silvestro in Biberatica vi den. Sancto Thomæ de Parione vi den. Sancto Mamiato vi den. Sanctæ Cæciliæ de Taffo vi den. Sancto Sebastiano de via Papæ vi den. Sancto Blasio Acceptorum vi den. Sancto Joanni de Horrea vi den. Sancto Petro inde vi den. Sancto Andreæ de Columna vi den. Sancto Andreæ de Ursa vi den. Sancto Stephano de Curte vi den. Sancto Andreæ de Curtis **193** vi den. Sancto Blasio Curtium vi den. Sancto Benedicto de Piscina vi den. Sancto Andreæ Putei de Proba vi den. Sancto Mauro xii den. Sancto Nicolao Forbitorum, vi den. Sancto Salvatori Scotorum vi den. Sancto Nicolao de Trivio vi den. Sancto Thomæ de Spanis xii den. Sancto Andreæ, inde, vi den. Sancto Laurentio Biberaticæ vi den. Sancto Salvatori, inde, vi den. Sancto Anastasio Ariolæ vi den. Sancto Salvatori Sibura vi den. Sancto Salvatori Maximinorum vi den. Sanctæ Cæciliæ Cencii Pantaleonis vi den. Sanctæ virgini Eugeniæ Suburræ vi den. Sancto Joanni Portæ Latinæ xii den. Sancto Leoni inde xviii den. Sancto Thomæ Fraternitatis xviii den. Sancto Valentino Bomomizimo vi den. Sancto Salvatori Cacabari vi den. Sanctæ virgini Mariæ inde vi den. Sancto Simeoni de Pusterula vi den. Sancto Calixto Transtiberim vi den. Sanctæ Rufinæ vi den. Sancto Blasio vi den. Sancto Angelo in Janiculo vi den. Sancto Joanni de Posta vi den. Sancto Silvestro vi den. Sanctis Quadraginta vi den. Sancto Laurentio de Curtibus vi den. Sancto Salvatori de Rota Colizæi vi den. Sancto Stephano vi den. Sancto Salvatori Primicerii vi den. Sancto Petro Motæ [*Al.*, in Monte Aureo] vi den. Sanctæ Luciæ de Pinea vi den. Sancto Martino de Maximo vi den. Sancto Joanni Crib. plumbi vi den. Sanctæ Mariæ de Foria vi den. Sancto Laurentio de Porto vi den. Sanctæ Mariæ in Via vi den. Sancto Cosmæ de Pinea vi den. Sancto Anastasio de Pinea vi den. Sanctæ Cæciliæ Nicolai Marescalci vi den. Sancto Nicolao Arsionum vi den. Sancto Laurentio de Calcario vi den. Sancto Silvestro de Thermis vi den. Sancto Salvatori de Caballo vi den. Sancto Martino de Pinarella vi den. Sanctæ Mariæ in Campitello.... Sancto Hippolyto vi den. Sanctæ Virgini Mariæ de Berta vi den. Sancto Salvatori Curtium vi den. Sanctæ Barbaræ vi den. Sancto Stephano de Caballo vi den. Sancto Andreæ in Pallacina vi den. Sanctæ Mariæ in Publico vi den. Sancto Nicolao de Formis vi den. Sancto Cosmæ sanctæ Mariæ Majoris vi den. Sancto Adriano in Massaio Juliana sanctæ Mariæ Majoris vi den. Sancto Adriano Marsaio sanctæ Mariæ Majoris vi den. Sancto Nicolao de Columna Adriani vi den. Sancto Apollinari xviii den. Sancto Joanni de Pinea vi den. Sancto Salvatori de Deo Campo vi den. San-

cto Nicolao de Pinea VI den. Sancto Stephano de Piscina VI den. Sancto Martino de Pila VI den. **194** Sancto Danieli de Forma VI den. Sanctæ Mariæ in Posterula VI den. Sanctæ Cæciliæ Stephani de Petro VI den. Sanctæ Mariæ Fluminum VI den. Sancto Benedicto Scunchio VI den. Sancto Saturnino de Caballo VI den. Sancto Nicolao Melienorum VI den. Sanctæ Mariæ de Curte VI den. Sancto Benedicto de Cacabis VI den. Cellæ de Franssa VI den. Sancto Tatiano VI den. Sancto Euterio VI den. Salvatori de Gallia VI den. Sanctæ Agneti Agonis VI den. Sancto Nicolao, inde, VI den. Sancto Martino de Monticello VI den. Sancto Salvatori de Lauro VI den. Sancto Nicolao Calcariorum VI den. Sancto Bartholomæo Joannis Gaietani VI den. Sancto Salvatori de Præfecto VI den. Sancto Martino de Monteria VI den. Sancto Quirico VI den. Sanctæ Mariæ Hastariorum VI den. Sanctis Quadraginta Calcariorum VI den. Sancto Nicolao Gregorii Cencii VI den. Sancto Blasio Milonis Saraceni VI den. Sancto Salvatori de Insula et Colisæo VI den. Sancto Sergio de Suburra VI den. Sancto Silvestro VI den. Sanctæ Virgini Mariæ de Aguarichariis VI den. Sancto Sixto de Gallis Alberti VI den. Sancto Angelo de Augusto VI den. Sancto Blasio de Puna [*Al.* de Prima] VI den. Sancto Andreæ Arcus Auri VI den. Sancto Pantaleoni VI den. Sancto Stephano Orphanotrophii VI den. Sancto Salvatori Inversorum VI den. Sanctæ Mariæ de Ferrariis VI den. Sancto Nicolao de Colosso VI den. Sanctæ Mariæ de Monticello VI den. Sanctæ Virginis Mariæ de Catenariis XII den. Sancto Joanni de Ficossia VI den. Sancto Stephano Arsionum VI den. Sancto Andreæ de Suburra VI den. Sancto Urso VI den. Sancto Blasio de Oliva VI den. Sancto Nicolao Præfecti VI den. Sancto Salvatori Baroncinorum VI den. Sancto Nicolao de Tofo VI den. Sanctæ Cæciliæ Campi Martis VI den. Sancto Benedicto Ariolæ VI den. Sancto Cæsario de Appia VI den. Sancto Thomæ Vinearum VI den. Sancto Andreæ Joannis Ancillæ Dei VI den. Sanctis Quadraginta Colisæi VI den. Sancto Joanni in Argina VI den. Sanctæ Mariæ Inter duas Vias. VI den. Sanctæ Luciæ de Confinio VI den. Sancto Blasio de Arrersao [*Al.*, Ascesa] VI den. Sancto Felici in Pinciis VI den. Sancto Paulo de Areola VI den. Sancto Nicolao de Hospitali VI den. Sancto Nicolao de Furca VI den. Sancto Stephano de Capite Africæ VI den. Sanctæ Mariæ in Foro VI den. Sancto Cosmæ Montis Granatorum VI den. Sancto Andreæ Milonis Saraceni VI den. Sanctæ Marinæ VI den. Sanctæ Mariæ de Manu VI den. Sanctæ Mariæ in Posterula **195** VI den. Sancto Stephano de Pinea VI den. Sancto Laurentio Nicolai Nazonis VI den. Sancto Salvatori de bono Ecclesiæ... Sanctæ Mariæ in Monasterio VI den.

11. Istæ sunt ecclesiæ quæ sunt ignotæ, et sine clericis : Sanctæ Mariæ in Suessia VI den. Sanctæ Virgini Mariæ in Campo Cano VI den. Sancto Cæsario VI den. Sancto Salvatori Joannis Bovis VI den. Sancto Erasmo VI den. Sancto Thomæ de Castro VI den. Sancto Blasio de Citello VI den. Sancto Bartholomæo Lateran. VI den. Sancto Laurentio sancti Cyriaci VI den. Sancto Laurentio Arsionum VI den. Sancto Marcello de Taurello VI den. Sanctæ Mariæ in Campicaro Leonis VI den. Sancto Andreæ de Caballo VI den. Sanctæ Luciæ Caplum Secuta VI den. Sanctæ Mariæ in Majureate VI den. Sancto Laurentio Oculi Bovis VI den. Sancto Vito in Campo VI den. Sancto Nicolao de Alvioto VI den. Sancto Cæsario Græcorum VI den. Sanctæ Mariæ in Turri VI den. Sancto Gregorio de Massa VI den.

XIX. *Quibus scholis datur presbyterium, et quantum.*

12. Hoc est presbyterium scholarum Urbis, quod eisdem scholis in festo Nativitatis Domini et Paschæ per manus camerarii datur in tanta quantitate, sub tali numero. In festo Paschæ Domini, in Nativitate ejusdem, et e converso annis singulis, sine diminutione donatur.

Adextratoribus decem sol. proves. et duo sol. pro regno. Ostiariis decem sol. proves. Mappulariis quinque sol. proves. et XII den. pro toalea. Majorentibus quinque sol. proves. Cubiculariis quatuor sol. proves. Vastarariis quatuor sol. proves. Fiolariis quinque sol. proves. Ferrariis pro columm. quatuor sol. proves. Calderariis quatuor sol. proves. Bandonariis colossei decem sol. proves. Cospalariis quatuor sol. proves. Mandatariis decem sol proves. Muratoribus sancti Petri octo sol. proves. Carbonariis octo solid. proves. Aliis muratoribus quinque sol. proves. Baudonariis cacabarii decem sol. proves. **196** Judæis viginti solid. proves.

Notandum quod presbyterium supradictum prædictis scholis donatur propter servitium quod exhibent curiæ Romanæ, ut inferius subscribetur.

XX. *De Adextratoribus.*

13. Adextratores [*Al.*, Addextratores] semper, quando dominus papa coronatur, custodiunt regnum, et ipsum usque ad ecclesias ad quas equitare debet adextrant, in eundo scilicet et redeundo. Propter quod in qualibet die coronationis, et etiam in introitu domini papæ, omnes de schola ipsa comedunt coram domino papa, pro comestione recipientes. In omnibus præterea stationibus ad quas dominus papa equitat, ipsum adextrant. Propter quod in eadem die quatuor de ipsa schola comedunt cum eodem domino papa, neque plus, neque, etiam si ipsi voluerint, minus. De jure omnes illos qui ad dominum ipsum papam pro consecratione accedunt, sive sint archiepiscopi, sive episcopi, vel abbates, debent adextrare in urbe tantum, et non extra. Propter quod equitaturam hujus consecrati habere, et cum ipso consecrato quatuor ipsius scholæ, et cum domino papa comedere debent, excepto quando dominus papa consecrat in capella. Tunc enim omnes comedunt cum consecratis. Et quia grave est consecratis dare equitaturas, de antiqua et prima consuetudine est, quod camerarius loco equitaturæ facit adextratoribus ipsis a consecratis secundum qualitatem ipsorum consecratorum in denariis provideri. Hoc si quidem adextratores ipsi, etsi non tanta quantitate, debent habere, etiamsi consecrati episcopi nullatenus

equitaret; sciendum tamen quod ipsi debent habere, si ab alio quam a domino papa consecraretur in urbe.

XXI. *De Ostiariis.*

44. Ostiarii autem accipiunt a domino papa singulis diebus pro custodiendo palatio comestionem pro duobus scholæ ipsius. Quando vero dominus papa coronatur, omnes pro voluntate camerarii ad palatium debent accedere, et ipsum palatium custodire. Propter quod eadem die comestionem a domino papa debent habere. Ostiariorum duo semper, quando dominus papa **197** equitat, ad stationes debent ire cum eo ad secretarium custodiendum; et ea die, præter supradictos quotidianos duos, comedunt cum domino papa. Quotiescunque autem camerarius vocat eos vel partem pro palatio custodiendo, debent venire vocati. Omnes insuper domino papæ debent jurare, prout inferius scribetur plenius. Istis autem camerarius in festo Paschæ unam pecudem debet dare, et in festo Nativitatis Domini porcastrum unum. Notandum vero quod ipsi debent facere omnes palmas olivarum, quas in Dominica Palmarum dominus papa dat populo Romano, et debent portare in palatio ante cameram, et post dominum papam usque ad ecclesiam. Sciendum vero quod quando dominus papa non est in urbe, pro custodiendo palatio debent XII den. Papiens. ad altare sancti Petri in unaquaque hebdomada habere.

XXII. *De Mappulariis et Cubiculariis.*

45. Mappularii atque cubicularii unum fere officium exercentes, quando dominus papa coronatur, et in stationibus omnibus debent accedere ad palatium domini papæ; et accipientes carpetam, tapetum, faestorium, pulvinar et predelam, debent portare ad equitaturam; quæ omnia ista debent portare cum scriniis capellæ ducta a marescallis usque ad locum ad quem dominus papa proposuit equitare. Cum autem ibi capella deponitur, prædictæ scholæ debent interesse, et omnia quæ supra diximus accipere, sicut prius, et ad secretarium deportare. Ubi cum dominus papa exuit mantum et stolam atque mitram, debent, donec officium celebratur, studiosius custodire. Item etiam carpetam et alia supra dicta debent usque ad altare afferre, facientes cœlum de quadam cappa super caput domini ipsius. Portant eum sic: duo ab anteriori parte, duoque a posteriori ligatam in summitate quatuor baculorum, et extensam usque ad altare, quam toaleam acolythi eisdem de scriniis domini papæ assignant, ab ipsis postmodum recepturi. Quandiu etiam dominus papa celebrat, vel prædicat, ipsi illud officium quod pertinet ad ipsos exercent. Idem præterea carpetam, tapetum et omnia alia memorata in recessu domini papæ iterum debent portare ad gradus, ubi est equitatura. Ipsa usque ad palatium deportantur, **198** ubi debent esse ipsi parati, et prædicta ad locum ubi acceperunt reportare.

46. Notandum quod ipsarum scholarum omnes in die coronationis debent comedere cum ipso; in diebus vero stationum cujusque scholæ ipsorum quatuor, neque plures. Quando aliquis consecratur a domino papa, propter servitium quod eidem consecrato exhibent, debent habere suum pluviale et bacilia atque toaleam; sed de bacilibus atque toalea fit divisio inter ipsos et acolythos. Et quia videbatur grave consecrato dare ipsis pluviale, camerarius facit eisdem provideri de pecunia a consecrato juxta qualitatem et facultatem ipsius: et cujuscunque scholæ duo cum ipso comedunt consecrato, et cum domino papa nullus, si consecraverit in capella; si vero extra consecraverit, cujuscunque scholæ duo comedant cum domino papa. Sciendum tamen quod quæ supra dicta sunt debent habere, etiamsi ab alio quam a domino papa consecraretur in urbe. Si vero extra urbem, camerarius dat et facit eum adextrare secundum suam voluntatem, et tam ipsi quam adextratores debent, cum requisiti fuerint, jurare domino papæ. Sed notandum quod si forte, quando dominus papa est in secretario, et post Missam celebratam aliquid fuerit pedibus papæ oblatum, ipsorum est de jure, auro excepto et argento laborato, pannos etiam seu toaleas, quæ omnia sunt de camera, excepta ratione guidonum scholæ, quam debet habere. Hoc idem dico de adextratoribus. Quod si forte aliquid, quando adextrant dominum papam, ad pedes ipsius per viam oblatum fuerit, illorum debet esse, exceptis prædictis. Hoc addito, quod tam schola mappulariorum et cubiculariorum, quam adextratorum, quando dominus papa equitat ad aliquam ecclesiam, ubi eadem die non est statio, cum eodem domino comedere non debent, nec officium aliquod exercere. Sciendum quod ipsi mappularii, sicut superius est enarratum, debent semper in Processione aquam calidam domino papæ præparare, et in die sancto Jovis manuum medietatem subdiaconi habere debent.

XXIII. *De Majorentibus, qui Stimulati dicuntur.*

47. Majorentes autem ad curiam accedere non debent pro servitio aliquo faciendo, seu pro alio, nisi in die coronationis domini papæ, **199** qui, dum equitat, baculos habentes in manibus viam parant, multitudinem populi removendo; propter quod ipsa die comedere debent cum domino papa. Iidem etiam majorentes Stimulati schola vocantur.

XXIV. *De Vastarariis.*

48. Vastararii vero in omnibus solemnitatibus sanctæ Mariæ, Assumptione excepta, faciunt candelas de [a] vinetis vivis, papyrum pro candelis aptantes. Et propter hoc cum domino papa comedunt in die coronationis suæ, et pro universis vinetis recipiunt de altare sancti Petri quatuor proves, pro ipsis vinetis. Et est sciendum quod isti pro servitio ista habent medietatem manuum cartæ [*Al.*, cassæ] majoris in die Paschæ.

[a] Hinc illustrari potest locus obscurus supra, pag. 164, ubi *pro vincis* forsan legendum.

XXV. *De Fiolariis.*

49. Fiolarii secundum antiquam consuetudinem dare debent de proprio lampadas et candelas pro palatio illuminando, quoties est necesse. Propter quod cum domino papa comedunt in die coronationis suæ.

XXVI. *De Ferrariis columnæ et sancti Angeli.*

50. Ferrarii de columna debent facere circulos caldariæ, quoties a supercoquis domini papæ fuerint requisiti, et tripodes similiter. Et propter hoc debent similiter comedere in die coronationis cum domino papa. Propter laborem etiam prædictum dantur eis cibi de curia, quando laborant unicuique quatuor den., sed carbo etiam et ferrum pro opere.

XXVII. *De Ferrariis sancti Angeli.*

51. Ferrarii sancti Angeli idem per omnia facere et recipere debent.

XXVIII. *De Bandonariis.*

52. Bandonarii colosæi et cacabarii, quando dominus papa coronatur, in eundo et redeundo ipsum cum vexillis præcedunt. **200** Quasi etenim una schola est; et eadem die debent comedere cum eodem domino papa.

XXIX. *De Caldarariis.*

53. Caldararii debent facere caldaras novas, et veteres reparare; et novas conchas, et veteres reparare, quando a supercoquis requiruntur. Et quando laborant, de curia eis datur cibus, et unicuique quatuor den. scilicet et ferrum etiam et carbo ipsis datur.

XXX. *De Scopalatiis.*

54. Scopalatii in die coronationis domini papæ debent gradus scholæ et porticum usque ad locum ubi dominus papa descendit mundare.

XXXI. *De Carbonariis*

55. Carbonarii in die coronationis domini papæ dant carbones coquinæ, et pro caldariis reparandis.

XXXII. *De Judæis.*

56. Judæi vero repræsentant domino papæ in die coronationis suæ legem in via, et ei faciunt laudes, et tres libras, unam piperis, et duas libras de cinnamomo, afferunt ad cameram.

XXXIII. *De presbyterio Officialium cameræ camerarii.*

57. Hoc est presbyterium quod datur officialibus cameræ camerarii et officialibus aliis et curialibus. Unicuique curialium, qui Cortesiani vocantur, dantur duo marabotini; scriptori cameræ duo melechini, cambiatori duo melechini, sartori cameræ duo saraceni, custodi cameræ duo saraceni, senescalco domini papæ sex melechini: eidem etiam datur in Nativitate Domini porcastrum unum, in Pascha pecus unum. Unicuique coquorum unum melech. unicuique brodariorum aliquam Benedictionem. Notandum quod coqui et brodarii debent habere sticchas in Pascha et in Nativitate Domini. **201** Unicuique panetariorum duo melechini, et pannum quem emerunt pro festo. Unicuique buticulariorum duo melechini, marescalco equorum alborum tres melechini et naccum; alii marescalco duo melechini; singulis ostiariorum domini quatuor melech. Scutiferis, capellanis, subdiaconis, et acolythis de capella debet comestio duplicari, et in Nativitate Domini similiter. Priori quoque subdiaconorum unam pecudem in Pascha, et in Nativitate porcastrum. Marescalcis vero et aliis de familia dat camerarius pro voluntate sua. Verumtamen marescalci debent habere unum porcum, et in Pascha pecudem unam. Notandum vero quod marescalci debent, quando vadunt ad herbas, vel paleas, vel ad fenum, habere mistum et furcas. Sciendum quoque quod cancellariæ debet duplicari comestio in istis duobus diebus, et in Nativitate Domini similiter.

XXXIV. *Quid debeat habere et facere magister Senescalcus.*

58. Senescalcus major, qui servit domino papæ in coronatione ultima in Pascha et in Nativitate Domini, et in consecratione domini papæ, debet habere unam scutellam argenteam trium marcarum et dimidiæ in singulis prædictis festivitatibus, si coronatur; et debet recipere victualia pro quindecim hominibus unoquoque die coronationis; et debet comedere in panetaria cum sociis suis, antequam dominus papa redeat a Missa; et debet recipere a pincerna unam aquariciam clareti, et unam vini; et debet habere ad domum suam sex capita porcorum parata, et sex aquariciolas clareti unoquoque die coronationis; et debet habere in unaquaque coronatione medietatem cepi, et medietatem de omnibus coriis bestiarum quæ veniunt in mensa domini papæ dum festum duraverit.

XXXV. *Quid debet habere magister Pincerna, et facere.*

59. Magister pincerna, qui domino papæ in die coronationis suæ ad mensam servit, debet habere cuppam unam trium marcarum et dimidiæ argenti. Ipse vero pincerna debet eadem die dare buticulariis quotidianariis domini papæ zonam unam de serico; debet etiam comedere, antequam dominus papa **202** veniat de Missa, pro quindecim sociis comestionem accipiens; et debet habere sex capita porcina aptata, et sex aquaricias clareti, quæ ad domum suam transmittit, et in comestione sua unam aquariciam clareti, et aliam vini; et in die Paschæ, et die lunæ post Pascha, post Vesperas ad sanctum Joannem in Fonte unum barile plenum vino, et unam bonam aquariciam plenam clareti, ut det domino papæ et omnibus astantibus.

XXXVI. *Quid debent Senatores habere.*

60. Senatores, quando comedunt, habere debent [a] lavinam mediam vini, et mediam clareti in unaquaque die coronationis. Eisdem etiam datur toalea, ubi comedunt, a panetariis; et postmodum redditur ipsis. Pro quadraginta comestionem recipiunt unaquaque die coronationis.

XXXVII. *Quid debet habere Præfectus urbis.*

61. Præfectus urbis debet habere in comestione pro quindecim sociis, et barile unum ferratum clareti, et aliud vini

[a] Onufrius reddidit *psalmam* seu *salmam*, quo nomine sagma seu onus ac sarcina equi aliusve animalis oneriferi intelligitur.

XXXVIII. *Quid debet dominus papa facere in Sabbato sequenti post Pascha.*

62. Sabbato in Albis statio est apud sanctum Joannem Lateranensem, ubi cum dominus papa eodem die celebrat Missarum solemnia, et *Agnus Dei* cantatur a primicerio et schola cantorum, ipse dominus papa distribuit agnos confectos chrismate et cera, per episcopos, cardinales et alios, tam clericos, quam laicos, hac ratione, ut sicut filii Israel in Ægypto positi præcepto Domini de sanguine immaculati agni in liminibus domorum scripserunt hoc signum T, ne ab angelo percuterentur, ita et nos de sanguine passionis immaculati Agni Christi debemus hoc signum scribere in limine domorum nostrarum per fidem, ne a diabolo et a vitiis percutiamur, et a potestate diaboli liberemur; vel propter infantes noviter baptizatos in ecclesia, deponentes veterem tunicam, **203** qui annuntiant *Alleluia*, id est gloriam beatitudinis cœlestis patriæ; vel quod quia quicunque habebit de cera prædictorum agnorum, et ex ea crucem in domo sua habuerit, vel secum portaverit, non lædetur ab aliquo phantastico spiritu, vel a tonitruo. Et notandum quod acolythi domini papæ prædictos agnos Dei debent facere ad altare sancti Petri, x lib. ceræ recipientes; et præsentare domino papæ hora prædicta. Debent etiam de prædictis agnis Dei plenam scutellam argenteam domino papæ, dum comedit, præsentare, et aliam camerario familiæ distribuendam.

XXXIX. *Qualiter dominus papa pergit in litania majori in festo sancti Marci.*

63. In festo sancti Marci, litania majori, sanctissimus dominus papa descendit cum episcopis, cardinalibus universis, et aliis ordinibus ad ecclesiam Lateranensem; ubi veniens post altare, et cantata Tertia, induunt se omnes planetis; et excalceati ordinantur in Processione ab archidiacono et subdiacono basilicæ et priore subdiaconorum, habentibus in manibus ferulas, ut superius in aliis Processionibus est narratum, primicerio præsente cum sua schola et suum officium exercente, sicut convenit in collecta; sicque processionaliter ecclesiam exeunt, cruce sancti Laurentii foris murum præcedente, et deinde cruce sanctæ Mariæ Majoris, quæ de consuetudine diei talis ad ecclesiam Lateranensem debet afferri; tertia fertur crux ejusdem ecclesiæ Lateranensis. Post has vero crux quotidiana domini papæ; sic autem feruntur ordinate usque ad sanctum Marcum.

64. Cum autem dominus papa venerit cum Processione ad ecclesiam sancti Clementis, ibi quiescit in lecto, superposito tapete et herbis circumquaque positis, quæ tamen fiunt a clericis ejusdem ecclesiæ sancti Clementis. Postquam vero quieverit, surgens vadit prædicto modo usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ Novæ; ubi dum prædicto modo quiescit, unus de schola Crucis cantat litaniam. Surgens pergit prædicto modo usque ad ecclesiam sancti Marci, ubi, sicut superius scriptum est, requiescit. Et postquam pausaverit, surgit et memorato modo incedit usque ad locum qui Parion nuncupatur, cruce sancti Petri quæ de consuetudine ipsa die apud sanctum Marcum debet afferri, post crucem sancti Laurentii, **204** et ante crucem sanctæ Mariæ Majoris in ordine præcedente. Ibi autem dominus papa prædicto modo quiescit, et post quietem incedit, sicut prius præmissum est, usque ad pontem sancti Petri; ibique modo prælibato quiescit, et ab illo loco surgens prætaxato modo incedit usque ad locum qui dicitur Cortina; et quiescit lecto ibi a schola virgarum prædicto modo aptato; surgensque accedit ad gradus ecclesiæ sancti Petri; et super gradibus vergens faciem ad orientem, primitus intrat ecclesiam, primicerio cum schola cantorum *Te Deum laudamus* cantante; factaque Oratione post *Te Deum laudamus* super rota in introitu quasi ecclesiæ, pergit ad secretarium; et ablutis pedibus ibi indutus, sicut moris est et alibi scriptum, ad altare pro Missa cantanda accedit.

65. Notandum siquidem quod unus de subdiaconis et alter de acolythis, juxta dispositionem prioris basilicæ, debent ire summo mane apud sanctum Petrum, et ibi cum uno de scrinariis existens scribere universa nomina ecclesiarum quæ cum crucibus ad eamdem ecclesiam venerunt in Processione. Sciendum præterea quod unaquæque ecclesia, quæ eadem die pergit processionaliter apud sanctum Petrum, presbyterium habet de xxv lib. den. quæ de altari sancti Petri propter hoc accipiuntur. Universi vero mitrati xl sol. in presbyterio, qui similiter de prædicto altari habentur, et inter omnes æqualis proportionis libramine dividuntur. Item cardinales mitrati solummodo cum primicerio et schola sua cantorum, et subdiaconorum, et schola crucis et acolythis x sol. habent eadem die de prædicto altari, qui taliter dividuntur a priori diacono cardinali, in cujus manu traduntur. Dat itaque in primis presbyteris cardinalibus xxii den. Deinde diaconis cardinalibus xxii den., postea subdiaconis xxii den., primicerio postmodum cum schola xxii den., scholæ vero crucium xxii den., ultimo acolythis x den. Ad hoc dominus papa habet xl sol. eadem die, et de eodem loco. Et notandum quod in omni statione apud sanctum Petrum habet dominus papa xl sol. de altari, quando celebrat Missam; etiam cardinales, subdiaconi, primicerius cum schola cantorum, schola crucis et acolythi præfatos x sol. sic divisos in omni statione, etiamsi dominus papa interfuerit, et aliquis cardinalis celebraverit, ibi de eodem altari debent habere. Si vero dominus papa extra Urbem fuerit, et vicarius vel aliquis cardinalis **205** seu aliquis extraneus episcopus de mandato domini papæ interfuerit, ibique divina celebraverit, similiter debent de eodem loco x sol. dari, et ille qui tunc, sicut dixi, de mandato domini papæ celebraverit, x sol. recipit de ipso altari, quos dominus papa reciperet, si tunc celebraret divina. Prædicti vero x sol. qui mitratis dantur, etiamsi dominus papa fuerit extra urbem, de eodem loco ipsis, si interfuerint, exhibentur. Si autem in urbe fuerit, et non perrexerit in Processione seu celebratione, nihilominus habent. Clerici tamen Urbis semper habent supradictas xxv

lib. sive dominus papa sit in Urbe, sive extra; seu cantaverit, aut non, quæ distribuuntur ut inferius describentur.

66. Hoc siquidem est nullatenus prætermittendum, quod si forte ex quo toalea exponitur a capellanis super altare, aliquid oblatum fuerit papæ, ipsorum capellanorum est, nullo alio cum ipsis participante; et ita durat, donec ad altare pro Missa cantanda dominus papa accedat. Quidquid vero dominus papa, postquam accesserit ad altare, donec idem pronuntiaverit *Ite, Missa est*, super altare oblatum fuerit, sic dividetur. In primis dantur marescallis XII den. Et notandum quod in omni statione in qua dominus papa celebrat divina de oblationibus altaris apud sanctum Petrum tantumdem debent habere. In omnibus etiam aliis stationibus aliarum ecclesiarum ubi dominus papa celebrat divina de oblationibus altaris, si quæ fiunt, post Evangelium domini papæ, prædictis marescallis dantur VI den. Quod si forte contigerit oblationem aliquam non esse, nisi illam quæ debet esse mappulariorum, marescalli ipsi de eadem oblatione VI den. habent. Si vero oblatio non affuerit, eleemosynarius dat eis de eleemosyna VI den. Quotiescunque dominus papa cantat, et quocunque loco cantet, quando non est statio, debet eisdem marescalcis eleemosynarius de eleemosyna dare XII. den. marescalcis, sicut dictum est superius. Datur melior moneta primicerio, deinde de residuo datur sexta pars primicerio et scholæ cantorum; reliquæ vero partis medietas datur cardinalibus diaconis et subdiaconis, alia vero medietas capellanis solummodo. Missa vero de more cantata, dominus papa revertitur ad palatium; si vero camerarius voluerit, distribuet XXV libras in presbyterium supradictum. Sin autem, priori basilicæ et rectoribus urbis distribuendum committet, **206** illis qui interfuerant ad scribendum adjunctis

67. De isto presbyterio dantur in primis sancto Petro XX sol. Sancto Joanni Lateranensi VI sol. Sanctæ Virgini Mariæ Majori V sol. Sancto Laurentio foris murum V sol.; unicuique cardinalium III sol., illis exceptis qui lectos suprascriptos in Processione parant, qui propter hoc XVI den. amplius habent. Unicuique diaconorum II sol., excepta sancta Maria Nova, quæ pro lecto ultra XII den. habet, et excepta ecclesia sancti Theodori, quæ pro lancea debet habere XII proves. Ultra unicuique monasterio extra Urbem III sol. Istis autem monasteriis in Urbe dantur III sol.: monasterio sancti Cæsarii, monasterio sanctæ Agathæ, monasterio Panispernæ, monasterio de Pallaria, monasterio sancti Cosmæ Transtiberim, monasterio sancti Silvestri in Capite, monasterio in Capitolio, monasterio sancti Alexii, monasterio sancti Sabæ, monasterio Clivi Scauri, monasterio sancti Basilii, monasterio sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ in Monasterio. Istis vero monasteriis et ecclesiis II sol.: monasterio Juliæ, monasterio sanctæ Bibianæ, monasterio Campi Martis, monasterio dominæ Rosæ, monasterio Tempoli, monasterio sancti Joannis portæ Latinæ, monasterio Maximæ, monasterio Biberaticæ, monasterio sancti Thomæ de Formis, monasterio Mirandæ, monasterio sanctæ Trinitatis, monasterio sancti Joannis de Insula, monasterio sancti Leonis, monasterio sancti Cæsarii Monachorum, monasterio sancti Cyriaci. Istis ecclesiis XVIII den.: sanctæ Mariæ de Monticello, sancti Thomæ de Fraternitate, sanctæ Mariæ, sancti Tryphonis, sanctæ Mariæ Rotundæ, sancti Apollinarii, sancti Celsi. Istis capellis XII den.: sancto Vincentio, sancto Michaeli, sanctæ Mariæ in Saxia, Lecto graduum, sanctæ Mariæ Synodochii, sanctæ Mariæ in Catenara, Salvatori Campi, sancto Paulo Aureolæ, sancto Anastasio Areolæ, sancto Quirico, sancto Abacyro, sanctæ Mariæ a Flumine, sancto Stephano de Pinea, sancto Macuto, sanctæ Virgini Mariæ de Canella, sancto Laurentio Piscinulæ, sancto Laurentio de Mundesariis, sanctæ Mariæ in Petrochia, sanctæ Virgini Mariæ de Secundicerii, sancto Valentino extra urbem, hospitali, sancto Blasio de Mercato, sanctæ Mariæ in Transpadina. Omnes autem aliæ ecclesiæ urbis singulariter debent habere VIII denarios.

207 XL. *De Virgariis.*

68. Virgarii debent habere pro lecto X sol. proves. Scholæ guidonum X sol. Scriniarii IX sol. Scriptorii XII den.

Rectores fraternitatis de rectoribus XII sol., qui tamen sibi a paucis retro temporibus hoc usurpavere. Ipsi etenim licet quandoque, sicut dictum est, presbyterium istud distribuatur, non debent aliquid inde recipere, nec etiam cantorum schola, mappulariorum, cubiculariorum, adextratorum, ostiariorum; neque ulla alia schola vel persona, excepto priore subdiaconorum cum acolythis, qui de presbyterio ecclesiarum, quando datur, ut supra dictum est, recipit manus, prout in antiquis rationibus Innocentii, Eugenii, Adriani et aliorum plurium Romanorum pontificum scriptum plenarie invenitur.

XLI. *Quid dominus papa facere debeat in Ascensione Domini.*

69. In Ascensione dominus papa pergit ad Vesperas apud sanctum Petrum, et ibi debet jacere, omniaque facit et recipit cum camerario et cancellario, sicut scribitur in festivitate et dedicatione. In festo Pentecostes dominus papa pergit ad Vesperas ad sanctum Petrum, et ibi debet jacere, et omnia facit et recipit cum camerario et cancellario, sicut dicitur in festivitate et dedicatione sancti Petri.

XLII. *Quid dominus papa debet facere in nativitate sancti Joannis Baptistæ*

70. In Nativitate sancti Joannis descendit dominus papa ad ecclesiam Lateranensem pro Vesperis celebrandis cum cardinalibus, et schola cantorum, et aliis, sicut scriptum est supra in Assumptione beatæ Mariæ; et talem ibi exercent solemnitatem, tam in Vesperis, quam de nocte, de consuetudine antiqua, qualem in prædicta beatæ Mariæ assumptione, hoc excepto, quod canonici ejusdem ecclesiæ Vigiliis do-

mini papæ non interest. Cætera vero fiunt omnia sicut in prædicto festo beatæ Virginis Mariæ

208 XLIII. *Quid dominus papa facere debet in festo sancti Petri apostoli.*

71. In festivitate beati Petri dominus papa vadit ad ecclesiam cum cardinalibus, et [a] schola, et aliis, pro celebrandis ibidem Vesperis, sicut superius est enarratum; et remanet ibi et talem exercet solemnitatem, tam in Vesperis quam in nocte, qualem in prædicta Assumptione beatæ Mariæ; et de faculis in Vesperis et nocte, et de mappulariis et schola, et de omnibus aliis facit similiter. Notandum vero quod dominus papa debet habere duas aquaricias clareti, et duas vini statim post Vesperas, ut bibat cum cardinalibus et aliis, et duas [b] sacimas mortulæ, et pro implendo domini papæ saccone debet habere XVIII proves., et camerarius debet habere unam aquariciam clareti; et, si cancellarius residet, debet habere aliam aquariciam. Sin autem, dominus papa ipsam habet. Hæc omnia de altari sancti Petri accipiuntur. De oblatione vero altaris et pedibus domini papæ ita fiet, sicut scriptum est in festo sancti Marci in litania majori. Hoc autem nullatenus est prætermittendum quod dominus papa post quartam lectionem vigiliæ descendit ad aream altaris, et inde extrahit thuribulum cum candela, quæ alia festivitate ibi a domino papa fuit reposita cum carbonibus et incenso; et postmodum thuribulum cum candela simili ibidem remittit

XLIV. *Quid debet facere dominus papa in festo sancti Laurentii.*

72. In festivitate sancti Laurentii dominus papa vadit ad Vesperas cum omnibus ordinibus, sicut supra dictum est in Assumptione beatæ Mariæ, et talem ibi exercet solemnitatem tam in Vesperis quam in nocte, de consuetudine antiqua, qualem in prædicta Assumptione beatæ Mariæ, excepto quod primicerius scholarum non intersit. Cætera vero fiunt omnia sicut in prædicto festo beatæ Mariæ.

209 XLV. *Quid facere debet dominus papa in festo sancti Pauli apostoli.*

73. In festivitate beati Pauli dominus papa vadit cum cardinalibus pro ibidem celebrandis Vesperis; et cantatis, comedit ibi cum omnibus cardinalibus, et capellanis, et aliis ordinibus; et exercent ibi talem solemnitatem, tam in Vesperis quam in nocte, qualem in Assumptione beatæ Mariæ est enarratum. Cætera fiunt sicut in prædicto festo. Sciendum est quod in octava sancti Petri omnia fiunt sicut in festo ejusdem sancti Petri, hoc excepto quod dictum est de thuribulo.

XLVI. *Quid dominus papa facere debeat in Exaltatione sanctæ Crucis.*

74. In exaltatione sanctæ Crucis mense Septembri sanctissimus dominus papa cum cardinalibus intrat basilicam sancti Laurentii in manu; ubi trahens reliquias apostolorum Petri et Pauli, et lignum [c] sanctæ Crucis, et osculans porrigit eas cardinali deferendas ad ecclesiam sancti Silvestri; et dominus papa cantat *Te Deum laudamus* cum cardinalibus in basilica, et capellanis. Primicerius cum schola extra basilicam sancti Silvestri stant cantantes Antiphonas de Laudibus cum Psalmis et *Benedictus*; et dominus papa dicit Orationem. Ante portam in tabula quadam ab ostiariis posita, et mappis sive toaleis honorabiliter, sicut convenit, cooperta, deponunt reliquias ipsas; et adoratis ipsis primitus a papa et cardinalibus, adorantur postmodum ab omni populo in eodem loco. Et interim Prima a papa et cardinalibus ibidem cantatur; et postquam adoraverunt dominus papa et cardinales ibidem parati, prout supra dictum est in aliis Processionibus, junioribus presbyteris cardinalibus reliquias ipsas portantibus, ascendunt per gradus scalæ, et sic per viam communem pergunt processionaliter usque ad ecclesiam sancti Joannis Lateranensis.

75. Notandum quod canonici Lateranenses veniunt obviam domino papæ usque ad gradus scalæ cum cruce, primicerio cum schola cantorum cantante. Reliquiis a portatoribus super altare positis, dominus papa pergit ad secretarium, et 210 cantat Tertiam; et indutus pergit ad altare, et celebrat divina. Et post celebrationem cum reliquiis revertitur ad basilicam per palatium. Et notandum quod dominus papa et cardinales in omnibus aliis Processionibus, præter istam, pedibus excalceatis incedunt. Sciendum etiam quod Processio tantum fit in hac die, et non in inventione ejusdem sanctæ Crucis, quæ est in mense Maio.

XLVII. *Quid dominus papa facere debeat in Dedicatione ecclesiarum sanctorum Petri et Pauli.*

76. In Dedicatione ecclesiarum Petri et Pauli dominus papa vadit cum cardinalibus ad Vesperas ad ecclesiam sancti Petri. Quibus cantatis, dominus papa ibi remanet atque jacet, et in propria persona debet in nocte cantandis Vigiliis interesse; et talem ibi exercet solemnitatem, tam in Vesperis quam in nocte, qualem in prædicta Assumptione gloriosæ Virginis Mariæ; hoc addito, quod dominus papa debet habere de altari duas aquaricias clareti, et duas vini; et unam camerarius, et quartam cancellarius. De oblatione vero altaris ad pedes domini papæ ita fiet, sicut scriptum est in festivitate beati Marci; et debet habere papa IV fascios mortulæ pro camera sua, et IV pro camera sua camerarius, et XII den. pro implendo saccone domini papæ, et III sol. pro lignis in camera domini papæ; et, sicut præmissum est in festo ejusdem sancti Petri, accipiuntur omnia hæc de altari.

[a] Leo IV constituit, testante Anastasio, ut in basilica sancti Petri Vesperæ a cuncto clero et a schola in die natalis ejus psallerentur.

[b] Onufrio *duas salmas mortellæ*. De salma superius dictum; quid autem sit mortella seu mortula, aliis divinandum relinquo. Infra, num. 75, legitur *sex fascios mortulæ pro camera sua*; Onufrio *mortellæ*.

[c] Quomodo hanc crucem Sergius papa primus invenerit, Anastasius tradit.

XLVIII. *Quomodo debeat summus pontifex eligi; et sive eligatur in Urbe, seu electus et consecratus, vel electus et non consecratus ad Urbem accedat, quid faciendum postmodum sit.*

77. Mortuo Romano pontifice et sepulto, omnes cardinales ad propria revertuntur secundum antiquam consuetudinem. Secunda vero die conveniunt in ecclesia, et Missa mortuorum cantata, omnes similiter secundum consuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in ecclesia congregati, Missa sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione; et perscrutata omnium cardinalium voluntate ab aliquibus de ipsis, in quem major et melior pars convenerit cardinalium, prior diaconorum ipsum de pluviali rubeo **211** ammantat, et eidem electo nomen imponit; ipsumque deinde duo de majoribus cardinalibus adextrant usque ad altare; ubi prostratus adorat, primicerio cum schola cantorum et cardinalibus cantantibus *Te Deum laudamus*; quo finito, ab episcopis cardinalibus ad sedem ducitur post altare, et in ea, ut dignum est, collocatur. In qua dum sedet electus, recipit omnes episcopos et cardinales, et quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis.

78. Surgensque de sede ducitur a cardinalibus ad sedem lapideam, quæ sedes dicitur stercoraria, quæ est ante porticum basilicæ Salvatoris patriarchatus Lateranensis; et in ea eumdem electum ipsi cardinales honorifice ponunt, ut vere dicatur: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Post aliquantulum stans juxta eamdem sedem, electus accipit de gremio camerarii tres pugillatas denariorum, et projicit, dicens: *Argentum et aurum non est mihi ad delectationem; quod autem habeo, hoc tibi do.* Tunc autem accipit ipsum electum prior basilicæ Salvatoris patriarchatus Lateranensis, cum uno de cardinalibus vel uno de fratribus suis. Venientibus autem per eamdem porticum juxta ipsam basilicam Salvatoris exclamatur: *Dominum* [a] *Cœlestinum sanctus Petrus elegit.* Sicque ducitur ab illis usque ad gradus portæ, quæ videlicet porta est in introitu palatii venientibus de ecclesia ad palatium ipsum; ibique judices eumdem electum accipientes, ducunt eum per palatium usque ad basilicam sancti Silvestri.

79. Ubi vero ventum est ante basilicam ipsam, super cujus arcum, qui sustentatur de duabus columnis porphyricis, est imago quædam Salvatoris, quæ a quodam Judæo percussa olim in fronte sanguinem emisit, sicut hodie cernitur; idem electus sedet ad dexteram in sede porphyrica, ubi prior basilicæ sancti Laurentii de palatio dat ei ferulam, quæ est signum regiminis et correctionis, et claves ipsius basilicæ et sacri Lateranensis palatii, quia specialiter Petro principi apostolorum data est potestas claudendi et aperiendi, et ligandi atque solvendi, et per ipsum apostolum omnibus Romanis pontificibus; et cum ipsa ferula et clavibus accedit ad alteram sedem similem, et ejusdem lapidis, et tunc reddit eidem priori tam ferulam quam etiam ipsas claves. In qua dum aliquantula mora **212** quiescit, cingitur ab eodem priore zona rubea de serico, in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt XII sigilla pretiosorum lapidum, et muscus. Qui siquidem electus in illis duabus sedibus sic sedere debet, ac si videatur inter duos lectulos jacere, id est ut accumbat inter principis apostolorum primatum Petri, et Pauli doctoris gentium prædicationem. In zona notatur continentia castitatis, in bursa gazophylacium, quo pauperes Christi nutriantur et viduæ. In XII sigillis XII apostolorum potestas designatur; muscus includitur ad percipiendum odorem, ut ait apostolus: *Christi bonus odor sumus Deo.* In qua secunda sede dum sedet electus, recipit omnes officiales palatii ad pedes, et postea ad osculum; et deinde sedens ibidem recipit de manu camerarii denarios argenteos val. X sol. proves., et projicit eos super populum; et hoc facit tertio, dicendo: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.*

80. His peractis, ducitur per ipsam porticum sub iconas sanctorum Petri et Pauli apostolorum, quæ per mare Romam venerunt nullo ductore, et intrat basilicam sancti Laurentii; in qua postquam peregerit prolixam ante proprium et speciale altare Orationem, pergit ad papalem cameram; ubi cum sua voluntate pausaverit, vadit ad mensam.

81. Post hæc autem in proxima die Dominica electus cum omnibus ordinibus sacri palatii et nobilibus Romanis vadit ad ecclesiam beati Petri; ubi ad altare majus, prout in Ordine continetur, ab episcopo Ostiensi specialiter et aliis episcopis de curia consecratur, hoc addito, quod si forte episcopus Ostiensis præsens non fuerit, archipresbyter Ostiensis seu Veliternus interesse debet consecrationi. Qua consecratione finita, prior sancti Laurentii sacri palatii ponit palleum super altare, quod ipse prior propria manu debet parare; et statim archidiaconus cum secundo diacono dant in manu pontificis, et solus archidiaconus dicit pontifici: *Accipe palleum, plenitudinem scilicet pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei et gloriosissimæ Virginis ejus genitricis, et beatorum apostolorum Petri et Pauli et sanctæ Romanæ ecclesiæ*; et nihil aliud. Statimque ipse archidiaconus cum priore basilicario aptat idem palleum super pontificem; et intromissis spinulis aureis tribus ante, et retro, et sinistro latere, in capite quarum sunt innixi tres hyacintini lapides; et sic ornatus accedit pontifex ad altare, et ibi celebrat honorifice **213** Missam. Et notandum quod laudes ab archidiacono cum cardinalibus et subdiaconis et scrinariis, epistola Latina cum Græca, et Evangelium Latinum cum Græco, et omnes aliæ solemnitates tunc fiunt, sicut in feria secunda post Pascha.

[a] Hinc patet librum hunc tempore Cœlestini III scriptum fuisse.

82. Missa autem celebrata, revertitur ad palatium coronatus cum processione et honore arcuum, repræsentatione legis a Judæis, et thuribulorum a clericis Romanis, et jactibus totidem, et tanta quantitate factis, sicut in prædicta secunda feria post Pascha. Sciendumque quod cardinales omnes Græci, primicerius cum schola cantorum, præfectus, senatores, judices et advocati, scrinarii, præfecti navales, schola crucium, et capellani tale presbyterium et taliter datum accipiunt, quale in die Paschæ superius nominatum recipiunt; subdiaconi autem singuli singulos melequinos habent, quod tamen non fit in aliqua prædictarum solemnitatum. Non dantur enim eis, sicut ibidem scriptum plenius invenitur, etiam si xxx vel amplius essent, xii melechini. Universæ etiam scholæ palatii, clericis Romanis pro thuribulis, Judæis pro repræsentatione legis, laicis Romanis pro arcu, tale presbyterium datur, et taliter, quale datur in coronationibus aliis domini papæ. Pincerna insuper et marescallus tam de comestione, quam de aliis donariis remunerantur similiter, excepto quod capita porcorum aptata non habent, neque claretum. Familia quoque et curiales presbyterium habent juxta camerarii voluntatem.

83. Si vero electio facta est in ecclesia sancti Petri, post nominationem ducitur electus a duobus cardinalibus cantando *Te Deum laudamus* ad altare; ubi prostratus postquam adoraverit, ponitur in sede post altare, et ibi episcopos et cardinales, et quos sibi placuerit, recipit ad pedes, et postmodum ad oscula pacis. Et proxima die Dominica sequenti consecratur ibidem, cantata Missa cum solemnitatibus superius nominatis; et coronatus revertitur ad palatium, factis omnibus aliis, sicut est superius enarratum, per ordinem. Antequam intrat palatium, descendit ad sedem stercoratam; ibique sedens, prout moris est, et faciens jactum ter replicatum, sicut superius dictum est, accipitur a cardinalibus, et ducitur per porticum ipsam ad ecclesiam basilicæ Lateranensis; et ascendens sedem post altare, recipit canonicos ejusdem ecclesiæ ad pedes, et **214** deinde ad osculum pacis. Quo facto, pergit ad palatium usque ad sedem sancti Silvestri; ibique sedet, et facit omnia in eodem loco et in antea, sicut dictum est superius, ordinate.

84. Si autem extra Urbem fuerit electus, et non consecratus, omnia fiunt ordine supradicto, sive fiat descensus et consecratio ejusdem electi in ecclesia sancti Petri, seu in ecclesia Lateranensi idem electus descendat. Quod si electus et consecratus fuerit extra Urbem; et a porta Lateranensi venerit ad Urbem, omnes Romani clerici occurrunt ei extra Urbem induti, cum crucibus et thuribulis, in Processione; et sic intrat ecclesiam Lateranensem, et fiunt alia omnia, sicut superius est enarratum, hoc excepto, quod cum descenderit ad sedem stercoratam, et per porticum vadens ecclesiam Lateranensem intraverit, non statim ascendit ad altare seu ad sedem; sed veniens interius ex choro majori ante cruces, finito *Te Deum laudamus*, dicit *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, etc. *Benedictio Dei Patris et Filii*, etc. *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super vos, et maneat semper.* Hoc facto, ducitur ad altare, et prostratus orat; qui postquam oraverit, sedem majorem ascendit, et ibi canonicos ejusdem ecclesiæ ad pedes recipiet et ad osculum pacis. Si vero descenderit ad ecclesiam sancti Petri consecratus, omnia fiunt sicut in ecclesia Lateranensi, hoc excepto, quod ibi non est sedes stercorata. Et proxima die sequenti, celebrata Missa, non coronatus revertitur ad palatium. Antequam intret ecclesiam, descendit ad sedem stercoratam; ibique sedens, prout est moris, et faciens jactum, sicut superius est narratum, accipitur a priore Lateranensi et cum uno cardinale, et ducitur per porticum ad ecclesiam, et omnia fiunt sicut superius est notatum.

85. Sciendum vero quod presbyterium scholarum non ita datur, sicut si fuerit consecratus in Urbe. De presbyterio enim eorum tunc medietas resecatur, exceptis Judæis et clericis Urbis, et adextratoribus. Præterea senatores Urbis dominum papam debent adextrare, sive venerit consecratus, sive non consecratus, a porta civitatis usque ad locum ubi fuerit descensus, sive descenderit ad ecclesiam Lateranensem, sive ad ecclesiam beati Petri; in remuneratione cujus servitii x sol. pro equo debent habere. Veruntamen schola adextratorum debet habere xx sol.

215 *Juramentum senatorum Urbis.*

86. « Ego N. urbis Romæ senator ab hac hora in antea fidelis ero tibi domino meo papæ Urbano. Non ero in facto, neque in consilio, neque in consensu, ut perdas vitam, aut membrum, aut capiaris mala captione. Consilium quod mihi credes per te, vel per litteras aut nuntium, me sciente ad damnum tuum nulli pandam. Tuum certum damnum si scivero, pro posse meo illud impediam. Quod si per me impedire non potero, illud tibi significabo per meipsum, vel per litteras aut nuntium, seu talem personam de qua pro certo credam quod illud tibi debeat fideliter insinuare. Papatum Romanum et regalia beati Petri quæ habes ad retinendum et defendendum, quæ vero non habes, ad recuperandum, et recuperata ad retinendum et defendendum, contra omnes homines adjutor ero secundum posse ac scire meum; nominatim autem sanctum Petrum, urbem Romanam, civitatem Leoninam, Transtyberim, insulam, castellum Crescentii, sanctam Mariam Rotundam, senatum, monetam, honores et dignitates Urbis, portum Ostiensem, et tenimentum Tusculani, et generaliter omnia regalia intra Urbem et extra. Cardinalibus, familiis tuis, et eorum venientibus ad Romanam ecclesiam, morantibus apud eam, et recedentibus ab ea, plenam et veram securitatem præstabo. Hæc omnia juro me observaturum bona fide, sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei evangelia. »

87. Cum datur procuratio, si fuerit cancellarius de parte cardinalium, recipiat de duobus cardinali-

bus, sive in denariis, sive in victualibus detur; si vero non fuerit cancellarius, de tota procuratione communiter de parte domini papæ et cardinalium pro duobus cardinalibus cancellaria recipiat, si detur in victualibus. Sed si detur in denariis, tunc cancellaria pro uno tantum cardinali recipiat, sed de parte tantummodo cardinalis.

XLIX. *Ordo* [a] *ad benedicendum imperatorem, quando coronam accipit.*

88. « In nomine Christi promitto, spondeo atque polliceor **216** ego N. imperator, coram Deo et beato Petro, me protectorem [b] et defensorem esse, » etc.

89. Dehinc Orationem primam debet dicere Albanensis episcopus ante portam argenteam basilicæ sancti Petri.

Oratio. — *Deus, in cujus manu corda sunt regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, et imperatori nostro N. famulo tuo regnum tuæ appone sapientiæ, ut, haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeat, et super omnia regna præcellat*, etc.

Orationem vero secundam debet episcopus Portuensis recitare inter ecclesiam beati Petri in medio rotæ.

Oratio. — *Deus, inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ præelegisti regem sæculis futuris, tu præsentem regem hunc cum exercitu suo per interventionem omnium sanctorum tuorum uberi Benedictione locupleta, et in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum, sicut Moysen in rubo, Jesu Nave in prælio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, et illi eum Benedictione..... ac sapientiæ tuæ perfunde, quam beatus David in Psalterio. Salomon filius ejus, te renuntiante, percepit e cœlo. Sis ei contra acies inimicorum lorica, in adversis galea, in prosperis..... in protectione clypeus sempiternus. Præsta ut illi gentes teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem; et ita populus ille..... coalitus Benedictione æternitatis et semper maneant tripudiantes in pace victores, quod ipse præstare dignetur.*

90. Deinde vadit ante confessionem beati Petri apostoli, et prosternat se pronum in terram; et archidiaconus faciat litaniam. Qua finita, episcopus Ostiensis ungat ei de oleo exorcizato brachium dextrum et inter scapulas, et dicat hanc Orationem.

Domine Deus omnipotens, cujus est omnis potestas et dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus ut huic famulo tuo prosperum imperatoriæ dignitatis concedas effectum, ut in sua dispositione constituto **217** *ad regendam Ecclesiam tuam sanctam nihil ei præsentia officiant, futuraque non obsistant; sed, inspirante sancti Spiritus dono, populum sibi subditum æquo justitiæ libramine regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibi jugiter placere contendat. Per Dominum*, etc. Sequitur alia Oratio. *Deus Dei Filius Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exsultationis accinctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri ungiminis effusionem Spiritus Paracleti super caput tuum infundat Benedictionem, eamdem usque ad interiora cordis tui penetrare faciat; quatenus hoc visibili et tractabili dono invisibila percipere, et temporali regno justis miserationibus assecuto æternaliter cum eo regnare merearis qui solus sine peccato vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus*, etc.

91. Demum vero pontifex Romanus sursum altare imponit ei diadema, in eo dicens : *Accipe signum gloriæ, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ut, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic judicium et justitiam diligas, et ita misericorditer vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipere merearis. Qui cum Patre et sancto Spiritu vivit*, etc.

[a] Fusior et distinctior est Ordo apud Onufrium Panvinium; at satius visum est Codicem nostrum, uti jacet, exhibere.

[b] Eadem fere verba ab Henrico I imperatore dicta refert Ditmarus initio lib. VII.

IN CHRISTI NOMINE AMEN

Breve [a] *recordationis, de consuetudine altaris sancti Salvatoris, quid scilicet clericis ejusdem ecclesiæ, vel ipsi ecclesiæ competat, de medietate scilicet episcoporum.*

In primis in Nativitate Domini ecclesia debet condiri [b], et duo paria facularum, unum ante altare, et aliud in lectorio; et quatuor denarii mansionariis dari debent.

In festo sancti Joannis evangelistæ ecclesia condiatur; et una aquaricia olei ad fontes; et quod supererit sit ecclesiæ; et duodecim denarii Papienses clericis, et vinum ad potandum ante vigiliam; et tria paria facularum, unum clericis, et aliud acolythis; et si desunt acolythi, sunt clericorum ecclesiæ; **218** aliud ad Missam.

In Dominica prima Quadragesimæ ecclesia debet condiri; et quatuor denarii mansionariis, et par facularum ad Missam; et residua sunt de [*Forte* pro] clericis, si deest acolythus.

A Dominica prima usque in octavam Pentecostes quotidie debent habere mansionarii unum [c] caput de communi; in sabbato vero pro emundatione ecclesiæ tria capita.

Feria quarta in hebdomada quarta, quando clerici

[a] Hoc ex Codice Cencii eruit Onufrius, nosque ex ipso Onufrio.

[b] Nempe suffitu et odoribus, ut quidem videtur.

[c] Petrus Mallius supra, *tria capita, tres monetas* interpretatur.

vadunt cum cruce per cœmeteria ad sanctum Paulum et ad sanctam Anastasiam, totum altare est clericorum, donec crux egreditur et deportatur; aut, si clericis placuerit, panem, et vinum, et pisces inde habeant ad [a] cœnam.

In Dominica Palmarum condiatur Ecclesia; et quatuor denarii mansionariis, et par facularum ad Missam.

In Cœna Domini similiter etiam quatuor denarii mansionariis, et unum pro ablutione ampullarum et alia præparatione.

In Sabbato sancto par facularum ad Missam, et pretium mundationis paradisi et chrismatis, et porticus clausæ; et ecclesia condiatur.

In die sancto Paschæ par facularum ad Vesperas. Feria secunda similiter. Sabbato in Albis debet condiri ecclesia; et par facularum ad Missam; et quatuor denarii mansionariis.

In litania majori, donec crux vadit et redit, totum altare sit clericorum, unde debent habere pisces feria tertia, panem et vinum, ova et caseum.

In Sabbato sancto Pentecostes par facularum ad Missam; et unum denarium illis qui flores super dominum papam jactant; et ecclesia condiatur more solito.

In Nativitate sancti Joannis Baptistæ ecclesia principaliter condiatur; et duodecim denarii, et una libra olibani, et unum rotulum de cereis Græcis, et XVIII denarii cantoribus, et una aquaricia olei ad fontes, et septem paria facularum, et unam libram pro pari, unum acolythis, aliud Græcis; aliud ante altare ad fontes, alia vero ad Missam; quæ omnia sunt clericorum, si curia deest; et quatuor denarii mansionariis, **219** et vinum ad potum [b] ante vigiliam omnibus clericis, Græcis et Latinis.

In vigilia sancti Petri vinum ad potum clericis ante vigiliam. In vigilia sancti Pauli similiter. In vigilia sanctorum Pancratii et Venantii martyrum, sanctarum Rufinæ et Secundæ similiter.

In Assumptione sanctæ Mariæ ecclesia conditur; et vinum ante vigiliam clericis, et sex paria facularum, et quatuor denarii mansionariis.

In vigilia sancti Laurentii vinum ante vigiliam.

In Decollatione sancti Joannis ecclesia condiatur, et vinum ante vigiliam.

In Exaltatione sanctæ Crucis ecclesia condiatur; et par facularum ad Missam, et quatuor denarii mansionariis, et vinum clericis; et ab ista festivitate usque in octavam sancti Martini quotidie mansionarii habent duo capita.

In solemnitate sancti Salvatoris ecclesia debet condiri; et sex paria facularum, unum cubiculariis, aliud acolythis; aliud ante altare, aliud in lectorio; aliud ad Missam, aliud clericis; et duodecim denarii clericis, et quatuor mansionariis; et una aquaricia vini ante vigiliam; et omnia residua facularum de nocte et de Missa sunt clericorum, si acolythi desunt.

Per totum annum debet habere ecclesia de medietate altaris, videlicet episcoporum, oleum quotidie ad XV lampades, una ad absidam, VII ante altare, una ante grandem imaginem super columnas æreas, quinque in crate, una ante imaginem sanctæ Mariæ, quæ est super horologium. Et funes ad appendendum candelas, et tintinnabula ænea, et olibanum quotidie ad Missas, et in nocte candelas ad lectiones et Psalmos et accendendas lampades, et quærendum (*sic*) ecclesiam sufficienter. Et in omnibus stationibus, quando dominus papa descendit celebrare Missam, subministratur de altari vinum ad sacrificium et communicandum; et tunc oblatio altaris desuper est scholarum, et inferius clericorum ecclesiæ. Omnes [c] cinturæ, tam altaris, quam imaginum, clericorum sunt.

220 Consuetudo etiam est clericorum, ut quando curam faciunt altari, secundum tempus procurentur, et inde accipiant denarium unum Papiensem. Pro abluendis quoque vel resarciendis pannis vel cortinis ecclesiæ, clavibus et ostiis, pretium datur de altari de medietate episcoporum. Omnes lampades et baciles canonicorum sunt. Omnes oblationes quæ veniunt ad manus episcopi hebdomadarii altaris majoris medietas est ipsius episcopi, et medietas canonicorum, præterquam de pane et vino, quod est canonicorum.

In Natale Domini de medietate episcoporum duas laumas [*Forte*, saumas] de merlis pro ecclesia; et similiter in Resurrectione, Natali sancti Joannis Baptistæ, et festo sancti Salvatoris.

Aliud scriptum recentius.

In nomine Domini amen. Anno 1252, indict. 5, conventio talis facta est inter Lateranensem ecclesiam, et primicerium et scholam cantorum, quod ipse in festo sancti Joannis Baptistæ cum decem cantoribus veniat dictus primicerius, ita quod ipse sit undecimus, et officiabunt ecclesiam in vigilia, Matutinis et Missa; et procurabuntur ipsi et duo eorum servientes decenter et honeste in illis cibariis quibus conventui servietur in ipsa die; et pro sua mercede recipient sextam partem oblationum majoris altaris, duntaxat in spatio quo Missa celebratur, super illud cadentium.

Insuper ipse primicerius recipit ab ecclesia II solidos Provisinorum senatus pro mercede; et unusquisque canonicorum XII denarios, computatis in præsente summa denariis illis qui dantur cantoribus pro responsoriis. Hoc autem utraque pars observare tenetur in omnibus illis festis quæ Lateranensis ecclesia voluerit prædicto ordine celebrare, et ad ea primicerium cum schola duxerit invitandos. Sed in omnibus stationibus Lateranensis ecclesiæ primicerius et schola, etiam non invitati, venire debent ad

[a] Hic cœna vocatur una illa refectio quæ in Quadragesima sumenda erat ad Vesperam.

[b] Sic in vigiliis passim datur vinum ante vigiliam, quod cœnulæ nostræ quoddam præludium est.

[c] An cincturæ? pro illis ornamentis quibus cingunt imagines.

serviendum in officio Missæ tantum, pro sua mercede nihil aliud percepturi, nisi sextam partem oblationum majoris altaris tantum, sicut supra scriptum est.

ORDO ROMANUS XIII,

VEL

CÆREMONIALE ROMANUM

Editum jussu GREGORII X.

221 1. Quia omni potentatui vita brevis, idcirco sæpe contingit quod Romani pontifices, qui in subcœlesti hierarchia primatum obtinent, infra breve temporis spatium vitam finiant, et carnis ergastulo de isto ad libertatem transeant supernorum. Et cum talis ac tanta hierarchia non debeat esse acephala quasi monstrum, sanxerunt proinde patres sancti ut, defuncti præsidis corpore ecclesiasticæ tradito sepulturæ, per viam canonicam defuncto præsidi substitueretur alius, qui tanto præsit oneri et honori. Verum quia circa modos et formas qualiter se habere debeat ecclesia erga hujusmodi substituendos, cum aliquando aliqui in diversis majoribus ordinibus ecclesiasticis constituti ad onus hujus assumantur, frequenter exstitit dubitatum; propter hoc sanctissimus pater, et communis dominus, dominus noster papa Gregorius X, qui olim in diaconatus ordine constitutus exstitit ad ejusdem pontificatus apicem dignitatis, volens per ea quæ circa ipsum acta sunt dubitationes hujusmodi amputare; ad cautelam præsentium et memoriam futurorum hæc quæ sequuntur in scriptis fecit redigi, et brevis styli officio exarari.

2. Siquidem in primis Romana Ecclesia pastore vacante, ille qui fuerit concorditer ab omnibus cardinalibus, vel a duabus partibus electus in papam, ab universali Ecclesia Romanus pontifex habeatur; qui si fuerit absens, vel de collegio cardinalium non fuerit, ad locum in quo cardinales sunt in consistorio venire debet vocatus; et ipse coelectionis de se facit consensum præsente. Prior diaconorum exuit eum cappam seu chlamydem qua utitur, et ponit ei, si non habet, albam Romanam, camisiam, et orarium ad modum presbyteri **222** super humeros, si est presbyter: vel super lævam partem, si est diaconus, et non in presbyterii ordine constitutus; et postea ponit ei mantum, et dicit: *Investio te de papatu Romano, ut præsis Urbi et orbi;* et tradit ei etiam annulum quo uti consueverunt prædecessores ipsius, et ei mitram competentem ipsi super caput imponit; et petens ab eo, quo nomine vocari velit, et ipsum eo nomine quo ei placuerit vocabunt. Quo facto, facit eum sedere in sede seu in faldistorio, et depositis communibus calceis, si habentur rubea calceamenta papalia, calciantur eidem; et sic cardinales omnes per ordinem, primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi veniunt coram eo flexis genibus; et idem electus ipsos ordinate ad pedem recipit et ad pacis osculum, necnon et omnes alios capellanos suos, et cæteros clericos et laicos venientes ad ejus reverentiam, infimos, mediocres et majores. Quibus expeditis, cruce præeunte papali, processionaliter ducitur a cardinalibus et a tota curia ad cathedralem, vel aliam majorem ecclesiam loci, in quo est curia, si locus in quo eligitur civitas non existit; in qua ecclesia ad altare ducitur, et ante ipsum altare orat diutius prostratus; et dum orat, *Te Deum laudamus* ab omnibus clericis decantatur; quo decantato, prior episcoporum dicit *Pater noster*, et suffragia consueta, et Orationem, *Omnipotens sempiterne Deus nuper electo nostro.* Qua finita, idem electus surgit ab Oratione, et dicit *Sit nomen Domini benedictum*, et facit Benedictionem.

3. Qua expleta, revertitur, osculatur altare, et ut ordinate venit ad ecclesiam, sic redit ad cameram suam, et signando semper in eundo et redeundo; et postquam redierit ad cameram, deponit pluviale et mitram, et assumit rubeum mantellum, et habere debet caligas de rubeo panno sine pedulibus et cum staffilibus, et infulam rubeam de scarleto; et postea parvos calceos de panno eodem, et calceos religiosos usque ad medium de corio rubeo, et tunicas et vestes de scarleto, et desuper pannos albam camisiam, et erit subcinctus cingulo de serico rubeo super camisiam; et ipsa camisia erit ita longa, quod elevata competenter super ipsum cingulum reflectatur.

4. Idem vero electus, in quocunque ordine fuerit, si scribat aliquas litteras alicui ante suam consecrationem, bullare faciet litteras ipsas cum illa parte bullæ in qua sunt capita apostolorum ex una parte; ex altera vero erit plana, cum **223** nondum sit consecratus in papam; et in salutatione scribit nomen suum sic, *G. electus servus servorum Dei, dilect.*, etc., *salutem et apostolicam Benedictionem.* Addit in fine ante datam litterarum: *Nec quod bulla exprimens nomen nostrum non est appensa præsentibus, quia ante consecrationis et Benedictionis nostræ solemnia non transmittitur his quæ fiunt, hactenus in Romanos electi pontifices consueverunt bullam habere ante suæ consecrationis munus, medium hujusmodi observare.* Et post dat. in tali loco, etc., hujus manu, *suscepti a nobis apostolatus officii anno primo.* Et pœnitentiarii dicunt in data suarum litterarum: *Datum etiam anno primo præsulatus domini episcopi papæ electi in Romano pontificatu.*

5. Idem autem electus, in quocunque ordine constitutus, promovebitur ad majores ordines secundum formam, qua alii ordinantur; hoc tamen salvo, quod ipse electus amictu et alba indutus, et cingulo subcinctus, cum manipulo tantum, si est subdiaconus; si vero est diaconus, cum stola super lævam partem,

sedebit in faldistorio suo, tenens mantum suum, pluviale non indutum, sed post collum, et mitram in capite ipso congruam; et sic debet ordinari. Ordinator venit coram ipso, et Orationes debitas dicet, et alia faciet quæ in ordine quem confert fieri consueverunt. Et attende quod dum idem electus ordinatur, diaconus cardinalis et subdiaconus capellanus assistent ei lavando manus et induendo, sicut alias fieri consuevit, dum papa celebrat; et erunt induti vestimentis sacris et debitis, et eidem electo postmodum duo debent assistere diaconi cardinales qui ei serviant, ut est moris; et isti etiam vestibus sacris congruis erunt vestiti, etsi alii cardinales cujuscunque ordinis non essent induti. Ordinator vero habebit suos ministros, qui ei in subdiaconi et diaconi habitu ministrent. Et hæc de ordine.

6. Quo electo ad ordinem ordinato, post susceptum ordinem, et vestimentis ordinibus debitis receptis, mantum sive pluviale, sicut dictum est, post collum resumet; et cum venerit ad horam coronandi, ordinatus ad ipsum ordinatorem ad altare venit, et ordinator eum reverenter coronabit; et sic omnibus peractis, et reverenter Missa expleta, ipse electus dicit *Sit nomen Domini*, et facit Benedictionem; qua dicta, ordinator ter dicit eidem electo *Multos annos*, flectendo ter genua coram eo, ut est moris; et altiori voce semper dicendo. **224** Idem electus nullum servitium in altari faciet ordinatori, nec Epistolam, nec Evangelium cantabit, nec ante receptionem ordinis diaconatus dicetur illa postulatio, *Postulat mater ecclesia nostra*, etc. Illa petitio non est necessaria in papa, quia scimus per omnia esse dignum; nec etiam cum promovetur ad ordinem presbyterii eadem postulatio dicetur; sed cum ad ordinem presbyteratus ordinari debebit, induetur cum ea solemnitate qua dictum est; habendo stolam super humerum, et manipulum in brachio; nec tamen habebit tunicellam, nec dalmaticam; nec calciabitur sandalibus, nec habebit pectorale, nec fanonem, sed solum amictum et albam; et fiet litania ut consuevit. Et demum ordinator coram ipso stans ordinat eum more consueto in aliis, et manus oleo sancto inungit, imponendo ei primo manum; et omnes presbyteri cardinales, qui assistunt, similiter; et ponit ei casulam, reflexo ei primo orario, ut est moris, super utrumque humerum; quibus omnibus, ut in ordinatione presbyterorum continetur, peractis, et casula ei extensa ad dorsum per ordinatorem, et peracta a ministris, idem electus lavabit manus suas cum mica panis, ut moris est. Quo facto, recipit ad pedem et osculum omnes episcopos, presbyteros, et diaconos cardinales, necnon et alios prælatos, qui adsunt, in ordine suo; quo facto, cantatur Evangelium; quo cantato, idem electus osculatur sibi delatum Evangelium, ut est moris; et post dictum *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, per ordinatorem, idem ordinator venit coram eodem electo, et recipit de manu ejus duos magnos panes, duas phialas vini, et duo torticia, osculando ei manum; quo facto, redit ad altare ordinator et ordinatus, et unus presbyter cardinalis eidem electo ordinato servit de libro in altari in Missa, docendo et instruendo ipsum. Eodem tempore debito, postquam ordinator coronaverit, præfatus electus de manu ordinatoris super altare coronabitur, et omnia rite agentur usque ad finem Missæ. Qua finita, ordinator dicit *Multos annos*, ut dictum est. *Sit nomen Domini benedictum* præcinetur per ipsum electum, prout superius est expressum; quo facto, idem electus exuetur reverenter, ut moris est, dicendo Psalmos debitos, scilicet, *Benedicite*, et *Laudate Dominum*, Antiphona trium puerorum. Et ordines hujusmodi recipiet presbyteris omnibus præsentibus, et a quocunque episcopo sibi placuerit, **225** cardinale, sive alio. Totum hoc agetur die Sabbati; die vero Dominico sequenti consecrabitur, si sibi placuerit. Si vero consecrari noluerit, si ex aliqua causa differet consecrationem, quousque consecretur, Missam nec publice nec private cantabit.

6. Dum electus in papam presbyter fuerit consecrandus, talis ordo debet servari. Primo idem electus dum dicit Psalmum *Quam amabilia*, etc., calciabitur sandaliis et caligis, et lotis manibus induetur omni ornamento suo, scilicet primo alba, cingulo, cum subcinctorio, postea pectorale, demum fanone, postea stola, deinde tunicella, et postea dalmatica. Subsequenter recipit chirothecas, et demum casulam et mitram in capite sine pallio et annulo pastorali, quæ postea recipiet in loco suo; et vestimenta erunt coloris tempori convenientis. Cardinales omnes, tam episcopi quam presbyteri, diaconi, subdiaconi, et alii prælati, omnes erunt in vestibus congruis tempori; et cruce papali præeunte cum faculis VII et incenso, omnes de loco in quo est vestitus veniunt processionaliter ad altare. Nulla tamen fit examinatio primo nec secundo illa consueta in consecratione aliorum episcoporum quæ incipit *Antiqua;* et vadit electus ad altare, et facit confessionem, interim choro vel schola cantante Introitum et *Kyrie eleison*; quo facto, venit coram altare, et ibi genuflectet super faldistorium paratum, et omnes alii similiter prælati; et duo diaconi cardinales qui ad serviendum ei ad dextram lævamque assistunt, et capellanus subdiaconus dicit litaniam cantando, aliis capellanis respondentibus; et dum venerit ad illum locum, *Ut consecrandum*, etc., repetet bis, et quilibet prælatus una cum ordinatore electum ipsum signabit. Qua litania dicta, ordinator venit coram eodem electo, et dicit illud quod est in Pontificali episcoporum. Quo dicto, redeunt post altare; et tunc venit unus ex episcopis cardinalibus, et dicit illam Orationem, *Adesto;* et postmodum venit alius episcopus cardinalis, et dicit illam Orationem, *Oremus, dilectissimi*, et additur in ea, *utilitati universalis Ecclesiæ;* et demum venit ordinator sive consecrator, et ponit apertum Codicem Evangeliorum super caput electi versus collum, et Codex sic apertus tenetur a duobus cardinalibus, et omnes prælati stant in circuitu induti quilibet cum suo libro; et ordinator incipit et procedit, ut continetur in libro, omnibus

aliis prælatis secum dicentibus in 226 voce depressa, et ordinatore in cantu *Deus homini*, etc., prout in libro; eo tamen salvo, quod mittatur in loco suo illud, *Et idcirco*, quod specialiter ponitur in consecratione papæ. Qua finita, depositis chirothecis, ordinator ponat unum capiturgium subtile in modum scuti super caput electi, pendentibus capitibus capiturgii post collum; et sic mittit chrisma super caput ejus in modum crucis, et dicit illam Orationem: *Ungatur*, etc., et addit aliam Orationem: *Hoc, Domine*, et in loco suo additur *Illud tribue*, etc. Qua finita, ungit manum electi cum chrismate, et dicit illam Orationem, *Deus*, etc. Qua finita, non datur ei baculus, nec dicitur illa Oratio, *Accipe baculum*, sed dat ei annulum, et dicit Orationem *Accipe*, etc., et addit *sanctam universalem Ecclesiam*; et iterum dat ei librum Evangeliorum, et dicit *Accipe*, etc., et addit, *universalem populum tibi committo*, etc. Quibus omnibus expletis per consecratorem, idem summus pontifex sedet in faldistorio, et lavat manus cum mica panis et aqua, et unus episcopus cardinalis venit coram ipso, et tergit ejus caput, quod fuit unctum, cum mica panis et cum cortic. leviter, et tergit cum linteamine sive subtili tobalea. Quo finito, ipse summus pontifex recipit consecratorem et omnes episcopos presbyteros et diaconos cardinales ad osculum oris.

7. Dum vero quis episcopus in papam eligitur, non consecratur aliter, sed fiunt omnia quæ continentur in isto libro ad hunc numerum, *Primo electus*, usque ad illud verbum, *processionaliter ad altare*. In fine facta confessione ascendit sedem præparatam, et ibi coram ipso veniunt episcopi cardinales, et dicunt Orationes illas tres, quæ sunt in Ordinario secundum ordinem in Ordinario scriptas. Quo finito, sedet in sede, et recipit dictos cardinales et prælatos alios, et facit ea quæ hic continentur a verbo illo, *Omnes alios prælatos ad pedem et ad osculum*. Quibus receptis, venit ad altare, et inibi desuper sumat pallium paratum per priorem subdiaconorum capellanorum, sive per priorem basilicæ Sanctæ Sanctorum; et duo priores diaconi cardinales tenent pallium ipsum, et tunc prior illorum duorum solus dat pallium summo pontifici sub his verbis: *Accipe pallium plenitudinem pontificalis officii ad honorem omnipotentis Dei; gloriosissimæ Mariæ virginis ejus genitricis, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctæ Romanæ ecclesiæ*; et aptato pallio ipso super eum cum tribus spinulis aureis, ut est moris, 227 ascendit summus pontifex ad altare, et facit incensum; et demum redit ad eminentem sedem, et dicit *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, cum *Gloria in excelsis*, ut dies requirit; et postea dicit Orationem Dominicæ alte, et aliam dicit pro se secrete. Qua Oratione finita, dominus papa residet in sede: et prior diaconus cardinalis portans ferulam in manibus cum diaconis, subdiaconis, scrinariis et judicibus, omnes induti solemniter, descendit ante altare, et facit duas acies sive fila, unam ex una parte, et unam ex reliqua, æqualiter dividendo; et ponit primo diaconos juxta altare, secundo subdiaconos, tertio judices, quarto scrinarios in ordine; et ipse prior diaconus incipit laudem sic alta voce, tamen quasi legendo: *Exaudi, Christe*; et judices et scrinarii procedent similiter in cantu quasi legendo: *Domino nostro papæ a Deo decreto summo pontifici et universali papæ vita*. Item idem prior dicit secundo *Exaudi, Christe*; et judices et scrinarii Antiphonam ut prius; et sic facit tertio. Idem prior dicit *Salvator mundi*; et judices et scrinarii Antiphonam *Tu illum adjuva*, et cætera facit. Tertio item idem prior dicit bis *sancta Maria*; et illi Antiph. *Tu illum adjuva*. Eodem modo dicit tamen semel *Sancte Gabriel, sancte Raphael, sancte Joannes Baptista, sancte Petre, sancte Paule, sancte Andrea, sancte Stephane, sancte Leo, sancte Gregori, sancte Benedicte, sancte Basili, sancte Saba, sancta Agnes, sancta Cæcilia, sancta Lucia*; aliis respondentibus *Tu illum adjuva*. Quibus finitis, prior dicit *Kyrie*, etc., et illi respondent *Kyrie, eleison*, etc., et hoc facit tertio; et postea omnes similiter dicunt alta et una voce *Kyrie*, etc. Laudibus finitis, legitur epistola Latina, et subsequitur Græca super pulpitum: ita de Evangelio. Ille vero episcopus cardinalis qui eum consecrat, dum esset omni pontificali indumento ornatus absque baculo pastorali, eumdem summum pontificem consecrat. Qua consecratione finita, deponit omnia ornamenta prædicta; et assumpto pluviali cum superpelliceo, servit eidem summo pontifici in altari, ut est moris. Et sic Missa ordine suo procedit usque ad finem; et consecrabit cum solemnitate, non super altare, sed ad sedem. Post Missam dicit idem summus pontifex: *Sit nomen Domini benedictum*. Consecrator tamen non dicit *Multos annos*.

8. Omnibus rite peractis, ipse summus pontifex et omnes cardinales, et alii prælati et subdiaconi, quilibet in gradu suo indutus vestimentis pretiosis albi coloris, episcopi pluvialibus, 228 presbyteri casula, diaconi dalmatica, subdiaconi tunicella, acolythi superpelliciis; et alii capellani, episcopi, archiepiscopi, abbates, et patriarchæ pluvialibus; et judices, scrinarii, similiter præfecti et advocati erunt induti pluvialibus; ipse in pluviali et mitra et solemniter in superpelliciis ut papa omnia pretiosa ornamenta habebit, et pallium, et mitram optimam, et chirothecas, et annulum pastoralem; et sic cum omnibus venit ad portam, sive ad gradus ecclesiæ. Ibi prior diaconus cardinalis exuit mitram, et ponit ei coronam, quæ vocatur regnum, in capite, toto populo clamante *Kyrie*, etc., et sic cum omni ornatu quilibet cardinalis et prælatus equitat equum opertum panno albo; subdiaconi vero, capellani, scrinarii, et alii equitant ornate vestiti, non tamen habent equos coopertos. Papa equitat equum magnum phaleratum et coopertum tantum ex parte posteriori, et de scarleto, in parte vero anteriori non coopertum.

9. Sic omnibus equos ascendentibus, prior diaconorum cum ferula ordinat Processionem hoc modo. Primo procedit equus domini papæ phaleratus; secundo vadit subdiaconus cum cruce, tertio duodecim

bandonarii cum duodecim vexillis rubeis, et duo alii cum duobus Cherubim cum lanceis; quarto duo præfecti navales induti pluvialibus; quinto scrinarii; sexto advocati; septimo judices; octavo cantores; nono diaconi et subdiaconi qui legant Epistolam et Evangelium in Græco; decimo abbates forenses; undecimo episcopi; duodecimo archiepiscopi; decimo tertio abbates Urbis; decimo quarto patriarchæ et episcopi cardinales; decimo quinto presbyteri cardinales; decimo sexto diaconi cardinales; decimo septimo dominus papa et subdiaconi cum tobalea, et serviens qui portat umbraculum; et sic venit usque ad palatium suum, sive ad ecclesiam juxta palatium suum; ubi cum descendit de equo, deponit regnum de capite, et recipit mitram; et presbyter cardinalis facit ibi laudes cum tabellionibus et judicibus; quibus factis, deponit pallium et casulam tantum ac chirothecas, et resumit pluviale post collum; venit ad aliquem locum præparatum decentem, et ibi dat cuilibet cardinali et prælato presbyterium; et sic fit. Ipse papa sedet in sede, et quilibet cardinalis et prælatus vadit coram eo, et flexis genibus exuet sibimet, cardinalis sive prælatus mitram, et tenet apertam ante papam; et ipse projicit illam pecuniam quam dat ei in uno **229** scypho argenteo camerarius, et quam dicit liber camerarius, qui vocatur Politicus [Leg. Polyptycus]; et ille qui recipit pecuniam in mitra osculatur genu domini papæ; et idem camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi; et assistunt ipsi camerario clericus tantum et duo equitatores; ipse vero camerarius et clericus cameræ sunt in superpelliciis. Quo presbyterio dato, idem dominus ducitur a duobus cardinalibus diaconis ad mensam solemniter paratam, et ibi sedet, episcopo cardinali sibi dante aquam, et duobus diaconis tobaleam tenentibus; et eo loco vadunt omnes sedere, et sedet in una mensa eminente solus papa cum diversis et magnis vasis aureis, et argenteis; in alia mensa sedent episcopi, in alia presbyteri post eos; in alia parte ad sinistram diaconi cardinales, et postmodum mensæ omnium prælatorum et aliorum nobilium. Et attende quod papa stabit, dum comedit, indutus et calceatus, ut dictum est, et cum mitra; cardinales vero omnes habebunt superpellicium cum camisiis et mantello, et mitra alba simplici in capite; et comedent omnes prælati similiter cum mitra. Coram papa servient laici majores natu et nobiliores qui sunt præsentes. Qua comessatione finita, papa lavabit manus ut prius, et quilibet cardinalis similiter sedendo lavabit, serviente fundente aquam cardinali lavanti. Cardinales qui assistunt tenent tobaleam, unus ex una parte lavantis, alter ex altera, et sic sibi ad invicem mutuo serviant; quibus omnibus lotis, et redditis gratiis, papa reducitur a duobus cardinalibus ad cameram et capellam; et discalceant et exuunt eum, et postea papa quiescit. Cardinales vero et alii prælati redeunt ad hospitia sua cum mitris equitantes, et parati sicut steterant in comestione. Et attende, quod dum venit coronatus, debet in quatuor locis facere missilia, id est pecuniam diversam mistam projicere super homines.

10. Si vero papa fuerit Romæ apud sanctum Petrum ordinatus et consecratus, dum debet consecrari, inducitur ad capellam sancti Gregorii, et venit processionaliter ad altare; et fiunt cætera ut supra dictum est; quibus finitis, coronatur ad gradus, et redit Lateranum per viam papæ; et postquam equitaverit, fit ibi in eodem loco jactus pecuniæ per senescalcum vel per alium ter, et post papam projicit. Item cum pervenit ad turrim Stephani Petri qui est Parionis, et hodie dicitur Turris de Campo, unus de familia papæ facit ibi alium jactum, **230** stando in aliquo loco eminenti; et ibi Dominus papa stat, et veniunt illuc Judæi cum lege, facientes ei laudem, et offerunt sibi legem, ut adoret; similiter dum pervenerit ad palatium [a]...... in Punga, unus de familia papæ de dicto palatio facit unum jactum; similiter facit alium jactum, cum pervenerit ad sanctum Marcum; similiter cum pervenerit ad sanctum Adrianum, facit alium jactum, stando in fenestra palatii sanctæ Martinæ; et sic venit ad plateam Lateranensem, et ducitur ad porticum quæ vadit ad ecclesiam sancti Joannis Laterani; et ibi ante porticum stat prior Laterani et canonici cum eorum comitiva, induti solemniter, et cum cruce processionali papam, cum descendit, recipiunt. Et postquam papa descendit, faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quæ vocatur stercoraria; et veniunt omnes cardinales, honorifice elevantes eum, ut vere dicere possint: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Et ipse dominus papa stando juxta ipsam sedem accipit tres pugillatas denariorum de gremio camerarii, et projicit inter populum, dicens: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do.* Et postea priore et canonicis præeuntibus, cantando ducitur per ipsam porticum ad ecclesiam basilicæ Lateranensis, ubi orat, et dicit: *Sit nomen Domini;* et deponit regnum, et assumit mitram, et sedet in magna sede post altare, ubi recipit prædictos priorem et canonicos Lateranenses ad pedem et ad osculum. Quo facto, ducitur ad palatium; et dum venerit ad portam palatii, unde intratur palatium per ecclesiam, ponitur ibi faldistorium, et ibi papa sedente, prior presbyterorum cardinalium ordinatis judicibus et scrinariis in filo, facit ibi laudem, sicut diaconi cardinales fecerant in Missa ante Epistolam post Orationem. Postea ducitur ab ipsis cardinalibus per palatium usque ad portam ecclesiæ sancti Silvestri, ubi sunt duæ sedes porphyreticæ; et primo sedet in illa quæ est ad dexteram, ubi prior basilicæ sancti Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum correctionis et regiminis, et claves ipsius basilicæ et sancti Laterani palatii, in quibus designatur potestas claudendi, aperiendi, ligandi atque solvendi; et cum ipsa ferula et aliis clavibus

[a] Cencius, in cap. 14, habet: *ad palatium Censii Muscæ in Punga.* Confer cap. 20 Jacobi Caietani.

accedit ad aliam sedem similem, quæ est ad sinistram, et tunc restituit eidem priori **231** ferulam et claves, et incipit sedere in illa secunda sede. Et postquam aliquantulum sedit, idem prior cingit eidem domino papæ zonam de serico rubeo, in qua dependet bursa purpurea, in qua sint duodecim lapides pretiosi cum sigillo et musco; et dum in ipsa sede sedet, recipit officiales palatii ad pedem et ad osculum; et sedens ibi recipit de manu camerarii denarios argenteos valentes x solidos, et projicit eos super populum; et hoc facit ter, dicendo singulis vicibus: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* Et istis duabus sedibus papa taliter se habet, ut videatur potius jacens quam sedere; et nulla istarum sedium, nec etiam stercoraria, est cooperta vel parata, sed nuda. Demum ducitur ad sancta sanctorum, ubi intrat; et ante altare suam Orationem facit; et postea reducitur ad capellam sancti Silvestri, in qua intrat, et sedet in loco præparato, et facit presbyterium, de quo supra dictum est. Postea redit ad cameram, in qua deponit casulam et pallium, et assumit mantum, et vadit comedere, ut supra dictum est. Primo tamen recipit juramentum secundum formam: *Ego talis*, etc., a senatore.

11. Si vero dominus papa consecratur vel eligitur extra urbem, cum venerit ad Romam ad capellam sanctæ Mariæ Magdalenæ ad radicem montis Mali, descendit et intrat cum cardinalibus ipsam capellam, et ibi recipit pluviale et mitram; et postea equitat et procedit, et Judæi sibi occurrunt cum lege et laudibus, et omnes ecclesiæ Urbis ei obviant honorifice cum processione, et veniunt omnes clerici induti cum crucibus et vexillis et thuribulario et capsa cum thure; et quælibet ecclesia occurrit ipsi papæ cum thuribulo et ipsa capsa; et idem dominus papa de thure cum cochleare in thuribulo ponit, et illi papam cum eo incensant; et faciunt ita omnes ecclesiæ, et sic ducitur per porticum usque ad gradus sancti Petri, ubi est Processio parata; et archipresbyter et canonici sancti Petri, a quibus recipitur reverenter, et cantantibus ipsis canonicis introducitur in ecclesia a priore canonicorum, tenentem ipsum papam ex una parte, et priore cardinalium ex altera, et sic introducitur in ecclesiam tenentibus eum. Sed prior dimittit eum ante portam ecclesiæ ipsius basilicæ, et alius cardinalis assumit eum ex illa parte; et in medio ecclesiæ veniunt, et cantant coram ipso cardinales presbyteri: *Protector noster aspice Deus, et respice in facie Christi tui;* quo dicto, **232** ducitur ad altare, et ibi orat; et dum orat, cantant canonici *Te Deum laudamus;* quo cantato surgit papa ab Oratione, et dicit *Sit nomen Domini;* et postea osculatur altare beati Petri, offerendo super altare pretiosum pannum aureum, et semper papa offert pannum sericum super altare cujuscunque ecclesiæ, cum primo ejus altare ascendit. Demum ad magnam et eminentem sedem post altare beati Petri ducitur, et in ea a priore diacono cardinale inthronizatur et ponitur; et ibi sedens recipit ad pedem et ad osculum oris omnes cardinales ordinate, et omnes canonicos sancti Petri. Quo facto, ducitur ad cameram suam, ut ibi quiescat. Cum vero venerit ad Lateranum, recipitur prima vice, ut supra dictum est de sedibus, et de omnibus, præterquam de laudibus; et offert ad altare ut dictum est. His omnibus, quæ circa dominum papam fiunt, taliter sub brevitate transcursis, qualiter idem dominus papa in officiis habere se habeat in ecclesia, vel extra, breviter videamus.

12. Primo notandum est quod dominus papa tres mitras diversas habet, quibus diversis temporibus utitur, scilicet unam albam totam, unam cum aurifrisio in titulo sine circulo, et mitram aurifrisiatam in circulo et in titulo. Mitra aurifrisiata in circulo et in titulo utitur in officiis diebus festivis et aliis, excepto a Septuagesima usque ad Pascha, et ab Adventu usque ad Natale, et quando cantat pro defunctis. Et est illa ratio, quia coronam repræsentat, et activæ et contemplativæ vitæ discursum. Mitra vero cum aurifrisio in titulo sine circulo utitur, cum sedet in consistorio, et judicat; unde coronam regalem repræsentat. Alba utitur diebus Dominicis et aliis non festivis, ab Adventu Domini usque ad vigiliam Nativitatis Domini in Vesperis, præterquam in tertia Dominica de Adventu, quæ dicitur Dominica de *Gaudete*, in quo die in Laudibus est quinta Antiphona *Juste*, quia tunc dominus papa facit quamdam solemnitatem, quæ talis est. Cum ipso die Dominico sit statio ad sanctum Petrum, die Sabbati in vigilia ejusdem Dominicæ in vespere papa et cardinales conveniunt, ad sanctum Petrum, et ibi omnes, papa et cardinales, induti soli episcopalibus propter festum stationis, incipiunt Vesperas de die, non dicendo de beata Virgine, cum sit propter festum stationis officium, et dicuntur in Vespere Antiphonæ de Laudibus, et primicerius cantabit cum schola. Primicerius prænuntiat primam Antiphonam papæ, **233** alias vero tres dicunt scholenses, et canonici sancti Petri quintam, quæ est *Juste*, prænuntiant papæ, et idem dominus papa post talem prænuntiationem accipit monetam auream de manu camerarii, et ponit in ore ipsius prænuntiantis eodem prænuntiatore tenente os apertum. Et hoc facto ipse papa incipit solemniter *Juste*, et deinde Psalmos Dominicales cum ultimo psalmo *Laudate Dominum omnes gentes*, et fiunt omnia ut in officio diebus Dominicis. Dictis Vesperis, omnes redeunt.

13. Mane ipsius tertiæ dominicæ papa equitat ad sanctum Petrum, et portat mitram aurifrisiatam in eundo et redeundo, et in Missa utitur pannis serici coloris, et violaceis anaglypho opere contextis, et casula est ornata perlis; et solum hac Dominica et in Quadragesima utitur eis; aliis vero Dominicis et feriis diebus utitur pannis coloris violacii in Missa, et diaconus et subdiaconus similiter, nisi sit festum, in quo utuntur pannis illius coloris quod festum re-

quirit. Et nota quod vii diebus ante vigiliam Nativitatis, die Dominico excepto, cantantur septem magnæ Antiphonæ ad *Magnificat*, et quasi jubilando, et cantantur ante Psalmum et post Psalmum. Et non dicitur *Kyrie, eleison*, nec suffragia, sed absolute incipitur *Dominus vobiscum*, et dicitur Oratio Dominicalis, etiam de feriis, si habeatur. Et attende quod semper dum cantatur de mortuis, sive de feria ab Adventu usque ad Natale, et a Septuagesima usque ad Pascha, et in quatuor temporibus, et in vigiliis Sanctorum, in quibus jejunatur, et ministri capsula utuntur, nisi in vigilia Pentecosten, et in quatuor temporibus ejusdem festi officium non facit papa, ut continetur in Breviario de die et de beata Virgine, unum tamen episcopale est ab ipsa die Sabbati usque ad Vesperas vigiliæ Nativitatis Domini, quod officium beatæ Virginis in Matutinis, et in Vesperis primis non dicitur ; aliis vero diebus dicitur legendo ; ab ipsa vero prima Dominica de Adventu usque ad festum Natalis, cum jejunatur quadragesimaliter.

14. In vigilia Nativitatis Domini venit papa, omnes cardinales et prælati vocati per cursores, et capellani, et alii similiter ad Vesperas, et induitur papa pretioso pluviali rubeo, et mitra pretiosa ; alii vero omnes albi coloris vestibus, episcopi et diaconi cardinales, et alii prælati pluvialibus, presbyteri vero casula ; et sic solemniter dicunt Vesperas, et incipit papa **234** Vesperas in loco suo ornato, capellanis in habitu decenti cantantibus coram eo. Et si est Romæ, prænuntiat primicerius scholæ, et secundum cantum scholæ ; si vero est alibi, pronuntiat alius capellanus papæ hebdomadarius, et prænuntiat sic : primam primus papa, secundam prior episcoporum, tertiam prior presbyterorum, quartam prior diaconorum, quintam alter diaconus post priorem. Postea papa facit incensum, et incensando solum altare quod paratum dictum est esse ; et eo incensato, redit ad locum suum, et cardinalis qui ei servit de libro recipit thuribulum, et incensat papam, cardinales et omnes prælatos indutos et capellanos ordinate. Capitulum dicit capellanus, et prænuntiatur papæ Hymnus et Antiphona ad *Magnificat*, et assistunt ipsi papæ duo diaconi cardinales, unus ad dextram antiquior, et junior ad sinistram ; et episcopus sive presbyter cardinalis, qui servit de libro, cum dominus papa dicit Orationem. Et cum dicit, duo capellani tenent magna candelabra argentea cum cereis ante ipsum, et dicto *Dominus vobiscum*, junior diaconus dicit *Benedicamus Domino*, et papa dicit : *Sit nomen Domini*. Quo finito, redeunt ad aulam papæ, ubi parata sunt vina multa et diversa, et claretum et species.

15. Si vero papa est Romæ, facta cœna in [a] meridie, vadit cum familia sua ad sanctam Mariam Majorem, et ibi dicit Vesperas solemnes cum tota curia, ut dictum est, et ibi pernoctat, et cantat ibi Matutinas in ecclesia ipsa, et tres cardinales episcopi, duo diaconi, et unus presbyter juniores assistunt ei, et fit officium ut continetur in ordine Breviarii. Cantat ibi dominus papa Missam de nocte ad altare, quod vocatur præsepe ; et dum exuit se, cantant capellani Laudes matutinales coram eo ; quibus dictis, vadit requiescere. Er summo mane ante solis ortum vadit cum tota curia ad ecclesiam sanctæ Anastasiæ, et cantat ibi Missam ; qua dicta, redit ad dictam ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris, et cantat ibi ad altare majus tertiam Missam, et in omnibus Missis utitur colore albo ; qua dicta, redit Lateranum, dicit Vesperas suas in capella cum capellanis suis. Eodem die omnes pœnitentiarii cum eorum famulis, et eleemosynarius hebdomadarius et vicancellarius cum tota cancellaria veniunt videre papam, et papa dat omnibus species et vinum.

235 16. In festo beati Stephani fit officium sicut continetur in Ordinario.

17. In festo sancti Joannis fit officium similiter ut habetur in Breviario, et utitur colore albo.

18. In festo Innocentium fit officium ut continetur in libro ; tamen in Missa utitur colore violaceo, et subdiaconus et diaconus utuntur planetis, et papa mitra simplici. In eorum Octavis utitur in Missa colore rubeo, ut in diebus festivis. In aliis vero festis sequentibus, sive festum confessorum, sive virginum, utitur colore albo, rubeo in Dominicis a Nativitate usque ad Octavam Epiphaniæ ; si facit de Dominica, non de aliquo festo, utitur albo colore. Ab octava vero Epiphaniæ usque ad Septuagesimam diebus Dominicis et ferialibus utitur colore viridi.

19. A Septuagesima vero usque ad primam diem Quadragesimæ, utitur colore nigro, et facit Processionem de sancta Anastasia usque ad sanctam Sabinam, et vadit papa et alii discalceati, et discalceatur ipse papa in porta ecclesiæ ; et propter hoc induitur sacris vestibus, et non calciatur sandalibus. Et postquam veniunt illuc, papa intrat sacristiam, et lavat pedes, et calceatur, et postea cantat Missam. In eundo vero idem dominus papa cum diacono capellano et aliis eum concomitantibus vadit dicendo Psalterium ; scholenses vero cantant, et alia fiunt ut continetur in Ordine Romano ; excepto quod in Quadragesima usque ad Pascha, et ab Octava Pentecosten usque ad Natale, et ab Octava Epiphaniæ usque ad Quadragesimam, in diebus ferialibus, cum dicuntur Orationes, sive in officio diei, sive defunctorum aut beatæ Virginis, in omnibus Horis debemus genua flectere ; et in Missa similiter debemus stare flexis genibus in Orationibus ante epistolam, et post cantum ad elevationem corporis Christi. In elevatione vero corporis Christi, cum antea parum debeant surgere, prosternant se ad terram, et adorent [b] reverenter in facies cadendo ; et sic prostrati stent usque ad *Per omnia*, ante *Agnus Dei*, et dant pacem, et iterum se prosternunt, et stant sic prostrati, quousque sacerdos corpus et sanguinem sumat. Quo sumpto, dum perfunditur, sedeant, et de-

[a] Ergo jam tunc cœna seu refectio diebus jejunii fiebat ad meridiem.

[b] Nota ritum adorandi Eucharistiam in Missa ; quem ritum hodie retinent Carthusiani.

beant stare capitibus discoopertis ab elevatione corporis Christi **236** usque ad sumptionem. Iterum dum dicunt Orationes post Communionem, debent genua flectere, et stare usque ad finem Missæ. In Quadragesima vero surgent et stabunt, dum dicitur Oratio super populum. Tunc discooperientur capita, et inclinabunt se, dum ipsa Oratio dicitur. Missa vero finita, papa dicit *Sit nomen Domini*, ut moris est.

20. A primo die Quadragesimæ usque ad Pascha, si papa cantat, unam tantum Orationem consuevit publice dicere; capellani vero dicunt quinque, primam de die, secundam *A cunctis*, tertiam *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*, quartam *Exaudi quæsumus, Deus, supplicum*, quintam de papa, et sic fit diebus ferialibus usque ad Dominicam de Passione. A Dominica vero de Passione in Missa usque ad Pascha dicitur tantum de die *Ecclesiæ tuæ*, et de papa. Alia vero officia usque ad Dominicam de *Lætare, Jerusalem* fiunt, ut habetur in Ordine; in qua Dominica papa portat mitram cum aurifrisio, et vadit cantare ad sanctam Crucem, si est Romæ. Et si est alibi, ubi placet; et portat in manu quamdam rosam auream miro opere operatam, in qua intus sunt muscus et balsamum, et tenet ipsam in manu, dum dicit Tertiam; et dum calciatur et cum induitur, servat eam camerarius, et juxta ipsum hodie servat eam diaconus. Si papa non celebrat, et induitur pretiosis quibus induitur in Dominica de *Gaudete*, et tenet ipsam rosam, cum sermocinatur, et in Missa servat ipsam subdiaconus juxta ipsum qui servit de tobalia; et dicta Missa reportat eam in manu, et præfecto Urbis vel alteri cui placet eam dare, qui adextrat papam tenendo frenum equi pedes ad locum in quo papa descendit et præcedit subsequendo usque ad cameram; et papa dat ei rosam, et ille osculatur ejus manus et pedes, et redit ad domum suam cum rosa decenter.... Si papa celebrat, dat rosam post descensum suum; si vero non celebrat, dat rosam in camera sua. Quid vero rosa hæc, aurum, muscus et balsamum, quæ sunt intus in ea, et quod tali die portatur, significent, diligenti inquisitori servatur.

21. In Dominica Ramis Palmarum fiat officium ut continetur in Ordine; hoc tamen salvo, quod dum cantatur Passio, dominus papa tenet palmam suam in manibus, et quibuslibet alius. Et est ista ratio quod illa duo repræsentant Ecclesiæ laudem et improperium, quorum primum in palmis et floribus, alterum in Epistola et Passione Missæ exprimitur; et licet **237** Ecclesia [a] Gallicana rubeis utatur vestibus, Romana tamen violaciis utitur; cætera usque ad diem Jovis in Cœna Domini fiunt, ut ponuntur in Ordine.

22. In Cœna Domini in nocte et die dicuntur omnia ut continentur in Ordine, hoc tamen salvo, quod in ipso die legunt tres Psalmos; lectiones de Threnis tres de capella juniores, in secundo die tres seniores, in tertio capellani presbyteri. Hora vero sexta ipsius diei venit papa cum tota curia, tum omnes episcopi cardinales in pluvialibus, presbyteri in casula, diaconi in dalmatica, subdiaconi in tunicellis, prælati omnes in pluvialibus coloris albi, et alii capellani, qui habent servire, in superpelliciis, et ipse dominus papa cum pretioso pluviali et mitra cum auro, et ibi fit per ipsum dominum papam sermo. Quo finito, papa residet in faldistorio, et leguntur per capellanum excommunicationes; et diaconus cardinalis exponit, et sicut de quolibet processu. Quibus lectis et expositis, veniunt multæ candelæ accensæ, ex quibus ipse papa tenet aliquas, et quilibet cardinalis et prælatus tenet suam accensam, et in terram ponit exstinguendo, dicendo *Prædictos omnes excommunicamus*; et tunc campanæ insimul sine ordine compulsantur. Et hic quæri posset quare sic candelæ accensæ projiciuntur. Et respondetur quod sicut cum candela accensa projicitur, exstinguitur, sic per excommunicationem ab Ecclesia Spiritus sancti gratia, quæ significatur per lucem, ab eis removetur; et sicut in pulsatione ordinata Ecclesia fideles congregat, sic in inordinata infideles dispergit. Ad hoc vero quæri potest quare hoc hodie, et in Ascensione Domini, et in festo Dedicationis basilicæ duodecim Apostolorum hujusmodi excommunicationes fiant in Ecclesia Dei, cum magis viderentur illis diebus silendæ, cum in diebus festis actus judiciales non debeant exerceri. Et respondetur quod est illa ratio festorum trium. Primo, hac die Jovis sacramentum corporis et sanguinis Christi habuit principium, in quo omnes fideles communicant. Ad ostendendum vero quod excommunicati in hoc non communicant, eo die ab ecclesia exclusi ostenduntur. In Ascensione vero legitur Deus rogasse pro fidelibus; unde cantat Ecclesia: *Pater sancte, serva eos*, etc.; unde ostendit Ecclesia quod pro his non oravit, et eos tales denuntiat. In festo vero Dedicationis ostenditur locus **238** qui fidelibus ad adorandum deputatur; et quod infidelibus locus ille apertus non est, in ipso die ab ecclesia expelluntur. Et hoc totum fit pro utilitate excommunicatorum, ut videntes se a tot bonis tantorum dierum excludi, facilius ad reconciliationis gratiam condescendant. Ad diem vero festum respondetur quod hoc non est sententiæ prolatio, sed exclusionis ostensio, et non per viam judicialem, sed admonitionem et correctionem materialem. Qua prædicatione et excommunicatione completa, fit confessio, et sequitur indulgentiæ datio, quæ est talis: indigenis datur annus et XL dies: extraneis II anni et II quadragenæ; ultramontanis III anni et IV quadragenæ. His qui transiverint mare IV ann. et IV quadragenæ. Et fit absolutio per papam, et ea facta vadit ad ecclesiam, et facit omnia ut continentur in ordinatione, et Missa, et confectione chrismatis, et lotione pedum in suis locis, et datione presbyterii, quæ ita fit. Prælati coram papa veniunt, ut dictum est in coronatione, etc. Et comedit.

[a] Nunc Ecclesia Gallicana ritum Romanum observat.

23. Feria sexta Parasceve, dicitur officium nocte et die ut continetur in Ordinario. Prima vero hora hujus diei in consistorio ante lectum papæ conveniunt omnes capellani induti suis cappis et camisiis rotundis, et non forratis vel pretiosis, sed simplicibus et cum silentio, qui tristi facie sedent in terra. Demum venit dominus papa assistentibus sibi duobus capellanis, indutus sua cappa simplici de scarleto non forrato, et sedet non in sede, neque in faldistorio, sed in scabello, et per choros dicunt totum psalterium continuatim; hoc tamen salvo, quod prælati, si dominus papa surgeret ad absolutionem peregrinorum, vel ad alia, tacent, et eo redeunte resumit unus quod dimissum est. Quo finito, cum aliis, ut habetur in Ordinario, dicit ipse papa litaniam, si sibi placuerit, et Orationes. Consuevit enim hac die, et in primo die Quadragesimæ ipse dicere litaniam; Orationes vero et Benedictiones semper ipse dicet, nisi fuerit impeditus. Demum fit Processio hora debita in nigris vestibus, et alia omnia, ut habentur in Ordinario. Hoc tamen salvo, quod papa redit cum cappa, non cum pluviali et cum capello, si est eques, vel cum mitra simplici.

24. Die Sabbati omnia fiunt ut continetur in Ordinario.

25. Dominica sanctum Pascha, surgit papa ad Matutinum, et omnes capellani induti superpelliciis conveniunt in capella, **239** quæ bene ornata dicitur esse, cum pluribus cereis et magnis faculis; et demum venit papa indutus pluviali albo, quod portare debet quotidie usque ad diem Sabbati in Missa, et aliis Horis, conducentibus eum duobus capellanis venit ad capellam, et officium agit, et cætera fiunt eodem die et per Octavam usque ad diem Sabbati in Vesperis, in quo resumit pluviale rubeum, ut in Ordine continetur, et omnia officia fiunt semper usque ad Ascensionem, sicut in Ordinario habetur. Hoc tamen attende, quod die Lunæ [a] et die Martis non comedit curia carnes, sed caseum et ova. Die vero Mercurii vigilia Ascensionis jejunat, et tempestive comedit, et parum quiescit; et postea vadit papa cum tota curia ad sanctum Petrum, et ibi cum omni solemnitate cantat Vesperas, cardinalibus et prælatis assistentibus vestibus solemnibus indutis. Utuntur colore albo in isto festo et per Octavam, nisi veniat festum aliquod quod impediat. Et capellani similiter erunt omnes induti superpelliciis; nam capellani in Pascha, duobus diebus sequentibus, in Ascensione, in Pentecoste, et duobus diebus sequentibus, et in omnibus festis duplicibus a Pascha usque ad festum omnium Sanctorum, in primis et secundis Vesperis, in Matutinis et in Missa, si fiat de festo in capella, debent uti superpelliciis. Eodem die vigiliæ dominus papa cum capellanis suis in sancto Petro pernoctat, et dicit in capella sua Matutinum cum capellanis suis, et mane in sancto Petro cantat Missam, et ante Missam dicit Tertiam, et induit se more solito. Indutus cum omni ornatu, ipse, cardinales, et omnes prælati, et alii ascendent pulpitum paratum; et sermocinatur, et omnia fiunt de excommunicatione, sicut in Cœna Domini. Quibus finitis, prosequitur Missa; et ea finita, redit Lateranum. Et attende quod quoties in festis duplicibus papa vadit ad primas Vesperas, semper facit incensum super altare, in tertio nempe Psalmo; et si est in sancto Petro, incensat altare majus, et aliud quod est infra in confessione, et tertium quod est extra in exitu confessionis, in quo prænudatæ fuerint reliquiæ beatorum apostolorum Petri et Pauli. In secundis Vesperis, si est Romæ vel alibi, consueverunt cantores de schola loco Hymni prosam cantare, *Rex omnipotens*, cum melodiis.

240 26. A die Ascensionis usque ad Octavam, et etiam ad vigiliam Pentecostes fit officium ut in die Ascensionis, et fiunt festa inter Octavam, et dicitur officium beatæ Virginis. In vigilia Pentecostes ad Vesperas conveniunt papa, cardinales, et alii prælati, quia solemnes sunt et duplices; et fit prout in aliis duplicibus, et utuntur colore rubeo hoc sero et per totam octavam; et si est Romæ, vadit ad sanctum Petrum. Et attende quod cum est in sancto Petro, in Vesperis ipse papa tantum incipit Antiphonam, prænuntiante sibi priore scholæ, et ultimam ad Matutinum; alias vero Antiphonas vicissim canonici sancti Petri et cantores scholæ prænuntiant qui cantant; alii vero prælati non cantant, ibi incipiendo aliquis Antiph. In nocte et per hebdomadam dicuntur Matutino tres lectiones, sicut in hebdomada Paschæ. Et est illa ratio propter neophytos baptizatos, ne ex longo officio fastiditi retro respiciant. Hac die et per totam hebdomadam dicitur Tertia; id est vero propter Hymnum *Veni creator Spiritus* qui dicitur in Tertia; et in Missa quotidie cantatur *Alleluia*, *Veni sancte spiritus*, et Prosa *Sancti Spiritus adsit nobis gratia*; cætera officia dicuntur sicut continetur in Ordinario. Quarta feria hujus hebdomadæ dicuntur duæ lectiones; unde dicto *Kyrie, eleison*, dicit sacerdos *Oremus*, sine *Flectamus genua*; et postea dicitur Oratio. Qua finita, legitur lectio; qua lecta, dicitur *Alleluia*, cum suo versiculo; quibus dictis, dicit sacerdos *Gloria in excelsis Deo*, et procedit in Missa ordine consueto.

27. Die Sabbati dicuntur quinque lectiones, et cantatur *Alleluia*, cum versiculo ut dicitur in Ordinario, cum Orationibus; quibus dictis, dicitur *Gloria in excelsis Deo*, et procedit Missa ordine debito. His tribus diebus, quanquam sint quatuor tempora, utuntur tamen rubeis vestibus, et tunica, et dalmatica propter solemnitatem Pentecostes, et duobus diebus sequentibus, ut in Pascha et duobus diebus sequentibus, et in Nativitate et in duobus diebus sequentibus. Si cantat dominus papa, debent omnes subdiaconi indui tunicellis in Missa; et isti subdiaconi debent esse parati duodecim in Cœna Domini, ut laventur pedes eorum, ut continetur in Ordinario; et debent portare septem

[a] Nempe ob triduum Rogationum, quæ abstinentia hodie quoque servatur, non vero jejunium in vigilia Ascensionis.

candelabra cum faculis, et crucem in processione; et debent etiam cantare *Patrem omnipotentem* de *Credo*, et *Sanctus* in ipsa Missa; **241** et associatur diaconus cardinalis, cum vadit legere Evangelium; et in vigilia Paschæ debent legere lectiones, et ire ad fontes, et facere litaniam. Si quæratur quæ est ratio, quare subdiaconi sic canunt aliqua, et postea non canunt, respondetur quod statum Ecclesiæ primitivæ repræsentant. Idcircoque tres linguæ in Missa cantant, Latina, Græca, et Hebræa. Latina in introitu, Epistola, et Evangelio, et Orationibus, Græca *Kyrie, eleison*; Hebræa, *Hosanna*. De istis antiquitus duæ fuerunt in Ecclesia Dei; Græca et Latina; et earum quælibet cantabat in Symbolo fidei, et etiam laudibus in sanctis. Verum quod postea Græca non duravit, subdiaconi post *Sanctus* silent.

27. In Dominica prima post festum Pentecostes, quæ caret Octava, die Sabbati in Vigilia ipsius Dominicæ usque ad Dominicam primam de Adventu Domini, fit officium de die et nocte, ut continetur in Ordinario, et utitur Ecclesia colore viridi.

ADMONITIO IN SEQUENS ORDINARIUM.

In apographo illustrissimi Ciampini, a quo nostrum exemplum accepimus, nullum auctoris nomen exstat sequenti Ordinario præfixum. At quoniam in Cæremoniali Petri Amelii, quod huic proxime (si locus patiatur) succedet, liber *Jacobi Gaytani* laudatur multis in locis, nempe in capitibus 24 et 25, 52, 57, 58, 76 et 85, quæ omnia loca in subjecto reperiuntur Ordinario, non dubito prædictum Jacobum Gaietanum ejusdem Ordinarii esse auctorem. Fuit autem Jacobus diaconus cardinalis sancti Georgii in Velo Aureo seu Velabro, creatus a Bonifacio VIII, cujus et ipse nepos erat: idemque floruit sub pontificatu Benedicti XI, Clementis V, Joannis XXII, Nicolai V, Benedicti XII, et Clementis VI, sub quo vivere desiit. Legatur sequentis Ordinarii caput 117, in quo multa referuntur de creatione quorumdam cardinalium, qui a præmissis pontificibus creati sunt, teste ac spectante (ut videtur) auctore; quem proinde Jacobum Gaietanum appellabimus, suffragante **242** præter Amelium Augustino Patricio, qui eumdem Jacobum Gaietanum laudat in lib. II cap. 60, de lectione Græca prophetiæ primæ in Sabbato sancto, de qua hic in cap. 93. Nec obstat quod in sequenti Ordinario quædam afferuntur ex Cæremoniali cardinalis Rothomagensis de Stoutavilla, qui ab Eugenio IV creatus est. Hæc enim postmodum addita sunt ex Cæremoniali Petri Amelii episcopi Senogalliensis; cujus exemplo, quod olim fuerat in potestate Guillelmi cardinalis de Stoutavilla, usus est auctor prædictarum additionum. Ita etiam Cæremoniali Petri Amelii nonnulla inserta sunt a Petro Oloycensi episcopo, qui vixit pontificatu Martini V. Hunc vero de prædicto Cæremoniali Petri Amelii sub nomine cardinalis Rothomagensis sæpius hic citato sensum esse patet ex ultima additione apographi Ciampiniani; in quo ea quæ apud Petrum Amelii leguntur cap. 143, de pontifice ægrotante, referuntur *ex Cæremoniali domini Cardinalis Rothomagensis de Stoutavilla, quem edidit dominus Petrus Senogalliensis episcopus; ex quo libro sunt omnes postillæ positæ superius in marginibus in diversis locis.* Nullum itaque dubium relinquitur plerasque ex illis additionibus excerptas fuisse ex Cæremoniali Petri Amelii, id est ex illo ejus exemplo quod olim fuerat cardinalis Rothomagensis.

ORDO ROMANUS XIV,

SEU

ORDINARIUM S. R. E.

auctore, ut videtur, JACOBO CAIETANO cardinale.

246 I. *Modus qui servari consuerit per dominos cardinales, quando insistunt super electione summi pontificis, et eligunt per viam procedere compromissi.*

In nomine Domini amen. Anno Domini millesimo, etc., *die Jovis sexta, die mensis talis. Nos episcopi, presbyteri et diaconi S. R. E. cardinales, omnes et singuli in consistorio existentes, videlicet ego Ostiensis, ego Albanensis*, et sic de singulis episcopis nominatim. Deinde fiat idem per ordinem de presbyteris nominatim; et postea de diaconibus per ordinem: *Diaconi cardinales tractantes* **247** *de electione pontificis elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter, et concorditer, nemine discrepante, elegimus compromissarios venerabiles Patres dominos N. episcopum*, etc., *fratrem N. presbyterum*, etc., *et L. sancti Angeli diaconum cardinalem: quibus damus plenariam potestatem providendi Romanæ et universali Ecclesiæ de pastore, sub hac forma, videlicet quod duo ex eis possint eligere tertium de se ipsis, et omnes tres concorditer de collegio, vel de extra possint Romanæ universali Ecclesiæ providere. Et volumus quod dicta potestas duret usque ad consumptionem candelæ seu faculæ ex consensu singulorum accensæ; et promittimus nos illum pro Romano pontifice habituros* [Al., *intuituros*], *quem prædicti compromissarii in forma prædicta duxerint eligendum.*

II. *Qualiter proceditur ad electionem summi pontificis per viam scrutinii.*

Si in electione Romani pontificis velint cardinales per viam scrutinii procedere, solent eligi tres scrutatores collegii, et alii tres scrutatores scrutatorum. Modus autem scrutinandi et deponendi votum in scrutinio in porta talis est.

Nos eligimus tres scrutatores collegii, prout cardinales concordaverint, puta *frater Nicolaus Ostiensis episcopus, frater N. tituli sancti Eusebii presbyter, et Neapoleo sancti Adriani diaconus cardinalis*; et eliguntur immediate tres alii scrutatores scrutatorum, puta *dominus Berengarius Tusculanus episcopus, Arnaldus tit. sanctæ Priscæ presbyt., et N. sancti Nicolai in Carcere Tullianen. diaconus cardin.*

III. *De scrutatoribus scrutatorum.*

Primo prædicti scrutatores scrutatorum remanent in consistorio, et sedentes scrutantur secreto et singillatim vota scrutatorum collegii, et in scriptis redigunt; primo videlicet episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi scrutatorum, quæ vota diaconus scribere consuevit.

Scrutatis votis scrutatorum collegii, ut prædictum est, recedunt de consistorio scrutatores scrutatorum, portantes secum secrete depositiones scrutatorum collegii prædictas, et remanent in consistorio soli scrutatores collegii, v. g., Ostiensis Nicolaus et Neapoleo **248** supradicti; et consequuntur cæteri cardinales in ordine antiquitatis quantum ad statum cardinalatus: primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi secrete et singillatim sua vota deponunt; et ipsi etiam scrutatores scrutatorum, ut alii suo ordine et loco deponunt; quæ vota cardinalium diaconus cardinalis unus ex scrutatoribus collegii, puta dominus Neapoleo, scribere consuevit.

Notandum quod scrutatores, tam collegii, quam scrutatorum, et cardinales, sua vota deponunt, cum sedent et tenent buretrum, si volunt; nisi forte ex devotione vel reverentia aliquis cardinalis stare vellet buretro deposito, dum deponit.

IV. *Modus vero deponendi talis est.*

Ego Jacobus sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardinalis nomino et eligo venerabilem patrem dominum Matthæum sanctæ Mariæ in porticu diacon. cardinalem in summum pontificem. Et notandum, quod cautelæ est et decentiæ quod scrutator omnem dat depositionem scriptam ipsi deponenti, ne per incuriam in aliquo sit erratum.

Et quia unusquisque potest in scrutinio nominare unum vel plures, potest sic dicere: *Ego Jacobus sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardin. nomino et eligo dominum Matthæum*, etc., *et dominum Nicolaum Ostiensem episcopum in summum pontificem.* Vel sic: *Ego Jacobus sancti Georgii ad Velum Aureum diac. cardin. nomino et eligo dominum Matthæum*, etc., *et dominum Nicolaum Ostiensem de intus; de extra venerabilem Patrem dominum Pampanianum episcopum Parmensem, in summum pontificem.* Et sic unum vel plures, sive de intus, sive de extra, sive partem de intus, sive partem de extra, prout et quot voluerint, deponens poterit nominare. Decentiæ tamen est, et fortassis expedientiæ, quod non multi ab uno in scrutinio nominentur, licet hodie ab aliquibus contrarium observetur, cum in scrutinio nominent valde multos.

Completis depositionibus singulorum, omnes domini cardinales ad consistorium revocantur; et singulis in suis locis et ordinibus more solito residentibus, petunt scrutatores collegii an placeat omnibus quod aperiatur scrutinium, et in communi publicetur. Et respondentibus quod placet, diaconus scrutator collegii, puta dominus Neapoleo, legit ut scriptum est, videlicet: *In nomine Domini amen. Ego Berengarius Tusculanus episcopus nomino et eligo*, etc., ut supra, et sic de aliis. Et **249** ut melius cardinales singuli comprehendant depositiones fratrum, idem diaconus legit eas bis vel pluries.

Lectis depositionibus singulorum de collegio, scrutatores scrutatorum petunt, an placeat omnibus quod aperiantur et publicentur in communi depositiones scrutatorum collegii. Et respondentibus quod placet; diaconus scrutator scrutatorum, puta dominus Æmilius, legit ut scriptum est, videlicet, *In nomine Domini amen. Ego frater Nicolaus Ostiensis et Velletrensis episcopus nomino et eligo*, etc., ut supra, et sic de aliis scrutatoribus scrutatorum; et ut melius cardinales singuli comprehendant depositiones fratrum, idem diaconus, puta dominus Æmilius, legit eas bis vel pluries.

Post hæc non fit collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum; sed solum numeri ad numerum. Aliquis alius diaconus cardinalis scribit in aliqua charta omnia nomina dominorum cardinalium singulatim, per hunc modum qui sequitur, ut collatio numeri ad numerum fiat ut debet: *Dominus N. Ostiensis et Velletrensis episcopus habet.... Dominus N. Tusculanus episc. habet....* Et sic ponuntur per ordinem suæ antiquitatis omnes episcopi. *Dominus Nicolaus tit. sancti Eusebii presbyter cardinalis habet... Dominus Arnaldus tit. sanctæ Priscæ presbyter cardin. habet....* Et sic ponuntur per ordinem omnes presbyteri. *Dominus Neapoleo sancti Adriani diaconus cardin. habet.... Dominus Æmilius sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardin. habet....* Et sic ponuntur per ordinem omnes diaconi. Fiat itaque numeri ad numerum collatio, ut sequitur.

Nam a capite reincipit diaconus unus ex scrutatoribus collegii, puta dominus Neapoleo, legere scrutinium per ordinem, ut scriptum est. *Ego Berengarius Tuscul. episcopus nomino et eligo venerabiles Patres dominos N. Ostiens. episcopum, N. tit. sancti Eusebii presbyterum, N. sancti Adriani diaconum cardin.*, etc., ut supra. Et alius diaconus cardinalis qui scripserat nomina cardinalium, ut supra in charta, addit ubi dicebatur, *Dominus Ostiens. et Velletrens. episcopus habet dominum Berengarium Tusculan. episcopum. Dominus Nicolaus tit. sancti Eusebii presbyter cardin. habet* **250** *dominum Tusculanum episcopum. Dominus Neapoleo sancti Adriani diaconus cardinalis, dominum Tusculanum episcopum.*

Ulterius diaconus, scilicet dominus Neapoleo, prosequitur, et legit scrutinium: *Ego Arnaldus Sabinensis episcopus nomino et eligo venerabiles Patres, dominos videlicet Tusculanum episcopum, Arnaldum tit. sanctæ Priscæ presbyterum, Æmilium sancti Nicolai in Carcere Tullianensi diaconum cardinalem*, etc., ut supra, *et Arnaldum sanctæ Mariæ Novæ diaconum cardinalem.* Et prædictus diaconus qui scripserat nomina in charta, ut supra, addit ubi dicebatur, *Dominus Berengarius Tusculan. episcop. habet dominum Sabinensem episcopum. Dominus Arnaldus tit. sanctæ Priscæ presbyter card. habet dominum Sabinensem episcopum. Dominus Nicolaus sancti Nicolai in Carcere Tullian.*

diaconus card. habet dominum Sabinensem episcopum. A

Et ulterius dominus Neapoleo diaconus prosequitur, et legit scrutinium, et alius diaconus addit nomina cardinalium in locis suis, prout nominati sunt a diversis.

Quibus expletis, prædictus diaconus, dominus Franciscus sanctæ Mariæ in *Cosmedin*, diaconus cardinalis qui susbcripserat nomina, et addiderat ut supra, legit prædictam chartam cum suis additionibus per hunc modum.

VIII. *Singularia quædam in electione Romani pontificis observantur, ut infra scribitur.*

Non solent citari absentes qui sunt extra terram, ut sunt duæ partes collegii; sed sic possunt esse reliqui in vicino quod præsentes condicunt se certa die incœpturos super negotio electionis procedere, qui B dies per aliquem vel aliquos amicos absentium potest notificari eisdem.

Solent eligi tres scrutatores collegii, et alii tres scrutatores scrutatorum. Duæ partes collegii requirantur vocem in electione habentium, non computato electo.

Forma decretalis *Quia propter* in omnibus suis capitulis non servatur.

Sufficit quod in idem tempus certum sit duas partes concurrere in eamdem personam, ea non computata, et eam electam **251** a duabus partibus et receptam.

Solet etiam fieri ex consensu duarum partium communis electio, licet forsan non sit de substantia, ut communis electio subsequatur, ex quo electus a dua- C bus partibus nominatur et recipitur per consensum adhibitum in scrutinio, vel per accessum.

Non fit collatio meriti ad meritum, zeli ad zelum, sed solum numeri ad numerum, etiamsi efficiatur a majori parte collegii nominatus.

Unusquisque potest in scrutinio unum nominare, vel plures, similiter ad unum accedere, vel ad plures.

Si per dispositionem in scrutinio factam, duo vel plures a duabus partibus eligantur, sive electi habeant probabiliter duas partes, sive inter hujusmodi duas partes habentes unus habeat plures quam alter, sive non, nulli ex taliter electis acquiritur; sed est reincipiendum a capite, ac si nihil penitus actum esset. D

Similiter si in eodem concursu per accessum imperceptibiliter, aut in confusione vocum principales duas partes haberent, neuter esset.

Si plures ab aliquo nominentur in scrutinio, quorum unus primo, alius secundo, tertius tertio, et sic de aliis nominentur; omnes intelliguntur nominati in eodem momento, et nulli ex scripturæ ordine jus majus acquiritur.

IX. *De via compromissi.*

Ad viam compromissi non proceditur uno volente scrutinium, cum sit magis ordinaria via scrutinii.

Non valet compromissum, nisi omnes consentiant, cum sit decentiæ, non necessitatis.

Compromissarii solent et de se ipsis, et de aliis compromittentibus collationes habere, sed differenter, quia quando tractant de se ipsis, ille de quo tractatur secedit in partem; quando vero de compromittentibus, et in communi, et inter se possunt loqui de absente.

Hæc commendationes et laudes, et verba verialia, quibus compromissarii utuntur cum de fratribus suis, vel aliis loquentur, habeantur pro confessione. Et ad vitanda pericula quæ possent sequi, solent compromissarii invicem condicere **252** et procertari quod nihil quod dicunt habeatur pro efficaci consensu, nisi unusquisque eorum consensum suum in scriptis redigat, quo redacto, ita quod quilibet suum consensum scripserit, et tunc solet dici quod consensum revocare non possent, et ipsum collegium sic intelligit quod condicant et protestentur, et ipsis non contradicentibus vel protestantibus.

Compromissa ut plurimum fiunt sine scriptura, sed tutius est cum scriptura.

An compromissarii, postquam electi fuerint, possint revocare, etc. Respondeo sic, a duobus partibus compromittentium re integra, scilicet papa non facto.

Quæ hic dicuntur quæ non sunt de jure, tandiu stent firma in hac vacatione, quousque totum collegium et singuli, vel duæ partes totius collegii vocem in electione habentium ea duxerint immutanda. Hodie in consistorio, absente tamen Tusculano nec requisito, fuerunt lectæ istæ observantiæ. Et placuit quod ista deberent servari. Addidit tamen unus quod ista essent sicut fuerunt hactenus, et secundum sanum intellectum sine fraude; et tamen non fuerunt petita consilia circularia, nec scio quod omnes consensere.

X. *De investitione papatus fienda per priorem diaconorum cardinalium post electionem in papam electi.*

Romana ecclesia pastore vacante, ille qui fuerit concorditer ab omnibus cardinalibus, vel a duabus partibus electus in papam, vel ab universali Ecclesia, Romanus pontifex habeatur: qui sit fuerit absens, vel de collegio cardinalium non fuerit, ad locum in quo cardinales sunt in consistorio venire debet vocatus, et eo electioni de se factæ consensum præstante, prior diaconorum exuit eum cappa, sive chlamyde qua utitur, et ponit ei, si non habet, albam, rochetum, camisiam, et ornamentum ad modum presbyteri super humeros, si est presbyter; vel super lævam partem, si est diaconus, et non in presbyterii ordine constitutus; et postea ponit ei mantum, et dicit: *Investio te de papatu Romano ut præsis urbi et orbi*, et tradit ei etiam annulum, quo uti consueverunt prædecessores ipsius, et ei mitram competentem tempori super caput imponit; et petens ab eo quo nomine vocari velit, ipsum eo **253** nomine quo ei placuerit vocabunt; quo facto, facit eum sedere in sede, sive in faldistorio; et depositis communibus calceis, si habentur rubea calceamenta papalia, calciatur eidem. Et sic cardinales omnes per ordinem, primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi, veniunt coram eo flexis genibus; et idem

electus ipsos ordinate ad pedem recipit et ad pacis osculum, necnon et omnes alios capellanos suos, ac cæteros clericos et laicos venientes ad ejus reverentiam, infimos, majores et mediocres. Quibus expeditis, cruce præeunte papali ducitur processionaliter a cardinalibus, et a tota curia ad cathedralem, vel ad aliam majorem ecclesiam loci, in quo est curia, si locus in quo eligitur civitas non existit; in qua ecclesia ad altare ducitur, et ante ipsum altare prostratus orat diutius; et dum orat, *Te Deum laudamus* ab omnibus clericis solemniter decantatur; quo decantato, prior episcoporum dicit *Pater noster*, et suffragia consueta, et Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, miserere electo nostro*. Qua finita, idem electus surgens ab Oratione dicit *Sit nomen Domini benedictum*, et facit benedictionem; qua expleta, reverenter osculatur altare, et ut ordinate venit ad ecclesiam, sic redit ad cameram suam, et signando semper in eundo et redeundo. Et postquam redierit ad cameram, deponit pluviale et mitram, et assumit rubeum mantellum, ac habere debet caligas de panno rubeo sine pedulibus et constaphilibus, et infulam rubeam de scarleto, et postea parvos calceos de panno eodem, et calceos religiosos usque ad medium crus de corio rubeo, et tunicas et vestes de scarleto albo, et desuper pannos albam camisiam; et erit subcinctus cingulo de serico rubeo super camisiam; et ipsa camisia erit ita longa, quod elevata competenter super ipsum cingulum reflectatur.

XI. *De pronuntiatione nominis assumpti per electum in papam fienda populo per priorem diaconorum cardinalium narrando modum electionis.*

Cum autem prædictæ Romanæ Ecclesiæ fuerit de pastore provisum, prior diaconorum dictam electionem populo annuntiat, dicens: *Si placet ave annuntio vobis gaudium magnum*, vel aliud thema sicut placebit; et narrat quomodo **254** concorditer, vel a duabus partibus cardinalium per viam scrutinii, compromissi, vel Spiritus sancti de collegio, vel extra collegium elegerunt, nominando et laudando personam electi, et pronuntiando nomen de novo assumptum.

XII. *De episcopo in papam electo, et ejus Benedictione et coronatione.*

Episcopus qui in papam electus est, non consecratur denuo, sed benedicitur aliquo die Dominico, quo et coronatur; et descendens de palatio suo apud sanctum Petrum, intrat ecclesiam more solito cum rubeo pluviali, et mitra in loco solito. Oratione facta, receptis omnibus cardinalibus et prælatis ad reverentiam, et dicto *Sit nomen Domini benedictum*, et responso *Ex hoc nunc et usque in sæculum*, et Benedictione data, vadit ad vestiarium, capellam videlicet sancti Gregorii; et ibi servitur ei per episcopum et diaconum cardinales ad hoc assumendos, et per priorem diaconorum, seu per priorem basilicæ, qui et portat mitram, et annulum, et habet ferulam; et ibidem electus in papam induitur omnibus paramentis pretiosis et solemnibus aptis tempori et diei, et ponitur pretiosissima mitra in capite, et datur sibi annulus pontificalis per eumdem episcopum; et cubicularius primum annulum imponit digito summi pontificis. Et dum dominus papa dalmaticam recipit, ipse episcopus induit se superpellicio, amictu, et pluviali coloris diei, et portat mitram simplicem. Cum autem dominus papa planetam induit, venit idem episcopus ad latus summi pontificis; et accepto annulo de manu acolythi, ponit eum in manu domini papæ parati omnibus paramentis et mitra solemnibus, et cubicularius ponit primum annulum. Et episcopus, accepta navicula cum incenso de manu acolythi, porrigit eam papæ, et osculatur manum ipsius; et imposito incenso in thuribulum per papam, episcopus vadit ad locum ubi sunt alii episcopi cardinales processionaliter ordinati, factis impensis obsequiis quæ fieri solent et impendi quando Romani pontifices parantur, salvo quod tunc in ipsa Processione non portat pallium, quod, ut infra sequitur, accipiet in altari; quam processionem ordinat archidiaconus, vel prior diaconorum infra scripto modo.

255 XIII. *De processione qualiter fieri debet.*

Procedit subdiaconus cum cruce, indutus tunicella propter solemnitatem. Hunc sequuntur abbates, episcopi et archiepiscopi. Post hos vadunt presbyteri cardinales, quos sequuntur episcopi cardinales secundum prioritates suas. Post hos vadunt acolythi cum navicula, thuribulo et incenso; post ipsos septem subdiaconi cum tunicellis, portantes septem candelabra cum facula; in medio quorum vadit ille qui dicturus est Epistolam, portans librum Evangeliorum, et cum eo qui lecturus est epistolam Græcam; et post eos qui lecturus est Evangelium græcum. Diaconi cardinales sequuntur ordine suo, inter quos est ille qui dicturus est Evangelium, ultimus vel cum ultimo duo diaconi cardinales, unus a dextris, et alius a sinistris, ducunt dictum papam, circa quos est subdiaconus qui servit de mitra portans tobaleam.

XIV. *De Benedictione danda per papam in Processione.*

Procedens autem dominus papa sic processionaliter per ecclesiam, continue benedicit. Cum autem pervenerit ad chorum, obviant ei tres presbyteri cardinales, qui aptant ei planetam, quos ad pacem recipit, et ipsi osculantur cum reverentia pectus ejus. Inde procedens vadit processionaliter usque ad altare, sed non ascendit ad altare. Tunc facta confessione ascendit sedem præparatam non eminentiorem, sed sedet in faldistorio in plano posito inter altare, et sedem eminentiorem; et ibi coram ipso veniunt Albanensis, Portuensis et Ostiensis episcopi, vel archipresbyter Ostiensis, si non sit episcopus; qui Albanensis dat primam orationem, scilicet:

Oremus. — Deus, qui adesse non dedignaris ubicunque devota mente invocaris, adesto, quæsumus, invocationibus nostris, et huic famulo tuo N. quem ad culmen apostolicum commune judicium tuæ plebis

elegit, ubertatem supernæ Benedictionis infunde, ut sentiat se tuo munere ad hunc apicem pervenisse. Per, etc.

Secundam episcopus Portuensis.

Oratio. — Supplicationibus, omnipotens Deus, effectum consuetæ pietatis impende, **256** *et gratia Spiritus sancti hunc famulum tuum N. perfunde; ut qui in capite Ecclesiarum nostræ servitutis mysterio constituitur, tuæ virtutis soliditate roboretur. Per.*

Tertiam episcopus vel archipresbyter Ostiensis.

Oratio. — Deus, qui apostolum tuum Petrum inter cæteros coapostolos primatum tenere voluisti, eique universæ Christianitatis molem superimposuisti, respice propitius, quæsumus, hunc famulum tuum N. quem de humili cathedra violenter sublimatum in thronum ejusdem apostolorum principis sublimamus; ut sicut profectibus tantæ dignitatis augetur, ita virtutum meritis cumuletur; quatenus ecclesiasticæ universitatis onus te adjurante digne ferat, et a te, qui es beatitudo tuorum, meritam vicem recipiat. Qui vivis.

Et vero quod primicerius cum schola, postquam primo papa pervenit ante altare, cantabit Introitum et *Kyrie, eleison*, cantu Romano; et stans in faldistorio in plano posito recipit dominus papa domines cardinales omnes, tam diaconos, quam presbyteros et episcopos et prælatos, ad pedem et osculum.

XV. *De pallio dando papæ per priorem diaconorum cardinalium.*

Quibus receptis, venit ad altare, ubi est desuper pallium paratum, per priorem diaconorum capellanorum, sive per priorem basilicæ Sanctæ sanctorum; et duo priores diaconi cardinales tenent pallium ipsum, et tunc prior illorum duorum solus dat pallium pontifici sub his verbis: *Accipe pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, gloriosæ Mariæ virginis ejus genitricis, beatorum Petri et Pauli, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Et aptato pallio ipso super eum cum tribus spinulis aureis, ut est moris, ascendit summus pontifex ad altare, et facit incensum; et demum redit ad eminentem sedem, et recipit omnes cardinales ad osculum pedis et oris, et dicit *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, sive *Gloria in excelsis Deo*, ut dies requiret; et dicit Orationem Dominicæ alte, et aliam dicit pro se secreto; qua Oratione completa, et secuta responsione *Amen*, papa residet in sede, et prior diaconorum cardinalium portans ferulam in manibus **257** cum diaconis et subdiaconis scriniariis, et judicibus, omnibus indutis solemniter, descendit ante altare, et facit duas acies sive filas, unam ex una parte, et unam ex reliqua, æqualiter dividendo, ita quod in qualibet acie sint de quolibet ordine; et ponit primo diaconos juxta altare, secundo subdiaconos, tertio judices, quarto scriniarios in ordine.

XVI. *De Laude incipienda per priorem diaconorum cardinalium rubrica.*

Tunc ipse prior diaconorum incipit laudem sic alta voce, quasi legendo, *Exaudi, Christe*, et judices et scriniarii respondent similiter in cantu, quasi legendo: *Domino nostro N. a Deo decreto summo pontifici et universali papæ vita*; et sic dicitur, et respondetur ter. Item idem prior dicit *Salvator mundi*, judices et scriniarii respondent *Tu illum adjuva*; et sic faciunt ter. Item idem prior dicit bis *Sancta Maria*; et illi respondent *Tu illum adjuva*. Eodem modo dicit tantum semel,

Sancte Michael, respondetur *Tu illum adjuva*.
Sancte Gabriel, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Raphael, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Joannes Baptista, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Petre, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Paule, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Andrea, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Stephane, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Leo, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Gregori, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Benedicte, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Saba, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancta Agnes, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancta Cæcilia, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancta Lucia, resp. *Tu illum adjuva*.
Sancte Basili, resp. *Tu illum adjuva*.

Dicit *Kyrie eleison* ter, et respondetur ter *Kyrie eleison*.

XVII. *De Epistola Latina et Græca, et Evangelio Latino et Græco, cantandis super pulpitum.*

Et postea omnes simul una et alta voce dicunt *Kyrie eleison*, **258** et laudibus finitis, legitur Epistola Latina et Græca subsequenter super pulpitum, sic etiam Evangelium Latinum et Græcum.

XVIII. *De indumentis episcopi cardinalis.*

Ille vero episcopus cardinalis qui servit papæ debet esse indutus superpellicio, amictu et pluviale, et habere mitram simplicem, et sic Missa suo ordine procedit usque ad finem; et communicabit eum solemnitate, non super altare, sed ad sedem eminentem.

XIX. *De corona, quæ vocatur regnum, imponenda papæ per priorem diaconorum cardinalium.*

Post Missam idem summus pontifex dicit *Sit nomen Domini benedictum*, et respondetur *Ex hoc nunc et usque in sæculum*. Hujusmodi autem episcopus qui servit non dicit *Multos annos*; sed omnibus rite peractis, ipse summus pontifex et omnes cardinales et alii prælati et subdiaconi, quilibet in gradu suo, induentur vestimentis pretiosis albi coloris, episcopi pluvialibus, presbyteri casulis, diaconi dalmaticis, subdiaconi tunicellis, acolythi superpelliciis et alii capellani; archiepiscopi, episcopi, abbates, patriarchæ pluvialibus; et judices et scriniarii, similiter et advocati erunt induti pluvialibus; et primicerius in pluviali et mitra, et cantores in superpelliciis. Et papa omnia pretiosa ornamenta habebit, et pallium, et mitram optimam et chirothecas, et annulum pastoralem; et sic cum omnibus venit vel ad portam, vel ad gradus ecclesiæ; et ibi prior diaconorum cardinalium extrahit sibi mitram; et ponit ei coronam quæ vocatur regnum, in capite, toto populo acclamante *Kyrie eleison*; et sic cum omni ornatu quili-

bet cardinalis et prælatus equitat equum coopertum panno albo; subdiaconi vero, capellani, scriniarii, et alii equitant ornate vestiti, non tamen equos coopertos. Papa equitat equum faleratum, non coopertum a parte anteriori, ex parte vero posteriori coopertum de scarleto.

259 XX. *De ordine Processionis post Missam, spectante ad priorem diaconorum cardinalium.*

Sic omnibus equos ascendentibus, prior diaconorum cum ferula ordinat Processionem hoc modo. Primo præcedit equus domini papæ faleratus; secundo vadit subdiaconus cum cruce; tertio duodecim bandonarii cum duodecim vexillis rubeis, et duo alii cum duobus cherubin in cameri [*Forte*, camurinis] in lanceis; quarto duo, qui hodie non sunt, præfecti navales, induti pluvialibus; quinto scrinarii, sexto advocati, septimo judices, octavo cantores, nono diaconi qui legunt Epistolam et Evangelium in Græco; decimo abbates forenses, undecimo episcopi, duodecimo archiepiscopi, decimo tertio abbates Urbis, decimo quarto patriarchæ, et episcopi cardinales, decimo quinto presbyteri cardinales, decimo sexto diaconi cardinales, decimo septimo dominus papa, et subdiaconus cum tobalea, et serviens qui portat umbraculum. Sic venit processionaliter usque ad Lateranum ad sedem stercorariam, ubi cum descendit de equo, deponit regnum et assumit mitram.

Processionaliter autem procedens a scalis beati Petri, postquam equitaverit usque ad dictam sedem stercorariam per viam Sacram seu papæ, fiunt in eodem loco equitationis post eum per senescalcum vel alium ter missilia seu jactus pecuniæ, ut alias in tribus locis fiunt missilia, scilicet ad turrim de Campo, ubi unus de familia papæ facit alium jactum stando in loco aliquo eminentiori; et ibi dominus papa stat, et veniunt illuc Judæi cum lege, facientes ei laudem, et offerunt ei legem, ut adoret; et tunc papa commendat legem, et damnat observantiam Judæorum sive intellectum, quia quem dicunt venturum, Ecclesia docet et prædicat jam venisse Dominum Jesum Christum. Similiter cum pervenerit ad palatium Cencii Musca in Punga, unus de familia papæ facit unum jactum. Similiter facit alium jactum, cum pervenerit ad sanctum Marcum. Similiter cum pervenerit ad sanctum Adrianum facit alium jactum, stando in fenestra palatii sanctæ Martinæ; et sic venit ad plateam Lateranensem, et ducitur ad porticum quæ vadit ad ecclesiam sancti Joannis Lateranensis; et ibi ante porticum nunc destructam statim Lateranenses canonici cum eorum comitiva, induti solemniter, et cum cruce processionali **260** papam recipiunt, cum descendit; qui descendit ad dictam sedem stercorariam, et deponit regnum, et accipit mitram; et postquam papa descendit, sedet in dicta sede marmorea, quæ vocatur stercoraria, et veniunt omnes cardinales, et honorifice elevant eum, ut vere dicere possit: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Et idem dominus papa stando juxta ipsam sedem, accipit tres pugillatas denariorum de gremio camerarii, et projicit inter populum, dicens, *Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Et tunc duo cardinales ministrant ei, et accipientes eum ducunt ad ecclesiam sancti Salvatoris per viam, ubi erat dicta porticus.

Venientibus autem eis a dicta sede stercoraria, acclamatur *D. N. sanctus Petrus eligit.* Sicque ducitur per dictos cardinales usque post altare, et ibi orat; quo intrante et orante, cantatur a canonicis, *Te Deum laudamus.* Postquam vero oraverit, dicit super altare et super populum *Sit nomen Domini benedictum*, et respondetur *Ex hoc nunc et usque in sæculum;* et postea ducitur ad sedem eminentem marmoream, et ibi recipit Lateranenses canonicos ad pedem et osculum; quo facto, ducitur per cardinales ad palatium Zachariæ papæ, quod vulgariter dicitur Casa Major, et venit ad portam palatii. Inde intrat palatium per ecclesiam. Intra portam, qua ascenditur ad dictum palatium, et portam ipsius palatii, ponitur faldistorium, ubi sedet dominus papa, in illis scilicet gradibus ubi solet sedere quando cantatur *Gloria, laus*, etc., et ibi papa sedente, prior presbyterorum cardinalium, ordinatis judicibus et scriniariis in filo, facit ibidem laudem, sicut diaconus cardinalis fecerat in Missa ante Epistolam post Orationem in basilica sancti Petri. Postea ducitur ab ipsis cardinalibus per palatium usque ad portam ecclesiæ sancti Silvestri, ubi sunt duæ sedes porphyreticæ, et papa sedet in illa quæ est ad dextram, ubi prior basilicæ sancti Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum correctionis et regiminis, et claves ipsius basilicæ et sacri palatii Lateranensis, in quibus significatur potestas claudendi et aperiendi, ligandi atque solvendi; et cum ipsa ferula et clavibus accedit ad aliam sedem similem, quæ est ad sinistram; et tunc restituit eidem priori ferulam et claves, et incipit sedere in illa sede secunda. Et postquam aliquantulum sederit, idem prior super planetam cingit eidem domino papæ zonam **261** de serico rubeo, in quo pendere debet bursa purpurea in qua sint duodecim lapides pretiosi cum sigillis, et muscus. Et dum in ipsa sede sedet, recipit officiales palatii ad pedem et osculum; et sedens ibi accipit de manu camerarii denarios argenteos valentes decem solidos Provesinos, et projicit super populum; et hoc facit ter, dicendo singulis vicibus: *Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.* In istis duabus sedibus debet papa taliter se habere, ut potius videatur jacere quam sedere, et nulla istarum sedium erit coperta vel parata, nec etiam Stercoraria, sed nuda.

XXI. *Quando papa ducitur ad sanctum sanctorum.*

Deinde ducitur ad sancta sanctorum per ipsam porticum sub iconas sanctorum apostolorum, quæ per mare venerunt nemine ducente; et intrat dictam basilicam sancti Laurentii, quæ vulgariter dicitur sancta sanctorum; et ante altare suam Orationem facit, can-

tantibus priore et canonicis basilicæ ipsius Sanctæ Sanctorum *Te Deum laudamus;* et postea reducitur ad capellam sancti Silvestri, in qua intrat et sedet in loco parato cum ornamentis suis, tenente eo mantum super scapulas, et mitram super fanonem seu orarium; et dat presbyterium. Postea redit ad cameram, in qua deponit casulam et pallium, et assumit mantum, et vadit comedere. Solebat tum primo recipere juramentum a senatore secundum formam, *Ego talis*, etc., verum hujusmodi juramenti receptio diu est quod fuit omissa.

XXII. *De officio senatorum Urbis in ipsa solemnitate rubrica.*

Item notandum quod senatores postquam dominus papa de equo falerato descendit juxta sedem stercorariam, ipsum equum recipiunt et adducunt, quem curialiter reddunt camerario, ut est moris.

Item notandum quod a sancto Petro ad Lateranum fiunt domino papæ arcus triumphales, et clerici Romani occurrunt eidem induti in via Sacra, ubicunque possunt, cum thuribulis et incenso, et in renuntiatione dantur Romanis pro arcubus xxxv libræ, et clericis pro thuribulis xiii libræ et dimidia.

262 XXIII. *Qualiter dominus papa ad mensam ducitur, et de ordine sedendi in ea rubrica.*

Cum autem vadit comedere, duo diaconi cardinales ducunt ipsum ad mensam; et eo sedente, episcopus cardinalis dat sibi aquam duobus diaconibus cardinalibus tenentibus tobaliam, nec debet tenere mantellum; quo loco facta Benedictione, vadunt ad mensam; in parte dextra sedent episcopi et presbyteri cardinales; in sinistra vero diaconi. Et attende quod dominus papa, dum est in mensa, indutus est omnibus paramentis mensalibus, excepto quod tenet mantum ad scapulas et fanonem; in capite vero mitra desuper; cardinales vero omnes habent superpellicia cum mantellis, et mitras simplices. Cum autem lavari debent, surgit episcopus et duo diaconi cardinales, et dant aquam ut prius; qua data redeunt ad propria loca in mensis; et potu recepto, dictoque *Tu autem*, surgit diaconus, et tenet thunitiam, dum gratiæ referuntur. Quibus finitis, dextrantibus eum duobus diaconibus intrat cameram, ubi per capellanos exuitur omnibus paramentis. Omnes vero cardinales ad propria revertuntur, sicut in mensa, sed eunt induti. Attendendum quod in ultima lotione cardinales debent sedendo in mensa lavari, et unus alii tenere tobaleam, domicello fundente aquam.

XXIV. *De coronatione papæ extra Urbem, et de prima reverentia fienda sibi per cardinales et alios prælatos.*

In primis summo mane hora decenti dominus papa indutus pluviali rubeo cum mitra frigiata intrabit ecclesiam sancti Joannis, ubi coronatio debet celebrari. Cum autem dictam ecclesiam intraverit, in medio ecclesiæ parato sibi faldistorio orabit. Oratione facta, stando, receptis omnibus cardinalibus et prælatis ad reverentiam ordine suo, dicet *Sit nomen Domini benedictum*, et respondetur *Ex hoc nunc*, etc.

A Benedictione data, divertet ad locum ubi debebit indui; et dicta Tertia cum capellanis, assistente sibi episcopo cardinale qui tenere debet librum, cum Oratio dicitur a papa in fine Tertiæ, calciabitur caligis et sandaliis a subdiacono et uno ex acolythis, dicentibus capellanis vicissim Psalmos, videlicet *Quam amabilia*, cum **263** cæteris quæ dici solent. Quibus expletis cum Orationibus consuetis, lavabit manus fundente sibi aquam episcopo cardinale, qui eidem in officio assistere debebit. Ablutione facta, et episcopo cardinale ad locum suum reverso, induetur omnibus ornamentis viridibus, pretiosis et solemnibus (quia dies Dominicus hoc requirit) quibus Romanus pontifex uti solet in Missarum solemniis, per diaconum cardinalem et subdiaconum, eisdem per acolythos ministratis. B Cum autem dominus episcopus cardinalis ad locum suum reversus fuerit, ut prædictum est, induetur superpellicio, amictu et pluviali viridi cum mitra simplici.

XXV. *De mitra imponenda papæ per diaconum cardinalem, et de annulo pontificali dando per episcopum cardinalem.*

Postmodum imposita mitra pretiosa domino papæ per diaconum cardinalem, dabitur sibi annulus pontificalis per eumdem episcopum qui sibi serviet, uno ex cubiculariis digito domini papæ prædictum annulum imponente. Deinde accepta navicula de manu acolythi per episcopum qui sibi ministrabit, præsentabit eam domino papæ, et osculabitur manum ipsius; et imposito incenso in thuribulo per dominum papam, episcopus ibit ad locum suum, ubi fuerint alii C episcopi cardinales processionaliter ordinati. Præmissis itaque omnibus rite completis, quæ fieri et impendi solent quando revestiuntur Romani pontifices et parantur, excepto quod in Processione quæ sequitur, non portabit pallium, sed ipsum recipiet; alias, ut inferius describetur, dicta Processio per priorem diaconorum cardinalium modo infra scripto ordinabitur.

XXVI. *Ordo Processionis ante Introitum Missæ.*

Primo procedit subdiaconus cum cruce indutus tunicella, et post eum sequuntur abbates, episcopi, archiepiscopi, induti pluvialibus et mitris simplicibus; et postmodum sequuntur presbyteri cardinales planetis induti cum mitris simplicibus; deinde episcopi D cardinales induti pluvialibus cum mitris simplicibus, et quilibet ordine suo; postmodum sequuntur duo acolythi ceroferarii, et alius cum navicula, thuribulo et incenso, induti superpelliciis. Post dictos acolythos ordinabuntur septem subdiaconi cum tunicellis portantes septem candelabra; et in medio dictorum septem **264** erit subdiaconus, qui dicturus est Epistolam, portans librum Evangeliorum ante pectus; et juxta dictum subdiaconum ibit unus alius subdiaconus qui dicturus est Epistolam Græcam. Post prædictos subdiaconos subsequitur diaconus qui lecturus est Evangelium in Græco. Subsequenter incedent diaconi cardinales ordine suo, induti dalmaticis, inter quos est ille cardinalis qui dicturus est Evangelium

ultimus. Deinde duo diaconi cardinales, unus a dextris, et alius a sinistris, ducunt dominum papam extensa mappa super caput ejus, ut moris est; et ultimo subsequitur subdiaconus qui serviet de mitra, cum tobalea procedens ante. Dominus papa sic processionaliter per ecclesiam continue benedicet. Cum autem ad thronum pervenerit, obviabunt sibi tres presbyteri cardinales, quos ad pacem recipiet, et ipsi osculabuntur cum reverentia pectus ejus, et ultimus aptabit planetam papæ.

XXVII. *De confessione quæ fit ad altare, et Introitu Missæ, et Orationibus quæ dicuntur super eum prope altare.*

Subsequenter procedens ibit processionaliter usque ad altare, sed non ascendit tunc ad altare; sed abstracta sibi mitra per diaconum cardinalem, facit confessionem, ut est moris. Et dum fit confessio, incipiunt cantores Introitum, et subsequenter *Kyrie eleison*. Et facta confessione, dominus papa recipit mitram, et ibit ad sedem suam, non eminentem, sed sedebit in faldistorio in plano posito inter chorum et altare propter dispositionem ecclesiæ, versa tamen facie ad altare. Domino papa sic sedente, venient tres episcopi cardinales coram ipso, scilicet Albanensis, Portuensis et Ostiensis; quibus sic astantibus coram papa, Albanensis dicit primam Orationem, scilicet, *Deus qui adesse digneris*, etc., ut supra.

Secundam dicet episcopus Portuensis vel ejus subrogatus, scilicet, *Supplicationibus nostris*, etc., ut supra.

Tertiam dicet episcopus Ostiensis, scilicet, *Deus, qui apostolum tuum Petrum*, etc., ut supra.

XXVIII. *De secunda reverentia prælatorum.*

Sciendum est tamen quod quando dictæ Orationes dicentur, dominus papa non sedebit, sed stabit sine mitra; et postmodum **265** dominus papa, sedens in faldistorio in planis posito, recipiet dominos cardinales et prælatos omnes ad pedem et osculum.

XXIX. *De pallio dando per priorem diaconorum cardinalium.*

Quibus receptis, veniet ad altare, ubi erit pallium paratum per priorem subdiaconorum capellanorum; et duo priores diaconorum cardinalium tenebunt pallium ipsum; et tunc prior illorum duorum diaconorum cardinalium solus dabit pallium pontifici sub his verbis: *Accipe pallium, plenitudinem scilicet pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, gloriosæ Mariæ virginis ejus genitricis, beatorum Petri et Pauli ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ.*

XXX. *De ascensu papæ ad altare, et incensatione altaris, et de tertia receptione cardinalium et prælatorum ad reverentiam, dum est in eminenti sede.*

Et aptato pallio ipso super eum cum tribus spinulis aureis per diaconum cardinalem et subdiaconum, ut moris est, ascendit dominus papa ad altare, et incensabit altare; quo incensato, ascendet ad eminentem sedem; et, sedens in dicta sede palliatus, recipiet omnes cardinales et prælatos ad pedis et oris osculum iterato. Qua receptione finita, stando incipit *Gloria in excelsis Deo;* quo Hymno Angelico cantato a cantoribus, dicet in eadem sede *Pax vobis*, et, responso *Et cum spiritu tuo*, incipit Orationem Dominicæ alte; qua Oratione completa, et secuta responsione *Amen*, potest dicere aliam Orationem secrete pro se ipso, si voluerit. Exprimatur tamen Oratio per extensum; postmodum residebit in sede.

XXXI. *De rebus statuum ordinandis per priorem diaconorum cardinalium, et laudibus per eumdem incipiendis ante Epistolam.*

Ipso igitur domino papa sic in sua sede residente, prior diaconorum portans ferulam in manibus cum diaconibus et subdiaconibus, scriniariis et judicibus, omnibus pluvialibus solemniter indutis, descendet ante altare, et faciet duas acies, **266** unam ex parte una, et aliam ex parte alia, æqualiter dividendo, ita quod in qualibet acie sit de quolibet ordine; et ponet primo diaconos juxta altare, qui poterunt tenere mitras, si voluerint; secundo subdiaconos, tertio judices, quarto scriniarios. Quibus aciebus sic ordinatis, prior diaconorum incipit laudem alta voce, quasi legendo, et stabit sine mitra, *Exaudi, Christe*, et judices et scriniarii similiter respondebunt in cantu, quasi legendo: *Domino nostro N. a Deo decreto summo pontifici et universali papæ vita;* et sic dicetur ter per dictum priorem cardinalem; et respondetur ter a judicibus et scriniariis. Subsequenter idem prior diaconorum dicet *Salvator mundi*, et judices et scriniarii respondebunt *Tu illum adjuva*; et sic dicetur ter, et respondebitur ter. Item idem prior diaconorum dicet *Sancta Maria*, et prædicti respondebunt bis *Tu illum adjuva*. Eodem modo dicet idem prior, tantum semel, *Sancte Michael*, etc., ut supra.

Quibus finitis, prior diaconorum dicet *Kyrie, eleison*; et prædicti judices et scriniarii respondebunt *Kyrie, eleison*, et hoc ter dicetur, et ter respondebitur; postmodum omnes simul dicent una et alta voce *Kyrie eleison*.

XXXII. *De Epistola Latina et Græca, et Evangelio, et Graduali, et* Alleluia.

Laudibus sic finitis, dicitur Epistola Latina, et subsequenter Græca super pulpitum eminentem; quibus lectis, cantabitur Graduale et *Alleluia*; et postmodum dicetur Evangelium Latinum, et subsequenter Græcum, in eminenti pulpito et convenienti, ut moris est, septem subdiaconibus cum septem facularis præcedentibus dictos diaconos, et thuribulo cum incenso, ut est fieri consuetum; et sic Missa procedit ordine suo usque ad finem.

XXXIII. *De communicatione domini papæ ad sedem eminentem fienda rubrica.*

Communicabit tamen dominus papa congruo tempore cum solemnitate, non tamen super altare, sed ad sedem eminentem. Solemnitas autem hujusmodi communionis servabitur, quæ servari in aliis Missis solemnibus consuevit. Missa vero completa, dominus papa dicit *Sit nomen Domini benedictum*, **267** et respondetur *Ex hoc nunc et usque in sæculum*, et dat

Benedictionem. Et Benedictione data, episcopus qui servivit non dicet domino papæ *Multos annos*.

XXXIV *De his quæ fient post Missam, et paramentis domini papæ, cardinalium, prælatorum, et aliorum.*

Omnibus, ut præmissum est, rite peractis, ipse dominus papa et omnes cardinales, et alii prælati et subdiaconi, judices et scriniarii, quilibet in gradu suo, depositis paramentis viridibus, induentur vestimentis albis pretiosi coloris, si habuerint; episcopi pluvialibus, presbyteri casula, diaconi dalmaticis, subdiaconi tunicellis, acolythi et alii capellani superpelliciis; patriarchæ, archiepiscopi, abbates pluvialibus; judices et scriniarii pluvialibus erunt induti, et cantores superpelliciis.

XXXV. *De coronatione domini papæ per priorem diaconorum facienda.*

Dominus papa omnia pretiosa vestimenta habebit, pallium et mitram pretiosam, chirothecas et annulum pontificalem; et sic ornatus cum omnibus veniet ad portam vel ad gradus ecclesiæ, et ascendet cadafalcum seu pulpitum ligneum, ubi inveniet sedem suam solemniter præparatam; et sedenti in sede prior diaconorum cardinalium extrahet sibi mitram, et imponet capiti suo coronam quæ vocatur regnum, toto populo clamante *Kyrie, eleison*.

XXXVI. *De indulgentia danda populo.*

Et ibidem per priorem episcoporum cardinalium auctoritate domini papæ indulgentia populo dabitur, prout domino papæ placebit.

XXXVII. *De ornatu equorum in Processione.*

Quo facto, descendent pulpitum, et quilibet cardinalis et prælatus cum omni ornatu equitabit equum coopertum panno albo; subdiaconi vero, capellani, judices, scriniarii et alii **268** equitabunt ornate vestiti, non tamen equos coopertos. Papa vero equitabit equum magnum faleratum ex parte posteriori de scarleto.

XXXVIII. *Ordo Processionis solemnis post coronationem domini papæ.*

Omnibus equos sic ascendentibus, prior diaconorum portans ferulam in manibus Processionem ordinabit hoc modo. Primo præcedit equus domini papæ faleratus; secundo ibit subdiaconus cum cruce; tertio subsequentur duodecim bandalarii cum duodecim vexillis rubeis, et duo alii cum duobus cherubin et lanceis; quarto duo præfecti navales induti pluvialibus; quinto scriniarii; sexto advocati; septimo judices; octavo cantores; nono diaconi et subdiaconi qui legerunt Epistolam et Evangelium in Græco; decimo abbates; undecimo episcopi; duodecimo archiepiscopi; decimo tertio patriarchæ et episcopi cardinales; decimo quarto presbyteri cardinales; decimo quinto diaconi cardinales; decimo sexto subdiaconus cum tobalea, serviens cum umbraculo, qui duo ibunt aliquantulum sequestrati a papa; decimo septimo dominus papa.

XXXIX. *De jactu pecuniæ quinquies faciendo in diversis locis.*

Processione taliter ordinata, dominus papa ascendit equum. In eodem loco post eum per marescallum, vel alium, fient ter missilia vel jactus pecuniæ. Cum autem pervenerit ad plateam, ante ecclesiam sancti Nicenii, aliquis familiaris domini papæ stans in aliquo loco eminenti faciet alium jactum pecuniæ, et ibi dominus papa trahet aliquam moram.

XL. *De lege offerenda per Judæos, et responsione papæ.*

Et venient Judæi cum lege sua, et facient ei laudem, et offerent ei legem ut adoret. Et tunc dominus papa commendabit legem, et damnabit observantiam Judæorum, sive intellectum, quia quem dicunt venturum, Ecclesia docet et prædicat jam venisse Dominum Jesum Christum. Similiter cum pervenerit ad plateam, ubi moratur D. P. de Columna, **269** unus de familiaribus domini papæ, vel idem familiaris facit jactum pecuniæ; similiter cum pervenerit ad quadrivium, ubi moratur electus Viterbiensis, idem familiaris facit alium jactum pecuniæ. Subsequenter cum pervenerit in introitum palatii, idem familiaris facit alium jactum.

XLI. *De his quæ fiunt post Processionem, tam de laudibus fiendis per priorem diaconorum, quam de presbyterio dando.*

Via igitur sic completa, pervento ad introitum palatii, seu domus Prædicatorum, fratres Prædicatores induti solemniter cum cruce, incenso et aqua benedicta, dominum papam processionaliter recipient reverenter, *Te Deum laudamus* decantando. Cum autem dominus papa pervenerit ad ecclesiam, antequam descendat de equo, prior presbyterorum cardinalium ordinatis judicibus et scriniariis in filo, faciet idem laudem, sicut diaconus cardinalis fecerat in Missa ante Epistolam post Orationem. Et postquam de equo descenderit, prior diaconorum cardinalium, qui ducit eum, deponit sibi regnum de capite, et imponit ei mitram; et idem prior erit a dextris, et ducet eum usque ad altare, et alius a sinistris, ubi orabit in faldistorio sibi præparato. Oratione facta, dabit Benedictionem, dicens *Sit nomen Domini benedictum*; et respondetur *Ex hoc nunc et usque in sæculum*. Quo facto, ducetur ad sedem eminentem, et sedebit in loco parato cum ornamentis suis, amota planeta et pallio et chirothecis, tenente eo manum super scapulas, et mitram super fanonem seu orarium; et dabit cuilibet cardinali presbyterium hoc modo. Ipse dominus papa sedens in sede, et quilibet cardinalis et prælatus, extracta sibimet mitra, deferens eam in manu, vadit coram eo; et flexis genibus tenebit mitram apertam ante papam, qui ponit in illam pecuniam quam præsentabit ei in uno bacili camerarius, prout in libro cameræ invenitur. Et illi qui recipient pecuniam in mitra deosculabuntur genu domini papæ.

XLII. *De deductione papæ ad cameram suam et mensam.*

Ipse vero camerarius et clerici cameræ in super-

pelliciis assistent domino papæ. Dato presbyterio, dominus papa ducetur **270** a duobus diaconibus cardinalibus ad cameram suam, et ducetur ad mensam sibi solemniter præparatam; et eo sedente, episcopus cardinalis, scilicet prior, dabit sibi aquam, duobus diaconibus cardinalibus tenentibus tobaleam, nec debent tenere mantellum.

XLIII. *De solemnitatibus, indumentis et paramentis domini papæ, et cardinalium, et prælatorum, quæ fiunt in mensa.*

Quo loco, factaque Benedictione mensæ, vadunt ad mensam, et in parte dextra domini papæ sedent episcopi et presbyteri cardinales, et in sinistra vero diaconi. Et attende quod dominus papa, dum est in mensa, est indutus omnibus paramentis missalibus, exceptis casula, pallio et chirothecis; et tenebit mantum ad scapulas, et fanonem in capite cum mitra desuper. Cardinales vero omnes habebunt superpelliciam (*Sic*) cum mantellis, et mitras simplices, et omnes prælati similiter. Coram domino papa servient laici nobiliores, qui præsentes erunt, et post mensas cardinalium erunt mensæ omnium prælatorum et aliorum nobilium. Comestione sumpta, dominus papa lavabit manus ut prius, ministrantibus sibi duobus diaconibus cardinalibus, fundente sibi aquam episcopo cardinali. Et similiter quilibet cardinalis lavabit manus, domicello fundente aquam cardinali lavanti. Cardinales autem qui assistunt, teneant tobaleam, unus ex parte lavantis, et alter ex altera; et sic sibi ad invicem fiunt mutuo. Quibus omnibus lotis, et redditis gratiis, dominus papa reducetur a duobus diaconibus cardinalibus ad cameram suam, assumptis mantellis; ubi exutus sacris vestibus, et discalceatus sandaliis a subdiacono, quiescit.

XLIV. *De reversione cardinalium et prælatorum ad dominum papam.*

Cardinales vero et alii prælati redibunt ad hospitia sua eques (*Sic*) cum mitris, parati sicut in comestione steterunt, equis tamen non coopertis. Notandum quod nobiliores laici, etiamsi reges essent, consueverint adextrare papam equitantem, et partiuntur loca inter se vicissim secundum quod voluerint et ordinatum fuerit, ut primis adextrantibus dimittentibus alii bini succedant.

271 In mensa primum ferculum ponit coram papa aliquis de principalioribus nobilibus, etiamsi rex esset; quo posito, rex vadit ad sedendum in mensa. Alii autem nobiles majores, etiamsi essent filii regum, serviunt papæ in mensa, unus videlicet de cupa, alius de cultello ad incidendum, alii astant comedenti, alii sequuntur portantem fercula, portantes et ipsi incisoria papæ et cardinalibus, prout ordinatum erit.

Utrum autem aliqui ex prædictis servientibus papæ nobilibus, puta filii regum, vel ex similibus, sedeant, vel non sedeant in mensa, et ubi et qualiter, nunc dicere omittamus.

Memorandum quod Judæis non fiat aliqua oppressio, cum offerent legem.

XLV. *Incipit ordo qualiter Romanus pontifex apud basilicam beati Petri apostoli debeat consecrari. Rubrica.*

In primis ipse qui consecrandus est mane diei Dominicæ veniat ad basilicam beati Petri, in qua processionaliter a canonicis recipietur. Et facta reverentia eidem a cardinalibus et prælatis, sicut fieri solet Romano pontifici, stans in medio dicat *Sit nomen Domini benedictum*, et resp. *Ex hoc nunc*, etc. Deinde vadat in capellam sancti Gregorii, ubi, dicta Tertia, calciabitur caligis et sandaliis, dicendo Psalmos *Quam amabilia*, etc., qui solent dici. Deinde, lotis manibus, induatur omnibus ornamentis quibus Romanus pontifex uti solet in Missarum solemniis, exceptis duntaxat pallio et annulo pontificali. Erunt autem vestimenta coloris tempori congruentis. Deinde ordinata solemni processione, in qua debent esse septem candelabra cum septem faculis, sicut in præcipuis festis fieri solet, videlicet cardinalium, prælatorum et cæterorum ordinum, qui omnes debent habere indumenta coloris tempori congruentis, consecrandus ipse, extensa super eum mappa, procedat signando, ut moris est, ad majus altare, et stans post ipsum altare faciat confessionem.

Notandum vero est quod in consecratione Romani pontificis omittitur illa examinatio quæ superius posita est in consecratione aliorum episcoporum, quæ incipit *Antiqua sanctorum Patrum*, etc. Facta vero confessione, ipse consecrandus sedeat in faldistorio suo præparato inter altare et gradus pontificalis sedis, et schola cantet Introitum, *Kyrie, eleison*. **272** Interim episcopus Ostiensis, qui Romanum pontificem consecrare debet, in aliquo apto loco prope altare calciet se caligis et sandaliis, dicendo Psalmum *Quam amabilia*, etc. Accipiat etiam omnia pontificalia ornamenta, ac si Missam solemniter celebrare deberet, absque baculo pastorali; accipiat quoque mitram simplicem vel pretiosam secundum exigentiam temporis; et, cantatis Introitu et *Kyrie, eleison*, consecrator et cæteri episcopi cardinales, nec non alii archiepiscopi et episcopi, et qui de presbyteris præsentes sunt, accedunt ad exsequendum consecrationis officium.

Sciendum est quod in consecratione Romani pontificis non pronuntiatur illud, *Episcopum oportet*, etc., nec dicitur illa Oratio, *Oremus, dilectissimi nobis*, quæ dicuntur in consecratione aliorum episcoporum; sed consecrandus versa facie ad altare, assistentibus ei duobus diaconibus cardinalibus, incumbere debet super faldistorium præparatum inter gradus pontificalis sedis et majus altare. Consecrator etiam et cæteri episcopi cardinales, nec non alii episcopi a dextris et a sinistris super sua faldistoria, vel, si ea non habent, super tapeta, procumbere debent; et prior basilicæ, vel alius capellanus prior subdiaconorum, incipiat et prosequatur litaniam cum cantu, respondentibus aliis capellanis et cæteris, qui assistunt. Cum autem venerint ad locum illum, *Ut hunc consecrandum benedicere*, etc., debet hoc dicere bis, et tam consecrator quam omnes alii episcopi

assistentes, elevata manu versus consecrandum, faciunt super eum bis signum crucis. Finita litania, erigant se omnes, et consecrator stet in infimo gradu sub sede papali, quæ est post altare, verso vultu ad ipsum altare. Consecrandus vero stet sub gradu prædicto, versa facie ad ipsum consecratorem, assistentibus ipsi consecrando diaconibus cardinalibus et acolythis. Stabunt autem juxta episcopum Ostiensem a dextris et a sinistris episcopus Albanensis, et episcopus Portuensis, induti pluvialibus, et habentes oraria, sive stolas ; et omnes alii episcopi in circuitu stabunt ad instar coronæ, tenentes singuli libros pontificales, in quibus scriptum est consecrationis officium, quod singuli dicere debent submissa voce. Tunc episcopus Albanensis dat primam Orationem cum nota, dicens :

Oratio. — Adesto supplicationibus nostris, omnipotens Deus, ut quod **273** *humilitatis nostræ gerendum est ministerio, tuæ virtutis impleatur effectu. Per.*

Deinde episcopus Portuensis dat Orationem suam, dicens cum nota :

Oremus. — Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et inclinatus super hunc famulum tuum N. gratiæ sacerdotalis Benedictionis tuæ in eum infunde virtutem. Per.

Post hæc episcopus Ostiensis ponit apertum librum Evangeliorum super cervicem consecrandi, sicut fit in consecratione aliorum episcoporum, tenentibus ipsum duobus cardinalibus usque ad consecrationem finitam. Libro sic præposito, tunc consecrator imponat manum dextram super caput consecrandi, nihil dicendo ; et similiter faciant omnes episcopi cardinales, et alii archiepiscopi et episcopi qui assistunt. Post hæc ipse Ostiensis episcopus elevata voce dicit in modum præfationis *Per omnia sæcula sæculorum*, respondetur *Amen ;* et prosequitur præfationem illam, *Honor omnium dignitatum*, etc., quæ [a] superius in consecratione aliorum episcoporum posita est, excepto quod ubi dicitur *Et idcirco huic famulo tuo N.*, in consecratione Romani pontificis eleganter fit hæc additio, et dicitur sic : *Et idcirco huic famulo tuo N. quem apostolicæ sedis præsulem, et primatem omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum, ac universalis Ecclesiæ doctorem dedisti, et ad summum sacerdotii ministerium elegisti, hanc, quæsumus, Domine, gratiam largiaris*, etc., usque *De profectu omnium consequatur.* Consequenter vero ubi dicitur *Tribuas ei*, etc., in consecratione Romani pontificis dicatur sic : *Tribuas ei, Domine, cathedram pontificalem ad regendam Ecclesiam tuam, et plebem tuæ sortis intra mundi limites universam Sit ei auctoritas*, et reliqua. Consecratione manuum facta, consecrator immittit annulum in digitum annularem dextræ manus papæ consecrati, dicens : *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum, quatenus sponsam Dei, videlicet sanctam universalem Ecclesiam*, etc., ut supra ; et deinde dat ei secundum modum præscriptum librum Evangeliorum, dicens : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo universo. Potens est enim*, etc., ut supra. Post hæc archidiaconus imponat ei pallium, dicens : *Accipe pallium, scilicet pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei,* **274** *et gloriosissimæ virginis Mariæ ejus genitricis, et beatorum Petri et Pauli, et S. R. E.* Deinde ascendit papa ad sedem, et recipit ad osculum pedis et oris omnes episcopos, presbyteros et diaconos cardinales, et alios prælatos : quo facto, dicat *Gloria in excelsis Deo*, sive *Dominus vobiscum*, ut tempus requirit. Ille autem episcopus cardinalis qui papam consecravit, consecratione finita, deponit pontificalia ornamenta, et assumpto superpellicio, pluviali et mitra simplici, servit eidem, ut moris est, in Missa. Papa vero post *Dominus vobiscum*, et *Gloria in excelsis*, si est dicendum, dicit Orationem Dominicæ alte, et aliam pro se secrete ; quibus dictis, residet in sede, et prior diaconorum cardinalium portans ferulam in manibus cum diaconibus, subdiaconibus, scriniariis, judicibus omnibus solemniter descendit ante altare, et facit duas acies, unam ex parte una, et unam ex reliqua, æqualiter dividendo, ponens primo diaconos juxta altare, secundo subdiaconos, tertio deorsum in choro judices, quarto scriniarios ordinate ; quo facto, ipse prior diaconorum incipit laudem sic alta voce in cantu, quasi legendo, *Exaudi, Christe ;* et judices et scriniarii respondent similiter in cantu, quasi legendo : *Domino nostro N., a Deo decreto summo pontifici et universali papæ, vita.* Item idem prior diaconorum secundo dicit *Exaudi, Christe*, et judices et scriniarii respondent *Tu illum adjuva*, et sic facit tertio. Item idem prior diaconorum *Salvator mundi*, et judices et scriniarii respondent *Tu illum adjuva*, et sic faciunt tertio. Item idem prior dicit bis *Sancta Maria*, et respondetur *Tu illum adjuva.* Eodem modo dicit tantum semel *Sancte Michael*, etc., ut supra.

Quibus finitis, prior dicit *Kyrie, eleison*, et illi resp. *Kyrie, eleison*, et hoc faciunt similiter secundo ; et postea omnes, scilicet, prior diaconorum et subdiaconi, et alii tertio simul dicunt una et alta voce *Kyrie, eleison.* Laudibus sic finitis, legitur epistola Latina et subsequenter Græca super pulpitum ; et ita etiam fit de Evangelio. Et sic Missa ordine suo procedit usque ad finem ; et communicabit papa cum solemnitate, non super altare, sed ad sedem.

Post Missam dicit papa *Sit nomen Domini benedictum*, et resp. *Ex hoc nunc*, etc., et dat Benedictionem. Quibus rite peractis, ipse papa et omnes cardinales, et alii prælati et subdiaconi, quilebet in gradu suo, induentur vestimentis pretiosis **275** albi coloris, episcopi pluvialibus, presbyteri casulis, diaconi dalmaticis, subdiaconi tunicellis, acolythi et alii capellani superpelliciis, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates pluvialibus ; et similiter judices, scriniarii, præfecti, et advocati erunt induti pluvialibus, et scholenses superpelliciis. Papa vero cum planeta omnia pretiosa ornamenta habebit, et pallium, et mitram optimam, et chirothecas, et an-

[a] Id est in antiquo Ordine Romano, non in hoc libro Gaetani.

nulum pontificalem; et sic ornatus cum omnibus venit ad portam sive gradus ecclesiæ, et ibi sedet in sede sibi præparata; et prior diaconorum cardinalium extrahit ei mitram, et ponit coronam, quæ vocatur regnum, in capite, toto populo clamante *Kyrie, eleison.*

Quo facto, quilibet cardinalis et prælatus equitat equum coopertum panno albo; subdiaconi vero, capellani, scriniarii et alii equitant ornate vestiti, non tamen habebunt equos coopertos, papa vero equitat equum magnum faleratum, et coopertum tantum ex parte posteriori de scarleto; et postquam equitavit, fit ibi in eodem loco jactus pecuniæ sex missilium per senescalcum, vel alium ter, et post papa projicit. Sic autem omnibus equum ascendentibus, prior diaconorum cum ferula ordinat Processionem hoc modo. Primo procedit equus domini papæ faleratus; secundo, vadit subdiaconus cum cruce; tertio, duodecim branderarii cum duodecim vexillis rubeis, et duo alii cum duobus aliis cherubinis et lanceis; quarto, duo præfecti navales induti pluvialibus; quinto, scriniarii; sexto, advocati; septimo, judices; octavo, cantores; nono, diaconi et subdiaconi qui legerunt Epistolam et Evangelium in Græco; decimo, abbates forenses; undecimo, episcopi; duodecimo, archiepiscopi; decimo tertio, abbates Urbis; decimo quarto, patriarchæ et episcopi cardinales; decimo quinto, presbyteri cardinales; decimo sexto, diaconi cardinales; decimo septimo, dominus papa, et subdiaconus cum tobalea, et serviens qui portat umbraculum. Processione taliter ordinata, dominus papa cum ea per viam papæ incedens revertitur ad Lateranum; sed cum pervenerit ad turrim Stephani quæ est in Parione, et hodie dicitur Turris de Campo, unus de familia papæ facit ibi alium jactum, stando in aliquo loco eminenti; et ibi dominus papa stat, et ibi veniunt Judæi cum lege, facientes ei laudem; et offerunt legem sibi ut adoret. Similiter dum pervenit ad palatium Cintæ Musca in Punga, unus de familia papæ de dicto palatio facit unum jactum. Similiter facit alium jactum, cum pervenerit ad sanctum Marcum. Similiter **276** cum pervenerit ad sanctum Adrianum, facit alium jactum de palatio sanctæ Martinæ.

Pervento autem ad plateam Lateranensem, ducitur apostolicus ad porticum, quæ vadit ad ecclesiam sancti Joannis Lateranensis; et ibi ante porticum stant prior Lateranensis et canonici cum eorum comitiva induti solemniter, et cum cruce processionali papam, cum descendit, recipiunt, et faciunt eum ibi sedere in quadam sede marmorea, quæ vocatur stercoraria; ad quam venientes omnes cardinales honorifice elevant eum, ut vere dicere possit: *Suscitat de pulvere egenum, et de stercore erigit pauperem, ut sedeat cum principibus, et solium gloriæ teneat.* Ipse autem dominus papa stando juxta ipsam sedem, accipit tres pugillatas denariorum de gremio camerarii, et projicit inter populum, dicens: *Argentum et aurum non est mihi; quod autem habeo, hoc tibi do.* Et deinde priore et canonicis post eumibus, cantando ducitur per ipsam porticum ad ecclesiam basilicæ Lateranensis ubi orat, et dat Benedictionem, dicens: *Sit nomen Domini benedictum,* et resp. *Ex hoc nunc,* etc., et deponit regnum, et assumit mitram, et sedet in magna sede post altare, ubi recipit prædictos priorem et canonicos Lateranenses ad pedem et osculum; quo facto, ducitur ad palatium; et dum venerit ad portam palatii, inde intratur palatium per ecclesiam. Ponitur ibi faldistorium, et ibi papa sedente, prior presbyterorum cardinalium, cum ipsis presbyteris et judicibus et scriniariis ordinatis in filo, facit laudem, sicut prior diaconorum cardinalium fecerat in Missa ante Epistolam post Orationem. Postea ducitur papa a cardinalibus per palatium usque ad portam ecclesiæ sancti Silvestri, ubi sunt duæ sedes porphyreticæ; et primo sedet in una quæ est in dextera, ubi prior basilicæ sancti Laurentii dat ei ferulam, quæ est signum correctionis et regiminis, et claves ipsius basilicæ et sacri Lateranensis palatii, in quibus designatur potestas claudendi et aperiendi, ligandi atque solvendi; et cum ipsa ferula et aliis clavibus accedit ad aliam sedem similem, quæ est ad sinistram; et tunc restituit eidem priori ferulam et claves, et incipit sedere in illa secunda sede. Et postquam aliquantulum sederit, idem prior cingit eidem domino papæ zonam de serico rubeo, in qua debet pendere bursa purpurea, in qua sunt duodecim lapides pretiosi **277** cum sigillis et muscis; et dum in ipsa sede sedet, recipit officiales palatii ad pedem et osculum. Recipit etiam de manu camerarii postea denarios argenteos valentes decem solidos Provesinorum, et projicit eos super astantes; et hoc facit ter, dicendo singulis vicibus: *Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi;* et in istis duabus sedibus debet papa taliter sedere, ut videatur potius jacere quam sedere; et nulla istarum sedium, nec etiam stercoraria, erit cooperta vel parata, sed nuda.

Deinde surgens ducitur ad basilicam sancti Laurentii, quæ dicitur Sancta Sanctorum, ubi intrat, et ante altare suam Orationem facit; et postea reducitur ad capellam sancti Silvestri, in qua intrat; ibique, depositis pallio, casula et chirothecis, et accepto manto ad scapulas, sedet in loco præparato, et dat cuilibet cardinali et prælato presbyterium solitum hoc modo. Ipse papa sedet in sede, et quilibet cardinalis et prælatus, extracta sibimet mitra, deferens eam in manu, vadit coram eo; flexis genibus tenet mitram apertam ante papam, qui ponit in illam pecuniam quam dat ei in uno scypho argenteo camerarius, et quam dicit liber cameræ, qui vocatur Polyptycus; et ille qui recipit pecuniam in mitra, osculatur genu domini papæ. Idem vero camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ; et assistunt ipsi camerario clericus cameræ et duo mercatores. Ipsi vero camerarius et clericus cameræ sint induti superpelliciis.

Dato presbyterio, idem dominus papa a duobus cardinalibus diaconibus ducitur ad mensam solemniter paratam, et sedet ibi, episcopo cardinale sibi dante

aquam, duobus diaconibus tobaleam tenentibus; et eo loto, factaque Benedictione mensæ, vadunt omnes sedere. Sedet autem papa in una sede eminenti solus, diversis et magnis vasis aureis et argenteis super mensam positis. In alia vero mensa, quæ est ad dexteram, sedent episcopi, et post eos presbyteri cardinales; in parte sinistra diaconi cardinales; et post mensas cardinalium erunt mensæ omnium prælatorum et aliorum nobilium. Et attende quod papa stabit, dum comedit, indutus et calceatus, ut dictum est, cum mitra. Cardinales vero omnes habebunt superpellicia cum camisiis, et mantellis, et mitris albis simplicibus; et ita comedent, et omnes prælati similiter. **278** Coram papa servient laici majores natu et nobiliores, qui præsentes erunt. Comestione sumpta, papa lavabit manus ut prius; et quilibet cardinalis similiter sedendo lavabit se, serviente fundente aquam cardinali lavanti. Cardinales autem qui assistunt, teneant tobaleam, unus ex sua parte lavantis, alter ex altera, et sic sibi adinvicem mutuo serviant. Quibus omnibus lotis, et redditis gratiis, papa reducitur a duobus cardinalibus ad cameram, ubi sacris exutus quiescit. Cardinales vero et alii prælati redeunt ad hospitia sua eques cum mitris paratis, sicut in comestione steterunt.

Item Benedictio papæ de episcopo facti, quæ exhibenda est in eodem loco; quæ consecratio facienda videbitur inter ultimum *Kyrie, eleison* Missæ, et *Gloria in excelsis Deo*, vel *Dominus vobiscum*. Peractis scilicet prius omnibus aliis quæ consecrationem præcedunt, ut supra; et hoc amplius, quia papa debet cum aliis ornamentis habere annulum pontificalem. Stabunt autem, dum hæc Benedictio legitur, tam papa quam episcopus qui benedicit, et alii cardinales et episcopi, modo et ordine tradito superius in consecratione. Orationem primam dat episcopus Albanensis, *Deus, qui adesse non dedignaris*, etc., ut supra in coronatione domini papæ. Secundam Orationem dat Portuensis episcopus, *Supplicationibus nostris, omnipotens Deus*, etc. Tertiam Orationem dat Ostiensis episcopus vel archipresbyter, si desit episcopus, ita dicens, *Deus, qui apostolum tuum Petrum*, etc. Hac Benedictione peracta, imponitur apostolico pallium, et dicuntur et fiunt cætera consecrationis papæ, quæ imposito pallio dicenda sunt et agenda ordine supradicto.

XLVI. *Infra scripta sunt illa quæ domini cardinales et alii prælati de curia, camerarius et alii familiares papæ, facere debent quando coronatur.*

Primo quilibet episcopus et dominus cardinalis super camisiam superpellicium, amictum, stolam et pluviale coloris convenientis tempori habeat, sive induat; sed in Processione album habeant pluviale. Item habeat ordinarium suum et mitram, et equum coopertum cooperimento albo; et in mensa deposito pluviali, recipiat mantellum, et cum mantello et mitra in capite comedat in aula cum domino papa.

279 Item quilibet de dominis cardinalibus habebit in mensa casulam coloris congruentis tempori, quo contigerit consecratio et coronatio celebrari, vel pluviale secundum quod tempus requiret. In Processione autem habeat tunicam et dalmaticam albi coloris pretiosas, et equum coopertum cooperimento albo, et in mensa cum domino papa erit, sicut supra scriptum est de aliis dominis cardinalibus.

Item quilibet episcopus, sive prælatus, qui repertus fuerit in curia, habeat camisiam, superpellicium, amictum, stolam et pluviale coloris secundum quod tempori convenit in Missa. Item habeat ordinarium et mitram, et in Processione pluviale album, mitram et equum coopertum cooperimento albo. Cum autem venerit ad palatium cum domino papa, ubi paratum est ad comedendum, deponat pluviale, et recipiat mantellum, et cum mitra in capite comedat cum domino papa.

Item dominus camerarius debet præcedere dominum papam cum cruce, associatis sibi capellanis usque ad ecclesiam, ubi debet fieri consecratio et coronatio, et in Missa stet in loco consueto. Qua finita accedat ad locum in ecclesia, ut ordinatum est, et fiat presbyterium; et sic paratus una cum uno de clericis cameræ, et mercatoribus, ministret domino papæ diversas monetas exhibendas pro presbyterio dominis cardinalibus, prælatis, et aliis, de quibus consuetum est; et idem camerarius et clericus sint induti superpelliciis: quo facto, camerarius erit cum domino papa, quousque dominus papa sit in mensa; et postea vadat vel revertatur ad cameram ad comedendum cum omnibus capellanis domini papæ, qui sunt in curia, pœnitentiariis et aliis pluribus bonis viris, qui ex parte camerarii invitantur.

Item quilibet capellanus domini papæ, non subdiaconus domini papæ, habeat superpellicium; et sic equitabit in Processione, et studeat ire ornate cum socio sibi dato.

Item duo Græci de monte Cryptæ Ferratæ, etiamsi essent in curia alii Græci, dummodo curia sit in tali loco, quod de ipso monte possint haberi, alioquin de aliis, sicut fieri potest, intersit in Missa: quorum unus indutus alba et tunicella legat epistolam congruentem diei; alius sit indutus paramento et dalmatica, et cantet Evangelium quod congruat diei; et habeant paratos equos post Missam, et veniant cum Processione usque ad palatium domini papæ.

280 Item thesaurarii habeant paramenta parata pretiosa pro domino papa competentia secundum tempus, cum consecrabitur, et alba pro Missa celebranda et Processione, mitra, regnum et septem candelabra cum cereis, tobalea, caputergium, chrisma, et alia eis dicta.

Item duodecim vexilla et duo cherubini in lanceis, qui dabuntur quatuordecim cursoribus, ut portent ea juxta papam; et unus ex ipsis thesaurariis, cum dominus papa coronabitur, assignata corona, recipiet mitram, et præcedet, et exspectabit in porta ecclesiæ, et dabit mitram, et recipiet coronam. Item stabit paratus recipere pallium et casulam, quando papa re-

cipiet mantum; et post comestionem recipiet indumenta et sandalia, quæ papa deponet

Frater N. marescalcus marescalliæ habebit paratos equos, cum faleris et aliis necessariis equo quem equitabit papa, cum cooperimento posterius de scarleto; et faciat alia consueta sibi injuncta.

Servientes albi erunt parati ad dextrandum equum, et ad portandum soleclum et calcaria, capellum et cappam contra aquam ne pluat, et mitrale.

Item servientes nigri portabunt capellam, capitia, faldistoria, scabella et alia consueta, quando dominus papa vadit cantare in solemnibus festis. Item micam de tribus panibus. Item quatuor incisoria de pane in una tobalea pro manibus lavandis. Item de aqua frigida et calida pro manibus lavandis. Item portabunt in ecclesia locum ubi se debet induere, et locum post altare, ubi debet sedere: et faldistorium erit paratum ante altare, in quo incumbat cum fiet litania.

Item in ecclesia parabitur locus ad sedendum, ubi fiet presbyterium, et ubi erit faldistorium ad sedendum. Item subdiaconi domini papæ, tam capellani, quam alii, sint induti tunicellis, et serviant et cantent laudes cum priore diaconorum cardinalium, et faciant servitia quæ erunt eis injuncta: et habeant equos, et veniant eques cum Processione cum papa; et unus eorum sit paratus ad portandum crucem, alius ad faciendum litaniam, et tertius ad serviendum de tobalea; et diaconus qui cantavit Epistolam, in Processione portabit librum Evangeliorum, et prior eorum portabit pallium super altare tempore debito.

281 XLVII. *De ministerio episcopi vel presbyteri cardinalis servientis papæ Missarum solemnia celebranti in officio capellani rubrica.*

Sciendum est quod Romano pontifici Missarum solemnia celebranti servire solet in officio capellani episcopus cardinalis diebus qui processionales vocantur: in quibus idem pontifex longe ab altare sacris indutus vestibus, et cum ordinata Processione, mappa super caput ejus extensa, ad sacrum altare procedit. Aliis vero diebus, in quibus non fit hujusmodi Processionis solemnitas, servire solet presbyter cardinalis. Sed a feria quarta in capite jejunii, licet dicta processio fieri soleat, tamen presbyter cardinalis servire debet. Quando autem pontifex alicui episcopo vel presbytero cardinali committit sermonem faciendum in Missa, is qui prædicaturus est servire debet, etiamsi alias ad alium pertinere servitium videatur.

Cum vero pontifex in ecclesiam in qua celebraturus est venerit, ipso divertente ad locum ubi sacris vestibus indui debet, episcopus sive presbyter cardinalis qui serviturus est eidem pontifici assistere debet, dum dicit Tertiam vel aliam Horam, quæ dicenda est ante Missam secundum exigentiam temporis. Et cum idem pontifex Orationem sive Collectam illius Horæ dicturus est, dictus cardinalis detecto capite manum sinistram producit per anteriorem fissuram cappæ suæ, qua indutus est; dexteram vero proferat sub ora cappæ; et accipiens duabus manibus librum porrigendum sibi per aliquem de capellanis astantibus, in quo dicenda Oratio scripta est, teneat ipsum super caput suum ante ipsum pontificem, dum dicit Orationem. Si vero sit dies ferialis, in qua pontifex incumbens super faldistorium Orationem dicere debeat, idem cardinalis genu flexo coram pontifice librum teneat ad pectus suum vel alio modo, qui pro ipso pontifice ad legendam Orationem accommodius videatur. Dicta Oratione, cardinalis reddat ei a quo recepit, et remaneat cum ipso pontifice, donec finiatur officium beatæ Mariæ, si dicendum est, in quo tamen liber ad Orationem dicendam teneri non solet. Finita Hora, divertat cardinalis prædictus ad locum aliquem non remotum, et si episcopi cardinales sedeant, non longe a pontifice cum eis sedere poterit, sive sit episcopus, sive presbyter. Sedeat autem in loco qui sibi competit secundum ordinem suum, quousque pontifice **282** calceato sandaliis, vocetur ipse cardinalis ab aliquo ex acolythis pontifici servientibus ad ministrandum aquam manibus ejusdem pontificis. Tunc accedens ipse cardinalis coram pontifice, utramque manum producet extra cappam juxta modum superius positum; et de manu alicujus ex familiaribus pontificis, qui pelves cum aqua eidem cardinali tradere debet, accipiat superiorem pelvim sinistra manu; et, genu flexo coram pontifice, supponat eam manibus ejus; et accipiens inferiorem pelvim, dextera manu fundat aquam manibus pontificis, quandiu pontifex accipere volet. Deinde pelves restituens ei a quo acceperat, revertatur ad locum ad quem antea diverterat. Cumque pontifex planetam assumpserit, tunc et ipse cardinalis qui servit, deposita cappa, assumat cottam vel superpellicium, amictum et pluviale coloris qui tempori congruat; et si sit presbyter cardinalis, ipse qui sibi servit nihilo minus pluviale induere debet, et consequenter accipere mitram suam. Post hæc, tradente sibi uno ex acolythis pontificalem annulum, accedat ad pontificem, cui per diaconum cardinalem mitra imposita fuerit; ipse, deposita mitra sua, eumdem annulum immittat annulari digito dexteræ manus pontificis, osculando eamdem manum. Demum accipiens de manu acolythi naviculam cum thure et cochleari, porrigit ipsi pontifici, ut incensum ponat in thuribulo, quod idem acolythus tenere debet. Accipiente vero pontifice cochlear ipsum, cardinalis prædictus manum ejus osculari debet; et similiter faciat quando pontifex cochlear ipsum reponit in naviculam. Hoc enim regulariter observatur, quando quicunque cardinalis aliquid tradit in manus pontificis, vel recipit de manu ipsius, manum eamdem reverenter osculari debet.

Post hæc si Processio facienda est, ordinata ipsa Processione per ipsos quorum interest, cardinalis ipse præcedit, si est episcopus, cum aliis episcopis, tenendo locum quem alias tenere debet; si vero presbyter est, præcedat prius omnes presbyteros cardinales, quasi unus ex junioribus episcopis cardinalibus. Sic autem præcedat cum aliis cardinalibus ip e

qui servit, donec ad altare perveniant; et juxta dextrum cornu altaris exspectet, donec pontifex ipse perveniat ad altare. Quod si dies processionalis non est, sed talis in qua pontifex prope altare sacris induitur; postquam cardinalis ipse pontifici dederit annulum, statim veniat ad dextrum cornu altaris, et exspectet **283** pontificem, ut dictum est. Veniente autem pontifice ad altare, et astantibus eidem duobus diaconibus hinc et inde, episcopus sive presbyter cardinalis qui servit, stare debet juxta diaconum qui est ad dextram pontificis, donec ipse pontifex confessionem et absolutionem compleverit. In fine vero absolutionis accipiat dominus cardinalis de manu acolythi naviculam cum thure, et offerat pontifici, ut thus in thuribulo ponat juxta modum qui superius ponitur. Deinde cardinalis ipse vadat et exspectet pontificem juxta sedem ipsi pontifici præparatam in dextra ejus parte. Cumque pontifex ad eamdem sedem venerit, ascendat dictus cardinalis, et assistens ei ex parte dextra, dicat cum ipso Introitum Missæ et *Kyrie, eleison*, legendo. Deinde vadat ad sedendum in loco suo.

Sciendum vero est quod cardinalis qui servit in loco capellani, si est episcopus, faldistorium suum habere debet ad dexteram partem sedis prædictæ super alios episcopos cardinales qui sedent in eadem parte; si autem presbyter est, non debet habere faldistorium, sed locum habebit ante pedes pontificis in dextera parte juxta duos diaconos cardinales qui eidem pontifici assistunt. Cumque pontifex incœpturus est Hymnum Angelicum, surgit dictus cardinalis qui servit, et assistat pontifici, et prosequatur cum eo Hymnum prædictum, et deinde sedeat in loco suo. Cum autem dicturus est pontifex *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, surgat idem cardinalis, et accipiat librum Missalem tradendum sibi per aliquem capellanum, vel alium clericum, cui liber ipse commissus fuerit; et ipsum teneat apertum super caput, vel aliter decenti modo, prout commoditas loci permiserit, ante pontificem, donec dixerit omnes Orationes dicendas, quas idem cardinalis præscire debet, ac diligenter in libro quærere, ac ordinate pontifici præsentare. Finitis Orationibus, cardinalis reddat librum ei a quo recepit, et sedeat usque ante horam qua legendum est Evangelium. Tunc surgens accipiat de manu acolythi naviculam cum thure, et exhibeat eam pontifici eo modo qui superius descriptus est, ut pontifex ponat incensum in thuribulo, quod portandum est ad Evangelium; quo posito, dictus cardinalis iterum sedeat, donec inchoetur Evangelium; quod cum legitur, assistat pontifici in dextra parte sedens.

Finito Evangelio, dictus cardinalis accipiat thuribulum de manu acolythi redeuntis a loco in quo lectum est Evangelium; **284** et incenset ipsum pontificem. Et est conveniens quod incensando ter admoveat thuribulum ante pectus pontificis. Hoc facto, si pontifex ipse prædicaturus est, cardinalis ipse qui servit pergat ad locum in quo faciendus est sermo, et sit in dextera parte pontificis dum prædicat, videlicet stans, si pontifex stat; aut sedens in aliquo apto loco, si pontifex sedeat. Et facto sermone, cum ipso pontifice redeat ad sedem ipsius, præcedens ipsum. Si autem ipse qui servit sermonem facturus est, postquam incensavit pontificem, genu flexo ante ipsum osculatur pedem ejus, et petat Benedictionem dicens *Jube, domne, benedicere*. Recepta Benedictione, reverenter quærat a pontifice quantam indulgentiam placeat ei concedere; et audito beneplacito ejus, pergat ad locum ubi prædicare debet, et prosequatur sermonem suum. Quo finito, maneat in eodem loco, donec facta sit confessio per diaconum cardinalem; et tunc antequam pontifex det absolutionem, dictus cardinalis qui prædicaverit, annuntiet indulgentiam talibus vel similibus verbis: *Dominus summus pontifex auctoritate omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus et sua, omnibus vere pœnitentibus et confessis concedit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum*, vel plus, sicut pontifici placuerit; et consequenter data absolutione per pontificem, ipse cardinalis redeat ad eum, et dicens *Credo*, si dicendum est, assistat et prosequatur cum eo Symbolum, et sedeat; et cantato Symbolo surgat et assistat pontifici dicenti *Dominus vobiscum*.

Postea residente eo, acolythus super ipsius gremium debet extendere tobaleam seu mappam, et amovere chirothecas ejus, amoto prius annulo pontificali de digito pontificis per cardinalem prædictum, qui eum servare debet immisso alicui digito suo; et genu flexo a dextera parte pontificis, debet tenere tobaleam decenter obvolutam circa juncturam brachii et manus dexteræ pontificis, subdiacono tenente similiter a parte sinistra; et aliquo de cubiculariis ipsam tobaleam elevante paululum ante pectus pontificis, ne forte, dum pontifex lavat manus, aliquæ guttæ prosiliant de aqua, et sacras vestes maculare possint. Tunc episcopus cardinalis antiquior ex aliis qui sedent circa pontificem, surgat et accipiat pelves tradendas sibi ab uno de familiaribus pontificis, cui commissum fuerit, et ministret aquam ad manus pontificis abluendas, sicut superius de prima ablutione dictum est. Quibus ablutis et extersis, **285** prædictus cardinalis qui servit immittat annulum digito pontificis, et surgens stet juxta pontificis sedem, donec instante hora qua pontifex processurus est ad altare, ipse procedat, et præparet librum Missalem in sinistra parte altaris, supposita ei tobalea complicata, cum qua pontifex manus abstersit, quam clericus, qui eidem cardinali servit de mitra recipere debet de manu acolythi, quando pontifex surgit ut veniat ad altare. Præfatus autem cardinalis diligenter quærere debet in prædicto libro omnia quæ pontifex dicturus est, sive offerendo patenam et calicem, sive thurificando, sive etiam prosequendo secretas Orationes, et cætera quæ ad officium Missæ spectant. Debent etiam, cum opus est, sollicite ac modeste vertere folia, et ostendere pontifici digito quæ dicenda sunt, si quando fuerit opportunum. Sic autem pontifici assistat juxta librum attentus et reverens usque ad *Agnus Dei*. In

elevatione tamen dominici corporis poterit ad modicum flectere genua, et idem similiter facere in elevatione calicis, adorando videlicet corpus et sanguinem consecratum.

Cæterum postquam dixerit *Agnus Dei* cum pontifice, et ipse pontifex incœperit dicere Orationem *Domine Jesu Christe qui dixisti*, etc., quæ videlicet dicitur ante pacem, tunc sæpe dictus cardinalis, relicto libro in sinistra parte altaris, transferat se ad dextram, et pontifice se convertente ad dandam ei pacem, ipse cardinalis inclinet se ante eum profunde; non tamen flectat genua, et cito se erigens, reverenter accipiat pacem a pontifice, ac subsequenter osculatur crucem pallii quæ est in pectore pontificis; deinde prout opportunum fore prospexerit, aptet ei planetam primo super dextrum, postea super sinistrum brachium; poterit etiam trahere a parte anteriori. Subsequenter aptet pallium hoc modo. Partem illam fanonis, quæ dependet ante pectus pontificis, aptet decenter sub prædicta cruce pallii; deinde super eamdem crucem ponat digitos manus dextræ suæ, et cum sinistra trahat pallium inferius, et collocet in loco debito super dextrum brachium pontificis; postea digitos manus suæ sinistræ imponens eidem cruci, cum manu sua dextra trahat et aptet sinistram partem pallii. Est autem locus conveniens pallii super brachia, ut videlicet nec tantum ascendat, quod appropinquet ad cubitum; sed sit quasi in medio..... ut cubitum ultimam partem, anteriorem pallii, quæ videlicet dependet inferius, faciat certe dependere per medium planetæ. **286** Modus autem aptandi planetam et pallium, ut supra tangitur, melius percipi potest exemplo diaconorum cardinalium, quorum est hoc frequenter facere in Missa, quam possit per scripturam tradi.

His peractis, cardinalis prædictus convertens se ad antiquiorem ex diaconibus cardinalibus, qui circa altare assistunt, det ei pacem; ita tamen quod si is qui Evangelium legit, est antiquior, non ei, sed antiquiori post eum pax dari debet. Deinde cardinalis prædictus vadat ad episcopos cardinales, et det pacem antiquiori in parte dextra, et alteri antiquiori in parte sinistra. Subsequenter vadat ad presbyteros cardinales, et det pacem antiquiori in parte sinistra. Ultimo ad alios prælatos qui sacris induti sunt, et det pacem uni qui primum locum tenet, vel pluribus eorum, si forte non omnes fuerunt in ordine eodem residentes. Ipsum autem cardinalem sic euntem ad dandam pacem præcedere debet unus de acolythis, et aliquis vel aliqui de cursoribus domini papæ.

Data pace, revertatur ad pontificem quem invenerat recessisse ab altari, et venisse ad sedem suam, eique communicanti assistat. Nec oportet multum sollicitari eum de libro tempore communionis; sed ipse cui liber est commissus tenere debet ante pontificem aptata dextra super ipsum librum, ut legere possit quæ illo tempore dicenda sunt. Ipse vero cardinalis accipiens de manu acolythi pannum, cum quo

A abstersurus est pontifex os et digitos post communionem et ablutionem, et cum ipso panno accipiens calamum cum quo pontifex dominicum sanguinem sumere debet; quando pontifex sumpserit partem Hostiæ quæ sumenda est ab eo, et debuerit sumere sanguinem, dictus cardinalis porrigit ei calamum, osculans manum ejus. Cumque pontifex post datam sacram communionem diacono cardinali et subdiacono resederit, dictus cardinalis tenens prædictum pannum suum in manu dextra sua, genua flectat a dextra parte pontificis, et tobaleam extendendam per acolythum super gremium ejus teneat manu sinistra, eodem modo quo superius scriptum est. Tunc ille episcopus qui aquam ministraverit, accipiens de manu acolythi manu sua dextra urceolum cum vino, et manu sinistra vasculum in quo ablutio recipienda est, vasculum

B ipsum supponat digitis pontificis, et cum urceo superfundat vinum paulatim et modeste, et alius episcopus cardinalis antiquior post illum accipiat **287** pelves exhibendas sibi per aliquem de familiaribus pontificis, et subsequenter super eosdem digitos aquam fundat eo modo, quo supra in ablutione manuum traditur. Ablutis digitis, sæpe dictus cardinalis qui servit, porrigit dictum pannum pontifici ad extergendum digitos. Præfatus autem episcopus qui vinum fundit, urceum reddens acolytho, vasculum cum ablutione portet ad altare diacono cardinali qui Evangelium legit, qui eamdem ablutionem bibere debet, et vasculum episcopo reddere; ac ipse episcopus vasculum tradere acolytho, et sic redire ad

C locum suum. Cardinalis vero qui servit, exspectet manens sic genu flexo, donec subdiaconus offerat pontifici calicem cum vino, et ipse pontifex sumat de eo ad abluendum os; et tunc iterum dictus cardinalis porrigit ei pannum prædictum ad os abstergendum; et exinde cardinalis restituens dictum pannum acolytho surgere debet, et instante hora pontifex ad altare redire debet. Ipse cardinalis præcedat eum, et sit in dextra parte, habens ibi librum missalem cum tobalea supposita, ut supra dicitur; et veniente pontifice ad altare, assistat ei dum dicit Orationes dicendas post communionem, quas diligenter quærere et ordinate studeat præsentare pontifici. Cumque, finitis Orationibus omnibus, pontifex dicit *Per Dominum nostrum Jesum Christum*, etc., cardinalis prædictus

D dictus osculatur primo altare, demum crucem pallii quæ est super dextrum brachium pontificis, et sic recedat ab altari, et vadat ad locum in quo sedit, stans ibi donec post Benedictionem datam pontifex redeat ad sedem suam, juxta quam dictus cardinalis assistens amoveat annulum de manu pontificis, et reddet acolytho. Deinde divertens exuat se sacras vestes, et induat communes; ac denuo redeat ad pontificem, et assistat eidem, et serviat in Hora illa, quæ post Missam dicenda est, sicut dictum est superius de Hora quæ Missam præcedit. Si autem exuto pontifice sacris vestibus imponenda est ei mitra, dictus cardinalis adsit, et nullus diaconus cardinalis

advenerit, sæpe dictus cardinalis mitram imponit ipsi pontifici. Finita vero Hora prædicta, cardinalis ipse recedere potest, peracto videlicet ministerio suo.

288 XLVIII. *De his quæ observanda sunt circa mysterium, quando episcopus cardinalis Missarum solemnia celebrat; et quos ministros debet habere; et de vestimentis seu ornamentis pontificis et ipsorum.*

Quando episcopus cardinalis Missarum solemnia celebraturus est in ecclesia aliqua, clerici ejus, quibus capellæ cura committitur, præcedere debent ad eamdem ecclesiam cum ipsa capella, et sollicite pro videre quod omnia deferant quæ necessaria sunt ad ministerium tam pro persona pontificis quam pro ministris ejus, et pro sacro altari. Ministri autem, quos pontifex omni tempore habere debet, sunt hi : capellanus, diaconus et subdiaconus, et quatuor acolythi ad minus, videlicet unus qui mitram servare debet, unus qui sit thuriferarius, et duo qui sint ceroferarii. Cum opus est, poterunt nihilominus aliqui alii de clericis celebrantis induti superpelliciis eidem assistere cum prædictis ministris. Vestimenta vero seu ornamenta pro persona pontificis deferenda hæc sunt : caligæ, sandalia, amictus, alba, cingulum cum subcinctorio, quod habet similitudinem manipuli, et dependere debet a cingulo in sinistra parte; crux pectoralis, stola, tunicella, dalmatica, chirothecæ, planeta seu casula, et manipulus, pallium cum tribus spinulis aureis, si pontifex pallio utitur; mitra et annulus pontificalis. Cambuta seu baculo pastorali non utuntur summi pontifices, nec episcopi cardinales in Romana curia. Sunt necessaria pro persona pontificis pectem et tobalea circumponenda collo ejus quando pectinatur, pelves et tobalea ad abstergendum manus, faldistorium cum scabello et cussinis supponendis faldistorio, et pannum ad tergendum ipsum.

Capellanus autem camiseam lineam super communes vestes, superpellicium seu cottam, amictum et pluviale habere debet. Diaconus amictum, albam, cingulum, stolam, dalmaticam et manipulum. Subdiaconus amictum, albam, cingulum, tunicellam, et manipulum. Acolythi omnes debent esse induti cottis secundum consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Et notandum quod diaconus et subdiaconus diebus quibus est usus violacei seu nigri coloris, non dalmaticas et tunicellas, sed planetas sacerdotales habere debent.

Provideant etiam prædicti clerici quod deferant cum capella **289** altare portatile, nisi sciant quod altare in quo celebrandum est sit consecratum; et pannum sericum, qui dicitur dorsale, et aurifrigium ad adornandum faciem altaris, crucem ponendam super ipsum altare, pallam, corporale, calicem, patenam, mappulam ad tergendum calicem, ampullas pro vino et aqua ad sacrificium, vasculum quod continet Hostias, barillum seu vas unde deferant vinum pro sacrificio, et aliud vas pro aqua necessaria in ministerio. Deferant etiam thuribulum et naviculam cum thure et cochleari; et libros, videlicet Missalem, librum Evangeliorum, et librum Epistolarum; tobaleas etiam, quarum unam tenet capellanus, vel aliquis alius de ministris porrigendam pontifici, cum opus fuerit, ad tergendum os, vel nares. Tobaleas habeat is qui serviat mitram, ad tenendam ipsam mitram; aliam etiam ad extendendum super gremium pontificis, quando sedet. Nihilominus habeant paratas et alias tobaleas aliquas, et aliquem alium pannum, seu pannos sericos, quibus uti possint ad alia mysteria quæ prædicta sunt, si necesse fuerit, ut pote ad ornandum ambonem, vel posteriorem partem altaris, si ejus dispositio id requirat, vel aliquem alium ornatum. Deferant quoque æstivo tempore flabella ad abigendum muscas a ministerio; insuper deferant tapetia plura sternenda sub faldistorio, et ante altare et super sedilia, in quibus debeant sedere ministri. Præterea prævideant supradicti clerici capellæ, quæ vestimenta pontifici et ministris conveniant, et sint coloris tempori congruentis.

XLIX. *De diversitate colorum quibus Romana Ecclesia in sacris vestibus diversis temporibus uti solet.*

Circa quod sciendum est quod sancta Romana Ecclesia quinque coloribus utitur in sacris vestibus, videlicet albo, rubeo, viridi, violaceo, et nigro. Quidam autem duos hos ultimos pro uno reputant. Colore albo utitur a Vesperis in vigilia Nativitatis Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, exceptis festis martyrum, quando interveniunt. Item feria quinta in Cœna Domini. Item a Sabbato sancto in officio Missæ usque ad Octavam Ascensionis Domini inclusive, quandocunque officium de tempore agitur, præter dies Rogationum, et præter Missam quæ dicitur in die sancti Marci de officio litaniæ. Item in omnibus festis sanctæ Dei genitricis Mariæ. **290** In receptione tamen candelarum in festo Purificationis beatæ Mariæ virginis utitur colore violaceo, et postea in Missa albo. In festo omnium Sanctorum, in festis Angelorum, in festo Nativitatis sancti Joannis Baptistæ, in principali festo sancti Joannis evangelistæ, in Conversione sancti Pauli, in Cathedra sancti Petri, in festis omnium confessorum et omnium sanctarum quæ martyres non sunt. In Dedicationibus ecclesiarum, et per Octavas prædictorum festorum quæ Octavas habent, quando de ipsis Octavis agitur.

L. *De colore rubeo.*

Rubeo colore utitur a vigilia Pentecostes in Missa usque ad Sabbatum post festum ipsum inclusive. Item in festis sanctæ Crucis, in festo Decollationis sancti Joannis Baptistæ, in festo omnium apostolorum, et evangelistarum, præter principale festum sancti Joannis evangelistæ, et præter festa Conversionis sancti Pauli, et Cathedræ sancti Petri. Item in festis omnium sanctorum et sanctarum martyrum, præter festum sanctorum Innocentium, quando extra Dominicam venit; sed si in Dominica veniat,

utitur rubeo, et in octava rubeo, quacunque die veniat; si autem extra Dominicam veniat, tunc utitur violaceo colore, sed in octava rubeo utendum est; per octavas prædictorum festorum quæ Octavas habent, quando de ipsis Octavis agitur.

LI. *De colore viridi.*

Colore viridi utitur inter Octavam Epiphaniæ et Septuagesimam, et inter festum Pentecostes et Adventum, quando dominicale officium agitur.

LII. *De colore violaceo.*

Colore violaceo utitur a prima Dominica Adventus usque ad Missam in Natale Domini inclusive, et a Septuagesima usque ad officium Missæ in vigilia Paschæ exclusive, quandocunque in prædictis temporibus officium de tempore agitur, exceptis feria quinta in Cœna Domini, et feria sexta in Parascove. Et est intelligendum quod in Sabbato sancto in toto officio quod agitur ante Missam utendum est violaceo; hoc excepto **291** quod diaconus qui cantat Benedictionem cerei indutus dalmatica, subdiaconus, vel subdiaconi, qui illa die ministrant induti, tunicellis utuntur albis; sed Benedictione cerei cantata, diaconus, amota dalmatica, assumit planetam violacei coloris, et teneat eam usquedum inchoatur officium Missæ; subdiaconi vero non mutant vestes. Utitur autem colore violaceo in quatuor temporibus semper, ut in vigiliis sanctorum in quibus est jejunium, quando Missa est de vigilia, et in diebus Rogationum, et in Missa quæ dicitur in die sancti Marci de officio litaniæ. Item in die festi sanctorum Innocentium, quando extra Dominicam occurrit. Item in festo Purificationis beatæ Mariæ in receptione candelarum in Processione.

LIII. *De colore nigro.*

Colore nigro utitur feria sexta in Parasceve, in Missis defunctorum, et in Processionibus, quas Romanus pontifex nudis pedibus facit. Sciendum tamen est quod diebus quibus est usus nigri coloris, uti violaceo non est inconveniens.

Cum ergo prædicti clerici, capellæ curam habentes, pervenerint ad ecclesiam cum eadem capella, de convenienti loco in quo pontifex sacris vestibus indui debeat provideant, ita quod si in ipsa ecclesia secretarium sit sive sacristia conveniens, in qua pontifex celebraturus indui soleat, ibidem faciant deponi capellam, et sternantur tapete seu tapetia, et præparent faldistorium cum cossino et panno qui ipsum cooperiat, et scabello. Exponant etiam in apto loco, prout melius poterunt, sacras vestes, quibus pontifex et ministri induendi sunt, et alia quæ ad mysterium sunt opportuna, ut in promptu haberi possunt. Si vero in eadem ecclesia non sit secretarium seu sacristia conveniens, deponatur capella, ut fiant quæ prædicta sunt in aliquo apto loco prope altare; et si forte in ecclesia illa consuetum esset quod pontifex longe ab altari induatur, et eum ordinata Processione ad altare procedat, consuetudo servanda est.

Præterea dicti clerici sternant ante altare sacrum tapete seu tapetia, et provideant quod ipsum altare, priusquam pontifex accedat, sit decenter ornatum, sive pannis, quos ipsi deferant, sive sint ejusdem ecclesiæ. Ponant insuper super ipsum altare crucem, quæ sit contra faciem pontificis, quando stabit in medio altaris. Hoc vero quod dicitur de ornamento altaris, **292** differri potest usque post Evangelium vel post prædicationem, quando nimius est concursus populi. Ad ipsum altare debent ipsi clerici induti cottis sacra ornamenta tractare.

Igitur pontifex ad ecclesiam veniens, postquam inclinaverit, et breviter oraverit ante altare, divertat ad locum ubi capella præparata est, et stando dicat cum clericis suis Tertiam, vel aliam Horam, quæ dicenda est ante Missam pro tempore; et quando dicet Orationem, capellanus ejus, si opus est, teneat ante se ipsum librum, in quo Oratio scripta est. Cum autem ipse dicet prædictam Horam, diaconus et subdiaconus induant se omnibus sacris vestibus præter manipulos, exceptis diebus in quibus iidem ministri planetis uti solent; tunc enim ipsas planetas non debent induere usque in hora qua pontifex processurus est ad altare. Capellani vero et cæteri ministri sint induti cottis, ut serviant ipsi pontifici dum induitur. Postquam ergo pontifex dictam Horam compleverit, resideat in faldistorio, et incipiat ac prosequatur Psalmos *Quam amabilia*, etc., cum Orationibus quæ dici solent dum pontifex calceatur. Interea dum unus de familiaribus ejus accedens detrahat ei calciamenta communia, et subdiaconus deferens caligas et sandalia genuflectat coram ipso, et calciet eum, ita quod primo calciet dextrum pedem, deinde sinistrum, et unus de acolythis eumdem juvet ad calciandum.

Calciatus pontifex surget, et stans super scabellum cappam deponat, et remaneat in camisia linea, quam semper debet habere supra laneas vestes, quando ad celebrandum vadit, etiamsi religiosus sit. Et ipso pontifice super faldistorio residente, diaconus et subdiaconus accipientes ab acolythis tobaleam suam et pecten, extendant tobaleam circa collum, et caput ejus leviter et decenter pectinent, videlicet primo diaconus a parte dextra, deinde subdiaconus a sinistra. Quod si diaconus et subdiaconus ad hoc docti non sint, capellanus hoc faciat vice eorum. Quo facto acolythus extendat super gremium ipsius pontificis aliam tobaleam, et pontifex, amoto annulo suo, quo utitur communiter, tradat ipsum servandum capellano; qui accipiens ab acolytho pelves cum aqua, et tenens inferiorem pelvim manu sinistra, superiorem vero dextra manu, flexis genibus fundat aquam super manus pontificis, assistentibus interim ipsi pontifici diacono a parte dextra, et subdiacono a parte sinistra genibus flexis, et tobaleam prædictam tenentibus.

293 Cumque pontifex manus abluerit et abstersserit, surgens et stans super scabellum, et ministri reverenter et diligenter induant eum, ita quod acolythi deferant vestes, et diaconus a parte dextra, et subdiaconus a sinistra recipiant easdem vestes, et induant eum; quos juvare poterunt capellani et alii

clerici pontificis induti cottis astantes, prout opportunum fuerit. In primis ergo acolythi deferant amictum, quem ponat super caput pontificis diaconus, et ejusdem amictus chordulam sinistram diaconus, dextram subdiaconus accipiat, et post tergum pontificis ducant et reducant ad anteriorem partem super cingulum, quas invicem colligare poterit ipse pontifex. Deinde induant eum alba, quam diligenter aptant circa collum et circa manus; et subsequenter subcingat eum cingulo cum subcinctorio, uno de ministris levante ipsam albam anteriori parte circa pectus, et ipsius cinguli chordulas diaconus invicem liget et stringat, vel ipse pontifex stringere poterit, sicut ei placuerit. Ministri vero albam ipsam aptent circa fimbrias, ut ipsæ fimbriæ terram non tangant, et æqualiter distent a terra. Aptent etiam manicas ipsius albæ, complicando eas decenter inter armum et cubitum. Consequenter accipiat pontifex crucem pectoralem, ipsamque deosculans appendat collo suo, ita quod pendeat ante pectus. Deinde accipiat stolam, et deosculatam circa medium ejus ponat circa collum suum, nec reducat partes ipsius stolæ hinc et inde in modum crucis ante pectus, sed permittat eas inferius dependere sicut a collo veniunt; et ministri utramque partem stringunt cum cingulo, ne defluere possit. Post hæc ministri induant eum tunicella, aptantes eam circa collum et circa manus; deinde induant eam dalmatica, aptantes eam circa collum et manicas ejus replicantes, ita quod ipsæ manicæ non tangant manus pontificis, sed distent ab eis, quasi per spatium dimidii palmi.

Post hæc pontifex iterum resideat, et recipiat chirothecas offerendas sibi ab acolytho, immittente eas manibus ejus diacono dextræ, et subdiacono sinistræ, quibus acceptis, surgat, et prædicti ministri imponant ei planetam; et si pontifex utatur pallio, imposita planeta immediate, acolythus offerat ei pallium tenens ipsum cum pulchra tobalea manibus extensis, ita quod dextra manu teneat pallium circa crucem sinistram, et sinistra manu circa crucem dextram. Ipse autem pontifex **294** osculetur pallium in cruce posteriori. Deinde ministri imponant ei pallium ipsum, diacono elevante partem illam quæ debet posterius dependere. Et attendant ministri quod illa pars pallii, quæ duplex est, veniat supra sinistrum humerum. Post acolythum deferentem pallium sequatur is qui mitram servare debet, deferens eam in manu dextera mediante tobalea, et in sinistra spinulas infigendas pallio. Quo imposito, ministri infigant spinulas ipsas, videlicet diaconus unam in cruce anteriori, aliam subdiaconus in cruce super sinistrum humerum, tertiam unus ex aliis ministris in cruce posteriori. Ipsæ autem spinulæ sic infigendæ sunt, quod quælibet tertio transeat per crucem cui infigitur, et quarta vice acumen spinulæ infigatur pallio ultra crucem, proviso quod nunquam spinula perforet pallium, et nullo modo acumen ejus tangat planetam, proviso etiam quod cujuslibet spinulæ caput, in quo est gemma, sit a dextra parte infigentis ipsam spinulam. Subsequenter diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris planetam super brachia pontificis apte complicent. Et si pontifex prope altare induitur, subdiaconus in ipsa plicatura sinistri brachii collocet, et quasi abscondat manipulum pontificis tradendum sibi ab acolytho. Quod si pontifex longe ab altari vestiatur, non debet subdiaconus tunc imponere manipulum, sed debet ipsum portare cum libro Evangeliorum; et cum pontifex pervenerit ad altare, imponat et aptet manipulum prædicto modo. Planeta vero complicata, ut prædictum est, diaconus de capite pontificis amictum deponat, et aptet circa collum ejus, et provideat quod planeta plane jaceat super humeros, et trahat ipsam a parte anteriori; deinde pallium componat ita quod crux anterior sit ante pectus super aurifrigium planetæ, et ipsi cruci ponens extensos digitos dextræ manus cum manu sinistra trahat pallium super dextrum brachium pontificis versus cubitum; postea imponens eidem cruci digitos sinistræ manus, cum dextra manu pallium super sinistrum brachium pontificis trahat, providens quod ipsum pallium super brachia descendat quasi ad medium inter armum et cubitum; et juxta hunc modum aptetur pallium, quoties videbitur opportunum. Deinde diaconus accipiens mitram ab eo qui ipsam servat, imponat eam capiti pontificis. Interim capellanus induat se pluviali; et imposita mitra pontifici, ipse capellanus immittat **295** pontificalem annulum annulari digito dextræ manus pontificis, osculando eum; quod semper facere debet, quando immittit ei, aut quando amovet ipsum annulum. Poterit etiam post pontificalem annulum immitti alter annulus parvus, qui ipsum pontificalem fixum teneat, et hoc episcopaliter aptetur. Immisso annulo, capellanus accipiat de manu thuriferarii naviculam cum thure et cochleari, et thuriferario præsentante pontifici cum igne, quem, dum pontifex induitur, ipse thuriferarius præparare debet; capellanus porrigat pontifici naviculam detectam, et pontifex accipiens dextra manu cochlear cum thure ponat in igne thus, et cochlear in navicula reponat, ipsumque thus positum in igne benedicat signo crucis. Capellanus vero osculari debet manum pontificis, et quando cochlear accipit, et quando ipsum reponit; et cochleari reposito per pontificem, naviculam ipsam thuriferario reddat. Hoc autem quod dictum est de positione incensi, observandum est quando pontifex longe ab altari induitur. Nam si juxta altare induatur, non oportet incensum ponere, usque post factam confessionem. Induto pontifice prædicto modo, diaconus et subdiaconus accipiant manipulos suos, et induant planetas, si tempus requirit. His peractis, si sint longe ab altari, procedant ad ipsum, præcedente thuriferario, et post ipsum duo ceroferarii, deinde subdiaconus cum libro Evangeliorum; post quos sequitur pontifex, deducentibus illum capellano a parte dextra, et diacono a sinistra. Is autem qui mitram servat, et alii clerici induti cottis sequantur post pontificem. Quando pontifex pervenerit ante gradus altaris, diaconus depo-

nat ei mitram, accipiens eam una manu per anterius cornu, et cum alia manu complanet capillos pontificis, si opus est, quod semper facere debet is qui mitram removet; et sic amota mitra, diaconus tradat ei qui ipsam servat, qui semper eam recipere debet de manu diaconi vel capellani amoventis ipsam, et tradere eam illi, cum fuerit imponenda.

Quod si pontifex juxta altare induatur, non oportet hujusmodi processionem fieri; sed ipso pontifice accedente ad altare, deducentibus ipsum capellano et diacono, ceroferarii sint parati juxta altare, et accipiant de altare candelabra cum cereis accensis. Thuriferarius quoque sit paratus in sinistra parte cum thuribulo, in quo sit ignis, et cum navicula. Pontifex autem inclinatus paululum ante altare confessionem faciat, **296** assistentibus ei capellano a parte dextra, et diacono a sinistra. Subdiaconus vero, si debet immittere, manipulum pontifici immittat. Et dum pontifex facit confessionem, stet cum libro Evangeliorum juxta gradum altaris in sinistra parte, et ceroferarii stent circa altare, unus in dextera, alius in sinistra parte. Alii ministri possunt stare post pontificem. Facta confessione et data absolutione per pontificem, priusquam dicat *Deus tu conversus*, etc., Capellanus accipiat de manu thuriferarii naviculam cum thure, quam ille sibi porrigere debet inter pontificem et altare, et pontifex ponat thus in thuribulo, capellano naviculam et thuriferario thuribulum offerentibus ei, sicut superius dictum est. Quo facto, pontifex dicendo *Deus tu conversus*, etc., ascendens ad altare, et inclinatus ante ipsum, dicit Orationem *Aufer a nobis*, etc., qua dicta, osculatur altare, et postea osculetur librum Evangeliorum, quem apertum in eo loco, in quo est Evangelium legendum in Missa, offerre debet ei subdiaconus; et osculatum per pontificem dimittat clausum super altare, nisi ex causa alibi reponendus videatur. Osculato libro, signet se pontifex signo crucis, et tunc chorus incipere potest Introitum. Cumque pontifex signaverit se prædicto modo, vertat se ad dextram partem altaris; et diaconus accipiens thuribulum de manu thuriferarii tradat pontifici; et ipse pontifex incensat altare, incipiens ab ejus medio contra faciem suam; et prius incensat partem dextram, et postea sinistram; deinde a sinistro latere redeat ad dextram, incensando anteriorem partem ipsius altaris. Quo incensato, reddat thuribulum diacono, qui osculari debet manum pontificis, et quando tradit ei thuribulum, et quando recipit ab ipso. Diaconus vero, accepto thuribulo de manu pontificis, incenset ipsum pontificem, deinde altare per circuitum; postea tradat thuribulum thuriferario, et ipse accedat ad sedem pontificis.

Pontifex autem postquam incensaverit, ut dictum est, deducentibus eum capellano et subdiacono, vadat ad sedem suam, videlicet ad faldistorium præparatum in dextra parte altaris, seu post ipsum altare, secundum qualitatem et consuetudinem loci; ubi vero consuetum est quod pontifex sedeat in altiori sede lapidea et lignea, servetur consuetudo. Cumque pontifex ad sedem venerit, stans super scabellum dicat sine cantu cum suis ministris Introitum, et *Kyrie, eleison*, **297** capellano interim aptante vestes ejus, videlicet manicas dalmaticæ componendo in debita plica, et similiter componendo planetam super brachia, et extendendo eam super humeros et trahendo a parte anteriori, aptet pallium juxta modum superius descriptum. Et hoc quod dictum est de aptandis vestibus pontificis capellanus, seu diaconus semper facere debent, quando videtur opportunum, et specialiter quando pontifex surgit. Aptatis vestibus pontifex sedeat, diacono imponente ei mitram, et uno de acolythis expandente super gremium ejus pulchram tobaleam, quam pontifex semper habere debet dum sedet; et si opportunum videbitur, is qui mitram servat, stans juxta pontificem, et flabellum tenens, abigat ab eo muscas. Quandocunque autem surgere debet diaconus vel, si ei non vacat, capellanus, accipiens eamdem tobaleam, extendat manus suas, et mediante ipsa tobalea reverenter accipiat manus pontificis, et eumdem adjuvet ad surgendum; deinde tobaleam tradat acolytho. Et hoc quod dictum est de tobalea expandenda super gremium pontificis semper observandum est, quando pontifex residet; et quando surgere debet, juvandus est prædicto modo, vel per diaconum vel per capellanum. Residente pontifice, ut dictum est, ministri sedeant circa ipsum, prout commodius poterunt, secundum qualitatem loci.

Cantatis Introitu et *Kyrie, eleison* a choro, surgat pontifex, et diaconus aptet ei vestes, prout opus est. Ipse autem pontifex stans super scabellum, amota ei mitra per diaconum, elevet manus juxta altitudinem humerorum, ita quod dextra sit ante dextrum humerum, et sinistra ante sinistrum, extensis utriusque manus digitis, sed non disjunctis; et manibus sic elevatis incipiat *Gloria in excelsis*, si dies requirat; et cum dixerit *Deo*, jungat manus ante pectus, et ipsum Hymnum Angelicum prosequatur sine nota cum suis ministris. Quo sic dicto, resideat, et diaconus imponat ei mitram; et postquam eumdem Hymnum chorus cantaverit, iterum surgat, et amota ei mitra per diaconum, elevatis manibus, ut supra dictum est, dicat *Pax vobis;* deinde prosequatur Orationem vel Orationes secundum exigentiam temporis, capellano tenente librum Missalem ante faciem ejus, et Orationes dicendas eidem præsentante, ac diacono a dextris, et subdiacono a sinistris sustentantibus eum. Cumque post ultimam Orationem dicat *Per omnia sæcula sæculorum*, jungat manus ante pectus; et postquam **298** dixerit Orationes dicendas cum nota, poterit dicere submissa voce duas Orationes, unam pro se, videlicet illam, *Suppliciter*, etc., vel illam, *Omnipotens sempiterne Deus, qui me peccatorem*, vel aliam, quæ sacerdoti conveniat pro se ipso, et aliam Orationem pro vivis et mortuis, videlicet illam, *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*, etc. Hæ tamen duæ Orationes in solemnitatibus omitti possunt. Si vero non debeat dici *Gloria in excelsis*, cantato *Ky-*

rie, eleison, surgat pontifex, et elevatis manibus prædicto modo dicat *Dominus vobiscum*, et prosequatur Orationem seu Orationes, ut dictum est.

Et est attendendum quod pontifex, quando dicit *Pax vobis*, vel *Dominus vobiscum*, in Missa, semper habeat faciem ad populum, hoc salvo quod quando dicit *Dominus vobiscum* ante Præfationem, seu ante ipsum, sive post ipsum sit populus, vertere se non debet. Quando autem dicit *Gloria in excelsis*, vel Orationes, vel *Credo*, faciem habeat ad illam partem ad quam aspicere debet, prosequendo Missam in altari secundum dispositionem altaris. Dictis Orationibus, pontifex resideat, subdiaconus vero dum pontifex dicit Orationem seu Orationes, tempore opportuno vadit cum libro epistolarum ad locum in quo epistola legenda est, præcedente eum uno de acolythis; et B tunc unus de aliis ministris sustentet pontificem loco subdiaconi; et completis Orationibus quas pontifex dicit cum nota, subdiaconus incipiat et prosequatur epistolam; qua finita, redeat cum eodem libro ad pontificem, et genuflectens coram eo præsentet ei librum prædictum clausum, super quem ponat manum dextram, quam subdiaconus osculatur, et pontifex benedicat ei signo crucis. Similiter facere debent, qui prophetias legunt, quando prophetiæ leguntur in Missa.

Post Epistolam vero subdiaconus, si non debet prædicari in Missa, ablutis digitis præparet in apto loco calicem prope altare, ponens in eo vinum, et desuper patenam cum hostia; et utrumque cooperiat mappula; quod si non sit prope altare locus aptus, C super ipsum altare præparetur calix. Deinde subdiaconus sedeat cum aliis ministris. Si vero prædicandum est, hujusmodi præparatio differri potest usque post prædicationem.

Diaconus autem opportuno tempore, priusquam finiantur ea quæ cantanda sunt ante Evangelium, genuflectens ante pontificem osculetur manus ejus, nihil dicendo. Deinde accedens **299** ad altare genibus flexis dicat *Munda cor meum*, etc.; surgensque accipiat de medio altaris librum Evangeliorum, qui ante horam illam poni debet ibidem per acolytum; et tenendo librum ante pectus, conversus ad pontificem, stans inclinato capite, petat Benedictionem submissa voce dicens *Jube, domne, benedicere;* quem pontifex signet signo crucis, dicens *Dominus sit in* D *corde tuo*, etc. Cum autem diaconus ad altare accedit oraturus, ut dictum est, thuriferarius thuribulum cum igne deferens ante pontificem, flectat genua, et tradat naviculam cum thure capellano, qui similiter genu flectat; et ipse pontifex incensum ponat in thuribulo, et benedicat eo modo qui supra describitur in prima positione incensi. Accepta Benedictione, diaconus ferens librum Evangeliorum ante pectus suum, præcedentibus eum primo loco thuriferario, secundo ceroferariis, pergat ad locum in quo Evangelium legi debet, subdiacono eum sequente; et finitis omnibus quæ in choro cantari debent ante Evangelium, incipit *Dominus vobiscum*, et prosequatur Evangelium, A subdiacono tenente manum sinistram sub libro Evangeliorum. Et est attendendum quod Evangelium legatur in ambone seu pulpito eminenti. Ceroferarii et thuriferarius in medio eorum stare debent inferius ante ipsum pulpitum, habentes facies versas ad diaconum. Si vero Evangelium legatur in inferiori loco, nihilominus ceroferarii et thuriferarius in medio eorum stare debent ante faciem diaconi. Et dum Evangelium legitur, pontifex, amota mitra et aptatis vestibus per capellanum, stet super scabellum, habens faciem versam ad locum ubi legitur Evangelium.

Et finito Evangelio, si tunc prædicari non debeat, elevatis manibus, ut supra dictum est, incipiat *Credo*, si est dicendum; et cum dixerit *Deum*, jungat manus ad pectus, et prosequatur ipsum Symbolum sine nota cum iis qui sibi assistunt. Si autem *Credo* dici non debet, finito Evangelio, dicat pontifex *Dominus vobiscum, Oremus*. Diaconus autem, lecto Evangelio, osculetur librum; deinde reverti debet ad officium pontificis, præcedentibus eum thuriferario et ceroferariis eodem ordine quo iverunt, præcedente etiam subdiacono ipsum diaconum immediate, et deferente librum Evangeliorum apertum. Quibus redeuntibus, capellanus accipiat thuribulum de manu thuriferarii, et incenset pontificem; deinde subdiaconus præsentet librum Evangeliorum apertum pontifici; et ipse stans detecto capite **300** osculetur Evangelium quod lectum est; capellanus autem reddat thuribulum thuriferario, postquam incensaverit pontificem. Et residente pontifice, diaconus imponat ei mitram; et si dicatur *Credo*, ipso cantato a choro, iterum surgat pontifex; et amota ei mitra per diaconum dicat *Dominus vobiscum*, et *Oremus;* deinde resideat. Cæterum si pontifex prædicare debet, non incipiat *Credo* vel *Dominus vobiscum;* sed exspectet donec diaconus redeat; et, osculato Evangelio, sicut prædictum est, accedens ante altare, inclinet, et oret breviter detecto capite. Quod si locus in quo lectum est Evangelium distet a sede pontificis, priusquam diaconus redeat, potest pontifex accedere ad Orationem prædictam, et post ipsam recipere incensum, et osculari librum. Deinde imposita ei mitra per diaconum, pergat ad locum in quo prædicaturus est, ubi diaconus aptet ei vestes, prout opus est; et pontifex prædicet cum mitra.

Finita prædicatione, faciat confessionem diaconus; et ipse pontifex concedat sive annuntiet indulgentiam. Deinde amota ei mitra per diaconum, faciat absolutionem, clara voce dicendo, cum nota *Precibus et meritis*, etc., *Indulgentiam*, etc. Ultimo det Benedictionem dicendo *Et benedictio Dei omnipotentis*, etc., signando populum circumcirca. His peractis, reassumpta mitra redeat ad sedem suam, et incipiat *Credo*, etc., vel *Dominus vobiscum*, ut superius dictum est. Quod si pontifice celebrante alius inferior eo prædicare debuerit, post Evangelium accedat is qui prædicare debet ad pontificem, et flexis genibus Benedictionem petat, dicens *Jube, domne, benedicere;* et pontifex faciat super eum signum crucis, dicens :

Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis ad annuntiandum digne et fructuose verba sancta, in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti. Amen. Tunc is qui prædicaturus est pergat ad locum, in quo prædicare debet, et prædicationem prosequatur; qua finita, diaconus stans juxta pontificem faciat confessionem; qua finita per diaconum, is qui prædicaverit, stans in loco in quo prædicavit, annuntiet indulgentiam, si annuntianda est; postea pontifex faciat absolutionem, deinde incipiat *Credo*, vel *Dominus vobiscum*, ut dictum est. Is autem qui prædicavit, postquam annuntiaverit indulgentiam, redire potest ad locum suum. Cumque pontifex incœperit *Credo*, vel dixerit *Dominus vobiscum* et Orationem, quando non dicitur *Credo*, acolythi extendant pallam **301** super altare, et ponant librum Missalem super cussinum in sinistra parte ejus; unus autem de acolythis, postquam pontifex dixerit *Dominus vobiscum* et *Oremus*, deferens tobaleam, expandit super gremium ejus, ac detrahat ei chirothecas, amoto prius annulo pontificali per capellanum. Tunc diaconus a dextris, et subdiaconus a sinistris, flexis genibus obvolvant manicas tunicellæ pontificis juxta manus cum dicta tobalea, et eamdem elevent ante pectus pontificis; et capellanus accipiens pelves, flexis genibus ante eum fundat aquam super manus ejus eo modo qui superius ponitur. Quod si eo tempore diaconus occupetur circa præparationem calicis, loco ejus serviat is qui mitram servat. Quod si pontifex manus abluerit, diaconus ablutis digitis ad altare accedens extendat corporale super pallam.

Pontifex autem extersis cum tobalea manibus, ac resumpto annulo pontificali, immittendo digito ejus per capellanum, surgat, et, aptatis vestibus ejus per eumdem capellanum, pergat ad altare, deducentibus eum capellano et subdiacono, vel illo qui servit mitram; et cum venerit ad altare, diaconus stans in dextra parte amoveat mitram ejus, quæ tunc reponi super altare vel in alio loco apto potest. Tunc subdiaconus accipiens dextra manu, mediante mappula, calicem cum patena et hostia superpositis, et cum sinistra manu vasculum cum aqua, quæ admiscenda est cum vino, stans in dextra parte altaris præsentet calicem et patenam diacono, et ipse diaconus cum quatuor digitis utriusque manus accipiat patenam cum hostia, ita quod manipulum suum ponat inter extremitatem patenæ et superiores digitos, quibus ipsum tenet; sicque patenam cum Hostia offerre debet pontifici osculando manum ejus; qui eamdem patenam elevet cum Hostia, dicens Orationem illam, *Suscipe, sancte Pater*, etc., capellano providente quod pontifex Orationem illam et sequentem legere possit in libro Missali; et circa finem prædictæ Orationis pontifex collocet Hostiam super corporale, non directe contra faciem suam, sed paululum ad sinistram partem; et patenam deponat in dextra parte extra corporale. Qua deposita, subdiaconus tenens calicem, vasculum cum aqua offerat eidem, et pontifex convertens se ponat aquam in calicem, dicendo illam Orationem, *Deus qui humanæ substantiæ*, etc. Deinde diaconus accipiat de manu subdiaconi ipsum calicem, et tenens dextra manu faciat cum eo super **302** corporale signum crucis, et collocet eum super idem corporale, non recte in medio contra faciem pontificis, sed paulisper ad dextram partem; et cum digitis utriusque manus accipiens corporale illud, quod non explicatur [*Al.*, explicatum], cooperiat [a] cum ipso calicem. Dum etiam diaconus sic ponit super altare, pontifex dicet Orationem illam, *Offerimus tibi, Domine*, etc., et subsequenter illam, *In spiritu humilitatis*. Deinde faciens signum crucis unum super calicem et Hostiam, similiter dicat Orationem illam, *Veni, sanctificator*, etc.

Diaconus vero postquam calicem collocaverit, accipiens patenam tradat eam subdiacono, qui eam recipiat cum dextra manu, mediante mappula, cujus extremitas defluere debet post dextrum humerum ejus; ipsamque patenam teneat tectam et elevatam, stans retro post pontificem usque post *Pater noster*. Data patena a subdiacono, thuriferarius deferat thuribulum cum navicula ad diaconum in dextra parte altaris, et diaconus ponat thus in thuribulo, petita prius benedictione a pontifice. Pontifex vero postquam dixerit, *Veni, sanctificator*, etc., convertens se signum crucis faciat contra ipsum thuribulum, dicendo illam Orationem, *Per intercessionem*, etc. Et diaconus accipiens ipsum thuribulum tradat pontifici osculando manus ejus; et pontifex, accepto thuribulo cum dextra manu, stans in medio altaris versa facie ad ipsum altare, elevet paulisper in altum ipsum thuribulum, dicendo illam Orationem, *Incensum istud*, etc.; deinde cum ipso thuribulo faciat ter crucem super calicem et Hostiam simul, dicendo ter illum versiculum, *Dirigatur, Domine*, etc., subsequenter prosequendo illos versiculos, *Elevatio manuum*, usque ad finem illius versus, *Ut non declines cor meum*, etc., et circumferat ter ipsum thuribulum in gyro circa calicem et Hostiam. Deinde thurificet totum altare, incipiens in medio contra faciem suam, et procedens ad dextram partem; postea rediens ad medium, inde procedat ad sinistram partem; deinde a sinistro latere altaris procedat thuriferando anteriorem partem usque ad dextrum latus.

Facta thurificatione prædicto modo, tradit thuribulum diacono, dicendo illam Orationem, *Accendat Dominus*, etc. Et diaconus osculando manum pontificis, accipiens ipsum thuribulum thurificet ipsum pontificem; et tradens thuribulum servandum thuriferario, **303** aptet vestes pontificis, prout fuerit opportunum. Quibus aptatis, recipiat thuribulum de manu thuriferarii, et thurificet altare per circuitum, primo a parte dextra, deinde a sinistra; postea thurificet capellanum qui servit pontifici. Potest etiam thurificare prælatos et digniores personas, si quæ

[a] Ita etiam nunc actitant Carthusiani.

interfuerint Missæ. Deinde reddat thuribulum thuriferario, qui thurificet ipsum diaconum et alios ministros, et reliquos astantes, prout videbitur faciendum.

Pontifex vero postquam thuribulum diacono reddiderit, potest ad majorem munditiam abluere digitos suos in dextra parte altaris, capellano fundente aquam cum pelvibus, quamvis hoc non servetur communiter in Ecclesia Romana. Et attendat quod tunc, cum duobus digitis, videlicet pollice et indice utriusque manus, cum quibus tractare debet sacram Hostiam, nihil aliud tangat usque post communionem, sed calicem et patenam et alia quæ tangere oportuerit, tangat cum reliquis digitis. Ablutis vero et abstersis digitis, inclinet se ante medium altaris, dicendo illam Orationem, *Suscipe, sancta Trinitas*, etc.; et ea dicta, osculetur altare super corporale circa sinistram partem Hostiæ. Postea se erigens versa facie ad populum, dicat, *Orate, fratres*, etc. Et notandum quod quandocunque dispositio altaris requiret ut pontifex stans super altare se vertat ad populum, debet se vertere ex dextra parte, et ex eadem convertere ad altare, excepto quod cum dixerit, *Orate, fratres*, etc., debet se convertere ad altare ex parte sinistra; et stans in medio altaris versa facie ad librum, et manibus elevatis, ut superius dictum est, dicat secretas Orationes correspondentes illis, quas antea dixit, sive cum [a] cantu, sive submisse. Diaconus vero postquam reddiderit thuribulum thuriferario, stet immediate post pontificem, videlicet inter ipsum et subdiaconum, paratus ad ministerium opportunum. Juxta ipsum diaconum stare potest in parte dextra is qui mitram servat; et, si tempus requirit, teneat flabellum, et nihilo minus capellanus, vel aliquis alius de ministris, aliud tenere potest ad abigendum muscas. Acolythi et alii clerici cottis induti stare possunt circa subdiaconum, parati ad ministerium, prout opus fuerit.

Pontifex autem postquam dixerit secretas Orationes, deponat manus super altare, et elevata voce dicat *Per omnia sæcula sæculorum*; **304** et cum dixerit, *Sursum corda*, sursum elevet manus, et prosequatur præfationem. Qua completa, jungat manus ad pectus, et dicat *Sanctus, Sanctus*, etc., submissa voce, cum ministris sibi astantibus. Postea capellano præstante sibi librum Missalem, osculetur imagines quæ debent esse depictæ in eodem libro ante Canonem Missæ. Subsequenter manibus junctis inclinatus ante altare incipiat submissa voce *Te igitur*, etc.; et cum dicet *Uti accepta habeas*, erigat se, et osculetur altare in parte sinistra prope Hostiam. Deinde prosequatur ipsum Canonem, sicut in libro habetur, faciendo signum crucis super calicem et Hostiam similiter, quando dicit *Hæc dona*, et iterum quando dicit *Hæc munera*, et iterum quando dicit *Hæc sancta sacrificia illibata*. Cum autem dixerit *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, subsistat modicum a prolatione verborum, et mente habeat coram Deo memoriam vivorum, pro quibus orare intendit; et post paululum resumat illud, *et omnium circumstantium*, etc.

Cumque pervenerit ad illum locum, *Quam oblationem*, etc., faciat signum crucis super calicem et Hostiam; similiter dicendo *Benedictam*, et iterum dicendo *Ascriptam*, et tertio dicendo *Ratam*, etc.; et cum dicet *Ut nobis corpus*, faciat signum super Hostiam tantum. Similiter cum dicit *Sanguis*, faciat crucem super calicem tantum; dicendo autem *Dilectissimi Filii*, etc., junctis manibus ad pectus, suspiciat paulisper in altum. Deinde dicendo *Qui pridie*, etc., tergat paululum super corporale utriusque manus pollicem et indicem, et accipiat cum ipsis digitis Hostiam, nec multum elevet super ipsum altare; dicendo autem *Elevatis oculis in cœlum*, elevet ipsos oculos; et dicendo *Benedixit*, faciat cum dextra manu signum crucis super Hostiam, quam teneat manu sinistra; quo facto, iterum teneat Hostiam cum digitis utriusque manus, et proferat distincte ac devote verba consecrationis; quibus dictis, ipse primo adoret inclinato capite sacrum divinum corpus; deinde reverenter et attente ipsum elevet in altum adorandum a populo, et adoratam sacram Hostiam deponet in loco suo. Et attendat quod ex tunc utriusque manus pollicem cum indice [b] junctum teneat, nec disjungat ipsos digitos usque post communionem, nisi quando ipsum oportet contingere sacram Hostiam, vel signa facere.

305 Deposita Hostia, ut dictum est, dicendo *Simili modo*, etc., accipiat calicem ipsum discoopertum, ut prius teneat cum utraque manu paulisper elevatum super altare, et cum dicit *Benedixit*, deposito super altare calice, faciat super ipsum calicem crucem cum dextra manu, tenendo eum cum sinistra, quo facto, resumens cum utraque manu, et elevans paululum ad altare, prosequatur verba consecrationis usque ad illum locum, *Remissionem peccatorum*. Quibus finitis, inclinato paululum capite adoret sacrum Domini sanguinem, et elevet adorandum a populo, ut supra de corpore dictum est. Nec oportet quod vel corpus, vel sanguinem diu teneat elevatum; sed post brevem moram deponat, ita tamen quod elevationes et depositiones faciat cum debita reverentia et maturitate. Deponendo autem calicem dicat hæc verba: *Hæc quotiescunque*, etc. Deposito calice, et collocato in loco suo, elevatis manibus ut prius, prosequatur illud: *Unde et memores*, etc. Et cum dicet *Hostiam puram*, faciat signum crucis super calicem et Hostiam simul; et iterum faciat dicendo *Hostiam sanctam*, et iterum faciat dicendo *Hostiam immaculatam*; et cum dicet *Panem sanctum vitæ æternæ*, faciat signum super Hostiam tantum. Similiter cum dicit *Et calicem salutis perpetuæ*, faciat signum

[a] Nunc semper dicuntur submisse.

[b] Id jam in usu erat sæculo XI, quo tempore Micrologus hunc ritum imponit in cap. 16: *Non ergo digiti sunt contrahendi, ut quidam præ nimia cautela faciunt.*

super calicem tantum. Cum autem dicet *Supplices te rogamus*, etc., manibus cancellatis ante pectus, ita quod dextrum brachium sit supra sinistrum, inclinet ante altare; et cum dicturus est: *Ex hac altaris participatione*, etc., erigit se, et osculetur altare in sinistra parte prope Hostiam. Subsequenter dicendo, *sacrosanctum*, etc., faciat signum crucis super Hostiam, et aliud faciat super calicem dicendo *Et sanguinem*. Cumque dicet *Omni Benedictione*, etc., signet faciem suam. Cum autem dixerit *Memento*, etc., faciat memoriam pro defunctis, sicut superius de vivis dictum est. Et cum pervenerit ad illud, *Nobis quoque peccatoribus*, etc., dicendo *Nobis*, elevet paululum vocem sine nota, et percutiat pectus suum cum digitis dextræ manus, non pollice et indice, sed aliis. Deinde prosequatur quæ scripta sunt usque ad illum locum, *Per quem omnia*, etc.; et dicendo *Sanctificas*, faciat signum super calicem et Hostiam similiter, et iterum faciat dicendo *Vivificas*, et tertio dicendo *Benedicis*. Post hæc diaconus detegat calicem, amovendo corporale quod ipsum tegit, et ipsum calicem per pedem teneat firmum cum digitis dextræ manus; **306** et tunc idem pontifex cum reverentia recipiat corpus Domini cum dextra manu, et faciat cum eo signum crucis super ora calicis a labio usque ad labium, dicendo *Per ipsum;* idem faciat signum paululum juxta calicem, dicendo *Et in ipso*. Cumque dicet *Est tibi Deo*, etc., faciat cum eadem Hostia signum crucis inter se et calicem contra labium calicis, et iterum faciat signum contra pedem ipsius calicis, dicendo *In unitate Spiritus sancti*, etc. Quo facto, deponat ipsam Hostiam in loco suo, et diaconus calicem tegat cum corporali, ac osculetur altare et dextrum humerum pontificis, et sic redeat ad locum suum post pontificem.

Ipse autem pontifex postea in loco suo, depositis manibus, elevata voce dicat *Per omnia sæcula sæculorum*, et prosequatur, *Oremus, Præceptis salutaribus moniti*, etc., et cum incipit *Pater noster*, elevet manus, ut supra. Cumque post *Pater noster*, dicet Orationem, *Libera nos*, etc., diaconus accipit patenam de manu subdiaconi, et tradet eam pontifici, osculando manus ejus; et pontifex ipsam accipiens cum dextra manu, quando dicit *Intercedente beata Dei Genitrice Maria*, etc., faciat sibi cum ipsa patena signum crucis; et quando dicit *Da propitius pacem*, osculetur ipsam patenam in superiori ejus parte. Quo facto, prosequendo ipsam Orationem, accipiat cum manu sinistra Hostiam, et patenam deponat juxta calicem in loco ubi fuerit Hostia; et Hostiam tenens super calicem cum digitis utriusque manus, dividat eam per medium, et mediam partem, quæ remanet in dextra manu, ponat super patenam circa prædictam mediam partem Hostiæ. Interim diaconus positis digitis dextræ manus super pedem calicis, teneat ipsum firmum.

Pontifex autem tenens in dextra manu partem Hostiæ, quæ remansit in ea, et duos digitos manus sinistræ junctos super calicem, incipiat elevata voce *Per omnia sæcula sæculorum;* et dicendo *Pax Domini sit semper vobiscum*, faciat cum eadem parte Hostiæ ter signum crucis intra calicem. Deinde ponat ipsam in calice, dicendo *Fiat commistio*, etc. Quo facto, diaconus tegat calicem, ut prius, et pontifex, junctis ante pectus manibus, dicit *Agnus Dei*, submissa voce cum ministris astantibus. Deinde dicat illam Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, etc.; qua dicta, osculetur altare in sinistra parte prope calicem et Hostiam. Capellanus vero, dum **307** pontifex dicit prædictam Orationem, dextram accedat ad partem altaris; et pontifex, osculato altari, convertat se ad ipsum, et det ei pacem, dicendo *Pax tecum*, quam ille recepturus prius inclinet reverenter ante pontificem absque genuflexione; deinde, recepta pace, respondet *Et cum spiritu tuo;* et osculetur pectus pontificis, et aptet ei vestes, prout viderit opportunum. Postea det pacem diacono, et diaconus subdiacono, et subdiaconus ei qui servat mitram, et ille uni de acolythis, et ille aliis; et sic pax diffundatur per circumstantes. Capellanus vero data pace diacono, si episcopi adsunt in Missa, vel alii prælati, seu principes, portet eis pacem, qui si similiter stent, sufficit quod det uni eorum qui primum locum tenet, si vero stent in diversis locis, accedat ad eos, prout viderit expedire; et data eis pace, revertatur ad pontificem. Et est observandum quod si adsunt communicaturi in fine Missæ, ipsi non debent pacem recipere quando aliis datur.

Pontifex autem, data pace, ut prædictum est, capellano, convertens se ad altare inclinet ante Hostiam et calicem, et junctis manibus dicat reverenter illas Orationes, *Domine* [a] *Jesu Christe, fili Dei vivi*, etc., et alias Orationes, quæ dicendæ sunt ante sumptionem corporis, prout habentur in libro. Subsequenter accipiens cum digitis sinistræ manus illas duas partes Hostiæ, quæ sunt supra patenam, sumat easdem cum omni devotione et reverentia; et dum habet in ore sacrum Domini corpus, teneat manus ante pectus junctas in modum orantis. Postea detecto per diaconum calice, poterit super eum detergere paululum patenam cum pollice dextro, ut si quid in ea remansit de Hostia, cadat in calicem, et dicat illos versus, *Quid retribuam*, etc., *Calicem*, etc., et alia dicenda ante sumptionem sanguinis, prout in libro habentur. Demum sumat sanguinem cum parte Hostiæ, quæ in calice est, cum omni reverentia et cautela. Quo sumpto, recipiat modicum de vino in calice, infundente illud subdiacono; et illud sumat ad abluendum os suum. Postea dicendo illas Orationes, *Quod ore sumpsimus*, etc., et *Corpus tuum*, tenens super calicem digitos utriusque manus, quibus tetigit Hostiam, abluat ipsos modicum, subdiacono iterum infundente vinum; et antequam illud sumat, abluat iterum eos digitos **308** cum aqua, quam in-

[a] Hanc Orationem, *non ex Ordine Romano, sed ex religiosorum traditione* haberi existimat Micrologus a cap. 18.

fundat capellanus cum pelvibus, et ipsa aqua [a] projiciatur in loco mundo. Pontifex, ablutis digitis prædicto modo, cum aqua abstergat os cum panno tersorio, quem ei porrigat is qui mitram servat. Postea sumpto vino quod erat in calice, tergat os suum cum eodem panno. Interea diaconus, ablutis digitis, corporalia complicet, et reponat in loculo in quo servari debent.

Peracta communione, diaconus aptet vestes pontificis, prout opus fuerit; subdiaconus abluat calicem cum aqua munda, quæ projicienda est in loco mundo; postea ipsum abstergat, et decenter obvolvat, ipsum simul cum patena, et tradat acolytho reponendum. Acolythi vero removeant de altari pallam, et complicatam reponant. Denique cantata communione a choro, pontifex dicat Orationes dicendas post communionem, ita quod si in principio Missæ dixit submisse Orationes pro se et pro vivis ac pro defunctis, correspondentes illis dicat, antequam dicat principalem Orationem; et illis dictis submissa voce, osculetur altare circa medium ejus; et elevatis manibus dicat elevata voce *Dominus vobiscum*; et si dispositio altaris requirat quod se vertat ad populum, ipso se vertente vertant etiam se diaconus et subdiaconus. Diaconus vero, antequam pontifex convertat se ad altare, ipse convertat et trahat paululum planetam pontificis ab anteriori parte. Pontifex autem conversus ad altare, et stans circa dextrum cornu ejus, prosequatur Orationes quæ dicendæ sunt; et cum dicit, post ultimam Orationem, *Per Dominum nostrum*, etc., redeat ad medium altaris, et capellanus osculetur altare ac dextrum ejus humerum. Pontifex autem dicendo, post ultimam Orationem, *Per omnia sæcula sæculorum*, jungat manus ante pectus; deinde osculato iterum altari, et manibus elevatis, dicat *Dominus vobiscum*; et si dispositio altaris requirat ut vertat se ad populum, diaconus et subdiaconus similiter vertant se similiter. Ipse autem pontifex, dicto *Dominus vobiscum*, revertat se ad altare, et diaconus dicat *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, pro tempore; ita quod si secundum dispositionem altaris pontifex vertit se ad populum, dicendo *Dominus vobiscum*, diaconus etiam vertat se dicendo, *Ite Missa est*; sed si *Benedicamus Domino* dicat, vertere se **309** non debet. Et postquam chorus responderit *Deo gratias*, pontifex dicat cum nota *Sit nomen Domini benedictum*, etc., et det Benedictionem signando populum, et vertendo se, dum signat, prout secundum qualitatem loci videtur expedire. Demum inclinatus ante altare dicat submisse illam Orationem, *Placeat tibi*, etc.

Qua dicta, deducentibus cum capellano et diacono, pergat ad locum ubi exui debet, dicendo cum ministris Antiphonam illam, *Trium puerorum*, et *Benedicite*, et *Laudate Dominum in sanctis*, cum repetitione dictæ Antiphonæ, et Oratione dominica cum Versiculis, et Orationibus dicendis post Missam. Et si pontifex exui debet juxta altare, non debet accipere mitram recedendo ab altari; si vero debeat ire ad sacrarium sive ad sacristiam exuendus, ibidem cum mitra vadat, præcedentibus cum duobus ceroferariis et subdiacono, ac deducentibus eum capello et diacono. Cumque pervenerit ad locum in quo exuendus est, stet ante faldistorium super scabellum; et si pallium habet, acolythi accipiant spinulas pallii, et diaconus deponat ei mitram, si detulit; et capellanus extrahat annulum pontificalem, quem tradat acolytho reponendum. Deinde diaconus et subdiaconus, amotis tantum manipulis suis, exuant eum omnibus aliis vestibus ordinate et modeste, acolythis recipientibus ipsas vestes; et si pontifex pallio utitur, quando ipsum pallium amovetur ab ipso, osculetur crucem ejus posteriorem. Similiter osculetur stolam et crucem pectoralem, quando amovetur ab eo. Demum, deposita alba, recipiat cappam suam communem, quam debet habere paratam unus de famulis ejus; et capellanus vel alius qui servat annulum ejus quotidianum, restituat sibi annulum. Cum autem finierit prædictas Orationes dicendas post Missam, incipiat Sextam vel aliam Horam quæ post Missam dicenda sit pro tempore, et prosequendo eam cum ministris, resideat in faldistorio; et subdiaconus indutus, sicut in Missa fuit, absque manipulo cum uno de acolythis detrahat ei sandalia et caligas, quibus usus est in ministerio, assistente uno famulo, et calciante eum calciamenta communia; qui calciatus surgit, ut finiat Horam prædictam. Interea diaconus et alii ministri se exuant præter acolythos, qui non debent deponere cottas, donec recollegerint et complicaverint sacras vestes. Pontifex autem, finita prædicta Hora, recedere potest, remanentibus **310** acolythis cum capella, donec ipsam faciant reportari.

LIV. *De usu planetarum diaconi et subdiaconi rubrica.*

Circa præmissa sciendum est quod quando diaconus et subdiaconus utuntur planetis secundum exigentiam temporis, earum usus talis debet esse. Diaconus indutus alba et stola, subdiaconus alba, debent servire pontifici dum se induit, quo induto, accipiant manipulos et planetas, nec plicent eas a dextris, nec a sinistris, sicut faciunt sacerdotes, sed ab anteriori parte [b] elevent eas super brachia, ut ministrare possint prout fuerit opportunum. Subdiaconus autem, quando pergere debet ad legendum epistolam, deponat planetam, et in alba cum manipulo epistolam legat, et rediens ad altare resumat planetam, et teneat usque post Missam finitam. Diaconus quoque, instante hora, quando pergere debet ad legendum Evangelium, deponat planetam, et acolythi decenter eam complicent, et imponant super sinistrum humerum ejus, ac sub dextro brachio ligent eam, ut melius poterunt, ita quod ab humero sinistro descen-

[a] Modo aqua simul cum vino ad purificationem, ut loquuntur, miscetur in calice, atque utrumque haurit sacerdos.

[b] Hinc videas qua ratione dictæ sunt planetæ plicatæ.

dat ad latus dextrum, sicut diaconalis stola descendit; et hoc modo diaconus planetam teneat dum legit Evangelium, et usquequo dicatur ultima Oratio post communionem. Tunc adjuvante uno de acolythis, amoveat planetam desuper humerum, et induat eam, sicut fuerat in principio Missæ. Qua finita, tam ipse quam subdiaconus venientes cum pontifice ad locum in quo exui debent, planetas deponunt, et serviant pontifici exuenti sacras vestes; cætera omnia faciant diaconus et subdiaconus, quando utuntur planetis, quæ facere debent quando utuntur dalmatica et tunicella.

LV. *De officio capellani, qui debet servire de mitra.*

Sciendum est etiam, quod in præcipuis festis ad prædictos ministros superaddi potest unus, qui de mitra serviat, indutus pluviali sicut capellanus; et tunc ipse debet a parte sinistra deducere pontificem cum capellano, quocunque pontifex procedat; et ipse debet eidem facienti confessionem assistere in parte sinistra. Debet semper pontifici deponere et amovere mitram, excepto quod, quando primo imponitur **311** mitra, diaconus ipsam imponere debet, et ipse diaconus debet amovere mitram, quando pontifex accesserit ad altare, tam in principio Missæ, quam post Evangelium; et quando pontifex redit cum mitra ad secretarium. Quando autem ipse, qui de mitra servit, prædicto modo deducit pontificem, tunc diaconus debet præcedere pontificem immediate; et quando idem qui de mitra servit, stat juxta pontificem facientem confessionem, ut dictum est, vel residentem in sede sua, tunc diaconus debet stare in dextra parte post capellanum. Ipse quoque de mitra serviens, quando sic est indutus pluviali, debet pontifici sede sua surgenti porrigere manus, et ipsum juvare ad surgendum; et dum pontifex stat super altare, ipse debet stare post eum in dextra parte diaconi, et, si tempus requirat, flabellum teneat ad abigendum muscas. Ipse etiam teneat ac pontifici porrigat pannum tersorium post communionem. Intelligendum vero est quod quando ipse de mitra serviens utitur pluviali, nihilo minus debet alius esse indutus cotta, qui mitram amotam servet, et imponendam tradat.

In prædictis ergo diebus, in quibus diaconus et subdiaconus utuntur planetis, et quando is qui servit de mitra utitur pluviali, provideant clerici capellæ qui deferant prædictas vestes pro ipsis. Circa hæc attendere debent omnes ministri, ut ea quæ facere debent singuli secundum suum ministerium faciant prompte, ordinate, ac reverenter, non tarde, ac præpostere, aut impetuose; et si aliqui eorum minus experti fuerint in ministerio, quod ad eos pertinet, aliqui qui magis experti sunt debent eos docere quomodo agere debeant, vel etiam supplere vicem eorum. Verbi gratia, si diaconus nesciat mitram imponere, aut aptare vestes pontificis, capellanus qui doctus est, faciat hæc vice ipsius. Similiter si subdiaconus non sit doctus qualiter et quando calicem præparare debeat, capellanus vel diaconus, si doctus fuerit, suppleat vicem ejus, aut si idem subdiaconus non sit doctus calceare pontificem, unus de acolythis vice ipsius hoc faciat; et sic de aliis. Ea vero quæ ab acolythis facienda sunt, facere possunt quicunque clerici induti cottis.

LVI. *De communione eorum qui ordinantur.*

Præter prætermissa notandum est quod si pontifex celebres **312** ordines, ii qui promoventur ad sacros communicare debent ex honestate; et prædicendum est eis ut digne se præparent; et acolythi inquirere debent qui ex eis sint communicaturi, ut annuntient hoc subdiacono, quando calicem præparare debet, ut præparet Hostias quæ necessariæ fuerint. Cumque pontifex circa finem Missæ sanguinem sumpserit, post primam ejus ablutionem, antequam digitos abluat, accedant ad eum qui communicari debent, primo sacerdotes, secundo diaconi, tertio subdiaconi. Duo autem ex ministris extendant mappulam qua tegitur calix, vel aliam decentem, et teneant extensam inter pontificem et communicantes. Pontifex vero accipiens cum sinistra manu patenam, et supponens Hostias consecratas non multas, similiter convertat se ad eos qui communicaturi sunt, et porrigat singulis cum dextra manu sacram communionem, dicendo: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen.* Is autem qui communicatur, flexis genibus, osculetur prius manum pontificis, postea Hostiam sumat; et, si presbyter est, vel diaconus, pontifex, data Hostia, immediate accipiat eum ad osculum pacis; subdiaconus vero ponat [a] vinum in calice, et porrigat iis qui communicaverunt, ut ex eo sumant, et os abluant. Quod si multi sunt communicantes, poterit diaconus vel alius de ministris alium tenere calicem cum vino, et communicantibus porrigere.

LVII. *De communione episcoporum qui consecrantur, et abbatum qui benedicuntur.*

Præterea si pontifex aliquando vel aliquos episcopos consecrare debuerit, subdiaconus opportuno tempore præparet Hostiam, vel Hostias pro consecrando, vel consecrandis, consecrandam, vel consecrandas; et provideat quod tantum de vino in calice ponat ad conficiendum sanguinem Domini, quantum sufficere potest ipsi pontifici et consecrando, seu consecrandis, qui de sanguine communicare debeat. Pontifex autem, quando communicat de sanguine, non totum sumat, sed partem ejus cum parte Hostiæ quæ in calice dimissa fuit; reliquum vero dimittet in calice. Det sacram Hostiam **313** consecrato seu consecratis qui communicare debent, sicut supra de sacerdotibus ordinatis dictum est, excepto quod genua flectere non debent; et si sint unus vel duo consecrati tantum, ac dispositio loci permittat quod stantes circa cornua altaris, sicut steterunt concelebrando Missam, communicare possint, ibidem stando communicent, alioquin accedentes ad ipsum pontificem sacram communionem recipiant. Subsequenter,

[a] Jam ergo desierat usus sacri calicis in communione etiam pro ministris sacris.

diacono eis porrigente calicem, communicent de eodem sanguine; qui poterunt eum sumere cum calamo, si habeatur paratus; alioquin sumant cum ipso calice. Postea pontifex abluat digitos cum vino super calicem, et de ipso vino iterum abluat os, de quo etiam ad abluendum os consecratus vel consecrati sumere debent cum prædicto calamo, ita tamen quod si is qui ultimo sumit, sive sanguinem, sive vinum, postquam sumpsit cum calamo quantum sumere potest, residuum sine calamo hauriat, ut nihil in calice remaneat, nihilo minus sugat ex utraque parte calami, si quid forte in ipso remanserit; et tandem eumdem calamum subdiaconus tergat cum panno quo tergitur calix.

Quando pontifex abbatem vel abbates benedixerit, præparandæ sunt hostiæ pro ipsis, et ipsi tempore opportuno accedentes ad pontificem, communicare debent modo prædicto, non tamen sumere de sanguine.

LIX. *De Missis defunctorum.*

Cæterum, quando pontifex solemniter celebrat pro defunctis, hæc observanda sunt, videlicet, quod postquam diaconus post Offertorium thuriferaverit pontificem, nullum alium thuriferare debet. Item Epistola et Evangelium non debent legi in ambone seu altiori pulpito, sed in ipso presbyterio prope altare. Lecto autem Evangelio, non est deferendus liber Evangeliorum ad pontificem ab eo osculandus, sicut fit in aliis Missis. Item postquam pontifex dixerit *Agnus Dei*, non debet dicere illam Orationem, *Domine Jesu Christe*, etc., nec osculari tunc altare, quia pax non datur. Item non debet dici *Sit nomen Domini benedictum*, post Missam. Cætera fiant sicut in aliis Missis.

314 LX. *Si episcopus cardinalis celebret in præsentia papæ.*

Præterea si episcopus cardinalis celebret in præsentia papæ, hoc principaliter convenit observari. In primis pontifex sacris vestibus indutus, postquam cum suis ministris pervenerit ad altare, spectet dominum papam, qui veniens stare debet in medio contra altare; et pontifex celebraturus stans ad sinistram papæ incipiat Introitum, etc., et prosequatur more solito Psalmum *Judica me*. Quo dicto, dominus papa dicit *Adjutorium*, etc., et ipse facit confessionem, et dat absolutionem; qua data, vadit ad sedem suam, et pontifex dicens *Deus tu conversus*, etc., ascendit ad altare; ipse autem dominus papa ponit thus in thuribulo, quotiescunque ponendum est, videlicet post confessionem, et ante Evangelium, et post Offertorium, thuriferario deferente ad ipsum dominum papam thuribulum cum navicula, quam tradere debet presbytero cardinali assistenti domino papæ; et thure per ipsum dominum papam posito, eamdem naviculam reddat thuriferario. Item post confessionem thuriferato altari per pontificem, ac demum ipso pontifice et altari thuriferatis per diaconum, thuriferarius, recipiens thuribulum de manu ipsius, debet illud portare cardinali prædicto, et ipse incensare debet dominum papam, deinde reddere thuribulum thuriferario; nec debent incensari alii in principio Missæ. Item subdiaconus, lecta Epistola, non debet reverentiam facere pontifici celebranti, sed ire debet ad osculum pedis domini papæ. Item diaconus lecturus Evangelium ire debet ad pedem ejusdem, et, accepto libro de altari, ab ipso Benedictionem debet petere. Item, lecto Evangelio, thuriferarius ferens thuribulum debet illud tradere cardinali supradicto, qui thurificare debet dominum papam; et consequenter veniens subdiaconus cum libro Evangeliorum, apertum præsentare debet ipsi domino papæ osculandum, nisi Missa fuerit pro defunctis. Item quando dominus papa ponit thus in thuribulo post Offertorium, pontifex celebrans debet omittere illam Orationem, *Per intercessionem*, etc. Item postquam pontifex thurificaverit oblata post Offertorium, diaconus, accepto thuribulo, thurificare debet ipsum pontificem celebrantem, postea altare, deinde ipsum thuribulum tradere acolytho, qui portet ipsum cardinali assistenti domino papæ, ut ipse thurificet **315** dominum papam, qui solus thurificandus erit, si Missa sit pro defunctis; in aliis vero Missis, thurificato domino papa, thurificentur et alii hoc modo. Postquam cardinalis thurificaverit dominum papam, tradat thuribulum thuriferario, qui thurificare debet primo eumdem cardinalem, deinde diaconum cardinalem assistentem domino papæ a dextris, et subsequenter diaconum assistentem a sinistris; postea cardinales alios qui sunt a dextris domini papæ, demum cardinales qui sunt a sinistris, deinde alios prælatos et reliquos astantes, prout viderit expedire. Item postquam cardinalis prædictus assistens domino papæ dixerit cum ipso domino papa *Agnus Dei*, pergat ad altare; et cum pontifex celebrans convertit se ad dandam pacem, recipiat ipsam ab eo, et portet domino papæ, qui dat eam primo diacono assistenti a dextris, et postea diacono assistenti a sinistris; et ipsi duo dant eam duobus de cardinalibus aliis assistentibus hinc et inde, et illi dant eam aliis; et sic pax diffunditur per circumstantes. Item post Missam, quæ non fit pro defunctis, ipse dominus papa dicit, *Sit nomen Domini benedictum*. Item si prædicatur per ipsum celebrantem, finita prædicatione, et dicto *Confiteor* per diaconum, et data Indulgentia per celebrantem, dominus papa dicit *Precibus et meritis*, etc., *Indulgentiam*, etc., *Benedictio*, etc.

LXI. *De Missis quæ celebrantur coram cardinale in capella ejus per capellanum ipsius.*

Hæc sunt quæ specialiter observari consueverunt in Missa, quando in præsentia cardinalis celebratur in capella ejus. Sacerdote siquidem induto sacris vestibus, cardinalis accedat ante medium altaris; et stans sacerdos ad sinistram ejus, incipit Introitum, et cætera, et prosequatur more solito Psalmum *Judica me*. Quo finito, cardinalis dicat *Adjutorium*, etc., et faciat confessionem; et data absolutione, pergat ad locum suum, et sacerdos ascendat

ad altare. Acolythus serviens in Missa thuribulum, et unus de capellanis astantibus naviculam cum thure coram cardinale deferant, et ipse cardinalis thus in thuribulo ponat. Is autem qui naviculam tenet osculari debet manum cardinalis, quando cochlear accipit, et quando ipsum reponit. Acolythus vero qui tenet thuribulum, postquam in eo thus positum fuerit, deferat ipsum ad sacerdotem **316** qui incensare debet altare; quo incensato, reddat thuribulum acolytho, qui incenset ipsum sacerdotem; et stans juxta ipsum, dicat cum eo Introitum et *Kyrie, eleison*; quibus dictis, incenset altare per circuitum, incipiens circa medium ejus ab anteriori parte, et procedens ad dextram ac rediens ad sinistram, alios non oportet incensare hac vice. Cardinalis autem, postquam facta confessione ad locum suum venerit, stans cum astantibus sibi Introitum et *Kyrie eleison* sine cantu dicit; quibus dictis, residere potest. Similiter faciat, quando dicitur *Gloria*, etc., et *Credo*. Cumque sacerdos dicet *Dominus vobiscum*, surget; et si sit Missa de feria vel pro defunctis extra tempus paschale, vel extra Octavas festorum quæ habent Octavas, stet genibus flexis, dum dicuntur omnes Orationes; aliis vero diebus stet rectus, nisi ex speciali devotione ad aliquam Orationem genu flectere vellet. Dictis Orationibus sedeat usque ad Evangelium.

Lecta Epistola, is qui legit accedat ad cardinalem cum libro Epistolarum, et osculetur manum ejus, et ipse benedicat cum signo crucis. Quando autem legendum est Evangelium, cardinalis ponat thus in thuribulo juxta modum superius descriptum. Advertant autem illi qui thuribulum et naviculam cum thure ad ipsum deferunt, ut si cardinalis sedeat, flectant coram ipso genua, dum thus in thuribulo ponit. Similiter faciat acolythus dum incensat ipsum. Si vero cardinalis stet, genu flectere non debet. Sacerdos autem lecturus Evangelium, stans juxta altare versus ad cardinalem, inclinato capite, petat Benedictionem, dicendo submissa voce *Jube, domne, benedicere*, quam ille det, faciens contra sacerdotem signum crucis, et dicens *Dominus sit*, etc.; et sacerdos prosequatur Evangelium, acolytho stante cum thuribulo circa sinistram partem altaris, ubi Evangelium legitur. Quo lecto, incenset sacerdotem et librum Evangeliorum simul, amovendo ipsum thuribulum contra utrumque; deinde accedens acolythus ad cardinalem incenset eum solum; et capellanus prædictus, qui detulit naviculam cum thure, portet librum Evangeliorum apertum ad cardinalem; qui stans detecto capite osculetur ipsum librum, nisi sit in Missa pro defunctis. Cum autem sacerdos dicit ante Offertorium *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, cardinalis stet; quibus dictis, sedere potest usque ad præfationem. Et dum cantatur Offertorium, cardinalis iterum ponat incensum prædicto modo; **317** quo posito, acolythus deferat thuribulum ad sacerdotem; qui postquam thurificaverit oblata et altare, reddat acolytho, et acolythus primo incensat ipsum sacerdotem, postea altare, deinde cardinalem, ultimo alios astantes, nisi forte Missa sit pro defunctis. Tunc enim nullus incensari debet nisi sacerdos celebrans.

Quando sacerdos dicit *Per omnia sæcula sæculorum*, ante Præfationem, cardinalis surgat; et dicta præfatione, dicat sine nota *Sanctus*, etc., cum astantibus sibi; et, si non sit Missa de feria vel pro defunctis, stet usque ad elevationem dominici corporis. Instante autem ipsa elevatione, flectat genua et stet flexis genibus usque post consecrationem sanguinis, vel, si ei placet usque ad *Per omnia sæcula sæculorum*, ante *Pater noster*. Si vero sit Missa de feria vel pro defunctis extra tempus paschale, postquam chorus cantaverit *Sanctus*, stet flexis genibus usque ad *Per omnia sæcula sæculorum*, quod dicitur ante *Agnus Dei*; ita tamen quod detecto capite faciem erigat in elevatione dominici corporis, et erecta facie flexis genibus stet usque post consecrationem sanguinis, et tam corpus quam sanguinem reverenter adoret. Cumque sacerdos dicet *Pax Domini*, etc., tunc cardinalis surgens dicat *Agnus Dei*, sine cantu cum astantibus sibi; et, si non sit Missa pro defunctis, capellanus ille qui detulit cardinali Evangelium osculandum, postquam sacerdos dixerit submisse *Agnus Dei*, accedat ad altare, et recipiens pacem a sacerdote trahat ab anteriori parte planetam ejus; deinde accedens ad cardinalem, inclinet se ante ipsum, et det ei pacem. Ipse autem cardinalis det pacem astanti sibi propinquo, et capellanus det acolytho, et ille det alteri acolytho, si sint duo; et per eum qui recipit pacem a cardinale, ac demum per capellanum et acolythos seu acolythum diffundatur pax per circumstantes. Cardinalis vero postquam dederit pacem astanti sibi, ut dictum est, si sit Missa de feria, iterum prosternat se, usquequo sacerdos dominicum sanguinem sumpserit. Idem faciat postquam dixerit *Agnus Dei*, si sit Missa pro defunctis; alioquin stet erectus. Et sumpto sanguine a sacerdote, residere potest, usquequo sacerdos dicat *Dominus vobiscum*. Tunc surgat; at in Missis ferialibus vel pro defunctis flectat genua, dum dicuntur omnes Orationes post communionem; in aliis vero stet rectus usque ad finem Missæ. Qua finita, si non sit Missa pro defunctis, dicat **318** cardinalis *Sit nomen Domini benedictum*, et det Benedictionem; qua data, si non dicatur Missa de beata Virgine, sacerdos qui celebravit, revertens ad cardinalem indutus sacris, osculatur manum ejus, et cardinalis benedicat eum. Si vero dicatur prædictum officium, sacerdos exuere se potest; et postquam exutus fuerit, venire ad osculum manus, et Benedictionem recipere.

Sciendum tamen est quod si aliquis prælatus intersit Missæ, cui cardinalis deferre velit, tunc ipse innuente cardinale, confessionem facit; et omnes prædictæ reverentiæ, quæ fieri solent cardinali, faciendæ sunt prædicto prælato; et ipse Benedictionem debet dare. De præmissis observantiis nonnulla omitti possunt, prout cardinali placuerit, præsertim in Missis quæ minus solemniter sive cum festinatione dicuntur.

LXII. *De ministerio presbyteri cardinalis assistentis summo pontifici, cum coram eo celebratur Missa in capella vel in aula.*

In primis assistens ei a dextro latere prædictus presbyter ad celebrandum, ducat summum pontificem de camera sua, vel de sede ad altare; et si essent ibi duo diaconi cardinales præsentes, ipsi tantum ducant eum, assistente semper a dextris in principio presbytero cardinali. Cum autem summus pontifex est ante altare, ipse presbyter cardinalis, si non esset ibi diaconus cardinalis, accipiat mitram de capite, ipse reverenter et cum manu dextra teneat eam; et tunc sacerdos celebraturus incipit *Introibo*, et Psalmum *Judica me*, etc. His dictis, summus pontifex dicit *Adjutorium*, etc., et facit confessionem suam. Postmodum cardinales ibi præsentes, et celebraturus, et astantes faciunt confessionem suam; et ea facta, summus pontifex dat absolutionem, *Misereatur*, etc. Presbyter cardinalis assistens ex parte dextra, tenens mitram cum manu dextra, debet cum manu sinistra, accipere mantum seu pluviale circa medium, et porrigere assistenti papæ ex parte sinistra, ut cooperiatur pars anterior papæ. Quibus sic peractis, dum celebraturus incipit dicere *Deus tu*, etc., cardinalis reddit papæ mitram; et tunc summus pontifex modo prædicto reducitur ad sedem suam; et ibidem, antequam dicatur Introitus a papa, ipse presbyter cardinalis oblatam sibi naviculam offert summo pontifici. Et diligenter attendatur quod semper cochlear **319** sit ex illa parte naviculæ quæ est versus ipsum presbyterum cardinalem; et cum papa recipit de ipsa navicula cochlear ad ponendum incensum in thuribulo existenti in manu acolythi, ipse presbyter cardinalis osculetur manum ejus; et similiter osculetur manum, cum ipse reponit cochlear in navicula. Et a presbytero cardinali reddita navicula ipsi acolytho, acolythus ipse cum thuribulo vadit ad altare; et presbyter celebraturus recipiens thuribulum sibi oblatum de manu acolythi incensat altare modo dicto; et reddito thuribulo ipsi acolytho, acolythus ipse incensat altare de circumcirca; et tunc vadit ad summum pontificem, et presbyter cardinalis recipiens thuribulum de manu acolythi incensat summum pontificem, ducendo thuribulum ter ante pectus ejus, stando si papa stet, et genu flexo si papa sedeat. Quo taliter incensato, reddit ipsum thuribulum acolytho, et acolythus cum thuribulo revertitur ad altare; et tunc, vel etiam parum ante, coram summo pontifice dicitur Introitus Missæ. Et ipse presbyter cardinalis cum ipso domino papa et astantibus prosequitur Introitum et *Kyrie, eleison*, etc.

Dicta autem Epistola, dum dicitur Graduale, et cætera quæ sunt dicenda, præcipue quando inchoatur *Alleluia* ante Evangelium; item ab acolytho offeratur ipsi presbytero cardinali navicula cum thure et cochleari; et ipse recipiens eam, offert eam summo pontifici, et pontifex ponit incensum in thuribulo modo prædicto; et tunc acolythus cum navicula et thuribulo sine aliqua incensatione revertitur ad altare. A Et cum presbyter celebraturus dicturus fuerit Evangelium, presbyter cardinalis, si non sit ibi diaconus cardinalis, accipiat mitram de capite papæ; et cum ipse presbyter dixerit *Sequentia sancti Evangelii secundum*, etc. Interim dum respondetur *Gloria tibi, Domine*, acolythus ipse incensat ipsum presbyterum, et presbyter incensatus prosequitur Evangelium. Dicto vero Evangelio, reddit papæ mitram modo prædicto. Et tunc acolythus ipse cum thuribulo de altari redit ad summum pontificem; et presbyter cardinalis iterum oblatum sibi thuribulum de acolytho recipiens, papam incensat ducendo thuribulum ter ante pectus ejus, stando si papa stet; si vero sedeat, flectat genua coram eo; et eo taliter incensato, surgens presbyter cardinalis reddit thuribulum acolytho, et acolythus B cum thuribulo redit ad altare; et tunc presbyter celebraturus recipiens thuribulum **320** de manu acolythi incensat altare; et reddito thuribulo ipsi acolytho, acolythus ipse iterum incensat altare circumcirca. Et taliter incensato altari, iterum ipse acolythus cum thuribulo redit ad summum pontificem, et ipse presbyter cardinalis iterum sibi oblatam naviculam cum thure et cochleari recipiens de manu acolythi, offert ipsam naviculam summo pontifici modo prædicto; et papa iterum ponit incensum in thuribulo; et incenso posito, presbyter cardinalis recipiens thuribulum sibi oblatum ab acolytho, iterum prædicto modo incensat summum pontificem, et eo incensato, reddit thuribulum acolytho, et redit ad locum suum; et tunc acolythus incensat ipsum presbyterum cardinalem et C cæteros cardinales ibidem præsentes, et alios astantes ordinate. Et taliter incensatione facta, acolythus revertens ad altare, reddit thuribulum clerico, seu custodi capellæ; et ab ipso clerico recipiens bacilia cum aqua, affert aquam presbytero celebranti ad abluendum manus; et ablutis manibus, subdiaconus offert tobaleam ipsi presbytero ad abstergendum manus.

Cum autem debet fieri elevatio corporis Christi, summus pontifex descendit de sede ad faldistorium, et presbyter cardinalis, si non sit ibi diaconus cardinalis, accipit mitram de capite ejus modo prædicto; et assistens ad dextram, flectit genua in elevatione corporis Christi; et stat flexis genibus, quousque facta est elevatio sanguinis. Qua elevatione facta, cum papa D surrexerit, presbyter cardinalis reddit sibi mitram, et pontifex redit ad sedem. Cum autem presbyter celebrans finierit Orationem *Libera nos, quæsumus, Domine*, etc., et fecerit fractionem antequam incipiat dicere, vel saltem tunc cum incipit *Per omnia sæcula sæculorum*, etc., ipse presbyter cardinalis accipit mitram de capite papæ, et assistens cum eo dicat ter *Agnus Dei*. Quo dicto, tradit mitram assistenti papæ a latere sinistro, et vadit ad altare, et osculatur illud in parte dextra; et facta inclinatione aliqua ad presbyterum celebrantem, pacem recipit ab ipso, et planetam trahit aliquantulum inferius a parte anteriori, et postmodum redit ad summum pontificem, et inclinatione facta coram eo profunde, non tamen flexis

genibus, ipsi pontifici dat precem; et recipiens mitram de manu ejus cui tradiderit, redit ad locum suum; et ibidem subdiacono, qui dixit Epistolam, dat pacem, et ipse subdiaconus dat pacem cæteris. Summus autem pontifex **321** dat pacem omnibus cardinalibus ibidem astantibus, et data pace, ipse presbyter cardinalis reddit mitram papæ.

Dictis autem communione et postcommunionibus seu Orationibus a presbytero celebrante, et *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, presbyter cardinalis accipiat mitram de capite papæ; et tunc cum papa incipit dicere *Sit nomen Domini benedictum*, etc., cubicularius flexis genibus coram papa stante recipit mantum ex parte dextra, cooperiens anteriorem partem papæ usque ad partem manti a parte sinistra; et data Benedictione a papa, et dicto ab eo *Pater noster* secreto, et dicto ab eo *Benedicite*, et *Dominus nos benedicat*, etc., presbyter cardinalis reddit mitram, osculando manum modo prædicto.

Et sciendum, quod quotiescunque est ibidem diaconus cardinalis, ipse semper accipit mitram de capite papæ, et reddit. Item est sciendum quod quotiescumque episcopus cardinalis est ibi præsens in officio prædicto, ipse episcopus facit officium prædictum seu ministerium ipsi presbytero cardinali incumbens. Item est sciendum quod quotiescunque ipse presbyter cardinalis reddit mitram papæ, osculatur manum ejus. Item est sciendum, quod quandocunque in tali Missa papa utitur pluviali, seu manto habente aurifrigia cum perlis, cardinalis serviens manibus propriis imponit semper papæ mitram in capite. Cum vero non habuerit hujusmodi aurifrigia cum perlis, tunc ipse cardinalis serviens tradit mitram in manibus papæ modo prædicto.

LXII. *Quoties et quando accipitur mitra de capite papæ, dum celebrat.*

Ex præmissis patet, quod presbyter cardinalis quinquies accipit mitram de capite papæ. Primo, cum ductus fuerit ad altare, ut fiat confessio; redditur autem ei mitra, dum facta confessione reducitur ad sedem. Secundo, accipitur, cum dicendum fuerit Evangelium; redditur autem eo dicto, et papa incensato, et libro Evangeliorum osculato. Tertio, accipitur in elevatione corporis Christi; redditur autem cum facta elevatione sanguinis reducitur ad sedem. Quarto, accipitur, cum dicendum fuerit *Agnus Dei*; redditur ei data pace summo pontifici. Quinto, accipitur cum finito officio debet dicere **322** *Sit nomen Domini benedictum*, etc.; redditur autem, cum data Benedictione papa dixerit *Benedicat*, etc.

LXIII. *De incensatione papæ in Missa.*

Item patet ex præmissis, quod presbyter cardinalis offert ter papæ naviculam cum thure et cochleari sibi datam ab acolytho, et ter incensat papam. Primo, autem cum facta confessione reductus fuerit papa ad sedem, tunc incensato altari primo, modo debito ipse presbyter cardinalis incensat papam. Secundo, effert naviculam ante Evangelium; et tunc non incensatur papa, sed demum dicto Evangelio. Tertio, offert naviculam, cum presbyter celebrans incensaverit altare; similiter post illam Orationem, *Veni, sanctificator*, etc., et tunc presbyter cardinalis incensat ipsum papam modo prædicto; et postmodum incensatur presbyter cardinalis, et alii astantes.

LXIV. *De usu mitræ.*

Mitra aurifrigiata non utitur ecclesia Romana ab Adventu Domini usque ad festum Nativitatis Domini, excepto quod dominus papa utitur in Dominica de *Gaudete*; nec a Septuagesima usque ad feriam quintam majoris hebdomadæ, excepto quod dominus papa utitur in Dominica quarta Quadragesimæ, qua cantatur *Lætare, Jerusalem*; nec in omnibus vigiliis, de quibus jejunium celebratur, nec in omnibus quatuor temporibus, nec in Rogationibus, nec in litaniis, nec in officiis defunctorum.

LXV. *Quibus diebus dicatur* Gloria in excelsis Deo, *et* Credo.

A Dominica de Adventu usque ad Nativitatem Domini non cantatur *Gloria in excelsis Deo*, nisi in festo novem lectionum. A Septuagesima usque ad Pascha similiter non cantatur, nisi in festis novem lectionum, præterquam in feria quinta ante Pascha. In reliquis autem diebus Dominicis et festivis generaliter cantatur. Item nota, quod si infra hebdomadam cantetur Missa de Dominica, vel de Cruce, vel de beata Virgine, non dicitur *Gloria in excelsis Deo*. Item nota, **323** quod a Pascha usque ad Octavam Pentecosten, dicitur *Gloria in excelsis Deo*. Item si festum novem lectionum venerit in die Dominico, et fiat de festo, dicimus *Credo in unum Deum*, non propter festum, sed propter Dominicam diem. Nota quod *Gloria* dicitur semper in Missa, quando *Te Deum laudamus* dicitur ad Matutinum, ut dicitur *Ite, Missa est*, secundum morem Romanæ Ecclesiæ.

Item his subscriptis diebus *Credo in unum Deum* cantatur, videlicet omnibus diebus Dominicis totius anni. In Epiphania et per octo dies, in Conversione sancti Pauli, in Purificatione beatæ Mariæ, in Annuntiatione ejusdem, in Cathedra sancti Petri, feria quinta in Cœna Domini, in festo Resurrectionis, et per octo dies; in octava beati Joannis, quæ est infra octavam apostolorum; in Pentecosten, et per octo dies; in festo sancti Joannis ante portam Latinam, in festo apostolorum Petri et Pauli, et per octo dies; in festo sancti Petri ad Vincula, in Assumptione beatæ Virginis, et per octo dies; in octava sancti Laurentii, eo quod venit infra Octavam beatæ Virginis; in Nativitate beatæ Virginis, et per octo dies; in festis Angelorum, in festo sanctæ Crucis, in festo omnium Sanctorum, in festo apostolorum et evangelistarum, et sancti Barnabæ; in omnibus consecrationibus, ecclesiarum et altarium, et pontificum.

LXVI. *De officio vigiliæ Nativitatis Domini in officio presbyteri.*

In vigilia Nativitatis Domini statio ad sanctam Mariam Majorem. Consueverunt Romani pontifices hactenus pergere ad sanctam Mariam Majorem, et cantare ibi Missam de vigilia, et cœnare ibi, et post cœnam Vesperas decantare. Peractis autem Vesperis, datur

potus in aula; et dominus papa remanebat ibi et pernoctabat, et ibi stabat, toto ibidem apparatu curiæ existente. Primo episcopus vel presbyter cardinalis, qui assistit domino papæ in nocte Natalis Domini, debet associare dominum papam, ut moris est, indutus pluviali albo. Deinde videlicet debet tenere mitram, dum incipit, *Domine, labia*, etc., et *Deus in adjutorium*, et stare ibi officio, ut moris est. Cum vero cantatur ultimo tertia Antiphona, accipit capsulam cum incenso de manu acolythi, et incensat domino papæ, ut moris est; deinde vadit ad altare, et incensat ipsum, **324** deinde dominum papam, et reddit acolytho; et idem facit in secundo et tertio nocturno, et debet legere lectionem quartam unus presbyter cardinalis.

Si autem debeat Missam cantare in galli cantu, vel in mane, primo induit se omnibus indumentis albis, et vadit ad altare; et stans a sinistris domini papæ, incipit dicens *Introibo*, et Psalmum *Judica;* deinde repetitur *Introibo*, et responso a circumstantibus *Ad Deum*, etc., dominus papa dicit Versiculum *Adjutorium*, etc., et facit confessionem et absolutionem. Deinde sacerdos dicit Versiculum *Deus tu conversus*, etc., et antequam incipiatur Introitus, incensat altare; et postea redit ad sedem, et dicit Introitum, *Kyrie, eleison*, et prosequitur Missa in ordine suo. Item in primo nocturno legunt tres lectiones clerici ejusdem ecclesiæ, et cantores pro ipsa ecclesia cantant tria Responsoria. Lectionem quartam legit unus ex cardinalibus presbyteris; lectionem quintam aliquis judex, vel septimanarius; lectionem sextam aliquis diaconus Romanæ curiæ; lectionem septimam homiliam aliquis diaconus cardinalis qui servit papæ a parte sinistra, et aliam homiliam alter diaconus cardinalis; nonam vero lectionem legit dominus papa, in qua dicit *Jube, domne, benedicere*; et nullus benedicat ei, nisi tantummodo quod omnes respondent alta voce *Amen*. Finita lectione, dicatur *Te Deum laudamus*, et eo finito, dominus papa dicit Orationem, scilicet, *Concede, quæsumus*.

Ex Cæremoniali antiquo domini [a] *Rothomagensis de Stoutavilla.*

In istis Matutinis papa venit indutus cappa lanea de scarleto rubeo, clausa usque ad medium pectoris, cum bireto connodato subtus barbam propter frigus, et sine mitra sedet in dictis Matutinis, quas ipse incipit more solito. Nec stant ante altare cardinales diaconi, sed sedent in cappis juxta ordinem suum. Duas primas lectiones legunt acolythi, vel clerici capellæ; tertiam legit minor clericus cameræ thesaurariæ; quartam minor presbyter cardinalis; quintam nobilior in genere, qui tunc sit in curia; sextam prior subdiaconorum; **325** septimam minor diaconus cardinalis, qui stat a sinistris papæ; Octavam prior diaconorum cardinalium, qui stat a dextris papæ; nonam papa, in qua dicit solum *Jube, domne, benedicere*, et cantores respondent *Amen*. Et nota quod cardinales, qui legunt lectiones hac nocte, non veniunt ad osculandum pedem papæ. Et nota quod Matutinæ non mandantur, sed omnes tres Missæ per Papam dicuntur, sive debent dici: neque est, etc.

LXVII. *De Missa noctis Natalis Domini.*

Omnibus iis finitis, dominus papa præparat se ad Missam cantandam ad Præsepe, ubi quidquid offertur, quandiu dominus papa celebraverit, sive ad manus, sive ad pedes ipsius domini, vel super altare, capellanorum est, excepto pane, qui est acolythorum, si recipere voluerint. In qua Missa utitur dominus papa mitra frigiata. Mitra frigiata non utitur ecclesia Romana ab Adventu usque ad festum Nativitatis Domini, excepto quod dominus papa utitur in Dominica de *Gaudete;* nec a Septuagesima usque ad secundam feriam majoris hebdomadæ, excepto quod dominus papa utitur in Dominica quarta Quadragesimæ, qua cantatur *Lætare, Jerusalem;* nec in omnibus vigiliis, de quibus jejunium celebratur, nec in quatuor temporibus, nec in Rogationibus, nec in litaniis, nec in officiis defunctorum. Item dicitur in Missa noctis *Gloria in excelsis Deo*, et *Credo*, et Præfatio *Quia per incarnati*, etc., et *Communicantes*.

In Cæremoniali domini Rothomagensis de Stoutavilla habetur ut legitur.

Item in præsenti Missa solus pontifex communicat, et super altare; et sine calamo bibit sanguinem, et nihil aliud, quia habet celebrare illam de tertiis, sed cum digitis bene tergat calicem; et cum aqua infra lavet digitos, prout moris est in Missis parvis; et communicantur qui volunt. In nocte autem Nativitatis Domini statio ad Præsepe. Peracto officio Missæ cantantur laudes, deinde vadit quiescere.

Si imperator vel rex sit in curia hac nocte, sacrista et clerici præsentant sibi librum legendarum, in quo debet legere **326** quintam lectionem, et eum honeste instruunt de cæremoniis observandis in petendo Benedictionem, in levando ensem cum vagina, et extrahendo, ipsum vibrando, et de pluviali, pileo, et aliis.

Item notabiliter paretur per sacristam et clericos cameræ ensis cum vagina, corrigia et pileo secundum nobilitatem principis; et dum cantatur quartum responsorium, si sit imperator, vel rex, camerarius, sacrista, et clerici capellæ parant unum pulchrum pluviale album, et ante pulpitum deponunt sibi capucium, et ipsum induunt ad modum chlamydis illud pluviale, ita quod scissura sit ad manum ejus dextram, et cingunt ei ensem; et ipsemet extrahit, et facit vibrare, et ponunt sibi super caput pileum, et ipse inclinat caput ad papam, et petit Benedictionem, et legit lectionem sibi prædictis astantibus; qua lecta, ducunt sic indutum cum pileo super caput ense extracto in manu ad osculum pedis papæ, et quilibet revertitur ad locum suum.

Notandum etiam quod si papa sit Romæ, hanc Missam debet celebrare ad Præsepe Domini, et de

[a] Id est ex Cæremonialis Petri Amelii episcopi Senogalliensis exemplo, quod fuit quondam Guilielmi de Stoutavilla, archiepiscopi Rothomagensis et cardinalis

sero ibidem cantare Vesperas, et cum clericis et nobilibus Urbis facere potum in aula.

LXVIII. *Qualiter agitur in Matutinis et Missa in nocte Natalis Domini coram papa, rubrica.*

Primo episcopus vel presbyter cardinalis, qui assistit domino papæ in nocte Natalis Domini, debet associare dominum papam ad altare, ut moris est, indutus pluviali albo; deinde debet tenere mitram, dum incipit *Domine, labia mea aperies*, et *Deus, in adjutorium*, et stare sibi in officio, ut moris est. Cum vero cantatur ultimo tertia Antiphona, accipit capsulam cum incenso de manu acolythi, qui ministrat domino papæ, ut moris est; deinde vadit ad altare, et incensat altare, et deinde dominum papam, et reddit acolytho; et idem facit in secundo et tertio nocturno; et debet legere quartam lectionem unus presbyter cardinalis. Si autem deberet Missam cantare in galli cantu vel in mane, primo induit se omnibus vestimentis albis, et venit ad altare; et stans a sinistris domini papæ, incipit *Introibo*, et Psalmum *Judica me*, etc.; et deinde repetit *Introibo*, et responso a circumstantibus **327** *Ad Deum*, etc., dominus papa dicit *Adjutorium*, etc., et facit confessionem et absolutionem. Deinde sacerdos dicit *Deus, tu conversus*, etc.; et antequam incipiat Introitum, incensat altare, et postea redit ad sedem, et dicit Introitum, et *Kyrie, eleison*, et prosequitur Missam ordine suo.

LXIX. *De Missa in mane Natalis Domini.*

Summo igitur mane, indutus missalibus vestimentis vadit ad sanctam Anastasiam, ut celebret ibi Missam secundam cum *Gloria* et *Credo*, et utitur mitra frigiata. Statio ad sanctam Anastasiam. Postea, finita Missa, revertitur ad sanctam Mariam Majorem, et intrat sacrarium cum episcopis cardinalibus, diaconibus et subdiaconibus, et reliquis ordinibus, et dicunt Tertiam; qua dicta, induunt se solemniter vestimentis albis, et processionaliter vadunt ad altare, sicut moris est.

Nota quod semper, quando papa celebrat solemniter, debent poni super altare faculæ septem, nisi aliquibus paucis diebus, et curia debet dare. Deinde dominus papa incipit Missam, et post primam Orationem fiunt laudes ejus, sicut habentur in Polyptycho. Finitis laudibus, legitur primo Latina Epistola, et postmodum Græca; sicut etiam legitur Evangelium Latinum, et Græcum. Diaconus vero cardinalis, dicto Evangelio, revertitur ad altare, nec exspectat diaconum Græcum, licet simul iverint cum cardinali, sequens ipsum, et prosequitur papa Missam suo ordine.

LXX. *De Missa ultima in die Natalis Domini.*

In die Nativitatis Domini statio ad sanctam Mariam Majorem. Expleta vero Missa, ad portam ipsius ecclesiæ recipit regnum de manu prioris diaconorum vel marescalli majoris, et gestat illud in capite usque ad gradus palatii. Tunc judices et advocati veniunt ei obviam sub gradibus in porticu, et faciunt ei laudes, prout in libro Polyptycho scriptum est; et ibi dominus papa descendit, et deposito regno accipit mitram; demum judices ducunt eum usque ad locum, in quo datur presbyterium. Tunc vero exuunt eum planeta; et apposito manto super scapulas, sedet in consistorio vel cathedra, et manibus propriis dat presbyterium.

328 Sciendum est quod capellani recipiunt pro presbyterio illa die unum malachinum, et in omni coronatione sua tantum. Dato presbyterio, sic indutus vadit ad mensam; et eodem die consuevit legere ad mensam aliquis diaconus cardinalis indutus pluviale. Circa vero finem Missæ schola cantorum debet cantare sequentiam.

Ex Cæremoniali antiquo domini cardinalis Rothomagensis de Stoutavilla.

Missam de aurora Romanus pontifex, si sit in Urbe, consuevit celebrare; et egrediens de sancta Maria Majori summo mane, indutus missalibus vestimentis vadit ad sanctam Anastasiam, et ibi celebrat. In hac Missa dicitur *Credo in Deum*, *et Gloria in excelsis Deo*, non dicitur *Lætatus sum*. Oblationes ut in alia Missa de nocte media. Etiam solus papa communicat ut in prima. Qua finita, sic indutus revertitur ad sanctam Mariam Majorem, et depositis paramentis quiescit modicum in camera sua. Et hora competenti intrat sacrarium seu vestiarium cum episcopis, presbyteris, diaconibus cardinalibus, capellanis, subdiaconibus, et reliquis ordinibus; et cantant Tertiam; qua dicta, induunt eum solemniter sacris albis vestibus, et quilibet in ordine suo sic processionaliter accedunt ad altare cum cruce et septem faculis, et curia debet dare, etc.

Quod si papa non sit in Urbe, cardinalis qui habet titulum sanctæ Anastasiæ, consuevit hanc Missam celebrare; et in absentia ejus, si papa non celebraret, prior presbyterorum cardinalium, etc.

Notandum est quod si papa vellet has duas Missas celebrare, si vellet, posset ambas celebrare absque eo quod deponeret sacras vestes; sed propter [a] honestatem et nocturnam fatigationem rationale est quod fiat aliqualis interpausatio secundum temporis congruentiam, et prout expedit brevitati temporis et diei.

Nota quod si papa stet in Laudibus sacris vestibus indutus, cardinalis qui sibi servit debet incensare altare.

In hac secunda Missa communicat omnes diaconos cardinales, **329** protonotarios, commensales, et auditores, et omnes famulantes, qui in dignitate episcopali non sunt constituti, quoniam tales per se celebrare tenentur. Et in ista communione, et in illa diei Paschatis, parantur tres calices magni: unus pro consecratione, alius cum quo papa bibit vinum, alius pro communicantibus. Post sumptionem Eucharistiæ vinum sumunt de manu alicujus acolythorum; oblationes vero dividunt, ut notatur in alio loco, fol. 49.

[a] Notandus hic locus de honestate interpausationis inter Missas Natalis Domini.

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali rubeo de...... et mitra aurifrigiata; subdiaconus dat capitulum, cantores Hymnum, papa Orationem.

LXXI *De iis quæ observanda sunt circa Introitum Missæ, dum papa celebrat, et de secunda Missa Natalis Domini, rubrica.*

Indutus dominus papa omnibus pontificalibus, dicit ante altare versic. *Introibo ad altare Dei*; respondetur *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Deinde papa incipit Psalm. *Judica me, Deus*, et completur tam per eum quam per astantes; demum repetit *Introibo ad altare Dei*; respondetur *Ad Deum*, etc. Postea papa dicit *Adjutorium nostrum*, etc.; respondetur *Qui fecit*, etc.; demum papa dicit: *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper virgini, beato Michaeli archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et tibi, frater, quia peccavi nimis cogitatione, delectatione, consensu, verbo, et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaelem archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et te, frater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.* Postea astantes dicant: *Misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam*; respondetur *Amen.* Subsequenter dicant *Confiteor*, ut supra; demum dicat papa: *Precibus et meritis beatæ Mariæ semper virginis, beati Michaelis archangeli, beati Joannis Baptistæ, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et, dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam*; respondetur *Amen.* Subsequenter dicat papa: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Deus*; respondetur *Amen.* Postea papa ponat thus in thuribulo; demum dicit infra **330** scriptos Versus: *Deus tu conversus*, etc., *Et plebs tua*, etc.; *Ostende nobis*, etc., *Et salutare tuum*, etc.; *Domine, exaudi*, etc., *Et clamor*, etc.; *Dominus vobiscum*, respondetur *Et cum spiritu tuo.* Subsequenter papa dicit *Oremus*, et dicit Orationem: *Aufer a nobis, quæsumus, Domine, cunctas iniquitates nostras, ut ad sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire, per Christum Dominum nostrum*; respondetur *Amen.* Et inclinatus dicit sub silentio hanc Orationem. Oratio. *Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum quorum reliquiæ hic sunt, et omnium sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea.* Demum osculatur altare in medio, et subsequenter Evangelium, quod debet cantare illa die offerendum sibi per subdiaconum in sinistra parte altaris. Hoc facto, vertat se ad diaconum cardinalem qui sibi servit, recipiens thuribulum de manu ipsius cardinalis, et incensat altare; quo incensato, reddat thuribulum diacono cardinali; demum recipiet omnes diaconos cardinales ad pacis osculum.

Postea vadit ad sedem suam, et sedendo incipit Introitum *Lux fulgebit hodie super nos, quia natus est nobis*, etc. Psalmus, *Dominus regnavit, decorem*, etc. Vers. *Gloria Patri*, complendo ipsum, et *Kyrie, eleison*, cum cardinalibus sibi astantibus. Deinde sedeat in sede sua, et decantatis Introitu et *Kyrie, eleison* per chorum, dicat *Gloria in excelsis Deo*, quo cantato per chorum, stando dicat *Pax vobis*, versus populum; deinde dicat Orationem: *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente, per eumdem.* Alia Oratio pro sancta Anastasia: *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Anastasiæ martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus, per.* Postea pauset in sede sua. *Lectio Epistolæ beati Pauli apostoli ad Titum. Charissime, apparuit benignitas et humanitas salvatoris nostri Dei*, etc. Dicta Epistola, et osculato pede papæ per subdiaconum, papa signat ipsum Graduale, *Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis. A Domino factum est, et est mirabile*, etc. *Dominus regnavit, decorem*, etc. Et decantato Graduali et primo *Alleluia* a choro, dat Benedictionem diacono cardinali qui debet legere Evangelium eunti ad pedem, signando ipsum, ac dicendo: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties Evangelium suum.* Deinde ponat thus in thuribulo, signando, postquam posuerit, semel signo crucis; et iterum cum idem diaconus petit **331** ad altare Benedictionem a papa, papa signet eum sedendo. Sed cum incipitur Evangelium, papa stet detecto capite. *Evangelium secundum Marcum. In illo tempore, pastores loquebantur ad invicem*, etc. Quo dicto, osculetur dictum Evangelium, quod sibi subdiaconus offerat.

Deinde dicat *Credo in unum Deum*, etc. Quo dicto per chorum, dicat *Dominus vobiscum*; resp. *Et cum spiritu tuo.* Postea dicat *Oremus*, deinde pauset in sede sua. Offertorium, *Deus firmavit orbem terræ*, etc.; et dum cantatur Offertorium per chorum, sedendo lavat sibi manus. Lotis vero manibus et Offertorio cantato, vadat ad altare, et ibi recipiat patenam cum Hostia, quam sibi offert diaconus cardinalis; et eam aliquantulum elevans dicat hanc Orationem: *Suscipe, sancte Pater, omnipotens, æternæ Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo*, etc. Deinde ponat Hostiam super corporale cum patena ad partem sinistram, et patenam ponat ad manum dextram juxta corporale. Et postea recipiat ampullam cum aqua de manu subdiaconi, et ponat de aqua in calicem, dicens *Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti*, etc., et reddat ampullam subdiacono. Deinde signet supra calicem semel; et dum ponitur calix supra corporale in loco suo per diaconum cardinalem, papa dicat: *Offerimus tibi, Domine, calicem salutarem*, etc., *cum odore suavitatis ascendat donum.* Et cum per dictum cardinalem calix cooperitur, papa dicat Antiphonam *In spiritu humilitatis*, etc. Subsequenter dicat *Veni, sanctificator*, etc., signando super Hostiam et calicem; et postea vertat se ad diaconum cardinalem, et benedicat incensum signando dicens:

Ab ipso sanctificeris, in cujus honore cremaberis. Deinde recipiat thuribulum de manibus dicti cardinalis, et incenset super calicem et Hostiam in modum crucis dicendo : *Incensum istud a te bene † dictum ascendat ad te, † Domine, et descendat † super nos misericordia tua. Dirigatur Oratio mea*, etc. *Elevatio manuum mearum*, etc. *Pone, Domine, custodiam ori meo*, etc. *Et non decliuet cor meum*, etc. Et continuando incenset [a] cruces et imagines stantes super altare, et ipsum altare desuper; postea incenset iterum supra Hostiam et calicem. Deinde reddat thuribulum dicto cardinali, dicendo : *Accendat Dominus in nobis* **332** *ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis, amen.* Deinde inclinatus ante altare dicat hanc Orationem, *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem*, etc. Subsequenter erigat se, et osculetur altare in medio; deinde dicat versus populum, *Orate, fratres*, etc. Circumstantes vero respondeant *Suscipiat Dominus sacrificium*, etc. Subsequenter dicat Secretam *Munera nostra, quæsumus, Domine*, etc. Alia Secreta, *Accipe, quæsumus, Domine, munera*, etc.

Ex Cæremoniali Rothomagensis cardinalis.

Item quidquid offertur, sive ad pedes, vel super altare, capellanis cameræ solvendum est, excepto pane et vino, quod acolythorum est; et sic de omnibus, quæ veniunt per totam Missam super altare. Et iste modus semper debet observari in omnibus Missis papalibus, prout continetur in libro Polyptycho sanctorum, quod dicitur Jacobi Gaietani. Et presbyteri, cum capellanis recipiunt duodecim denarios a papa, et vocatur presbyterium, de quibus medietas est sacristæ juxta ordinationem Urbani. In hac die, nec in sequenti cardinales non consueverunt venire ad reverentiam papæ, quoniam bis in die non tenentur. Sed quod observatum sit alibi invenies, nisi tantummodo illi tres juniores cardinales presbyteri, etc., illi nunquam fallunt. Contrarium ordinavit dominus Urbanus VI, sed in secunda Missa de aurora non veniunt, sed in prima et tertia Benedictione.

Per omnia sæcula sæculorum; respondetur *Amen. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sursum corda;* resp. *Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro;* resp. *Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, quia per incarnati Verbi mysterium*, etc.

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus; hic erigens se osculetur altare, et erectis manibus dicat *Uti accepta habeas et benedicas;* hic ter signat tam super Hostiam, quam super calicem : *Hæc † dona, hæc † munera, hæc † sancta sacrificia illibata, in primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa N. et antistite nostro N. et omnibus orthodoxis,* **333** *atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus.*

Commemoratio pro vivis.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero.

Infra Actionem.

Communicantes et diem sacratissimum celebrantes, quo beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit Salvatorem, sed et memoriam venerantes in primis ejusdem gloriosæ semper virginis Mariæ Genitricis ejusdem Dei et Domini nostri Jesu-Christi, sed et beatorum apostolorum et martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, et omnium sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum, amen.

Alia infra Actionem.

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum, amen. Subsequenter dicat : *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus, quæsumus,* hic communiter signet ter tam super Hostiam quam super calicem: *Bene † dictam, ascrip † tam, ra † tam, rationabilem acceptabilemque facere digneris, ut nobis.* Hic semel separatim signet super Hostiam, et postea super calicem dicens : *Cor † pus et san † guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu-Christi.* Hic accipiens Hostiam reverenter, junctis manibus, levet eam, non movendo manus de altari, dicens: *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et, elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens;* hic tenens Hostiam manu sinistra, dextra semel signet supra eam dicens *Bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis dicens : Accipite et manducate ex hoc omnes, hoc est enim corpus meum.* Hic elevet Hostiam reverenter adorandam a populo, et reverenter deponat eam unde elevavit. Subsequenter **334** discooperiat calicem, et teneat eum cum ambabus manibus, dicens :

Simili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, item tibi gratias agens; hic teneat calicem manu sinistra, et cum dextra signando sanguinem benedicat dicendo : *Bene † dixit, dedit discipulis*

[a] Ita etiam *cruces* infra in Missa sancti Stephani. Erant ergo plures super altare cruces, nempe crux stationalis, de qua supra, et quæ alias super altare poni debebat.

suis, *dicens : Accipite et bibite ex eo omnes. Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic elevet calicem adorandum a populo, et reverenter reponat in loco suo solito, dicendo : *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Hic ampliet manus et brachia.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis. Et ibi reducens ad se manus et brachia, signet ter super Hostiam et calicem, quarto super Hostiam tantum, et quinto super calicem, dicendo : *Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam, panem † sanctum vitæ æternæ, et calicem † salutis perpetuæ.* Subsequenter dicat :

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam. Demum inclinet se, et ponat brachia in modum crucis.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube hæc perferri per manus sancti angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ. Hic erigens se osculetur altare, dicendo : *Ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui*; hic primo super Hostiam, demum super calicem signet, diceudo : *Corpus † et sanguinem † sumpserimus*, hic signet se ipsum dicens : *Omni benedictione cœlesti et gratia repleamur, per eumdem Christum Dominum nostrum.* Postea dicat commemorationem defunctorum : *Memento etiam, Domine, famulorum famularumque tuarum N., qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.*

Hic percutiens pectus suum, aliquantulum dicens altius : *Nobis* **335** *quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus partem aliquam, et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barbana, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felecitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia et omnibus sanctis tuis, intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas*, hic ter semel signet super Hostiam et calicem, dicendo *Sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis et præstas nobis.* Hic, discooperto calice per diaconum cardinalem, accipiat Hostiam manu dextra, et cum ea ter signet super calicem et sanguine, dicens : *Per ipsum † et cum † ipso et in ip † so.* Hic cum ipsa Hostia bis inter se et calicem signet, dicens : *Tibi Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor et gloria.* Hic reponat Hostiam in loco solito, et cooperto calice per diaconum cardinalem, ac depositis manibus papa super altare dicat :

Per omnia sæcula sæculorum. Amen. Oremus. Præceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere : Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem; respondetur : *Sed libera nos a malo. Amen.* Deinde dicat Orationem.

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris, et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, et beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea cum omnibus sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Hic accipiat patenam, et signet se cum ipsa, et submittens eamdem Hostiæ, ponat Hostiam in patena; et, discooperto calice per diaconum cardinalem, accipiat Hostiam, et cum reverentia frangat eam per medium super calicem et sanguinem, et mediam de sinistra manu ponat in patena; et de illa, quæ est in dextra accipiat particulam; et quæ remanet in sinistra adjungat particulæ quæ est in patena, dicendo : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum-Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.* Hic illam partem, quæ remanet in dextra, teneat super sanguinem et calicem, et dicat : *Per omnia* **336** *sæcula sæculorum*; respondetur *Amen.* Hic cum ipsa particula ter signet super calicem dicendo : *Pax † Domini, sit † semper vo † biscum*; respondetur *Et cum spiritu tuo.* Hic adjungat particulam illam aliis particulis quæ sunt in patena. Demum dicat junctis manibus duabus vicibus : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.* Et tertia, *dona nobis pacem.* Et in fine cujuslibet percutiat pectus suum, postea inclinatus dicat hanc Orationem : *Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis : Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, ne respicias peccata mea, sed fidem ecclesiæ tuæ, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris, qui vivis.* Hic elevat se, et osculetur altare, dans pacem episcopo vel presbytero cardinali, qui servit ei, dicendo *Pax tecum*; respondetur *Et cum spiritu tuo.* Hic papa dimittat totum sacramentum in altari, et vadit ad sedem suam; et stando detecto capite exspectet subdiaconum cum patena et Hostia, et diaconum cardinalem cum calice et sanguine; et istis stantibus sicut decet cum prædictis coram eo, dicat hanc Orationem : *Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrum corpus et sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper obedire mandatis, et a te*

nunquam separari permittas, qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Alia Oratio: *Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quam indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium, et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam, qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.* Hic cum reverentia accipiat de patena majorem partem Hostiæ, et dicat: *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.* Hic tenens partem prædictam Hostiæ cum quatuor digitis super sanguinem, et calicem, dicit reverenter tribus vicibus: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Postea signet se cum ipso corpore, et reverenter sumat totum illud quod est extra digitos prædictos; et quod infra digitos remanet ponat in calice cum sanguine dicens, *Fiat commistio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi accipientibus in vitam æternam, amen.* **337** Subsequenter dicat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, amen.* Demum accipiat calamum de manu episcopi cardinalis, et tenens ipsum cum ambabus manibus ponat eum in calice, dicendo: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et in inimicis meis salvus ero.* Hic sumat de sanguine Christi sugendo cum dicto calamo; deinde dicat: *Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam, amen.* Postea det dictum calamum supradicto diacono cardinali, non removendo ipsum de calice; et tersis digitis cum perfusorio, quod ibi offert episcopus cardinalis, postquam communicaverit, dicat Orationem. *Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Subsequenter aliam Orationem: *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis, et præsta ut in me non remaneat sceleris macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum, amen.* Deinde recipiat partem unam Hostiæ, quæ est in patena, et ponat in ore diaconi cardinalis supradicti, dicendo: *Corpus Domini Jesu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam, amen.* Subsequenter recipiat ipsum ad osculum pacis; postea recipiat aliam particulam Hostiæ, quæ in patena remansit, et ponat in ore subdiaconi, dicendo: *Corpus Domini nostri Jesu Christi*, ut supra. Demum sedeat in sede sua, et perfundat supra scyphum aureum. Subsequenter lavet sibi manus, et sedendo exspectet subdiaconum, qui sibi apportat calicem cum vino, quem calicem papa recipiat cum duabus manibus, et de vino cum calice sumat ad lavandum sibi os, quantum placet.

Communio *Exsulta satis, filia Sion*, etc. Et cantata per chorum Communione, surgat, et vadit ad altare, et subsequenter dicat *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo.* Deinde post Communionem hanc Orationem: *Hujus nos, Domine, sacramenti*, etc. Alia Postcommunio: *Satiasti, Domine, familiam tuam*, etc. Et cantato *Ite, Missa est*, per diaconum cardinalem prædictum, non recedendo de altari, benedicat populum: *Sit nomen Domini benedictum.* Resp. *Ex hoc nunc*, etc. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Resp. *Qui fecit cœlum et* **338** *terram. Benedicat vos omnipotens Deus Pater † et Filius † et Spiritus † sanctus.* Respondetur *Amen.* Postea secrete dicat hanc Orationem: *Placeat tibi, sancta Trinitas*, etc. Post Missam exuens se papa vestibus pontificalibus dicat hanc Antiphonam: *Trium puerorum cantemus Hymnum, quem cantabant in camino ignis benedicentes Dominum.* Psal. *Benedicite omnia opera Domini Domino*, totum. *Laudate Dominum in sanctis ejus.* Deinde repetat Antiphonam. *Trium puerorum, Kyrie, eleison, Christe, eleison, Pater noster. Et ne nos inducas*, etc. Resp. *Sed libera nos a malo.* Vers. *Confiteantur tibi, Domine, opera tua.* Resp. *Et sancti tui benedicant tibi.* Vers. *Exsultabunt sancti in gloria.* Resp. *Lætabuntur in cubilibus suis.* Vers. *Non nobis, Domine, non nobis.* Resp. *Sed nomini tuo da gloriam.* Vers. *Domine, exaudi Orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Deus, qui tribus pueris*, etc. *Actiones nostras*, etc.

LXXII. *In festo sancti Stephani Introitus.*

Sederunt principes, et adversum me loquebantur. Psalmus *Beati immaculati in via. Gloria Patri.* Complendo ipsum, et *Kyrie, eleison*, cum cardinalibus sibi astantibus, deinde sedeat in sede sua; et decantato Introitu, dicat *Gloria in excelsis.* Quo cantato per chorum, stando dicat *Pax vobis*, versus populum. Oratio. *Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus*, etc. Commemoratio de Nativitate, *Concede, quæsumus*, etc. Lectio Actuum apostolorum, *Stephanus autem*, etc. Et dicta Epistola, et osculato pede papæ per subdiaconum, papa signet ipsum. Grad. *Sederunt principes*, etc. *Alleluia.* Vers. *Video cœlos apertos*, etc. Et decantato Graduali et primo *Alleluia* a choro, dat Benedictionem diacono cardinali legenti Evangelium, eunti ad pedem, signando ipsum, et dicendo: *Sit Dominus in corde tuo, et in labiis tuis*, etc. Deinde ponat thus in thuribulo, signando, postquam posuerit, semel signo crucis; et iterum cum idem diaconus petit Benedictionem a papa, papa signet ipsum sedendo. Sed cum incipitur Evangelium, papa stet detecto capite. *Secundum Matthæum. In illo tempore, dicebat Jesus turbis Judæorum et principibus sacerdotum: Ecce ego mitto ad vos prophetas*, etc. Et osculato libro Evangeliorum per papam, fiat sermo aut per eum, aut **339** per aliquem cardinalem, cui ipse papa commiserit faciendum. Et facto sermone, subsecuta confessione per diaconum cardinalem, si papa sermonem fecerit, ipse papa pronuntiet indulgentiam prout ei placet: *Auctoritat*

Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, et nostra, omnibus qui venerunt hodie, qui sunt in statu ve æ pœnitentiæ, concedimus indulgentiam unius anni, et quadraginta dierum, vel plurium, ad voluntatem suam. Postmodum dicat: *Precibus et meritis beatæ Mariæ semper virginis, beati Michaelis archangeli, beati Joannis Baptistæ, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et omnium sanctorum, misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam æternam, amen.* Deinde dicit: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis omnipotens et misericors Dominus, amen.* Subsequenter dicit signando populum et in modum crucis: *Et Benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper.* Si autem cardinalis sermonem fecerit, cum vadit ad pedem papæ, osculando petat Benedictionem a papa flexis genibus, dicens: *Jube, domine, benedicere.* Papa sedendo dat Benedictionem, et signando ei dicendo: *Sit Dominus in corde tuo et in labiis tuis, ut digne et competenter annunties verbum sanctum suum.* Deinde dictus cardinalis reverenter quærat a papa quantam indulgentiam placeat sibi concedere; qua pronuntiata, papa dat absolutionem, ut supra, et papa concedit sicut placet sibi, quam indulgentiam ipse cardinalis pronuntiat. Tum papa stando in sede sua super scabellum, incipiat *Credo in unum Deum.* Quo dicto, et per chorum cantato, dicat *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum spiritu tuo. Oremus.* Deinde sedeat in sede sua. Offerenda *Elegerunt apostoli Stephanum levitam*, etc. Et dum cantatur per chorum, sedendo lavet sibi manus. Lotis vero manibus, et Offertorio cantato, vadat ad altare, et ibi recipiat patenam cum Hostia, quam sibi offert diaconus cardinalis, et eam aliquantulum elevans, dicat *Suscipe, sancte Pater*, etc. Demum ponat Hostiam super corporale cum patena ad partem sinistram, et patenam ponat ad manum dextram juxta corporale, et postea recipiat ampullam cum aqua de manu subdiaconi, et ponat de aqua in calice, dicens *Deus qui humanæ substantiæ*, etc., et reddat ampullam subdiacono. Demum signat super calicem semel, et dum ponitur calix super **340** corporale in loco suo per dictum papam, dicit *Offerimus tibi, Domine*, etc. Et cum per dictum cardinalem calix cooperitur, dicat Antiphonam, *In spiritu humilitatis*, etc. Subsequenter dicat, *Veni, sanctificator*, etc., signando super Hostiam et calicem; et postea vertat se ad diaconum cardinalem, et benedicat incensum, dicendo, *Ab ipso sanctificeris, in cujus honore cremaberis.* Demum recipiat thuribulum de manibus dicti cardinalis, et incenset super calicem et Hostiam in modum crucis decenter, dicendo: *Incensum istud a te benedictum † ascendat ad te, Domine †, et descendat † super nos misericordia tua. Dirigatur Oratio mea*, etc. Et continuando incensat cruces et imagines stantes super altare, et ipsum altare desuper; postea incenset iterum super Hostiam et calicem; demum reddat thuribulum dicto cardinali, dicendo *Accendat in nobis Dominus ignem*, etc. Demum inclinatus ante altare, dicat *Suscipe, sancta Trinitas*, etc. Subsequenter erigat se, et osculetur altare in medio; deinde dicat, versus populum, *Orate pro me, fratres*, etc. Circumstantes vero respondeant *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis*, etc. Subsequenter dicat secrete Orationem *Suscipe, Domine, munera*, etc. Alia Oratio, *Oblata, Domine, munera*, etc. Præfatio et alia dicuntur ut supra.

Ex Cæremoniali Cardinalis Rothomagensis.

Completa Missa, si papa sit in Urbe, recipit regnum de manu marescalli majoris, et gestat illud usque ad gradus palatii. Tunc judices et advocati veniunt ei obviam sub gradibus in porticu, et faciunt iterum ei laudes, prout in libro Polyptycho scriptum est; et ibi dominus papa descendit, et deposito regno accipit mitram. Deinde judices ducunt eum usque ad locum in quo datur presbyterium. Tunc deposita planeta, et apposito mantello super scapulas, sedens in cathedra manibus propriis dat presbyterium capellanis, prout in coronatione. Dato presbyterio, sic indutus vadit ad mensam, etc., et diaconus cardinalis legat in mensa cum pluviali; et in fine cantores cantant sequentiam *Lætabundus.* Quod si papa non celebraret, presbyter cardinalis tit. sancti Stephani prædicti consuevit coram papa celebrare illa die

Illa die capellani commensales, acolythi et auditores et **341** pœnitentiarii comedunt cum papa splendide, et in collatione datur presbyterium.

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali et mitra.

LXXIII. *De officio sancti Stephani. Statio ad sanctum Stephanum in Cœlio monte.*

Missa et sermo mandantur [a].

In die sancti Stephani summo mane conveniunt omnes ordines, tam clerici, quam laici, induti pannis sericis, in basilica, diaconis cardinalibus et subdiaconis exceptis, qui induti dominum papam ducunt ad basilicam ipsam, ubi cardinales et prælati omnes exibunt ei ad reverentiam; ibique induit se planeta alba, et descendens de palatio usque ad porticellum, ibique invenit equum phaleratum, sed non ipsius collum, nacta scarleti; et ascendens equum, et de manu diaconi, qui a dextris ejus stat, regnum recipiens, induit ipsum; sicque vadit ad ecclesiam beati Stephani in Cælio monte coronatus cum ordinibus processionaliter, sicut scribitur in Polyptycho. Cumque sic ad prædictam ecclesiam sancti Stephani, in qua ipso die est statio, devenerit, deposito regno, intrat ecclesiam, factaque Oratione vadit ad sacrarium; et deposita planeta alba, induit rubeam, et celebrat Missam, sicut hesterna die in omnibus ad Missam. Missa vero finita, resumit planetam albam, et induit regnum, et revertitur ad palatium. Cætera

[a] Quæ sequuntur usque ad caput 78, paucis exceptis, conveniunt cum Cæremoniali Petri Ameliі.

vero omnia fiunt, prout in Polyptycho scriptum est.

LXXIV. *In die sancti Joannis.*

Missa et sermo mandantur, quam consuevit dicere aliquis cardinalis. Ad quam papa venit cum pluviali rubeo de scarleto, et mitra aurifrisiata cum presbyteris, prout in consistorio. Et ita in secundis Vesperis, in quibus omnes acolythi debent esse cum superpelliciis, primo commensales, auditores, et subdiaconi; deinde acolythi et capellani horum.

342 LXXV. *De officio festi Innocentium.*

In hoc festo consuevit esse Missa et sermo; sed modo non observatur, nec papa venit ad secundas Vesperas ad capellam.

In Natali sanctorum Innocentium statio ad sanctum Paulum, in Missa non dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, sed Tractus cantatur. *Credo* vero cantatur propter Octavam Nativitatis Domini; et paramenta debent esse violacea, et præfatio de Nativitate. Nec *Ite Missa est* dicitur, nam *Ite Missa est* semper sequitur *Gloria in excelsis*. Dicuntur tamen ista in Octava eorum. Si festivitas ista in Dominica venerit, ad Matutinas *Te Deum laudamus* cantatur, et paramenta debent esse rubea. Ad Missam *Gloria in excelsis Deo* cantatur, et *Alleluia*, cum *Credo*, et Præfatione de Nativitate.

LXXVI. *In Circumcisione Domini.*

Missa et sermo mandantur tantummodo. Licet antiquitus Romani pontifices consueverunt in primis Vesperis hujus diei solemniter venire induti pluviali pretioso albo et mitra solemni, et servatur nunc, et bene. Verumtamen modernis temporibus non observatur, sed solum venit cum pluviali de samito, et mitra aurifrisata. Totum hoc stat ex voluntate papæ.

Item si papa sit in Urbe hac die Circumcisionis, et non celebret, sed faciat per aliquem cardinalem celebrari in ecclesia sancti Petri; antequam cardinalis induatur, præsentetur bulla, quomodo papa dispensat cum eo, quatenus possit celebrare super aram beati Petri; et per totam diem pendeat ante regias, et ita in omnibus aliis Missis quæ super illud celebrantur.

LXXVII. *In Epiphania.*

Missa et sermo mandantur, et Vesperæ consueverunt mandari, sermo non. In utrisque Vesperis papa interest cum pluviali de scarleto rubeo, et mitra aurifrisiata. Hanc etiam Missam antistes Urbis celebrare consuevit, et semper faciunt de communi cursu, nisi infirmitate aut nimio frigore detenti.

343 Item anno Domini 1389 pontificatus domini Urbani VI anno 10, festum sancti Antonii venit in prima Dominica post Epiphaniam, et nihil fecimus de festo sancti Antonii, sed totum officium fuit de Dominica; et eramus in Urbe.

Ad Octavas Epiphaniæ quotidie ad Missam dicitur Oratio prima, sive festiva, sive sit ferialis; secunda fit commemoratio de sancta Maria, videlicet, *Deus qui salutis æternæ;* tertia de sancto Petro, *Deus cujus dextera*, etc.; quarta, *Ecclesiæ tuæ;* quinta *Deus omnium fidelium pastor*. Et hoc observatur usque ad Purificationem beatæ Mariæ. A Purificatione vero usque ad quartam feriam, quæ est caput jejunii, prima Oratio dicitur de die; secunda, *A cunctis;* tertia, *Deus omnium*. Incipiat hebdomadarius. Quod si tempus breve est a Dominica post Octavas Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, quod nequeant diebus suis dici officia Dominicalia, videlicet Introitus et Orationes, Epistolæ et Evangelia, ita distribuat, quod non potest habere Dominicas per dies feriales infra hebdomadam, facit decantare utiliter, si coaptentur; ita quod compleantur in ultima hebdomada. Illud idem observatur de Dominicis post Octavam Pentecosten usque ad Adventum.

LXXVIII. *De Benedictione cereorum, quæ fit in die Purificationis beatæ Mariæ.*

Tantummodo Missa mandatur. Non habet Vesperas præcedentes mandatas; tamen cardinales in primis Vesperis veniunt, et incipiunt Antiphonas. Et si festum hoc cadit in Septuagesima, vel Sexagesima, transfertur in diem Lunæ. In primis Vesperis papa venit cum pluviali simplici de samito et mitra aurifrisiata.

In festo Purificationis beatæ Mariæ cerei benedicuntur per juniorem presbyterum cardinalem, qui esse debet indutus rocheto albo, amictu, stola, et pluviali albi coloris, et mitra simplici de garnello, cum aqua benedicta et incenso, et sociis indutis cum superpelliciis, et duobus ceroferariis cum faculis accensis; et sic benedicat candelas, ut in Missali et pontificali Romano continetur. Et Benedictione completa, aspergantur cerei aqua benedicta, et thure adolentur per eumdem presbyterum cardinalem. Deinde distribuantur cerei ut infra **344** sequitur. Nam papa indutus manto rubeo, tenens mitram de vernello in capite, venit ad locum præparatum ad hoc more consueto, cum duobus diaconibus. Tunc facta reverentia consueta per cardinales presbyteros, et post reverentiam paratis omnibus, tam cardinalibus quam aliis, violaceis, diaconibus scilicet cotta, amictu et planeta, et presbyteris cardinalibus similiter et cum planeta, episcopis similiter, et cum pluviali, et cæteris etiam prælatis similiter, et cum pluvialibus violaceis, se habent; tunc scilicet prior episcoporum cardinalium, deposita mitra sua, stans papæ sedenti in faldistorio et cum mitra, faculam [a] non accensam, quæ aliis major est, nihil dicendo dat, osculando manum papæ. Deinde ipse prior episcoporum, vel subprior, genuflexus, recipit faculam de manu papæ non accensam, et osculetur genu dextrum domini papæ. Et sic deinde omnes cardinales faciunt, primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi, et prælati omnes, qui sunt parati, mitris suis depositis osculando genu, et modo quo episcopus vel presbyter cardinalis celebrat coram papa; et sic paratus

[a] Sic etiam in Cæremoniali Petri Amelii cereus non accensus porrigitur; sed statim accenditur, infra.

antequam veniat ad recipiendum cereum, non exuit planetam. Camerarius vero, notarii, auditor contradictarum, et corrector, etiamsi aliqui ipsorum essent episcopi, quia non sunt parati; et etiam capellani, tam commensales, qui debent esse in cottis, quam alii capellani et similes, necnon pœnitentiarii, et breviter omnes alii familiares papæ, etiam laici, et quicunque alii non familiares, qui possunt illuc venire, recipiunt faculam de manu papæ, et osculantur non genu, sed pedem. Et sciendum est quod faculæ tam papæ, quam aliis dantur non accensæ, sed receptæ statim accenduntur.

Sciendum tamen quod quando rex est præsens, immediate post cardinales ante omnes alios prælatos etiam paratos modo prædicto, recipit cereum modo prædicto de manu papæ; et post receptionem cerei osculatur pedem, et non genu. Tamen modernis temporibus consuevit recipere rex, sicut sedet, post priorem episcoporum cardinalium; et ita in ramis Palmarum, et in die Cinerum.

Si imperator esset præsens, post priorem recipit cereum, et osculatur pedem, et non genu.

345 Item notandum quod post priorem episcoporum cardinalium, si aliquis intersit patriarcha, candelam recipit de manu papæ. Quod si rex sit præsens, post regem candelam recipit subprior episcoporum cardinalium, et in ejus absentia prior presbyterorum; et tunc patriarcha, etiamsi plures sint patriarchæ, quilibet recipit post cardinales qui eum antecedunt; et semper inter duos cardinales, etiam in processionibus et in Missis, stare debent patriarchæ. Processio ordinatur per priorem diaconorum cardinalium, qui dicit alta voce, facie versa ad Processionem, *Procedamus in pace*, et respondet chorus *In nomine Christi, amen.* Deinde movetur Processio, et dominus noster papa indutus pluviali rubeo cum perlis et aurifrisiis, deposito alio post distributionem cereorum vel palmarum in die suo, cum mitra aurifrisiata, quam in Processione portat, et tenet faculam accensam, vel palmam die suo in manu sinistra, et manu dextra signat. Et papa incedit aliquantulum per capellam processionaliter sub pallio, quatuor militibus deferentibus cum mappulariis, si sint in Urbe, aut quatuor de nobilioribus Urbis, vel clientibus armorum in illorum absentia; sicque pergit ad regias. Et primo ad partem dextram, secundo ad sinistram veniendo projicit candelas populo, postea regreditur ad sedem suam, in qua sedens, extenditur super genua sua una tobalea per duos capellanos, ipsam tenentes flexis genibus, unum a dextris, alium a sinistris, et sic lavat manus suas aquam infundente nobiliori.

Aliqui dicunt quod papa nunquam mutat pluviale in Processionibus istis, sed solum mitram aurifricatam et sine perlis, quoniam pluviale debet semper portare in Processionibus et diebus ferialibus, quod certe credo, ubicunque sit sine perlis. Ideo sunt duo pluvialia et tres mitræ, alba aurificata cum perlis, et alia sine perlis, aurifrisiata, quam defert diebus ferialis.

Quibus sic peractis, deponitur ei mitra aurifrisiata, et recipit simplicem de garnello albam et planam. Cantatis Antiphonis et Psalmo *Nunc dimittis*, papa assurgit in sede sua; et deposita sibi mitra per diaconum cardinalem a dextris sibi astantem, papa cantando dicit *Oremus*, et immediate diaconus a dextris dicit cantando *Flectamus genua.* Cardinalis vero a sinistris assistens dicit cantando *Levate.* Subsequenter papa dicit cantando Orationem, *Exaudi, quæsumus, Domine*, etc., **346** deinde, si papa celebrat, vadit ad revestiarium, si sit; si non sit, ad cathedram suam longe ab altare paratam ad partem sinistram altaris; et deposita mitra alba et plana cum pluviali et stola, induitur sacris et pretiosis albis vestibus, servato ordine alibi signato.

Notandum etiam quod in hoc festo purificationis, et in receptione cinerum, et in receptione palmarum, cardinales et prælati, ut supra dictum est, sive papa celebraturus sit, sive non, parati esse debent, cum recipiunt faculas cinerem vel palmam. Sed dicto Introitu cum papa, si non celebrat, cardinales deponunt paramenta, et resumunt cappas laneas; prælati vero statim receptis cineribus paramenta deponunt. Cum vero dicitur Evangelium, omnes tenent faculas accensas vel palmam in manibus, stantes recti in cappis, non parati. In die Palmarum, in passione, papa etiam tenet faculam accensam vel palmam in Evangelio et passione; sed dicto Evangelio vel Passione, faculas et palmas commendat servitoribus. Si vero papa celebrat his tribus diebus, Purificationis, Cinerum, et in die Palmarum, cardinales et prælati non deponunt paramenta violacea, quousque facta sit Processio, si fiat; et in Processione, si fiat, dominus papa, indutus manto rubeo, ut dictum est, habens mitram de garnello, tenet faculam accensam vel palmam in die Palmarum in manu sinistra, quia vadens cum dextra signat. Omnes etiam alii tenent faculas accensas vel palmas in Processione ornamentis violaceis parati cum mitris in capite de garnello. Ordinatur autem Processio per priorem diaconorum; qua ordinata, ultimus diaconorum cardinalium dicit alta voce cum nota *Procedamus in pace*, versa facie ad processionem, et respondetur cum nota alta *In nomine Christi, amen.* Facta Processione, commendant faculas servitoribus, vel palmas; et tunc hac die Purificationis in albis omnes, tam dominus papa quam alii more consueto parantur. Sed in die Cinerum et Palmarum tenent paramenta violacea, usquequo Missa sit completa. In Evangelio vero dominus papa et omnes resumunt faculas, vel in Passione palmas; et dicto Evangelio vel Passione, eas servitoribus recommendant.

Idem observatur suo modo in die Palmarum in palmis recipiendis, osculatione genu, vel pedis, Processione et aliis, ut infra dicetur. Advertendum quod si Processiones hujusmodi **347** fierent Romæ per

papam et solemniter in locis, ubi papa his tribus diebus esset celebraturus, papa paratus esset solemniter etiam in Processione paramentis pontificalibus et cum pallio, et iret discalciatus ipse et omnes cardinales et prælati in Processione, saltem in hac die Purificationis, ab ecclesia sancti Adriani usque ad sanctam Mariam Majorem; et in die Cinerum ab ecclesia sanctæ Susannæ usque ad sanctam Sabinam, ubi est statio.

In Cathedra sancti Petri, nec Missa, nec sermo consueverunt mandari, quia non sunt secundum modernos, sed antiquitus consueverunt esse. Et dominus Urbanus papa VI, in primo anno, et in secundo anno mandavit fieri. In primo fecit sermonem cardinalis Gradensis, in secundo fecit cardinalis Bonaventura de Padua Augustinensis in ecclesia sancti Petri in Urbe, Urbano Missam celebrante in dicta ecclesia.

Memorandum quod cantetur *Lumen ad revelationem gentium.*

LXXIX. *De officio Cinerum quarta feria caput jejunii.*

Feria quarta caput jejunii, non est prætermittendum de officio Cineris. Illa die, si papa fuerit in Urbe, conveniunt omnes ad sanctam Anastasiam; sed antequam veniat dominus papa, fiunt cineres ibi de palmis præteriti anni, et benedicuntur a juniori presbytero cardinali, cum ministris paratis in albis tantum. Tunc dominus papa vadit ad dictam ecclesiam, comitante eum tota curia, et dicit ibi Sextam, quia antequam descendat de palatio, debet dicere Tertiam. Postmodum imponitur ei cinis benedictus a priore episcoporum, si præsens est; sin autem, a subpriore presbyterorum. Demum dominus papa ipse imponit cineres super capita eorum, dicens *Memento, homo*, etc. Postea per priorem diaconorum ordinatur Processio. Si dominus [a] papa vult pergere pedes, debet se induere vestimentis missalibus usque ad dalmaticam; post impositionem cinerum debet se discalciare, et indui nigra casula, et pergere processionaliter usque ad sanctam Mariam Scholæ Græcorum, et usque ad sanctam Sabinam, ubi statio est, pedibus discalceatis. Interim scholenses cantent per viam Antiphonam; demum sequuntur litaniæ. His finitis, dominus papa, ablutis pedibus, ad sanctam Sabinam in sacristia, et recalceatus, dicit Nonam; **348** deinde procedit ad altare ad divina peragenda. Solet dominus papa hac die ad Missam unam [b] tantum Orationem cantare et in omnibus dominicis diebus; sed in ferialibus, quando celebrat in capella, dicit tres Orationes, videlicet Orationem diei, et Orationem *A cunctis*, et Orationem *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum*, etc. Et quando venit ad Orationem super populum dicit *Per omnia sæcula sæculorum, amen.* Postea dicit *Oremus, Humiliate capita vestra Deo;* postea Oratio super populum. In hac Missa dicitur præfatio Quadragesimæ, *Qui corporali jejunio*, et deinceps usque ad Dominicam [c] Palmarum, tam in feria, quam in dominicis diebus festivis, dicitur Præfatio quæ competit. Peracto Missæ officio, non dicit Vesperas quia in tota illa hebdomada non dicit Vesperas post Missam, sed in sero, sicut in aliis transactis diebus retro.

Notandum quod ab initio quartæ feriæ caput jejunii quisque dies proprias habet Orationes, et prophetias et Evangelium, et Antiphonas ad *Benedictus*, et ad *Magnificat*. Orationes vero quæ fiunt in Missa super populum dicuntur in Vesperis, præter diem Sabbati; in die vero Sabbati ad Vesperum dicitur Oratio de Dominica. Sciendum est quod ab hac die usque Cœnam Domini, secundum Romanam consuetudinem, non dicimus *Flectamus genua*, nisi quando plures prophetias ad Missam legimus. Quando vero legimus unam prophetiam, dicitur in modum epistolæ, et dicitur *Dominus vobiscum.* Notandum quod quando duæ prophetiæ ad Missam leguntur, prima legitur in modum lectionis, et dicitur *Flectamus genua;* secunda in modum epistolæ, et dicitur *Dominus vobiscum.* Ex consuetudine hactenus observata, quando aliquod festum trium lectionum in diebus Quadragesimæ veniebat, videlicet a quarta feria caput jejunii usque ad feriam quartam majoris hebdomadæ, nihil de festo faciebamus præter commemorationem, sed nunc non observatur. Unde si festum sanctæ Scholasticæ venerit in Quadragesima, Missam dicimus de feria, cum commemoratione de festo; etiam Tertia, Sexta et Nona de festo, si aliquod festum non sequatur, de feria dicuntur. Notandum quod camerarius papæ exit [d] regias, et dat cineres **349** stando pedes illis qui sunt extra, et in ejus absentia alius prælatus, cui papa mandat

Ante Orationem non dicit *Pax vobis*, sed tantum *Dominus vobiscum*, et sic in omnibus feriis dominicis tam Quadragesimæ, quam et Adventus, exceptis Dominica *Gaudete et Lætare.*

Et notandum quod in Tractu qui hac die cantatur, quando pervenitur ad Versum *Adjuva nos*, dictus dominus papa, deposita mitra, stat genuflexus in sede sua, quandiu cantatur ille Versus. Si papa non celebraret, sed alius coram eo, debet ire ad cathedram cum scabello coram altare paratam, et ibi stat quandiu versus ille cantatur, deposita mitra; et ipso finito, debet redire ad sedem suam reposita mitra; et etiam dicto *Sanctus*, si non celebret, statim debet accedere ad eamdem cathedram, et ibi stare usque ad *Agnus Dei* cum mitra. Et dum incipit *Per omnia*, redit ad sedem suam. Hoc idem facit papa non celebrans, quandocunque dicuntur primæ et ultimæ Orationes in Missis de feria, vigilia, aut diebus quatuor temporum, sive solemniter celebretur, aut ferialiter. Quandiu enim Orationes dicuntur,

[a] Eadem apud Petrum Amelii, in cap. 37.

[b] In cæremoniali Petri Amelii: *Notandum quod secundum dominum Jacobum Gaietani in hac Missa, non debet dici nisi tantum una Oratio, licet modernis temporibus consueverunt dici tres.*

[c] A Dominica Passionis dicitur Præfatio de Cruce.

[d] Id est extra cancellos. Vide Petrum Amelii, cap. 21, 35.

semper stat flexis genibus, ut supra, cum mitra in capite, nisi illam ex devotione speciali deponere vellet; et Orationibus finitis, dum dicitur *Per Dominum*, vel quando vult, surgit et revertit ad cathedram suam.

Notandum [a] quod anno Domini 1395 Bonifacius IX Perusii dedit cineres; quibus datis, deposito pluviali, recepit chlamydem; et sic absque mitra stetit in Missa propter frigus; neque cardinales diaconi sederunt ante eum, sed in locis suis. Dominus cardinalis Bononiensis dixit Missam, et dedit cinerem papæ, et immediate papa dedit sibi cineres ante omnes cardinales. Verum quod non fuit aliquis episcopus cardinalis tunc, et prædictus dominus noster papa ordinavit, quod iste modus debet semper observari, quod ille qui celebrat imponat papæ cineres, anno quinto pontificatus sui in die sancti Matthiæ; et tunc fecerunt de feria, et non de sancto, sed die Jovis immediate sequentis factum fuit de festo.

Notandum quod quandocunque aliquis cardinalis facit officium coram pontifice, omnes cardinales exspectare debent illum, quousque ille deposuerit sacra vestimenta, et reassumpserit quotidiana; et cum eo vadunt ad cameram papæ cum dictis illis duobus diaconibus qui papam antecedunt; vel si omnes exspectare noluerint, saltem duo exspectare debent.

Si vero dominus papa non est in Urbe, conveniunt omnes ad ecclesiam sanctæ Sabinæ, et dicta Tertia benedicuntur cineres a pontifice, vel a sacerdote, qui debet cantare Missam more solito, ut supra. Finita Benedictione, pontifici vel sacerdoti celebraturo Missam imponitur cinis a pontifice alio vel sacerdote, si adest. Sin autem, idem pontifex, vel sacerdos imponit sibi ipsi cineres, deinde clero et populo, dicendo *Memento, homo*, etc. Interim cantantur *Immutemur habitu*, et *Juxta vestibulum*, etc. Finita impositione cinerum, dicitur Oratio *Concede, quæsumus*, ut supra. Postmodum procedit ad altare ad divina peragenda. Hoc idem servatur in capella domini papæ, quando papa non celebrat, excepto quod sibi et omnibus astantibus imponit cineres.

LXXX. *Dominica prima Quadragesimæ.*

Dominica prima Quadragesimæ sermo et Missa mandantur; et in hac Dominica et deinceps in diebus dominicis usque ad Dominicam de Palmis, cum coram papa celebratur præsentibus cardinalibus, papa induitur manto rubeo cum aurifrisiis sine perlis, portans mitram albam et planam de garnello sine perlis, excepta quarta Dominica, de qua infra.

Secundum Jacobum Gaietani in ista Dominica, nec in aliis Quadragesimæ, non debet dici nisi una Oratio tantum. Verumtamen modernis temporibus presbyteri consueverunt dicere unam pro dicta die, secundam *Ecclesiæ tuæ*, tertiam *Deus omnium fidelium*, quartam *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum.*

Ille qui debet facere sermonem osculatur pedem dextrum papæ, et petit Benedictionem a papa; qua recepta, papa sibi committit, quatenus ex parte sui denuntiet vere pœnitentibus et confessis, qui sunt vel erunt in statu gratiæ, infra octo dies, tres annos et tot quadragenas de indulgentiis. Notandum tamen quod in Dominicis istis consueverunt v anni et v quadragenæ, et in quarta Dominica de *Lætare* VII, qui VII anni nunquam solent dari, nisi pontifex celebret in dicta Dominica de *Lætare* et in Dominica *Gaudete*. Et isto prædicto, Missa et sermo in aliis tribus Dominicis Quadragesimæ, etc., fuerunt ut supra.

LXXXI. *De officio quartæ Dominicæ Quadragesimæ, quæ vocatur Dominica de Rosa, et de Annuntiatione.*

Dominica quarta Quadragesimæ, statio ad sanctam Crucem. In hac Dominica dominus papa portat nobilem mitram frigiatam, cum vadit Missam celebrare ad ecclesiam sanctæ Crucis, quæ dicitur Jerusalem. Illo etiam die portat rosam auream cum balsamo et musco sibi in camera a camerario præsentatam; bajulatque eam in eundo ab eadem camera usque ad sanctam Crucem, et cum prædicat, in manu tenet eam, reducetque eam in redeundo usque ad Lateranum. Ad ascensionem et descensionem equi præfectus Urbis indutus scarleto vel purpura, habens unam caligam rubeam et aliam deauratam, tenet ei stapham, et dominus papa dat ei rosam auream, cum descendit.

In hac Dominica, Missa finita, dominus papa rosam portat usque ad cameram suam; vel, si sit in Urbe, usque ad Lateranense palatium; et dum revertitur, sequuntur eum omnes nobiles in curia præsentes; et dum ad cameram suam redierit, si sit extra Urbem, dat rosam nobiliori, vel illi cui sibi placet magis; et ille incontinenti flectit genua, et osculatur pedem papæ, dato etiam quod esset rex. Deinde papa recipit eum ad osculum oris; deinde ille recedit comitantibus eum duobus diaconibus antiquioribus cardinalibus, et cum illo equitant aliquantulum, quantum sibi placebit.

Anno Bonifacii IX pontificatus IV, Perusii hac die rosa fuit missa in magna capella, et sermoni omnes cardinales interfuerunt, sed non papa, quia erat infirmus. Rosam ad Missam portavit super altare, et reportavit junior clericus cameræ, et papa dedit rosam in camera sua.

Notandum quod antequam papa det rosam, debet dicere aliqua verba brevia de conditionibus et proprietatibus rosæ, quæ habet colorem gaudiosum, odorem confortativum, aspectum lætificum, prout est in libro rationali divinorum officiorum.

In die Annuntiationis beatæ virginis Mariæ Missa et sermo mandantur; quod festum si venerit in Quadragesima, papa non venit ad primas Vesperas cum pluviali et mitra, nec cardinales consueverunt venire, quia cantantur ante prandium, nisi venerit die Lunæ, quia tunc Dominica de sero sunt Vesperæ papales, et Antiphonas incipiunt cardinales.

Et notandum quod hoc festum, in quocunque tem-

[a] Eadem observatio apud Petrum Amelii in cap. 39.

pore veniat, in Missa non dicitur nisi Oratio de beata Maria virgine, et nihil de feria. Dicta Missa, immediate data Benedictione, pontifex stans in sede sua sine mitra incipit Vesperas, quæ sunt solemnes; et incœpta prima Antiphona, deponit paramenta, et resumit pluviale rubeum, et omnes cardinales et prælati deponunt paramenta, et recipiunt cappas laneas. Nec cardinales incipiunt antiphonam in iis Vesperis. Episcopus vero cardinalis qui servivit papæ in Missa, non deponit paramenta, quoniam habet portare papæ naviculum cum incenso hora debita, et incensare altare et cophinum, in quo reservatur Corpus Domini, et similiter papam; et habet etiam tenere librum coram papa, cum dicit Orationem; et debent dici duæ Orationes, una de festo, altera de feria, si veniat in tempore; quibus finitis, papa dat Benedictionem.

Consueverunt antiquitus in secundis Vesperis cujusque festi cardinales dicere Antiphonas, et nunquam alius in secundis Vesperis, licet temporibus domini Joannis XXII, Benedicti XII et Clementis VII, nunquam fuerit observatum.

In Dominica de Passione, quæ est quinta Quadragesimæ, sermo et Missa mandantur, omnia alia ut supra in aliis Dominicis Quadragesimæ est fieri consuetum.

LXXXII. *De ordine seu officio in die Palmarum*, etc.

Dominica in Palmis, secunda hora diei mediante, junior [a] cardinalis sacerdos et omnis clerus conveniant in ecclesiam sancti Silvestri in palatio Lateranensi, missalibus vestimentis induti; expositisque in medio palmarum vel olivæ, seu aliarum arborum ramis, benedicit cardinalis vel sacerdos salem et aquam; deinde sequitur Antiphona *Hosanna Filio David.* Deinde pro Graduali cantatur Resp. *Collegerunt.* Vers. *Unus autem;* vel Resp. *In monte Oliveti.* Vers. *Vigilate.* Dicta Oratione, expandantur palmæ, et canente clero et populo, hoc modo deferuntur palmæ benedictæ in palatio Lateranensi ante capellam, si ibi est curia. Dominus exiens dat unicuique episcopo et cardinali spatulam palmarum **353** et aliis, si supersint palmæ; deinde projicit folia palmarum seu olivarum super populum, et aliquibus aliis dat manu; et cantor incipit Antiphonam.

« In hac die non consuevit esse sermo, nec Romani pontifices officiare consueverunt, sed bono mane in capella secreta celebrant Missam suam; eunt tamen et distribuunt palmas, licet aliquando modernis temporibus celebrent.

« Et notandum quod si pontifex non facit officium, quicunque alius dicit Missam, dum tamen sit cardinalis, benedicit ramos, et non junior presbyter; et ita de candelis et cineribus est observandum. Et in omnibus spectantibus ad hanc solemnitatem palmarum recede ad ea quæ sunt notata in die Candelarum et Cinerum

« Si papa hac die Palmarum celebraret, portare debet paramenta violacea, vel viridis coloris sine perlis, et sandalia sine perlis; mitram simplicem de garnello, et chirothecas sine perlis, et palmam. Verum est quod modernis temporibus consueverunt portare mitram solemnem et pretiosam, et chirothecas pretiosas, omnia alia simplicia.

« Notandum [b] quod anno Domini 1388 dominus Urbanus VI hac die ramis Palmarum non fecit officium quia nondum erat coronatus; sed bene dedit palmas et ramos, et interfuit Missæ indutus pluviali rubeo et mitra alba : quam Missam dixit cardinalis Florentinus in magna capella; et sic per dominos cardinales etiam illæ Missæ de hebdomada sancta fuerunt celebratæ ipso præsente, ut supra.

« In die Lunæ non est Missa papalis. Item in die Martis Dominus noster audivit Missam magnam in sua capella parva, quam celebravit unus de cantoribus, et legit Passionem.

« Item in die Mercurii sancta idem observatur. Sed notandum, quod si sint peregrini, de gratia speciali papa post Missam consuevit dare indulgentiam populo, in qua est indutus [c].....

« Item notandum quod die Mercurii sancta de sero hora competenti papa venit ad audiendum officium in capella simpliciter cum chlamyde rubea et capucio super caput, non tamen replicato, sicut in aliis diebus consuevit, sed solum extenso **354** super oculos. Et his tribus diebus post officium papa debet dare Benedictionem; et cardinales consueverunt venire de sero ad audiendum officium in capella papæ istis tribus diebus, non tamen mandati, sed libere devotionis causa.

« Notandum etiam quod Romani pontifices his tribus diebus non consueverunt dicere officium cum episcopis et commensalibus suis, cum dicuntur Matutinæ, sed devote audire officium, et postea in camera sua cum cubiculariis suis dicere. »

LXXXIII. *De officio feriæ quintæ in Cœna Domini.*

Feria quinta in Cœna Domini, statio ad sanctum Joannem ad Lateranum. Hac die sacrificium sacri corporis et sanguinis ab ipso Domino nostro Jesu Christo celebrationis sumpsit initium. Hac die in toto orbe sanctum chrisma conficitur; hac die etiam pœnitentibus per indulgentiam subvenitur. Mane hujus diei primo mansionarii præparent omnia quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis : tres ampullas oleo mundissimo plenas, maximam vero ampullam, quæ ad chrisma debet fieri, de panno serico albo, alias autem de alio serico coopertas. Sit autem pannus adeo subtilis, quod ampullæ possint videri per eum. Hora vero tertia sonetur signum, et veniant omnes ad ecclesiam, in qua chrisma consecrari debet. Tunc egrediantur pœnitentes de loco, in quo pœnitentiam fecerunt, ut gremio ecclesiæ præsententur a

[a] Apud Petrum Amelii, *Secundum dominum Jacobum Gaietani, junior presbyter cardinalis debet benedicere palmas.*

[b] Hæc totidem verbis leguntur apud Petrum Amelii cap. 59.

[c] Cætera supplet Petrus Amelii in cap. 61 : *indutus pluviali rubeo sine perlis, et cum mitra simplici alba.*

pontifice, qui sedere debet præ foribus ecclesiæ, et reconciliare eos cum Antiphonis et Orationibus; quibus finitis, pulsentur campanæ, sicut mos est in solemnibus diebus, et extunc sileant campanæ usque ad diem Sabbati. Antequam dominus papa exeat de camera, dicit Tertiam et Sextam. Hora vero sexta exit dominus papa de palatio cum episcopis et cardinalibus et toto apparatu curiæ, veniens ad palatium majus, ubi solet esse hospitium. Episcopus Albanensis stans ibi in loco eminenti sermocinatur ad populum, et facit Processiones, si fuerint faciendæ, ut moris est. Peractis his omnibus descendit ad ecclesiam Lateranensem; et intrat ecclesiam, veniens ante sacrarium ad ecclesiam sancti Georgii, et dicit ibi Nonam.

Deinde tam pontifex quam presbyteri, et diaconi, et alii clerici, et quisque induatur ornatu sui ordinis. Pontifex induit **355** vestimenta alba, episcopi pluvialia, presbyteri planetas, diaconi dalmaticas pro reverentia chrismatis. Pontifex vero jam indutus dalmatica sedeat in sede sua; cui præsentetur ampulla, quæ melior est, cum oleo ab acolythis, et balsamum cum oleo commisceat nihil dicens, et conficiat. Omnes vero ampullæ remaneant ibi, et diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur. Postmodum autem pontifex lotis manibus, indutus planeta, procedit cum presbyteris, diaconibus, et acolythis et omnibus ordinibus, et habent in processione crucem, Evangelium, septem candelabra, thuribulum cum incenso; et sic processionaliter pergant ad altare cum mappula; et facta confessione et reverentia, ascendit ad sedem suam. Interim autem decantetur a cantoribus Introitus sine *Gloria Patri;* et finito Versu repetatur Introitus; postea a cantoribus decantatur *Kyrie eleison.* Quibus finitis, dominus papa dicit excelsa voce *Gloria in excelsis Deo.* Dicta vero Oratione *Deus a quo*, etc., lectis Epistola et Evangelio, factoque sermone ad populum, si voluerit, et *Credo in unum Deum* decantando, prosequatur Missam ordine suo. Tamen sciendum est, quod non fit sermo, nisi quando fuit processio.

« Notandum quod in hac Missa non consuevit esse sermo, nisi papa vellet facere Processionem. Tunc si papa illum sermonem facere non vellet, sacrista committit de ejus mandato sermonem alicui de dominis cardinalibus episcopis, vel presbyteris, quoniam diaconi nunquam coram papa prædicant, aut alicui prælato, vel magistro in theologia.

« Notandum quod abbates nunquam consueverunt prædicare, nec doctores decretorum, nec legum nisi duntaxat prælati et magistri in theologia, sed modo abbates prædicant. »

Postquam dominus papa intrat ad sacrificandum, et confecit duas Hostias, tunc acolythus conducit juniorem diaconum cardinalem, et cum eo plures subdiaconos. Unus autem ex iis subdiaconibus portat crucem, acolytho antecedente cum thuribulo et thure; et sic processionaliter vadunt ad ecclesiam sancti Joannis, vel sancti Georgii, ubi ampullæ cum chrismate et oleo conservantur. Cardinalis diaconus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis; duo alii subdiaconi accipiant illas duas alias ampullas olei exorcizati et olei infirmorum, et eo modo quo iverunt revertantur. Venientes autem ad altare, antequam dominus papa dicat *Per quem hæc omnia*, **356** subdiaconus qui bajulat ampullam olei infirmorum, repræsentat eam summo pontifici ad benedicendum. Pontifex dicat plana voce *Exorcizo te, immundissime.* His Benedictionibus peractis, vertitur ad altare et dicit *Per quem hæc omnia*, etc. Scire nos convenit, quod si fuerit pontifex Laterani, decantato *Credo in unum Deum*, et antequam intret ad sacrificandum, a diaconibus levatur mensa de altari palliis desuper complicatis, et cum reverentia et omni devotione ab eisdem reportetur in capellam sancti Pancratii juxta claustrum canonicorum, quod ibi est locus conservationis; et cum omni cautela usque in die Sabbati custoditur.

Deinde pontifex venit ad altare, accipiens ampullam vitream, quæ intus se continet quoddam vasculum aureum, et in illo vasculo est lapis pretiosus concavus, et in illa concavitate lapidis est diligenter pretiosus Christi sanguis [a] inclusus, qui annualiter extrahitur, et reponitur ibi in concavitate arcæ, et tunc levatur a pontifice; et ostenditur, ut tota turba populi valeat cum timore et reverentia, et omni devotione eum videre. Postea traditur custodienda priori et canonicis ejusdem ecclesiæ usque in diem Sabbati. Tunc pontifex ad sacrificandum intrat solus, et intrat arcam, ut significetur quod in Veteri Testamento scriptum est, quia summus pontifex intrabit semel in anno in sancta sanctorum; tamen et cruce et linteamine superpositis, episcopo vel cardinali cum capellano sacerdote ministrante sibi.

Confecto itaque sacrificio, pontifex solus communicat super altare sine ministris, et non cum calamo, sed cum calice tantum se confirmat illa die et sexta feria, et ponit illam quartam partem in calice. Postquam autem communicaverit, ponit calicem super altare, et patenam juxta eum cum corpore Domini reservato, quia sexta feria de ipso resumit, et cooperitur utrumque sindone munda. Receptis corpore et sanguine Domini, pontifex ascendit ligneam sedem; et continuo duo acolythi deferunt ampullas involutas cum sindone alba serica in sinistro brachio, ita ut videri possint a medio; et diaconus, qui assistit domino papæ, accipit ampullam unam mistam cum balsamo, et repræsentat eam pontifici, **357** tenens eam in sinistro brachio involutam. Tunc pontifex halet ter in ipsam; et post eum halent etiam in ipsam omnes episcopi, qui assistunt ibi, et presbyteri cardinales; et dicit sine cantu: *Dominus vobiscum. Exorcizo te, creatura olei*, etc. Post Benedictionem vero istam omnes episcopi et cardinales salutent per

[a] Apud Joannem canonicum ecclesiæ Lateranensis hæc leguntur in cap. 3, ubi agitur de reliquiis quæ sunt in basilica Salvatoris: *De sanguine et aqua lateris Domini ampullæ duæ.* Eadem superius, pag. 99.

ordinem sanctum chrisma, et in salutando inclinent capita dicentes *Ave, sanctum chrisma*, et deosculentur ampullam. Facta salutatione chrismatis ab episcopis et presbyteris, statim debet fieri salutatio olei ab eisdem, hoc videlicet modo.

Dominus papa salutat chrisma, et statim postea oleum, dicens *Ave, sanctum oleum*; ita et singuli facere debent. Postea reportentur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ ad sacrarium, vel ad locum ubi sedere debent. Deinde distribuatur unicuique, sicut debetur et fuerit opportunum. Pontifex vero in sede communicat illos qui communicari volunt. Reverenter tamen oblatæ integræ de corpore Domini in diem Parasceve reservantur; sanguis vero Domini penitus assumatur. Pacis osculum non datur, *Agnus Dei* dicatur, et communio, *Dominus Jesus Christus*, etc. Tunc pontifex revertitur ad altare, et dicit hanc Orationem, *Refecti*, etc.; qua expleta, diaconus dicit *Ite Missa est.*

LXXXIV. *De Mandato fiendo in die Jovis sancto rubrica.*

Missa igitur solemniter peracta, indutus pontifex, sicut cantavit, ascendit ad palatium, comitantibus eum tam episcopis quam presbyteris et diaconibus, omnibus peractis secundum ordinem suum. Pontifex vero ingreditur basilicam sancti Laurentii de Palatio, vel capellam sancti Martini, si est ad sanctum Petrum; et exuit planetam, et assumit sibi mantum in scapulis; imposito super caput suum fanone cum mitra facit Mandatum, duodecim subdiaconibus rochetum cum superpelliceo portantibus. Cubicularii ponunt concham ante eum; ipse vero præcinctus linteo, habens ante se linteum mundum, quo unus diaconus qui ei servit, secundum dominum Jacobum [a] Gaietanum, ipsum papam præcingit, bracheolam 358 ad hoc portatam habens in brachiis, et linteum mundum ante se tenens; quæ omnia debent parari per thesaurarium, vel fratres de Prognota [*Al.* Pignotta], et duodecim subdiaconi manent foris basilicam discalciati; duo vero ostiarii accipiunt priorem in ulnis, et portant eum ante pontificem. Pontifex vero cum aqua calida, quam infundere debent cubicularii, lavat pedes ejus, et tergit linteo, et deosculatur pedem ejus dextrum, et dat ei duos solidos; et sic facit unicuique subdiaconorum, et dat ei duodecim denarios. Interim cantores cantant Vesperum, ante eum stantes, cum Antiphona ad Vesperum, *Calicem salutaris*, etc. His dictis, lectio non dicitur, nec Versus, sed Antiphona cantatur, *Cœnantibus autem*, etc. Omnibus completis, dicit pontifex Orationem legendo, *Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam*, etc., ut moris est, prout in Vesperorum officiis bujus dici plenius continetur.

LXXXV. *De largitione presbyterii.*

Dictis Vesperis, et Mandato facto per papam, ut supra dictum est, summus pontifex presbyterium largitur cardinalibus et legat [b]. Nam indutus paramentis usque ad dalmaticam inclusive, habens mantum rubeum ad scapulas, fanonem super caput, et super ipsum mitram aurifrigiatam, ducitur ad capellam sancti Silvestri per duos diaconos cardinales, in quam intrat; et sic paratus sedet in faldistorio suo, et dat cuilibet cardinali singulariter et prælato presbyterium solitum, primo videlicet episcopis cardinalibus, secundo presbyteris, tertio diaconibus secundum ordinem antiquitatis singulorum in statu, in quo tunc est cardinalatus; consequenter omnibus aliis prælatis singulis singulariter. Nam quilibet cardinalis et prælatus, extracta sibimet mitra, deferens eam in manibus, vadit coram eo flexis genibus; tenet mitram apertam ante papam, qui ponit in illam pecuniam, quam dat ei in uno scypho [b] argenteo camerarius, et quam dicit liber cameræ qui vocatur Polyptychus; et ille qui recipit pecuniam in mitra osculatur genu domini papæ. Idem vero camerarius habet ante se magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ, et assistunt ipsi camerario clerici cameræ 359 et duo mercatores. Ipsi vero camerarius et clerici tantum sunt in superpelliciis sive cottis.

LXXXVI. *De comestione in Cœna Domini.*

Dato [c] presbyterio, dominus papa sic paratus, ut diximus, a duobus diaconibus cardinalibus ducitur ad mensam solemniter paratam, et ibi sedet, episcopo cardinale sibi dante aquam, et duobus diaconibus cardinalibus, uno a dextris, alio a sinistris tobaleam tenentibus, ipsoque, qui a dextris, etiam annulum tenente, dum lavatur.

Notandum quod prædicti tres cardinales in prima et secunda manuum lotione, et mensæ Benedictione ministrant papæ sine mantellis, mitra sibimet deposita dum ministrant; sed in gratiarum actione resumunt mantellos suos et mitram loco suo. Eo loto prima manuum lotione, factaque Benedictione mensæ, de qua infra seriosius dicetur, vadunt omnes sedere; et tunc omnes cardinales lavant, cum sederint, manus suas, et sibi mutuo serviunt, ut infra in alia lotione dicetur.

LXXXVII. *De ordine sedendi in mensa.*

Sedet autem papa in una mensa eminenti solus, diversis et magnis vasis aureis et argenteis super mensam positis. In alia vero mensa, quæ est ad dextram papæ, in longum aulæ sedent episcopi cardinales; inter quos etiam sedent, si sint, patriarchæ quatuor ecclesiarum patriarchalium principalium secundum ordinem prioritatis et posterioritatis ecclesiarum suarum; ita tamen quod quilibet patriarcha sedeat inter duos episcopos cardinales, et post eos in alia mensa presbyteri cardinales.

In parte autem sinistra, quæ etiam est in longum

[a] Hinc patet hoc non esse purum putum Jacobi Gaietani Ordinarium, sed ab aliquo alio interpolatum quibusdam in locis, maxime iis [ut videtur] in locis ubi rubricæ vocabulum in titulo apponitur.

[b] Hæc Petrus Amelius citat in cap. 67 *secundum dominum Jacobum Gaietani.*

[b] Hæc et sequentia capita ad 91 totidem fere verbis leguntur apud Petrum Ameli, a cap. 69.

aulæ, sedent diaconi cardinales, omnes secundum ordinem prioratis singulorum in statu in quo sunt cardinalatus. Nam priores primo in mensa sedent; et post mensas cardinalium erunt mensæ omnium aliorum prælatorum et nobilium. Et attende quod papa stabit dum comedit, sic paratus, ut dictum est, scilicet usque ad dalmaticam inclusive, habens mantum rubeum **360** ad scapulas, fanonem in capite, et mitram aurifrigiatam super fanonem, et annulum pretiosum non pontificalem in digito, et sandalia in pedibus. Cardinales vero omnes, tam sæculares quam religiosi, habebunt cottas cum..... sine camisiis albis et mitris simplicibus de garnello in capite, et mantellis ad scapulas; sed sæculares habebunt mantellum de brunetto rosaceo; religiosi autem habebunt mantellum coloris suæ religionis; et ita parati comedent, et alii omnes prælati similiter, facta tamen inter eos distinctione de sæcularibus et religiosis quoad mantellos in colore, sicut dictum est in cardinalibus

LXXXVIII. *De servitoribus mensæ papæ.*

Coram papa serviunt laici majores natu et nobiliores, qui præsentes erunt, secundum officia illis distributa per magistrum hospitii. Notandum tamen quod in mensa primum ferculum ponit coram papa aliquis de principalibus nobilibus, etiamsi esset rex; quo posito, si rex foret, vadit ad sedendum in mensa a sinistris inter primos duos diaconos cardinales; et sic faciebat dominus Carolus primus rex Siciliæ, et descendentes ab eo reges, maxime quia imperator Constantinopolitanus, qui tunc temporis erat in curia, et sedebat a dextris inter duos primos episcopos cardinales, qui primum fortassis ferculum posuerat papæ, secundum vero rex Siciliæ. Alii etiam nobiles majores, etiamsi essent filii imperatorum vel regum, serviunt papæ in mensa, unus videlicet de cupa, alius de cultello ad incidendum. Alii astant comedenti; alii sequuntur fercula, portantes et ipsi incisoria papæ, et cardinales, prout ordinatum erit.

LXXXIX. *De secunda lotione manuum in Cœna Domini.*

Comestione sumpta, papa lavat manus, ministrantibus sibi episcopo et duobus diaconibus cardinalibus ut prius: qui tres cardinales, resumptis mantellis et mitris suis redeunt sedere cum aliis cardinalibus in suis mensis. Tunc tam singuli ipsorum, et quilibet cardinalis, et unusquisque similiter sedendo lavabit manus suas, serviente fundente aquam cardinali lavanti. Cardinales autem qui assistunt, teneant tobaleam, **361** unus ex una parte lavantis, alius ex altera; et sic sibi invicem mutuo serviant. Quibus omnibus lotis, dantur species et vinum. In fine remotis mensis, surgit dominus papa, et omnes; et ipso stante super scabellum suum, ministrantibus sibi duobus diaconibus et episcopo, cardinalibus redduntur gratiæ, ut infra sequitur. Illis autem redditis, papa reducitur a duobus diaconibus prædictis ad cameram vel anticameram suam, ibique sedet in faldistorio cum cardinalibus tantum fratribus suis, ipso et eis paratis ut fuerant in mensa. Consequenter sacris exutus vestibus, discalciatis sandaliis, requiescit. Cardinales vero et alii prælati redeunt ad hospitia sua parati cum mitris [a]..... sicut in comestione steterunt. Memorandum quod omnes capellani domini papæ commensales et non commensales debent eo die comedere cum domino camerario splendide.

Item notandum quod nunquam aliqua mulier comedit in præsentia Romani pontificis, etiamsi esset imperatrix, vel regina. Ita exstitit observatum tempore domini Clementis V, domini Joannis XXII, domini Benedicti XII, domini Clementis VI, et domini Innocentis VI, nec fuit auditum quod aliquo tempore fuerit factum contrarium, et tempore domini Urbani V, domini Gregorii XII, aut Urbani VI.

Notandum quod si papa non conficiat sanctum chrisma, non habent locum prædictæ cæremoniæ.

Item si cardinales non comedant cum ipso papa, non habent locum prædictæ solemnitates.

XC. *Benedictio mensæ in Cœna Domini.*

In Cœna Domini ad benedicendum mensam dicitur absolute sine nota vers. *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.* Deinde immediate dicitur *Pater noster* secreto: quo completo, sine pronuntiatione aliqua dominus papa signat mensam tam suam quam alias. Nec *Jube, domne*, dicitur, nec *Tu autem, Domine.* In fine prandii repetitur Versus *Christus factus est*, etc., ut supra. Postea immediate dicitur hinc inde Psalmus *Miserere mei, Deus*, sine *Gloria Patri*; postea secreto dicitur *Pater noster;* quo finito, dicit papa absolute Orationem *Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam*, etc., et non pronuntiatur. **362** *Qui tecum*, nec *Fidelium animæ*, sed solum sine aliqua permutatione dominus papa signat se et omnes devote. Tunc resumpto fanone et mitra super caput cum manto ad scapulas, reducitur, ut dictum est, a duobus diaconibus cardinalibus ad cameram vel anticameram suam.

XCI. *Item de mandato et aliis supradictis, papa non existente in Urbe.*

Dicta ultima Oratione per dominum papam, et *Ite Missa est* per diaconum, et *Sit nomen Domini benedictum*, ut moris est, dominus papa, indutus omnibus paramentis, sicut celebravit, vadit cum omnibus cardinalibus, episcopis, presbyteris et diaconibus secundum ordinem suum ad aliquem locum præparatum, ut faciat ibi Mandatum. Residens itaque in faldistorio, deposita planeta et pallio, et assumpto manto in scapulis, tenens fanonem in capite et super ipsum mitram, præcinctus linteo, quo unus diaconus, qui ei servit, papam præcingit, bacciola ad hoc parata habens in brachiis, posita concha per cubicularios ante eum, lavat pedes duodecim diaconibus

[a] Apud Petrum Amelii additur: *eques, tamen equis non paratis, sed coopertis.*

vel capellanis in defectum ipsorum in suis... et cottis, qui parati tunicellis et discalciati debent in aliquo loco separato exspectare. Tunc duo ostiarii vel servientes accipiunt priorem illorum subdiaconorum, et portant ante pontificem, et sic de singulis. Summus pontifex cum aqua calida lavat pedes eorum singulariter portatorum, et tergit linteo, et deosculatur pedes eorum, et dat singulis duos solidos denariorum. Interim cantores cantant Vesperas, et capella coram papa cum nota. Pontifex vero dicit Orationem *Respice, quæsumus, Domine*, sine nota. His peractis, summus pontifex presbyterium largitur, et vadit ad mensam, ut supra seriosius dictum est.

De Benedictione olei infirmorum, et olei exorcizati, et consecratione chrismatis dictum est supra in officio præfatæ feriæ quintæ Cœnæ Domini.

XCII. *Qualiter et quibus diebus fiant Processus generales.*

Processus namque generales, secundum consuetudinem approbatam fiunt tribus diebus in anno, videlicet feria quinta in Cœna Domini, item in Ascensione Domini, item in Dedicatione basilicarum **363** apostolorum Petri et Pauli; et prædictis tribus diebus fiunt etiam aliqui Processus speciales, prout expedit, sive contra aliquas communitates, vel personas notabiles, etiamsi reges, vel imperatores essent, contra quos eorum..... ad monitionem, citationem, suspensionem, excommunicationem, interdictum, et privationem, vel ad alias spirituales et temporales pœnas et sententias procederetur; et in Processibus sunt omnes cardinales et præfati curiæ parati in albis. Dominus tamen papa habet pluviale rubeum, et alia observantur ut infra proxime sequuntur.

Feria quinta in Cœna Domini ordo qui sequitur observatur. Nam dicta per dominum papam in camera Tertia et Sexta sine nota, habens ipse dominus papa stolam ad collum more consueto, et indutus pluviali rubeo, habente aurifrigium solemne cum perlis, et gestans mitram cum perlis, ministrantibus sibi duobus diaconibus indutis cappis suis de lana, ut solitum est; hora tertia, vel sexta, præcedentibus ipsum cum cruce diaconibus cardinalibus et capellanis et aliis, progreditur ad locum solemnem et eminentem paratum ad prædicandum, et ut fiant Processus qui fuerint faciendi.

Ad locum perveniens, sedens in faldistorio recipit ad reverentiam cardinales et prælatos nondum paratos, licet quandoque parati ad reverentiam veniant, de Processura timentes. Qua reverentia facta, dominus papa sermocinatur ad populum in vulgari, assumpta tamen auctoritate in Latino, et breviter, quia multa ea die sunt peragenda; vel committit sermonem alteri, scilicet alicui episcopo, vel presbytero cardinali. In sermone potest fieri mentio, si placet, de solemnitate diei et aliquid etiam tangi de Processibus faciendis.

Si ipse dominus papa sermocinetur, ipso prædicante, omnes sunt parati, tam cardinales, quam prælati, in albis, singuli in suo habitu; diaconi in dalmaticis et tunicellis, presbyteri in planetis, episcopi in pluvialibus, capellani in scutis et cotta seu superpelliceo. Subdiaconi domini papæ possunt esse in tunicellis, qui ea die deberent esse duodecim.

Si vero aliquis episcopus, vel presbyter cardinalis sermocinaretur, ipse prædicans debet esse paratus; sed alii cardinales et prælati possunt differre recipere paramenta, quousque incipiantur Processus, vel quousque diaconus cardinalis ipsos incipiat vulgarizare.

364 Sed in omnem eventum duo diaconi, qui ministrant domino papæ, et ille diaconus qui debet vulgarizare Processus, et unus episcoporum, saltem qui prædicat, possunt recipere paramenta, statim facta reverentia, ut sint magis parati ad suum ministerium exsequendum.

Sic igitur iste consuevit esse ordo, ut dominus papa veniens ad locum Processuum, in faldistorio sedeat, eatur ad reverentiam; fiat brevis sermo ad populum per papam, vel per aliquem cardinalem; revertatur dominus papa ad sedendum. Si prædicavit aliquis capellanus, vel plures, si sint plures Processus, in cotta et scuta stans versus populum, cito et intelligibiliter legant Processus [a] in vero, ad modum quo leguntur lectiones in ecclesia. Unus diaconorum in paramentis albis tenens mitram in capite versus populum, lectum Processum per capellanum saltem in substantia vulgarizet. Et deinceps secundo Processu lecto, idem diaconus vulgarizet. Idem faciat et eodem ordine, si fuerint plures Processus.

Et sciendum quod Processus communes, qui fiunt contra hæreticos, et contra piratas maris, et contra imponentes nova pedagia, et contra falsarios bullæ, et portantes prohibita Sarracenis, et impedientes euntes et redeuntes ad curiam, non consueverunt omitti.

Quibus peractis, dominus papa ascendit pulpitum versus ad populum, duobus diaconibus assistentibus, uno a dextris, altero a sinistris, et uno episcopo a dextris; cæteri vero episcopi et presbyteri cardinales, prout locus patitur, stent a dextris, et diaconi a sinistris, et alii prælati, sive a dextris, sive a sinistris, ut poterunt; omnes tamen inspiciant populum cum mitris in capite.

Tunc dominus papa stans versus populum, aliquid potest dicere de Processibus lectis et expositis, prout sibi placet, scilicet quod ipsos approbat, ratificat, et facit, prout lecti sunt, et sicut diaconus exposuit; et circa ultimum verborum habens aliquos torticios accensos in manu, projicit ipsos dominus papa versus populum ad terram. Hoc idem faciunt singuli cardinales et prælati, tenentes tantummodo singuli unum torticium in manu, nihil dicendo; et cum candelæ projiciuntur, debent campanæ ecclesiæ inordinate pulsari.

Completis Processibus, diaconus ministrans summo pontifici **365** a sinistris, deposita sibimet mitra, et

[a] Forte *in Latino*, ut apud Petrum Amelii in cap. 65.

digitis utriusque manus ante pectus invicem in oppositum cancellatis, dicit alta voce *Confiteor Deo*, cum nota more solito; quo finito, dominus papa resumit valde breviter ad populum, maxime si ipse prædicavit, quod sicut inobedientes et mali debent pœnas et graves Processus de sua malitia reportare, sic boni et obedientes debent gratias et præmia obtinere; et dat indulgentiam omnibus qui interfuerint prædicationi et Processibus, vel alteri ipsorum, qui talis consuevit esse; indigenis datur annus et quadraginta dies; extraneis duo anni et duæ quadragenæ; ultramontanis tres anni et quatuor quadragenæ; iis qui transierunt mare quatuor anni et quatuor quadragenæ.

Tunc diaconus ministrans a dextris deponat mitram domino papæ; qui, manibus elevatis, sicut cum dicit Orationem in Missa, facit absolutionem, dicendo clara voce, sicut consuetum est, *Sit nomen Domini benedictum*, videlicet, *Precibus et meritis*, etc.; et, responso *Amen*, dicit similiter, *Absolutionem*, *Indulgentiam*, etc.; et, responso *Amen*, ultimo dat Benedictionem dicendo, et signando populum: *Et benedictio Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, descendat super vos, et maneat semper.* Post hæc, reposita sibi mitra per diaconum, vadit ad ecclesiam, cruce, cæteris cardinalibus et prælatis, subdiaconibus et capellanis paratis, ut post ipsum, præcedentibus; et ibi facto, vel omisso, *Sit nomen Domini*, ut sibi placet, omnia peragat, ut in Ordinario continetur et dictum est supra.

XCIII. *De officio feriæ sextæ in Parasceve.*

Feria sexta omnia dicantur per ordinem. Prima hora hujus diei capellani omnes vocantur ad dicendum Psalterium, domino papa sedente ante lectum suum. Omnes capellani sedent etiam juxta pedes ejus, et vicissim totum Psalterium complent: quo finito, sacerdos cum aliis dicit Antiphonam *Ne reminiscaris*, postea litaniam *Pater noster* private, *Miserere mei, Deus* sine capitulo, et *Dominus vobiscum;* Oratio *Deus, cui proprium est misereri*, et cæteræ omnes quæ consueverunt dici omnibus diebus Quadragesimæ et in fine Oratio sicut in aliis officiis. Die ipso sancto Parasceve, dicta Prima cum Oratione sua, *Respice, quæsumus, Domine*, et Psalmo lecto, in hora qua convenit, dicitur Tertia. Hora vero sexta conveniant omnes ad Lateranensem basilicam, **366** vel ad aliam ecclesiam, et dicant Sextam. Tunc dominus pontifex induat se omni ornatu quadragesimali tantum, episcopi vero pluvialibus, presbyteri, diaconi, et subdiaconi planetis.

« Ista die cardinales non veniunt ad reverentiam papæ, sed immediate in ipsa cathedra deponunt cappam de scarleto.

« Et est sciendum quod ista die dominus papa, antequam vadit ad ecclesiam seu capellam pro officio faciendo, bis venit ad fenestram pro indulgentia more solito populo danda, videlicet de mane semel, secundo cum ad capellam vult ire pro officio faciendo; et qualibet vice portat pluviale rubeum et mitram planam de garnello sine aurificiis; qua indulgentia secundo data, vadit ad cameram, et ibi deponit pluviale; et recipit cappam de scarleto rubeo, apertam a medio pectoris usque ad pedes, et eamdem mitram albam et planam de garnello absque aurificiis et perlis in capite portans, cum cardinalibus intrans capellam pro officio faciendo. »

Tunc junior [a] presbyterorum cardinalium ferat adornatam capsidem cum dominico corpore hesterno die reservato; et sic subdiaconus cum populi cruce processionem præcedente, omnes discalceati sine cantu psallendo ad ecclesiam sanctæ Crucis, quæ est in Jerusalem, ubi statio fieri debet, ordinate procedant, quando dominus papa est Laterani; quando autem illuc pervenerint, ingrediantur ecclesiam sine cantu, et prostrati in medio ecclesiæ diutius orent. Presbyter, qui portat corpus Domini, ponat illud in secretario, dum dominus papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante papam in processione ad altare. Surgentes ab Oratione dominus papa cum clero intret secretarium, et abstracta planeta cum pallio sedet in sede sua, et lotis pedibus ministri calcient eum, non sandalia, sed quotidiana calciamenta. Veniens ad faldistorium dicit Nonam, et post paululum reindutus planeta et pallio præeunte [Al., præcedente] eum cum cruce et Evangelio sine luminaribus, cum incenso, ordinate cum silentio ad altare procedunt. Et tunc omnes prostrati super tapetia strata diutius orant. Interim cum ministri..... capellam unam tantum tobaleam sindonem, non aurifigiatam, extendunt super altare nudatum. Completa vero **367** Oratione nihil aliud dicat, nec etiam confessionem faciat; sed pontifex, deosculato altari, ascendit sedem medium more solito; et subdiaconus statim procedit ad legendum, et sine titulo et sine reverentia et osculo pedum in modum lectionis sic incipit: *Hæc dicit Dominus: In tribulatione*, etc. Omnes lectiones, tam hodie quam in die Sabbati, leguntur in modum lectionis. Qua finita, cantatur Tractus *Domine, audivi;* et finito tractu, dicit pontifex *Oremus*, et diaconus, scilicet prior diaconorum, *Flectamus genua*, postea alter diaconus qui assistit papæ, *Levate*, et dicat Orationem *Deus a quo*, etc.; qua finita, diaconus similiter sine titulo legat aliam Epistolam: *In diebus illis, dixit Dominus ad Moysen*, etc. Lectione completa, cantatur tractus, *Eripe me*, etc. Antequam finiatur Tractus, diaconus Passionem dicturus debet exuere planetam, et eam planetam ad modum stolæ recipere debet super humerum sinistrum, ita quod capita ejus firmentur ad latus dextrum quasi retro.

Notandum quod in principio Passionis papa surgit de cathedra, et deposita sibi mitra, stat pedes contra altare circa medium; qui, sustentans se super illud retro in scapulis, respiciens ad illum qui legit Passionem, junctis ante pectus manibus: et sic semper stat quousque perveniat ad locum Passionis ubi

[a] Huc spectant verba Petri Amelii in cap. 76: *Secundum dominum Jacobum Gaietani junior presbyter cardinalis corpus Christi antiquitus ad altare portare consuevit.*

dicitur *Et inclinato capite*, etc. Et tunc papa genua flectit ibidem versa facie ad altare, statque genuflexus per tantum spatium, quod semel possit dici *Pater noster*. Postea surgit, et stat sicut prius. Similiter et omnes alii faciunt. Quo finito, diaconus, facta reverentia coram altari, sine Benedictione et pedis osculo procedat cum Evangelio sine faculis et sine incenso; et ascendens nudum pulpitum, non dicat *Dominus vobiscum*, sed simpliciter dicit *Passio Domini nostri Jesu Christi*, etc.; et, nullo respondente, legat *In illo tempore egressus est*, etc. Cum autem ventum fuerit ad eum locum ubi dicitur *Tradidit spiritum*, statim diaconus genuflectit ad Deum, et omnes similiter, et stant genibus flexis quantum dici posset *Pater noster*. Tunc surgens diaconus et alii, et prosequitur ut inchoaverat Passionem. Cum autem ventum fuerit ad eum locum ubi dicitur *Post hæc autem rogavit Pilatum*, acolythi repræsentent ex more thuribulum, et pontifex imponat incensum, quod acolythi portant ad Evangelium, et portant etiam faculas accensas. Finito vero Evangelio, reportatur liber cum incenso deosculandus pontifici.

368 Post hæc secundum modernos consuevit fieri sermo per aliquem magistrum in theologia, vel prælatum; et ille qui facit sermonem, genibus flexis ante papam petit Benedictionem, sed non deosculatur pedem; sed habita Benedictione, et recepta indulgentia pronuntianda per sermonem, vadit ad locum solitum pro sermone faciendo. Cum autem fit sermo, papa sedet in cathedra nuda ante altare, tenens mitram in capite. Quo sermone finito, non dicitur *Confiteor*, sed statim ille qui fecit pronuntiat indulgentiam de mandato et auctoritate papæ, verbi gratia de septem annis et septem quadragenis.

Notandum quod prior diaconus cardinalis, qui assistit papæ a dextris, in istis Orationibus dicit *Flectamus genua*, et secundus dicit *Levate*; quod postea dicit secundus *Flectamus genua*, et tertius diaconus dicit *Levate*; quod tertius diaconus postea dicit *Flectamus genua*, et quartus respondet *Levate*, et sic usque ad ultimum; et, si oportet repetere, ad primum diaconum.

Tunc pontifex surgens dicit has solemnes Orationes, *Oremus, dilectissimi nobis*, etc. In hac igitur Oratione pro Judæis dicitur *Oremus*, sed non dicitur *Flectamus genua*, quia ipsi hac die Domino irridendo genua flectebant. Ideo Ecclesia illorum exhorrescens facinus, pro ipsis non flectit genua in Oratione *Omnipotens*, etc. Finitis Orationibus, procedit pontifex ad altare; et stans ad dextrum cornu altaris accipit crucem a ministris sibi præparatam sindone munda coopertam; et discooperiens eam a summitate, elevatis manibus, solus incipit Antiphonam, *Ecce lignum crucis*, adjuvantibus eum in cantu qui assistunt ei. Cum autem *Venite adoremus* cantaverint, omnes prostrati reverenter adorent, et usque ad terram se inclinent; et repetitur Antiphona, *Ecce lignum*, etc., a cantoribus in choro. Iterum pontifex paululum procedens, et crucem ad medietatem discooperiens, amplius elevatis manibus, exaltando vocem, eamdem Antiphonam solus incipit, in cantando juvantibus eum qui circa ipsum sunt; et secundo a cantoribus Antiphona repetitur. Et tertio procedit pontifex ante altare, discooperiens crucem totam, erectis sursum manibus, altius incipit *Ecce lignum crucis;* et tertio a cantoribus repetitur Antiphona; et tertio dum cantatur *Venite adoremus*, adoratur ab omnibus. Tunc pontifex cum chirothecis nondum extractis deponit manibus suis crucem super stratum pallium et mundissima linteamina **369** ad radicem altaris, et discalceatus tertio prostratus solus crucem adorat. Quo facto, revertitur ad sedem suam, et ibi recipit deposita calciamenta.

« Notandum quod dominus Gregorius XI, necnon dominus Urbanus VI, Romani pontifices, nunquam voluerunt se discalceare in cathedra prope altare, creditur quod propter reverentiam altaris, quia ambo devoti erant; sed in alia magna cathedra etiam nuda longe ab altare, ubi consueverunt se induere in solemnitatibus. Postea omnes cardinales discalceati in locis suis per eorum familiares, nudis pedibus vadunt bini ad adorandum crucem secundum ordinem suum, et non flectunt genua. Similiter et omnes alii ibidem præsentes eo modo eamdem crucem adorant. »

Postmodum omnis chorus ordinate adorent. Interim autem cantores cantent vicissim *Agios*, repetentes *Sanctus Deus, sanctus fortis*, etc., Antiphona, *Popule meus, quia eduxi te de terra. Quid ultra debui facere*, cum toto improperio; et alias Antiphonas, *Adoramus te, Christe, Crucem tuam*, et *Salva nos, Christe, salva*; et Psalmus, *Deus misereatur*, et Hymnus, *Pange*, et *Crux fidelis*.

« Finita adoratione crucis, sacrista vel alius ad hoc deputatus deponit crucem in suo loco super altare, et accendit luminaria in altare, et pecuniam oblatam in crucis adoratione sacrista recipit sola hac die, quoniam sua est; in aliis vero est capellani. Ipsa ergo cruce ita collocata, dominus camerarius, vel alius ejus gerens vices, aliam crucem portat extra regias, comitantibus eum clericis cameræ et capellæ, ad adorandum aliis.

« Notandum [a] quod temporibus Romanorum pontificum Joannis XXII, Benedicti XII, Clementis VI, Innocentii VI, Urbani V, Gregorii XI, et Urbani VI, fuit observatum quod papa reversus ad cathedram, ut hic dicitur, in ea stando resumpsit planetam nigram et pallium cum spinulis de manu diaconi cardinalis qui dixit Passionem; et sic progressus ad altare sine mitra et sine confessione consueta, assistentibus sibi duobus diaconibus cardinalibus, deinde ivit cum cruce et luminaribus, et incenso ad armariolum, seu cophinum, in quo hesterna die fuerat corpus Christi cum calice reservatum. Et ita fuit hactenus observatum, quod Romanus pontifex semel **370** ad armariolum seu cophinum vadit, et corpus Christi portat ad altare cum

[a] Hæc apud Petrum Amelii in cap. 76.

illa tobalea de serico coopertum cum uno capite, et cum alio quod sibi pendet super humerum sinistrum. »

« His finitis, pontifex chirothecis depositis, quas amplius non resumit, et lotis manibus, ac cruce locata inter faculas in altare, vel [a] altare ingrediatur. Presbyter cardinalis portat corpus Christi, et ponit super altare, et dominus papa aperit capsulam, et cum manu accipit, et ponit corpus in patena: quam accipit diaconus a subdiacono, et tenet in manu; et diaconus offert ei in patena Corpus Domini, quod pridie fuerit reservatum. Quod accipiens collocet super corporale ab eodem diacono prius super sindonem expansum. Offerat ei calicem similiter cum puro vino, et subdiaconus offerat ampullam cum aqua, quam pontifex vino commisceat, ut repræsentet quod eo die emanaverunt sacramenta ecclesiæ, videlicet sanguis e aqua de corpore.

« Notandum quod in Missa ista in officio capellani servit Papæ unus presbyter cardinalis, vel ille cui Papa mandavit, vel cui prior diaconorum ex præcepto Papæ hoc facere commiserit. »

In quibusdam vero ecclesiis [b] purum vinum hodie sine aqua offertur, ut in puro et forti vino crudelitas Judæorum repræsentetur, et asperitas passionis Christi. Collocato autem calice de consuetudine ad latus dominici corporis a diacono, offerat ei incensum; et pontifex, ut mos est, utrumque adoleat: deinde inclinat se ante altare orans, et dicens, *In spiritu humilitatis;* et erectus pontifex vertit se ad populum, dicens *Orate, fratres.* Deinde dicat plana voce, ut mos est, *Per omnia sæcula sæculorum. Oremus. Præceptis salutaribus. Pater noster*, etc. Oratione Dominica completa, dicat hanc Orationem in eadem nota, *Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis*, etc. Responso autem *Amen*, frangit Hostiam secundum consuetudinem, ponens de ea in calice, nihil dicens. Sanctificatur enim vinum non consecratum per corpus Domini immissum. *Pax Domini* non datur. *Agnus Dei* non cantatur, nec pacis osculum datur, nec Postcommunio cantatur. Communicat autem **371** solus pontifex sine ministris, non ad sedem solemniter, sed ibi, tantum eo die ante altare, ob humilitatem reverentiæ diei et passionis Christi; [c] perfundit in calice, et ipse sumit, et postea cum aqua in bacilibus. Deinde rediens ad sedem, exuat se, et cum clericis suis dicat Vesperos præteriti diei, non cantando, sed recitando. Antiphona, *Calicem salutaris*, usque in finem sine lectione, sine Hymno, et sine Versiculo; ad *Magnificat*, Antiphona, *Cum accepisset acetum;* alia Antiphona ad *Magnificat*, *Ait latro ad latronem*, et in aliis omnibus non dicitur *Gloria Patri.* Quibus expletis, dicatur *Christus factus est pro nobis*, etc., totum; postea sine *Kyrie, eleison*, sub silentio dicatur *Pater noster;* psalmus *Miserere mei, Deus*, et Oratio *Respice*, etc. His omnibus expletis, quisque cum pace et absque confabulatione ad invicem revertitur ad propria. Dominus papa eo die non cœnat cum capellanis, nec capellani cum eo; sed qui velit cœnare, cœnat aliquis cum quo vult, et quando vult.

Item de sero ad officium Matutinorum papa venit ad capellam cum cappa clausa de scarleto rubeo, foderata de herminis, clausa a medio pectoris sursum, et aperta deorsum. Cocullam semper tenet super caput, et sine mitra in cathedra nuda sedet; nec diaconi cardinales sedent ante pedes ejus in iis tribus Matutinis, neque in fine dat Benedictionem in ipsis.

XCIV. *Ordo officii de Sabbato sancto*

Sabbato sancto, hora sexta, a ministris ecclesiæ ignis excutitur de [d] crystallo sive lapide, et accenditur. Junior presbyterorum cardinalium, sacris indutus vestibus, cum cruce, aqua benedicta, et incenso, benedicit novum ignem. Oratio: *Deus, qui per Filium tuum, angularem*, etc. *Domine Deus, Pater omnipotens, lumen indeficiens*, etc. *Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, Benedictionibus nobis*, etc. *Veniat, quæsumus, omnipotens*, etc.

Benedicto igne, aspergatur aqua benedicta, et adoleatur incenso de ipso igne in thuribulo posito. Deinde diaconus junior **372** diaconorum cardinalium, dalmatica indutus, venit, et de manu ministrorum accipit arundinem trium cubitorum et dimidii cubiti, triplicem candelam, quam de novo igne illuminatam imponit arundini, comitantibus eum subdiaconibus, cantoribus et reliquis de clero cum populo præcedentibus ministris cum cruce et incenso, stans in porta ecclesiæ, elevatis paululum manibus, dicit magna voce *Lumen Christi;* respondent alii *Deo gratias.* Procedit usque ad ostium chori, et, elevatis manibus amplius, excelsius dicit *Lumen Christi;* respondentibus iterum *Deo gratias.* Procedit usque ad medium chori; et, plus elevatis manibus, tertio altius dicit *Lumen Christi*, respondentibus omnibus *Deo gratias.* Ascendit ad ornatum pulpitum, et illuminato magno cereo, et incensato libro, incipit absolute Benedictionem cerei: *Exsultet jam angelica tuba cœlorum*, etc., sicut in libris habetur. Omnia luminaria debent esse exstincta, ut de novo igne accendantur. Interim autem dum cereus benedicitur, pontifex dicat Tertiam et Sextam in camera sua; Nonam vero dicat in ecclesia. Dictis ipsis, calceatus induitur omni ornatu suo quadragesimali, episcopi pluvialibus, presbyteri et diaconi planetis; subdiaconi vero non planetis, sed tunicis induuntur, ut compositi induti sint, ut magis expediti ad lectiones legendas. Tunc pontifex cum omnibus egressus a sacrario, præcedente eum subdiacono cum cruce, et alio subdiacono cum Evangelio, processio-

[a] Forte *ad altare progrediatur*, ubi scilicet repositum fuerat Christi corpus, ex præmissis.

[b] Petrus Amelii scribit, in cap 76: *In quibusdam vero Ecclesiis, secundum dominum Jacobum Gaietani purum vinum sine aqua offertur, ut in puro et forti*, etc.

[c] Quædam hic supplet Petrus Amelii: *Et non cum calamo, sed cum calice sumit sanguinem, et vinum post sumptionem sanguinis in calice funditur per sacristam.*

[d] Non probat hoc Zacharias papa in epistola 12, ad Bonifacium. Idem tamen legitur apud Petrum Amelii, cap. 77.

naliter, cum silentio tamen, procedit ad altare; et facta reverentia ad ornatum, ascendit sedem, circumsedentibus hinc inde juxta ordinem suum omnibus. Finita benedictione cerei, subdiaconus ascendens ambonem incipit legere lectionem sine titulo; *In principio creavit Deus cœlum et terram.* Eo vero complente, si dominus papa velit, Græcus subdiaconus eamdem Græce relegit. Qua completa, dicit pontifex *Oremus;* diaconus qui est a dextris *Flectamus genua;* et post paululum alter diaconus, qui est a sinistris, *Levate.* Deinde sequitur Oratio, et reliquæ, prout in Ordinario continentur.

Et intelligendum est quod in Sabbato sancto in toto officio, quod agitur ante Missam, utendum est violaceo colore, hoc excepto, quod diaconus qui cantat Benedictionem cerei indutus est dalmatica; subdiaconus, vel subdiaconi, qui illa die erunt induti, tunicellis utuntur albis; sed Benedictione cerei **373** cantata, diaconus, amota dalmatica, assumit planetam violacei coloris, et tenet eam usque dum inchoatur officium Missæ; subdiaconi vero non mutant vestes.

XCV. *Officium in die sanctæ Paschæ resurrectionis Domini.*

Dominica sancta Paschæ statio ad sanctum Joannem Lateranensem. Summo mane dominus papa, dicta Prima, vadit in basilicam sancti Laurentii, quæ dicitur Sancta Sanctorum. Posita ibi capella in faldistorio prius orat; postea induitur a diacono et subdiacono usque ad dalmaticam. Tunc surgit et ingreditur ad Salvatorem, aperitque imaginem Salvatoris, et deosculatur pedes ipsius imaginis. Tunc venit ad altare sumens crucem..... quæ posita est ibi a capellanis; et tenendo eam in manu cantat voce convenienti Antiphonam *Surrexit Dominus de sepulcro, qui pro nobis pependit in ligno, alleluia.* Capellani, qui assistunt et juvant eum in cantando, duabus aliis vicibus ipsam Antiphonam reiterando, et semper altius imponendo, sicut primo incipiat. Deinde revertitur ad faldistorium. Omnes diaconi cardinales ibi esse debent, et prior subdiaconorum cum omnibus subdiaconis de capella, et omnes alii capellani; prædicti vero diaconi induuntur dalmaticis, subdiaconi vero tunicis, alii vero capellani albis togis. Tunc dominus papa sedens in faldistorio, prior diaconorum flectens genua sua coram ipso, dat osculum pacis; sed prius osculatur pedem. Tunc dominus papa dando pacem dicit *Surrexit Dominus vere;* respondet ille qui accipit *Et apparuit Petro;* et ipse diaconus revertitur ad filum juxta papam in locum suum. Post hæc omnes diaconi et subdiaconi, et alii capellani et cæteri ordines curiæ recipiunt pacem a summo pontifice, et vicissim dant et recipiunt pacem, a primo incipientes veniunt usque ad ultimum.

Deinde dominus papa induet se planeta alba; et redimitus mitra cum omnibus aliis ordinibus descendit de palatio, præparatis equis cum mappulis albis super sellam, coronatus, equitatque cum Processione ad sanctam Mariam Majorem. Cum autem venerit ad Merolanam, quidam scriniarius, electus ab omnibus scriniariis Urbis, dicit alta voce *Jube, domne, benedicere.* Pontifex benedicit ei. Item scriniarius: *In ecclesia sanctæ Mariæ dominæ nostræ,* dicit cantando hac voce *Baptizati sunt tot masculi et tot feminæ.* Pontifex respondet **374** *Deo gratias.* Eodem modo fit secunda feria ad sanctum Petrum; tertia ad sanctum Paulum. Cum autem venerit dominus papa ad sanctam Mariam, ibi fit statio. Statim descendit de equo, deponit coronam de capite, quam dat dextratoribus, ut diligenter servent eam. Canonici ecclesiæ cum thuribulo et incenso, et aqua benedicta, suscipiunt eum cum Processione cantando; sed pontifex ponit incensum in thuribulo, et aspergit aquam super populum; deinde intrat ecclesiam, et orat; et vadit ad locum præparatum, ascendit ad sedem suam, et dicit Tertiam.

Finita Tertia, residente domino papa induto usque ad dalmaticam, prior episcoporum accedens ad eum recipit pacem ab eo, et redit ad locum suum. Deinde secundus episcopus, qui rediens dat pacem priori suo, et stat juxta eum in filo. Sic faciunt omnes episcopi cardinales presbyteri. Postea præfectus, senatores, et omnes ordines. His peractis, surgunt duo subdiaconi basilicarii, et accipiunt priorem subdiaconorum religiosorum sustentantes, ac dextrantes eum ab introitu secretarii usque ad medium secretarii ante pontificem, qui alta voce dicit *Jube, domne, benedicere.* Pontifex benedicit ei. Deinde parum producunt eum, et iterum dicit *Jube, domne, benedicere;* et iterum benedicit. Progreditur ante, et dicit *Jube, domne, benedicere,* et iterum benedicit. Tunc ille subdiaconus dicit tribus vicibus, *Servi Domini nostri Jesu Christi,* qualibet vice vocem exaltando. Deinde statim subjungit *Dominus N. sancti Adriani diaconus cardinalis legat Evangelium. Dominus Joannes domini papæ subdiaconus et capellanus legat Epistolam, J. primicerius et cæteri cantores cantent.* Tunc surgens dominus pontifex a duobus diaconibus sustentatus in Processione progreditur, sicut mos est. Mappularii in introitu ecclesiæ habent mappulam extensam, quam portant super caput ejus usque ante altare. Cum intrat presbyterium ecclesiæ, mansionarius præparat eidem arundinem cum cereo accenso, quem accipit et ponit in stupa super capita columnarum, quæ ibi stant. Cum venit ad primicerium, primicerius deponit mitram, et osculatur scapulam dextram, qui benedicit ei, cum venerit ante altare. Mappularii auferunt mappulam super caput ejus; deinde celebrat officium, sicut consuetum est; et laudes proferuntur, sicut in Polyptycho habentur. In secreta vero descendent duo diaconi ante altare, **375** et duo subdiaconi ordinate stantes cum silentio. Cum pontifex dicit *Per omnia sæcula sæculorum,* nullus ei respondet *Amen,* sed incipit *Pater noster,* et cætera quæ sequuntur. Finita Missa, coronatur, et revertitur ad palatium.

Sciendum quod quando dominus papa tali die non vadit ad sanctam Mariam Majorem, oscula pacis reci-

piunt episcopi et presbyteri cardinales in porticu ante basilicam sancti Laurentii de palatio, ubi fiunt examinationes episcoporum electorum ad Missam.

XCVI. *De Sabbato primo infra Pascha.*

Isto Sabbato statio ad sanctum Joannem Lateranensem. Hac die dominus papa debet ibi Missam cantare, ibique mutatur Graduale in *Alleluia*, in suis Versibus. Dum *Agnus Dei* a schola cantatur, dominus papa expendit agnos. Primo dat episcopis, secundo presbyteris, tertio diaconibus indutis paramentis propriis, et ponit agnos in mitra eorum; et osculantur genu; et idem alii prælati, si parati sint. Si vero non sint parati, et alii qui veniunt ad recipiendum agnos osculantur pedem, etiamsi esset rex, qui immediate post cardinales venit ad recipiendum candelas, tenens et palmam et agnos. Et dantur duo cuilibet prælato, et aliis unum. Notandum tamen quod antequam prior presbyterorum cardinalium recipit paramenta, recipit pacem a prælato, celebrante illo coram papa; et ipsa data, vadit ad parandum se, prout alii cardinales presbyteri. Nec fit sermo illa die; sed si ipse papa celebraret, fit eodem modo.

Finita Missa, dominus papa redit ad palatium: veniens ad domum in qua comedere debet, ascendit ad sedem suam, manibus ablutis, data Benedictione, mensa ante eum posita. Acolythus, cujus est hebdomada serviendi, accipit tobaleam; manibus vero suppositis accipit bacile plenum de illis agnis, et veniens ad ostium domus dicit alta voce, *Domine, Domine, isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt alleluia, modo veniunt ad fontes, repleti sunt claritate, alleluia*, et inclinat se. Tunc paululum progrediens plus alte dicit idem; tertio progrediens stans coram summo pontifice altius refert, *Domine, Domine, isti sunt agni*, etc. Post hæc ponit bacile in mensa. Dominus papa expendit illos agnos per familiam suam; sed primo **376** dat sacerdotibus, capellanis et acolythis, et omnibus aliis.

XCVII. *Quomodo fiunt agnus Dei cerei*, etc.

Dicamus quomodo ipsi agni fiant. Acolythi recipiunt ceram mundam ab altari beatissimi Petri principis apostolorum, et conficiunt illam ceram cum chrismate quod remansit anno præterito, et imponunt illa sigilla in formulis propter hoc adinventis.

Dominica Octava Paschæ. Oratio, *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus*, etc. In illis vero diebus, qui supersint post Octavam Ascensionis, videlicet sexta feria et Sabbato, si festivitas alicujus venerit, de festo facimus totum officium Missæ cum commemoratione de Dominica. Si vero non est festum de Dominica, facimus totum officium Missæ, et dicitur præfatio *Qui ascendens super omnes cœlos*, et non dicitur *Credo;* sed si festum aliquod in isto Sabbato venerit, totum officium facimus de festo, Missa vero dicitur de vigilia, cum commeratione festi. Eadem die Sabbati omnes jejunare debent devote.

Hora vero nona conveniunt omnes in ecclesiam, et omne officium vel ordinem, sicut in Sabbato sancto vigiliarum Paschæ facimus, eodem modo facere debemus, excepto quod nec cereus, nec ignis benedicitur. Omnibus igitur præparatis, subdiaconus procedit ad legendum, et sine titulo incipit lectionem. Prima, *Tentavit Deus*, etc. Qua finita, dicit pontifex, vel sacerdos, Orationes, sine *Flectamus genua. Deus qui Abrahæ.*

Finitis lectionibus, Tractibus, et Orationibus, et omnibus lampadibus ecclesiæ tunc accensis, pontifex, vel sacerdos, descendit ad fontes, præcedentibus eum clericis litaniam decantando, et Tractum *Sicut cervus.* Quibus expletis, antequam intret ad Benedictionem, dicit hanc Orationem, *Concede, quæsumus, omnipotens Deus*, etc. Oratione completa, sequitur Benedictio fontis, prout in Sabbato sancto habetur. Et post celebrationem baptismi, pontifex et clerus ingreditur ad sacrarium. Indutus vero solemniter rubeis vestimentis cum omni apparatu et litania processionaliter procedit ad altare. Finita lectione, et *Kyrie, eleison*, post confessionem statim pontifex ascendit ad sedem suam, et dicit solemniter *Gloria in excelsis Deo*. Qua finita, dicit *Pax vobis;* deinde **377** sequitur Missam ordine suo. *Credo* non dicitur, Offertorium dicitur, et *Agnus Dei* similiter, et pacis osculum datur, et Postcommunio. Oratio, *præsta, quæsumus*, etc.

Urbanus quintus pro magno munere misit imperatori unum agnum cum his versibus.

> Balsamus et munda cera cum chrismatis unda
> Conficiunt agnum, quem do tibi munere magnum,
> Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
> Fulgura desursum depellit, et omne malignum.
> Prægnans servatur, sine væ partus liberatur.
> Portatus munde servat de fructibus undæ;
> Peccatum frangit, ut Christi sanguis, et angit;
> Dona confert dignis, virtutes destruit ignis.

XCVIII. *Quibus diebus et solemnitatibus consueverunt Romani pontifices Missarum solemnia in persona celebrare.*

In diebus et solemnitatibus infra positis consueverunt Romani pontifices Missarum solemnia celebrare in propria persona; sed prædicare consueverunt in eisdem diebus et solemnitatibus in propria persona, quando placeret, et facere prædicari coram se per aliquem cardinalem, prout sequitur; non tamen per alium prædicatur coram domino, quam per cardinales, quando dominus papa celebrat.

In prima Dominica de Adventu Domini, et prædicatur.

In secunda Dominica Adventus, et prædicatur.

In tertia Dominica Adventus, quæ vocatur Dominica de *Gaudete*, et prædicatur, et habet Vesperos præcedentes papales solemnes cantandos in ecclesia; et datur potus post Vesperos in aula. Dicuntur autem Vesperi papales, quando dominus papa, cardinales et prælati omnes debent esse parati. In ecclesia autem parati non sunt cardinales et prælati in Vesperis, nisi dicantur Vesperi in ecclesia.

In Nativitate Domini in tribus Missis; et habet Vesperos præcedentes papales solemnes tantum, et habet Matutinum papale; et non prædicatur hodie

licet antiquitus prædicaretur in Missa; sed communicant omnes diaconi cardinales et officiales curiæ de manu summi pontificis.

In festo sancti Stephani protomartyris, et prædicatur.

In festo sancti Joannis evangelistæ, et prædicatur.

378 In festo Innocentium, et prædicatur.

In Circumcisione Domini, et prædicatur.

In Epiphania, et prædicatur, et habet Vesperos præcedentes papales solemnes, etc.

In prima Dominica post Octavam Epiphaniæ, quæ dicitur Dominica de *Nuptiæ*, cum est Romæ; et prædicatur ante Missam.

In Conversione sancti Pauli, et prædicatur.

In festo Purificationis, et prædicatur ante Missam.

In Cathedra sancti Petri, et prædicatur.

In Septuagesima, et prædicatur.

In Quinquagesima, et prædicatur.

In die Cinerum, et prædicatur.

In prima Dominica Quadragesimæ, et omnes Dominicæ Quadragesimæ sunt papales, specialiter Dominica qua cantatur *Lætare, Jerusalem;* est ipsa Dominica, in qua fit solemnitas rosæ aureæ; et prædicatur in eis, præterquam in Dominica de Palmis, in qua, quatenus sit papalis, non prædicatur.

In Dominica de Passione, et prædicatur.

In Dominica in ramis Palmarum non prædicatur, sed ante Missam dantur palmæ benedictæ cardinalibus et prælatis paratis, et aliis tam clericis, quam laicis; et fit Processio.

In die Jovis sancto, et prædicatur ante Missam. Processus generales fiunt; et etiam aliqui speciales, prout expedit; et in Processibus sunt omnes cardinales et prælati curiæ parati in albis.

In Parasceve non prædicatur.

In Sabbato sancto non prædicatur.

In Paschate non prædicatur hodie, licet antiquitus prædicaretur; sed omnes diaconi cardinales et officiales curiæ communicant de manu summi pontificis, et ante Missam fiunt quædam solemnitates tam de adoratione crucis, quam de osculo.

In die Lunæ in crastino Paschæ, et prædicatur.

In die Martis post Pascha, et prædicatur.

In Sabbato in Albis consuevit celebrare prior episcoporum cardinalium, vel alius cardinalis coram domino papa, licet antiquitus papa celebraret. Et dicto *Agnus Dei*, parantur cardinales secundum morem in suo ordine, et dantur agnus Dei per ipsum papam tam cardinalibus, cæterisque prælatis, quam **379** aliis; et postea Missa finitur. Postmodum papa comedit cum capellanis, et fiunt aliquæ solemnitates, et dantur eis agnus Dei per dominum papam

In Annuntiatione beatæ Virginis, et prædicatur.

In Dominica qua cantatur *Ego sum Pastor bonus*, et prædicatur

In festo sancti Marci, id est in litaniis majoribus, Romæ non prædicatur. Sed hodie non servatur de Missa papali, sed celebrat unus cardinalis, papa præsente et cardinalibus.

In Ascensione Domini, et prædicatur ante Missam, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes, etc. Et Processus generales fiunt, et etiam aliqui speciales, prout expedit; et in Processibus sunt omnes cardinales et prælati curiæ parati in albis. Processus vero fiunt ante Missam.

In festo Pentecostes, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes cantandos in ecclesia, et datur potus post Vesperos in aula.

In die Lunæ crastino Pentecostes, et prædicatur.

In die Martis sequenti, et prædicatur.

In Nativitate beati Joannis Baptistæ, et prædicatur, et habet Vesperos papales solemnes præcedentes, etc.

In festo apostolorum Petri et Pauli, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes.

In Commemoratione sancti Pauli, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes Romæ, etc.

In festo Nivis, quod est die quinta Augusti, et prædicatur.

In festo sancti Laurentii, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes Romæ, et etiam alibi; si moraretur dominus papa juxta ecclesiam sancti Laurentii, Vesperos siquidem solemnes cantandos in ecclesia; et datur potus prælatis in aula.

In festo Assumptionis beatæ Virginis, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes, etc.

In anniversario summorum pontificum et cardinalium, quod est quinta die Septembris, non prædicatur.

In festo Nativitatis beatæ Virginis, et prædicatur.

In Dedicatione sancti Michaelis in Septembre, et prædicatur.

In festo omnium Sanctorum, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes.

380 In anniversario omnium animarum, quod est in crastino omnium Sanctorum, non prædicatur.

In Dedicatione basilicæ Salvatoris, quæ est v Idus Novembris, et prædicatur, et habet Vesperos papales præcedentes Romæ solemnes.

In Dedicatione basilicarum apostolorum Petri et Pauli, quæ est in Octava beati Martini, et prædicatur ante Missam, et habet Vesperos papales præcedentes solemnes, etc. Et Processus generales fiunt, et etiam aliqui speciales, prout expedit; et in Processibus sunt omnes cardinales et prælati parati in albis. Processus non fiunt ante Missam.

In anniversario Romani pontificis prædecessoris semel, id est primo anno tantum, non proceditur.

XCIX. *Additio [a] facta tempore Joannis papæ XXII.*

In anniversario consecrationis seu coronationis Romani pontificis, idem Romanus pontifex toto tempore suo celebrat Missam papalem de illo festo,

[a] Ergo hoc Ordinarium scriptum fuit ante pontificatum Joannis XXII.

quod ea scilicet die anniversarii, occurrit, cardinalibus et cæteris prælatis paratis more solito; et prædicatur in præsentia domini papæ non per [a] ipsum, sed per aliquem cardinalem; et post Orationem festi dicit dominus papa quamdam Orationem pro se, quæ debet esse scripta in libro papali. Et licet dictum anniversarium non habet Vesperos papales, dico quod non vocantur cardinales, ut parati sericis in Vesperis; tamen in capella sua dominus papa cantat Vesperos festi, et fiunt quædam solemnitates postea. Nam dicta Oratione festi, repetitur *Gloria Patri*, *Sicut erat*, solemniter, et dicitur vers. *Elegit te Dominus sacerdotem sibi*, etc., et papa dicit postmodum Orationem pro se, quæ debet esse scripta in libro.

Tamen advertendum quod si anniversarium domini nostri fiat die Lunæ, quia eadem die Lunæ est anniversarium summorum pontificum et cardinalium, quod etiam papale. Nam papa debet celebrare, et cardinales sunt parati, licet non prædicetur, induti violaceis vel nigris. Poterit enim dictum anniversarium paparum et cardinalium differri in sequentem diem, si domino placebit.

381 Ista consueverunt servari; domini tamen est facere quod sibi placebit.

In festo sancti Andreæ, et prædicatur, et Romæ habebat antiquitus Vesperos papales et Matutinum, licet hodie non sic servetur.

Item præter solemnitates superius dictas erant aliquæ solemnitates antiquæ, in quibus Romani pontifices solemniter celebrabant; sed hodie non sic communiter observatur.

Item quandocunque Romanus pontifex facit ordines, vel consecrationes episcoporum, celebrat, sed non prædicatur in Missa.

Item in festis principalioribus civitatum, in quibus moratur, et in festis aliis, prout devotio ipsum movet, celebrat, et prædicatur.

Item quamvis consueverint Romani pontifices istas solemnitates superius dictas observare, si tamen sint impediti ex debilitate vel alia rationabili causa, possunt ipsas omittere, et consueverunt quandoque committere alicui episcopo, vel presbytero cardinali, quod celebret, et sermonem faciat in ecclesia cujus festum est; et etiam, si placet, committit quod celebret episcopus vel presbyter cardinalis in ecclesia cathedrali civitatis, vel alibi, sicut placet, et sermonem faciat.

C. *Ordinatio Domini Alexandri papæ quarti de suffragiis faciendis pro summis pontificibus et cardinalibus defunctis.*

Dum fideles animas defunctorum, sibi salutis procurare consilium nequeuntes, charitatis instinctu conveniat Orationum suffragiis adjuvari, sanctissimus dominus pater Alexander papa quartus, de fratrum suorum unanimi consilio et assensu, anniversarium sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ pontificum et cardinalium obeuntium Nonas Septembris annis singulis, Vesperis et vigiliis pro defunctis, cum novem lectionibus, et cum nota solemniter decantatis, statuit celebrari. Ipse Romanus pontifex assistentibus sibi cardinalibus, ut moris est, Missam pro defunctis celebret solemniter, ipsa die ducentos pauperes refecturus, et viginti quinque reficiat cardinalis unusquisque, nec non dominus papa ducentas Missas faciet decantari.

Ordinavit etiam, de dictorum fratrum consilio et assensu, ut cum Romanum Antistitem e vita migrare contigerit, diem defunctionis ipsius **382** cardinales solemniter et cum nota celebrent pro defunctis, et esum quinquaginta pauperibus pro anima defuncti cardinalis quilibet administret, et Missas totidem pro defunctis facient postmodum decantari.

Ordinavit etiam ut cardinali obeunte, tam idem summus pontifex, quam cardinales in capellis suis cantent cum nota solemniter pro defunctis; idemque Romanus pontifex ducentos pauperes pro ejus anima pascat, et viginti quinque quilibet cardinalis, imo et ipse dominus papa Missas pro defunctis ducentas, et viginti quinque cardinalis quilibet postmodum faciat celebrari.

CI. *In quibus diebus et solemnitatibus consueverunt Romani pontifices a consistoriis abstinere.*

Notandum quod in diebus et festivitatibus infra positis consueverunt Romani pontifices regulariter a consistoriis abstinere, prout hæc partim experientia docuit, et partim majorum nostrorum relatio patefecit.

In primis sciendum quod nullo die dominico per totum annum fit consistorium.

Item nullo die Jovis per totum annum fit consistorium, etiamsi sit aliqua festa in septimana.

Item a vigilia Nativitatis Domini inclusive usque ad festum Epiphaniæ inclusive nec fit consistorium. Quandoque tamen post Circumcisionem vocantur aliqua die cardinales ad consistorium, non ad negotiandum, sed ad revidendum, si placet domino papæ.

Item prima die Quadragesimæ, scilicet in die Cinerum, non est consistorium, nec etiam est consistorium duobus diebus præcedentibus, scilicet die Lunæ, et die Martis in carnisprivio, si curia sit in Urbe, propter insolentias quæ illis diebus fieri consueverunt; sed si alibi sit curia, signanter duobus diebus carnisprivii præcedentis, fit consistorium.

Item a Dominica Palmarum inclusive usque ad Dominicam proximam post Pascha inclusive non fit consistorium, hoc salvo, quod si fieri debent Processus in die Jovis sancto, tunc consuevit esse consistorium in die Mercurii sancto, vel aliquo die septimanæ sanctæ ad revidendum Processus qui fuerint faciendi, licet aliter pluries forte dominus papa consuluerit **383** cum fratribus suis super Processibus faciendis, salvo etiam quod si deberet fieri ordinatio cardinalium, bene tunc fieret consistorium pluribus diebus ipsa septimana sancta. Quandoque tamen die Veneris proxima post Pascha vocantu

[a] Olim id fiebat per ipsum pontificem, ut patet ex sermone sancti Leonis.

cardinales ad consistorium, non ad negotiandum, sed ad revidendum, si placebit domino papæ, ut dictum est in Natali.

Item in die Ascensionis Domini et die præcedenti ipsa, et in Octava Ascensionis non fit consistorium, et sunt Vesperi papales solemnes in vigilia cantandi in ecclesia; et datur potus in aula. Sed bene quandoque ipsa die præcedenti Ascensionem ante Vesperos confert dominus papa cum cardinalibus, si sit necesse, de processibus, qui fieri debent in ipsa die Ascensionis; licet ante pluries forte dominus papa consuluerit cum fratribus suis super Processibus faciendis.

Item in vigilia Pentecostes inclusive, in qua vigilia sunt Vesperi papales solemnes, qui sunt cantandi in ecclesia, et datur potus, usque ad diem Martis proximi post festum inclusive non fit consistorium, sed in die Mercurii sequenti, vel die Veneris consueverunt cardinales vocari ad consistorium.

Item in quatuor festis beatæ gloriosæ virginis Mariæ, videlicet Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, non fit consistorium, nec in vigilia Assumptionis ejus, nec in Octava ejusdem festi; nec consuevit esse consistorium modernis temporibus die præcedenti Nativitatem beatæ Virginis, nec in Octava ejusdem festi, nec in die præcedenti Purificationem.

Item in festo Nivis, quod est festum beatæ Virginis, et est quinta die Augusti, non fit consistorium.

Item in vigilia et in festo Nativitatis beati Joannis Baptistæ non fit consistorium, nec in Octava ejusdem.

In festis omnium apostolorum, et etiam in festis evangelistarum, tam principalibus, quam non principalibus, et præcipue apostolorum Petri et Pauli, non fit consistorium; nec etiam in vigilia apostolorum Petri et Pauli, nec in Octava eorumdem Petri et Pauli fit consistorium.

Item in festo beati Laurentii, et in Octava ejus non fit consistorium, nec etiam in vigilia festi Romæ fit consistorium; nec etiam alibi fit consistorium in præsenti vigilia, dum tamen moretur dominus papa juxta ecclesiam sancti Laurentii.

384 Item in duobus festis beati Michaelis, videlicet Apparitionis, et Dedicationis, non fit consistorium.

Item in duobus festis sanctæ Crucis, videlicet Inventionis, et Exaltationis, non fit consistorium.

Item in festo omnium Sanctorum non fit consistorium.

Item in anniversario omnium animarum, quod est in crastino omnium Sanctorum, non fit consistorium.

Item in anniversario consecrationis, seu coronationis Romani pontificis præsidentis, non fit consistorium.

Item in omnibus festis duplicibus non fit consistorium.

Item in quibusdam aliis festis non duplicibus non fit consistorium, ut infra ponitur.

Item in festis principalioribus civitatum, in quibus civitatibus dominus papa moratur, maxime quando celebrat, non fit consistorium, sed hoc est episcopi ordinare.

Item quandocunque sunt Vesperi papales solemnes, in reverentiam alicujus festi, non est consistorium. Vesperi autem papales dicuntur, quando dominus papa et prælati debent esse parati in ecclesia. Parati autem non sunt cardinales et prælati nisi dicantur Vesperi in ecclesia.

Et notandum quod quædam de prædictis festis habent Vesperos papales, ut infra ponitur per singulos menses.

Ut autem prædicta generalia clarius elucescant, subjicientur per singulos menses singula festa in quibus a consistoriis regulariter consueverunt Romani pontifices cessare.

In Januario.

In die Circumcisionis Domini non fit consistorium.

In Octava sancti Stephani non fit consistorium.

Item in Octava sancti Joannis non fit consistorium.

Item in Octava sanctorum Innocentium non fit consistorium.

Item in vigilia Epiphaniæ non fit consistorium.

Item in Epiphania Domini non fit consistorium.

Item in Octava Epiphaniæ non fit consistorium.

Item in festo sanctorum Fabiani et Sebastiani non fit consistorium.

Item in festo sanctæ Agnetis non fit consistorium.

Item in festo sanctorum Vincentii et Anastasii non fit consistorium.

Item in Conversione sancti Pauli non fit consistorium.

385 *In Februario.*

In vigilia, seu die proxima præcedente Purificationem, non fit consistorium.

Item in festo Purificationis non fit consistorium.

Item in festo sanctæ Agathæ non fit consistorium.

Item in Cathedra sancti Petri non fit consistorium.

Item in festo sancti Matthiæ non fit consistorium.

In Martio

In festo sancti Gregorii papæ non fit consistorium.

Item in festo sancti Benedicti non fit consistorium.

Item in festo Annuntiationis beatæ Mariæ virginis non fit consistorium.

In Aprili.

In festo sancti Marci non fit consistorium.

In Maio.

In festo apostolorum Philippi et Jacobi non fit consistorium.

Item in festo Inventionis sanctæ Crucis non fit consistorium.

Item in festo sancti Joannis ante Portam Latinam non fit consistorium.

Item in festo Apparitionis sancti Michaelis non fit consistorium.

In Junio.

In festo sancti Barnabæ apostoli non fit consistorium.

Item in vigilia beati Joannis Baptistæ non fit consistorium, et sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus.

Item in festo Nativitatis ejusdem sancti non fit consistorium.

Item in vigilia apostolorum Petri et Pauli non fit consistorium; et sunt Vesperi papales cantandi in ecclesia, et datur potus.

Item in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli non fit consistorium; et si sit papa Romæ, eodem die festi sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus.

Item in Commemoratione sancti Pauli non fit consistorium, et consueverunt quandoque fieri vacationes ex tunc usque ad Octavam Nativitatis beatæ Virginis. vel circa, secundum diversas formas, **386** prout dominus papa ordinat in consistorio cum fratribus suis.

In Julio.

In Octava sancti Joannis non fit consistorium.

Item in Octava apostolorum Petri et Pauli non fit consistorium.

Item in festo sanctæ Mariæ Magdalenæ non fit consistorium.

Item in festo sancti Jacobi apostoli non fit consistorium.

In Augusto.

In festo sancti Petri ad Vincula non fit consistorium.

Item in festo Nivis, quod est quinta die Augusti, non fit consistorium.

Item in vigilia sancti Laurentii Romæ, et etiam alibi, si moratur dominus papa juxta ecclesiam beati Laurentii, non fit consistorium; et sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia; et datur potus Romæ, et etiam in loco, ubi dominus papa esset juxta ecclesiam, ut dictum est.

Item in festo beati Laurentii non fit consistorium.

Item in vigilia Assumptionis beatæ Virginis non fit consistorium, et sunt Vesperi papales cantandi in ecclesia, et datur potus.

In festo Assumptionis beatæ Virginis non fit consistorium.

Item in Octava beati Laurentii non fit consistorium, ut puto.

Item in Octava Assumptionis non fit consistorium.

Item in festo sancti Bartholomæi non fit consistorium.

Item in festo sancti Augustini non fit consistorium.

Item in festo Decollationis beati Joannis non fit consistorium.

In Septembre.

In Anniversario sanctorum pontificum et cardinalium, quod est quinta die intrante Septembre, non fit consistorium.

Item in vigilia seu die proxima præcedente festum Nativitatis beatæ Virginis non consuevit fieri consistorium.

Item in festo Nativitatis beatæ Virginis non fit consistorium.

Item in festo Exaltationis sanctæ Crucis non fit consistorium.

Item in octava Nativitatis beatæ Virginis non fit consistorium.

387 Item in festo sancti Matthæi apostoli et evangelistæ non fit consistorium.

Item in festo Dedicationis sancti Michaelis non fit consistorium.

Item in festo sancti Hieronymi non fit consistorium.

In Octobre.

In festo beati Francisci non consuevit fieri consistorium: quod Romani pontifices concedunt ob reverentiam sancti.

Item in festo apostolorum Simonis et Judæ non fit consistorium.

Item in vigilia omnium Sanctorum non fit consistorium, et sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus.

In Novembre.

In festo omnium Sanctorum non fit consistorium.

Item in anniversario omnium animarum, quod est in crastino omnium Sanctorum, non fit consistorium.

Item in anniversario Romani pontificis prædecessoris semel, id est primo anno tantum, nam tunc dominus papa celebrat, non fit consistorium.

Item in Dedicatione basilicæ Salvatoris, quæ est quinta Idus Novembris, non fit consistorium; et sunt Vesperi papales die præcedenti Romæ solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus, et sic per consequens non est consistorium die præcedenti Dedicationem prædictam basilicæ Salvatoris.

Item in festo sancti Martini episcopi et confessoris non fit consistorium.

Item in anniversario consecrationis seu coronationis Romani pontificis præsidentis non fit consistorium; et licet non habeat Vesperos papales præcedentes, tamen in capella sua papa audit Vesperos, et fiunt quædam solemnitates.

Item in Dedicatione basilicarum apostolorum Petri et Pauli, quæ est in Octava beati Martini, non fit consistorium, et sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus in die præcedenti; et sic per consequens non est consistorium die præcedenti Dedicationem prædictam apostolorum, sed bene quandoque ante Vesperos, vel post Vesperos, confert dominus papa cum cardinalibus, si sit mentio de Processibus, qui fieri debent die sequenti.

Item in festo sanctæ Cæciliæ non fit consistorium.

388 Item in festo sancti Clementis non fit consistorium.

Item in festo sancti Andreæ non fit consistorium.

In Decembre.

In festo sancti Nicoli non fit consistorium.

Item in festo sancti Ambrosii non fit consistorium.

Item in Sabbato proximo præcedente tertiam Dominicam de Adventu, quæ vocatur Dominica de *Gaudete*, non fit consistorium, et sunt Vesperi papales cantandi in ecclesia, et datur potus.

Item in festo sanctæ Luciæ non fit consistorium.

Item in festo sancti Thomæ apostoli non fit consistorium.

Item in vigilia Nativitatis Domini non fit consistorium, et sunt Vesperi papales solemnes cantandi in ecclesia, et datur potus.

In die Natalis Domini non fit consistorium.

Item in festo sancti Stephani protomartyris non fit consistorium.

Item in festo sancti Joannis evangelistæ non fit consistorium.

Item in festo sanctorum Innocentium non fit consistorium.

Item in vigilia sancti Thomæ archiepiscopi Cantuariensis non fit consistorium.

Item in festo sancti Thomæ prædicti non fit consistorium.

Item in festo sancti Silvestri non fit consistorium.

Item, ut supra dictum est in principio, in festis principalioribus civitatum, maxime si papa celebret, et in die Cinerum, et in Paschate, et quibusdam diebus præcedentibus Pascha et sequentibus, et in Ascensione, et Pentecostes, et quibusdam diebus sequentibus, et vigiliis, et quibusdam aliis diebus, consueverunt Romani pontifices a consistoriis abstinere.

Item quandoque sunt vacationes in æstate a festo beati Petri usque ad Octavam Nativitatis beatæ Virginis, vel circa, secundum diversas formas; et tunc non fit consistorium, nisi vocentur, vel nisi sint certi dies ad consistorium ordinati. Quandoque etiam sunt feriæ repentinæ, vel propter motum curiæ, vel secundum quod alia negotia occurrunt, et placet domino papæ; et tunc quandoque per plures dies vacatur a consistoriis; et ante recessum et post adventum ad locum plus et minus, secundum quod per dominum fuerit ordinatum; et consuevit in consistorio ordinari de vacationibus et forma ipsarum; et consuevit etiam significari curialibus, quando dimittatur, **389** et quando, et ubi sit audientia resumenda, ut bene sibi provideant, et ne possint per adversarios circumscribi.

Item cum cardinales legati, vel cardinales ministri, vel qui diutius abfuerunt, recedunt vel revertuntur ad curiam, vel imperatores, reges, vel eorum filii veniunt, vel recedunt, ad curiam cardinales consueverunt eos associare; et sic cum associant recedentes, non consuevit esse consistorium. Cum vero associant venientes, non est consistorium ordinarium ad negotiandum; sed receptis prædictis venientibus in publico, quia in publico recipi consueverunt per dominum papam ad pedem et osculum, et aliis ipsorum familiaribus ad pedem, et prælatis ad pedem et osculum, et aliis majoribus ad pedem et osculum, quos vellet dominus papa honorare, deinceps omnes alii a consistorio excluduntur, remanentibus solum cum summo pontifice cardinalibus et prædictis imperatoribus, regibus, et eorum filiis per modicam horam in aliquibus affabilibus et curialibus collocutionibus. Qui postmodum recedentes a præsentia domini associari debent a duobus diaconibus cardinalibus usque ad ostium, vel usquequo familiam suam habeant; et etiam quandoque in primo adventu usque ad domum suam associant venientem; et regulariter quandocunque stante domino papa in consistorio cum cardinalibus veniunt, vel redeunt prædicti imperatores, vel reges, associari debent a duobus diaconibus usque ad ostium cameræ, vel usque ad suos. Quandoque etiam idem observatur, si non nimis sæpe veniant filii imperatoris, vel regum. Et notandum quod quando diu cessatum est a consistorio, quamvis certum sit qua die regulariter debeat esse, nihilominus tamen cardinales consueverunt specialiter ad consistorium evocari.

Notandum etiam quod si quando dominus papa mandet quod cardinales non veniant ad consistorium die, qua alias regulariter venire debent cardinales; ex tunc non vadunt ad consistorium, nisi specialiter fuerint vocati, vel nisi dominus papa in consistorio, vel alibi eis dixerit, qua die ad consistorium venire deberent.

Attendendum etiam quod ante Natale, et, si sit necesse, quandoque ante carnisprivium, et ante Pascha, et ante longas vacationes, si fiant, et ante motum curiæ, et cum consistoria resumuntur post longas moras seu intermissiones consistorii ex causis prædictis vel aliis, consuevit dominus papa **390** tenere aliqua consistoria publica, et audire advocatos et alios proponentes, et ordinare de negotiis, et ipsa ponere in statu, prout suæ placuerit sanctitati.

CII. *De pronuntiatione prælatorum.*

(Ista non servantur hodie, sed fiunt in creatione cardinalium, et plura quam hic continentur.)

Item regulariter quandocunque pronuntiat prælatos aliquarum ecclesiarum, maxime si plures pronuntiat, et etiam si unum tantum alicujus solemnis ecclesiæ, consuevit exire extra in consistorio publico, et pronuntiare prælatos vel prælatum promovendos in absentia ipsorum; et facta aliqua commendatione per papam de prælatis in promovendorum absentia, postmodum ipsis promovendis venientibus ad præsentiam domini, brevibus et paucis dictis ipsis promovendis per papam vadunt promovendi ad pedem domini, et non ad osculum; et incœpto *Te Deum laudamus* per aliquem ex capellanis, summo pontifice nihilominus in sede sua residente, promoti ducuntur ad altare quod ibi paratum est, ante quod debent orare genuflexi et prostrati; et ducuntur secundum ordinem suæ pronuntiationis singuli a duobus cardinalibus diaconibus secundum ordinem suæ prioritatis. Et dicto *Te Deum laudamus*, et postmodum dictis duabus Orationibus cum nota per priorem

ipsorum cardinalium; qui est ibi, et fusa magis submissa voce Benedictione per eum super ipsos, et ipsis electis surgentibus et deosculantibus altare, et consequenter ipsis receptis ab omnibus et singulis cardinalibus ad osculum, episcopis primo, presbyteris secundo, diaconibus tertio, reducuntur a diaconibus cardinalibus ordine, ut supra, ad pedes domini. Qui singuli primo ad pedem, deinde ad osculum a domino papa recipiuntur. Post hæc dominus reingreditur cameram, si placet.

Attendendum etiam quod cum magna negotia, publica tamen, proponenda sunt, sive per ambasciatores imperatoris, vel regum, provinciarum, vel comitatuum [*Forte*, communitatum] solemnium, vel etiam alia magna negotia, de quibus sæpe curia renovatur, dominus papa audire consuevit in consistorio publico; et maxime primas propositiones electionum, quæ ad sedem apostolicam **391** deferuntur, ne aliqui fraudulenter dicerent se in concordia electos, cum tamen electio esset in discordia celebrata; et etiam quando summus pontifex multum vult honorare ambasciatores, vel solemnes nuntios venientes, etiamsi tunc nihil magni proponant, in publico consistorio recipere consuevit.

Memorandum de festis quæ transferuntur.

Item quod quando diu vocatur, debeat mitti pro cardinalibus.

CIII. *De ordinatione diaconi cardinalis.*

Die Sabbati in quatuor temporibus dominus papa veniet ad ecclesiam. Fit reverentia more solito, quam faciet ordinandus cum aliis, si velit; et statim secedit ad partem, ubi suo tempore paramenta recipiet; et dicitur Tertia, Sexta et Nona.

Paratur dominus papa quadragesimalibus; progreditur versus altare; fit reverentia trium presbyterorum ad osculum et ad pectus. Dicitur *Introibo*, etc. Ingreditur ad altare; fit reverentia diaconorum ad osculum et ad pectus. Missa procedit suo ordine usque ad ultimum Versum Tractus; in qua Missa sunt quinque prophetiæ, et in qualibet dicitur *Flectamus genua*, *Levate*.

Ante ultimum Versum tractus, ordinandus in diaconum cardinalem paratus more subdiaconi, videlicet cum scutis, coita, parvo amictu ad scapulas, camiso seu alba, cinctorio, seu manipulo, dalmatica vero, et super eam stolam [a] sex manus et brachia portans a priore diaconorum, et alter diaconus cardinalis ducitur sine mitra usque ad præsentiam papæ, coram quo genuflectitur. Tunc prior diaconorum dicit: *Postulat mater Ecclesia catholica ut hunc præsentem patrem reverendum dominum N. subdiaconum, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad onus diaconi ordinetis.* Papa cum mitra: *Scitis illum dignum esse?* Respondet offerens: *Quantum humana fragilitas esse sinit et scio, testificor ipsum dignum esse ad hujus onus officii.* Papa, sedendo cum mitra, dicit: *Diaconum oportet* **392** *offerre*, etc., ordinando genuflexo. Tunc papa, legendo et sedendo cum mitra, dicit *Auxiliante Deo*, etc. Fiat litania; papa recumbente cum mitra super faldistorio, et ordinando prostrato ante altare; dalmatica cum stola interim, si velit, assignata alicui. Qua completa, papa revertitur ad sedem. Ordinandus stet ante faciem ejus reverenter. Papa stans cum mitra dicit *Commune votum*, etc.; deinde papa, ordinando stante inclinato ante ipsum, dicat in modum Præfationis: *Oremus, dilectissimi*, etc. Papa dicit *Oremus;* diaconus dicit *Flectamus genua;* diaconus a sinistris, *Levate;* Papa dicit *Adesto, quæsumus*, etc., per modum Præfationis, licet aliqui dicant legendo. Qua completa, solus papa ponat manum suam super caput ordinandi, dicens cum mitra, *Emitte*, etc.

Ad consummandum diaconi officium dominus papa accipiens stolam, quam ordinandus super dalmaticam tenebat, dicat sine nota, *Accipe stolam*, etc., quam super humerum ordinandi ponit, et a sinistris sub latere dextro circumdata ligatur. Deinde dominus papa dat librum Evangeliorum in manibus ordinandi, dicens sine nota *Accipe potestatem*, etc. Deinde dat Benedictionem seu Orationem, dicens cum nota *Exaudi, Domine*, etc. Consequenter facta præfata Oratione, cardinalis tunc ordinatus induitur a ministris tunicella alba, et statim idem ordinandus dalmatica alba induatur, papa tangente ipsam dalmaticam super humerum, et dicente sibi sine nota *Induat te Dominus vestimento*, etc. Ultimo ordinatus osculetur pedem domini papæ. Et papa recipit eum ad osculum: ordinatus vero statim post recipitur ad osculum ab omnibus diaconibus cardinalibus; et etiam ab omnibus episcopis et presbyteris cardinalibus.

Quibus factis, accipit manipulum in armilla sinistra super tunicellam et mitram in capite: vadit, deposita mitra, ad reverentiam domini papæ more consueto. Genu flectit etiam coram altari, dicens basse *Munda cor meum*, etc., recipit librum Evangeliorum de altari; petit inclinato capite Benedictionem a domino papa, dicens basse *Jube, domne, benedicere;* et, recepta Benedictione, vadit cum libro ad pulpitum, et incipiens dicit *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo. Sequentia sancti Evangelii*, etc., signando librum et se. *Gloria tibi, Domine. In illo tempore*, etc. **393** Dicto Evangelio, osculetur principium dicti Evangelii, in cætero vero ministret ut diaconus, et faciat quæ incumbunt.

Dum dicitur Offertorium, offerat more consueto duos torticios magnos accensos, duos panes et duas amphoras vini; et offerendo singula manum papæ osculetur. Papa vero oblata leviter tangit.

In Oratione super populum papa dicit *Oremus.* Diaconus ordinatus dicit *Humiliate capita vestra Deo.* In fine, completa Oratione Missæ, diaconus ordinatus dicit *Benedicamus Domino*, versa facie ad altare. Papa dicit *Sit nomen Domini benedictum*, etc. Diaconus ordinatus stans in dextro cornu altaris sine

[a] Forte *per manus et brachia portatus a priore diaconorum et altero diacono cardinali.*

mitra dicit ter *Multos annos*, qualibet vice altius, et qualibet vice genu flectendo coram papa stante cum mitra. In fine ordinatus osculetur pedem papæ, et recipitur ad osculum a papa.

CIV. *Ordo* [a] *qui observatur in celebratione concilii generalis.*

Ante solis ortum ejiciantur omnes ab ecclesia, obseratisque foribus cunctis ad unam januam, per quam sacerdos ingredi oportet, ostiarii stabunt. Et convenientes omnes episcopi pariter introibunt, et secundum ordinationis suæ tempus residebunt. Post ingressum omnium episcoporum atque consessum, vocentur deinde presbyteri, quos causa probaverit introire; nullusque se inter eos ingerat quos ordo poposcerat interesse. Et corona facta de sedibus episcoporum, presbyteri a tergo eorum resideant, quos tamen sessuros secum metropolitanus elegerit, qui utique et cum eo judicare [b] aliquid, et definire possunt. Diacones in conspectu episcoporum stent.

Deinde ingrediantur laici qui electione concilii interesse meruerint.

Ingrediantur quoque notarii quos ad recitandum vel recipiendum ordo requirit.

Obseratisque januis, et sedentes in diuturno silentio sacerdotes, atque cor totum habentes ad Deum, dicturus est archidiaconus *Orate*; statimque omnes in terram prosternuntur, tam episcopi quam presbyteri; et orantes diutius tacite cum fletibus; **394** atque unus ex episcopis senioribus surgens, Orationem palam fundat ad Deum, cunctis adhuc in terram jacentibus, dicens hanc Orationem.

Oratio. — Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus peccati quidem immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, et esto nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris. Doce nos quid agamus, quo gradiamur; et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, et suggestor, et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem; ut in sinistrum nos ignorantia non trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris, vel personæ corrumpat; sed junge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero; qualiter in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna.

In qua Oratione *Pater noster* non dicatur. Finita autem Oratione, et responso ab omnibus *Amen*, rursus dicat archidiaconus *Erigite vos*. Confestim omnes surgant, et cum omni timore Dei et disciplina, tam episcopi quam presbyteri sedeant; sicque omnibus in suis locis in silentio consedentibus, diaconus alba indutus Codicem proferens, Capitula de conciliis agendis pronuntiet, id est:

Ex concilio Toletano tertio æra 18. Item ex concilio Toletano quarto æra 3. Item ex capitulis Orientalium Patrum, quæ Martinus episcopus de Græco in Latinum vertit æra 18. De synodo facienda. Item ex concilio Chalcedonensi æra 18. Item ex concilio Agathensi æra 25, vel aliud de canonibus, quod metropolitano aptius visum fuerit ut legatur. Finitisque titulis, metropolitanus episcopus concilium alloquatur exhortatione ita dicens: « Ecce, sanctissimi sacerdotes, præmissis Deo precibus fraternitatem vestram cum pia exhortatione convenio, et per divinum nomen obtestor, ut ea quæ a nobis de Deo et sanctis ordinibus, vel sanctis moribus vobis fuerint dicta, cum omni pietate suscipiatis, et cum summa reverentia perficere intendatis. Quod si forsitan aliquis vestrum aliter quam dicta fuerint, senserit, sine aliquo scrupulo contentionis **395** in nostrorum copulatione ea ipsa de quibus dubitaverit conferenda reducat, qualiter, Deo auxiliante, aut doceri possit, aut doceat. Deinde simili vos obtestatione obsecro ut nullus vestrum in judicando, aut personam accipiat, aut quolibet favore vel munere pulsatus, a justo judicio scienter avertatur ut discedat; sed cum tota pietate quidquid cœtui nostro se judicandum intulerit retractate, ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter vos locum inveniat, nec item in perquirenda æquitate vigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat. »

Post hanc exhortationem introibunt omnes quique fuerint presbyteri, diaconi, vel religiosi universi, ad audiendam doctrinam. Sicque archidiaconus lecturus canonem Toletani concilii undecimi æra prima, *Ne tumultu concilium agitetur*. Quo canone perlecto, concilium Ephesinum ex ordine perlegatur. Deinde collatio pariter et instructio de mysterio sanctæ Trinitatis habeatur; simulque et de ordinibus officiorum, si in omnibus sedibus ejusdem celebratis unitas teneatur. Pro iis quoque causis, prout spatium diei permiserit, et epistolæ papæ Leonis ad Flavianum episcopum de erroribus [Eutychetis] et mysterio Trinitatis legendæ sunt, canones quoque de unitate officiorum, nec aliud aliquid antea transeatur, quam ista omnia explicentur; ita tamen ut totos tres dies litaniarum nihil aliud agatur nec retractetur nisi de mysterio sanctæ Trinitatis, et de ordinibus sacris vel officiorum institutis; ita ut hæc tota partiantur per totos illos tres dies, ut nihil aliud, sicut dictum est, nisi sola quæstio de iis quæ prædicta sunt habeatur, ita ut lectio semper congruens ordini causæ, et quæ quærenda est, antecedat.

Post hæc in quarto die reliquæ per ordinem admittendæ sunt; sicque omnes qui de religiosis in retroactis diebus pro spirituali instructione interfuerant in concilio, foris egrediantur, residentibus aliquibus presbyteris in concilio, quos metropolitanus probaverit honorandos. Per singulos tamen illos tres dies rogationum litaniarum episcopi vel presbyteri

[a] Alius est hic Ordo ab eo qui in vulgato Ordine Romano assignatur pag. 150.

[b] Observandus hic locus de suffragiis presbyterorum in concilio etiam provinciali.

cum admonitore primum Orationibus se prosternant; sicque collecta a metropolitano Oratione consurgant, et de divinis tantum, ut dictum est, rebus collationem habeant.

In reliquis autem diebus, cunctis astantibus, Oratio colligenda est; et sic consedentes causarum negotia juste et religiose colligant; **396** nullus tamen tumultus aut inter consedentes, aut inter astantes habeatur.

Eodem tamen modo, eodemque ordine ad concilium omnes per singulos dies ingrediantur, quo superius jam præmissum est.

Nam et si præsbyteri reliqui, aut diaconi, clerici, sive laici, de iis quæ foris steterint concilium pro qualibet re crediderint appellandum, ecclesiæ metropolitanæ archidiacono causam suam intiment, et ille concilio denuntiet. Tunc illis et introeundi singillatim et proponendi licentia concedatur. Nullus autem ipsorum a cœtu communi recedat, antequam hora generalis secessionis adveniat.

Concilium quoque nullus solvere habeat, nisi fuerint cuncta determinata; ita ut quæcunque deliberatione communi finiuntur, episcoporum singulorum manibus subscribantur; ita tamen ut ante duos vel tres dies quam solvatur concilium omnes constitutiones a se editas diligenti consideratione retractent, ne in aliquo offendissent.

Item in die quo concilium absolvendum est, canones qui in sancta synodo constituti sunt coram ecclesia in publico relegantur. Quibus explicitis, respondeatur in choro *Amen*. Deinde ad locum redeuntes, ubi in concilio resederint, canones ipsos subscribant. Admonendi quoque a metropolitano sunt de Pascha venturo, quo veniat die. Admonendi etiam sunt quo tempore supervenienti anno ad faciendum concilium veniant. Eligendi etiam de episcopis qui cum metropolitano dies festos Natalis Domini et sanctum Pascha debeant celebrare. Post hæc, dicente archidiacono *Orate*, omnes simul pariter in terra se prosternent, ubi diutissime orantes hanc unus ex majoribus Orationem dicat.

Oratio. — Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus quæ inoffense possit tuæ voluntatis judicia expedire. Et ideo quod imperfectum nostrum viderunt oculi tui, perfectioni deputa, quæsumus, quæ perfecto æquitatis fine concludere peroptamus. Te in nostris principiis occursorem poposcimus; te quoque in hoc fine judiciorum nostrorum excessibus adesse precamur, scilicet ut ignorantiæ parcas, ut et errori indulgeas, et perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris. Et si... nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare, ob hoc te poscimus, te rogamus, **397** *ut si quid offensionis in hac concilii celebritate contraximus, condonare aut remissibile facere digneris, ut in eo quod soluturi sumus, aggregatum concilium, a cunctis primum absolvamur nostrorum noxibus delictorum, qualiter et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna.*

Huic Orationi Oratio *Pater noster* adjungatur; et cunctis adhuc jacentibus hæc Benedictio explicetur: [a] *Christus Dei Filius, qui est initium et finis, complementum vobis tribuat charitatis. Amen. Ut qui vos ad expletionem hujus fecit pervenire concilii, absolutos vos efficiat ab omni congregatione delicti. Amen. Ut ab omni reatu liberiores effecti, absoluti etiam per donum Spiritus sancti, felici reditu vestrarum sedium cubilia repetatis illæsi. Amen. Quod ipse præstare dignetur, cujus regnum et imperium permanet in sæcula sæculorum. Amen.*

In nomine Domini Jesu Christi eamus cum pace omnes.

Illico surgentes pariter residente metropolitano ab ipso primum incipiente officium, osculum sibi invicem pariter dabunt. Sicque data sibi invicem pace conventus concilii dissolvatur.

Oratio secundi diei. — Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus ut bonum quod a nobis a te requiritur exsequamur, scilicet, ut, prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus, ac misericordiam diligentes valeamus studiis tibi placere.

Oratio tertii diei. — Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes unanimiter postulamus, ut, respectu gratiæ tuæ solidati, præcones virtutis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Amen.

CV. *Incipit ordo ad benedicendum imperatorem, quando coronatur.*

Cum [b] rex in imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam, quæ est juxta castellum Crescentii, recipiatur honorifice a clero Urbis cum crucibus et thuribulis, et processionaliter deducatur usque ad gradus basilicæ sancti Petri, cantantibus universis: *Ecce mitto angelum meum*, camerariis ejus missilia **398** spargentibus ante ipsum, et præfecto Urbis gladium præferente. Cum autem pervenerit ante basilicam in platea quæ Cortina vocatur, dextrandus est a senatoribus usque ad gradus prædictos, ubi eo descendente, tradendus est equus cui rex insederat illis. Interim summus pontifex cum omnibus ordinibus suis præparet se in secretario, tanquam celebraturus divina, et processionaliter exiens usque ad suggestum arcæ, quæ est in capite graduum, super faldistorium ibi sedeat consedentibus super gradus a parte dextra episcopis et presbyteris; a sinistra diaconibus cardinalibus, et in proximiori gradu subdiaconis, et acolythis, primicerio et cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus et officialibus, et nobilibus, et ministralibus aulæ papalis

Tunc rex cum archiepiscopis et episcopis principalibus et magnatibus suis ascendens ad summum pontificem, reverenter osculetur pedes ipsius; et offerens ei aurum, quantum sibi placuerit, benigne

[a] Eædem Benedictiones in vulgato Ordine Romano pag. 157.

[b] Hæc multum diversa ab Editis in Ordine Romano, pag. 136, præter quasdam Orationes.

accipiatur ab eo ad osculum et ad amplexum. Quo demum surgente, ipse rex a parte dextra, et prior diaconorum a parte sinistra, deducant eum usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Turribus, ubi ante altare subdiacono evangelicum textum tenente, rex super eum corporaliter præstet hujusmodi juramentum.

« Ego N. rex Romanorum, annuente Domino futurus imperator, promitto, spondeo, et polliceor atque juro Deo et beato Petro, me de cætero protectorem ac defensorem fore summi pontificis et sanctæ Romanæ ecclesiæ in omnibus necessitatibus et utilitatibus suis, custodiendo et conservando possessiones et honores et jura ejus, quantum divino fultus fuero adjutorio, secundum scire et posse meum, recta et pura fide; sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia. »

Deinde summus pontifex cum omnibus ordinibus suis ad altare procedit; et facta ibi Oratione, ad sedem ascendit, rege cum suis et tribus episcopis, videlicet Ostiensi, et Portuensi, et Albanensi, in ecclesia sanctæ Mariæ in Turribus remanente, ubi, a canonicis sancti Petri receptus in fratrem, imperialibus induatur insignibus, dato ipsius pallio camerario domini papæ. Qui, præcedentibus illis canonicis, cantantibus *Petre, amas me*, cum ad ostium basilicæ principis apostolorum pervenerit, quæ porta Argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde comite Lateranensis palatii et primicerio judicum canonico-rum, **399** Albanensis episcopus ante ipsam portam Argenteam hanc super eum Benedictionem infundat.

Oratio. — Deus, in cujus manu sunt corda regum, inclina ad preces humilitatis nostræ aures misericordiæ tuæ, et imperatori nostro famulo N. regimen tuæ appone sapientiæ, ut, haustis de tuo fonte consiliis, et tibi placeat, et super omnia [regna] præcellat. Per.

Cum autem intra ecclesiam in medio rotæ pervenerit, Portuensis episcopus hanc Orationem super ipsum decantet

Oratio. — Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ nostri Abrahæ prælegisti regem sæculis profuturum, tu præsentem regem hunc cum exercitu suo per intercessionem omnium sanctorum uberi Bene † dictione locupleta, et in solium regni firma stabilitate connecte. Visita eum, sicut visitasti Moysen in mari Rubro, Jesum Nave in prœlio, Gedeon in agro, Samuelem in templo; et illa eum Bene † dictione siderea, ac sapientiæ tuæ rore perfunde, quam beatus David in Psalterio, Salomon filius ejus te remunerante percepit de cœlo. Sis ei contra inimicorum acies lorica, in adversis galea, in prosperis patientia, in protectione clypeus sempiternus; et præsta ut gentes illi teneant fidem, proceres sui habeant pacem, diligant charitatem, abstineant se a cupiditate, loquantur justitiam, custodiant veritatem; et ita populus iste pullulet coalitus bene † dictione æternitatis, ut semper maneant tripudiantes in pace victores. Per.

Qui cum ad confessionem beati Petri pervenerit, prosternat se pronus in terram, et prior diaconorum super eum faciat litaniam. Qua finita, episcopus Ostiensis annuntiet; priorque presbyterorum dicat *Pater noster*. Vers. *Et ne nos*. Vers. *Salvum fac regem tuum*. Resp. *Deus meus sperantem in te*. Vers. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis*. Resp. *A facie inimici*. Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo*. Resp. *Et filius iniquitatis*. Vers. *Domine, exaudi Orationem meam*. Resp. *Et clamor meus ad te veniat*. Vers. *Dominus vobiscum*. Resp. *Et cum spiritu tuo*.

Oremus. — Prætende, quæsumus, Domine, famulo tuo dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, et quæ digne postulat assequi mereatur. Per.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut omnis nostra Oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per.

400 Post hæc procedant ad altare sancti Mauritii, ubi Ostiensis episcopus sibi ungat de oleo exorcizato brachium dextrum, et inter scapulas, hanc Orationem dicendo:

Alia Oratio. — Domine Deus omnipotens, cujus est omnis potestas et dignitas, te supplici devotione atque humillima prece deposcimus, ut huic famulo tuo N. prosperum imperatoriæ majestatis concedas effectum: ut in tua dispositione constituto, ad regendam ecclesiam tuam sanctam nihil ei præsentia officiant, futura nihil obsistant; sed, inspirante sancti Spiritus dono, populum sibi subditum æquo justitiæ.... regere valeat, et in omnibus operibus suis te semper timeat, tibique jugiter placere contendat. Per... in unitate ejusdem.

Sequitur Oratio. — Deus Dei Filius Jesus Christus Dominus noster, qui a Patre oleo exsultationis unctus est præ participibus suis, ipse per præsentem sacri unguinis infusionem Spiritus Paracleti super caput tuum infundat Bene † dictionem, eademque usque ad interiora cordis tui penetrare faciat, quatenus hoc visibili ac tractabili dono invisibilia percipere, et temporali regno justis moderationibus exsecuto æternaliter conregnare ei merearis, qui solus sine peccato rex regum vivit cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti. Per.

His itaque peractis, ascendit rex ad altare beati Petri, ubi summus pontifex recipiat eum ad osculum, sicut unum ex diaconibus; ipseque procedat ad pulpitum vel ambonem, ubi thalamus constructus de lignis, et ornatus de palliis, debet ei esse paratus, cum suis archiepiscopis et episcopis, principibus et magistratibus secundum capacitatem loci consistat. Primicerius autem et schola cantorum in choro ante altare decantet Introitum; et post *Kyrie, eleison*, et Hymnum Angelicum decantatum, summus pontifex dicit Orationem quæ competit illi diei, et hanc Orationem pro ipso imperatore.

Oratio. — Deus regnorum omnium et christiani maxime protector imperii, da servo tuo N. imperatori nostro triumphum virtutis tuæ scienter excolere, ut qui tua constitutione est princeps, tuo semper munere sit potens. Per.

Secreta. — Suscipe, Domine, preces et Hostias ec-

clesiæ tuæ pro salute famuli tui N. supplicantis, et protectione fidelium populorum antiquæ brachii tui operare miracula, ut, superatis pacis inimicis, secura tibi serviat christiana libertas. Per.

401 *Post communionem. — Deus, qui ad prædicandum æterni regni Evangelium Romanum imperium præparasti, prætende famulo tuo imperatori nostro N. arma cœlestia, ut pax ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum. Per.*

Cumque lecta fuerit Epistola, et Graduale cantatum, imperator procedit processionaliter ad altare, ubi summus pontifex imponit ei mitram clericalem in capite, ac super mitram imperatorium diadema, dicens ut sequitur: *Accipe signum gloriæ, diadema regni, coronam imperii, in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, ut, spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic justitiam, misericordiam et judicium diligas, et ita juste, misericorditer et pie vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipias, qui cum Patre,* etc.

Deinde sceptrum et pomum aureum tradat ei.

Sciendum est quod peracta communione cum ipso, in impositione diadematis dicere, si forte velit apostolicus, valet Orationes hujusmodi: *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.*

Oratio. — Prospice, quæsumus, Domine omnipotens Deus, serenis obtutibus, hunc gloriosum famulum tuum N., ut sicut benedixisti Abraham, Isaac et Jacob, sic illi largiaris Benedictiones spirituales gratiæ, eumque plenitudine tuæ potentiæ irrigare atque perfundere digneris, ut tribuas ei de rore cœli, et de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini et olei, et omnium frugum opulentiam, et ex largitate divini muneris longæva tempora, ut illo regnante sit sanitas corporis in patria, pax inviolata sit in regno, et dignitas gloriosa regalis palatii maximo splendore regiæ potestatis oculis omnium fulgeat, luce clarissima coruscare atque splendescere, quasi splendidissimi fulgoris maximo perfusa lumine, videatur. Tribue ei, omnipotens Deus, ut sit fortissimus protector patriæ et consolator Ecclesiarum, atque cœnobiorum sanctorum, maxima pietate regalis munificentiæ; atque ut sit fortissimus regum, triumphator hostium, ad opprimendos rebelles et paganas nationes; sitque suis inimicis satis terribilis maxima fortitudine regalis potentiæ; optimatibus quoque atque præcelsis proceribus, ac fidelibus sui regni sit magnificus et amabilis et pius, et ab omnibus timeatur atque diligatur; et post gloriosa tempora atque felicia vitæ præsentis gaudia, in perpetua beatitudine **402** *habitare mereatur. Per.*

Benedic, † Domine, quæsumus, hunc principem nostrum N., quem ad salutem populi nobis a te credimus esse concessum. Fac annis esse multiplicem, salubri corporis robore vigentem post senectutem ad optatam pervenire salutem. Sit nobis fiducia obtinere gratiam populo, quam Aaron in tabernaculo, Eliseus in fluvio, Ezechias in lecto, Zacharias vetulus impetravit in templo; sit nobis regendi auctoritas, qualem Josue suscepit in castris, Gedeon sumpsit in prœliis, Petrus accepit in calice, Paulus est usus in dogmate. Et ita pastorum circa tuum proficiat in ovile, sicut Isaac profecit in fruge, et Jacob est dilatatus in grege; quod ipse præstare dignetur.

Alia Oratio. — Deus Pater æternæ gloriæ sit adjutor tuus, tuus protector, et omnipotens bene † dicat tibi, preces tuas in cunctis exaudiat, et vitam tuam in longitudine dierum adimpleat; thronum regni tui jugiter firmet, et gentem populumque tuum in æternum conservet, et inimicos tuos confusione induat, et super te sanctificatio Christi floreat, ut qui tribuit in terris imperium, ipse in cœlis conferat præmium. Qui vivit.

Interpolata ergo cantilena, coram altari beati Petri præsentatur domino papæ in supereminenti specula residenti. Is itaque tunc ad ipsum altare ascendit, et gladium evaginatum de altari sumit, et ei tradit curam intelligens imperii totius in gladio, sic dicens:

Accipe gladium desuper beati Petri corpore sumptum, per nostras manus, licet indignas, vice tamen et auctoritate beatorum apostolorum consecratas imperialiter tibi concessum, nostræque Benedictionis officio in defensionem sanctæ Dei ecclesiæ divinitus ordinatum ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; et memor esto de quo Psalmista prophetavit, dicens: « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, » ut in hoc vim æquitatis per eumdem exerceas, molem iniquitatis potenter destruas, et sanctam Dei ecclesiam ejusque fideles propugnes ac protegas; nec minus sub fide falsos, quam Christiani nominis hostes execres ac dispergas; viduas ac pupillos clementer adjuves ac defendas; desolata restaures, restaurata conserves; ulciscaris injusta, confirmes bene disposita, quatenus in hoc agendo, virtutum triumpho gloriosus, justitiæ cultor egregius, cum mundi Salvatore, cujus typum geris in nomine, sine fine regnare merearis. Qui cum Deo.

403 His verbis expletis, accingit illi ensem iterans ita dictum: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, et attende quia sancti non in gladio, sed per fidem vicerunt regna.*

Sed sciendum est quod in aliquibus libris primo datur gladius, postea diadema; sed dato gladio ponitur ista rubrica: « Mox autem ut coronandus accinctus ense fuerit, eximit eum de vagina, et viriliter eum vibrat, et vaginæ continuo recommendat. »

Eo igitur sic accincto, et beati Petri milite mirabiliter facto, subsequenter apostolicus de altari diadema sumit, et ponit in capite coronandi, et dicit: *Accipe signum gloriæ, diadema regni, coronam imperii in nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † sancti, ut spreto antiquo hoste, spretisque contagiis vitiorum omnium, sic justitiam, misericordiam et judicium diligas, et ita juste misericorditer et pie vivas, ut ab ipso Domino nostro Jesu Christo in consortio sanctorum æterni regni coronam percipias. Qui cum Patre.*

Illico procedens nuper coronatus osculatur apostolico pedes; quibus gloriosissime gestis, apostolicus ad eminentiam redeat speculæ tribunalis, et imperator ad faldistorium scandit, ei in amplo gradu sub

apostolici dextera præparatum. Qui coronatus incedens, pomum in dextera manu portat, in sinistra sceptrum; et sic ad thalamum redeat, ipsoque ibi cum suis principibus consistente, prior subdiaconorum cum subdiaconis Romanæ curiæ, et capellanis aulæ imperialis ad [a] pectorale dextrum ante crucifixum argenteum laudem imperatori alta voce dicant hoc modo: *Exaudi, Christe.* Scriniarii vero Urbis, sericis cappis induti, ante pectorale consistentes in choro respondeant: *Domino N. invictissimo Romanorum imperatori semper augusto salus et victoria.* Qua laude tertio repetita, prior subdiaconorum cum suis, tribus vicibus dicat *Salvator mundi*, et scriniarii vicissim respondeant *Tu illum adjuva;* deinde iste cum suis duabus vicibus dicat *Sancta Maria;* et illi vicissim respondeant *Tu illum adjuva;* et sic deinceps, *Sancte Michael*, etc., ut supra.

Quibus finitis, isti bis cantant *Kyrie, eleison*, ac deinde simul omnes dicant *Kyrie, eleison.* Post hæc, Evangelio decantato, imperator corona et manto depositis, accedat ad summum pontificem, **404** et offerat ad pedes ejus aurum, quantum sibi placuerit; ipsoque pontifice descendente pro perficiendis Missarum mysteriis ad altare, imperator more subdiaconi offerat calicem et ampullam, et stet ibi, donec pontifex ad sedem reversus communicet; factaque communione, de manu ejus suscipiat cum osculo pacis. Et sic ad thalamum rediens in ambonem, resumat mantum pariter et coronam.

Missa finita, pontificalem Benedictionem reverenter accipiat, et statim præcedat ad locum ubi debet summus pontifex equitare; et cum ipse pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ ejus, et arrepto freno aliquantulum ipsum adextret; moxque suum equum ascendens, procedat juxta summum pontificem usque ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Transpadina; ubi dato sibi osculo adinvicem, non corde, sed corpore separentur.

CVI. *De coronatione reginæ.*

Si vero regina fuerit coronanda, debet super lectorium ex opposito thalamus præparari, ubi cum duabus ad minus puellis, et aliquibus ex principibus imperii, tam ecclesiasticis quam mundanis, resideat.

Item Benedictio reginæ vel imperatricis. Ad ingressum ecclesiæ sic oratur:

Omnipotens sempiterne Deus, fons et origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem nequaquam reprobando avertis, sed dignanter comprobando potius eligis; et quod infirma mundi eligendo fortia quæque confundere decrevisti, quique etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu feminæ olim Judaicæ plebi de hoste sævissimo resignare voluisti; respice, quæsumus, ad preces humilitatis nostræ, et super hanc famulam tuam N., quam supplici devotione in reginam, vel in imperatricem, eligimus, Bene ✝ dictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera potentiæ tuæ semper et ubique circumda; ut et dono tui muneris undique firmiter protecta, visibilis seu invisibilis hostis nequitias triumphaliter expugnare valeat; et una cum Sara et Rebecca, Lia atque Rachele, beatis reverendisque feminis, fructu uteri sui fecundari seu gratulari mereatur ad decorem totius regni vel imperii, statumque sanctæ Dei ecclesiæ regendum, nec non et protegendum. Per Christum Dominum nostrum, qui ex **405** *beatæ et intemeratæ Mariæ virginis alvo nasci, visitare ac renovare hunc dignatus est mundum. Qui tecum vivit et gloriatur Deus in unitate Spiritus sancti, per immortalia sæcula sæculorum.*

Et post coronationem imperatricis deducatur ad altare ante summum pontificem amicta regalibus indumentis; et summus pontifex det super eam hanc Benedictionem, dicens:

Deus, qui solus habes immortalitatem, lucemque habitas inaccessibilem, cujus providentia in sua dispositione non fallitur, qui fecisti ea quæ futura sunt, et vocas ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt; qui superbos æquo moderamine de principatu dejicis, atque humiles dignanter in sublime provehis; ineffabilem misericordiam tuam supplices exoramus, ut sicut Esther, Israeliticæ causa salutis, de captivitatis suæ compede solutam ad regis Assueri thalamum regnique sui consortium transire fecisti, hanc famulam tuam N. humilitatis nostræ Bene ✝ dictione, christianæ plebis salutis gratia, ad dignam sublimemque regis, vel imperatoris, nostri copulam, et regni, vel imperii, sui principium misericorditer transire concedas; et ut imperialis, vel regalis, fœdere conjugii semper permanens pudica, proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo et vero in omnibus, et super omnia jugiter placere desideret, et, te inspirante, quæ tibi placita sunt, toto corde perficiat. Per.

In sacri olei unctione. — Spiritus sancti gratia nostræ humilitatis officio vitæ copiosa descendat, ut sicut manibus nostris, licet indignis, oleo materiali oblita pinguescis exterius, ita ejus invisibili ungimine delibuta impinguari merearis interius; ejusque spirituali unctione perfectissime semper imbuta, et illicita declinare tota mente et spernere discas et valeas, et utilia animæ tuæ cogitare jugiter, optare, atque operari queas et optes, auxiliante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto.

Deinde summus pontifex ei mitram imponat, ita quod cornua mitræ sint a dextris et a sinistris, et super mitram coronam imponat, dicendo:

Officio nostræ indignitatis in reginam, vel imperatricem solemniter benedicta, accipe coronam regalis, vel imperialis excellentiæ, quæ, licet ab indignis, episcopalibus tamen manibus capiti tuo imponitur; unde sicut exterius auro et gemmis redimita enites, ita et interius auro sapientiæ, virtutum gemmis decorari contendas; **406** *hujus sæculi cum prudentibus virginibus sponso perenni Domino Jesu Christo digne et laudabiliter occurrens regina, cœlestis aulæ merearis ingredi januam, auxiliante eodem Domino nostro Jesu Christo,*

[a] Pectoralis nomine hoc loco intelligitur cancellus. Adi Glossarium Cangianum.

qui cum Deo Patre et Spiritu vivit et regnat per infinita sæcula sæculorum.

Coronata vero regina reducatur ad thalamum, et post Evangelium ducatur ad oblationem summo pontifici exhibendam, stetque in gradibus juxta absidam versus altare sancti Leonis, donec de manu summi pontificis post imperatorem sacram coronationem accipiat; et tunc ad thalamum reducta permaneat usque ad finem Missæ.

Consuevit autem imperator larga presbyteria omnibus ordinibus exhibere, quibus ea, cum coronatur, summus pontifex elargitur, videlicet episcopis, presbyteris et diaconibus cardinalibus, primicerio et cantoribus, subdiaconis, basilicariis, et regionariis, et universitati cleri Romani, capellanis et cæteris officialibus, et ministerialibus curiæ, præfecto Urbis, senatoribus, judicibus, advocatis, et scriniariis, ac præfectis navalium.

Consuevit autem rex, quando descendit de Monte Gaudii, et venit ad Ponticellum, præstare hoc juramentum Romanis : « Ego enim N. rex futurus imperator juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia. »

Rubrica quæ inferius ponitur fuit ordinata de mandato domini Clementis papæ V per aliquos cardinales, quibus hoc in consisto io commissum fuit, cum Robertus rex Siciliæ cum sua conjuge peteret unctionem et coronationem apud Avenionem, ubi tunc Romana curia residebat. Nam nihil inveniebatur litteris traditum, qualiter reges et reginæ debent inungi et coronari, eo quod in Pontificali Romano non habetur, nisi de unctione et coronatione imperatoris et imperatricis. Propter quod de prædicto Pontificali hæc rubrica extracta est, additis, detractis, et mutatis quibusdam, quæ ad eadem non competunt aliis regibus quæ observari oportet in unctione et coronatione imperatoris.

407 CVII. *De unctione et coronatione regis rubrica.*

In unctione et coronatione regis potest decenter modus qui sequitur observari. Nam illa quidem videntur servanda, quæ in imperatore servantur, exceptis quibusdam quæ soli imperatori pertinere dinoscuntur.

In primis itaque dominus noster summus pontifex ingressus ecclesiam, ibique paratus vestibus sacris coloris convenientis tempori, nunc scilicet viridibus, ut est moris, cum ordinibus suis ad altare ascendat, et sedeat; et antequam incipiatur Introitus Missæ, rex ingressus ecclesiam, cum ad confessionem beati Petri pervenerit, seu cum pervenerit ante altare, prosternat se pronus in terram, et aliquis subdiaconus domini papæ super eum faciat litaniam, cæteris subdiaconibus et capellanis in ipsa litania respondentibus, ut alias fieri consuevit.

Qua finita, prior presbyterorum cardinalium dicat *Pater noster*, cum aliis Versiculis et Responsoriis, et duabus Orationibus, scilicet, *Prætende, quæsumus,* et *Actiones nostras,* usque *Per Dominum nostrum* secundæ Orationis, prout supra de imperatore. Quibus finitis, rex surgat. Posset etiam quod dictum est de litania Versiculis et Orationibus, fieri per episcopum cardinalem, qui eum inunget juxta aliquod altare ad partem, et ibi prosequatur postmodum officium unctionis, et alia quæ incumbunt; tamen Ordinarium dicit de imperatore quod *Pater noster*, Versiculi et Orationes prædictæ dicuntur per priorem presbyterorum cardinalium.

Post hæc juxta aliquod altare, aliud tamen, si possibile est, ab altari domini papæ, Ostiensis episcopus ungat eum de oleo exorcizato super brachium dextrum, et inter scapulas, et eas, si velit, inungat sibi manus et pectus, et scapulas ambasque compages brachiorum ejus, hanc Orationem dicendo, prout sequitur, *Deus omnipotens*, etc., mutato ubi dicitur *Imperatoriæ dignitatis*, dicatur *Regiæ dignitatis;* et ubi dicatur *Ad regendam Ecclesiam tuam sanctam*, etc., ut sequitur. Item alia Oratio, dicendo *Deus Dei Filius*, usque in finem. Et hinc immediate post regem debet regina inungi.

His itaque peractis, rex pretiosis et regalibus indumentis indutus ascendat ad altare, ubi summus pontifex recipiat eum ad osculum oris et pectoris, sicut unum ex diaconibus cardinalibus, **408** scilicet post primum diaconum cardinalem; ipseque rex procedat ad pulpitum seu ambonem, ubi thalamus constructus est, ut supra in rubrica imperatoris continetur. Omnia prædicta fiant ante Introitum. Cantato Introitu, post *Kyrie, eleison* et Hymnum Angelicum decantatum, summus pontifex dicit Orationem cum cantu, quæ competit ipsi diei, et hanc Orationem in eodem throno pro rege. *Deus omnium regnorum protector, da servo tuo N. regi nostro*, etc., ut sequitur. Removetur enim de Oratione *Et christiani imperii*, et verbum *Imperatori;* et ubi dicit *Est princeps*, dicatur *Est rex*, in Secreta. Oratio *Suscipe, Domine*, sicut jacet, ut supra; post communionem vero loco Orationis *Deus, qui ad prædicandum*, ut supra, dicatur Oratio quæ sequitur : *Omnipotens sempiterne Deus, prætende famulo tuo N. regi nostro arma cœlestia, ut pax ecclesiæ nulla turbetur tempestate bellorum. Per Dominum*, etc.

Cumque lecta fuerit Epistola et Graduale cantatum, rex procedat processionaliter ad altare, super quo debet summus pontifex Missarum solemnia celebrare; ipseque rex præsentatur coram altari domino papæ in supereminenti specula residente. His gestis, ad altare accedat dominus papa, et gladium evaginatum de vagina sumit, et regi tradit, dicens *Accipe gladium*, etc., usque ad finem; hoc salvo, quod ubi dicitur *Desuper corpore beati Petri sumptum*, vel omittatur, vel dicatur *De sacro altari sumptum;* et etiam ubi dicitur *Imperialiter*, dicatur *Regaliter*. His verbis completis, accingit illi ensem, iterans jam dictum, *Accingere*, etc., usque in finem. Mox autem ut coronandus accinctus ense fuerit, rex extrahit cum de vagina, viriliterque illum vi-

brat ter, et vaginæ continuo recommendat. Eo igitur sic accincto, et beati Petri milite mirabiliter facto, subsequenter apostolicus de altari diadema sumit, et ponit in capite regis coronandi, et ait *Accipe signum*, etc., usque in finem, ut supra; sed ubi dicit *Coronam imperii*, potest omitti. Rex autem debet esse genuflexus, cum sibi imponitur diadema, vel in impositione diadematis genuflectat.

Deinde sceptrum et pomum tradit ei aureum. Qui rex debet esse genuflexus, vel in receptione ipsorum genuflectat.

Sciendum est quod in impositione diadematis dicere, si velit apostolicus, valet hujusmodi Orationes: *Dominus vobiscum, Et cum spiritu tuo.* Oratio *Prospice, quæsumus, Domine*, etc., ut supra; 409 sed ubi dicitur *Sit fortissimus regum*, dicatur *Fortissimus rex;* et ubi dicitur *Ad opprimendum rebelles et paganas nationes*, omittatur.

Benedictio [a] *regis, quam facit apostolicus.*

Benedic, Domine, etc., usque in finem, ut supra; sed ubi dicitur *Hunc principem nostrum*, dicatur *Hunc regem nostrum*. Alia Oratio *Deus pater*, etc., ut supra; sed ubi dicitur *Ut qui tribuit in terris imperium*, dicatur *Ut qui tribuit in terris regnum*. Illico his peractis, procedens rex osculetur apostolico pedes, qui ipsum ad osculum recipiat; etiam ab omnibus diaconibus ad osculum recipiatur, et postmodum ab episcopis cardinalibus, et consequenter a presbyteris cardinalibus.

Quibus gloriosissime gestis, apostolicus ad eminentiam redeat speculæ tribunalis, et rex ad faldistorium scandit, ei sub apostolica dextra præparatum, ibique moram trahit aliquantulum.

Et est attendendum quod rex coronatus pomum in dextera portat, et in sinistra sceptrum. Demum ante inchoatum *Alleluia* et Versum, rex ad thalamum suum redeat, qui est in pulpito vel ambone constitutus; ipsoque rege cum suis magnatibus et nobilibus consistente, regina ad altare per manus summi pontificis coronetur, ut infra ponitur. Deinde cantatur *Alleluia*, et repetitur *Alleluia;* et Evangelium per diaconum cardinalem.

Post hæc dicto *Credo in unum Deum*, dum dicitur Offertorium, et dominus papa more solito manus lavat, rex de thalamo suo venit ad altare; ipsoque pontifice descendente pro perficiendis Missarum mysteriis ad altare, rex, deposita corona, sceptro, et pomo aureo, ponat se in ordine diaconorum cardinalium, ita quod diaconus qui cantavit Evangelium, sit medius recte post papam, rex vero a dextris ipsius diaconi. Et ne ordo diaconorum solitus confundatur, antiquior diaconorum aliorum sit ad dextram regis, rex secundus; post eum antiquior sit ad sinistram diaconi qui cantavit Evangelium; et sic deinceps secundum antiquitatem sint ad dextram vel ad sinistram 410 more solito, donec diaconorum numerus sit completus; ibique stet rex inter diaconos, donec pontifex ad sedem reversus communicet, et diaconus qui cantavit Evangelium, et subdiaconus qui cantavit Epistolam, communicaverint de manu domini papæ, ac pretiosum sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumpserint in altari, ut est moris. Et tunc sacram communionem rex genuflexus de manu papæ sedentis, et mitram tenentis in capite, suscipiat cum osculo pacis: ante tamen osculetur pontificis manum, et tunc reverenter Hostiam sumat; reversusque ad altare idem rex sacratissimum sanguinem Domini nostri Jesu Christi sumat de calice per ministerium diaconi cum calamo. Quibus expletis, ad thalamum rediens, resumat coronam, sceptrum et pomum.

Missa vero finita, pontificalem Benedictionem reverenter accipiat, communiter in Missis papalibus consuetam; statimque præcedat ad locum, ubi debet summus pontifex equitare, ut cum ipse pontifex equum ascendit, teneat stapedum sellæ ejus, habens coronam in capite; et arrepto freno aliquantulum ipsum adextret. Moxque suum equum ascendens, præcedat usque ad locum ubi summus pontifex in palatio suo de equo descendet; ibique similiter aliquantulum de equo descendat, et, ut prius, arrepto freno aliquantulum ipsum adextret, teneat, stapedum sellæ ejus, cum dominus papa de equo descendit. Rex autem ascendens equum suum regalibus indumentis indutus, coronam gestans in capite, pomum aureum in manu dextra, et sceptrum regium in sinistra (nisi forte ratione consuetudinis aliud debet observari, scilicet quod pomum in sinistra, et sceptrum in dextra portaretur), ad domum suam revertatur, si sit insignis, vel ad locum, ubi debet convivium exhibere. Equus autem regis debet esse faleratus.

CVIII. *De inunctione reginæ.*

Rege itaque inuncto et ad suum thalamum reverso, ut superius est expressum, inungatur etiam regina ante Introitum e vestigio oleo exorcizato, per episcopum Ostiensem juxta idem altare juxta quod rex fuit inunctus, vel in pectore, vel secundum quod alias in regina Maria matre regis Roberti extitit observatum, dicta prius, non ad ingressum ecclesiæ, sed juxta altare, ubi unctio ista fiet, per episcopum Ostiensem, vel 411 omissa, ut volet, illa Oratione: *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., ut supra; et si dicatur, omisso verbo, *Vel imperatrice;* et omisso *Vel imperii;* et ubi dicitur, *Statumque Romanæ Ecclesiæ regendum, nec non et protegendum*, dicatur solummodo *Statumque sanctæ Ecclesiæ defendendum.* In ipsa vero sacri olei unctione reginæ dicatur Oratio *Spiritus sancti gratia*, ut supra, usque in finem. Qua unctione finita, ipsa regina procedat ad pulpi-

[a] In Diario Alexandri VI per Joannem Brucciardum fusius describitur coronatio Alfonsi Neapolitani regis, per Joannem tit. sanctæ Susannæ presbyterum cardinalem ac legatum, facta Neapoli anno 1494. Missæ interfuit orator Turcici imperatoris usque ad Præfationem Missæ. Qua incœpta, mandato regis, suggerente magistro cæremoniarum, recessit ab ecclesia prædictus orator.

tum, ubi pro ipsa est thalamus præparatus, cum duabus dominabus vel puellis ad minus sui regni, tam ecclesiasticis quam mundanis.

CIX. *De coronatione reginæ.*

Rege itaque coronato et ad thalamum suum reverso, ut est superius expressum, immediate regina juxta altare per summum pontificem coronatur, amicta regalibus indumentis, nihil velaminis tenens in capite, sed expansis crinibus et solutis, et dicta vel omissa per summum pontificem illa Oratione, *Deus, qui solus*, etc., ut supra, et si dicatur, dicatur omisso illo verbo, *Vel imperatoris*, et omisso *Vel imperii*, et omisso *Imperalis;* idem summus pontifex capiti reginæ coronam imponat, dicendo *Officio nostræ indignitatis*, etc., usque in finem, ut supra, omisso verbo *Vel imperatoriæ, vel imperialis.* Quibus dictis, regina pedes domini papæ osculatur. Regina autem debet esse genuflexa, cum corona capiti suo imponitur, vel cum imponitur corona, genu flectat. Coronata vero regina reducatur ad thalamum suum.

CX. *De communione Eucharistiæ, quam regina recipit de manu Papæ.*

Coronatis itaque rege et regina, *Alleluia*, vers. et repetito *Alleluia* per chorum; Evangelium vero per cardinalem diaconum decantetur. Dicto Evangelio, *Credo in unum Deum*, offertorium; post communionem papæ, et postquam rex communicaverit, et sacrum sanguinem Domini nostri Jesu Christi susceperit, regina genuflexa de manu Romani pontificis sedentis, et mitram tenentis in capite, consecratam Hostiam reverenter sumat, et ad suum thalamum revertitur; et post finem Missæ, recepta Benedictione a papa communiter in Missis papalibus fieri consueta, regalibus indumentis amicta, **412** nihil, ut supra dictum est, velaminis tenens in capite, sed expansis crinibus et solutis, coronam gestans in capite, sedens in equo cum sua comitiva, regem præcedat, et rex sequatur ornatus regalibus, ut superius est expressum.

CXI. *De canonizatione* [a] *unius sancti.*

Ipsa die canonizationis mane, descendente papa ad ecclesiam, occurrat processio; post quam recipit dominus papa cardinales et prælatos, ut moris est, ad reverentiam in medio ecclesiæ, et facit *Sit nomen Domini benedictum.* Accipit pulpitum cum cardinalibus tantum, et ibi parantur cardinales albis, prælati pariter; et stant inferius in navi ecclesiæ a lateribus. Dominus papa habens mitram, et manto indutus stans vel sedens prædicat. Finita prædicatione, prædicit se oraturum; hortatur ut orent. Incipit *Veni Creator* cum nota, et genu flectit, et post statim surgit; cæteri prosequuntur, si placebit. Diaconus a dextris dicet *Flectamus genua*, et dominus papa et cæteri basse et secrete orabunt; et post morulam diaconus, qui est a sinistris, dicet *Levate;* et dominus papa et omnes surgent. Dominus papa stans cum mitra definit sanctorum catalogo ascribendum, et tanquam sanctum ob omnibus venerandum; ipsumque sanctorum catalogo ascribit, statuens ut ab universali Ecclesia in die obitus sui festum ejus, sicut pro uno confessore pontifice, devote et solemniter celebretur. Insuper accedentibus annis singulis ad sepulcrum ipsius in die obitus sui unum annum seu quadraginta dies de injuncta pœnitentia misericorditer relaxat. Incipit sine mitra *Te Deum laudamus*, cantando, quod cæteri prosequuntur. Diaconus a sinistris dicit *Ora pro nobis*, etc., *alleluia;* cæteri respondent *Ut digni*, etc., *alleluia.* Dominus papa dicit *Dominus vobiscum*, respondetur *Et cum spiritu tuo. Oremus*, et dicit Orationem, finiendo ipsam, *Per Christum Dominum nostrum*, *amen.* Tunc diaconus qui est a sinistris dicit *Confiteor*, etc., ut moris est, et faciat mentionem de beato N. confessore in suis locis. Finita confessione, dat dominus papa indulgentiam gratiosam more consueto. Data indulgentia, dominus papa, mitra deposita, facit absolutionem more consueto, *Precibus et meritis*, etc., faciendo mentionem suo loco de beato N. confessore, *Indulgentiam*, etc. Ultimo annuntiat se celebraturum de more consueto; **413** in loco ordinato recipiet paramenta, et, Deo dante Missam solemniter celebrabit. Forma pronuntiandi seriose erit talis.

« Ad honorem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, et exaltationem fidei et christianæ religionis augmentum, auctoritate ipsius omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, beatorum Petri et Pauli et nostra, de fratrum nostrorum consilio decernimus et definimus bonæ memoriæ N. quondam episcopum...... sanctorum catalogo ascribendum, et tanquam sanctum esse ab omnibus venerandum; ipsumque dictorum sanctorum catalogo ascribimus, statuentes ut ab universali Ecclesia in die obitus sui, videlicet...., festum ipsius et officium sicut pro uno confessore pontifice devote et solemniter celebretur. Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis ad sepulcrum ejusdem in die obitus sui devote accesserint, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis infra Octavas dicti festi ad sepulcrum ipsius quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. »

CXII. *Quando papa audit Missam in diebus festivis.*

Veniens vadit ante altare, deponit mitram, sacerdos a sinistris, et sacerdos incipit *Introibo;* et papæ post *Confiteor*, facta confessione, diaconus reponit mitram. Stans in loco sedis papa dicit Introitum cum omnibus cardinalibus, et *Kyrie, eleison;* et interim reponit incensum, episcopo vel presbytero ministrante. Post sedet, et recipit sacerdos incensum ab acolytho, et cum incensaverit altare, defert acolythus thuribulum, et episcopus vel sacerdos cardinalis, qui ministrat, incensat tantum papam genuflexus, si papa sedet; et nullus alius incensatur. Tunc mitra non deponitur papæ in diebus festivis, nisi in *Confiteor* ante altare, et cum dicitur Evangelium, usquequo dictum fuerit *Credo*, et librum

[a] Alius ritus fusius assignatur infra in cap. 115.

fuerit osculatum; et postquam descendit in elevatione corporis Christi, et tunc reponit, cum redit ad sedem, et tenens mitram; cum sacerdos dicit alta voce secundum *Per omnia sæcula sæculorum*, et stat capite detecto, usquequo sacerdos incipit recipere vinum perfusionis; et post in fine Missæ, cum deberet dicere *Sit nomen Domini benedictum*, deponit mitram; et tunc dicto *Sit nomen*, *et Bened.*, reponitur mitra.

414 Dicta Epistola, subdiaconus osculatur pedem papæ, et non ante. Dicente subdiacono Epistolam, associat eum acolythus, stans a sinistris subdiaconi. Cum dicitur Vers. *Alleluia*, papa ponit in thuribulo incensum, ministrante episcopo ut prius, nec inincensatur papa, sed Evangelium tantum. Dicto Evangelio, subdiaconus portat Evangelium, et offert papæ; et papa osculatur Evangelium dictum; demum incensatur papa tantum ab episcopo et presbytero cardinali, ut prius in principio Missæ. Post hæc cum dicitur Offertorium, interim portat acolythus naviculam a sinistris, thuribulum a dextris, et episcopus vel sacerdos, ut prius, offert naviculam cum cochleari; et papa ponit incensum in thuribulo; nec incensatur, sed sacerdos incensat altare, et acolythus incensat presbyterum; deinde, ut prius, papa incensatur ab episcopo vel presbytero cardinalibus. Acolythus deinde incensat omnes hoc ordine: primo episcopum vel sacerdotem ministrantem, deinde duos diaconos, demum episcopos et presbyteros cardinales, deinde diaconos, demum cancellarios, deinde archiepiscopos et alios prælatos, deinde capellanos, deinde thuribularios, demum ostiarios, deinde alios qui sunt in Missa. Et sic papa ter ponit incensum, et ter incensatur; post Introitum, post Evangelium, et cum dicitur Offertorium incensatur; et ter ponit incensum in thuribulo, in Introitu, ad Evangelium, et cum dicitur Offertorium; sed in Introitu primo altare et sacerdos, in Offertorio papa, sed post Evangelium tantum papa

CXIII. *De Missis quæ dicuntur coram papa tempore feriæ.*

In Quadragesima in ferialibus papa ad primas Orationes Missæ, et statim dicto cum cardinalibus *Sanctus* usque ad postcommunionem, et in ultimis Orationibus, descendat de sede, et incumbit super faldistorium cum mitra, quam deponit, cum sacerdos incipit facere crucem super oblata; et resumit post sanctam elevationem sanguinis; et tunc incumbit faldistorio, et in secundo *Per omnia* diaconus sibi deponit usque ad vinum perfusionis; et recepta pace, stando juxta faldistorium, a presbytero, et data diaconis servientibus, incumbit faldistorio. Diaconus eam dat primis aliorum cardinalium, et episcoporum et diaconorum; et in ultimis Orationibus cum mitra incumbit faldistorio, nec surgit, licet aliqui dicant quod sic, **415** sed primum est honestius; et cum dicit, *Humiliate*, etc., deponit mitram, incumbit faldistorio sine mitra, et in fine revertitur ad sedem cum mitra. Et mitra est alba sine fregio. Et sic semper in Adventu, etiam diebus Dominicis, et in Quadragesima, tamen nisi sit festum, præter Dominicam de *Gaudete* et *Lætare, Jerusalem.* Dominicis vero diebus in Quadragesima servat modum consuetum alias, nec incumbit super faldistorium

Si dicitur *Flectamus genua* in feriali officio, papa cum mitra flectit, in *Levate* surgit, et iterum incœpta Oratione incumbit super faldistorium cum mitra. Et iste modus servatur quandocunque hoc fit cum Missam audit.

Si sit festum in Quadragesima, in Missa festi [habet mitram] cum aurifrigio, in Missa vero feriæ eadem die alba mitra. Post Missam resumit mitram cum aurifrigio, et in Vesperis festi cum mitra frigiata.

Si non sit aliquis cardinalis episcopus vel sacerdos, diaconus assistens in Missa papæ facit de incenso et aliis, sicut episcopus vel sacerdos faceret, si interesset.

Si dicatur Missa vigiliæ, servat eumdem modum et in genuflectendo, et mitra, et aliis, sicut in feria.

In Quadragesima, ad Tractum, cum dicitur *Adjuva nos Deus salutaris*, cum papa audit Missam, descendit ad faldistorium, et diaconus deponit sibi mitram, et ipse faldistorio incumbit; et statim dicto usque ad partem illam, *Salutaris noster*, inclusive, resumit mitram diacono ministrante, et ad sedem revertitur, etiam cum celebrat in Quadragesima, et idem Tractus fuerit dicendus.

In feriali officio idem omni tempore observatur quod supra dictum est in Quadragesima et in vigiliis; idem etiam omni tempore, quoad genuflexionem et alia.

Cum dicitur *Ite, Missa est*, diaconus vertit se ad populum, quousque totum dixerit, alias inspicientibus diaconus altare in [a] sancto Paulo, et in locis similibus. Ad *Benedicamus Domino* semper diaconus inspicit altare; et ibi, et alibi. Papa in sancto Paulo et similibus cum incipit *Gloria*, vertit se ad tribunam; cum dicit *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, inspicit populum, stans in sede versus altare; sed cum dicit *Oremus*, et Orationes, et cum incipit *Credo*, inspicit tribunam, sed prosequitur *Credo*, **416** legendo versus altare cum aliis. Cum dicit *Sit nomen*, semper incipit a medio altaris versus altare.

Diaconi vero sic se habent in inspiciendo populum vel altare, sicut papa celebrans in sancto Paulo et consimilibus. In ultimis Orationibus post Missam, cum dicit papa stans ad altare, *Dominus vobiscum*, vertit se ad populum, et diaconi; sed diaconus qui cantavit Evangelium, facie versa ad papam, parat sibi paramenta in primo dicere. Cum dicitur *Confiteor*, diaconus a sinistris, et diaconus a dextris, interim parat fanonem et alia papæ. Si sit aliquod festum speciale, de quo Missa celebretur, fit memoria in *Confiteor*, hoc modo: *Sanctis apostolis Petro et Paulo*,

[a] Nempe quia papa celebrans in his locis, habet faciem conversam ad populum, renes ad tribunam seu apsidem, in qua est chorus sacerdotum.

et beato Georgio martyri. Item sic : *Sanctis apostolis Petro et Paulo, et Jacobo.* Item sic : *Sanctis apostolis Petro et Paulo, Joanni evangelistæ*, licet aliqui dixerint *Beato Joanni baptistæ et evangelistæ*, vel sic : *Sanctis apostolis Petro et Paulo et Joanni evangelistæ.* Sed primus modus magis placet, et est magis rationabilis. In ecclesia sancti Laurentii extra muros, si sit ibi festum, item : *Sanctis apostolis Petro et Paulo, et beatis martyribus Stephano et Laurentio*, licet aliquis sic denominaverit Stephanum, sed male.... *nobiscum*, non alio, *Dominus vobiscum*, quod dicitur in ultima Oratione. Nam tunc debet diaconus esse paratus dicere vel *Ite, Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, prout tempus requirit.

De vacante sede.

Vacante sede apostolica, sedent episcopi a dextris, post ipsos presbyteri; a sinistris vero diaconi cardinales, omnes suo ordine, gradu et loco, sicut faciebant papa præsente; hoc tamen salvo, quod interdum non dimittitur locus medius inter episcopos et diaconos; et tunc etiam episcopi sedent a dextris, ut dictum est, et presbyteri post eos; a sinistris vero, juxta tamen episcopos, immediate sedet prior diaconorum, et alii post priorem.

Est tamen differentia in hoc, quod, papa vivente, in conciliis relatio et orde votorum prædictus [servatur] quantum ad episcopos, vel presbyteros; ad diaconos vero mutatur. Nam prima vox est post presbyteros primi diaconi, et sic descendendo venitur ad juniorem diaconum, cujus vox est ultima sede vacante.

Item ordo et modus servatur inter diaconum esse, papa vivente, cum dicat diaconus concilia auxiliaria, ubi agitur de **417** ordinatione cardinalis, vel de aliquo legato cardinali mittendo, vel si aliquod aliud concilium auxiliare papa peteret.

Si quis cardinalis tarde veniat, aliis cardinalibus sedentibus, vel in consistorio, vel alibi, papa præsente, omnes qui sedent in eadem banca, ubi sessurus est, veniens, facta papæ per venientem reverentia, surgunt, et cum ipso post sedent; post, si quis cardinalis surgat missus vel alias, ac revertatur, tantum sibi assurgunt duo in ordine venientis proximi.

Idem servatur sede vacante. Dum sedent in consistorio cardinales, tenent bireta; in collationibus bireta deponunt, et sunt sine bireto dum conferunt, sive cum papa, sive inter se; et uterque conferentium, si ad invicem conferunt vel disputent, est sine bireto. Sede tamen vacante, incipiens conferre biretum deponit, sed statim alii non patiuntur, et tunc conferens biretum reponit.

Nullus debet consulentem interrumpere, nisi papa, si vult; et statim consulens suum biretum deponit; sed cum resumit suum consilium conferens, reponit sibi biretum.

Papa vero conferens et definiens mitram tenet; sed ipso definiente primo, dum præambula dicit cardinales tenent bireta. Cum vero definit in consistorio deponunt bireta; cum confert cum aliquo, tunc ille est sine bireto.

CXIV. *De Missis defunctorum, quæ celebrantur coram papa rubrica.*

Notandum quod papa non consuevit celebrare solemniter Missam pro defuncto, quantumcunque rege magno; sed facere celebrari solemniter, et prædicari coram eo per unum episcopum, vel presbyterum cardinalem, vocatis omnibus cardinalibus; et tunc cum cardinalis celebrat pro defuncto, papa, assistentibus sibi duobus antiquioribus diaconibus cardinalibus tunc, et etiam in tota Missa, cum illo qui celebrat, more solito facit confessionem ante Introitum Missæ. Qua confessione facta, cardinales et prælati illa die non veniunt ad reverentiam papæ, pro eo quod non portat pluviale ibi indutum, sed cappam de scarleto, vel mitram albam planam sine perlis et aurifrigis, secundum quod magis ei placebit. Notandum quod ad omnes Orationes Missæ, **418** si celebretur extra tempus paschale, vel extra Octavas festorum quæ habent Octavas, papa debet genuflectere ante altare, ubi est cathedra cum scabello parata, mitram tenendo in capite. Epistola et Evangelium non debent legi in ambono seu in pulpito, sed in ipso presbyterio prope altare; dictoque Evangelio, non portatur liber papæ ad osculandum. Postquam vero post Offertorium ille qui celebrat thurificaverit altare, papa solus per priorem presbyterorum cardinalium in Missa ei assistentem thurificatur, et nullus alius.

Notandum est etiam quod immediate papa, postquam dixerit *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc., descendit de sede sua, et vadit ad cathedram coram altari, ubi genuflexus moratur, quousque celebrans incipit *Per omnia sæcula sæculorum*, ante *Agnus Dei*; et tunc papa ingreditur ad sedem suam, et stat ibi pedes, quousque celebrans dicit *Pax Domini*, etc. Et tunc deponitur sibi mitra, et stat capite discooperto, donec ipse celebrans corpus et sanguinem Domini sumpserit. Post *Pater noster* non dicitur Psalmus *Lætatus sum*, nec Orationes pro pace fiunt. Item ille qui celebrat, postquam dixerit *Agnus Dei*, non debet dicere illam Orationem, *Domine Jesu Christe, qui dixisti*, etc., nec osculari tunc altare, quia pax non datur. Item non debet dici *Sit nomen Domini benedictum*, post Missam, nec dari indulgentia.

Sermo qui fit pro defuncto coram papa, immediate fit post Missam. Et sciendum quod ille qui facit sermonem genuflectendo coram papa inclinatus petit Benedictionem. Finita vero Missa, et finito sermone immediate sine *Benedicamus*, quod non dicit *Sit nomen*, etc., papa recedit intus cameram suam. Orationes et absolutiones, et cantus soliti pro defuncto fieri, post Missam non fiunt; cætera sicut in aliis Missis fiunt per illum qui celebrat coram papa, et per papam et papæ.

CXV. *Modus qui servari consuevit circa canonizationem alicujus sancti, rubrica.*

Audita per dominum nostrum papam fama alicujus sancti, et ab aliquibus honestis et authenticis personis eidem domino nostro papæ negotio denunciato, ac supplicato eidem continuatis vicibus ac pluries

instanter pro canonizatione hujusmodi sancti facienda dominus noster papa consuevit hoc **419** proponere inter fratres, scilicet cardinales, et de ipsorum consilio committit aliquibus episcopis patriæ illius qui dicitur sanctus, vel aliis personis authenticis, honestis, discretis, et incorruptibilibus, ut inquirant de fama et devotione populi, quam habent ad illum qui dicitur sanctus, et de miraculis et aliis quæ eidem domino nostro papæ sunt nuntiata, et illi quibus commissum fuerit debent inquirere et referre de fama et devotione populi, et aliis quæ super miraculis illius qui dicitur sanctus invenerint in genere, et non in specie, et quoad famam, non quoad veritatem; et an videatur eis quod super veritate et specie sit inquisitio committenda. Et si rescribant talia propter quæ inquisitio veritatis committi debeat, dominus noster papa requirit iterum consilia cardinalium, et de ipsorum consilio definit in consistorio, utrum secundum relata sit inquisitio prædicta super veritate committenda, vel non; et si committenda videatur, iterum scribit dominus papa eisdem, vel aliis de quibus sibi videbitur, quod veritatem de prædictis inquirant, videlicet de fide et excellentia vitæ et miraculis ac operatione miraculorum illius qui petit canonizari, exacte, diligenter, fideliter et prudenter secundum articulos et interrogatoria quæ sub bulla sua transmittit eisdem et aliis; et illi quibus committitur, facta hujusmodi inquisitione, eam remittere debent dicto domino papæ sub sigillis suis fideliter interclusam.

Qua inquisitione sic remissa, dominus papa consuevit ipsius inquisitionis examinationem committere in curia aliquibus capellanis suis, vel aliis personis authenticis et d screcis, et in talibus expertis, quæ ordinent et forment rubricas super inquisitione prædicta; et ipsis rubricis cum exacta diligentia ordinatis et formatis, committitur per dominum papam examinatio ipsarum rubricarum et totius inquisitionis tribus dominis cardinalibus, videlicet uni episcopo, alii presbytero, et alteri diacono.

Qui domini cardinales, visis per eos et diligenter examinatis contentis in commissionibus, rubricis et inquisitione prædictis, debent referre in consistorio domino papæ plene in genere omnia supradicta, et quæ invenerint in eisdem, hoc excepto, quod super vita et miraculis et depositionibus testium super ipsis productorum nihil tunc in speciem referunt; sed postea in consistorio in præsentia domini papæ, et **420** aliorum dominorum cardinalium singulariter et singillatim leguntur depositiones testium super vita et miraculis productorum. Primo enim leguntur depositiones testium super vita productorum. Lectis et diligenter auditis per dominum papam et cardinales, antequam ad aliud procedatur, dominus papa de consilio cardinalium determinat, utrum vitæ excellentia illius de quo agitur sit plene probata, vel non; et ipsa determinatione facta, proceditur modo prædicto ad lecturam miraculorum, et depositionum testium super ipsis miraculis productorum.

Notandum tamen quod lecta in consistorio depositione cujuslibet testis super quolibet articulo, vel saltem testium melius probantium, dominus papa de consilio cardinalium definit utrum illi testes plene probent articulum de quo agitur, vel non vel utrum... et hæc scribi debent ibidem per unum de dominis cardinalibus, de quo domino papæ placuerit.

Quibus omnibus factis, et diligenter per dominum papam et cardinales examinatis, dominus papa debet inquirere consilia ipsorum cardinalium, et petere ab eis an videantur probata talia, propter quæ sit canonizatio merito facienda, et si facienda videatur, dominus papa ibidem in consistorio secrete inter cardinales definit ipsam canonizationem esse faciendam. Postea vero definitione hujusmodi facta per dominum papam, debent vocari omnes prælati, qui tunc in curia sunt præsentes; et dominus papa narrat eis publice in consistorio ea quæ facta sunt, et probata secreta defin tione præd cta jam facta suppressa; et requirit consilia eorumdem prælatorum

Deinde assignatur per Dominum papam certa dies ad aliquem locum aptum ad hoc, ubi convenire habeant idem dominus noster papa, et cardinales, et alii prælati de curia, ac clerus et populus; et interim extra consistorium deputantur per dominum papam octo vel septem prælati ad minus, de quibus eidem domino nostro papæ videbitur faciendum, qui dicta die assignata habeant publice prædicare. Habet etiam idem dominus noster papa ordinare gradus inter ipsos prælatos, qui prædicare habebunt, ut videlicet, talis primo prædicet, et talis secundo, et sic de aliis. Consuevit enim dicta dies assignari per unum mensem ante, vel per tres septimanas ad minus, ad finem quod prædicti prælati diligenter collationes suas **421** potuerint studuisse, quas ipsa die assignata succincte et breviter in publico facere habebunt. Conclusiones vero dictarum collationum debent esse tales videlicet quod ostendant per rationes quod dicta canonizatio est merito facienda, et supplicent dicto domino nostro papæ ut facere dignetur eamdem.

Facta autem prædicta definitione secreta per dominum papam, et prælatis vocatis, ac die certa ad faciendum collationes ipsis prælatis, ut præmittitur, assignata, dominus papa interim in consistorio consuevit secrete committere duobus dominis cardinalibus, potissime religiosis, qui noverint in sacra pagina, ut unus ipsorum legendam seu lectiones ordinet super vitam illius sancti, et aliqua de miraculis probatis in ipsis lectionibus recitando; alius vero ordinet Responsoria et Antiphonas, ac Orationem, ut ipsi ordinati dicti duo domini card nales omnia legere debeant in consistorio temporibus opportunis.

Pervento itaque ad dictam diem assignatam, mane hora consistorii conveniant ad locum ordinatum, dominus papa more consistoriali, videlicet cum manto seu pluviali rubeo et mitra aurifrigiata cum perlis, et omnes cardinales et prælati cum omnibus vestimentis, videlicet cum cappis laneis; et etiam

clerus et populus ibi conveniant. Dictus vero dominus noster papa veniendo ad dictum locum, associatur per cardinales tunc præsentes, duobus diaconibus cardinalibus sibi a dextris et a sinistris, ut est moris, assistentibus; et in dicto loco debet esse faldistorium seu cathedra cum scabello parata, in qua dictus dominus papa sedere possit. Residente vero ipso in dicta cathedra, fit ei reverentia solita per solos dominos cardinales. Qua reverentia facta, sedeat suo ordine more consistoriali. Domini cardinales et duo diaconi cardinales papæ assistant, ut superius est jam dictum; prælati vero alii stent ex opposito domini papæ a dextris et a sinistris, prout locus patietur.

Quibus residentibus, surgere habet procurator hujusmodi negotii existens ex opposito dicti domini papæ; et assumpta sibi aliquali auctoritate, narrare debet aliqua de hujusmodi negotio, et supplicare ipsi domino nostro, ut sanctitas sua audire dignetur aliquos prælatos qui super prædictis prædicare intendunt; et nihilominus quod placeat sanctitati suæ definire illum **422** de quo agitur esse sanctum, et sanctorum catalogo ascribendum, et tanquam sanctum esse a fidelibus venerandum; ac festum ejus anno quolibet perpetuo certa die, de qua ipsi domino nostro papæ videbitur, celebrandum. Et hujusmodi supplicatione per dictum procuratorem facta, surgat ille prælatus qui primo prædicare seu collationem suam facere debet juxta ordinationem jam dictam; et incipiat collationem suam, et eam prosequatur succincte et breviter. Qua finita, surgat secundus, et faciat similiter, et sic de aliis.

Finitis vero omnibus collationibus supradictis, dominus noster papa surgit, et diaconus cardinalis qui assistit ei a sinistris, dicit more solito *Confiteor*. Quo dicto, datur indulgentia per dominum nostrum papam de uno vel duobus annis, et totidem quadragenis, vel plus, prout domino papæ placuerit. Qua indulgentia data, dominus papa, deposita sibi mitra, facit absolutionem, et dat Benedictionem; deinde pronuntiatur dicta indulgentia per unum de dominis cardinalibus; et ipsis expletis, revertitur ad cameram suam.

Post hæc vero in consistorio ordinatur certa dies ad aliquam certam ecclesiam, in qua convenire habeant dominus papa, cardinales, et prælati, alii de curia, ac clerus et populus pro solemnitate canonizationis hujusmodi facienda. Qua quidem die adveniente, sternatur tapetis ecclesia, et paretur, et illuminentur in ea cerei multi; et mane descendente dicto domino nostro papa ad eamdem ecclesiam, occurrit ei Processio cleri illius ecclesiæ. Cum autem est in ecclesia, orat aliquantulum ante altare; deinde ascendit sedem suam in medio ecclesiæ paratam, et ibi recipit cardinales et alios prælatos more solito ad reverentiam; et ipsa reverentia facta, cardinales et prælati alii parantur paramentis albis. Quibus paratis, papa, prout de camera venit, scilicet cum pluviali rubeo et mitra aurifrigiata cum perlis, vadit ad cathedram eminentem ante altare cum scabello paratam; et ibi sedendo facit sermonem, mitram tenendo in capite, ut est moris, Processum recitando et probata, ac inducendo populum ad orandum pro eo quod Deus non permittat eum errare in hoc negotio.

Finito vero sermone hujusmodi, dominus papa prædicet se oraturum, et hortatur alios ut orent, ut supra, scilicet quod Deus non permittat eum errare in hoc negotio. Deinde flexis genibus fit devota Oratio, et papamet debet incipere cantando **423** Hymnum *Veni, creator Spiritus*. Quo incœpto, genuflectit, et in fine primi Versus surgere debet, et continuatur totus Hymnus ab omnibus aliis cantando. Quo Hymno cantato, si domino papæ placet, diaconus cardinalis a dextris papæ assistens dicit *Flectamus genua;* et dominus papa et cæteri alii basse et secrete genibus flexis orent; et devota oratione facta, post morulam diaconus cardinalis, qui est a sinistris, dicet *Levate;* et tunc omnes surgent. Quibus levatis, dominus papa tenendo mitram in capite definit publice illum de quo agitur esse sanctum, et sanctorum catalogo esse ascribendum, et tanquam sanctum esse ab omnibus venerandum, ipsique sanctorum catalogo ascribit, statuens ut ab universali Ecclesia in die tali festum ejus et officium devote et solemniter celebretur. Quam definitionem facere poterit ipse dominus noster papa, ut sequitur.

« Ad honorem Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, et exaltationem fidei catholicæ ac christianæ religionis augmentum, auctoritate ipsius Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, beatorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, de fratrum nostrorum consilio, decernimus, ac definimus, bonæ memoriæ N. sanctum esse, et sanctorum catalogo ascribendum; ipsumque dictorum sanctorum catalogo ascribimus, statuentes ut ab universali Ecclesia, anno quolibet, in die tali, festum ipsius et officium, sicut pro uno confessore, si sit confessor, vel sicut pro uno martyre, si sit martyr, devote et solemniter celebretur. » Et, si domino papæ placuerit, poterit addere ista verba: « Insuper eadem auctoritate omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui annis singulis ad sepulcrum ejusdem in die tali devote accesserint, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis infra octavas dicti festi ad sepulcrum ipsius quadraginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. »

Quibus verbis per dictum papam prolatis, ipse dominus papa, mitra deposita, incipit cantando Psalmum *Te Deum laudamus*, quem cæteri cantando prosequuntur. Quo finito, diaconus cardinalis a sinistris papæ assistens dicat Versiculum *Ora pro nobis, beate N., alleluia;* et cæteri respondent: *Ut digni efficiamur gratia Dei, alleluia*. Si vero hujusmodi solemnitas fuerit a Septuagesima usque ad Pascha, in prædicto Versiculo omittitur *Alleluia*. Deinde dominus papa cantando **424** dicat *Dominus vobiscum*, et responso *Et cum spiritu tuo*, dicat *Oremus*, et postea

Orationem quæ competat illi sancto, finiendo ipsam Orationem, *Per Christum Dominum nostrum*, et respondeatur *Amen*.

Sed ipsa Oratione finita, dictus diaconus cardinalis a sinistris papæ assistens dicat *Confiteor*, etc., ut moris est; et locis debitis, scilicet immediate post apostolos, faciat mentionem de dicto sancto. Qua confessione finita, dominus papa dat indulgentiam gratiosam septem annorum et septem quadragenarum. Et data indulgentia per dominum nostrum papam, ac, mitra eidem deposita, facit absolutionem, et dat Benedictionem more consueto, dicendo *Precibus et meritis*, etc., faciendo mentionem loco suo de sancto canonizato.

Quibus factis, accedat dominus noster papa ad locum consuetum, ubi recipiat pontificalia paramenta, scilicet alba; et postea more solito Missam celebret solemniter in honore dicti sancti canonizati. Qua Missa finita, et data iterum indulgentia in fine Missæ de septem annis et septem quadragenis, et depositis paramentis, ad cameram suam, sive ad palatium revertatur cum pluviali et mitra, prout primitus ad ecclesiam venerat.

CXVI. *Cæremoniæ et solemnitates solitæ servari in creatione novorum cardinalium.*

Sequuntur cæremoniæ et solemnitates solitæ servari in creatione novorum cardinalium, et in datione annuli, et assignatione tituli eis facienda, et quando presbytero cardinali non noviter creato providetur de titulo episcopali cardinalari, et de adventu ad curiam novorum cardinalium, si suæ creationis tempore a curia sint absentes.

Et primo de iis, qui interveniunt in creatione novorum cardinalium.

Sciendum quod in creatione novorum cardinalium modus qui sequitur consuevit servari.

Die Mercurii quatuor temporum dominus papa in consistorio consuevit quærere a cardinalibus an expediat fieri creationem novorum cardinalium, faciendo ibi primitus aliqualem brevissimam collationem, quod expediat creare novos cardinales. Cardinales vero postea omnes quilibet secundum ordinem suum **425** consueverunt respondere et consulere an expediat fieri, vel non. Quo facto, dominus papa consuevit dicere : *Nos sequimur consilium dicentium*, *quod fiant*, vel *non fiant*, secundum quod melius videbitur ei faciendum. Et ubi eligit viam quod fiant immediate, interrogat cardinales de quanto numero videtur eis faciendum. Quo responso per eos ut supra, dominus papa dicit : *Nos sequimur consilium dicentium quod fiant usque ad talem numerum.* Deinde ibidem dicit : *Cogitabimus, et cogitetis de personis nominandis, et die Veneris proxima agemus super iis Deo dante.*

Ista sunt vera, quando cardinales sunt omnes in consistorio præsentes. Si autem sint aliqui in domibus suis infirmitate detenti, est consuetum in consistorio per dominum papam mandari duobus cardinalibus, quod vadant ad cardinales absentes, et requirant et habeant eorum consilium super prædictis duabus quæstionibus. Et relatione facta postea domino papæ in consistorio, audientibus omnibus cardinalibus per illos cardinales deputatos, dominus papa postmodum eligit in consistorio, an velit sequi consilium cardinalium dicentium, quod fiat nova creatio cardinalium, et de quoto numero.

Die Veneris vero sequenti mandatur etiam in consistorio per dominum papam duobus cardinalibus, quod vadant ad requirendum et habendum consilium cardinalium absentium super personis in cardinales de novo creandis. Quo consilio habito, veniunt ad consistorium, dum dominus papa audit consilia auricularia cardinalium, et ei referunt ad partem, dum est in cathedra sua consilia cardinalium absentium.

Qua die Veneris, facta primitus reverentia papæ per cardinales, papa mandat quod portetur cathedra nuda. Quo dicto, omnes cardinales exeunt consistorium, et ponent se in fine illius aulæ vel cameræ, ubi tenetur consistorium; excepto priore episcopo cardinali, qui remanet ibi, et ponit se ad sedendum supra cathedram nudam, quæ debet esse ad latus papæ dextrum parata.

Dominus vero papa consuevit dicere illi cardinali, et aliis post eum venientibus secundum ordinem suum : *Nos cogitamus de talibus personis*, quas ibi nominat, *dicatis quid vobis de istis, vel de aliis videtur esse fiendum.* Tunc cardinalis ille et alii successive postea per ordinem suum venientes respondent quod eis videtur, secundum quod Deus eis ministravit; et cum omnes cardinales **426** successive secundum ordinem suum responderint, omnes redeunt ad sedendum in consistorio secundum ordinem suum.

Quo facto, dominus papa consuevit eis dicere: *Deo gratias*, *nos habemus de personis concordiam omnium fratrum*, vel qui minimum, vel majoris partis secundum quod fuerint, nihil tamen aliud supra ipsa concordia specifice exprimendo; et immediate ipse ibi creat cardinales tam præsentes in curia quam absentes, dicendo : « Auctoritate Dei omnipotentis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et nostra, talem, si sit prælatus, absolvimus a vinculo quo tenebatur ecclesiæ suæ; et ipsum assumimus in presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem. Ubi vero ille non esset prælatus, dicit : Talem assumimus in presbyterum, vel diaconum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem; secundum quod eidem domino papæ magis placebit super hoc ordinare. »

Quibus cardinalibus creatis, dominus papa vadit ad cameram suam, et cardinales ibidem publicant provisionem novorum cardinalium, quibus eis placet. Dominus vero papa interdum ibidem, cum ad cameram suam redierit, consuevit novis cardinalibus creationem de eis mandare per domicellum suum, interdum non.

Die Sabbato sequente dominus papa, facta ei reverentia in consistorio per cardinales, mandat quod

aperiantur portæ aulæ, ubi tenetur consistorium, omnibus intrare volentibus; et ibidem debet venire ad consistorium, et infra consistorium infra sedere camerarius, et notarii, et capellani domini papæ, et auditores palatii, et clerici cameræ domini papæ; alii vero debent stare pedes extra consistorium.

Omnes vero cardinales novi debent tunc temporis esse extra consistorium in aula vel camera ibi satis prope, quousque dominus papa mandet eos vocari.

Dominus vero papa facit ibi in præsentia omnium unum brevem sermonem; in fine vero sermonis descendit per ordinem ad nominationem cardinalium, tam præsentium in curia, quam absentium quos creavit, quemlibet eorum commendando de scientia, fidelitate, prudentia, et alia, prout merita cujuslibet requirent; et in fine commendationis dicit cuilibet novorum cardinalium sic : *Talem absolvimus a vinculo, quo ecclesiæ suæ tenebatur, et eum assumpsimus et assumimus in presbyterum* **427** *sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem*. Si vero non sint prælati, non fit mentio de *absolvimus*, sed dicit : *Assumpsimus et assumimus in presbyterum, vel diaconum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem*.

Quo facto, dominus papa facit vocari cardinales novos, qui debent venire ad eum secundum ordinem, quem dominus papa dederat in eos nominando, et stare pedes retro consistorium, et firmare se retro bancam quæ est ab opposito sedis cathedræ domini papæ, ubi sedent alii antiqui domini cardinales; et tunc dominus papa debet dicere novis cardinalibus aliqua ad instructionem eorum, quales debent esse in consiliis, et aliis agendis. Quibus dictis, vocat eos quod veniant ad eum; et in introitu consistorii duo diaconi cardinales antiquiores recipiunt novum cardinalem primo nominatum per dominum papam, alii vero duo diaconi cardinales antiquiores post primum recipiunt illum cardinalem secundo nominatum; et sic deinceps faciunt alii cardinales diaconi per ordinem suum, si sint plures cardinales de novo creati, et ad eos adducunt ad osculum pedis domini papæ.

Quibus per papam ad osculum pedis receptis, immediate omnes cardinales antiqui et cæteri supra nominati surgunt, et in capellam papæ venientes *Te Deum laudamus* incipiunt alta voce, et cardinales antiqui secundum ordinem suum bini et bini primo vadunt ad altare quod debet in aula, ubi dominus papa tenet consistorium, tunc temporis esse paratum, sine cruce tamen, et post eos duo diaconi cardinales antiquiores ducunt novum cardinalem ad altare primo nominatum per dominum papam; alii vero duo diaconi cardinales alium; et sic deinceps faciunt alii duo diaconi cardinales, si sunt plures cardinales de novo creati secundum ordinem supradictum; et cum pervenerint ad altare, cardinales novi debent stare flexis genibus ante altare prostrati, quandiu cantatur *Te Deum laudamus*, etc.

Quo completo, prior episcoporum cardinalium debet dicere submissa voce *Pater noster*; postea cantando versiculum *Et ne nos inducas in tentationem*, respondetur *Sed libera nos a malo*. Vers. *Salvos fac servos tuos*; respondetur *Deus meus sperantes in te*. Vers. *Mitte eis auxilium de sancto*; respondetur *Et de Sion tuere eos*. Vers. *Domine, exaudi Orationem meam*; respondetur *Et clamor meus ad te veniat*. Vers. *Dominus vobiscum*; respondetur *Et cum spiritu tuo*.

428 *Oremus*. — *Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulis tuis, et dirige eos secundum clementiam tuam in viam salutis æternæ, ut te donante tibi placita cupiant, et tota virtute perficiant*.

Alia Oratio. — *Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra operatio et oratio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum*. Respondetur *Amen*.

Prædicta tamen debent dici per episcopum prædictum in libro qui supra altare debet esse paratus. Quibus finitis, capellani domini papæ, bini et bini, recipiunt novos cardinales, et eos faciunt osculari altare; deinde ipsos adducunt secundum ordinem suum ad osculum oris cardinalium antiquorum. Et primo veniunt ad episcopos, secundo ad presbyteros, subsequenter ad diaconos cardinales, quemlibet eorum secundum ordinem suum osculando.

Quo facto, antiqui cardinales bini et bini redeunt ad consistorium ad sedendum secundum ordinem suum; diaconi vero cardinales antiquiores ducunt iterum bini et bini novos cardinales secundum ordinem supradictum ad osculum pedis et oris domini papæ; et postea eos ducunt usque ad sedem in qua debent sedere in consistorio, secundum ordinem per dominum papam in nominatione eorum eis datum.

Postea omnes alii non cardinales recedunt; post quorum recessum dominus papa imponit silentium dominis cardinalibus novis, quousque ipse dominus papa de consilio antiquorum cardinalium os duxerit eis aperire. Et tunc dicit eis « qualiter debent cum reverentia loqui in consistorio, cum loquentur aliis cardinalibus, etc.; cum loquentur, tam in viam consilii, quam in viam collationis, non contradicendo seu impugnando dicta aliorum cardinalium, sed alia dicendo prudenter et cum reverentia, quod eis Dominus ministrabit; et qualiter etiam alios cardinales debeant honorare; qualiter etiam in consiliis dandis debeant Deum præ oculis habere, et in mente et in ore tunc temporis sanctitatem et puritatem habere, remota omnium partialitate amoris, odii, vel favoris. »

Aliquando consuevit tamen eis silentium imponere illo tunc, et reliqua proxime præcedentia eis dicere, dum eis decreverit os aperire.

429 Quibus dictis, papa surgit et vadit ad cameram suam, et cardinales omnes remanere consueverunt in domo papæ, quousque mensæ pro prandio sint paratæ; et illa die omnes cardinales comedunt in aula cum papa. Et cum dominus papa exit de ca-

mera, et venit ad prandium, associant ipsum duo diaconi cardinales antiquiores usque ad mensam ipsum præcedendo; et post prandium simili modo associant eum usque ad cameram. Et sedent cardinales in mensa primo secundum ordinem suum, a parte dextra papæ episcopi et presbyteri cardinales, tam antiqui, quam novi; a parte vero sinistra sedent secundum ordinem suum tam antiqui quam novi diaconi cardinales juxta modum consistorii.

Post prandium vero eumdem ordinem servant in sedendo, tam antiqui, quam novi cardinales; et cum fuerit tempus recedendi, dominus papa sedendo in cathedra sua dat capellum rubeum novis cardinalibus, secundum ordinem per eum in nominando eos eis datum; et ipsum capellum cujuslibet ipsorum capiti imponit ipsis cardinalibus novis stantibus coram eo genuflexis; et immediate familiaris domini papæ, qui debet esse paratus, capellum de capite ipsius cardinalis recipit; et tunc quilibet eorum post prædictam impositionem capelli immediate secundum ordinem suum pedem domini papæ osculatur, et postea dominus papa quemlibet eorum ad osculum oris recipit secundum ordinem prædictum; et quilibet novorum cardinalium, osculo per eum a domino papa recepto, ad sedem suam ibi redit.

Quo facto, dominus papa surgit, et etiam omnes cardinales; et postea, si ecclesia cathedralis sit ibi prope, novi cardinales aliquoties ad orandum consueverunt immediate ire, deinde ad domos suas redire.

Sequenti autem die novi cardinales debent simul incipere visitationem omnium cardinalium antiquorum, quemlibet ipsorum in domibus quas inhabitant, visitando, non attendendo in visitatione cardinalium antiquorum, qui fuerint, vel sint antiquiores cardinales, sed secundum quod cardinalibus novis magis placebit; et ipsi cardinales antiqui debent novos cardinales tunc, dum visitantur, in camera sua secrete instruere quomodo dominum papam et cardinales antiquos debeant verbo et facto honorare, ac etiam revereri; et quem modum, quando loquentur in consistorio et alibi, cum domino papa **430** vel cardinalibus, in viam consilii, vel in collationes, seu alia loquendo, vel in sedendo, debeant observare. Postquam vero cardinales novi cardinales antiquos visitaverint in suis domibus, cardinales antiqui debent cardinales novos singulariter et singuli in eorum domibus visitare, et interdum ex specialitate aliquos novos cardinales et in domibus propriis immediate, cum sint creati per papam.

Dominus papa in consistorio secundo quod tenuerit vel ad tardius in tertio, consuevit os cardinalibus novis, de consilio cardinalium antiquorum aperire, et tunc eos hortari quomodo debeant in consistorio loqui reverenter, et alia bona verba, prout supra dictum est, tunc temporis eis dicendo.

Advertendum tamen est quod dum prædictum consilium petitur, cardinales novi debent exire consistorium, et stare in aliqua camera ibi prope, donec, datis prædictis consiliis per cardinales antiquos, postea per juniorem antiquum cardinalem, de mandato papæ vocentur quod redeant ad consistorium. Quibus reversis, papa consuevit eis os aperire.

Papa vero singulis novis cardinalibus in consistorio, die qua eis os aperuit, dare consuevit titulos et annulos in fine consistorii; et quilibet novus cardinalis consuevit tunc temporis, dum papa imponit annulum digito ipsius, genua flectere, et immediate post dationem annuli manum et pedem dicti domini papæ osculari; et osculo per eum a domino papa recepto postea redire ad sedem suam.

Novi vero cardinales annulos portare non debent, etiamsi antequam cardinales fuerint, prælati existerent, quousque dominus papa in consistorio det eis titulos et annulos, ut est dictum; nec debent in capellis, vel domibus propriis dare benedictionem, quousque titulum et annulum receperint, ut dictum est.

Norma vero quæ antiquitus consuevit servari in apertione oris novorum cardinalium, et assignatione titulorum, ac datione annulorum, est infra scripta, videlicet quod postquam sederint cardinales tam antiqui, quam novi, in ordine suo in consistorio, tunc quando domino papæ placebit, dicitur per eum novis cardinalibus quod sedeant ad partem; et ipsis absentibus dantur consilia circularia per cardinales antiquos, an ora ipsorum novorum cardinalium sint aperienda; et si consulant quod sint, revocantur ad consistorium iidem cardinales absentes, **431** et sedent in locis suis. Et tunc dominus papa, proposita aliqua auctoritate, si placet, cum brevi vel modica, absque ulla ipsius prosecutione ora ipsorum aperit, dicendo: *Nos aperimus tibi os*, vel *vobis*, si sint plures, *tam in collationibus, quam consiliis, et in electione Romani pontificis, et in omnibus actis, tam in consistorio, quam extra, quæ ad cardinales spectant, et quos sunt soliti exercere.* Ipsi vero ad proposita non respondent.

Post hæc in fine consistorii, vel ibidem post apertionem prædictam, secundum quod domino papæ videbitur, singuli cardinales novi, singulariter unus post alium, genu flectit coram domino papa; et tunc dominus papa recipit unum ex annulis præparatis ad hoc, et immittit digito cardinalis novi, dicendo tunc hæc vel similia verba quæ sequuntur.

Ad honorem Dei omnipotentis, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctæ Priscæ, vel alterius sanctæ, vel sancti, ad cujus honorem est fundata ecclesia quam cardinali novo committit, *committimus tibi Ecclesiam sanctæ Priscæ cum clero et populo et capellanis suis*, si est in presbyterum cardinalem assumptus; et sic in similibus, et interdum additur: *Secundum formam, qua committi cardinalibus consuevit, qui eamdem ecclesiam in titulatam pro tempore habuerunt.*

Si vero esset in diaconum cardinalem assumptus, dicitur: *Ad honorem*, etc., ut supra, *committimus Ecclesiam sanctæ N. cum clero et populo suis*, et omittitur *Capellanis*.

Cardinalis vero qui recipit annulum, osculatur manum et pedem domini papæ, et dominus papa

ipsum post ad osculum oris recipit, et sic consequenter de aliis novis cardinalibus observatur. Quibus completis, vadunt prædicti domini cardinales novi sedere in locis suis, nec tunc etiam cardinales novi aliquid prædictis verbis et factis respondent.

Attendendum etiam quod dominus papa tunc præsentibus omnibus cardinalibus ordinat quos titulos habere debeant novi cardinales absentes, ut inde sollicitudo tollatur.

Attendendum est etiam quod præmissa, quantum ad apertionem oris, et donationis annuli et tituli, interdum consueverunt fieri extra consistorium, quando dominus papa vocat omnes cardinales ad cameram suam pro consilio super negotiis habendo; et tunc omnes præmissæ solemnitates per omnia servantur secundum modum ante dictum, prout factum fuit **432** anno a nativitate Domini [a] 1339, 16 mensis Januarii, Avinione, per dominum papam Benedictum XII, in personas dominorum cardinalium Ebredunensis, cui tunc fuit commissus titulus sancti Marci; et Albi, cui tunc etiam commissus fuit titulus quatuor Coronatorum; et montis Olivi, cui commissus fuit tunc etiam titulus sancti Stephani in Cœlio monte in camera prædicti domini papæ Benedicti.

Sciendum quod quando creatur cardinalis novus aliquis, qui est extra curiam, et fuit creatus cum aliis in curia Romana præsentibus, die qua intrare debet curiam, omnes cardinales et camerarius papæ, cum clericis cameræ et servientibus armorum ejusdem domini papæ, exeunt sibi obviam extra villam; et in obviatione cardinalis alii, amotis capellis et biretis, recipiunt ipsum ad osculum. Quo facto, retrocedentes vadunt ad consistorium, duobus tantum diaconibus cardinalibus junioribus cum ipso cardinali novo remanentibus, et eum associantibus usque ad aulam, ubi papa tenet consistorium. Et cum illuc pervenerit, et postea dominus papa de camera sua ad consistorium venerit, antiqui cardinales præter duos diaconos cardinales juniores cum novo cardinali extra consistorium in fine aulæ, ubi tenetur consistorium, remanentes, faciunt reverentiam more solito domino papæ. Qua facta, duo antiquiores diaconi cardinales occurrentes novum cardinalem in introitu consistorii recipiunt; et prædicti duo diaconi cardinales juniores, qui eum associaverant, eum dimittunt, et accedunt ad reverentiam solitam faciendam; et ea facta, redeunt ad sedendum in consistorio in locis consuetis. Postea eum dicti duo antiquiores diaconi cardinales deducunt ad dominum papam, qui eum ad osculum pedis, et postmodum oris, recipit. Deinde iidem duo diaconi cardinales antiquiores eum ducunt ad sedem debitam, per dominum papam sibi secundum suæ creationis gradum et ordinem assignatam.

Postquam omnibus cardinalibus sedentibus, cæteris repulsis aliis, dominus papa allocutione et collatione aliqualibet, ut est moris, **433** factis ad instructionem ipsius, ut supra de cardinalibus præsentibus in curia Romana noviter creatis recitatum est, silentium novo cardinali imponit, quousque de consilio aliorum cardinalium os ei duxerit aperiri. Subsequenter dominus papa cum omnibus cardinalibus, cum fuerit tempus recedendi, dat in camera sedendo novo cardinali capellum rubeum, vel ante prandium, si non esset in statu illo die solemne prandium faciendi. Reliqua vero debent per dominum papam in apertione oris et datione tituli et annuli dici, fieri et servari isti novo cardinali, et per eumdem cardinalem in visitatione et aliis præmissis per eum faciendis, prout in cardinalibus novis creatis in curia præsentibus eis per dominum papam, et per eos dici, fieri et servari est superius recitatum.

Item sciendum est quod si vacaret sedes apostolica tempore quo rediret ad curiam cardinalis antiquus, sive noviter creatus, qui fuisset legatus aut nuntius, tunc cardinales alii, etiamsi non essent in conclavi pro electione futuri summi pontificis, non vadunt cardinali obviam venienti, pro eo, quia sede vacante personam papæ quodammodo repræsentant.

Sciendum quod si die qua cardinalis novus tempore suæ creationis absens intrat curiam, dominus papa discretiatus non teneat consistorium, in camera dat capellum rubeum ipsi novo cardinali, præsentibus cardinalibus; et ipsa die os non clauditur, sed in primo venienti consistorio consuevit.

Regulariter autem cardinali novo absenti capellus rubeus per dominum papam non mittitur. Interdum tamen de gratia speciali mitti ei per dominum papam consuevit, quando antea missus legatus, vel nuntius, per eum fuerat pro pace inter reges, vel regem et principes, tractanda, ac etiam consummanda, ad finem quod ipse cardinalis per ipsos in majori reverentia habeatur, et ex hoc ad pacem melius et facilius inducatur.

Item notandum quod cardinalis noviter creatus, antequam receperit titulum, si papa solemniter celebret, vel audiat Vesperas solemnes, venit ad reverentiam papæ secundum gradum suum; et postea recipit et portat paramenta sua, sicut cæteri cardinales gradus sui, si receperit ordinem ad quem est electus; aliter non.

434 Notandum quod quando cardinalis qui creatur per papam in presbyterum, vel diaconum cardinalem, non est presbyter, vel diaconus, si sit in presbyterum electus, non portat in Vesperis vel Missa, quas papa solemniter facit et dicit præsentibus aliis cardinalibus antiquis, paramenta, quæ alii cardinales antiqui portant tunc temporis, quousque de manibus papæ receperit ordinem presbyteri; et si sit in diaconum electus, ita non portat paramenta diaconi, quousque de

[a] Onufrius hanc creationem revocat ad annum 1337, et quidem ad xv kal. Januarii, qua die Bertrandus de Deucio archiepiscopus Ebredunensis, presbyter cardinalis tituli sancti Marci; frater Guillelmus Curti de Divano, abbas montis Olivi, presbyter cardinalis tituli sanctorum quatuor Coronatorum, et Guillelmus Albus, presbyter cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio monte renuntiati dicuntur cum aliis tribus. Sed præferenda hujus Cæremonialis auctoritas.

manibus papæ receperit ordinem diaconatus; sed stat ultimus inter cardinales gradus sui indutus cappa de scarleto.

Minores ordines consueverunt dari prædictis cardinalibus novis per episcopum cardinalem ex commissione papæ extra quatuor tempora. Minores vero ordines per papam regulariter in quatuor temporibus, et interdum extra quatuor tempora et secreto, præsentibus tantum tribus antiquis cardinalibus, et paratis suis paramentis uno episcopo vel presbytero et duobus diaconibus. Consueverunt etiam dari per papam simul omnes ordines majores cardinalibus supradictis.

CXVII. *Cæremoniæ solitæ servari in creatione presbyterorum cardinalium, quando eis committitur titulus episcopalis, rubrica.*

Quando vero titulus cardinalis episcopi vacat tempore quo novi cardinales per dominum papam creantur, consuevit interdum dominus papa alicui de antiquis presbyteris cardinalibus in curia Romana præsentibus, de illo per modum qui sequitur providere, et in die Veneris, quando cardinales de novo creandos nominat, antiquis cardinalibus per ordinem suum venientibus pro consilio ad cathedram, juxta cathedram domini papæ pro ipsis cardinalibus antiquis paratam, eos singulariter interrogat, de quo antiquo presbytero cardinali eis videretur ecclesiæ, ut præmittitur, vacanti fore providendum, neminem tamen de cardinalibus eis nominando; et responso per ordinem per eos, dum postea omnes cardinales ad consistorium ad sedendum secundum ordinem suum redierint, dominus papa antiquo cardinali presbytero ibidem præsenti vel absenti providet de ecclesia episcopali, ut præmittitur, vacante, antequam creet alios novos cardinales.

435 Præferuntur tamen aliqui ratione legationis novissimi presbyteri cardinales in provisione tituli episcopalis antiquioribus presbyteris cardinalibus, prout factum fuit tempore domini Joannis papæ XXII, quo tempore erat legatus dominus Bertrandus de Poeto, qui stando in sua legatione fuit factus episcopus Ostiensis, licet dominus Santelmus [*Al.*, Santelinus] Joannes, qui postea lapsu temporis fuit episcopus Albanensis, et P. de Roblayo, qui fuerat cancellarius Franciæ, presbyteri cardinales præcederent eum.

Præferuntur etiam novissimi presbyteri [a] cardinales in provisione dicti tituli episcopalis illi qui ante promotionem ad cardinalatum fuerint archiepiscopi, vel episcopi consecrati, aliis antiquorum cardinalium, qui non fuerunt episcopi consecrati ante promotionem cardinalatus, ut tempore præfati domini Joannis papæ, quo tempore dominus Petrus de Pratis, tunc presbyter cardinalis, qui fuerat archiepiscopus consecratus Aquensis, fuit factus episcopus Prænestinensis, licet prædicti domini Santelmus Joannes et P. de Roblayo presbyteri cardinales præcederent eum, et essent antiquiores in cardinalatu; et tempore domini Clementis papæ VI, quando dominus Dalbia, qui fuerat episcopus Ruthenensis, fuit factus episcopus Portuensis; et dominus cardinalis Bononiensis, qui fuerat consecratus archiepiscopus Lugdunensis, factus fuit episcopus Portuensis; et dominus cardinalis Claromontensis, qui postea fuit papa Innocentius VI, fuit habitus episcopus Ostiensis, licet dominus cardinalis montis Olivi præcederet eos, et esset antiquior ipsis in cardinalatu. At tempore domini Innocentii papæ VI, quo dominus Atrabatensis presbyter cardinalis fuit factus episcopus Ostiensis, et dominus Ispanus etiam presbyter cardinalis, qui tunc erat legatus in Lombardia, fuit episcopus Sabinensis, quamvis dominus montis Olivi, qui fuerat abbas montis Olivi Benedictinus; et cardinalis Sucellensis creatus dicti domini Clementis papæ VI, qui fuerat electus Sucellensis, et non fuerat consecratus, præcederent omnes; et subsequenter creavit alios novos cardinales per modum supradictum.

436 Die vero Sabbati sequenti dictus cardinalis antiquus, cui die Veneris præcedenti provisum est de titulo cardinalari episcopali, debet esse extra consistorium cum aliis novis cardinalibus die Veneris præcedenti creatis, quousque ex parte domini papæ vocetur quod veniat ad eum cum aliis cardinalibus de novo creatis; et tunc primitus debet venire cum eis, et stare primus pedes cum novis cardinalibus, et omnia alia facere cum eis quæ novi cardinales facere debent juxta modum superius recitatum, hoc excepto, quod cum omnes solemnitates præmissæ sint completæ, quod per duos diaconos cardinales antiquiores primus ducitur ad sedendum in consistorio immediate juxta ultimum antiquum episcopum cardinalem. Silentium etiam ei non imponitur, quod novis cardinalibus est imponi consuetum; nec per papam annulus ei postea datur, nec exhortatur per papam, quomodo debeat se habere in consistorio et extra; nec capellus rubeus ei per papam datur. Visitat tamen omnes cardinales, ut de novis cardinalibus superius est jam dictum. Si vero est absens a curia, quando dominus papa ei providet, debet eum redierit omnes cardinales in eorum domibus singulariter visitare.

Sciendum est autem quod titulus episcopalis cardinalatus non consuevit committi alicui cardinali, nisi primo fuerit episcopus consecratus, posito quod tempore quo talis titulus episcopalis vacat, sit prior presbyterorum cardinalium primus, qui non fuit episcopus consecratus ante promotionem suam ad cardinalatum. Et ita factum fuit, quando dominus cardinalis de Bolonia fuit factus episcopus Portuensis, qui erat subprior presbyterorum cardinalium, quod fuerat ante cardinalatum archiepiscopus Lugdunensis consecratus; et dominus cardinalis montis Olivi erat prior

[a] Quando primum diaconi quidam cardinales, exclusis presbyteris, prælati sint ad titulos episcopales, vide Augustinum Patricium, tit. 8, cap. 17, ubi quædam exempla refert ex Gregorio XI, qui cardinalem Lemovicensem diaconum promovit ad episcopatum Prænestinensem; ex Pio II, qui Joannem *Carvasal* sancti Angeli ad episcopatum Portuensem, etc.

presbyterorum cardinalium; sed ipse dominus montis Olivi non fuerat episcopus consecratus ante promotionem suam ad cardinalatum, ideo non fuit sibi commissus titulus episcopatus prædictus.

Notandum tamen est quod tempore prædicti domini Joannis papæ, dominus Santelmus Joannes presbyter cardinalis, licet non fuisset electus neque consecratus in episcopum vel archiepiscopum, fuit factus episcopus Albanensis.

Tempore vero Benedicti XII et domini Clementis VI, post receptionem ad osculum oris, dominus papa consuevit dare annulos nobiles episcopis noviter creatis, quando sunt in curia **437** præsentes; absentibus autem etiam, cum ad ipsam curiam redierint, dare non est consuetum. Ita fuit observatum per dominum Clementem papam VI, quando dominus Petragoricensis cardinalis fuit creatus episcopus Albanensis, et dominus cardinalis Ruthenensis factus episcopus Portuensis; quibus dati fuerunt annuli per dominum papam prædictum, ut dictum est, quia erant in curia præsentes. Domino cardinali Ebredunensi vero, qui erat absens a curia, quando fuit creatus episcopus Sabinensis, in regressu suo per papam annulus non fuit ei datus. Domino cardinali Albo, cum factus fuit episcopus Tusculanensis, datus fuit annulus, quia erat tunc in curia præsens per dictum Clementem papam prædictum, modo et tempore prædictis; et idem fecit domino cardinali de Bolonia, quando ei providit de episcopatu Portuensi.

Interdum tamen dominus papa consuevit antiquo presbytero cardinali in curia Romana præsenti sine quatuor temporibus, et sine creatione novorum cardinalium de episcopali titulo per modum supra plene recitatum providere; et illa die omnes cardinales consueverunt cum papa prandium facere; et cardinalis ille in crastinum habet omnes cardinales singulariter in eorum domibus, ut supra præmissum est, visitare.

Si vero cardinalis ille sit absens a curia Romana, omittuntur solemnitates prædictæ, hoc excepto, quod auricularia consilia per dominum papam cardinalibus in curia Romana præsentibus per modum prædictum petuntur. Quibus per eos datis, et postea ad consistorium reversis, dominus papa facit tunc provisionem prædictam cardinali absenti per modum antedictum.

Et notandum quod licet regulariter omnes dicti cardinales veniant ad reverentiam domini papæ, quando idem dominus papa venit ad consistorium, tamen si ipse dominus papa, sive in loco suo, sive in camera sua, seu alibi cum mantello et bireto, vel cum cappa, non portando paramenta solita, ut fit aliquando propter frigus, vel ex causa alia, teneat consistorium; tunc quando non portat paramenta solita, non veniunt domini cardinales ad reverentiam consuetam.

Sciendum est quod quando dominus noster papa creat cardinales, sive diaconos, sive presbyteros, post creationem et commissionem ecclesiarum, ad A quas intitulantur per dictum **438** dominum nostrum papam eis factam, idem dominus noster consuevit dispensare ad partem, ut dicti cardinales possint obtinere omnia beneficia, quæ ante dictam creationem obtinebant, cum ecclesiis eisdem commissis.

Sciendum etiam, quod quando dominus noster papa providit alicui presbytero cardinali de aliquo episcopatu cardinalari, tunc dominus noster non dicit *committimus*, sed *providemus de tali episcopatu*, etc. Et hujusmodi provisione facta, dictus dominus noster papa non in publico, sed ad partem dispensat cum ipso episcopo cardinali, ut beneficia, quæ obtinebat ante dictam provisionem, una cum dicto episcopatu possit obtinere.

Notandum est etiam quod dicti cardinales, qui B mittuntur nuntii vel legati, die qua debent arripere iter legationis suæ, ambo simul vadunt cum famulis suis, tamen primo ad ecclesiam majorem civitatis vel villæ, ubi curia est; demum debent arripere et continuare iter suæ legationis. Omnes vero alii cardinales, qui habent remanere in curia, habent præcedere legatos, et exspectare quasi per mediam leucam extra civitatem, et ibi recipiunt licentiam ab ipsis. Qua licentia ab omnibus recepta, continuant ad usque prosecutionem iter suum.

Sciendum est etiam quod cardinales nuntii vel legati in excessu eorum de curia et regressu habent visitare omnes cardinales in curia remanentes; ipsi vero in dictis recessu et regressu non visitantur, nisi hoc fieret ex affectione speciali, licet secundum usum C modernorum, quasi per omnes visitentur.

Item sciendum est quod cardinalis legatus vel nuntius non consuevit redire ad curiam Romanam, nisi præhabita super hoc licentia speciali domini papæ.

CXVIII. *De creatione cardinalium legatorum, vel nuntiorum.*

Sciendum est quod quando dominus papa vult ordinare de cardinali, vel de cardinalibus, legato, vel legatis, nuntio, vel nuntiis, mittendo, vel mittendis ad aliquas partes, seu regiones, dominus papa primo petit publice in consistorio a cardinalibus utrum sit expediens mittere, vel non, dicendo aliqua **439** propter quæ mittendum videatur; et si expediens videatur mittere, ordinat etiam publice in consistorio utrum sint mittendi unus, duo vel plures; et or- D dinato de mittendo, fiunt auricularia consilia de personis mittendis, ut in cardinalibus creandis est fieri consuetum, et dominus papa petit tunc auriculariter a quolibet, de quo, vel quibus, videtur bonum ordinare mittendis.

Et consiliis completis, postmodum per papam interdum sumpta aliqua auctoritate, sed ipsam parum prosequendo, regulariter tamen sine assumptione auctoritatis, ibidem vel in crastinum, secundum quod papæ placuerit, dicitur per dictum papam: *Omnes* vel *major pars fratrum nostrorum concordant*, vel *concordat in unam personam*, vel *duas personas*, vel *plures*, si duæ vel plures sint mittendæ; *et nos de consilio ipsorum fratrum nostrorum ordinamus quod*

vos talis, vel tales, si sint duo vel plures, *vadatis ad tales partes, et paretis vos ad eundum*, etc. Interdum vero papa consuevit addere post verbum *Ordinamus, Et injungimus.* Quo dicto per papam, cardinalis mittendus ibidem consuevit sumere aliquam auctoritatem, et aliqualiter se excusare, quod ipse non est sufficiens ad id quod dominus papa eum ordinavit mittendum; sed ejus excusatione non admissa per papam, cardinalis ipse venit ad osculum pedis et oris papæ, cardinali antiquiori diacono primitus pedes papæ discooperiendo. Quibus factis, papa surgit, et vadit ad cameram. Aliæ solemnitates non fiunt, nec dicuntur, nisi quod si cardinalis aliquis est absens propter infirmitatem, mittuntur duo cardinales ad eumdem pro consilio ejus habendo, juxta modum servatum in creationibus novorum cardinalium. Illa vero die qua sic ordinantur legatus, vel legati, nuntius, vel nuntii cardinales, mittendus, vel mittendi, non consueverunt omnes cardinales cum papa commedere; sed tantum ille, vel illi, quis, vel qui, legatus, vel legati, nuntius, vel nuntii ordinatur, vel ordinantur.

Attendendum est etiam quod si forte sint duo legati, vel nuntii creati, et unus illorum processu temporis forsitan se excuset, vel papa eum excuset, utrum illi qui remanet, sit alius legatus, vel nuntius adjungendus, vel non adjungendus, et de persona adjungenda super hoc sit auriculare consilium, sicut prius; et hoc propter illum primo creatum, se non excusantem, qui remanet nuntius, vel legatus, qui in **440** hoc tantum cardinalium vota scire non debet. Et ita fuit observatum tempore domini Clementis papæ VI, pontificatus sui anno 4, quando dictus dominus papa excusavit dominum cardinalem de Bolonia, qui fuerat electus legatus una cum domino cardinali Ebredunensi per eumdem ad partes Italiæ et regni Siciliæ.

Notandum est etiam quod dominus papa debet ordinare et facere, ut supra dictum est, hujusmodi legatos, vel nuntios in consistorio. Interdum tamen consuevit ipsos ordinare et facere in camera sua, vocatis omnibus cardinalibus; et si forte papa in dicta ordinatione non portat pluviale et mitram; tamen in pronuntiatione ipsorum legatorum, vel nuntiorum ipse debet portare pluviale aurifrigiatum, et mitram consistorialem nuncupatam. Si tempus sit nimis frigidum, papa in eadem pronuntiatione potest recipere pluviale de samito fulrato de pellibus, et caputium de eodem. Quo pluviali recepto, ante dictam legatorum vel nuntiorum pronuntiationem omnes cardinales debent venire ad reverentiam papæ, prout est consuetum.

Item notandum quod cardinalis vel nuntius, ante recessum suum de curia, debet omnes et singulos cardinales in eorum domibus visitare; et illud idem debet facere in regressu. Ipse vero legatus, vel nuntius, non consuevit ab eis visitari, nisi per aliquos sibi speciales; sed in die recessus ipsius omnes cardinales debent extra villam in convenienti campo exspectare ipsum, ab eo facto primitus osculo, depositis capellis et bireto per eosdem. Si vero sint duo, vel plures legati, vel nuntii, debent ipsi convenire bene mane in ecclesia majori civitatis, vel loci, ubi resident papa et cardinales, et idem recipere simul viam suam, et venire ad cardinales extra villam, ut supra dictum est, exspectantes pro commeatu recipiendo.

Cum autem hujusmodi legati, vel nuntii redeunt de legatione sua, et volunt intrare curiam, omnes cardinales de curia debent exire eis obviam extra villam, et eosdem legatos, vel nuntios exspectare in convenienti campo, ut superius in recessu est dictum; et deinde omnes cardinales cum dictis legatis vel nuntiis debent ascendere palatium, ubi recipiuntur prædicti legati, vel nuntii in consistorio per dictum papam ad osculum pedis et oris; et si non sit unus legatus, vel nuntius, **441** ille associatur a loco ubi fuit per cardinales receptus extra villam usque ad palatium papæ per duos juniores diaconos cardinales.

Si vero sint duo legati vel nuntii, ipsorum legatorum vel nuntiorum prior in ordine cardinalatus associatur a loco prædicto per duos juniores diaconos, et legatorum vel nuntiorum alter associatur modo prædicto per alios duos penultimos juniores diaconos cardinales, secundum suæ prioritatis ordinem incedendo. Quibus legatis vel nuntiis receptis per papam ad osculum pedis et oris, vadunt ipsi legati vel nuntii ad sedendum in sede sua secundum ordinem suum; ipsi vero diaconi cardinales, qui eosdem legatos vel nuntios associaverint, post eos veniunt ad reverentiam papæ, prout est fieri consuetum; et demum vadunt ad sedendum in loco suo.

Quibus residentibus, papa recipit aliquod thema, et facit quamdam collationem ad commendationem et laudem ipsorum legatorum vel nuntiorum, prout videtur papæ; in qua collatione ipsi legati vel nuntii sedent in locis suis, capitibus omnino discoopertis, etiam absque biretis; et sic est quandiu laus et commendatio illius collationis ipsis diriguntur per papam; et ipsa collatione finita, remanent illa die omnes cardinales ad comedendum cum papa. Dicta namque collatio, quæ fit per papam in adventu nuntiorum, vel legatorum, fuit introducta per dominum Benedictum papam XII, et observata per dominum Clementem VI. Tamen temporibus domini Clementis V et domini Joannis XXII non observabatur.

In primo vero consistorio secuto dicti nuntii vel legati referunt, seu relationem faciunt de gestis per eos in legationibus suis; et hoc per modum collationis, recipiendo thema aliquale. Et istud servatur, etiamsi sint duo legati vel nuntii, sive plures, pro quibus facit suam relationem per modum collationis. Si autem ipsi legati vel nuntii non erunt parati referre in proximo consistorio post eorum adventum, consuevit eis designari per papam certa dies ad referendum.

Est etiam notandum, quod cardinalis legatus vadens ad legationem suam, cum exit territorium civitatis vel loci in quo papa cum cardinalibus residet,

statim deponit cappam communem, et recipit cappam rubeam de scarleto et biretum rubeum, quibus in tota legatione sua utitur; et cum intrat territorium supradictum, statim dimittit signare, et deponit cappam rubeam et 442 biretum rubeum, et assumit cappam communem, et biretum tale, sicut alii cardinales portant, et deinde intrat curiam per modum supra proxime descriptum.

Ista vero quoad assumptionem, necnon depositionem cappæ rubei coloris et bireti et crucis signationem, non habent locum quoad nuntios, sed tantum quoad legatos.

Attende tamen quod crux non portatur ante legatum, nec ante nuntium.

Sciendum est autem quod cardinalis legatus, postquam recesserit de curia, quousque redierit de legatione sua ad curiam, nihil recipit de censibus ecclesiæ, nec de servitiis prælatorum per dominum papam medio tempore factorum, nec de aliis cameræ domini papæ medio tempore debitis, in quibus cardinales præsentes partem dimidiam habere et percipere consueverunt, exceptis annul. card. medio tempore decedentium, in quibus annul. card. legati absentes a curia tantum recipiunt, ac si essent præsentes. Nuntius vero missus tantum recipit in absentia de prædictis, quantum reciperet, si in curia esset præsens.

Notandum etiam quod cardinalibus, qui debent ire legati, vel nuntii, consuetum est ad parandum se et iter arripiendum unius mensis terminus communiter assignari, licet propter periculum grande, quod imminebat et timebatur...... fortius in regno Majoricarum, quod rex Aragonum cum armis intraverat, et civitatem Majoricam jam receperat, et ad locum Perpignani accedens capere nitebatur eumdem, dominus B. cardinalis Ruthenensis, ad ipsa regna ordinatus legatus, die duodecima post diem suæ publicatæ legationis iter suum arripuit versus illa.

Item notandum quod cardinales legati vel nuntii in regressu de legatione sua consueverunt cardinalibus in curia remanentibus aliqua, prout placet, dare jocalia.

Item notandum quod quando domini cardinales sunt coram domino papa, et habent ibidem loqui vel respondere de aliqua materia, primo loquitur primus episcopus cardinalis, et subsequenter alii episcopi cardinales; et post eos presbyteri cardinales; et demum junior diaconus cardinalis, et per ordinem omnes diaconi cardinales usque ad antiquiorem diaconum cardinalem, qui loquitur seu respondet ultimus Cum autem vacat sedes apostolica, et domini cardinales simul congregantur, 443 et loquuntur, tunc non servatur iste modus, quod antiquior diaconus cardinalis loquitur immediate post ultimum presbyterum cardinalem, et demum singuli diaconi cardinales usque ad juniorem diaconum cardinalem, qui tunc sede vacante loquitur ultimus omnium. [a]

[a] Quædam hic alieno charactere addita erant de verbo ex Cæremoniali sequenti Petri Amelii, quæ omittenda visa sunt.

ADMONITIO IN LIBRUM SEQUENTEM.

1. Etsi in veteri Codice, quem nobis utendum pro sua benevolentia concessit eminentissimus cardinalis Casanata, nullum auctoris nomen sequenti libro sit præfixum, ex variis tamen ejusdem libri locis constat eum esse Petrum Amelii, Gallum Electensem, ex eremita Augustiniano Urbani V sacristam, dein Gregorii XI pœnitentiarium ac bibliothecarium; postea Senogalliensem episcopum, archiepiscopum Tarentinum, tum patriarcham Gradensem et Alexandrinum, atque ecclesiæ Aquensis administratorem. Is nimirum se ipse prodit in sequentis libri cap. 79: *Ita vidi ego frater Petrus Amelii, Senegalliensis episcopus, observari*. Item in cap. 141 Augustinum *Patrem nostrum vocat*; idemque in cap. 90 testatur, se *sacristam et episcopum Senogalliensem*, agnos Dei (ut vocant) confecisse anno 1378. Ad hæc in cap. 158 ait se *Gradensem patriarcham* una cum patriarcha CP. processus generales in criminosos feria quinta in Cœna Domini pronuntiasse anno 1393. Denique in vivis erat ad annum 1398, instante obitu Bonifacii IX, ex cap. 165. Falluntur itaque qui eum anno 1368 obiisse ferunt, cum post annos decem agnos Dei confecerit sacrista et episcopus Senogalliensis. Sedit ut patriarcha inter cardinales episcopos anno 1391, ex cap. 153. Iter Gregorii XI Avenione Romam versibus cecinit: cujus operis meminit in sequenti cap. 142. *Quære in itinerario meo de domino papa Gregorio XI*. Hoc Itinerarium exstat apud Massonum et Ciaconium de summis pontificibus, in Gregorio XI. Ex his manifestum est non alium a Petro Amelii sequentis libelli esse scriptorem, de quo Augustinus Patricius in lib. II, cap. 60.

2. Quædam tamen additiones ab aliis auctoribus hinc inde respersæ sunt, nimirum in cap. 61, ubi quædam observantur de tempore Eugenii IV, tum in cap. 65, ubi exsequiæ cardinalis Novariensis, qui anno 1434 obiit, referuntur. Harum additionum auctorem esse Petrum episcopum Oloycensem conjicere licet ex cap. 85. *Et ita vidi servari ego Petrus episcopus Oloycensis tempore domini Bonifacii IX, Innocentii VI, Gregorii XI, Joannis XXIII, et Martini V*.

ORDO ROMANUS XV.

VEL

LIBER DE CÆREMONIIS S. R. E.

Auctore PETRO AMELIO, ep. Senegalliensi.

444 I. *De Dominica prima Adventus Domini, rubrica.*

In prima Dominica Adventus Domini sermo et Missa mandantur. Hac die camerarius papæ consuevit celebrare magnam Missam, nisi aliquis cardinalis vel prælatus faceret sermonem, quia tunc talis debet celebrare totum officium. In hac Missa summus pon-

tifex indutus alba, stola, et pluviali rubeo simplici et sine perlis, et cum mitra alba, venit ad Missam; et sic in Dominicis Adventus et Quadragesimæ; et antequam exeat cameram, occurrunt ei ad osculum manus cum aurifrisio pluvialis supra manum dexteram duo diaconi minores cardinales, qui ibidem sint; vel presbyteri, si non sint diaconi; et cum antecedunt usque ad capellam. In ista Missa descendit de cathedra sua, et vadit ad aliam ante altare, dum dicitur *Hanc igitur*, et ad [a] *Lætatus sum* tantummodo.

II. *De Dominica secunda.*

In secunda Dominica Adventus sermo et Missa mandantur, ut alia supra. Item sciendum quod curia Romana in Dominicis Adventus, necnon in Quadragesima, quantumcunque sit festum duplex, et in ipsis cadat, nunquam consuevit de festo illa die facere, sed transfertur in sequentem feriam; nec commemorationem, quoniam istæ Dominicæ habent historias proprias.

III et IV. *De tertia Dominica et quarta.*

In tertia Dominica Adventus et Missa et sermo mandantur. Si camerarius non dicit Missam in prima Dominica, istam debet celebrare, nisi cardinalis aut aliquis prælatus faceret sermonem, quoniam tunc talis faciet officium totum. In hac die prælatus utitur mitra cum perlis et paramentis pretiosis violaceis. Portat dominus papa etiam pluviale de **449** sindone seu samito cum aurifrigiis de perlis, et mitra aurifrigiata cum perlis utitur; in prima Oratione dicitur *Pax vobis*, et non *Dominus vobiscum*.

In quarta Dominica Adventus sermo et Missa mandantur. Omnia et singula ut supra in prima.

V. *De vigilia Nativitatis Domini.*

In vigilia Nativitatis Domini non est sermo nec Missa. Vesperæ [b] mandantur. Potus fit in aula post Vesperas.

In primis Vesperis sacrista papæ bona hora facit parare pluviale album pretiosum cum imaginibus et perlis, aquilam et mitram pretiosam cum magnis sapphiris, vel aliam juxta voluntatem papæ: quibus indutus pontifex ad Vesperas venit; et duo diaconi, antequam exeat cameram, faciant sibi reverentiam osculando manum cooperto aurifrisio pluvialis papæ. Et isto modo semper observatur quandocunque papa indutus exit cameram. Et facta reverentia flexis genibus ante altare, supra cathedra mitra deposita per antiquiorem diaconum primo; sed duo minores diaconi in cappis laneis remanent cum papa; et alii omnes cardinales cappis depositis sacra recipiunt paramenta, scilicet amictum, latum superpliceum et pluviale; et sic revertuntur duo antiquiores cardinales. Et surgens ab Oratione, duo diaconi cardinales antiquiores a dextris, et alii a sinistris recipiunt oram pluvialis, et alia manu fimbriam retro; et sic ducunt eum ad cathedram solemnem longe ab altari paratam; et ipso sedente, antiquior stet a dextris ipsius, junior a sinistris, capitibus discoopertis. Et tunc veniunt omnes cardinales ordine suo ad reverentiam papæ more solito. Primo prior episcoporum cardinalium; post eum patriarcha, si est ibi; secundo loco subprior episcoporum cardinalium; et post eum alius patriarcha, si est ibi; et sic deinceps secundum ordinem suum.

VI. *Ordo Antiphonarum annuntiandarum.*

Quo facto, papa surgit; stando ibidem, et deposita mitra per illum qui stat a dextris, versa facie ad altare, signando se incipit *Deus, in adjutorium meum intende*, et dicto *Gloria Patri*, subdiaconus papæ stando capite inclinato submissa voce incipit *Rex pacificus*, et postea flectit genua ante eum, et iterum papa reincipit Antiphonam; qua dicta, sedet. Statim chorus reincipit; et ponitur sibi mitra per unum diaconum cardinalem, qui sibi astat a dextris, et per alium, retro caudas aptantes. Secundam Antiphonam incipit diaconus qui stat a dextris; tertiam incipit episcopus cardinalis, qui servit in officio presbyteri; quartam incipit prior presbyterorum cardinalium; quintam diaconus cardinalis qui stat a sinistris; et iste ordo observatur quandocunque sunt Vesperæ papales.

450 Nota quod subdiaconus cum uno acolythorum denuntiat Antiphonam papæ et cardinalibus. Capitulum dicit subdiaconus; Hymnum incipit aliquis de senioribus auditoribus vel acolythis; et statim papa eumdem Hymnum reincipit. Deponitur semper sibi mitra quando cantat. Subdiaconus vero incipit Antiphonam de *Magnificat*; et statim papa eam reincipit. Postquam cantores incipiunt *Magnificat*, papa descendit de sede, et vadit thurificandum altare. Hoc facto, revertitur ad sedem, et thurificatur per episcopum cardinalem in dicta sede; et postea ipse episcopus, dicti duo diaconi a dextris et a sinistris, et postea subsequenter omnes cardinales induti pluvialibus per unum acolythorum; et postea dicit Orationem.

Nota quod Matutinæ non mandantur, sed omnes tres Missæ, neque est sermo.

VII. *De Matutinis.*

In Matutinis vero papa venit indutus cappa lanea. Modernis temporibus est de veluto cremosino, foderata de ermelinis. Hoc adinvenit Bonifacius IX. Cappa lanea de scarleto rubeo, clausa usque ad medium pectoris, cum bireta connodata subtus barbam propter frigus; et sine mitra sedet in dictis Matutinis, quas ipse incipit more solito. Nec stant ante ipsum, nec ad latera cardinales diaconi, sed sedent in scamnis suis juxta ordinem suum.

VIII. *De lectionibus legendis.*

Duas primas lectiones legunt acolythi vel clerici capellæ; tertiam legit junior thesaurariæ clericus; quartam minor presbyter cardinalis; quintam nobilior in genere, qui tunc sit in curia; sextam prior subdiaconorum; septimam junior diaconus cardinalis, qui stat a sinistris papæ; octavam prior diaconorum cardinalium, qui stant a dextris papæ; no-

[a] Psalmus *Lætatus sum* dicebatur ante communionem, inferius, in cap. 45.

[b] Id est significantur cardinalibus, etc.

nam papa, in qua dicit solummodo *Jube, domine, benedicere*, et cantores respondent *Amen*.

Nota quod cardinales qui legunt lectiones ista nocte, post lectionem non veniunt ad osculandum pedem papæ; sed alii dicentes lectiones vadunt ad osculandum pedem papæ, sed non cardinales; et quando dicunt lectiones, omnes habent superplicia, præterquam cardinales, qui stant cum cappis, dicentes lectiones; et lectione lecta per papam, subdiaconus incipit ante papam, *Te Deum laudamus*, et papa iterum resumit *Te Deum;* et cantores perficiunt totum. Dum cantatur *Te Deum*, sacrista facit parari paramenta super altare albi coloris, primo casulam, secundo dalmaticam; super parte sinistra tunicellam; super parte dextra stolam pectoralem, chirothecas, annulos, pallium, tres acus sive spinolas, sandalia super eadem parte; manipulum infra librum Evangeliorum; in sinistra parte mitram, in medio altaris albam simplicem, et ab una parte cinctorium cum succinctorio versus mitram, et fanum a parte dextra; et sic idem sacrista successive et ordinate cum honestate **451** tradit et distribuit capellanis, commensalibus, auditoribus, et acolythis juxta ordinem suum summo pontifici deferendis.

Completo vero *Te Deum*, portantur duo candelabra cum facnlis per acolythos ante papam, et Missale per aliquem episcopum de sibi astantibus; et ponit super caput primi presbyterorum qui sibi servire debet in hac Missa, et papa dicit Collectam. Qua finita, non datur Benedictio, sed acolythi cantant *Benedicamus Domino*. Et interim papa stando duo diaconi cardinales deponunt sibi illa vestimenta præcise usque ad camisiam seu albam Romanam, et induunt ipsum sacris vestibus, prout scripta sunt et notata superius, ordine contrario, quia primo traditur ei alba per illum qui habet legere Evangelium, qui etiam debet esse in habitu diaconi a parte dextra papæ; et per subdiaconum ex parte sinistra. Ambo simul induunt papam. Secundo cinctorium cum succinctorio; et caveat quod illud pendeat ad latus sinistrum. Tertio crucem pectoralem, quarto fanum, et sic deinceps.

IX. *De prima Missa Nativitatis Domini.*

In hac Missa veniunt papæ obviam, eo descendente de cathedra, tres juniores presbyteri cardinales, induti rochetto, amictu, superplicio, et planeta seu casula; et eodem modo in omnibus missis solemnibus papalibus, prout notatur in ordine ipsorum, et in fine continetur libri. Post thurificationem altaris, papa stante vel sedente in sede sua; omnes cardinales faciunt reverentiam papæ, et non in Matutinis. Dicta Missa, et data Benedictione papali, et denuntiata indulgentia, per cardinalem qui ei servit in officio capellani, de VII annis et septem quadragenis, papa revertitur ad magnam cathedram; et mitra deposita per cardinalem qui sibi astat a dextris, incipit laudes *Deus, in adjutorium meum intende*, et revertitur ad revestiarium, ubi debet semper indui. Si papa velit celebrare secundam Missam sine intervallo, non exuit se, sed dicta per eum Oratione, et data Benedictione, vadat ad altare. Si autem per alium celebratur, et immediate, non cappam, sed pluviale deponit, cum aurifrisiatam mitram recipit. Si est infra capellam, et ibi exspoliat se sacris vestibus legendo Laudes cum capellanis suis; et ibidem tantummodo dicit Collectam, et dat iterum Benedictionem, cantato per cantores *Benedicamus Domino*. Quod si non sit revestiarium, ista fiunt in cathedra sua. Resumit cappam clausam quam prius deposuerat, et revertitur ad cameram, si sibi placet, usque sit tempus incipiendi Missam de aurora.

Nota quod in hac Missa nec in secunda non dicitur *Lætatus sum*. Item in præsenti Missa solus pontifex communicat, et super altare; et sine calamo bibit sanguinem, et nihil [a] aliud, quia habet celebrare illam de tertiis; sed cum digitis bene tergat calicem, et cum aqua infra **452** lavet digitos, prout moris est in parvis Missis.

Notandum etiam quod imperator vel rex, si sit in curia hac nocte de sero, clericus capellæ portat sibi librum legendarum, in quo debet legere quintam lectionem; et eum honeste instruit de cæremoniis observandis in petendo Benedictionem, in cingendo ensem cum vagina, extrahendo, et ipsum vibrando, pileo et aliis. Item notandum, paretur per camerarium et clericos ensis cum vagina, corrigia, et pileo secundum nobilitatem principis. Item dum cantatur quartum Responsorium, si sit imperator vel rex, camerarius, sacrista et clerici capellæ parant unum pulchrum pluviale album, et ante pulpitum sibi deponunt caputium, et ipsum induunt ad medium chlamydis illud pluviale, ita quod fissura [b] sit ad manum ejus dexteram; et cingunt ei ensem, et ipsemet extrahit et facit vibrare; et ponunt sibi super caput pileum, et ipse inclinat caput ad papam, et petit Benedictionem, et legit lectionem sibi prædictis astantibus. Qua lecta, ducunt eum sic indutum cum pileo super caput, ense extracto ad manum, ad osculum pedis papæ; et quilibet revertitur ad locum suum.

Notandum etiam quod si papa sit Romæ, hanc Missam debet celebrare ad præsepe Domini, et de sero ibidem cantare Vesperas, et potum cum clericis et nobilibus Urbis facere in aula.

Item quidquid offertur sive ad manus papæ vel pedes, vel super altare, capellanorum commensalium est, excepto pane et vino, quod acolythorum est, et quidquid venit per totam Missam super altare. Et iste modus debet semper observari in omnibus Missis papalibus, prout continetur in libro [c] Politico, secundum quod dicit Jacobus Gaietani; et presbyteri

[a] Huc spectat rubrica Sacramentarii Gregoriani in vigilia apostolorum Petri et Pauli, scilicet quod apostolicus, *quando celebrat duas Missas una die, non lavat os nisi post officium*.

[b] Id non passus est Fredericus tertius imperator, in Musei Italici tomo I, pag. 263.

[c] Id est in libro Cencii camerarii superius edito, qui in hoc Cæremoniali passim *Politicus*, rectius *Polyptychus*, aliquando *Camerarius* appellatur.

cum capellanis recipiunt xu denarios a papa, qui A vocatur presbyterium, de quibus medietas est sacristæ juxta ordinem Urbani.

In hac Missa nec in sequenti cardinales non consueverunt venire ad reverentiam papæ, quoniam bis in die non tenentur (sed quod observatum sit alibi invenies) nisi tantummodo illi tres juniores presbyteri, illi nunquam fallunt. Contrarium ordinavit dominus Urbanus sextus. Sed in secunda Missa de aurora non veniunt, sed in prima et tertia. Bene.

X. *De secunda Missa.*

Missa de aurora mandatur, quam Romanus pontifex, si sit in Urbe, consuevit celebrare. Et egrediens de sancta Maria Majori summo mane indutus mis-alibus vestimentis, vadit ad sanctam Anastasiam, et ibi celebrat. In hac Missa dicitur *Credo in unum* B *Deum*, et *Gloria in excelsis*. Non dicitur *Lætatus sum;* et oblationes ut in alia Missa de media nocte. Etiam papa solus communicat super altare ut in prima, etc.

Qua finita, sic revertitur indutus ad sanctam Mariam Majorem; et **453** depositis paramentis quiescit modicum in camera sua, et hora competente intrat sacrarium seu vestiarium cum episcopis, presbyteris, diaconis cardinalibus, capellanis, subdiaconis et reliquis ordinibus; et cantant Tertiam. Qua dicta, induunt eum solemniter sacris vestibus albis, et quilibet in ordine suo; et sic processionaliter procedunt ad altare cum cruce et septem faculis; et curia debet dare presbyterium, etc.

Quod si papa non sit in Urbe, cardinalis qui habet C titulum sanctæ Anastasiæ consuevit hanc Missam celebrare, et in ejus absentia, si papa non celebret, prior presbyterorum cardinalium.

Notandum quod si papa vellet has duas Missas celebrare, si vellet, posset ambas dicere, absque quod deponeret vestes sacras; sed propter honestatem et nocturnam fatigationem rationabile est quod fiat aliqualis interpolatio secundum temporis congruentiam, et prout expedit propter brevitatem temporis et dierum, quod etiam notandum est. Quo dicto *Te Deum laudamus*, duo ceroferarii accedunt ante papam cum candelabris et candelis accensis, et papa dicit Orationem, et illi *Benedicamus Domino*, cantando. Nec papa dat Benedictionem consuetam, sed post Laudes. Sciendum quod si dictam secundam Missam cele- D brare velit, dicta prima, sacras vestes non deponit, sed cum illis dicit Laudes; quibus dictis, dat Benedictionem, et iterum reincipit secundam Missam.

Hora ergo competente indutus solemniter summus pontifex cum capellanis, subdiaconis, acolythis processionaliter cum septem faculis, cruce et incenso incipit Missam. Ei occurrunt tres juniores cardinales presbyteri ad osculum oris et pectoris. Sciendum quod lecta Oratione consueverunt laudes ejus fieri, sicut habetur in Politico, et notatur in ejus coronatione. Finitis illis laudibus, cantatur Epistola Latina, postmodum Græca. Subdiaconus Latinus exspectat subdiaconum Græcum; et postea ambo vadunt ad osculandum pedem papæ, ducti per clericum cæremoniarum. Sic etiam legitur Evangelium Græcum et Latinum. Diaconus vero cardinalis dicto Evangelio revertitur ad altare, nec exspectat diaconum Græcum, licet iverunt simul, sed Græcus sequens illum. Ad Evangelium Latinum portantur septem candelabra, et immediate dicitur Evangelium Græcum cum duobus candelabris accensis, et alia quinque portantur in altari. In hac die papa in Missa consuevit facere aliquas novitates. Quære in additionibus.

Nota quod si papa stet in laudibus sacris vestibus indutus, cardinalis qui sibi servit debet incensare altare.

XI. *De tertia Missa.*

In hac Missa communicant omnes diaconi cardinales, protonotarii, commensales, et auditores, et omnes in Christo vere famulantes, qui in dignitate episcopali non sunt constituti, quoniam tales per se celebrare populo tenentur.

454 Nota quod in ista communione et in die Paschæ parantur tres calices magni: unus pro consecratione, alius cum quo papa vinum bibit, alius pro communicantibus post sumptionem Eucharistiæ. Vinum sumunt de manu alicujus acolythorum, oblationes vero dividantur ut in prima.

XII. *De secundis Vesperis.*

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali rubeo de samito et mitra aurifrisata. Subdiaconus dicit capitulum, cantores Hymnum, papa Orationes.

Completa Missa, si sit in Urbe, recipit regnum de manu marescalchi majoris, et gestat illud usque ad gradus palatii. Tunc judices et advocati veniunt ei obviam sub gradibus in porticu, et faciunt iterum laudes, prout in libro Politico scriptum est; et ibi dominus papa descendit, et deposito regno accipit mitram. Quæ hic continentur non servantur modernis temporibus. Deinde judices ducunt eum usque ad l cum in quo datur presbyterium. Tunc deposita planeta, et apposito manto super scapulas, sedens in cathedra, manibus propriis dat presbyterium capellanis, commensalibus, et aliis, prout in coronatione. Dato presbyterio, sic indutus vadit ad mensam, et diaconus cardinalis legit in mensa cum pluviali, et in fine cantores cantant Sequentiam *Lætabundus.*

XIII. *De sancto Stephano.*

In die sancti Stephani Missa et sermo mandantur. Interdum Romani pontifices consueverunt ista die celebrare. Ideo nota si papa sit in Urbe.

Summo ergo mane conveniunt omnes ordines, tam clerici, quam laici, induti pannis sericis in basilica, diaconi cardinales et subdiaconi, exceptis illis qui induti vestibus consimilibus in camera papæ, et de quo ducunt ipsum ad basilicam, ubi cardinales et omnes prælati exeunt et veniunt ad reverentiam papæ; ibique induit se planeta alba; et descendens de palatio usque ad porticellam, ibique inveniet equum faleratum, sed non collum ipsius, sed nates de scarleto; et ascendens equum, et de manu diaconi qui

stat a dextris, regnum recipiens, induit ipsum; sicque vadit ad ecclesiam sancti Stephani in Cœlio Monte coronatus cum ordinibus processionaliter, ut scriptum est in Politico. Cum ad prædictam ecclesiam pervenerit, deposito regno intrat ecclesiam, et facta Oratione vadit ad sacrarium; et deposita planeta alba induit rubeam, et celebrat Missam, sicut hesterna die in omnibus ad Missam. Qua finita resumit planetam, et induit regnum, et revertitur ad palatium; cætera sumit prout in Politico continetur.

Quod si papa non celebret, presbyter cardinalis tit. sancti Clementis Missam sancti Stephani prædicti consuevit coram papa celebrare illa die.

455 Ista die commensales capellani, acolythi, auditores, et pœnitentiarii comedunt cum papa splendide, et in collatione datur piper. Sed de istis duobus diebus sanctorum Stephani et Joannis non consueverunt celebrare Vesperas, et male.

XIV. *De secundis Vesperis.*

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali rubeo et mitra.

XV. *De sancto Joanne.*

In die sancti Joannis Missa et sermo mandantur, quam consuevit dicere aliquis cardinalis: ad quam papa venit cum pluviali rubeo de samito, et mitra aurifrisata cum perlis, prout in consistorio. Et ita in secundis Vesperis, in quibus omnes acolythi debent esse cum superpliciis, primo commensales, auditores, et subdiaconi, deinde acolythi et capellani [a] honoris.

XVI. *De Innocentibus.*

In die sanctorum Innocentium consuevit esse Missa et sermo; sed modo non observatur, nec papa venit in secundis Vesperis ad capellam.

Nota quod si veniat Dominica, in Matutinis dicitur *Te Deum laudamus*, et in Missa *Gloria in excelsis* et *Credo in unum*, et paramenta rubea. Quod si non veniat in Dominica, nec *Te Deum*, nec *Gloria*, nec *Credo* dicitur; et paramenta debent esse violacea.

XVII. *De Circumcisione Domini.*

In Circumcisione Domini Missa et sermo mandantur tantummodo. Licet antiquitus Romani pontifices consueverunt in primis Vesperis hujus diei venire solemniter induti cum pluviali pretioso albo et mitra solemni; modernis temporibus [b] venit solemniter cum pluviali pretioso, et bene.

Hanc Missam Romani pontifices semper consueverunt celebrare; nec fit commemoratio de sanctis propter rubricam Clementis sexti.

Item nota, si papa sit in Urbe hac die, et non celebret, sed facit dici Missam per aliquem cardinalem in ecclesia sancti Petri, antequam cardinalis induat, præsentetur bulla quomodo papa dispensat cum eo quatenus possit celebrare super aram sancti Petri, et per totam diem pendet ante [c] regias, et ita in omnibus aliis Missis quæ super illud celebrabuntur.

456 XVIII. *De Epiphania Domini rubrica.*

In Epiphania Domini Missa et sermo mandantur, et Vesperæ non consueverunt mandari. Tamen modo mandantur Vesperæ, et papa portat pluviale pretiosum album, et inchoantur Antiphonæ per papam et cardinales. In utrisque Vesperis papa interest cum pluviali de samito rubeo et mitra aurifrisata.

Hanc etiam Missam antistites Urbis celebrare consueverunt, et de communi cursu semper faciunt, nisi infirmitate aut nimio frigore detenti. In hac die aliquando pronuntiaverunt novos cardinales, sicut in Missa tertia Nativitatis Christi.

Item anno Domini 1389, pontificatus Domini Urbani VI anno 10, festum beati Antonii venit in prima Dominica post Epiphaniam Domini; nihil fecimus de sancto Antonio, sed totum de Dominica retinuimus in Urbe.

XIX. *De Purificatione beatæ Mariæ virginis rubricæ.*

In die Purificationis beatæ Mariæ virginis tantummodo missa mandatur. Non habet Vesperas præcedentes mandantes; sed tamen cardinales in Vesperis sint, et incipiant Antiphonas, et habent paramenta alba.

Sciendum quod si istud festum cadat in Septuagesima aut Sexagesima, transfertur usque in diem Lunæ.

In primis Vesperis papa venit cum simplici pluviali de samito, et mitra aurifrisata.

XX. *De Benedictione candelarum.*

Sciendum quod in die Purificationis beatæ Mariæ virginis cerei benedicantur summo mane per juniorem presbyterum cardinalem, qui esse debet indutus rochetto, alba, amictu, stola et pluviali albi coloris, et mitra simplici de garnello, cum aqua benedicta, incenso, et sociis indutis cum superpliciis, et duobus ceroferariis cum faculis accensis benedicit candelas, prout in Missali et Pontificali Romano continetur.

Completa ergo Benedictione, dominus noster papa in camera paramenti induit se albam sive Romanam camisiam, stolam et pluviale rubeum de samito cum aurifrisiis sive perlis et mitra alba de garnello; et cum pervenerit ad capellam, orat ante altare, aliquantulum accumbens super cathedram et scabellum paratum ad illud. Quod si non sit ibidem **457** capella, accedet ad cathedram suam, et ibi sedet. Postea veniunt cardinales et prælati non parati ad reverentiam papæ, ut alias est consuetum fieri. Qua facta reverentia, vadunt cardinales et cæteri prælati

[a] Hinc corrigenda lectio Jacobi Gaietani, supra, pag. 341, versu ultimo, et legendum, ut hoc loco, *capellani honoris*.

[b] Legendum videtur *non venit*. Confer Cæremoniale Petri Gaietani cap. 77.

[c] Etsi hæc vox *regiæ* non raro portas basilicæ significat apud alios auctores, in his tamen libris passim sumitur pro cancellis altaris, ut infra, cap. 21 et 35. Vide supra Jacobum Gaietani, c. 76 et c. 20 Commentarii nostri prævii. Certe hujusmodi bulla ibidem appendi solet etiamnunc, atque ita factum vidimus die festo sancti Petri in basilica Vaticana, ubi ad unam e columnis, quæ ciborium sustinent, hæc bulla posita est. Legesis Iter nostrum Italicum, pag. 56.

ad recipiendum paramenta sua violacea vel Indii coloris; presbyteri et diaconi cardinales induunt superplicium, amictum latum, et planetam; episcopi vero pluviale, necnon et cæteri prælati similiter pluvialia recipiunt coloris violacei. Quibus paratis, paratur una tobalea per sacristam de lino super genua papæ, quam tenent duo capellani ab utroque latere, aut duo acolythi flexis genibus, unus a dextris, alius a sinistris. Tunc prior episcoporum cardinalium, vel, si absit, subprior, sic descendendo, mitra deposita, stans ante papam, sedente eo in sede sua, cereum recipit de manu camerarii vel alicujus episcopi papæ assistentis; et stans dictum cereum de cera alba grossiori aliis et majori, non accensum, nihil dicendo, dat papæ, osculando manum papæ; et iterum alium eodem modo dat papæ; et ibidem ipse qui porrigit papæ non accensos, et osculatur dextrum genu Domini papæ; et sic inde omnes cardinales faciunt, primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi et prælati assistentes, et consequenter omnes prælati induti genu osculantur: camerarius vero, notarii, auditor contradictarum et corrector, etiamsi aliqui ipsorum essent archiepiscopi vel episcopi, quia non consueverunt venire induti, sed cum cappis laneis, et etiam capellani, tam commensales, qui debent esse cum superpliciis, quam alii capellani, necnon pœnitentiarii, et breviter omnes familiares papæ, et laici, et quicunque alii non familiares, etsi esset rex, flexis genibus recipiunt cereum de manu papæ, et ipso recepto osculantur pedem, et non genu.

Sciendum etiam quod modernis temporibus consuevit recipere rex sicut sedet post priorem episcoporum cardinalium, et ita in ramis Palmarum, et Cinerum.

Sciendum quod si imperator esset præsens, post priorem recipit cereum, et osculatur pedem, et non genu.

Item notandum quod post priorem episcoporum cardinalium, si aliquis intersit patriarcha, candelam recipit de manu domini Papæ. Quod si rex est præsens, post regem candelam recipit subprior episcoporum, et in ejus absentia prior presbyterorum, et tunc patriarcha. Et sic si plures sint ibidem patriarchæ, quilibet recipit post cardinalem qui eum antecedit. Semper debent stare patriarchæ inter duos cardinales, et sic in Processionibus et in Missis stare debent patriarchæ.

Notandum quod omnes cerei, tam papæ, quam alii, non accensi dantur; sed recepti statim accendantur. Interim vero ordinatur Processio per priorem diaconorum cardinalium, qui dicit alta voce, versa facie ad Processionem, *Procedamus in pace;* et respondet chorus *In nomine Christi amen.*

XXI. *De Processione.*

Nota quod immediate ante distributionem candelarum et cinerum, **458** antequam recipiat aliud pluviale et mitram aurifrisatam, lavat manus.

Deinde movetur Processio, et dominus papa indutus pluviali rubeo cum perlis aurifrisiis, deposito alio post distributionem cereorum vel palmarum in die sua cum mitra aurifrisata, quam in Processione candelarum seu palmarum deponit, et tenet faculam accensam vel palmam suo die in manu sinistra, atque vadens cum dextra signat. Omnes etiam alii tenent faculas accensas vel palmas in Processione, paramentis violaceis parati, cum mitris in capite gradiuntur; et papa incedit aliquantulum post capellam processionaliter sub pallio, quatuor militibus pallium deferentibus cum manipulariis [*Forte*, mappulariis], si sit in Urbe; aut quatuor de nobilioribus viris vel clientibus armorum in illorum absentia, sicque pergit ad regias. Et primo ad dexteram partem, secundo ad sinistram veniendo projicit candelas populo, et postea regreditur ad sedem suam; et ibi sedens, extenditur super genua sua tobalea per duos capellanos ipsam tenentes flexis genibus, uno a dextris, alio a sinistris; et sic lavat manus suas aquam effundendo nobiliore, etc.

Notandum quod aliqui dicunt, quod nunquam papa mutat pluviale in Processionibus istis, sed solum mitram aurifrisiatam et sine perlis, quam debet semper portare in Processionibus et diebus. Quod certe credo quod ubicunque sit sine perlis. Ideo sunt duo pluvialia et tres mitræ, alba aurifrisata cum perlis, et alia aurifrisata sine perlis, quas deferunt diebus feriatis. Quibus sic peractis, deponitur ei mitra aurifrisiata, et recipit simplicem de garnello albam et planam. Cantatis Antiphona et Psalmo *Nunc dimittis*, papa assurgit in sede sua, et deposita ei mitra per diaconum cardinalem a dextris ei assistentem, papa cantando dicit Orationem, et immediate diaconus a dextris dicit cantando *Flectamus genua;* cardinalis vero a sinistris assistens dicit cantando *Levate*. Subsequenter papa dicit cantando Orationem, *Exaudi, quæsumus, Domine, plebem tuam*. Deinde, si papa celebrat, dicta Oratione vadit ad revestiarium, si sit; si non, ad cathedram suam longe ab altari paratam a parte sinistra altaris, et deponit mitram albam et planam, similiter et pluviale cum stola, et remanet cum alba prout prius, lectis *Quam dilecta*, et Orationibus illis debitis; et cum dicuntur, calceatur sandalibus. Quibus expletis, lavat manus, et induitur sacris et pretiosis albis vestibus. Similiter omnes cardinales et prælati alii juxta ordinem suum, videlicet episcopi pluvialia, presbyteri casulas, diaconi tunicellas et dalmaticas, prout moris est, quibus utantur per totam Missam. Receptis paramentis per papam, traditur sibi mitra nobilis et solemnis, qua utitur per totam Missam; et postea venit ad altare. Veniendo debent ei occurrere tres presbyteri cardinales juniores ad osculum oris et pectoris juxta ordinem suum. Deinde coram altari facit confessionem more solito: et antequam faciat confessionem deponitur sibi mitra per diaconum a dextris; et thurificato altari, reponitur ei, assistentibus capellano a parte dextra, et diacono a sinistra. Subdiaconus vero remittat pontifici manipulum, dum pontifex facit confessionem, osculando ei manum. Quo facto, recipiat librum Evangeliorum, stet juxta

gradum altaris in sinistra parte: alii ministri stent retro papam **459** facta confessione; post quam dicat *Deus tu conversus*. Cardinalis qui servit in officio capellani accipiat de manu thuriferarii naviculam cum thure, quam ille porrigere sibi debet inter pontificem et altare; et pontifex ponat thus in thuribulo, capellano naviculam, thuriferario thuribulum offerentibus pontifici. Quo facto, dicit pontifex, *Deus tu conversus*, etc., et sic accedat ad altare, duobus acolythis pannos anteriores elevantibus modicum; et inclinatus ante altare dicit Orationem *Aufer a nobis*, et osculetur altare et librum Evangeliorum, quem apertum in eo loco in quo est Evangelium legendum in Missa offerre debet ei subdiaconus, et osculatum per pontificem dimittit clausum super altare. Quo osculato signet se Pontifex sanctæ crucis signo. Tunc chorus incipiat Introitum Missæ, et pontifex vertat se ad dexteram partem altaris; et accipiens thuribulum de manu diaconi lecturi Evangelium, incenset altare, incipiens ab ejus medio contra suam faciem; et prius incenset partem dexteram, postea sinistram; et deinde a sinistro latere redeat ad dexteram, incensando anteriorem partem altaris. Quo incensato, reddat thuribulum diacono, qui osculari sibi debet manum in dando et recipiendo. Non thurificatur papa in altari, sed in sede per assistentem episcopum vel presbyterum cardinalem, facta prius ei reverentia per omnes cardinales. Diaconus vero, incensato pontifice, incensat deinde altare per circuitum; sed prius papa recipit prædictum diaconum ad osculum oris et pectoris, consequenter omnes diaconos juxta ordinem suum, et ultimus parat sibi pallium et subtus capita fani a parte anteriori; et sic capellani et alii diaconi deducunt papam ad sedem suam. Tunc diaconus incenset. Quo facto, legat Introitum Missæ super altare cum sacrista, si sit episcopus; vel cum alio episcopo, qui servit sibi in officio archipresbyteri. Cumque pontifex ad sedem suam venerit, stans super scabellum dicat sine cantu cum cardinali Introitum, *Kyrie, eleison*; cætera fiunt prout sunt notata, quando papa celebrat.

XXII. *De serviendo papæ.*

Nota de serviente papæ in assistendo quandocunque celebrat. Notandum quod in prædicta Missa servit papæ in officio capellani prior episcoporum cardinalium, et semper in Missis quæ per papam celebrantur ipse dominus cardinalis servit papæ in dicto officio; et ipse episcopus sedere debet super faldistorium suum ad dexteram partem sedis papæ supra alios episcopos cardinales, qui sedere etiam debent in eadem parte. Sed nota quando fit sermo, et quando cantatur Evangelium, et quando incipitur Præfatio, dum dicitur *Per omnia*, quando alius prælatus facit officium coram papa, ipse vadit ad sedendum in ordine suo et in loco suo, nisi [a] papamet faceret sermonem, quoniam tunc haberet sedere in ordine diaconorum cardinalium, scilicet ante illum qui papæ assistet a dextris, quoniam tunc papa sederet super parvam cathedram, quasi ante medium altaris, apodiatus ad altare.

460 Nota qualiter debet sedere et ubi papa, quando faceret sermonem.

Si vero papa non celebrat illa die, statim datis cereis, et finita per eum Oratione *Exaudi, quæsumus*, etc., vadit coram altari ad faciendum more solito confessionem, incipiendo *Introibo ad altare Dei*, cum illo qui celebrat, existente a sinistris versa facie ad papam, junctis manibus cum ministris suis duobus diaconis cardinalibus papæ assistentibus, uno a dextris, et alio a sinistris, papa etiam vultu verso et sine mitra erga celebrantem. Qua confessione facta, et data absolutione papæ, papa vadit ad sedem suam, et stando dicit Introitum Missæ cum cardinalibus ante ipsum in modum coronæ semper remanentibus, duobus diaconis juxta latera sua, vel aliquo episcoporum de sibi assistentibus non cardinalibus librum inter manus tenentibus; et dicto etiam ibidem *Kyrie*, papa sedet in sede sua. Si papa non celebrat ista die, ante confessionem cardinalis et prælati deponunt sacra paramenta, et exinde omnes cardinales deponunt paramenta, etc., et resumunt cappas laneas, et etiam omnes subdiaconi, auditores, et capellani, etc., prælati vero secundum modum antiquum debent receptis candelis paramenta deponere; sed modernis temporibus consueverunt in Processionibus semper papam sacris indutum vestibus associare post eum, antecedentibus cardinalibus; et quando cardinales deponunt paramenta, ipsi etiam debent deponere. Est honestius ut prælati stent parati etiam per totam Missam inclusive, si papa celebret; et si non, saltem quandiu cardinales tenebunt paramenta.

Sciendum quod incœpto Evangelio, etiam si papa celebraret, cardinalis diaconus in sinistra parte assistens recipit cereum accensum de manu militis vel domicelli papæ stantis etiam a parte sinistra, et ponit eum in manu papæ, ipsam manum deosculando in dando et recipiendo; et ipsum tenet papa accensum, et cardinales etiam, et omnes alii suos in manibus suis accensos tenent cereos sive candelas, quousque Evangelium sit cantatum. Quo finito, prædictus diaconus de manu papæ cereum recipit, et eum accensum domicello seu militi reddit; et etiam cardinales et cæteri prælati suis servitoribus tradunt suos cereos accensos usque ad finem Missæ tenendos, sicut, antequam Evangelium legeretur, tenebant; hoc excepto, quod quando debet incipi sermo, si fit, quod non est consuetum modernis temporibus, omnes cerei debent exstingui; sed statim finito sermone iterum accendi, et debent teneri per militem accensum seu domicellum papæ, et alios servitores cardinalium et aliorum prælatorum usque ad finem Missæ. Sciendum tamen quod cardinalibus dantur cerei grossiores et majores aliis, et etiam prælatis, sed minores cardinalium illis, tamen de eadem cera. Cæteris existentibus in Missa dantur candelæ com-

[a] Eadem voce *papamet*, id est papa ipsemet, utitur auctor inferius non semel; sic in superiori libro *pontifexmet*, pag. 369.

petentes; deinceps officialibus papæ, qui aliquantulum majores recipiunt. Cætera fiunt prout in aliis Missis fieri consuetum est.

XXIII. *De Cathedra sancti Petri rubrica.*

In Cathedra sancti Petri nec sermo, nec Missa consueverunt mandari, quia non sunt secundum modernos, licet antiquitus consuevit esse; sed 461 dominus Urbanus papa sextus in primo anno et in secundo anno mandavit fieri. In primo fecit sermonem cardinalis Gradensis, in secundo fecit cardinalis Bonaventura de Padua Augustinensis in ecclesia sancti Petri de Urbe, Urbano Missam celebrante in sancto Petro.

XXIV. *De prima die Quadragesimæ seu Cinerum.*

In die Cinerum feria quarta in capite Jejunii, scilicet prima die Quadragesimæ, sermo et missa mandantur.

Hac die fiunt cineres de ramis palmarum olivarum anni præteriti per sacristam vel ejus clericum qui capellæ curam gerit. Secundum dominum Jacobum Gaietani benedicuntur per juniorem presbyterum cardinalem cum ministris albis tantum paratis; et ipse paratus cum pluviali, incenso et aqua benedicta, antequam papa exeat de camera sua, illos benedicit. Post hæc vero, si papa non fuerit in Urbe, dominus papa indutus manto sive pluviali rubeo sine aurifrisiis sive perlis, et mitra etiam sine aurifrisiis et perlis, alba et plana de garnello, veniens de camera sua vadit ad capellam, et orat more solito ante altare, ubi debet esse cathedra scabello præparata. Deinde vadit ad sedem suam, panno de veluto violaceo ornatam per primicerium seu folcarium; et ibi sedet, et tunc veniunt cardinales ad reverentiam. Facta reverentia solita papæ per cardinales et alios prælatos, omnes cardinales et alii prælati vadunt ad recipiendum paramenta, videlicet diaconi cardinales cottam, amictum latum, planetam; presbyteri cardinales similiter, et planetam; episcopi vero cardinales et omnes alii prælati similiter, et pluvialia violacei coloris recipiunt. Quibus paramentis per cardinales receptis et per omnes alios prælatos, extenditur quædam tobalea linea, quam sacrista porrigere debet, per duos capellanos super genua papæ, flexis genibus ipsam tenentes, uno a dextris, et alio a sinistris; et tertius capellanus vel prior subdiaconorum . . . . . . planetæ violacei coloris, recipiens pelvim cum cineribus de manu sacristæ coram papa, flexis genibus a parte dextra papæ tenet basinum de argento prædictum cum cineribus qui debent dari papæ, assistentibus duobus diaconibus more solito, uno a dextris, et alio a sinistris, paratis; et deposita mitra papæ per diaconum cardinalem a dextris sibi assistentem, prior episcoporum cardinalium, si est præsens; sin autem subprior episcoporum aut prior presbyterorum, et sic descendendo, stando, et nihil dicendo imponit cineres super caput papæ ad modum crucis, inclinante pontifice caput, et sedente. Deinde idem prior genuflexus ponit caput suum inter genua papæ, et papa eodem modo ponit cineres super caput ejus dicens *Memento, homo*, postea genu osculatur dextrum papæ.

Nota quod si sit imperator vel rex, post ipsum recipit cineres, et pedem papæ, et non genu osculatur; deinde omnes cardinales, primo episcopi, secundo presbyteri, tertio diaconi, et omnes alii prælati, qui sunt parati, genu papæ osculantur in receptione cinerum, patriarchæ post; camerarius vero papæ, notarii, auditores contradictarum, et corrector, etsi aliquis ipsorum esset episcopus vel prælatus, quia non consueverunt venire 462 parati, sed cum cappis laneis, et capellani tam commensales, quam continui alii, qui debent esse in cottis, necnon pœnitentiarii, et breviter omnes alii familiares, etiam si esset rex, dux, aut comes, flexis genibus recipiunt cineres a papa; et ipsis receptis osculantur pedem papæ, et non genu.

Sciendum quod si rex esset præsens, cineres recipit post priorem episcoporum cardinalium, prout dictum est; sed filii regum, si etiam intersint, eodem modo quo sedent inter cardinales, cineres recipiunt, et patriarchæ etiam, de quibus dicetur inferius in suo loco. Quibus cineribus datis et ablutis papæ manibus, extensa alia tobalea linea per acolythos et capellanos, dominus noster papa surgit de sede, et ibidem stando, deposita mitra, dicit cantando *Dominus vobiscum*. Et nota quod non dicatur, *Flectamus genua*, sed statim dicit hanc Orationem, *Concede, quæsumus, Domine, præsidia*. Qua completa Oratione, papa recedit, et vadit ad recipiendum paramenta sua in revestiario, paratis solemniter per sacristam et ejus clericos nigri aut violacei Indii coloris. Verumtamen modernis temporibus Romana Ecclesia istis tribus utitur quasi pro uno colore, sed hac die papa utitur violaceis paramentis vel Indii coloris. Quibus receptis, et mitra sibi reposita, venit coram altari, et veniendo occurrere debent ei tres juniores presbyteri cardinales parati; et ipse debet eos recipere secundum ordinem suum ad osculum oris et pectoris. Deinde coram altari facit more solito confessionem suam; postea vadit ad osculandum altare et librum; et accepto thuribulo a priori episcoporum qui sibi servit, altare thurificat. Quo facto, et reposita ei mitra, subdiaconus retro cum ambabus manibus tenet eum in scapulas; deinde vertit se ad diaconos cardinales, qui ei more solito faciunt ibidem reverentiam; et ipse eos recipit secundum ordinem suum ad osculum oris et pectoris; et sic fiunt omnia, prout in aliis Missis est fieri consuetum. Postmodum vadit ad sedem suam magnam, ubi stando cum cardinalibus dicit Introitum Missæ et *Kyrie eleison*.

XXV. *De Missa et Oratione.*

Notandum quod secundum dominum Jacobum Gaietani in hac Missa non debet dici nisi tantum una [a] Oratio, licet modernis temporibus consueverunt dici tres. Item in prima Oratione dicitur *Dominus vobiscum*, et non *Pax vobis*.

Item notandum quod in hac Missa dicitur tractus

[a] Ita in superioris Cæremonialis cap. 80.

Domine, non secundum peccata nostra, et dum perventum fuerit ad versum *Adjuva nos Deus salutaris noster*, dominus papa, deposita mitra, stat genuflexus in sede sua, quandiu cantatur ille versus. Sed si papa non celebraret, sed alius coram eo, debet ire ad cathedram cum scabello ante altare paratam; et ibi stat quandiu versus ille cantatur deposita mitra; et ipso finito, debet redire ad sedem suam reposita mitra. Et etiam dicto *Sanctus*, si non celebret, statim debet accedere ad eamdem cathedram, et ibi stare usque ad *Agnus Dei* cum mitra. Et cum incipitur *Per omnia*, etc., redit ad sedem suam. **463** Sciendum quod in hac Missa etiam dicitur præfatio Quadragesimæ, videlicet *Qui corporali jejunio*, et dicitur in tono feriali.

Item notandum quod in fine dicitur Oratio super populum, *Inclinantes se*, etc. Finita vero ultima Oratione, et responso *Amen*, papa dicit *Oremus*; et ille qui legit Evangelium versa facie ad papam, dicit alta voce, *Humiliate capita vestra Deo*. Finita vero Missa, iterum versa facie ad papam dicit *Benedicamus Domino*. Et ibidem ante medium altaris verso vultu ad populum dominus papa dat Benedictionem more consueto; deinde vadit ad sedem suam, et deponit paramenta, prout habetur in aliis Missis.

XXVI. *De serviendo papæ diebus processionalibus.*

Sciendum quod in largitione candelarum in hac die Cinerum, in die ramis Palmarum, et semper in diebus processionalibus, prior episcoporum servit papæ, dum distribuit illas. Sed notandum quod datis cineribus, prior episcoporum vadit ad sedem suam, prius lotis papæ manibus, deinde venit prior presbyterorum, et servit papæ per totam istam missam in officio capellani seu archipresbyteri.

XXVII. *De Indulgentiis.*

Item notandum quod in hac Missa, posito quod papa non celebret, consueverunt dari VII anni et VII quadragenæ, licet aliqui dicunt quod non debeant dari nisi in casu quod ipse celebret. Verumtamen propter majorem devotionem dantur VII anni.

XXVIII. *De prælato qui servit papæ.*

Nota etiam quod prælatum qui servit papæ, tam in præsenti Missa quam etiam solemnibus Missis in officio archipresbyteri de libro missali, debet subdiaconus thurificare immediate post cardinalem et omnes papæ assistentes, et clerici debent dare postea immediate post cardinales ante ambassiatorem et patriarcham.

XXIX. *De officio diaconi cardinalis, quando dicit Evangelium in die Cinerum.*

Notandum de officiis diaconi cardinalis dicturi Evangelium ista die, quod dum papa legit Tertiam cum capellanis suis, ipse diaconus vadit ad sedem suam cottam, amictum [*Forsan* latum]..... et albam cum cingulo, et stolam super humerum sinistrum; et cum eo subdiaconus, etiam cum alba et manipulo indutus, induunt antistitem ut moris est. Quo solemniter induto, more solito antequam descendat de cathedra, diaconus et subdiaconus planetas recipiunt, et alii cardinales, quas levare debent a parte anteriori super brachia usque ad pectus medium, ita quod aliquantulum dependeat infra ante pectus.

Nota quod subdiaconus, antequam legat Epistolam, deponit planetam; **464** et dicta Epistola eam recipit, et librum portat Missalem ante papam, osculato prius pede. Cum autem cantores incipiunt cantare *Domine, non secundum peccata*, diaconus cardinalis, recepto prius manipulo in brachio sinistro de manu capellani sibi in prædicta Missa servientis, surgit, et exuit planetam, et plicatur ei ad modum stolæ per ministros suos et clericos, quam tunc portat super humerum sinistrum, et firmantur capita planetæ ad latus dextrum inter cinctorium; et sic tenet eam per totam Missam, quousque ipse et subdiaconus communicaverint de manu papæ, et sanguinem sumpserint super altare, prout est fieri consuetum; et statim facta communione, ipse induit planetam ad modum aliorum diaconorum cardinalium, et sic etiam tenet usquequo papa dederit Benedictionem. Qua data, planetam deponit, et subdiaconus etiam, et remanent cum albis, prout erant quando papam induerunt; et sic exspoliant papam. Quo facto, deponunt paramenta.

Sciendum quod si papa non celebret illa die, sed alius coram eo, modus et omnes ritus observentur in Processione in recipiendis cineribus, et aliud prout supra notatum est.

XXX. *De receptione cinerum.*

Notandum quod si ille qui facit hac die coram Romano pontifice officium, si sit episcopus, non tamen prior episcoporum, post priorem cardinalium episcoporum debet recipere cineres de manu papæ, etiam si rex esset præsens; et rex post ipsum immediate; et debet esse indutus paramentis sacris usque ad casulam inclusive, et non cum pluviali, sed cum mitra alba simplici recipit cineres.

XXXI. *Quando rex recipit cineres.*

Nota quod si rex recipit cineres, sit indutus sacris vestibus, et mitra alba.

Item notandum quod si ille qui facit officium in hac die et in die Purificationis, ac in die Palmarum, si sit cardinalis, ipse benedicit candelas, cineres, et ramos, et non junior presbyter cardinalis, indutus sacris vestibus usque ad casulam.

Item notandum quod si ille non sit cardinalis, sed alius, primas, archiepiscopus, aut episcopus, debet candelas, cineres et ramos recipere ante diaconum cardinalem, sacris indutus vestibus, ratione officii et personæ papæ quam repræsentat.

XXXII. *Quomodo debet sedere patriarcha.*

Item notandum quod si esset patriarcha, qui semper sedere debet inter episcopos cardinales, debet candelas et cineres recipere post priorem episcoporum. Quod si rex esset, immediate post, ante omnes alios.

Advertendum tamen, prout dicit rubrica antiqua, et est vera, quod ille **465** qui facit officium coram papa,

quicunque sit, sive cardinalis sit, sive non, repræsentat personam papæ. Idcirco deberet ratione officii cineres recipere ante omnes cardinales immediate post priorem episcoporum cardinalium. Modo non observatur, nisi inter religiosos, ista regula. Cardinalis qui sedet post regem..... Sed quid de hoc consuetum sit fieri, in additionibus notabo saltem meis temporibus.

XXXIII. *Quomodo rex debet sedere.*

Notandum quod si rex esset, tunc sedet inter priorem episcoporum cardinalium, et illum qui servit papæ in officio capellani super cathedram suam nudam et bassam.

XXXIV. *Quando papa non celebrat hac die rubrica.*

Item sciendum quod si papa non celebret, datis cineribus, et lotis manibus, et finita Oratione per eum, *Concede nobis, quæsumus, præsidia*, papa vadit coram altari ad faciendum more solito confessionem cum illo qui celebrat. Qui stat inclinatus, ante pectus junctis manibus, ad latus sinistrum papæ duobus diaconibus antiquioribus sibi assistentibus, uno a dextris, et alio a sinistris. Papa incipit *Introibo ad altare Dei*. Qua confessione facta, papa redit ad sedem suam, et stando et sine mitra dicit Introitum Missæ cum cardinalibus more solito. Quo finito, papa sedet in sede sua. Deponunt deinde omnes cardinales paramenta sua, et recipiunt cappas suas laneas; prælati vero alii statim receptis cineribus paramenta deponunt.

XXXV. *De illo qui celebrat coram papa.*

Notandum quod cum ille qui celebrat coram papa in hac die, et etiam in alio tempore, quando est Missa de feria, vigilia, aut quatuor temporibus, sive solemniter celebretur aut ferialiter, et etiam secrete, papa, dum sacerdos dicit primas et ultimas Orationes, descendit de cathedra sua magna, et vadit ad cathedram bassam cum scabello pro eo paratam; et ibi mitram tenens in capite, stat genuflexus, nisi causa devotionis eam velit deponere; et sic stat quousque Orationes fuerint dictæ. Quibus finitis, dum dicitur *Per Dominum nostrum*, etc., aut *Qui vivis*, surgit et revertitur ad sedem suam.

Nota etiam, dicto *Sanctus* per eum, incontinenti vadit ad cathedram ante altare, et genuflexus ibi residet usque ad *Agnus Dei*.

Item notandum etiam quod quando dicitur Oratio illa super populum, dicto *Humiliate capita vestra Deo*, deponitur mitra per diaconum cardinalem sibi a dextris assistentem. Qua completa, regreditur ad sedem suam, et reponitur ei mitra per eumdem cardinalem. Item notandum, quod quando dicitur ille Versus Tractus, *Adjuva nos, Deus salutaris noster*, **466** papa descendit de cathedra et vadit ante altare, ut supra notatum est.

Notandum quod dum celebrans dicit *Per omnia sæcula sæculorum* ante *Agnus Dei*, papa surgit, et regreditur ad sedem suam; et ibi stat pedes, quousque celebrans dicit *Pax Domini*; et tunc deponitur sibi mitra, et stat capite discooperto, donec sanguinem et corpus celebrans sumpserit. Reliqua fiant ut supra notata sunt.

Advertendum etiam quod cardinalis qui celebrat ista die coram papa, dum recipit cineres a papa, non deponit planetam, sed totus paratus cineres recipit per modum superius notatum, licet in donatione candelarum venire debeat cum pluviali, et non tantum casula, ratione Processionis. Notandum etiam quod camerarius exit regias, et dat cineres stando pedes illis qui sunt extra, et in ejus absentia alius prælatus cui mandatur.

XXXVI. *Quando papa est in Urbe.*

Sciendum, quod si papa fuerit hac die Cinerum in Urbe, omnes conveniunt ad sanctam Anastasiam. Sed antequam veniat dominus noster, ibidem fiunt cineres de palmis præteriti anni, et benedicuntur a juniori presbytero cardinali cum ministris paratis in albis tantum. Deinde dominus [a] præsul vadit ad dictam ecclesiam comitante eum tota curia, et dicit ibi Sextam, quoniam antequam descendat de palatio debet dicere Tertiam. Postmodum imponitur ei cinis benedictus per priorem episcoporum aut per subpriorem. Deinde dominus papa ipse reponit cineres super capita eorum dicens *Memento, homo*. Postea ordinatur Processio per priorem diaconorum cardinalium.

XXXVII. *Quando antistes velit pergere pedes.*

Notandum quod si dominus antistes velit pergere pedes, debet se induere vestimentis missalibus usque dalmaticam inclusive, antequam cineres recipiat. Post impositionem cineris debet se discalciare per suos cubicularios, et indui nigra casula vel violacea; et pergere processionaliter usque ad sanctam Mariam Scholæ Græcorum, et usque ad sanctam Sabinam, ubi est statio, pedibus discalceatis. Interim schola seu cantores cantent per viam Antiph.; demum sequuntur litaniæ, prout sunt in Politico. His finitis, dominus papa ablutis pedibus ad sanctam Sabinam secrete in sacristia per cubicularios suos subdiaconos et commensales, aqua parata calida cum herbis odoriferis per prædictos cubicularios; tapeta vero, bancalea, et alia necessaria ad illud per febrarium cum cursoribus. Quibus lotis pedibus, calceatur sandaliis violaceis sine perlis legendo Nonam, et *Quam amabilia tabernacula tua, Domine, Deus virtutum*. Perinde induitur sacris violaceis paramentis, et sine perlis; **467** et sic procedit ad divina peragenda, prout est moris. Solet dominus papa hac die ad Missam unam tantum Orationem cantare, et in omnibus diebus Quadragesimæ.

XXXVIII. *Quando papa non est in Urbe rubrica.*

Si vero dominus papa non sit in Urbe, conveniant vero omnes clerici et populi ad ecclesiam sanctæ Sabinæ; et dicta Tertia, benedicantur cineres a pon-

[a] Similiter papa vocatur in titulo capitis sequentis *antistes*, et in contextu *dominus antistes*.

tifice vel a sacerdote qui debet cantare Missam more solito, prout in Missali continetur. Finita Benedictione pontificis vel sacerdotis, dum ponitur cinis illi qui celebrat Missam per alium episcopum vel sacerdotem, si adest; sin autem, ipse sibi imponit; deinde imponit clero et populo, dicendo cuilibet *Memento, homo*, etc. Interim cantatur *Emendemus in melius*, etc. Finita impositione cinerum, dicitur Oratio, scilicet *Quæsumus*, etc., ut supra. Postmodum procedit ad altare ad divina peragenda. Hoc idem servatur in capella papæ, quando papa non celebrat, hoc excepto, quod sibi et omnibus per alium imponitur cinis.

Idcirco notandum quod papa nunquam debet sibi imponere cineres, sed in absentia cardinalis ille qui celebrat tunc sibi debet imponere cineres soli, et papa tunc aliis.

XXXIX. *De modo incedendi Romani pontificis.*

Nota de modo incedendi Romani pontificis in diebus pœnitentialibus et processionalibus in loco suo. In pontificatu domini Bonifacii IX anno quarto Perusium ipse dedit cineres indutus pluviali et mitra sine perlis. Quibus datis, deposito pluviali et mitra, reassumpta chlamyde absque mitra, sic stetit per totam Missam propter frigus.

Nota quod anno 1395 dominus Bonifacius nonus dedit cineres. Quibus datis, deposito pluviali, recepit chlamydem; et sic absque mitra stetit in Missa propter frigus, neque cardinales diaconi sederunt ante eum, sed in locis suis. Dominus cardinalis Bononiensis dixit Missam, et dedit cineres papæ, et immediate papa dedit sibi cineres ante omnes cardinales. Verum quod tunc non fuit aliquis episcopus cardinalis, et prædictus dominus noster papa ordinavit quod iste modus semper observari debet, quod ille qui celebrat imponat papæ cineres; anno pontificatus sui quinto in die sancti Matthiæ. Tunc fecimus de feria, et non de festo; sed die Jovis immediate sequenti factum fuit de festo.

XL. *De Dominica prima Quadragesimæ rubrica.*

Dominica prima Quadragesimæ sermo et Missa mandantur. Notandum quod hac die et deinceps in diebus Dominicis usque ad Dominicam in ramis Palmarum tantum coram papa celebratur præsentibus cardinalibus. **468** Papa indutus manto rubeo cum aurifrisiis sine perlis, portans mitram albam et planam de garnello sine perlis, excepto quarta Dominica, de qua dicetur infra; et sic venit ad capellam, et orat more solito coram altari, ubi debet esse cathedra cum scabello parata; et facta Oratione, amota prius per clericum aut servitorem capellæ cathedra et scabello prædictis, papa facit confessionem cum illo qui celebrat. Qui stare debet a parte sinistra juxta diaconum cardinalem, assistentibus duobus diaconibus cardinalibus, uno a dextris, et alio a sinistris, de antiquioribus. Deposita mitra, papa incipit *Introibo ad altare Dei*, etc. Qua facta confessione, vadit ad sedem suam, et dicit Introitum Missæ et *Kyrie, eleison*. Primo fit ei reverentia per omnes cardinales semper antequam incipiat; postea sedet, et tunc fit ei reverentia per omnes alios prælatos more solito.

XLI. *Quod in Dominicis Quadragesimæ prior presbyterorum cardinalium servit papæ in officio capellani.*

Notandum etiam quod in ipsis diebus dominicis Quadragesimæ prior presbyterorum cardinalium servit papæ in officio capellani. Qui stare debet super scabellum ante diaconum qui stat a dextris, prout notatur in suo loco.

Notandum quod secundum dominum Jacobum Gaietani in ista Dominica, nec in aliis Dominicis Quadragesimæ, non debet dici nisi tantum una Oratio in Missa. Nunquam dicatur illa Oratio *Ecclesiæ tuæ*, in capella papæ. Et ratio est quia semper dicitur *Deus, omnium fidelium*. Et istæ non dicantur simul, nisi copulative ponantur. Verumtamen modernis temporibus plures consueverunt dici, videlicet prima de die, secunda *A cunctis*, tertia *Deus omnium fidelium*, quarta *Omnipotens sempiterne Deus qui vivorum*, etc.

Notandum etiam quod dum dicuntur prædictæ Orationes primæ et secundæ seu ultimæ, papa non descendit de cathedra, sed stat pedes in sede sua, nec deponitur sibi mitra, nisi causa majoris devotionis.

Item notandum quod Romanus pontifex nunquam descendit de cathedra sua, dum dicuntur Orationes in Missa, nisi in vigiliis, litaniis, et ferialibus diebus.

Notandum etiam quod dum celebrans incipit primam Orationem in Quadragesima et in Adventu, semper debet dicere, *Dominus vobiscum*, et non *Pax vobis*, exceptis Dominicis de *Gaudete* et *Lætare*, quibus dicitur *Pax vobis*, dato etiam quod papamet celebraret.

XLII. *De extractione mitræ rubrica.*

In Evangelio extrahatur mitra de capite papæ per diaconum cardinalem qui ei assistet a dextris. Quo dicto, reponitur ei per eumdem, semper adjuvante alio qui stat a sinistris; et veniens ille qui habet facere, osculatur dextrum pedem papæ, et petit Benedictionem a papa. Qua recepta, **469** papa sibi committit quatenus ex parte sui denuntiet omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui sunt vel erunt in statu gratiæ infra VIII dies, tres annos et tres quadragenas de indulgentia. Finito vero sermone, diaconus qui dixit Evangelium, dicit coram papa *Confiteor* per modum consuetum. Quo finito, incontinenti qui prædicavit denuntiet Indulgentiam. Qua denuntiata, si sit prælatus celebrans, descendit cito de cathedra seu de ambone, et vadit ad bassam suam cathedram mitra sua reposita, sive sit prælatus, sive non; vadit ad locum suum, et papa, deposita mitra, dicit, quasi legendo, *Misereatur vestri*, etc. et dat Benedictionem signando; et camerarius vel alius de circumstantibus papæ et ejus domesticus levat oram papæ chlamydis cum ambabus manibus, et tunc celebrans dicit *Credo in unum*.

Notandum tamen quod in Missis dominicalibus consueverunt dari quinque anni et quinque quadragenæ de Indulgentiis, et in quarta Dominica de *Lætare* VII.

XLIII. *De Indulgentiis dandis in Missa.*

Notandum etiam, quod Romanus pontifex nunquam consuevit dare VII annos, nisi ipse celebraret in Missis, nisi in Dominicis de *Gaudete* et *Lætare*. Papa, extracta mitra, cum cardinalibus dicit *Credo in unum*, et dum ipse et cantores cantant illa verba: *Et incarnatus est de Spiritu sancto*, etc. Papa genuflectit, et semper extrahitur sibi mitra, et etiam dum dicitur *Ave, Maria* in [a] principio sermonis.

XLIV. *De extractione mitræ.*

Item extrahitur mitra papæ, dum dicitur *Sanctus*. Quo dicto, ponitur sibi. Item notandum quod quando celebrans incipit facere crucem super panem et vinum consecrandum, tunc vadit ad cathedram ante medium altaris cum scabello paratam; et dum debet elevari corpus Christi, extrahitur sibi mitra. Quo elevato, surgit et redit ad sedem suam, et ibi stat pedes cum mitra in capite, quousque dicitur *Pater noster*, *Et ne nos*, etc. Et tunc descendit, et vadit ad bassam cathedram ante medium altaris una cum scabello paratam; et ibi flexis genibus super scabello cum celebrante dicit *Lætatus sum*. Et dictis tribus Orationibus per celebrantem, semper habet mitram in capite. Tunc surgens revertitur ad sedem suam; et cum celebrans dicit *Pax Domini*, etc., deponitur sibi mitra, et dicit cum cardinali *Agnus Dei*, et sic semper stat sine mitra, quousque ille sumpserit corpus Christi et sanguinem. Quo facto, reponitur ei mitra, et eam tenet in capite, quousque in finem Missæ dicit cantando *Sit nomen Domini benedictum*, etc.; et **470** cantando dat Benedictionem. Et antequam dicat *Sit nomen Domini benedictum*, deponitur ei mitra, et subdiaconus ante ipsum tenet crucem, ita quod crucifixus sit ante faciem papæ; et camerarius tenens flexis genibus coram chlamydis, si non sit cardinalis, dat Benedictionem. Qua data, reponitur ei mitra, et sic revertitur ad cameram suam, assistentibus ei duobus diaconibus cardinalibus more solito antecedentibus immediate.

Notandum etiam quod in fine dictarum Missarum dicitur *Benedicamus Domino*, per diaconum qui legit Evangelium, et dicitur versa facie ad altare.

Notandum etiam quod quando aliquis cardinalis facit officium Missæ coram papa, omnes cardinales exspectare debent illum, quousque ille deposuerit sacra paramenta, et resumpserit quotidiana; et cum eo vadunt ad cameram papæ post eum. Deinceps, demptis illis duobus diaconibus, qui papam antecedunt, vel si omnes exspectare noluerunt, saltem duo exspectare debent.

XLV. *De festis duplicibus venientibus in Quadragesima.*

Notandum quod si aliquod festum duplex quodcunque, etiam si sit festum tituli cardinalis, si venerit in Dominicis Quadragesimæ et Adventus, quarum quælibet habet historiam propriam, nullo modo fit de festo, sed de Dominica, nec commemoratio; sed transfertur in secundam feriam. De aliis vero festivitatibus, quæ cadunt in ipsis Dominicis per circulum totius anni, nota rubricam Breviarii quæ ibi in principio notatur, *Quod si aliquod festum novem lectionum*, etc.

XLVI. *De secunda Dominica Quadragesimæ.*

Dominica secunda Quadragesimæ sermo et Missa mandantur; alia fiant ut supra.

XLVII. *De tertia Dominica Quadragesimæ.*

Dominica tertia Quadragesimæ sermo et Missa mandantur; alia fiant ut supra.

XLVIII. *De quarta Dominica Quadragesimæ, quæ vocatur de Rosa.*

Dominica quarta Quadragesimæ, quæ vocatur de Rosa seu *Lætare, Jerusalem*, sermo et Missa mandantur. Statio ad sanctam Crucem. Si papa sit in Urbe, bono mane celebrat secrete et bassæ Missam suam, nisi vellet facere sermonem, quia tunc etiam diceret Missam. Id certo nota quod quandocunque Romanus pontifex facit sermonem, debet etiam Missam celebrare; et etiam quicunque alius prælatus eodem modo. Finita ergo Missa, intrat cameram suam, et parat se eundi ad magnam Missam.

471 Quod si papa fuerit in Urbe, paret se in camera more solito cum mitra aurifrisiata nobilem, sed non pretiosam; alias portaret aurifrisiatam simplicem; sed propter Processionem portat nobilem illam cum imaginibus. Quo induto, venit camerarius cum rosa aurea, et flexis genibus præsentat papæ, et osculatur ei manum; et sacrista præsentat balsamum cum musqueto, quæ debet recipi ab aliquo cubiculariorum papæ: et papa infundat super rosam balsamum et musquetum. Et sic bajulans rosam exit de camera, et vadit ad capellam suam; vel, si in Urbe fuerit, ad sanctam Crucem in Jerusalem. In manu sinistra eam tenet, et cum alia signat; et sic eam tenet quando facit confessionem, etsi non celebrat, quoniam tunc, dum incipiet *Confiteor*, dictam rosam tradet diacono cardinali qui eum servit a dextris; et post osculationem altaris et incensationem iterum recipit, dicto prius Introitu Missæ, de manu prædicti diaconi, et sic tenet eam. Quod si aliquis celebret coram eo, illam non dimittit in tota Missa, nisi dum flectit genua ante medium altaris, et in elevatione corporis Christi, et dum dicitur *Lætatus sum*; et etiam dum dicit illas Orationes, dimittit.

Nota quod semper diaconus cardinalis in capite-

[a] Hinc patet sæculo XV jam usum invaluisse ut Salutatio angelica præmitteretur *in principio sermonis* seu concionis, sive id intelligas absolute de principio ante exordium, ut fit hodie quoque in quibusdam Italiæ et Germaniæ locis, quod commodius et opportunius videtur; sive de principio post exordium, ut apud nos.

do et dando dictam rosam debet osculari manum A papæ.

Nota quod in præsenti Missa, si esset aliquis rex, et papa non celebraret, ipse rex sederet inter primos duos episcopos cardinales. Quod si papa faceret officium, sederet super bassam et nudam cathedram sine scabello ad latus dextrum papæ prope episcopum cardinalem, qui papæ servit, quasi inter ipsum et subpriorem episcoporum.

Notandum quod in Missa præsenti, dato quod papa non celebraret, consueverunt dare VII annos et VII quadragenas de indulgentia. Missa vero finita, dominus papa dictam rosam in manu portat usque ad cameram suam; vel, si sit in Urbe, usque ad Lateranense palatium; et dum revertitur, sequuntur eum omnes nobiles in curia præsentes. Et dum ad came- B ram suam redierit, si sit extra Urbem, dat ipse dominus papa rosam nobiliori, vel illi soli cui magis placet; et ille incontinenti flectit genua, et osculatur pedem papæ, dato, etiam si esset rex. Deinde papa recipit ipsum ad osculum oris. Quo facto, ille recedit eum comitantibus duobus diaconibus antiquioribus cardinalibus, et cum illo equitant aliquantulum per civitatem, quantum sibi placet.

Sic etiam si sit rex vel imperator, aliqui de aliis cardinalibus eum modicum equitando associare consueverunt; et sic revertitur ille ad comedendum cum papa; et facto prandio, cum gente sua equitat per civitatem absque cardinalibus, cum suis nobilibus et principibus.

Quod si papa sit Romæ, rosam prædictam defert C papa usque gradus palatii Lateranensis, ubi quiescere debuit nocte præcedente; et in descensu equi præfectus Urbis, indutus scarleto vel purpura, habens unam caligam et aliam deauratam, tenet papæ stapam; et dominus papa cum descendit, dat ei auream rosam; et ille flexis genibus osculatur pedem papæ dextrum, et dominus pontifex eum recipit ad osculum oris. Quo facto, papa ascendit palatium, et ille incontinenti cum **472** nobilibus Romanis equitat cum magno triumpho per Urbem.

Notandum quod cardinales non consueverunt in Urbe associare præfectum, quia satis habet de comitibus. Notandum quod papa, antequam det rosam, debet dicere aliqua verba brevia de conditionibus et proprietatibus rosæ, quia habet colorem gaudiosum, odorem confortativum, aspectum lætificum, prout est in libro Rationali divinorum officiorum.

Anno quarto pontificatus domini Bonifacii papæ noni in Perusio hac die rosa fuit missa in magna capella, et sermoni omnes interfuerunt, sed non papa, quia infirmus. Rosam ad Missam portavit super altare et reportavit junior clericus cameræ, et papa dedit rosam in camera sua.

XLIX. *De festo Annuntiationis beatæ Mariæ in primis Vesperis.*

In die Annuntiationis beatæ Mariæ virginis sermo et Missa mandantur.

Sciendum quod quando veniet in Quadragesima hæc festivitas, non venit papa indutus cum pluviali et mitra in primis Vesperis, quia in vigilia, dicta Missa, incontinenti cantores incipiunt Vesperas, et papa remanet ibi prout fuit indutus dum audiebat Missam. Nec cardinales consueverunt venire, quia cantantur ante prandium, nisi veniret die Lunæ. Tunc Dominica de sero Vesperæ papales; Antiphonas incipiunt cardinales.

Item notandum quod quando veniet infra feriam quartam majoris hebdomadæ, nihil est tunc de festo, sed transfertur usque ad diem Lunæ post *Quasi modo geniti*; et illa die sit solemniter officium, et papa venit in primis Vesperis cum pluviali rubeo et mitra aurifrisiata cum perlis, et cardinales veniunt, non tamen induti.

L. *De Missa eadem die.*

Item in Missa omnes debent esse induti albis vestimentis. Quod si in Quadragesima veniat, bono mane papa audit Missam de feria. Qua dicta, parat se more solito in camera sua; deinde vadit ad magnam capellam, et ibi induitur sacris vestibus albi coloris.

Item notandum quod in hac Missa, in quocunque tempore veniat, non dicitur Oratio nisi de beata virgine Maria, et nihil de feria.

LI. *De Collectis rubrica.*

Propter hoc sciendum quod nunquam Romanus pontifex in magnis Missis et pontificalibus consuevit dicere nisi unicam collectam, licet contra rubricam quæ dicit quod de illis de quibus facimus commemorationem in Vesperis et Matutinis, debemus etiam in Missa facere. Licet ipse papa facit in utrisque Vesperis et Matutinis commemorationem, **473** nunquam tamen in magnis Missis.

Nota quod in hac Missa prior episcoporum cardinalium servit papæ in officio capellani.

Finita ergo Missa per papam, et data Benedictione, ipse papa revertitur sic indutus ad sedem suam magnam; et stans sine mitra incipit Vesperas, cantando *Deus in adjutorium meum intende*. Et dicto *Gloria Patri*, subdiaconus ante eum incipit primam D Antiphonam cantando, et papa etiam cantando reincipit; et hoc idem ante ipsum in Antiphona de *Magnificat*; cætera omnia inchoantur per cantores usque ad Orationem, quam papa debet dicere. Incœpta autem prima Antiphona, deponit illa paramenta, et resumit pluviale rubeum; et omnes cardinales et prælati deponunt paramenta, et recipiunt cappas laneas; nec cardinales incipiunt Antiphonas in Vesperis. Episcopus vero cardinalis qui papæ servit in Missa, non deponit paramenta nisi dictis Vesperis, quoniam habet portare papæ naviculam cum incenso hora debita, et papa debet inde recipere cochlear cum incenso, et ponere incensum in thuribulo præsentando sibi per unum de acolythis. Deinde idem

cardinalis habet incensare altare, et [a] cophinum, in quo servatur Corpus Christi, postea dominum papam; et etiam habet tenere librum ante papam, dum dicit Orationem prædictam. Finitis vero Vesperis, in quibus debent dici duæ Orationes, videlicet una de festo, alia de feria, si tamen incidat infra tempus prædictum. Quibus finitis, papa dat Benedictionem.

Item nota, quod si cardinales haberent paramenta in secundis Vesperis istius festi sic in Quadragesima celebrati, incipient Antiphonas, quoniam in primis non incœperunt, nec tale festum debet prætermitti sine Vesperis solemnibus.

Item certo nota quod nunquam cardinales incipiunt Antiphonas in secundis Vesperis coram papa, nisi si præsens festivitas sit in Quadragesima celebrata.

Supradicta fiunt per modum prædictum, quando diaconi cardinales non ibi habent pluvialia parata. Nam si haberent, ipsa reciperent. Licet temporibus Joannis XXII, Benedicti XII, et Clementis VI Romanorum pontificum, non consueverint recipere in dictis secundis Vesperis prædicta paramenta, nec incipere Antiphonas, prout in aliis festivitatibus in primis Vesperis est fieri consuetum; sed secundam Antiphonam diaconus cardinalis a dextris papæ; tertiam vero episcopus cardinalis serviens in Vesperis prædicta paramenta; quartam presbyter cardinalis qui stat in sede secundum ordinem suum; quintam diaconus cardinalis qui assistit papæ a sinistris. Quas Antiphonas semper incipit subdiaconus cum acolytho coram eis [b] cantando.

474 LII. *De Dominica in Passione, quæ est quinta Quadragesimæ.*

In Dominica de Passione, quæ est quinta Quadragesimæ, sermo et Missa mandantur. Omnia alia ut supra in aliis Dominicis Quadragesimæ est fieri consuetum.

LIII. *De Dominica Palmarum.*

In die Palmarum Missa et officium mandantur. Illa die non fit sermo, quia die illa, secundum dominum Jacobum Gaietani, junior presbyter cardinalis debet benedicere palmas olivarum et aliarum arborum ramos, indutus prout in die Cinerum, cum aqua benedicta et incenso. Quibus benedictis, deponit paramenta, si celebrare non debeat. Et dominus papa bono mane celebrat Missam suam in capella sua secreta. Qua dicta, indutus pluviali rubeo sine perlis, et mitra simplici alba de garnello sine aurifrisiis et perlis, intrat capellam vel locum, in quo debent distribui palmæ, ubi debet esse cathedra cum scabello parata, et ibi sedet. Deinde omnes cardinales et cæteri prælati nondum parati veniunt ad reverentiam, prout est alias fieri consuetum, osculando manum aurifrisio pluvialis coopertam, non genu, nec pedem, ut supra in Quadragesima.

Nota quod antequam papa distribuat ramos, omnes cardinales et prælati cum cappis laneis veniunt ad reverentiam papæ ad osculandum manum coopertam aurifrisio pluvialis, non genu, nec pedem.

Sciendum quod hac die Romani pontifices officiare non consueverunt, sed bene dant et distribuunt ramos. Nota quod subdiaconus debet habere tunicellam per totum officium, et non fit Processio. Modernis autem temporibus est Missa papalis.

Nota etiam quod ille qui debet Missam celebrare, si sit episcopus, et papa non celebret, primo habet benedicere aquam cum sale, prout fit in Dominicis diebus; deinde benedicit ramos. Dum spargit ramos aqua benedicta dicit *Asperges me, Domine.* Dato vero quod papa celebret, junior presbyter cardinalis benedicit.

LIV et LV. *De benedictione Palmarum.*

Nota quod quicunque dicit Missam, si tantum sit cardinalis, ille ramos benedicit, et non junior presbyter cardinalis; ita et candelas et cineres.

Sciendum quod hac die prior episcoporum cardinalium, si celebret coram papa, facta reverentia, prout est moris, ab omnibus cardinalibus, ipse indutus pluviali dat papæ palmam, et statim a papa recipit; deinde vadit et parat se ad celebrandum. Duæ palmæ dantur papæ.

Notandum etiam quod si esset rex præsens, immediate post eum **475** flexis genibus palmam recipit de manibus papæ, pedem dextrum osculando, et non genu. Qua reverentia facta cum cappis laneis per cardinales et omnes prælatos, prout in die Candelarum, cardinales et omnes prælati violacea recipiunt paramenta, videlicet episcopi cardinales superplicia, amictus latos, et pluvialia; presbyteri vero similiter et diaconi paramenta prædicta, et recipiunt planetas, et non pluvialia. Alii vero prælati similiter pluvialia, et non planetas, coloris violacei recipiunt. Quibus paramentis receptis, paratur una tobalea, quam tradere debet sacrista, et extenditur super genua papæ per duos capellanos ejus lateribus assistentes, et dictam tobaleam flexis genibus tenentes, a dextris uno, a sinistris alio, et duobus antiquioribus cardinalibus diaconis papæ more solito assistentibus. Tunc prior episcoporum, vel, si non sit, subprior episcoporum cardinalium, deposita mitra sua stans pedes, papa sedente in cathedra sua et cum mitra, spatulam aliam palmæ pulchriorem, nil dicendo, dat papæ, manum ejus osculando. Incontinenti papa tradit uni de domicellis suis conservandam; et ibidem ipse prior vel subprior genuflexus recipit spatulam palmæ de manu papæ, et osculatur genu dextrum papæ. Et sic deinceps omnes cardinales juxta ordinem suum; deinde omnes prælati induti, mitris depositis, genuflexi recipiunt spatulam palmæ de manu papæ, et genu osculantur pluvialibus violaceis induti.

Camerarius papæ, notarius, auditor contradicta-

[a] Confer cap. 131 infra de secundis Vesperis omnium Sanctorum, in quibus incensatur *cophinum ubi stat Corpus Christi*; et Constitutiones Lateranenses, infra, num. 18.

[b] Id est eis præcinendo, uti hactenus fieri consuevit.

rum, et corrector, etiamsi aliqui ipsorum essent episcopi vel archiepiscopi, quia non consueverunt esse induti paramentis, sed solum cum cappis laneis; et quicunque alii prælati non parati, et etiam capellani, tam commensales, quam alii capellani papæ, qui debent esse specialiter commensales, in cottis; nec non pœnitentiarii, et breviter omnes alii familiares, etiam laici, et quicunque alii non familiares, etiamsi rex esset, flexis genibus recipiunt palmas, et alios ramos aliarum arborum, de manu papæ, et ipsis receptis pedem papæ dextrum osculantur, et non genu.

Notandum, quod in hac Missa dicitur tantum una Oratio; et dum dominus papa ipsam inchoare debet, dicit *Dominus vobiscum*, et non *Pax vobis;* postea dicit Orationem.

Notandum etiam quod si celebraret papa, prior episcoporum cardinalium servit papæ in hac Missa in officio capellani de libro; si vero papa non celebret, servit ei in officio capellani prior presbyterorum cardinalium.

Item nota quod si patriarchæ intersint, post primum cardinalem, si sint induti pluvialibus, ramum palmæ recipiunt. Quod si rex sit præsens, post cardinalem qui stat, et post regem palmam recipiunt, ita quod semper unus cardinalis præcedat patriarcham; sic successive.

Nota quod, distributis ramis, papa deponit pluviale et mitram, et recipit aliud cum perlis, et mitram aurifrisatam cum perlis.

Nota quod si papa hodie celebraret, portare deberet sacra paramenta violacea vel Indii coloris sine perlis, et sandalia sine perlis, mitram simplicem et planam de garnello, et etiam chirothecas sine perlis. Verum **476** est quod modernis temporibus consueverunt portare mitram solemnem et pretiosam, et chirothecas pretiosas; omnia alia simplicia.

LVI. *Hic cantores incipiunt cantare* Hosanna Filio David.

Sciendum quod postquam primus cardinalis palmam recepit de manibus papæ, cantores cantant *Hosanna Filio David* cum omnibus aliis Antiphonis, prout sunt in Missali. Interim ordinatur Processio per priorem diaconum cardinalem. Qua processione ordinata ut supra in die Candelarum, qui papæ assistit a sinistris, dicit alta voce *Procedamus cum pace*, et chorus respondet alta voce *In nomine Christi amen.*

LVII. *Hic movetur Processio.*

Deinde movetur processio, et graditur, et primo servientes armorum cum virgis suis ante subdiaconum bajulantem crucem, qui debet esse indutus cum tunicella violacei vel Indii coloris, et circa eum duo ceroferarii cum luminibus et uno acolythorum cum thuribulo et incenso.

Nota quod sicut papa surgit de cathedra, quatuor nobiliores qui ibidem sunt erigunt pannum [a] super eum baculis et angulis in summitatibus; et sic semper papa stat subtus pannum, quousque perveniat ad collectam, quam dicit post largitionem palmarum; et semper ante ipsum cardinalis juxta ordinem suum, et patriarchæ. Cum autem papa exierit tinellum vel capellam, et est in porticu per quam itur ad capellam magnam; vadit ad fenestram, quæ respicit ad plateam magnam palatii; et ibi projicit populo ramos palmarum et olivarum et aliarum arborum ramos. Cum autem pervenerit ante ostium capellæ, cantatur *Gloria, laus*, etc., per cantores ab extra, aliis ab intra respondentibus. Quæ porta tunc clausa debet esse, cantantibus omnibus illis, prout in Missali Romano continetur. Dominus papa non percutit cum cruce portam, sicut sæculares consueverunt; sed prædicto dicto officio aperitur porta. Deinde dominus papa cum cardinalibus et prælatis processionaliter intrat capellam, et more solito orat aliquantulum coram altare, ubi debet esse cathedra cum scabello parata; et facta Oratione surgit, et vadit usque ad regias capellæ in parte dextra; et ibi projicit ramos et folia olivarum populo per foramina regiarum, et postea venit ad magnam cathedram longe ab altari paratam, quæ debet esse cooperta panno violaceo; et extracta mitra, stando versus altare, episcopo cardinali librum ante eum tenente, dicit Orationem quæ competit in Missali.

LVIII. *De papa eunte ad altare, et cardinalibus occurrentibus.*

Deinde vadit ad cathedram longe ab altari paratam et ibidem more **477** solito violacea recipit paramenta. Et diaconus cardinalis dicturus Passionem parat papam; et cum parat eum, ipse diaconus cardinalis portat tantum parando superplicium, amictum, sericum album, cingulum, stolam; sed papa, parato ipso diacono, planetam recipit violaceam ad modum aliorum diaconorum cardinalium. Papa vero parato, et mitra prædicta reposita, non nobilis, sed simplex alba de garnello, assistentibus ei duobus diaconibus cardinalibus antiquioribus, more solito processionaliter vadit ad altare; et in medio eundo occurrunt tres juniores presbyteri cardinales, et ipse eos recipit juxta ordinem suum ad osculum oris et pectoris. Mitram pretiosam interdum in Missa dicta, si ipsemet celebret, papa consuevit portare. Postea vero coram altari facit confessionem suam, prout est consuetum; et cum dicit *Misereatur*, subdiaconus tradit sibi manipulum osculando manum, antequam dicat *Deus tu conversus*, etc. Episcopus cardinalis, qui servit sibi, præsentat ei incensum, prout est fieri consuetum et osculatur altare et librum Evangeliorum; postmodum vertit se ad diaconos cardinales, et ipsos recipit ad osculum oris et pectoris secundum suum ordinem, et ultimus parat sibi fanum subtus pallium suum, quod in aliis Missis regulariter consuevit fieri. Deinde vadit ad sedem suam: ubi stando dicit Introitum cum cardinalibus, illo solo dempto qui debet dicere Evangelium, qui remanet super altare cum sacrista et subdiacono; et omnes legunt Introitum et *Kyrie, eleison* super alta-

[a] Umbellam appellamus seu baldachinum.

re, et papa exinde procedit in Missa, prout est alias fieri consuetum.

Nota quod anno Domini 1375 die 15 Aprilis, in prædicta die ramis Palmarum dominus Gregorius papa XI fecit officium, qui portavit omnia paramenta ut supra; portavit etiam chirothecas et pretiosam mitram. Nota etiam quod ante eum ponitur scabellum, dum Passio legitur, in quo ponitur palma, si sibi non placet in manibus tenere.

LIX. *De subdiacono portante tunicellam in Processione.*

Nota etiam quod subdiaconus in Processione portat tunicellam, et non planetam. Item notandum, quod postquam altare thurificaverit, antequam diaconos cardinales recipiat ad osculum, sibi reponitur mitra per illum qui debet dicere Passionem vel Evangelium: quam portare debet quousque sit solemniter indutus; et statim etiam deponit, et recipit planetam violaceam, quam ante epistolam deponit, et lecta epistola iterum eam recipit.

Nota etiam quod papa non dat alicui palmam suam, sed eam portat ad cameram suam, et illam custodiri facit.

Nota quod si papa hodie non faceret officium, debet flectere genua ante altare, quando dicitur *Et incarnatus est*, etc.; et ante elevationem corporis Christi, et quando dicitur *Lætatus sum;* et semper tradat spatulam diacono cardinali sibi a dextris assistenti, et ille semper accipiendo et tradendo osculatur manum papæ.

478 Nota apud quod omnia supradicta fuerunt resarciata per dominum Gregorium papam XI, in Urbe, in sancto Petro, anno Domini 1377. Sciendum quod hodie dicitur Præfatio *Qui salutem humani generis.* Sciendum etiam quod omnia supradicta observata sunt per dominum Urbanum VI, in Urbe, in sancto Petro, anno Domini 1381 et 1382, qua die fuit determinatum quod quidquid venit super altare, capellanorum est, prout rubrica de præsepe in nocte Nativitatis Domini dicit.

LX. *Quando diaconus cardinalis cantat Passionem.*

Cum autem cantatur tractus ante ultimum versum, diaconus cardinalis dicturus Passionem, recepto prius manipulo de manu capellani sibi in Missa servientis, surgit, et exuit planetam; et postea sibi traditur planeta plicata ad modum stolæ, quam portat super humerum sinistrum; et firmantur capita planetæ ad latus dextrum quasi retro; et sic tenet ipsam planetam, quando dicit Passionem, et per totam Missam, donec ipse et subdiaconus communicaverint; et statim facta communione, ipsemet induit planetam ad modum aliorum cardinalium diaconorum. Tractu vero finito, prædictus diaconus cardinalis dicturus Passionem osculatur more solito pedem papæ, et reversus ad altare genu flectit ante illud, et dicit basse *Munda cor meum*, etc.; et surgens recipit de altari librum Evangeliorum, deferens ipsum ante pectus, ita quod tabula libri, ubi est crucifixus, a populo videri possit; et non petit Benedictionem a papa, sed recte vadit ad pulpitum coopertum cum tobalea, et ibi absque luminaribus et incenso, et sine *Dominus vobiscum*, absolute incipit *Passio Domini nostri Jesu Christi;* nec respondetur *Gloria tibi, Domine*, sed subsequenter dicit Passionem more solito. Cum autem ipse diaconus dixerit in Passione illa verba, *emisit spiritum*, statim papa et ipse diaconus, et omnes alii genuflectunt ad Deum versus altare; et sic manent genuflexi per spatium quo posset dici *Pater noster semel.* Postmodum surgit, et dictus diaconus Passionem prosequitur suo modo, ac pervento ad illam partem, *Altera autem die*, ipse diaconus cardinalis in eodem loco vertit se ad papam; et stans inclinato capite profunde, non tamen genuflexo, basse petit Benedictionem ab eo, dicens *Jube, domne, benedicere.* Qua benedictione data per papam, portantur ipsi diacono cardinali duo candelabra cum cereis accensis per acolythos vel auditores, sicut consuetum est fieri ad Evangelium et etiam incensum cum thuribulo prius benedictum per papam, præsentante episcopo cardinali, qui sibi servit in officio capellani cum acolytho, prout moris est. Qui idem acolythus præsentat ipsi diacono thuribulum, et ipse incensat librum. Quo incensato, reddit eidem acolytho thuribulum, et facit crucem cum pollice super Evangelium et sibimet tam in fronte quam in labiis et pectore more solito. Deinde prosequitur residuum Passionis, videlicet in prædicta parte, *Altera autem die*, etc., usque ad finem Evangelii. Quo residuo completo, idem diaconus cardinalis osculatur partem prædictam; postea portatur ille liber papæ ad osculandum **479** per subdiaconum. Quo facto, cardinalis qui sibi servit in officio capellani, incensat papam tribus ictibus, genu flexo super primum gradum, si papamet celebrat; alias stans inclinatus profunde illum incenset. Quo facto, papa incipit *Credo in unum Deum*, deinde procedit prout in aliis Missis regulariter est fieri consuetum.

Notandum quod statim incœpta Passione cardinalis diaconus a sinistris papæ assistens recipit spatulam palmæ de manu militis vel domicelli papæ, et ponit eam in manu papæ, ipsam manum osculando; et ipsam tenet papa, et cardinales etiam suas, et alii prælati in manibus suis tenent palmarum spatulas et aliarum arborum ramos, quousque Passio fuerit completa. Prædictus diaconus cardinalis de manu papæ spatulam palmæ recipit, et eam tradit militi domicello papæ prædicto; et etiam cardinales et cæteri prælati suas tradunt servitoribus suis tenendas usque ad finem Missæ.

Sciendum quod in hac Missa non est sermo; sed Passione finita, incipit *Credo in unum Deum*, osculato primum libro. In fine vero Missæ diaconus cardinalis, qui legit Passionem, dicit *Benedicamus Domino*, versa facie ad altare; et facta Benedictione solita per papam, prior episcoporum cardinalium, qui servit sibi in Missa in officio capellani, pronuntiat Indulgentiam de mandato et auctoritate papæ, videlicet de septem annis et septem quadragenis;

et dum pronuntiatur indulgentia, diaconus cardinalis qui dixit Passionem, deponit planetam, et in albis sicut diaconus vadit ad papam ad devestiendum eum, seu removendo sibi paramenta, et postea stolam, pluviale et mitram induendo. Deinde ipse diaconus deponit paramenta, et omnes etiam alii prælati sua deponunt paramenta, et cappas laneas resumunt. Papa vero, depositis sacris vestibus, indutus manto rubeo, et mitra prædicta sibi reposita, vadit ad cameram suam, assistentibus ei duobus diaconibus cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, alio a sinistris.

Nota quod anno Domini 1388 Romæ dominus Urbanus VI hac die ramis Palmarum non fecit officium, quia nondum erat coronatus; sed bene dedit palmas et ramos, et interfuit Missæ indutus pluviali rubeo et mitra alba. Quam Missam dixit cardinalis Florentinus in magna capella. Et sic per dominos cardinales illæ etiam tres Missæ de hebdomada sancta fuerunt celebratæ ipso præsente ut supra.

LXI. *De diebus Lunæ et Martis hebdomadæ sanctæ.*

Item die Lunæ non est Missa papalis.

Item in die Martis dominus noster audit Missam magnam in sua capella parva, quam celebrat unus de cantoribus, et legit Passionem.

LXII. *De die Mercurii.*

Item in die Mercurii sancta illud idem observatur.

Sed notandum, si sint peregrini, de gratia speciali papa post Missam consuevit dare indulgentiam populo, in qua est indutus pluviali rubeo **480** absque perlis, et cum mitra simplici alba; et paratur ibi ubi datur Benedictio, vel in anticamera. Et primo venit cum chlamyde de scarletto cum capuceo in capite absque mitra; et sic venit ad Matutinum, et stat cum dicto capuceo non extenso super frontem, sed replicato. Et istud fuit Florentiæ tempore Eugenii quarti. Et fit die Jovis idem ad Benedictionem.

Item notandum quod de sero hora competendi venit ad audiendum officium in capella simpliciter cum chlamyde rubea et capuceo super caput, non tamen duplicato, prout aliis diebus consuevit, sed solum extenso super oculos.

Item nota quod his diebus tribus post officium papa non debet dare Benedictionem, et non portatur crux.

Item nota quod cardinales bene consueverunt venire de sero ad audiendum officium in capella papæ istis tribus diebus, non tamen mandati, sed libere et sponte, devotionis causa.

Item nota quod Romani pontifices his tribus diebus non consueverunt dicere officium cum episcopis et conventibus suis, dum dicuntur Matutinæ; sed devote debent dicere officium, et postea in camera sua cum cubiculariis suis dicere.

Item in die Mercurii de sero hora competendi dominus papa venit ad officium Matutinarum cum chlamyde de scarletto cum capuceo extenso super fronte, non replicato, et sine mitra.

Item sciendum quod de his tribus diebus, et etiam quandocunque papa venit ad capellam cum chlamyde et capuceo, non portatur crux coram eo.

Item de sero ad officium Matutinarum dominus papa venit ad capellam cum cappa clausa de scarletto rubeo, foderata de hermelinis, clausa medio pectoris sursum et aperta deorsum: cocullum semper tenet super caput, et sine mitra in cathedra nuda sedet; nec diaconi cardinales sedent ante pedes ejus in his tribus Matutinis, neque in fine dat Benedictionem in ipsis Matutinis.

LXIII. *In die Jovis sancta, de Missa, et de officio chrismatis.*

Item in die Jovis sancta in Cœna Domini, hac die Missa tantummodo mandatur, neque est sermo hodie. De jure Romani pontifices consueverunt primo dare populo Indulgentiam, sed de gratia in die Mercurii post Missam.

Sciendum quod Romani præsules in primo anno coronationis consueverunt conficere sacrum chrisma, et facere Mandatum, et conficere [a] agnus Dei, nota de singulis locis suis, et nunquam plus nisi de septem in septem annis, quoniam tunc multa observanda sunt.

Anno ergo illo in quo vere conficitur sanctum chrisma, summo mane quasi in ortu solis, dominus noster papa venit ad regias ferreas, ad dandum indulgentiam populo, indutus pluviali rubeo, cum aurifrisiis cum perlis, **481** mitra, stola cum perlis modo consistoriali. Qua data, depositis paramentis, audit secrete Missam; qua finita, confitetur peccata sua.

Missa ergo parva finita, reassumit paramenta prædicta, et cardinalibus omnibus indutis sacris vestibus albis secundum ordinem suum, scilicet episcopi pluvialia, presbyteri casulas, diaconi tunicellas et dalmaticas, et alii prælati pluvialia recipiunt cum septem candelis, si sint Processiones generales, ut conficiatur sanctum chrisma; alias vero sanctum chrisma cum duobus cereis et cruce processionaliter vadit ad locum, ubi solent publicari processus; et ibi sedet in cathedra parata panno albo nobili; et omnes cardinales et prælati sedent in locis suis cum mitris, sed antea fit reverentia per cardinales.

Item nota quod quilibet cardinalis et prælatus indutus tenet unam faculam accensam de cera communi, quam tradit magister cæremoniarum, et papa de duabus libris de cera quasi alba, quas projiciunt anathematibus.

LXIV. *De lectione Processus.*

Item nota quod subdiaconus legit Processus in Latino, indutus habitu diaconi, et junior diaconus cardinalis eadem verba nobiliter et intelligibiliter dicit in idiomate illo in quo stat. Quibus lectis, papa signat, et dicit *Anathematizamus, vel ita faciamus.* Et projicit candelam inferius, et omnes alii candelas suas projiciunt, sed non ceroferarii, sive acolythi illas de candelabris, quia processionaliter revertuntur sicut iverunt. Quas demum sacrista papæ recipit. Incontinenti ibidem dia-

[a] Sic infra, in cap. 83, ubi de Sabbato in Albis, *quando dantur agnus Dei;* et in cap. seq., *agnus Dei duo*, et paulo post, *tres agnus Dei.* Adde caput 90.

conus cardinalis, qui papæ a sinistris assistit, dicit *Confiteor Deo*, etc. Et papa dat more solito Benedictionem. Qua data, junior diaconus cardinalis de manu papæ denuntiat indulgentiam de septem annis et VII quadragenis; et sic omnes processionaliter vadunt ad magnam capellam, vel ubi ipsa die debet fieri officium; et facta Oratione ante altare, vadit ad revestiarium, et induitur sacris vestibus albis, et mitra cum perlis etiam solemni. Et sic procedit ad Missam more solito.

Feria ergo quinta in Cœna Domini sacrificium sacri corporis et sanguinis Jesu Christi Domini nostri.

LXV. *De ampullis.*

Mane hujus diei primo mansionarii, sacrista, et clerici capellæ ad hoc destinati, præparent omnia quæ necessaria sunt ad consecrationem chrismatis, videlicet tres ampullas de argento, non tamen ejusdem quantitatis, quoniam major debet esse de sancto chrismate, mundissimo oleo plenas. Maxima vero ampulla quæ ad chrisma debet fieri, de panno serico albo tenuissimo cooperitur; aliæ autem de alio panno serico dissimili copertæ habeantur; sed tamen pannus adeo subtilis, quod ampullæ possint videri per papam et alios.

Hora vero tertia dominus papa indutus manto rubeo, et cum mitra aurifrisiata, etiam cum perlis exit de camera sua, et vadit ad capellam; et **482** ante altare debet esse cathedra cum scabello parata, ubi orat aliquantulum, ut est moris. Deinde vadit ad aliam cathedram longe ab altari paratam; et ibi alba recipit paramenta, et omnes cardinales et prælati, prout moris est, videlicet episcopi pluvialia, presbyteri planetas, diaconi vero tunicellas et dalmaticas pro reverentia chrismatis. Papa vero indutus jam dalmatica sedeat in sede sua; cui præsentetur ampulla quæ major est, cum oleo ab acolythis, et balsamum per camerarium, aut per sacristam; et balsamum cum oleo papa misceat, nihil dicens; et bene commisceatur vel conficiat. Omnes vero ampullæ, id est aliæ duæ, ibidem super mensam remaneant copertæ, et diligenter custodiantur, quousque ad altare portentur, et papa facta lectione recipit planetam, chirothecas, et omnia alia paramenta, ut est moris, et debent esse XII subdiaconi induti sine priore subdiaconorum.

Postmodum papa, lotis manibus, indutus planeta et mitra solemni in capite, procedit cum episcopis, et presbyteris, diaconibus, acolythis, et omnibus ordinibus. Esse debent in Processione VII candelabra cum cruce, Evangelio, et ampulla quæ est chrismatis, aliis ibidem remanentibus.

Nota quod si non conficeretur hodie sanctum chrisma, non essent nisi duo candelabra in Processione. Notandum etiam quod omni anno debent sanctum chrisma consecrare cum purissimo et mundissimo oleo olivarum, et addimus cum tribus guttis de finissimo balsamo, quas episcopus non commiscere debet cum oleo; sed ita per alios, et non per papam, nisi de VII in VII annos, nec alium in ejus præsentia, prout supra notatum est.

Portatur thuribulum semper cum incenso, et sic processionaliter pergant ad altare cum ampulla; et facta confessione et reverentia, prout est consuetum, papa ascendit cathedram suam. Incensato altare, ampulla reportatur ad locum inter duas alias. Interim cantatur vero a cantoribus Introitus Missæ sine *Gloria Patri;* et finito versu, repetatur Introitus. Postea cantatur *Kyrie, eleison*. Quibus finitis, dominus papa incipit *Gloria in excelsis Deo*. In oratione papa dicit *Pax vobis*. Etiam in hac Missa dicitur *Credo in unum Deum*, etc., et sic Missa prosequatur ordine suo.

Nota quod in hac Missa non consuevit esse sermo, nisi papa velit facere Processus contra aliquem in speciali; et etiam generales Processiones tunc, si papa illum sermonem facere non vellet, sacrista committit de ejus mandato alicui de dominis cardinalibus episcopis vel presbyteris, quoniam diaconi coram papa nunquam prædicant, aut altero prælato, vel magistro in theologia.

Nota abbates non consueverunt prædicare, nec doctores decretorum, nec legum, nisi duntaxat prælati et magistri in theologia, sed modo abbates prædicant.

Postquam dominus papa intrat ad sacrificandum, conficit duas Hostias, unam pro se, et aliam pro die Veneris. Facta ergo elevatione corporis Christi, vel post *Sanctus*, si expediat, unus acolythorum ducit juniorem diaconum cardinalem, et cum eo plures subdiaconos: unus ex eis subdiaconibus **483** portat crucem, acolytho antecedente cum thuribulo et thure sine luminaribus; et sic processionaliter vadunt ad capellam sancti Thomæ, vel sancti Gregorii, vel ubi ampullæ cum chrismate et cum oleo servantur; et cardinalis diaconus prædictus accipit illam ampullam, quæ est chrismatis; et duo subdiaconi accipiunt alias duas olei exorcizati, et olei infirmorum, super brachium sinistrum eas portantes; et eo modo quo venerunt postea revertantur. Dominus vero papa, vel ille qui conficit sanctum chrisma, aut celebrat ista die, antequam dicat *Per quem hæc omnia*, descendet ad sedem, sive cathedram suam ante altare paratam, versa facie ante altare; et subdiaconus qui bajulat ampullam infirmorum olei repræsentat eam summo pontifici ad benedicendum. Et papa dicat plana voce *Exorcizo te, immundissime*, etc. Quibus Benedictionibus peractis, papa revertitur ad altare, et dicit *Per quem hæc omnia*.

Nota quod confecto isto sacrificio solus pontifex communicat super altare sine ministris, et non cum calamo; sed cum calice tantum se confirmat illa die et feria 6 in Parasceven, et ponit illam quartam partem in calice. Postquam autem communicaverit, ponit calicem super altare, et patenam juxta eam cum corpore Domini nostri Jesu Christi, et reservato usque in feriam 6, de ipso sacrificio resumit, et cooperietur utrumque munda sindone.

Percepto corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi cum calice et sine calamo, antequam abluat manus, ipsum calicem cum corpore Domini nostri reservato, non illum calicem in quo celebravit, sed solum magnum de auro sibi præsentet coopertum cum magna reverentia sacrista papalis cum sindone, cum

lustris aureis; e sinistro brachio pendet unum caput, et in dextra manu portat calicem coopertum alio capite, et reverenter ponit prædictum calicem prope papam circa medium altaris cum alia tobalea de serico, cum qua cooperitur calix, in quo est corpus Christi. Et nota quod antequam abluat digitos dominus papa, corpus Christi cum reverentia magna infra prædictum calicem ponit, et super calicem corporalia illa; pars minor corporalium, et super corporale patenam, et super patenam caput illius tobaleæ de sindone; statim, quo facto, abluit digitos infra calicem cum quo celebravit, et bibit illud; et antequam abluat manus in magnis bacilibus papæ, ipse papa vel episcopus cardinalis qui servit sibi in Missa, prædictum calicem cum corpore Christi sic coopertum, et super humerum sinistrum pendet aliud caput illius tobaleæ, et tenens cum ambabus manibus calicem per medium portat ad armariolum, in quo conservatur usque in crastinum, antecedentibus luminaribus, cruce et incenso processionaliter cum devotione. Quo reposito, genuflexus thurificat corpus Christi. Quo facto, revertitur ad altare; et sic lavat manus ut moris est.

LXVI. *De officio chrismatis.*

Postea papa, si facit sanctum chrisma, ascendit ad cathedram coram altari paratam, versa facie ad altare; et continuo duo acolythi deferunt **484** ampullas involutas cum tobalea subtili albo serico in sinistro brachio, ita ut videri possint medio, id est per medium sericum, et a medio sursum, et diaconus cardinalis junior qui assistit papæ, accipit ampullam unam mistam cum balsamo, et repræsentat eam papæ tenens eam in sinistro brachio involutam panno serico. Tum papa halet ter in ipsam, et postea halent etiam in ipsam omnes episcopi qui assistunt ibi induti sacris vestibus, et etiam presbyteri sive sint cardinales, sive non. Quo facto, papa dicit sine cantu *Dominus vobiscum*, *Exorcizo te, creatura Dei*, etc.

Post Benedictionem vero istam omnes episcopi et presbyteri cardinales salutent post papam sanctum chrisma per ordinem suum. Qui quidem ordo sic debet observari, primo a latere dextro papæ episcopi cardinales, et post eos presbyteri cardinales; patriarchæ vero inter episcopos cardinales; diaconi cardinales a lateribus papæ hinc inde juxta ordinem suum a latere sinistro; archiepiscopi, episcopi, presbyteri cardinales induti secundum ordinem suum, et in halando salutando post episcopos cardinales. Archiepiscopi, episcopi debent præcedere presbyteros cardinales, quoniam ad solos episcopos pertinet seu spectat sanctum chrisma conficere; et episcopos salutent presbyteri cardinales, et in salutando quilibet inclinet caput, dicens *Ave, sanctum chrisma*, ter; et post salutationem quilibet deosculatur semel immediate. Facta salutatione et deosculatione chrismatis ab episcopis et presbyteris, papa benedicat ampullam olei delatam in ordine quo supra; et similiter halet pontifex ter in ipsam, sed tacite; et omnes episcopi et presbyteri cardinales, et etiam alii episcopi halent ter in ipsam. Hic mutatur ordo inter presbyteros cardinales, et episcopos non cardinales; et dum halatur in ampullis ab aliis, pontifex sedet; sed quando salutat, stant omnes alii etiam. Deinde surgens dicit sine cantu *Dominus vobiscum*, etc. *Exorcizo te, creatura olei*, etc.

Post Benedictionem vero istam omnes episcopi et presbyteri cardinales salutent per ordinem suum sanctum chrisma, et in salutando inclinent capita, dicentes *Ave, sanctum chrisma*, et deosculantur ampullam. Facta salutatione chrismatis ab omnibus episcopis et presbyteris, statim debet fieri olei salutatio ab eisdem hoc modo. Salutet papa chrisma, et statim postea oleum, dicens *Ave, sanctum oleum*. Ita et cæteri singuli dicere debent.

Postea reportantur ampullæ processionaliter, sicut fuerunt adductæ, ad sacrarium, vel ad locum quem sacrista ordinavit, ubi stare debent. Deinde idem sacrista distribuit unicuique sicut debetur, et fuerit opportunum. Papa vero communicat in sede sua magna illos qui communicare volunt. Reserventur tamen oblatæ integræ Hostiæ per diaconum cardinalem, prout est moris, ac etiam corpus Domini integrum reservatur in diem Parasceve. Sanguis vero Domini assumatur; quem solus papa bibit cum calice, et sine calamo; illi qui communicant non bibunt.

Nota, diaconus nec subdiaconus hodie non communicant, nisi forte vellent communicare causa devotionis, et communicarent ante alios, nec biberent sanguinem. Verumtamen non est de more. Pacis osculum non datur, *Agnus Dei* cantatur, et Communio *Dominus Jesus Christus*. **485** Tunc papa revertitur ad altare, et dicit hanc Orationem, *Refecti*. Qua expleta, diaconus dicit *Ite, missa est*.

LXVII. *Si papa nolit facere Mandatum.*

Nota, si papa nolit facere Mandatum, prout inferius sequitur, vel si cardinales non comedant ista die cum eo, statim in fine Missæ data Benedictione per papam, et indulgentia pronuntiata per episcopum cardinalem qui ei servivit in Missa, papa et omnes cardinales ibidem in capella deponunt paramenta. Interim vero cantantur Vesperæ per cantores, et in fine Vesperarum, dum dicitur psalmus *Miserere mei, Deus*, vadit papa ad cathedram coram altari cum scabello paratam; ubi genu flectens dicit cum aliis prædictum psalmum legendo, et Orationem *Respice*, etc. Legendo sine *qui tecum*, etc. Deinde surgit, et vadit ad cameram suam.

LXVIII. *De electione pauperum, quando fit Mandatum.*

Item eodem die post prandium papa non potuit lavare pedes pauperum, sed patriarcha Gradensis confessor de mandato papæ lavit pedes pauperum in parva capella, indutus rochetto, amictu, superplicio, et pluviali cum mitra alba: audivit Evangelium, cantando cum luminaribus, cruce et incenso, more solito. Quo cantato, cantores inceperunt cantare; et ipse deposito pluviali, cinctus linteo, et mitra in capite, incepit lavare pedes. Quibus finitis, dixit Orationem, et cardinalis camerarius dedit florenos cum

carlino, et noluit dare illas petias de tela ad tergendum pedes pauperum, nisi duas per totum, sed omnia reportavit secum; et male, dicit glossa.

Nota de his quæ fiunt quando conficitur sanctum chrisma, et fit Mandatum de largitione. Omnibus supradictis peractis secundum ordinem suum, et finita Missa, ut superius dictum est, papa, indutus paramentis cum quibus celebravit, vadit ad aliquem locum adhærentem capellæ seu ecclesiæ, in qua celebravit, comitantibus eum omnibus cardinalibus secundum ordinem suum, et aliis capellanis et subdiaconibus, qui in Missa interfuerunt parati, et in loco prædicto papa exuit pallium et planetam, postea sedet ibi super faldistorium, tenendo pedes super scabellum, et assumit sibi manum in scapulis, imposita super caput fanone, capiti ejus imposita mitra alba, sacrista extendit tobaleam super genua sua, quam tenere debent duo acolythi, unus a dextris, alius a sinistris.

Quo facto, secundum dominum Jacobum Gaietani, cardinalis camerarius papæ eidem debet tradere papæ in quodam magno scypho argenteo, vel in bacilibus grossos et monetam ordinatam pro presbyterio, et dictus camerarius debet ante se habere unam magnam mensam coopertam tobalea, ubi sunt hujusmodi monetæ, et debent ei assistere clerici cameræ, et duo mercatores. Ipsi vero camerarius et clerici cameræ debent esse in superpliciis et cottis. Postea veniunt cardinales, quilibet secundum ordinem suum, soli cum mitris in manibus deferentibus, apertas tamen; et flectunt genua coram papa, et ipse summus pontifex dat et ponit pro presbyterio **486** in mitra cujuslibet ipsorum XIII grossos Turonenses argenti, et immediate quilibet ipsorum cardinalium recepto in mitra sua a papa presbyterio, osculatur genu dextrum papæ, et sic quilibet secundum ordinem suum.

LXIX. *De Mandato fiendo per papam ipso die.*

Dato vero per papam presbyterio, ut dictum est, ipse papa facit Mandatum, XIII subdiaconibus rochettum cum superplicio portantibus; et cubicularii portant et ante eum ponunt concham seu pelvim. Ipse vero papa præcinctus linteo, quo unus diaconus qui ei servit, secundum dominum Jacobum Gaietani, ipse papa brachiolam ad hoc paratam habens in manibus, et linteum mundum ante se tenens, quæ omnia debent parari per thesaurarium vel fratres de Pignotta; et dicti XIII subdiaconi manent in aliquo loco remoto discalceati. Duo vero ostiarii papæ, sive servientes armorum, portant quemlibet dictorum subdiaconorum ante papam, quorum pedes ipsi ostiarii sive servientes tenere consueverunt super manus suas dum portantur. Papa autem sedendo cum aqua calida lavat pedes cujuslibet illorum, quam infundere debent cubicularii; et statim tergit linteo, et deosculatur pedem dextrum cujuslibet ipsorum; et secundum dictum domini Jacobi Gaietani dat cuilibet duos solidos; et lotis pedibus illorum per papam, eodem modo reportari debent per ostiarios eosdem sive servientes in locis eorum, scilicet ubi eos acceperunt.

Item cantores non cantant Vesperas post; sed capellani papæ legendo dicunt ipsas Vesperas ante papam, incipiendo Antiphonam. *Calicem salutaris accipiam*, etc. Dictis autem psalmis, Capitulum non dicitur, sed Antiphona ad *Magnificat* incipiatur per papam cantanda, videlicet, *Cœnantibus autem*, si tunc compleverint Mandatum; alias non, sed cantores totum faciunt.

Nota etiam quod modernis temporibus non observatur quod papa illam Antiphonam incipiat ad *Magnificat*, nec in aliis, nisi in Vesperis mandatis. Omnibus ergo completis, papa dicit legendo, genu flexo, *Respice*, *quæsumus*, *Domine*, etc., prout plenius in officio hujus diei in Breviario continetur Romano.

Quibus peractis, papa indutus per modum prædictum, processionaliter vadit ad cameram suam, associantibus eum omnibus cardinalibus paratis, qui in prædicto Mandato sic induti, prout in Missa fuerunt, interesse debent, sedendo in suis sedibus juxta ordinem suum, dum papa facit prædictum Mandatum; ac etiam prædictis capellanis papæ cereos accensos portantibus cum cruce ante papam et ante cardinales.

LXX. *De comestione in cœna Domini rubrica.*

Die prædicta, dominus papa, sic paratus ut supra notatum est, a duobus diaconis cardinalibus antiquioribus ducitur ad mensam solemniter paratam, et ibi sedet, episcopo cardinali sibi dante aquam, et duobus cardinalibus prædictis, uno a sinistris, et alio a dextris, tobaleam tenentibus, **487** ipsoque qui a dextris est, etiam annulum papæ tenente dum lavatur.

Notandum etiam, quod prædicti tres cardinales in prima et in secunda manuum lotione et mensæ Benedictione debent esse sine mantellis et mitra, dum papæ ministrant, sed in gratiarum actione resumunt mantellos suos et mitras loco suo; et facta per papam prima manuum lotione et mensæ Benedictione, de qua infra seriosius dicetur, in secunda lotione vadunt omnes ad sedendum. Et tunc omnes cardinales, cum sederint, manus suas supra mensam in platellis suis lavant; et sibi mutuo serviunt, ut infra in alia lotione dicetur.

Et attende quod papa, dum comedit, sit paratus ut dictum est supra, usque ad dalmaticam inclusive, habens mantum rubeum ad scapulas, fanonem sive orale in capite; et mitram aurifrisiatam super fanonem et annulum pretiosum non pontificalem in digito, et sandalia in pedibus, prout in Missa, demptis chirothecis, pallio et casula. Cardinales vero omnes, tam sæculares, quam religiosi, habebunt cottas sine superpliciis cum subtis seu rochettis tantum, et mitras simplices de garnello in capite, et mantellos de brunetto ad scapulas; sed sæculares habebunt mantellos de brunetto rosaceo; religiosi vero habebunt mantellos coloris suæ religionis; et ita parati comedunt, et omnes alii prælati simpliciter sic induti, facta tamen inter eos discretione de sæcularibus et religiosis quoad mantellos in colore, sicut dictum est de cardinalibus.

Sed nota modum mantellorum omnino, tam sæ-

cularium, quam religiosorum. Retro inter duas scapulas conjunguntur duæ partes chlamydis, et bene sumitur per spatium palmi, et stat dissutum; et illud quod est sutum, quod conjungit duas partes chlamydis, stat super collum; et chlamys pendet ante pectus ab utraque parte usque ad terram, et etiam retro usque ad terram duntaxat et sine cauda, sed in forma circulari et sphærica, nec partes conjunguntur chlamydis ante pectus.

LXXI. *De ordine sedendi in mensa.*

Sedet autem ipse papa in una mensa eminenti solus, diversis et magnis aureis vasis et argenteis super mensam positis, vel in trissadorio, seu teloneo sitis propter mensam a latere sinistro papæ.

In alia vero mensa, quæ est ad dexteram papæ, in longum aulæ seu tinelli, sedent episcopi cardinales; inter quos sedent patriarchæ, si sint, quatuor principalium ecclesiarum patriarchalium secundum ordinem prioratus et posterioratus ecclesiarum suarum; ita tamen quod primus sedeat inter primum episcopum cardinalem et secundum episcopum, nisi esset ibi rex, quia ille sederet inter duos episcopos, et patriarcha inter secundum episcopum, tertius post tertium, et sic deinceps; ita tamen quod semper inter duos episcopos cardinales quilibet eorum sedeat; et ita in Missa.

In secunda mensa ejusdem lateris, vel in eadem sic satis longa, sedent presbyteri cardinales post episcopos cardinales et patriarchas; in parte vero sinistra, quæ etiam est in longum aulæ seu tinelli, sedent diaconi 488 cardinales omnes secundum ordinem suum et prioritatem singulorum, in quo statu sint cardinalatus, nam priores primo in mensa sedent; et post mensam cardinalium erunt mensæ omnium aliorum prælatorum et nobilium.

Coram papa servient laici majores natu et nobiliores, qui præsentes erunt, secundum officia illi distributa per magistrum hospitii.

Notandum tamen quod in mensa primo primum ferculum ponit coram papa aliquis de principalioribus et nobilibus, etiamsi esset rex. Quo posito, si rex foret, vadit ad sedendum inter duos primos episcopos cardinales, nisi Romanorum imperator, quia tunc iret ad mensam suam a latere dextro papæ paratam cum thalamo, gradu minori et bassiori illo de papa; et secundum ferculum portaret rex. Quo etiam posito, vadit ad sedendum in mensa a sinistris inter primos duos diaconos cardinales. Et sic faciebat dominus Carolus primus rex Siciliæ, et omnes descendentes ab eo reges.

Et nota quoniam tunc imperator Constantinopolitanus erat in curia, et sedebat inter duos primos episcopos cardinales, qui primo et primum ferculum coram papa posuerat; secundum rex Siciliæ, qui tunc erat præsens; alii autem nobiles majores. Qui si essent filii imperatoris vel regum, serviunt papæ in mensa, videlicet unus de cupa, alius de tacellis ad incipiendum; alii astant comedenti, alii sequuntur portantem ferculum, et ipsi in ferculo papæ et cardinalium, prout fuit ordinatum.

LXXII. *De secunda lotione manuum.*

Comestione sumpta, papa lavat manus, ministrantibus sibi episcopo et duobus diaconis cardinalibus, ut prius; qui tres cardinales, resumptis mantellis et ministris suis, redeunt sedere cum aliis cardinalibus in locis suis in mensa. Tunc tam singuli episcoporum, et quilibet cardinalium, et unusquisque similiter sedendo lavent suas manus, serviente reinfundente aquam cardinali lavanti; cardinales autem qui assistunt teneant tobaleam unam ex parte una lavantis, alter ex alia; et sic sibi mutuo ad invicem sibi servient.

Quibus omnibus lotis dantur species. In fine vero, remotis mensis, surgit dominus papa, et omnes ipso stante super scabellum suum pedes, ministrantibus sibi duobus diaconibus et episcopo, redduntur gratiæ ut infra sequitur. Illis autem redditis, papa reducitur a duobus diaconibus prædictis ad cameram, vel antecameram suam, ibique sedet in faldistorio cum cardinalibus tantum fratribus suis; ipse et illi parati ut erant in mensa consequenter, exutis vestibus, discalceatus sandaliis requiescit. Cardinales vero, et alii prælati redeunt ad eorum hospitia cum mitris equestamen equis non paratis, nec aliis coopertis, sicut in comestione steterunt, ita recedant.

Memorandum quod omnes capellani domini nostri papæ commensales, quasi non commensales debent eo die comedere cum domino camerario splendide.

489 LXXIII. *De Benedictione mensæ, et gratiarum actione.*

In Cœna Domini ad benedicendum mensam dicitur absolute sine *Gloria Patri* Versiculus *Christus pro nobis factus est obediens usque ad mortem*, et non amplius; et deinde dicitur *Pater noster* secrete. Quo completo, sine pronuntiatione aliqua dominus papa signat tam mensam suam, quam alias. Hodie non dicitur *Jube, domne, benedicere*, nec *Tu autem*; sed mensis signatis, ut dictum est, vadunt ad sedendum, prout est superius ordinatum.

In fine prandii in regratiarum actionem repetitur Versiculus *Christus factus est obediens*, ut supra; dicitur immediate *Pater noster*. Quo finito, papa dicit absolute Orationem *Respice, quæsumus, Domine*, etc.; nec pronunciat *Qui tecum*, nec *Fidelium animæ*, sed solum sine aliqua pronuntiatione dominus papa signat se, et omnes alii devote, nihil dicendo. Tunc reposito fanone et mitra super caput ejus, cum manto ad scapulas, reducitur, ut dictum est, a duobus diaconibus cardinalibus ad cameram vel ad anticameram, quæ vocatur camera paramenti.

Notandum quod si papa non conficiat sanctum chrisma, non habent locum prædictæ ceremoniæ.

Item notandum quod si cardinales non comedant cum papa, non habent locum prædictæ solemnitates.

LXXIV. *Non licet quod aliqua mulier interveniat in comestione summi pontificis.*

Item notandum quod aliqua mulier nunquam comedit in præsentia Romani pontificis, etiam si esset imperatrix vel regina. Ita exstitit observatum tempore domini Clementis V, et domini Joannis XXII, domini Benedicti XII, Clementis VI, nec fuit auditum quod aliquo tempore fuerit factum.

Contrarium tamen tempore domini Urbani V, domini Gregorii XI, aut Urbani VI. Contrarium autem ejus etiam fuit observatum tempore Bonifacii IX et Joannis XXIII, summorum pontificum; et ª male.

LXXV. *De officio in feria sexta in Parasceven.*

Feria sexta, videlicet die Veneris sancta, ut omnia dicantur per ordinem, prima hora hujus diei, secundum Jacobum Gaietani, omnes capellani vocantur ad dicendum Psalterium, domino papa sedente ante lectum suum : capellani etiam juxta pedes ejus vicissim totum Psalterium complent. **490** Quo finito, sacerdos cum aliis dicit Antiphonam *Ne reminiscaris.* Postea dicuntur litaniæ et *Pater noster* private, et Psalmus *Miserere mei, Deus*, sine *Gloria*, etc.; deinde Capitula, et sine *Dominus vobiscum* absolute dicuntur Orationes *Deus, cui proprium est misereri*, et cæteræ omnes, quæ consueverunt in Quadragesima; et in fine dicitur Oratio illa, *Respice, quæsumus.*

Sciendum quod ista die dominus papa, antequam vadat ad ecclesiam seu capellam pro officio faciendo, bis venit ad fenestram pro indulgentia more solito danda, videlicet de mane semel, et sero, cum ad capellam vult ire pro officio faciendo; et qualibet vice portat pluviale rubeum et mitram planam de garnello sine aurifrisiis et perlis. Qua indulgentia sero data, vadit ad cameram, et ibi deponit pluviale, et accipit cappam de scarletto rubeo, apertam a medio pectoris usque ad pedes; et eamdem mitram albam et planam de garnello absque aurifrisiis et perlis in capite portans cum cardinalibus intrat capellam pro officio faciendo. Cum autem papa est in capella, illico vadit ad altare, ubi est cathedra nuda cum scabello parata; et ibi genuflexus, et sibi deposita mitra per diaconum cardinalem qui est a dextris, orat aliquantulum; et postea surgit, et reponitur mitra sibi. Deinde vadit ad aliam cathedram nudam, longe ab altari cum scabello paratam.

Notandum tamen quod ista die cardinales non veniunt ad papæ reverentiam: sed immediate in ipsa cathedra de scarletto prædicto, et ipsa deposita, diaconus cardinalis dicturus Passionem, indutus superpelicio, alba, amictu, stola lata, absque planeta, sic indutus induit papam sacris vestibus nigri coloris vel violacei, prout sibi placet.

Sciendum tamen quod ista die papa non calceatur sandalis, sed quotidianis calceamentis.

Ipse vero dominus papa paratus, idem dominus cardinalis accipit planetam nigri coloris. Similiter omnes cardinales recipiunt paramenta, videlicet episcopi cottas, amictum latum, et pluvialia; presbyteri vero et diaconi similiter, non tamen pluvialia, sed planetas nigri coloris, sicut papa. Quibus paramentis receptis, papa progreditur ad cornu dextrum altaris a parte ante, ubi est cathedra bassa, nuda, et sine scabello; et ibi sedet respiciendo ad caput sinistrum altaris; et etiam omnes alii sedent in locis suis, prout est consuetum.

Notandum tamen quod si aliquis rex illa die esset præsens in dicto officio, ipse non sederet in cathedra more solito, id est quando papa facit officium, sed sedet in ordine episcoporum cardinalium, videlicet inter duos primos episcopos cardinales; et statim omnibus sedentibus, unus capellanus absolute sine titulo in modum lectionis prophetiam dicit *Hæc dicit Dominus : In tribulatione.* Qua finita, cantatur Tractus *Domine, audivi.* Finito vero Tractu, papa surgit, et ibidem respiciendo ad altare dicit *Oremus*, et prior diaconus cardinalis stans a dextris papæ dicit *Flectamus genua*, et immediate diaconus cardinalis qui est a sinistris papæ dicit *Levate;* et tunc papa dicit Orationem *Deus, a quo*, etc., et in fine respondetur *Amen.*

491 Qua finita, subdiaconus, deposita planeta, legit sine titulo prophetiam *In diebus illis dixit Dominus ad Moysèn.* Qua finita, cantatur Tractus *Eripe me*, etc. Diaconus vero cardinalis dicturus Passionem, antequam terminetur tractus prædictus, debet exuere planetam, et eam plicatam ad modum stolæ quasi recipere debet super humerum sinistrum, ita quod capita ipsius firmentur ad latus dextrum quasi retro; et finito Tractu ipse diaconus cardinalis, facta reverentia, genuflexus coram altari, sine Benedictione et pedis osculo, procedit cum libro Evangeliorum sine cereis et incenso ad pulpitum nudum; et absolute sine *Dominus vobiscum* incipit *Passio Domini nostri Jesu Christi secundum Joannem*, et absque aliquali responsione dicit *In illo tempore, egressus Jesus*, etc. In principio Passionis papa surgit de cathedra, et deposita sibi mitra stat pedes contra altare circa medium, quasi sustentans se super illud retro in scapulis, respiciens ad illum qui legit Passionem junctis ante pectus manibus; et sic semper stat, quousque perveniatur ad locum Passionis, cum dicitur *Et inclinato capite*, etc., et tunc papa genuflectit ad altare, et stat genuflexus per tantum spatium, quod semel posset dici *Pater noster.* Postea surgit, et stat sicut prius; similiter et omnes alii faciunt.

Sciendum quod papamet Passionem legit, dum cantatur per diaconum cardinalem; tunc autem quando per alium quam per papam legitur, scilicet per diaconum, et pervenitur ad locum illum qui

ª Addidit in Codice non nemo recentiori manu : *Imo optime servare. Nam et Christus comedit cum mulieribus. Itaque recte fecerunt Innocentius, Alexander, et reliqui.* Verum id magnopere improbat in Alexandro Jacobus, Diarii ipsius Alexandri auctor.

debet dici in tono Evangelii, videlicet *Post hæc autem rogavit Pilatum*, diaconus cardinalis inclinando se, submissa voce, petit Benedictionem a papa ibidem, et acolythi repræsentant more solito thuribulum cum incenso, et papa ponit incensum benedictum, quod acolythus portabit ad diaconum pro Evangelio incensando, et alii duo acolythi vel capellani portant cereos accensos.

Finita vero Passione, una cum Evangelio reportatur ipse liber papæ more solito osculandus, videlicet in loco prædicto, *Post hæc*, etc. Exinde secundum modernos consuevit fieri sermo per aliquem magistrum in theologia vel prælatum; et ille qui facit sermonem, genibus flexis ante papam, petit Benedictionem, sed non osculatur pedem; sed habita Benedictione et recepta indulgentia pronuntiandá post sermonem, vadit ad locum solitum pro sermone faciendo. Cum autem fit sermo, papa tenens mitram in capite sedet in cathedra nuda ante, ut supra. Quo finito, non dicitur *Confiteor*, sed statim ille qui fecit sermonem pronuntiat indulgentiam de mandato et auctoritate domini nostri papæ, videlicet de VII annis et VII quadragenis.

Quibus peractis, papa surgit, et ibidem amota cathedra et deposita mitra, dicit has Orationes solemnes, videlicet, *Oremus, dilectissimi*, et omnes alias, prout sunt in Ordinario seu in Missali Romano positæ; sed in fine harum Orationum, cum papa dicit *Oremus*, prædictus diaconus cardinalis qui stat a dextris et sinistris papæ, qui in prima flexione genu dixerat *Levate*, dicit nunc *Flectamus genua*, et penultimus diaconus dicit *Levate;* et in quarta Oratione penultimus cardinalis **492** dicit *Flectamus genua*, et tertius diaconus cardinalis dicit *Levate;* et sic faciunt omnes diaconi cardinales secundum ordinem suum juxta prioritates ipsorum usque ad ultimum, quousque omnes Orationes sint completæ; et si forte plures Orationes sunt quam diaconi cardinales, statim cum ultimus diaconus in ordine suo dixerit *Flectamus genua*, prior diaconus prædictus dicit *Levate*, et deinde faciunt sicut prius usque ad finem ipsarum Orationum.

Notandum tamen quod in Oratione quæ dicitur pro Judæis, non dicitur *Flectamus genua*, quia ipsi Judæi hac die Domino irridentes genua flectebant. Et ideo pro ipsis non flectit Ecclesia genua in Oratione quæ pro eis dicitur. Quibus Orationibus finitis, papa ibidem stando in altari deponit spinellos, pallium, planetam et mitram, et vadit ad cornu altaris dextrum a parte retro; et ibidem sacrista, si est episcopus, vel alius episcopus familiaris, non tamen cardinalis, paratus cum pluviali nigro, qui etiam episcopus servit papæ in Missa, tradit papæ crucem; qui tenens in manibus versa facie ad populum, indutis chirothecis, discooperit crucem sinistram partem crucis.

LXXVI. *De prima, secunda et tertia ostensione crucis.*

Qua parte discooperta, papa solus incipit cantando Antiphonam *Ecce lignum crucis;* et quando tunc incipit, eum adjuvant in cantu astantes, quousque finita sit Antiphona ipsa; et cantores cantant *Venite, adoremus*. Qua finita, papa progreditur parum ultra quasi in cornu altaris, et discooperit aliam partem crucis, videlicet dextram; et ipsa discooperta, papa iterum vocem altius elevando solus incipit Antiphonam prædictam *Ecce lignum*, ut supra adjuvantes eum. Qua finita Antiphona, papa progredietur ultra quasi in medio altaris, discooperiendo totam crucem et elevando vocem altius incipiendo, quæ est tertia, Antiphonam prædictam *Ecce lignum crucis*, adjuvantes eum in cantu ut supra. Interim vero falcarius ponit tapetum cum pulvinari et munda tobalea ante altare. Qua finita, chirothecis non extractis, descendens gradus altaris, et genibus flexis, ponit crucem super prædictam mundissimam tobaleam, et super illam ornatam de serico, quam ponit sacrista ante altare in terra super pulvinare extensam cum illa etiam cum qua cooperta fuerat crux; et ipsa cruce sic posita ibi per papam, statim subdiaconus flexis genibus a parte dextra crucis, cum manu una tenet pedem crucis, et cum alia ejus summitatem cum illa tobalea de serico. Cruce vero posita per papam, papa vadit ad cathedram nudam et bassam sine scabello paratam; et ibi sedendo calceamenta deponit, quæ sui cubicularii deponere consueverunt, uno episcoporum cum pluviali suo cooperiente ea; et nudis pedibus, et, mitra sibi deposita cum chirothecis in manibus, vadit quasi ad portam regiarum capellæ, comitantibus eum prædictis duobus antiquioribus diaconibus cardinalibus, uno a dextris, et alio a sinistris; et versa facie ad altare ibi genuflectit, inclinando caput ad terram junctis manibus; et hoc facit tribus vicibus, **493** antequam perveniat ad crucem, surgendo et progrediendo paulisper usque ad locum ubi crucem posuerat; et prostratus ibi ad terram, ipsam crucem adorat eam deosculando; et postea surgens revertitur ad cathedram supradictam; et ibi sedens calceatur a prædictis cubiculariis, non tamen sandalibus, sed quotidianis calceamentis.

Nota quod dominus Gregorius XI, nec non dominus Urbanus VI Romani pontifices nunquam voluerunt se discalceare in cathedra prædicta prope altare, credo propter reverentiam altaris, quia ambo devoti; sed in illa magna cathedra, etiam nuda, longe ab altari, ubi consueverunt se induere in solemnitatibus.

LXXVII. *De adoratione crucis ipsa die, et communione.*

Postea vero omnes cardinales discalceati in locis suis per eorum familiares, nudis pedibus vadunt per modum prædictum bini et bini ad adorandum crucem secundum ordinem suum, et ter flectunt genua; similiter et omnes alii ibidem præsentes eodem modo eamdem crucem adorant. Interim vero cantores cantant *Agios*, etc., vicissim repetentes *Sanctus Deus*, *Sanctus fortis*, etc. *Populus meus*, *quid*

feci, etc., et alias Antiphonas, prout in Missali Romano continetur. Papa etiam prædictas Antiphonas et omnia prædicta legit sedendo in cathedra, dum ipsa crux adoratur per cardinales et alios. Finita vero crucis adoratione, sacrista vel alius ad hoc deputatus eam reponit in loco suo super altari, et pecuniam oblatam in crucis adoratione clericus capellæ recipit sola hac die, quoniam sua est, in aliis capellanorum. Ipsa igitur cruce in altari inter faculas seu cereos collocata, dominus camerarius vel vices ejus gerens aliam crucem portat extra regias, comitantibus eum clericis cameræ et capellæ ad adorandum aliis.

Facta ergo adoratione in capella, dum illi de extra aliam crucem adorant, papa, lotis manibus, et depositis chirothecis, quas amplius non resumit, surgens de cathedra, ibi stando resumit prædictam planetam nigram et pallium cum spinellis de manu diaconi cardinalis qui dixit Passionem; et sic progreditur ad altare sine mitra et sine confessione consueta, assistentibus sibi dictis duobus diaconis cardinalibus; deinde vadit cum cruce, luminaribus et incenso, ad armariolum, seu cophinum, in quo die hesterna fuit calix cum corpore Christi reservatus. Ita exstitit hactenus observatum tempore Joannis XXII, domini Benedicti XII, domini Clementis VI, domini Innocentii VI, domini Urbani V, domini Gregorii XI, domini Urbani VI, Romanorum pontificum. Qui papamet ad armariolum seu cophinum vadit, et corpus Christi portat ad altare cum illa tobalea de serico coopertum cum uno capite, et cum alio qui sibi pendet super humerum sinistrum. Licet secundum dominum Jacobum Gaietani junior presbyter cardinalis corpus Christi [a] antiquitus ad altare portare consuevit. Accipiens igitur papa ipsum calicem in manibus, prius flexis genibus incensatum **494** seu thurificatum, coopertum quodam panno nobili de sindone seu de serico, portat ad altare; et discooperto calice, recipit ab inde tamen manu corpus, et ipsum ponit super patenam, quam diaconus qui dixit Passionem tenet in manu; et ipse diaconus corpus Christi cum patena offert papæ, quam papa suscipiens collocat super altare ibidem extenso corporali. Postea calicem sacrista præsentat papæ absque lotione et tersione propter sacramentum, ne aliquid de fragmentis intus esset, et nihil dicendo infra dictum calicem ponit sacrista. Postea prædictus diaconus cardinalis offert prædictum calicem cum mero et puro vino; et subdiaconus offert ampullam cum aqua quam papa vino commisceat, nihil dicendo; et reputet quod ista die emanaverunt sacramenta Ecclesiæ, videlicet sanguis et aqua de corpore Christi. In quibusdam vero ecclesiis, secundum dominum Jacobum Gaietani, purum vinum sine aqua offertur, ut in puro et forti crudelitas Judæorum repræsentetur et asperitas passionis Christi.

Collocato autem per modum consuetum ad latus dominici corporis [calice] a diacono cardinali prædicto, offerat ipse diaconus cardinalis papæ thuribulum, manum papæ osculando in dando et recipiendo; et papa, ut moris est, incensat tam corpus Christi quam calicem. Deinde papa vadit ad cornu altaris, et ibi lavat aliquantulum digitos cum aqua in duobus bacilibus per unum de militibus seu domicellis suis, vel per nobiliorem ibidem præsentem, ipsum juvante priore episcoporum qui servit in officio capellani; et ipsa ablutione facta, vadit papa ante medium altaris absque confessione, prout dictum est, inclinat se orans et dicens *In spiritu humilitatis*, et erigens se vertit se ad populum dicens *Orate pro me, fratres*, etc., deinde dicit plana voce, ut moris est, sine *Per omnia sæcula*, etc., et sine *Te igitur*; sed absolute incipit cantando *Oremus, præceptis salutaribus moniti*, etc., *Pater noster*, etc.; et quando erit in illo loco ubi dicitur *Sicut in cœlo et in terra*, celebrans accipiens corpus Christi elevat ipsum, ita ut possit videri a circumstantibus, et incontinenti reponit eum ubi prius, et in fine *Pater noster* respondetur *Sed libera nos a malo;* sacerdos vero sub silentio dicit *Amen*, et statim in eodem tono sine *Oremus* dicit hanc Orationem: *Libera nos, quæsumus, Domine*, et in fine respondetur *Amen*. Et tunc diaconus offert papæ patenam, ac deinde papa frangit Hostiam consecratam secundum consuetudinem, ponens de ea tertiam particulam in calicem, nihil dicendo. Sanctificatur enim vinum non consecratum per corporis Domini missionem. *Pax Domini* etiam non dicitur, nec *Agnus Dei* cantatur, nec pacis osculum datur, nec postcommunio dicitur.

Communicat autem solus papa sine ministris, non ad sedem solemniter, sed ibi tantum eo die ante altare, ob humilitatem reverentiæ et passionis Christi; et non cum calamo, sed cum calice sumit sanguinem; et vinum post sumptionem sanguinis in calice funditur per sacristam, vel alium episcopum, qui sibi in Missa servit; et sumitur cum calice in cornu altaris, et ibidem cum aqua, in bacilibus per unum e **495** militibus vel domicellis portata, lavat manus. Et deinde depositis ad altare spinellis, cum quibus firmatur pallium et planeta, vadit ad sedem altam nudam, et ibi deponit paramenta, et cum ministris et capellanis ac clericis suis dicit Vesperas diei præteriti, non cantando, sed legendo, etiam Antiphonam *Calicem salutaris*, cum aliis sequentibus et Psalmis, prout sunt notatæ in Breviario Romano, semper sine *Gloria*, et sine Capitulo, et sine Versu. Nec incipit Antiphonam ad *Magnificat* ipse papa, sed omnia dicuntur legendo. Quibus completis, dicitur: *Christus factus est pro nobis*, etc., et sine *Kyrie, eleison*, et sub silentio dicitur *Pater noster*. Et nota quod post *Christus factus est*, etc., statim papa descendit de cathedra magna, et vadit ad illam ante medium altaris, et nudam cum scabello; et ibi genibus flexis dicit Psalmum *Miserere mei, Deus*, etc., quo completo sine *Gloria Patri*, dicit *Oremus. Respice*, etc.

[a] Id patet ex antiquioribus libellis Ordinis Romani, quos supra retulimus.

Sciendum est enim quod ista die servit papæ in officio capellani unus presbyter cardinalis, videlicet ille cui papa mandavit, vel cui prior diaconorum cardinalium ex præcepto papæ hoc facere commiserit. Episcopus autem cardinalis servit, si papa celebret hodie.

Peractis ergo omnibus supradictis, papa cum pluviali rubeo et mitra plana prædicta, comitantibus omnibus cardinalibus indutis cappis laneis, duobus tamen diaconis cardinalibus antiquioribus sibi assistentibus, uno a dextris, et alio a sinistris, vadit ad dictam fenestram in qua consuevit dare indulgentiam; et ibidem in præsentia cardinalium facit absolutionem more solito et Benedictionem; postea dat indulgentiam populo et omnibus assistentibus, videlicet de VII annis et VII quadragenis: quam indulgentiam pronuntiat de mandato papæ junior diaconus cardinalis, vel ille cui papa mandaverit. Et postea intrat in cameram suam, in qua pluviale et mitram deponit, et vestes consuetas recipit, et cardinales absque confabulatione ad propria revertuntur.

LXXVIII. *De officio Sabbati sancti.*

Notandum quod die Sabbato sancto, in vigilia Paschæ, antequam dominus papa veniat ad capellam seu ecclesiam pro officio faciendo, bis venit ad fenestram pro indulgentia danda more solito populo, scilicet de mane semel, et sero, cum vult ire ad capellam pro officio faciendo; et qualibet vice portat pluviale rubeum et mitram planam et albam de garnello sine aurifrisiis et perlis. Ipsa etiam die extrahitur ignis novus de crystallo vel alio lapide, et benedicitur in capella, præsente domino papa, per juniorem presbyterum cardinalem sacris indutum vestibus, cum cruce et aqua benedicta et incenso, legendo Orationes sine nota. Ignis benedicitur antequam papa veniat ad capellam.

Hora vero debita, omnibus prædictis primo completis, ut dictum est, papa indutus manto rubeo et cum mitra prædicta venit ad capellam, cum associantibus cardinalibus qui sunt ibi in camera cum eo præsentes, cum duobus antiquioribus diaconis cardinalibus sibi assistentibus, **496** ut moris est, uno a dextris, et alio a sinistris; et deposita sibi mitra per diaconum cardinalem qui est a dextris ejus, flexis genibus orat aliquantulum ante altare, ubi est cathedra cum scabello et pulvinari parata. Et facta Oratione surgit et vadit ad sedem suam magnam, quodam panno nobili coopertam; et reposita sibi mitra sedet. Deinde veniunt cardinales more solito ad reverentiam papæ. Qua reverentia facta, junior diaconus cardinalis qui debet benedicere cereum, indutus paramentis albis, videlicet amictu, superplicio stricto, alba, stola, tunicella, dalmatica et manipulo, exit regias capellæ; et præcedentibus eum ministris cum cruce, concomitantibus eum capellanis et cantoribus et reliquis de clero et populo, vadit quasi ad finem capellæ, et recipit de manu acolythi vel ministri arundinem trium cubitorum et dimidii cubiti, triplicem candelam accensam de novo igne illuminatam habentem; et ibi genuflectendo arundini, elevatis paululum manibus cum arundine, dicit cantando *Lumen Christi*; et respondentibus omnibus aliis *Deo gratias*, vadit quasi ad portam regiarum dictarum, et ibi secundo genuflectit, et plus solito manibus elevatis vocem magis elevando dicit *Lumen Christi*; et omnibus respondentibus *Deo gratias*, postmodum vadit usque ante altare, et ibi tertio genuflectit, et plus elevatis manibus, elevando vocem magis dicit *Lumen Christi*; et omnibus respondentibus *Deo gratias*, postea ascendit ad pulpitum adornatum, et absolute incipit Benedictionem cerei, et cantando dicens, ut sequitur, *Exsultet jam angelica turba cœlorum*, continuando ipsam Benedictionem usque ad finem, et tempore debito ponuntur per ipsum diaconum cardinalem quinque grana incensi in dicto cereo ad modum crucis. Postea tempore debito accendatur cereus de igne novo prædicto, prout in rubricis in dicta Benedictione positis præcipitur et mandatur.

Facta igitur Benedictione cerei, papa descendit de sede illa, et vadit ad revestiarium longe ab altari paratum, si sit; alias vero, si non sit, ibidem calceatur sandalia, legendo *Quam dilecta*, quæ debent esse alba cum perlis, quia ea non mutat. Deinde induitur omni ornatu suo quadragesimali violacei coloris, scilicet alba absque paramentis, cinctorio et succinctorio albi coloris, pectorali, fanone, stola cum perlis (et ista non mutat), tunicella, dalmatica violacea (interdum vestes istas duas propter tædium exspoliandi et induendi Romani pontifices consueverunt portare albi coloris, verumtamen totum stat in bene placito eorum), planeta violacea per diaconum cardinalem qui fecit Benedictionem cerei, stantem in alba tantum cum stola. Et postquam papa chirothecas induerit, omnes cardinales paramenta sua recipiunt, videlicet episcopi cottam, amictum latum, et pluvialia, sed planetas violacei coloris recipiunt; et etiam ipse diaconus cardinalis qui induit papam, papa induto, induit sibimet planetam violaceam, sicut et alii diaconi cardinales; subdiaconus vero non planeta, sed tunicella alba utitur in toto officio et in Missa, ut magis sit compositus et expeditus ad legendum lectiones, et alia quæ sibi illa die agenda incumbunt. Omnibus **497** paramentis receptis, et mitra papæ prædicta reposita per dictum diaconum cardinalem, recipit annulos, scilicet pontificalem et minorem, de manu episcopi vel presbyteri cardinalis sibi in officio vel in Missa de libro servientis. Deinde papa processionaliter vadit ad sedem suam magnam prædictam longe ab altari cum silentio, assistentibus sibi duobus diaconis cardinalibus prædictis antiquioribus. Hoc sane intelligas, si induatur in sacrario seu revestiario, ibidem etiam sic processionaliter vadit. Quod si papa induatur in ipsa cathedra, et non in revestiario, ibidem etiam sedet duobus diaconis cardinalibus et presbytero cardinali sibi in officio et Missa servienti ante eum super sca-

bellas, ut moris est; aliis vero diaconibus cardinalibus ante altare in loco solito sedentibus. Similiter et omnes alii cardinales sedent in locis suis, prout est consuetum.

Postea unus de clericis capellæ seu acolythis vadit ad pulpitum nudum, ubi debet esse liber Epistolarum paratus ad legendum lectiones : et absolute sine titulo incipit et legit lectionem *In principio Deus creavit cœlum et terram*, etc., et ipsa lectione finita, si papa velit, Græcus diaconus legit eam in Græco. Qua completa, papa in prædicta sede stando, ac deposita ei mitra per diaconum cardinalem sibi a dextris assistentem, dicit *Oremus;* et diaconus cardinalis qui est a dextris papæ immediate dicit *Flectamus genua;* deinde alter qui est a sinistris dicit *Levate;* et postea papa dicit Orationem quæ competit, et reliqua fiunt et leguntur prout in Missali seu Ordinario sunt notata.

LXXIX. *Si papa velit ordines facere, vel cardinales consecrare.*

Notandum vero si papa velit aliquos ordines facere, et aliquos de cardinalibus hac die consecrare, iste modus observandus est. Primo lecta prima prophetia, fiunt minores ordines in sede prædicta; et lecta secunda prophetia alii ordines acolythatus, prout in Pontificali domini Guillelmi Durandi continetur. Verumtamen Ecclesia Romana istum modum observare consuevit, quod lectis XII prophetiis minores ordines distribuuntur, et dicto novies *Kyrie, eleison* cum litaniis, prout in Missali continetur, et *Gloria in excelsis Deo* decantato, ante primam Collectam ordo subdiaconatus distribuitur; et ultimus ordinatus legit epistolam. Distributis ergo minoribus Ordinibus, et etiam subdiaconatu, lectis Orationibus, Epistola, Graduali, usque ad ultimum Versum, vel *Alleluia*, prout notantur omnia in ordinatione diaconi et presbyteri cardinalis. Tunc archidiaconus præsentet eos papæ. Cætera quære in loco suo. Sciendum tamen quod diaconi cardinales secundum ordinem suum in principio Orationum dicendarum per papam dicunt *Flectamus genua*, et etiam *Levate*, juxta modum hesternum in rubrica declaratum. Omnes vero aliæ lectiones leguntur per capellanos papæ superpliciis tantum super rochettis indutos; quibus lectis, lector post finem suæ lectionis vadit ad osculandum pedem papæ.

498 **LXXX.** *De presbytero cardinali servienti papæ.*

De presbytero cardinali isto die serviente in officio capellani sciendum est quod in toto officio hodierni diei servit papæ in officio capellani unus presbyter cardinalis, videlicet ille cui papa mandaverit, vel alicui priorum diaconorum cardinalium ex præcepto papæ hoc facere commiserit, videlicet de libro, quando papa dicit dictas Orationes, post quamlibet lectionem tenens librum supra caput suum, et in altari etiam post receptionem paramentorum tradit papæ annulos, scilicet pontificalem et minorem in eodem digito; et etiam quando papa deponit paramenta, ipse presbyter cardinalis recipit dictos annulos de manu papæ, et semper in dando et extrahendo osculatur manum papæ.

Nota quod in rubrica ista modernis temporibus prior episcoporum vel prior presbyterorum, vel subpriores in priorum absentia, semper papæ serviunt in dicto officio capellani. Ita vidi ego frater Petrus Amelii, Senegaliensis episcopus, observari tempore domini Urbani quinti, Gregorii XI et Urbani VI Romanorum pontificum. Completis vero Orationibus, lectionibus et Tractis, subdiaconus tunicella alba, ut prædicitur, indutus vadit ad pulpitum, ubi lectiones lectæ fuerunt; et ibi cantando dicit litaniam, et respondetur sibi per omnes qualibet vice, verba ipsius subdiaconi et in eadem nota repetendo. In principio litaniæ papa, deposito pallio, spinellis, et planeta, descendit de sede prædicta, et vadit ad cathedram coram altari paratam cum scabello et pulvinari, mitram prædictam tenens in capite; et ibi stat genibus flexis, quousque perveniatur ad locum ubi dicitur *Peccatores, te rogamus audi nos.*

Tunc vero papa surgens vadit ad aliam cathedram longe ab altari paratam, vel ad revestiarium, si sit; et depositis paramentis violaceis prædictis, induitur ipse papa paramentis albis et solemnibus per diaconum cardinalem qui Evangelium est dicturus. Qui quidem diaconus paratus debet esse paramentis albis, quando induit papam prout erat in cerei Benedictione. Similiter et omnes alii cardinales paramenta alba recipiunt, videlicet episcopi cardinales cottam, amictum latum, pluviale; presbyteri vero cardinales similiter, non tamen pluvialia, sed planetas recipiunt; diaconi vero cardinales et similiter amictum strictum, tunicellam et dalmaticam recipiunt, et omnes prælati pluvialia. Quibus paramentis per papam receptis, imponitur sibi mitra nobilis et solemnis, et recipit ambos annulos de manu presbyteri cardinalis, ut supra; et assistentibus sibi prædictis duobus antiquioribus diaconis cardinalibus, uno a dextris, et alio a sinistris, vadit processionaliter ad altare; et veniendo occurrunt ei tres presbyteri cardinales parati; et ipse, ut moris est, recipit eos secundum ordinem suum ad osculum oris et pectoris. Deinde vadit ad altare, et facit confessionem suam more solito; et postea osculatur altare, et librum Evangeliorum in principio Evangelii dicendi in Missa; et vertit se ad diaconos 499 cardinales, qui more solito faciunt ei reverentiam, et papa per ordinem suum eos recipit ad osculum oris et pectoris; et exinde recipit thuribulum de manu diaconi qui illa die debet dicere Evangelium. Dominus de Francia cardinalis introduxit consuetudinem, quod cardinalis qui servit papæ præsentet thuribulum cum navicula; et papa ponit incensum, et altari incensato reponitur sibi mitra. Et tunc recipit diaconos cardinales ad reverentiam, et altare incensat more solito.

Postmodum vadit ad sedem suam, ubi stando absque Introitu dicit *Kyrie, eleison*, et postea sedet; et finito novies per cantores *Kyrie, eleison*, papa surgit; et deposita sibi mitra per diaconum cardinalem

qui stat a dextris, incipit solemniter *Gloria in excelsis* A *Deo*. Et tunc pulsatur magna campana. Quo cantato, surgit, et mitra deposita, ut supra, dicit *Pax vobis*; et respondentibus omnibus *Et cum spiritu tuo* dicit, *Oremus. Deus, qui hanc sacratissimam noctem*, etc.; qua Oratione finita, subdiaconus dicit Epistolam; et immediate Epistola finita idem subdiaconus inclinando se aliquantulum ante papam dicit cantando plana voce: *Annuntio vobis gaudium magnum, videlicet Alleluia*, et nihil ei respondetur; et vadit ad osculandum pedes papæ. Quo facto, statim surgit, et ille subdiaconus vel capellanus papæ alta voce incipit semel tantum coram papa cantando *Alleluia*; et papa stando, et mitra deposita, ipsum *Alleluia* cantando ter incipit, secunda vice altius, et in tertia altius vocem elevando; et qualibet vice immediate post papam chorus repetit B cantando ipsum *Alleluia*. Quo *Alleluia* ter cantato, ut præmittitur, duo cantores solemniter cantant Versum *Confitemini Domino*; deinde cantatur tractus *Laudate Dominum, omnes gentes*. Quo finito, recepto prius manipulo, diaconus cardinalis de manu capellani sibi servientis de mitra vadit ad osculum pedis papæ; deinde revertatur ad altare, ubi more solito recipit librum Evangeliorum flexis genibus osculando medium altare. Quo libro recepto, pars illa ubi est crucifixus stet ante altare versus papam; et ibidem stando aliquantulum inclinatus ad papam, sic semper tenendo prædictum librum ante pectus suum, petit a papa summissa voce Benedictionem. Qua habita, vadit ad Evangelium dicendum. Ad Evangelium vero ista die non portantur luminaria, sed incensum tantum. Quo C Evangelio finito, portatur ille liber Evangeliorum per subdiaconum ad osculandum papæ, ut moris est; et papa stando dicit *Dominus vobiscum*, etc., diaconus vero revertitur ad altare.

LXXXI. *Quod non dicitur* Credo, *nec Offertorium*.

Notandum tamen quod *Credo in unum* nec Offertorium dicitur in Missa præsenti, nec fit sermo; sed extractis chirothecis lavat manus, deinde more solito vadit ad altare; et deposita sibi mitra per diaconum cardinalem qui dicit Evangelium, extensa tobalea de auro super altare per acolythos et per sacristam, idem diaconus extendit corporalia in medio altaris; et episcopus non cardinalis, sed sacrista, portat calicem **500** cum pyxide hostiarum et parvo cochleari, coopertum velo serico, et parat calicem cum tribus D Hostiis, unam pro sacramento, et duas pro proba; et in papæ præsentia facit probam de vino et de pane, et fundit vinum in calicem tantum, quantum durat circulus hostiæ, et post aquæ Benedictionem ponit cum cochleari tres guttas aquæ; et tunc facit probam, et ponit patenam cum hostia super calicem; et tunc prædictus diaconus cardinalis recipit cum cauda manipuli patenam ipsam cum hostia, et offert papæ nihil dicendo, sed osculatur manum papæ; postea offert calicem, faciendo tribus vicibus crucem cum calice super altare, tenendo ipsum cum ambabus manibus per medium, nihil dicendo.

LXXXII. *De incensatione et communione*.

Postea recipit thuribulum cum incenso de manu acolythi, et offert papæ, et ipsemet diaconus ponit incensum infra thuribulum osculando manum papæ, et tradit papæ prædictum thuribulum, osculando manum; et semper caudam thuribuli, ubi sunt annuli, teneat in manu dextera, et capit prope ignem in manu sinistra; et sic papa recipit et incensat altare, ut moris est. Et exinde ipse diaconus cardinalis recipit thuribulum de manu papæ, semper manum ejus osculando in tradendo et recipiendo. Quo recepto, incensat papam ter; et tradito thuribulo acolytho, parat sibi planetam et pallium cum fano. Postea incensat altare et presbyterum cardinalem qui ipso die servit papæ; deinde duos diaconos cardinales antiquiores qui papæ astiterunt in Missa; postea alios diaconos cardinales; deinde regem, si sit ibi; et postea episcopos cardinales et presbyteros cardinales, et alios prælatos paratos, prout in aliis Missis fieri est consuetum; deinde papam, prout moris est tantum [*Al.*, tamen] in hac Missa. Dicitur Præfatio *Te quidem, Domine, omni tempore, sed in hac potissimum nocte*, etc.; et alia dicuntur prout in Missali continentur. Et cum papa dixerit loco debito *Pax Domini sit semper vobiscum* respondetur *Et cum spiritu tuo*; sed *Agnus Dei* non dicitur, nec pacis osculum datur. Verumtamen dicit papa nihilominus illam Orationem, *Domine Jesu Christe qui dixisti apostolis tuis: Pacem*, etc., nec Communio dicitur, sed immediate papa descendit ab altari, et vadit ad sedem suam, comitantibus duobus diaconis; et diaconus cardinalis, factis tribus circulis, bina vice vertendo se ante medium altaris, patena cum corpore Christi elevata ante frontem ad partem dextram, et in tertia ad sinistram, et tunc tradit Hostiam cum patena flexis genibus subdiacono ipsam papæ deferendam more solito. Et postea idem diaconus recipit more solito calicem cum sanguine, et facit tribus vicibus circulum, et portat papæ ad sedem; et ipse ibi stando solemniter communicat; et post diaconum sacrista episcopus defert calicem vacuum coopertum cum nobili panno serico in manu dextra, et in sinistra papilionem cum fistula et tribus punctis, quam tradit presbytero cardinali qui servit papæ; et post eum venit acolythus cum vinateriis **501** et duobus [a] taxeis. Et papa sanguinem cum calamo sugit; et statim diaconus corpus Christi de manu papæ recipit, et post eum subdiaconus. Quo recepto, dictus diaconus cardinalis portat calicem cum sanguine ad altare, et ibidem de ipso sanguine cum ipso calamo sugit; et postea dat subdiacono residuum sanguinis; et postea recipit perfusionem papæ de manu cardinalis portantis, prout est fieri alias consuetum.

Notandum tamen quod cum papa ponit corpus Christi in ore diaconi cardinalis qui cum ipso communicat, non debet eum recipere ad osculum oris, ut in aliis diebus fieri solet, quando in sede com-

[a] Eadem vox infra, non semel, in cap. 85.

municat; nec etiam ipse diaconus cardinalis debet subdiaconum post receptionem sanguinis osculari, pro eo quod in ista Missa non datur pacis osculum, ut supra dictum est.

Communione autem facta, et omnibus prædictis expletis, papa reposita sibi mitra sedet, et cantores cantant Antiphonam *Alleluia, alleluia, alleluia.* Qua cantata, cantatur Psalmus *Laudate Dominum, omnes gentes*, etc., cum *Gloria Patri*, etc., et in fine reiteratur Antiphona prædicta. Capitulum, Hymnus, Versus non dicuntur; sed immediate subdiaconus stans coram papa incipit cantare Antiphonam *Vespere autem Sabbati;* et ipsa incœpta, papa, deposita mitra, cantando incipit ipsam Antiphonam, et cantores cantant ipsam cantando usque ad finem; et postea cantatur psalmus *Magnificat* totum cum *Gloria Patri*, etc., et in fine reiteratur dicta Antiphona per cantores. Et omnia prædicta debet dicere in sede papa stando, legendo cum ministris. Quibus finitis, papa surgens de sede vadit ad altare, et ibi deponitur sibi mitra; et versa facie ad populum dicit *Dominus vobiscum;* et respondetur *Et cum spiritu tuo.* Postea dicit *Oremus. Spiritum nobis, Domine.* Deinde versa facie ad populum dicit *Dominus vobiscum;* et respon e *Et cum spiritu tuo*, papa vertit se ad altare, et diaconus cardinalis qui dixit Evangelium, versa facie ad populum dicit *Ite, Missa est*, cum duplici *Alleluia;* et respondetur etiam cum duplici *Alleluia Deo gratias.* Deinde papa facit more solito benedictionem. Qua Benedictione facta, presbyter cardinalis qui servivit in Missa de mandato et auctoritate papæ pronuntiat indulgentiam de septem annis et septem quadragenis.

Hic nota quod si papa facit officium ut præmittitur, incœpto Psalmo *Magnificat* descendit de cathedra, et sine mitra thurificat altare, nec ultra revertitur ad prædictam cathedram, sed ibimet in altari dicit orationem *Spiritum nobis, Domine.*

Quibus omnibus peractis, papa sibi reposita mitra totus paratus, cum omnibus cardinalibus etiam paratis et cum mitris in capitibus, et secundum ordinem suum processionaliter gradientibus, assistentibus tamen sibi duobus diaconis cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, et alio a sinistris, præcedentibus subdiacono parato cum cruce et capellanis omnibus superpliciis indutis, cum cereis accensis vadit ad fenestram, **502** in qua indulgentia populo consuevit dari; et ibi præsentibus omnibus cardinalibus paratis, facta Benedictione solita per papam, et data indulgentia populo, omnibus præsentibus cardinalibus et aliis prælatis, ut supra, videlicet de VII annis et VII quadragenis per unum cardinalem ut supra, sicut venerunt processionaliter, etiam omnes sic revertuntur. Deinde intrat cameram suam cum cardinalibus, et cum eo remanet solus diaconus qui dixit Evangelium pro juvando ipsum dominum papam ad deponendum paramenta, et alii extra cameram deponunt. Quibus depositis, papa recipit vestes albas de lana in hac die portari consuetas. Sacrista vero facit plicari paramenta munde et honeste; et cardinales, paramentis depositis et cappis laneis reassumptis, ad domos proprias revertuntur.

LXXXIII. *Quando papa non celebrat ipsa die.*

Item si in ipsa die Sabbati sancti papa non facit officium, quia Romani pontifices non consueverunt facere officium, iste modus est tenendus. Primo igitur dominus papa vadit ad dandum indulgentiam populo, et in reversione audit parvam Missam secrete, in qua non dicitur *Alleluia*, quia consuevit esse de Missis votivis, nisi diceretur de die. Qua Missa finita, interim vadit ad dandum indulgentiam. Interim extinguuntur omnia luminaria, et excutitur de lapide novus ignis per magistrum capellæ; et junior presbyter cardinalis, indutus sacris vestibus, scilicet amictu, stola, alba, manipulo, et pluviali cum mitra alba et simplici, ipsum ignem benedicit cum ministris suis indutis superpliciis, prout in Missali continetur.

Sciendum tamen quod si ille qui facit officium sit cardinalis, ille benedicit ignem, et debet esse indutus sacris vestibus usque ad casulam exclusive, loco cujus portat pluviale, et cum cruce aqua benedicta et incenso, legit omnes illas Orationes sine cantu. Quibus lectis, deponit pluviale, et recipit casulam, sive sit cardinalis, sive non.

Notandum tamen quod quicunque facit officium debet esse indutus paramentis violaceis vel Indii coloris: diaconus vero et subdiaconus albi coloris. Consueverunt interdum etiam prælati tunicellam et dalmaticam portare albi coloris, et casulam Indii coloris. Sandalia debent esse alba, et non mutantur, nec stola, nec manipulus. Indutus igitur prælatus qui facit officium sedet super cathedram suam coopertam faldistorio; et data indulgentia per papam populo, secunda vice papa venit ad capellam; et facta Oratione aliqualiter ante altare, et surgens ascendit ad cathedram suam, indutus prout erat quando indulgentiam populo dedit; et ibi sedet cum mitra; et duo diaconi cardinales ante eum, et presbyter, et qui servit sibi. Indutus igitur prælatus cum ministris suis ut supra, sedet diaconus qui debet legere Evangelium; portat arundinem tricubitem cum candelis accensis de novo igne, et cum duobus acolythis cum candelabris et faculis accensis. Et subdiaconus præcedit eos bajulans crucem; et sic pergunt omnes quasi **503** usque ad finem capellæ; et ibi alta voce diaconus dicit *Lumen Christi;* et respondebit chorus *Deo gratias*, et flectit genua; et iterum magis appropinquat ad regias capellæ; et iterum flectit, altius intonando *Lumen Christi*, respondentibus illis *Deo gratias.* Intrat capellam et vadit ad cereum paschale cum dictis ministris, et ibi super pulpitum incipit absolute *Exsultet jam angelica turba*, etc., petens prius a papa Benedictionem.

Finita cerei Benedictione, prout in Missali Romano continetur, diaconus deponit dalmaticam albi coloris, et unus clericus vel de cantoribus legit lectionem primam, consequenter omnes aliæ leguntur per

clericos aut per cantores; et prælatus legit omnes in cathedra sua sedendo cum mitra.

Orationes vero prælatus legit in cathedra sua cantando, non in cornu altaris, et sine mitra; et unus de clericis suis tenet sibi ante librum, et ipse versa facie ad altare legit Orationes. Lectis igitur XII prophetiis, papa surgit, et vadit ante medium altaris, et flectit genua; et prælatus accumbit super faldistorio suo, ubi consueverunt stare prælati quando faciunt officium ante papam. Interdum vidi quod descenderunt de illo loco magis inferius ex latere dextro papæ. De hoc non est jus. Ipsis vero prostratis, subdiaconus vadit ad pulpitum, ubi lectæ fuerunt lectiones, et cantant litaniam; et cum perventum fuerit ad illum locum, *Peccatores te rogamus, audi nos*, ille qui facit officium surgit, et deponit paramenta violacea, et etiam ministri sui recipiunt albi coloris, et mitram pretiosam, papa semper accumbente super cathedram suam ante medium altaris; et cum cantores incipiunt primum *Kyrie, eleison*, papa surgit, et ibimet cum duobus diaconis cardinalibus et prælato qui facit officium, qui stare debet a latere sinistro papæ cum suis ministris, facit confessionem more solito; et facta confessione faciens officium ascendit ad altare, et papa revertitur ad cathedram suam, ponens incensum in thuribulo; et incensato altari incensatur ipse; et prælatus procedit ad Missam. Et dum incipitur *Gloria in excelsis Deo*, papa deponit pluviale rubeum, et stolam, et mitram, quæ omnia debent esse sine perlis; et subdiaconus, vel ille qui custodit prædicta cum mitra consistoriali cum perlis. Sacrista vero vel ejus socius tradit pluviale album de samito cum aurifrisiis de perlis et cum cordonibus; et diaconus qui stat a dextris papæ induit papam; et dum incipitur *Gloria in excelsis Deo*, parvæ campanæ debent pulsari, et etiam illa magna consistorialis, et papa dicit *Gloria in excelsis Deo*, cum cardinalibus sibi assistentibus ante ad modum circuli. Omnia alia fient prout in Missali Romano continentur.

Notandum quod lecta Epistola, subdiaconus qui ipsam legit debet venire ad prælatum qui facit officium; et versa facie ad ipsum alta voce dicit *Annuntio vobis gaudium magnum, videlicet Alleluia;* et incontinenti prælatus surgit, et deposita mitra dicit *Alleluia*, et tribus vicibus incipit, semper vocem exaltando in qualibet vice.

Recepto igitur corpore et sanguine Domini nostri Jesu Christi, faciens officium remanet super cornu dextrum altaris; et subdiaconus papæ incipit Antiphonam, *Vespere autem Sabbati*, etc., ante papam; et summus pontifex **504** incipit dictam Antiphonam deposita mitra, et ponit incensum in thuribulum; et ille qui facit officium thurificat ante altare; et cantato per cantores, faciens officium dicit Collectam in cornu altaris prædicto, et non papa; et semper stat sine mitra in sede sua dum dicitur Collecta. Aliqui Romani pontifices consueverunt stare per totum *Magnificat* sine mitra. Nota quod in ista Missa non dicitur *Lætatus sum*.

Data Benedictione per papam, vadit ad dandum indulgentiam populo, comitantibus cardinalibus; deinde revertitur ad cameram suam, et deponit paramenta, et recipit chlamydem cum capuceo de scarletto albo, quibus utitur per totam Octavam inclusive, vel saltem usque ad Dominicam in albis post prandium, sed melius est quod portet per totam diem, cum quibus etiam vadit ad mensam et ad Missam in capella sua.

LXXXIV. *In die sancto Paschæ de officio Missæ rubrica.*

Dominica in festo Paschæ Missa tantum mandatur, neque est sermo; sed audita bono mane Missa parva, dominus papa, indutus pluviali albo cum mitra aurifrisiata cum perlis, vadit ad dandum indulgentiam populo. Deinde venit ad capellam, associantibus eum cardinalibus tunc præsentibus secundum ordinem suum ante eum gradientibus, assistentibus ei duobus diaconis cardinalibus antiquioribus, uno a dextris, et alio a sinistris; subdiacono crucem portante ante papam et ante cardinales. Cum autem papa est in capella, statim vadit ante altare, ubi debet esse cathedra pulvinari parata; et reposita sibi mitra per diaconum qui est a dextris, genuflectit, et ibi aliquantulum orat, ut moris est.

Deinde sibi mitra reposita, vadit ad aliam cathedram longe ab altari paratam, et ibi sedet; et facta ei reverentia solita per cardinales et alios prælatos, papa incipit more solito alte Tertiam, quam dicit ipse legendo, et capellani cum cantoribus ante eum ipsam cantando. Qua finita, papa dicit Orationem, et prior episcoporum tenet ei librum super caput suum, et duo acolythi cantant *Benedicamus Domino, alleluia, alleluia*, etc. Deinde papa sedet, et subdiaconus cum uno de cubiculariis calceat sibi sandalia, et ipse papa interim legit *Quam dilecta*, cum illis Orationibus, etc. Deinde lavat manus, prout consuetum est, et sacris aliis induitur paramentis. Similiter et omnes cardinales, secundum ordinem suum et secundum quod eis competit, alba etiam recipiunt paramenta.

Quibus paramentis receptis, imponitur papæ mitra solemnis; et deinde assistentibus prædictis duobus cardinalibus, uno a dextris, et alio a sinistris, et priore episcoporum eum associante et præcedente qui ipsa die servire sibi debet de libro et aliis quæ sibi competunt in officio capellani, processionaliter cum cruce, incenso et septem faculis vadit ad altare; et veniendo occurrunt ei tres juniores presbyteri cardinales parati; et ipse, ut moris est, recipit eos secundum ordinem suum ad osculum oris et pectoris. Deinde more solito facit confessionem suam ante altare, et alia quæ in aliis solemnibus Missis sunt fieri consueta. Deinde vadit ad sedem suam, ubi stando dicit Introitum Missæ, et *Kyrie, eleison* cum cardinalibus. **505** Deinde sedet, et sic proceditur in Missa secundum quod alio tempore est regulariter fieri consuetum.

Notandum quod in hac Missa post *Alleluia* et Ver-

sum *Confitemini* cantatur per cantores, et incipitur per eosdem, non per papam, Sequentia *Victimæ paschali laudes*, et in fine reiteratur *Alleluia*.

Notandum quod ista die non fit sermo, sed immediate finito Evangelio, diaconus qui assistebat a parte sinistra dicit *Confiteor Deo*, etc., et papa more solito dat Benedictionem absque pronuntiatione indulgentiæ. In fine Missæ debet dari, quandocunque non est sermo. Data benedictione, papa dicit *Credo in unum Deum*, etc. Item nota quod inveni in spatio libri extra, quod licet non fiat sermo, tamen dicitur *Confiteor*, et datur indulgentia. Notandum etiam quod sacrista hodie ponit mitras pretiosas et solemnes super cornu sinistrum altaris, et semper in illis diebus processionalibus.

Item notandum quod paulo ante inchoationem præfationis duo diaconi cardinales ultimo electi vadunt retro altare ad similitudinem seu repræsentationem angelorum monumentum custodientium; et ibi morantur erecti versa facie ad populum usque ad intonationem *Agnus Dei*. Quo incepto, redeunt ad loca sua pristina, et non ante. Notandum vero quod cum papa dicit ante inchoationem *Pater noster*, *Per omnia sæcula sæculorum*, non respondetur *Amen*; sed immediate dicit *Oremus*, *Præceptis salutaribus*, *Pater noster*, etc. In fine respondetur *Sed libera nos a malo* et *Pax domini* dicitur, et omnia alia quæ in alio tempore dici solent; et dicitur *Lætatus sum*, *Pater noster*. Et isto die papa communicat in sede sua solemniter, ut moris est. Notandum etiam quod sacrista debet portare hodie tres calices, magnum pro Missa; alium, cum quo papa bibit vinum; tertium pro communione. Parat etiam custodiam deauratam, et tot Hostias parvas quot sunt necessariæ.

LXXXV. *De communione diaconorum cardinalium et aliorum prælatorum*

De communione diaconorum cardinalium et aliorum prælatorum, clericorum et laicorum, sciendum est quod ista die, si dominus papa celebrat, omnes diaconi communicant in capella papæ, necnon et notarii et capellani ipsius domini papæ, ac clerici, et laici.

Nota de pace danda ut sequitur immediate post papam, cujus contrarium reperitur in Cæremoniale domini Jacobi Gaietani; sed iste modus plus placet mihi. Scilicet quod papa data pace priori episcoporum cardinalium qui servit papæ in Missa, immediate papa dat pacem diaconis cardinalibus, dempto illo qui legit Evangelium; et ille recipit statim postquam habuit in ore corpus Christi de manu papæ. Et data pace, papa ascendit magnam cathedram, associantibus diaconis cardinalibus secundum ordinem suum; et ille qui dicit Evangelium flectit genua, et recipit patenam cum corpore Christi stando pedes, et eam elevat, tenendo ipsam ambabus manibus elevatis quasi ad suos oculos, et vertit se ad partem dextram, **506** ac si vellet dicere *Dominus vobiscum*; et per eamdem partem revertitur, et vertit se simili modo ad partem sinistram; et genuflectit, et tradit subdiacono etiam genuflectenti, qui portat eam papæ cum corpore Christi. Et recipit calicem discoopertum, et facit simili modo circulum, et portat papæ Christi sanguinem.

Recepto ergo corpore Christi, accepto a papa osculo pacis, revertitur ad altare cum calice; et ibi cum calamo sugit modicum de sanguine Christi, et dat subdiacono etiam, et osculatur eum; quo facto, recipit cum descensus est, quia episcopus sacrista qui servit papæ ponit Hostias consecratas intra coppam, et non diaconus cardinalis, cum tenaculis. Et ita vidi servari ego Petrus episcopus Oloycensis tempore domni Bonifacii IX, Innocentii VI, Gregorii XI, Joannis XXIII, et Martini V, et tempore quo sum....... tenaculis de auro Hostias consecratas, et ponit illam in coppam magnam deauratam ad hoc dedicatam; et eodem modo facit circulum; et sic tradit subdiacono, ambobus genuflectentibus. Quam subdiaconus portat papæ, et semper ante papam tenet, quousque omnes communicaverint; et diaconus remanet in altari, tenendo cum manu sinistra super cornu dextrum altaris calicem, et cum manu dextra fistulam, cum qua dat ad bibendum omnibus qui communicaverunt de manu papæ de Christi sanguine, dicendo cuilibet: *Sanguis domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam* [*Leg.* tuam] *in vitam æternam, amen*, et osculatur quemlibet

Notandum quod primo communicant diaconi cardinales juxta ordinem prioratus sui bini et bini, videlicet post diaconum et subdiaconum; secundo capellani, auditores, acolythi, cum cottis et superpliciis bini et bini. Nota quod papa osculatur tantummodo cardinales qui communicant hodie, et nullum alium in dicta communione. Tertio notarii cum cappis laneis, et pœnitentiarii; quarto barones et milites juxta ordinem suum, depositis mantellis et capuceis; ultimo quicunque voluerit vere confessus et pœnitens. Nota etiam quod quilibet qui communicat consuevit offerre aliquid super altare postquam communicaverit; et totum illud est sacristæ et capellanorum. Item nota quod quilibet post sumptionem Christi sanguinis debet bibere modicum de vino cum calice de manu sacristæ vel acolythi calicem tenentis.

Notandum quod dominus noster papa hac die non consuevit lavare digitos cum vino, nec vinum sumere, prout consuevit, postquam communicavit subdiaconum, sed tunc postquam omnes communicaverint, nec ita parum; nec subdiaconus non bibit vinum, nisi postquam omnes communicaverint; et eo quod si aliquid de corpore Christi in patena remaneret, solus papa debet sumere; et si aliquid de sanguine Christi in calice, subdiaconus debet sumere. Et postquam omnes communicaverint, venit confessor papæ, si sit episcopus; quod si non esset, unus alius episcopus de domo papæ portat calicem coopertum cum capite tobaleæ de auro, et alio capite pendente super humerum sinistrum, prout moris est; et antiquior acolythorum post ipsum episcopum bajulat ampullas

cum vino et aqua, et duabus taxeis, coopertas cum panno illo, cum quo cooperitur pallium; et episcopus prædictus pergit cum dicto acolytho ante papam, et subprior **507** episcoporum abluit parvam taxeam de auro cum vino; deinde infundit vinum super digitos papæ, et dictam perfusionem digitorum idem subprior portat ad altare, quam bibit diaconus cardinalis cum subdiacono, prout consuetum est. Confessor, abluto calice, infundit vinum, et acolythus aquam intra calicem, genuflectentibus ante papam; et dominus papa abluit os, et sumit vinum cum calice prædicto; et si aliquid remanet subdiaconus sumit super altare. Deinde papa lavat manus in magnis bacilibus de auro; quibus lotis, papa accedit ad altare, et sic perficit Missam suam. Nota quod omnis homo, cujuscunque conditionis et status existat, qui sit vere confessus et vere pœnitens corde contritus, absque licentia episcopi [a], plebani vel alterius majoris, hodie potest recipere corpus Christi de manibus papæ.

Notandum quod buticularii papæ debent portare tres vel quatuor magnas quartas vini puri et optimi pro communione. Vinum vero quod remanet tam in magnis Missis quam in parvis papalibus, semper est sacristæ; et cum omnes communicantes sanguinem sumpserunt, dominus diaconus dat fistulam seu calamum ad sugendum ab utroque capite subdiacono, et postea calicem ad sumendum illud quod superest de sanguine Christi. Quibus factis, diaconus plicat corporalia, et tobaleam super altare positam etiam amovet. Deinde papa veniente ad altare, mitram idem diaconus deponit ei, et postmodum ad locum redit, et papa complet Missam suam, et diaconus dicit *Ite Missa est*, cum duplici *Alleluia*. Deinde data Benedictione per papam more solito, episcopus cardinalis qui servivit papæ de libro in missa pronuntiat Indulgentiam de mandato et auctoritate papæ VII annorum et VII quadragenarum. Qua Indulgentia pronuntiata, papa totus paratus ut in Missa fuit, præcedentibus ejus capellanis portantibus cereos accensos, deinde cruce, et omnibus cardinalibus paratis ut in Missa fuerunt, et cum ministris suis secundum ordinem suum coram eo binis et binis incedentibus, junioribus tamen cardinalibus secundum ordinem suum præcedentibus, et duobus diaconibus cardinalibus qui ei in Missa astiterunt tunc cum eo assistentibus, vadit ad fenestram ad dandum populo indulgentiam de VII annis et VII quadragenis. Deinde modo prædicto vadit ad cameram suam, ubi debet esse cathedra cum scabello parata; et cum papa venerit, diaconus qui ei servivit, traditis prius annulis episcopo cardinali qui ei de libro servivit, exuit ipsum dominum papam omnibus paramentis suis quæ pro Missa dicenda sumpserit, et per ordinem dat papæ ad osculandum stolam, fanum, crucem pastoralem; et cum omnia paramenta deposuerit, dictus diaconus cardinalis paramenta deponit, et omnes cardinales recipiunt vestes quotidianas, et sic ad propria revertuntur. Et papa recipit capuceum et chlamydem de scarletto albo, quibus utitur per totam Octavam, et sic vadit ad mensam. Acolythi vero, et clerici, et sacrista, plicant illa paramenta, et hodie comedunt cum papa, auditores a latere dextro, **508** primo unus auditor, secundo unus pœnitentiarius, et sic per ordinem; a latere sinistro primo subdiaconus, secundo unus commensalis, qui est magister palatii; vel unus alius, tertio unus acolythus, et sic deinceps. Et datur piper in collatione post prandium.

LXXXVI. *De secundis Vesperis eadem die.*

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali albo et mitra aurifrisiata consistoriali.

LXXXVII. *De diebus Lunæ et Martis Paschæ.*

Item die Lunæ nec die Martis non est sermo, neque Missa papalis, nec papa venit ad Vesperas his duabus diebus, sicut facit in Nativitate Domini, ex eo quia non est Missa papalis; nec venit ad Vesperas, nec est sermo.

LXXXVIII. *De die Sabbati in Albis rubrica.*

Sabbato primo post Pascha, quod dicitur in Albis, antiquitus consuevit celebrare coram papa prior episcoporum cardinalium, vel alius cardinalis, licet papa de communi cursu hac die celebrare consuevit. Perficitur igitur Missa quomodocunque dicatur usque ad *Agnus Dei*. Quo dicto, parantur cardinales secundum modum suum, si papa non celebret, et in ordine paramentis suis albis, et dicitur *Agnus Dei*, per dominum papam cum cardinalibus cæteris, tam prælatis quam aliis; et postea servitur Missa more consueto. Sciendum quod ista solemnitas non fit nisi quando dantur [b] agnus Dei, videlicet in primo anno et in septimo. Quod si papa celebret, tunc cardinales et prælati omnes induunt se paramentis albis in principio Missæ, ut in aliis Missis papalibus est consuetum fieri. Si autem alius celebrat coram papa, sive sit cardinalis, sive prælatus, nullus debet se parare, quousque fuerit data pax omnibus, et facta communione in altari per celebrantem. Notandum quoque quod in hac Missa non consuevit esse sermo, sed sola Missa mandatur, nec habet Vesperos præcedentes papales.

LXXXIX. *De his quæ debent fieri in eodem Sabbato, quando papa non celebrat.*

Sciendum tamen est quod quando papa non celebrat, illa die audita parva Missa, ipse venit paratus cum pluviali plano albo cum aurifrisiis tantum, et mitra alba cum perlis consistoriali; et illa die servit papæ prior presbyterorum cardinalium cum superpliciis, amictu lato, et pluviali; presbyter etiam, sed cum planeta, et non pluviali; diaconi cardinales cum amictu stricto, superpliciis, tunicella, et dalmatica; et **509** omnes alii prælati etiam cum pluviali; et sic veniunt cum mitris ad papam; et extracta mitra, coram papa genuflectunt, et ipse cuilibet ponit in mitra, quam tenet in manu, agnus Dei duo. Quibus sic receptis, osculantur genu dextrum

[a] Id observatum ob legem communionis paschalis, in propria cujusque ecclesia sumendæ.

[b] Vide supra, cap. 61, initio.

papæ, et revertuntur ad loca sua, et deponunt paramenta, reassumendo cappas laneas. Similiter et alii prælati veniunt parati ad recipiendum agnus Dei, non tamen cum mitris in capite, sed in manu eas deferunt, nec genu dextrum osculantur; alii vero non induti pedem; cæteri prælati, et omnes alii qui ad eum veniunt pro accipiendo agnus Dei, dextrum papæ pedem osculantur, et non genu; etiamsi esset rex, immediate post cardinalem venit ad recipiendum candelarum, cinerum, palmarum, agnorum et cereorum ad talia seu consimiles actus pertinentium. Et dantur duo agnus Dei cuilibet prælato; aliis vero unum tam clericis quam laicis.

Notandum tamen quod antequam prior presbyterorum cardinalium recipiat paramenta, recipit pacem a prælato celebrante illa die coram papa, et dat pacem papæ; et ipsa data, vadit ad parandum se prout est dictum.

Et sciendum quod dominus Clemens papa VI, pontificatus sui anno 7, anno Domini 1350, dedit cuilibet cardinali tres agnus Dei, licet tempore domini Joannis papæ XXII et Benedicti XII non esset consuetum dare nisi duo cardinalibus et prælatis, aliis vero unum. Datis omnibus existentibus in capella infra regias, papa abluit aliquantulum manus suas in cathedra. Postea cantatur per cantores Postcommunio, et finitur Missa. Deinde Benedictione facta per papam, prælatus qui facit officium Missæ illa die de mandato papæ pronuntiat indulgentiam VII annorum et VII quadragenarum, quia non consuevit esse sermo illa die.

XC. *Quando papa celebrat.*

Nota etiam quod si papa celebraret, quod tamen modernis temporibus non est consuetum fieri, dantur agnus Dei loco, tempore et modo supradicto. Præterea sciendum quod Romani pontifices non consueverunt facere illam solemnitatem in hac die, nec per se, nec per alium, nisi in primo anno suæ creationis et in septimo anno, et deinceps sic de VII in VII annis. Et bene verum quod in primo anno in propria persona tenentur facere officium hac die. Idem fecerunt Pontifices Urbanus V, Gregorius XI in Avinione, et dominus Urbanus VI Romæ in sancta Maria Transtiberim. Verum quod iste dedit etiam post prandium agnus Dei omni volenti, et misit eum parionibus regionum et officialibus Urbis anno Domini 1378.

Sciendum quod anno Domini 1378 dominus Urbanus VI Romæ in ecclesia sanctæ Mariæ Transtiberim, in secundo anno suæ creationis dedit, quoniam in primo non potuit, quia non fuerat ante electus nisi per tres septimanas; et ea dedit Dominica in Albis, non Sabbato, et celebravit in pontificalibus; nec fuit sermo in **510** Missa, in qua istum ritum tenuit et observavit. Dicto *Agnus Dei*, cooperto [a] cum uno velo serico pulchro tenuissimo, accessit circa medium ecclesiæ, quem antecedebat subdiaconus cum cruce, ceroferarii seu acolythi cum candelabris et candelis accensis, ubi subdiaconus incœpit cantare istum versum: *Sanctissime Pater, isti sunt agni novelli qui annuntiaverunt nobis, alleluia, modo venerunt ad fontem, et repleti sunt claritate, alleluia*; et chorus respondit *Deo gratias, alleluia*. Et iterum secundo eumdem modum tenuit, cum pervenit ante fores capellæ seu chori, altius inchoando; tertio cum pervenit ante altare papa, semper sedendo in cathedra sua magna, eumdem modum tenuit, sed altius inchoando, et qualibet vice flectit genua. Et extensa tobalea super genu papæ, prædictus subdiaconus, flexis genibus, semper tenet platellum cum agnus ante papam, et papa dedit cuilibet cardinali tres, et cuilibet prælato duo, aliis vero clericis et laicis unum. Quibus sic distributis, lavit manus, et perfecit Missam suam. Depositis magnis paramentis sacris, reassumptis pluviali et mitra aurifrisiata, consistorialiter sedit infra cancellum capellæ, et unum pedem extra regias tenebat, et omni venienti dedit unum agnus Dei; et quilibet osculatur sibi unum pedem, cardinales et prælati induti ut in Candelis.

Post prandium vero redditis gratiis venerunt cubicularii cum magno platello cum agnus Dei, et papa dedit servitoribus et familiaribus suis cuilibet duos agnus Dei. Fuerunt facti illo anno per fratrem Petrum episcopum Senegaliensem sacristam XXIV.

Sciendum quomodo dictus frater Petrus episcopus fecit dictos agnus Dei. Primo namque cera munda et albissima fuit posita supra altare beati Petri apostoli. Deinde sibi tradita per clericos cameræ et per magistrum ceræ papæ. Qua recepta, confecit illam divisim cum chrismate antiquo quod remansit de anno præterito. Verum quod etiam miscuit cum chrismate novo propter majorem devotionem, et impressit illam in illis sigillis seu formulis ad hoc deditis; deinde benedixit, sicut benedicuntur candelæ in die Candelarum, mutatis vocabulis; demum eos immersit in aquam benedictam.

Præterea sciendum est quod papa consuevit deferre albam planetam sine paramentis et sine aliquo aurifrigio, omni tempore, sive in Missa, sive in Vesperis, vel alias, quandocunque est Missa principalis et Vesperæ, et quandocunque fuerit processus, et venit ad publicum.

Cæterum in die Jovis sancta, nec in die Paschæ, nec in vigilia, nec in Sabbato in Albis, nec in festo Natalis Domini consuevit esse sermo, nec in Purificatione beatæ Mariæ virginis, nec in die Palmarum.

XCI. *De festo Ascensionis Domini rubrica.*

In die Ascensionis Domini sermo et Missa mandantur, non tamen Vesperæ, licet papa veniat cum pluviali rubeo de samita, et mitra aurifrisiata consistoriali; et cardinales etiam debent venire cum pluvialibus **511** albi coloris, et Antiphonas incipiunt prout est in aliis Vesperis.

Nota quod ista die possunt et consueverunt fieri Processiones generales, et speciales, secundum quod

[a] Supple *altari*, vel *calice*.

necessitas exigit, de mane antequam papa veniret ad Missam.

XCII. *De vigilia Pentecostes, de Missa rubrica.*

In vigilia Pentecostes, si papa velit celebrare secrete et basse Missam suam, ipsemet legit lectiones omnes illas, prout in Missali Romano scribuntur, et more solito facit confessionem ante primam lectionem.

In magna Missa papa facta reverentia ante altare more solito, papa ascendit ad magnam cathedram, et sedet; et tunc legitur prima lectio, et consequenter omnes. Ad litanias papa flectit genua ante altare; et dum dicitur *Peccatores*, surgit et facit confessionem, nec descendet ad Orationes ad flectendum genua sicut inferius. Item sunt Vesperæ mandatæ, et potus in aula, in quibus papa venit cum pulchro pluviali rubeo cum perlis et imaginibus, et cum mitra pretiosa et solemni; et cum in secundis Vesperis venit, simpliciter veniunt in primis cardinales cum pluvialibus rubei coloris. Missa et sermo etiam mandantur.

XCIII. *De primis Vesperis et Matutinis.*

In primis Vesperis dominus papa incipit primam Antiphonam, Hymnum, et illam ad *Magnificat*. Cardinales vero incipiunt, alias Antiphonas. Incœpto semper *Veni, creator Spiritus*, ante papam per unum de capellanis; papa reincipit *Veni, Creator Spiritus*. Quo incœpto, papa descendit de sede sua, et vadit ante cathedram coram altari paratam, et ibi genuflectit, et stat genibus flexis sine mitra, quandiu cantatur primus Versus Hymni per eum incœpti; primo Versu finito, redit ad sedem suam. Omnia alia fiunt prout in aliis Vesperis solemnibus est fieri consuetum.

In Matutinis quæ cantantur de sero bona hora, dominus papa venit sine mitra et sine pluviali. Ipse incipit Matutinas, et dat illis Benedictiones in principio lectionum, et dicit Orationem, et nil plus.

Nota quod domini prælati stant juxta eum, et antiquior servit sibi de libro et incenso ad ponendum in thuribulo, dato quod non essent ibi alii maiores illo, sive protonotarii, aut alii.

XCIV. *De officio in festo Pentecostes rubrica.*

In festo Pentecostes, si dominus papa celebrat, ipse incipit Tertiam cantando *Deus in adjutorium meum intende*. Antequam recipiat paramenta pontificalia, incipit Hymnum et Antiphonam, post quam acolythus cantando per capellanos et cantores; et papa, deposita mitra per diaconum cardinalem a dextris assistentem, dicit cantando Orationem. **512** Qua dicta, reponitur ei mitra in capite per eumdem diaconum cardinalem, et dicit sedendo *Quam dilecta*, etc., et illas Orationes, et interim calceatur sandaliis.

XCV. *De Processione et Missa ipso die.*

Nota quod in Processione sunt septem candelabra. Postea vero Missa incipitur. Post *Alleluia*, videlicet secundum, dum debet inchoari per cantores *Veni, sancte Spiritus*, papa descendit de sede sua, et vadit ad cathedram coram altari paratam; et ibi genuflectit, et deponitur ei mitra, et stat ibi usque *tui amoris* dicitur. Deinde dum debet incipi prosa sancti Spiritus, papa surgit de sede sua, et ibi stando, deposita mitra, et unus de capellanis cantando coram eo eam reincipit, et papa cantando dicit *Sancti Spiritus*, et sedet deinde quousque prosa sit dicta. Alia fiunt prout est consuetum. Sed ista die servit papæ in officio capellani prior episcoporum cardinalium. Sciendum per totam istam Octavam quod utimur paramentis rubeis, etiam die Mercurii, Veneris, et Sabbato in Missis, quantumcunque faciamus de temporibus. Ipsa igitur die Sabbati, si papa celebret basse et secrete Missam suam, antequam faciat confessionem, et antequam planetam recipiat, super cornu altaris legit omnes illas lectiones cum litaniis, prout in Missali Romano continentur. Quibus lectis, induit planetam, et facit confessionem more solito, et dicit *Gloria in excelsis*

XCVI. *De festo sanctissimæ Trinitatis.*

In die sanctæ Trinitatis, quod est in Octavis Pentecostes, utimur paramentis albis. Sermo et Missa mandantur. Habet Vesperas præcedentes, non tamen mandatas, licet cardinales sint induti in albis, et papa cum pluviali rubeo de samito et aurifrisiata mitra consistoriali.

XCVII. *De Matutinis et Missa.*

In Matutinis papa de sero cum suis prælatis consuevit audire et alia facere prout in aliis. Quod si dominus papa celebret illa die, servit sibi in officio capellani prior episcoporum cardinalium.

In Missa non fit commemoratio de Dominica, quamvis in primis Vesperis et Matutinis fiat nona lectio, et ad Benedictionem commemoratio, et in secundis Vesperis. Istud festum prædictum non habet Octavas. Nihilominus si veniet in festo sancti Barnabæ, de Trinitate faciamus, et nullam commemorationem de sancto Barnaba.

Nota quod anno Domini 1312 pontificatus domini Bonifacii VIII, in die sanctæ Trinitatis, celebravit [a] coram in capella magna, **513** quia papa erat minus bene dispositus; et fuit sermo.

XCVIII. *De festo Corporis Christi rubrica.*

In die Corporis Christi sermo et Missa mandantur. Consueverunt Vesperæ præcedentes mandari de gratia speciali causa devotionis, et tunc papa venit cum pulchro pluviali et mitra pretiosa et solemni. Quod si non mandentur, venit cum simplici de samito. Quoquomodo sit, cardinales veniunt, et sunt parati cum paramentis albis, et inchoant Antiphonas.

XCIX. *De Matutinis et Missa.*

Matutinæ etiam cantantur de sero, et papa interest cum chlamyde sine mitra.

Si fiunt processiones, episcopi cardinales induun-

[a] Mendosus locus, qui videtur ita restituendus: *Anno Domini 1390, primo pontificatus domini Bonifacii IX, in die sanctæ Trinitatis celebravit Cosmas*, scilicet cardinalis Bononiensis, de quo in capite centesimo

tur pluvialibus, presbyteri cardinales planetis, A diaconi cardinales dalmaticis.

In Missa utimur albis paramentis, in qua servit papæ, si celebret, prior episcoporum cardinalium in officio capellani. Quod si non celebret, servit sibi prior presbyterorum cardinalium.

C. *De festivitatibus quæ veniunt infra Octavas Corporis Christi.*

De festivitatibus quæ infra octavas Corporis Christi veniunt, nihil fit, exceptis festivitatibus beati Joannis Baptistæ, Joannis et Pauli, apostolorum Petri et Pauli. Si festum sancti Joannis Baptistæ in die festi Corporis Christi venerit, nihil fit de eo, sed in crastinum celebratur; et Octavæ beati Joannis Baptistæ cadentes in Octavis Corporis Christi in crastina celebrentur, et tertia die fit commemoratio B sancti Pauli.

Item nota quod anno Domini 1382, anno quinto sanctissimi in Christo patris domini Urbani sexti, festum beati Barnabæ apostoli venit die Mercurii infra Octavas Corporis Christi; et nihil de eo fecimus, nec commemorationem, nec aliquid; nec fuit consistorium, sed fecimus de Octavis, et ita per totam; et in die Veneris fecimus de sancto Barnaba post Octavam. Ita factum fuit anno 1389. Quod si festum beati Joannis in die Octavæ Corporis Christi veniat, fiat de sancto Joanne cum commemoratione de Octavis, et die Veneris [a] celebrentur Octavæ.

In die corporis Christi in primis Vesperis non fuit prædictus papa, quia passus calculos, nec cardinales, sed patriarcha Gradensis confessor sanctitatis suæ C in magna capella fecit per cantores cantare Vesperas. Quibus dictis, incontinenti etiam solemniter cantaverunt Matutinas, anno Domini 1392.

Item domini cardinales in die Corporis Christi voluerunt audire magnam Missam cum sermone in magna capella, papa absente, contra mores **514** Romanæ ecclesiæ. Cardinales enim nec in conciliis, nec in Missis debent congregari sine licentia papæ. Dictam Missam celebravit Cosmatus cardinalis Bononiensis. Caveatis ne trahatis in consuetudinem, quia contra statum et honorem Romani pontificis est.

CI. *De rubricis quæ veniunt in mense Januarii, et primo de Circumcisione Domini.*

In Circumcisione Domini non fit aliqua commemoratio, nec de Octavis, nec de sancta Martina. D Tenet hæc rubrica per extravagantem domini Clementis papæ sexti, qui ordinavit quod non fiat de sanctis aliqua commemoratio nec in duplicibus; sed quodlibet festum habeat diem suum, prout alii sancti habent.

Item notandum quod a Nativitate Domini usque ad Dominicam Quadragesimæ sunt ad minus sex Dominicæ in officio.

Item ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam Septuagesimæ sunt quinque officia Dominicalia seu quinque Evangelia; veruntamen est tantummodo una historia propria, quæ non potest transferri in sequentes Dominicas. Idcirco advertendum quod anno illo, in quo non est nisi una Dominica inter octavam Epiphaniæ et Septuagesimam, nullo modo possumus facere in illa Dominica de aliquo sancto, quantumcunque solemne et duplex sit, quasi illa ponatur per hebdomadam.

Item sciendum quod in illo quo sunt tres vel quatuor, quinque vel sex Dominicæ, et sic deinceps, inter Octavam Epiphaniæ et Septuagesimam, si festum sancti Sebastiani aut sanctorum Vincentii et Anastasii Dominica venerit, consuevimus facere de sanctis cum commemoratione de Dominica in utrisque Vesperis, novem lectiones in Matutinis. Ita et in festo sancti Antonii.

CII. *De sancta Agnete.*

In festo sanctæ Agnetis, si in Dominica venerit, fiat de Sancta cum commemoratione de Dominica, et novem lectiones, quando sunt tot Dominicæ; in Octava vero fiat de Dominica cum commemoratione de sancta.

CIII. *De Conversione sancti Pauli.*

Item sciendum quod si Conversio sancti Pauli venerit in Dominica, fiat de sancto Paulo cum commemoratione de Dominica, nisi veniret in Dominica Septuagesimæ, quia tunc fieret de Dominica sine commemoratione de sancto Paulo.

Item sciendum quod illæ Epistolæ Pauli quæ non possunt legi in Dominicis quæ impediuntur propter festivitates vel propter brevitates hebdomadarum, debent legi et distribui per hebdomadas.

515 CIV. *De mense Februarii. De Purificatione beatæ Mariæ virginis.*

Sciendum quod si festum Purificationis beatæ Mariæ virginis venerit in Dominica, fiat de festo cum commemoratione de Dominica. Notandum tamen quod si festum transferetur in diem Lunæ, et fiat de Dominica, ex eo quod est Dominica quæ habet historiam propriam, quæ non potest cantari et transferri in sequentem Dominicam. Idcirco notandum quod omnes Dominicæ a Septuagesima usque ad Dominicam in albis inclusive habent historiam propriam, idcirco non fit de aliquo festo in ipsis Dominicis.

Sciendum est quod anno Domini 1381, a Nativitate, tempore sanctissimi domini Urbani sexti, anno pontificatus sui quarto, festum Purificationis venit in Dominica Septuagesimæ; et propter concursum et devotionem Romanorum et candelas petentium, fuit ordinatum quod candelæ darentur, et quod fieret officium de Dominica, et non de beata Virgine. Sed, salva reverentia, non debuit fieri, quoniam festum cedit Dominicæ, et tantum valent [b] candelæ die Lunæ, quantum die Dominica.

[a] Hic ritus nostro tempore non est in usu; nec unquam remittitur Octava in diem sequentem.

[b] Anno Domini 1483, pontificatu Sixti IV, *Purificationis solemnitatem, quæ in Sexagesimæ Dominicam incidit, jussit pontifex in diem sequentem transferri, et in eodem die vetus mos candelarum servatus est*, teste Jacobo Maphæo in Diario suo

Sciendum quod anno a Nativitate Domini 1352, in die Cathedræ sancti Petri, quæ fuit prima dies Quadragesimæ, scilicet Cinerum, domnus Clemens sextus pontificatus sui anno 10 in Avinione, in capella magna, quæ est in palatio apostolico, ad perpetuam rei memoriam, constituit et mandari fecit, in sermone per illum qui illa die sermocinavit coram dicto domno papa, cardinalibus et aliis prælatis, quod quandocunque festum veniet ipsa prima die Quadragesimæ, quantumcunque duplex, quod hujusmodi festum ad sequentem diem transferatur, et fieret deinceps de feria illa die Cinerum.

Anno 1388 pontificatus domni Urbani sexti.... in ecclesia sanctæ Mariæ Transtiberim fuerunt factæ obsequiæ pro imperatore. In Missa papa interfuit cum cappa lanea de scarletto clausa et mitra alba, et fuerunt LXXX torticiæ, quas camera posuit et duo panni de auro. Domnus tulit sententiam, quod omnia essent sacristæ, et sibi de jure pertinent. Ideo omnes torticias et prædictos pannos recepit, sed ceram dimisit propter cameræ paupertatem.

Item nota quod anno ejusdem... die Mercurii nona Februarii, omnes cardinales qui tunc erant in alma Urbe, in sancta Maria Transtiberim in parva capella et secrete in Missa sua communicaverunt de manu sua, primus domnus cardinalis de Alençonio, Gradensis Minor, Teatinus, Corsiensis, Agapitus de Columna, Aversanus, Tiberinus Prædicator, Cisterciensis, Nucerinus, Reatinus, Desangro, de Petramala, Neapolitanus, Mesquinus Prædicator, Paduanus Augustinensis.

516 CV. *De Mense Martii. De Annuntiatione beatæ Mariæ virginis.*

Si festum Annuntiationis in Quadragesima veniat, nota rubricam propriam in suo loco.

Nota quod hæc festivitas venit in die Jovis ante Dominicam de Rosa anno Domini 1389, nec habuit primas Vesperas, sed in die post Missam celebratam in sancto Petro, sanctissimus dominus noster Urbanus sextus sic indutus in cathedra lapidea incœpit solemniter Vesperas, et incœpit Antiphonam primam et Antiphonam ad *Magnificat*, et thurificavit altare semper indutus vestibus sacris, prout in Missa; et mandavit cardinales quatenus sic starent induti, prout fuerunt in Missa. Dictis vero Vesperis, ipse papa et cardinales sacra deposuerunt paramenta; sed papa in cathedra lignea, et cardinales incœperunt Antiphonas quilibet in loco suo.

Nota quod hæc festivitas venit die Lunæ post Dominicam de Passione anno Domini 1300 [99] pontificatus Bonifacii papæ anno 11, et non habuit Vesperas præcedentes propter magnum frigus; sed die Lunæ immediate post Missam fuerunt cantatæ. Antiphonas cantores incœperunt, et papa fuit cum pluviali rubeo sicut in Missa. Cardinalis Neapolitanus dixit Missam.

CVI. *De mense Aprili. De sancto Marco rubrica.*

Sciendum quod si festum sancti Marci vel aliud veniat in Dominica in Albis vel infra Octavas Paschæ, tunc nihil fit de festo, sed transfertur in diem Lunæ.

CVII. *De mense Maii. De Inventione sanctæ Crucis.*

Nota quod Inventio sanctæ Crucis est duplex festum, et habet officium proprium; nec fit de sanctis commemoratio, sed totum officium fit de Cruce. Item si prædictum festum cadat in aliqua Dominica, totum officium fit de festo cum commemoratione de Dominica, ex eo quod duplex est. Historia potest transferri in sequentem Dominicam.

CVIII. *De mense Junii. De Dominicis diebus quæ veniunt inter Pentecosten et Adventum.*

De Dominicis quæ veniunt inter Pentecosten et Adventum rubrica est expressa, et certus numerus.

CIX. *De sancto Barnaba apostolo.*

Item de sancto Barnaba, quando ven[it] infra Octavam Corporis Christi, non fit de eo.

517 CX. *De Nativitate sancti Joannis Baptistæ.*

In Nativitate beati Joannis Baptistæ Missa et sermo mandantur. In primis Vesperis venit papa cum pluviali rubeo et mitra consistoriali; cardinales veniunt cum pluvialibus albis, et Antiphonas inchoant. De sero dominus papa est in Matutinis. In Missa vero beati Joannis Baptistæ non fit aliqua commemoratio, dato quod [*Forsan*, quod non] cadat in Dominica, nec dicitur *Credo*, nisi cadit in Dominica.

Item anno Domini 1389 festum beati Joannis Baptistæ venit in Octavis Corporis Christi, qua die fecimus de sancto Joanne cum commemoratione de Octavis in utrisque Vesperis, Matutinis, et Missa, nonobstante constitutione domini Joannis papæ in contrarium, quam ostendunt canonici sancti Petri.

Item in sequenti festo apostolorum Petri et Pauli, papa celebrante in sancto Petro, post *Ite, Missa est*, antequam recederet ab altari, venerunt Banderenses antiqui, nudipedes a capitolio usque ad altare sancti Petri sine capuceis, cum corrigiis in collo, et unice simplici jupone, cum candelis in manibus, petendo veniam papæ, quia excommunicati erant, ex eo quod noluerunt senatorem recipere quem papa posuerat; nec papa voluit eos audire, sed commisit summo pœnitentiario ibidem existenti, quatenus eos absolveret; et jussu papæ ascendit ad cathedram lapideam sancti Petri in capite ecclesiæ, stans tenendo virgam in manibus, dicendo *Miserere mei, Deus*, etc., publice absolvit eos antequam papa discesserat de loco suo.

Item ibidem fecit denuntiare festum Visitationis beatæ Mariæ per illum qui prædicaverat.

Item secunda die mensis Julii celebravit idem dominus papa Missam primam de dicto officio Visitationis in sancta Maria Majori, ubi dedit hac die perpetuis temporibus VII annos et VII quadragenas de Indulgentiis.

CXI. *De Vigilia apostolorum Petri et Pauli rubrica.*

Item in vigilia beatorum apostolorum Petri et Pauli

facimus de sancto Leone. Missa dicitur de Vigilia A cum commemoratione de sancto Leone, prout dicit rubrica. Vesperæ et Missa mandantur.

In primis ergo Vesperis Dominus noster venit cum pluviali rubeo pretioso et mitra solemni, et cardinales cum pluvialibus rubeis, et inchoant Antiphonas. Potus debet esse in aula de sero. Papa est in Matutinis. In Missa tantum dicitur una Oratio. Tertia cantatur, et sunt septem candelabra. Omnia alia fiant prout in aliis. Prior episcoporum cardinalium servit papæ in Missa.

518 CXII. *De mense Julii. De Visitatione beatæ Mariæ virginis.*

Secunda die Julii celebretur festum Visitationis beatæ Mariæ virginis totum duplex cum commemoratione de apostolis. Sunt Vesperæ præcedentes et Missa, quæ dicta sunt per cardinalem Bononiensem anno Domini 1392 ex ordinatione sanctissimi domini nostri Bonifacii papæ VIII, ut ponitur in Kal. tali die.

CXIII. *De sancto Martiale.*

De sancto Martiale facimus secunda die post Octavas beatorum Petri et Pauli apostolorum; et in crastinum debet esse Missa defunctorum pro [a] fratribus et Romanis pontificibus.

CXIV. *De officio pro defunctis fratribus et Romanis pontificibus.*

Nota, octava die istius Julii debet fieri officium defunctorum pro fratribus et Romanis pontificibus.

CXV. *De sancto Jacobo.*

In die sancti Jacobi apostoli non fit commemoratio de sancto Christophoro.

CXVI. *De festo sanctorum Processi et Martiniani.*

Item si festum sanctorum Processi et Martiniani in Dominica venerit, eo die non celebratur, quia officium proprium de eis non habetur; ideo transfertur ad diem Lunæ. Sabbato vero in Vesperis officium facimus de Octava sancti Joannis usque ad capitulum; Capitulum vero dicatur de communi apostolorum; Hymnus *Exsultet*; Antiphona ad *Magnificat*, *Gloriosi*; postea fiat commemoratio de sancto Joanne, et de Dominica, si locus ei competit.

Ista rubrica clarius habetur in communibus rubricis in paragrapho illo : *Quando festum celebratur infra Octavas in Dominica die.*

CXVII. *De sancta Anna*

Item quando Romani pontifices consueverunt facere de sancta Anna matre Virginis gloriosæ Mariæ.

519 CXVIII. *De mense Augusti. Sanctorum Machabæorum.*

De sanctis Machabæis fiat festum per se, quia totum officium est de Vincula sancti Petri.

CXIX. *De sancto Eusebio.*

Item de sancto Eusebio fiat festum per se.

CXX. *De Assumptione beatæ Mariæ.*

Notandum quod in festo Assumptionis beatæ Mariæ virginis Vesperæ, sermo et Missa mandantur et est potus in aula.

In primis Vesperis dominus papa venit cum pulchro pluviali albo et mitra pretiosa. Cardinales etiam cum pluvialibus albis inchoant Antiphonas; et Hymno incœpto per papam, ibidem in cathedra sua stat flexis genibus, quandiu dicitur primus Versus; et sine mitra decantantur Matutinæ, et papa consuevit interesse. In Missa servit papæ in officio capellani prior episcoporum cardinalium. Omnia alia fiant, prout in aliis solemnibus. Dominus Urbanus VI anno secundo in primis Vesperis fecit ante se sedere loco diaconorum, episcopos Cremensem et Senegaliensem, quia non erat nisi cardinalis sancti Petri.

CXXI. *De sancto Augustino.*

In festo beati Augustini patris nostri in Missa dicitur *Credo in unum;* et in omnibus festivitatibus B quatuor doctorum sanctorum Gregorii, Augustini, Hieronymi et Ambrosii, per constitutionem domini Gregorii Papæ XI, et Urbani VI. In secundis Vesperis totum facimus de sancto Augustino cum commemoratione Decollationis sancti Joannis Baptistæ, quia duplex per decretalem domini Bonifacii VIII, in Clementinis Bonifacii.

CXXII. *De sancto Hermete*

Item de sanctis Hermete et Juliano in die beati Augustini non fiat commemoratio, sed quodlibet festum fiat per se.

CXXIII. *De sancta Sabina*

Item de sancta Sabina in Decollatione sancti Joannis non fiat commemoratio, sed fiat per se, juxta formam quam tradidi in principio hujus libri de aliquo sancto, vel sancta non virgine nec martyre. C

520 CXXIV. *De mense Septembris. De historiis ponendis rubrica.*

Anno Domini 1389 pontificatus domini Urbani papæ VI anno 12, die prima mensis Septembris, fuit dies Mercurii, et Decollatio sancti Joannis venit in Dominica incurrente; et secundum aliquas antiquas rubricas aliqui dicebant quod tunc debebamus facere de Dominica, et ponere Job, quia prima historia, et non de sancto Joanne. Et dominus noster papa ordinavit quod fieret de sancto Joanne, ex eo quod historia Job poterat transferri in sequentem Dominicam. Et quia secundum illam rubricam quandocunque aliquod festum duplex apostoli vel evangelistæ, vel habens aliqua propria responsoria, venerit in D Dominicam, in qua prima historia ponitur, et potest transferri in sequentem Dominicam, fiat tunc de sancto, et non de Dominica. Et ita fecimus, et in tertia Dominica posuimus Tobiam, et in quatuor temporibus.

CXXV. *De sancto Ægidio.*

In prima die mensis Septembris in provincia Provinciæ fit de sancto Ægidio. Ideo nota quod sive in Provincia, sive alibi, Ordo Romanus consuevit facere festum per se, et festum duodecim Fratrum etiam per se.

CXXVI. *De Nativitate beatæ Mariæ Virginis.*

In festo Nativitatis virginis Mariæ sermo et Missa mandantur. In primis Vesperis dominus papa venit

[a] Id est cardinalibus, qui olim simpliciter *fratres* appellabantur.

cum pluviali rubeo et mitra consistoriali aurifrigiata; et cardinales veniunt cum pluvialibus albis, et inchoant Antiphonas. Matutinæ de sero cantantur, et papa interest. In Missa tantum Oratio una dicitur, in qua servit prior episcoporum cardinalium. Modo dominus papa in primis Vesperis venit cum mitra solemni et pretiosa, et habet Vigiliam per domnum Gregorium XI factam in civitate Anagniæ in Campania.

CXXVII. *De sancto Adriano.*

Item de sancto Adriano fiat festum, et non commemoratio.

CXXVIII. *De Exaltatione sanctæ Crucis.*

Item in Exaltatione sanctæ Crucis sit totum officium de Cruce, quia officium novum; et de sanctis fiat alia die. Item de historia ponenda ita ut infra rubricam propriam. Item notandum quod de omnibus commemorationibus totius anni, de quibus in istis locis fit mentio, ex quadam extravagante domini Clementis papæ VI fit festum speciale.

521 CXXIX. *De mense Octobris. De sanctis Sergio et Baccho, et sancto Marco papa.*

In die sanctorum Sergii et Bacchi est festum sancti Marci papæ; de eo fit per se festum.

CXXX. *De mense Novembris. De festivitate omnium Sanctorum.*

In festo omnium Sanctorum sermo, Missa, Vesperæ præcedentes mandantur; et debet esse potius in aula. In ipsis igitur primis Vesperis dominus noster papa venit cum pulchro pluviali albo et mitra solemni et pretiosa; cardinales vero etiam cum pluvialibus albis, et inchoant Antiphonas. In Missa dicitur tantum una Oratio, nec in Vesperis, nec in Matutinis fit commemoratio de sancto Cæsario, nec de Dominica; et festum sancti Cæsarii transfertur. Dicitur Tertia. In Missa debent esse septem candelabra in processione.

CXXXI. *De secundis Vesperis.*

In secundis Vesperis papa venit cum pluviali rubeo et mitra consistoriali; et cardinales non parant se, nec inchoant Antiphonas, sicut in primis Vesperis. Et istud semper servatur in secundis Vesperis cujuslibet festi; et consequenter nec acolyti, nec auditores, nec etiam subdiaconus stant cum superpliciis, sed cum cappis laneis. Finitis vero Vesperis, et data Benedictione per papam, ibidem papa deponit pluviale et mitram prædictas, et induitur cappa de scarletto de samito a medio pectoris aperta usque ad pedes, bireto rubeo et mitra alba simplici de garnello; et interim cantores cantant *Placebo*.

Anno 1428 pontificatus domini Martini anno 11, in die omnium Sanctorum in secundis Vesperis papa non venit ad capellam, ubi talis ordo servatus fuit. Domnus cardinalis sancti Marcelli fecit Vesperas, et incœpit *Deus, in adjutorium meum intende*, et dixit Orationem de festo cum commemoratione sancti Cæsarii, et stetit in officio Vesperarum cum pluviali albo et mitra cum perlis. Finitis dictis Vesperis, dedit Benedictionem. Qua data, exuit se dicto pluviali, et recepit cappam suam quotidianam de panno et cum dicta cappa stetit in loco quo prius steterat. Interim cantores incœperunt cantare Vesperas mortuorum, et continuaverunt dictos Vesperos, dicto domino cardinali stante seu sedente cum dicta cappa super faldistorio et sine mitra. Completis vero dictis Vesperis per cantores usque ad *Magnificat*, cardinalis dixit Orationem, et duo de acolythis suis tenuerunt sibi duo candelabra cum candelis accensis. Quibus finitis, incœptum fuit Matutinum de mortuis, ubi præfatus cardinalis semper stetit, prout in Vesperis, cum dictis candelabris; et fuit incensatum altare ad *Magnificat* et ad *Benedictus*.

522 Illi duo cardinales et prior presbyterorum qui steterunt ante papam, stant et sedent ut prius ante papam in scabellis suis. Ad *Magnificat* papa accedit ad altare, et thurificatur, et cophinum ubi stat [a] corpus Christi. Reverso ad cathedram suam, sibi soli, et nulli alteri, incensum datur. Ipse dicit Orationem, scilicet *Fidelium Deus omnium conditor*.

Nota quod incensatur ad *Magnificat* et ad *Benedictus* in officio mortuorum. Primo incensatur altare, et deinde incensatur papa, et non alter.

Nota quod datur Benedictio per papam post dictam Orationem.

Item nota quod si papa vult, potest post Vesperas ibidem illam cappam de scarletto deponere, et reassumere pluviale. Verum est quod de more est propter honestatem, ut cum prædicta cappa revertatur ad cameram suam. Consueverunt tamen aliquando Romani pontifices, completis Vesperis mortuorum, audire totum Matutinum de mortuis cantandis per cantores, et stare cum dicta cappa et mitra alba. Completis Antiphonis mortuorum, papa surgit, et per modicum spatium stat, quousque incipiantur lectiones per dictos cantores. Alia fiunt per ordinem de Oratione, de incensatione et candelabris, prout in Vesperis mortuorum.

CXXXII et CXXXIII. *De officio Mortuorum.*

In Missa vero defunctorum venit cum prædicta cappa et cum mitra alba simplici, et diaconus et subdiaconus utuntur tunicella et dalmatica ista die, et non planetis; et subdiaconus portat crucem ante papam. Ad Evangelium portantur luminaria, sed non incensum; et dicto *Sanctus*, immediate descendit a cathedra sua, et vadit ante altare; et ibi flexis genibus usque ad *Pater noster*. In ista Missa non datur Benedictio post Missam, nec ad Evangelium; nec osculatur liber, nec pes papæ. Nulli datur incensum nisi papæ tantum; nec thurificatur altare, nisi in Offertorio tantum, et tunc solus papa thurificatur; una Oratio dicitur. Semper cardinales consueverunt istam Missam celebrare. Finita Missa prælatus qui facit officium immediate deponit casulam, et recipit pluviale magnum. Interim cantores cantant *Libera me, Domine de morte æterna*; et prælatus

[a] De eodem cophino actum est superius in cap. 1.

prædictus facit absolutionem, prout in Missali continetur, et tantum una Oratio dicitur, scilicet *Fidelium Deus omnium conditor*, etc.

Nota quod nunquam in Missis defunctorum portantur chirothecæ, nec sandalia; nec aliqua Benedictio datur, nec liber osculatur. Quod si papa celebraret, diaconus nec subdiaconus communicarent de manibus papæ. Nec est de more, quod Romani pontifices celebrant in pontificalibus pro defunctis, sed bene secrete.

523 CXXXIV. *De sermone in Missis defunctorum.*

Notandum, in hac Missa non est sermo, nec unquam coram Romano pontifice debet fieri pro defunctis; nec ipse unquam celebrat in pontificalibus pro defunctis, sed secrete.

Item sciendum quod Romana curia non consuevit in Missis defunctorum, quandocunque funera essent præsentia, et quantumcunque nobilia, habere sermonem. Contrarium hujus rubricæ servatur modernis temporibus.

Item sciendum quod in Missis militum, baronum, ducum, comitum, regum et imperatorum, quæ celebrantur coram papa, nunquam est sermo; nec etiam in sui absentia, ubi sunt cardinales, sed si cardinales non essent, sermo potest fieri.

Nota, si contingeret Romanum imperatorem diem suum extremum claudere in curia Romana, sive in Urbe, sive extra, post Missam debet fieri sermo, quem debet facere aliquis cardinalis, et tunc intersunt cardinales.

Item nota quod sermo solummodo fieri debet pro Romano pontifice vel pro cardinali in die sepulturæ, duntaxat in præsentia cardinalium excepto imperatore.

Notandum quod in obsequiis domni Urbani VI omni die voluerunt per totam novenam habere sermonem, et habuerunt contra consuetudinem.

CXXXV. *De sancto Martino et sancto Clemente, rubrica.*

In die sancti Martini non fit commemoratio de sancto Menna. Item si festum sancti Martini vel Clementis in Dominica quarta Novembris venerit, in qua ponuntur XII parvi prophetæ, fiat de sancto, quia habet tria Responsoria et parvi prophetæ leguntur per hebdomadam. Ista non est historia propria.

CXXXVI. *De Mitra rubrica.*

Nota bene, et bene nota, prout est in rubrica de mitra portanda, quia quandocunque papa indutus portat mitram in capite in officio, duo diaconi stant ante ipsum, et unus presbyter cardinalis.

CXXXVII. *De cappa portanda.*

Sed nota quod in Parasceven, quando papa stat cum cappa lanea, a medio pectoris aperta usque ad pedes, tunc non stant ante eum, quoniam non consuevit mitram portare, neque caputium replicatum super caput, nec etiam nocte Nativitatis.

524 CXXXVIII. *De cappa et mitra portandis in officiis mortuorum.*

Item in die defunctorum in Vesperis et in Missis portat illam cappam et mitram albam super caput, et cappam circa collum; tunc duo sedent ante ipsum sine scabellis, et presbyter cardinalis super scabellum. Tunc non consuevit episcopus cardinalis sibi servire. Item nota quod si papa non vellet deferre mitram illa die vel his diebus, tunc non stant ante eum.

CXXXIX. *De cappa in Nativitate Domini.*

Item in Nativitate Domini in Matutinis venit cum cappa lanea, nec portat mitram. Ideo diaconi non sedent in officio Matutinarum ante eum. Item quod Romani pontifices interdum consueverunt interesse in Matutinis Nativitatis Domini, et in illis tribus diebus in hebdomada sancta, in Vigilia Paschæ, in vigilia Pentecostes, Corporis Christi, apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis virginis Mariæ et in vigilia omnium Sanctorum; et nunquam portat mitram nec pluviale in ipsis Matutinis; nec diaconi cardinales sedent ante eum in locis suis.

CXL. *De indumentis mutandis in Vesperis omnium Sanctorum.*

Item sciendum quod in die omnium Sanctorum, dictis Vesperis diei, et data Benedictione, papa ibidem deponit mitram, pluviale et stolam; et recipit stolam absque perlis, biretum rubeum, et cappam clausam foderatam de herminis, apertam a pectore usque ad pedes; et sic sedet, et duo cardinales sedent ante eum absque scabellis, et prior presbyterorum. Ad *Magnificat* thurificat papa altare, et dicit collectam pro defunctis, sicut est in Breviario. Non datur Benedictio post Vesperas istas. Quibus finitis, cantores incipiunt Matutinas defunctorum, et papa, deposita mitra, ibidem sedet cum bireto rubeo; caputium cappæ tenet super caput non replicatum, sicut die Veneris sancta; et prædicti tres cardinales vadunt ad sedendum in locis suis. Ad *Benedictus* papa thurificat altare, et sibi soli datur incensum, et nulli alteri. Cum dicit Collectam, prædicti tres cardinales revertuntur ad eum more solito.

Item sciendum quod anno Nativitatis Domini 1389, die Jovis, 8 Aprilis, sanctissimus dominus noster Urbanus VI, anno sui pontificatus ab electione 12, audivit Missam de sua electione post Missam de feria, et venit cum chlamyde rubea, prout fuerat in Missa de feria, et sine cruce; et sic fecit in magna capella per totam Missam, quam dixit domnus cardinalis Neapolitanus.

Et statim intravit consistorium publicum indutus pluviali cum mitra aurifrigiata cum perlis; et magister sacri palatii proposuit pro festo Visitationis sub isto themate: *Unde hoc mihi est, ut magister Domini mei veniat ante me?* et facto sermone, dominus noster eamdem chlamydem 525 reassumpsit, et fecit collationem ibidem; in qua collatione seu sermone ista concessit cum bulla. Primo quod celebraretur festum Visitationis beatæ Mariæ infra octavas beati Joannis Baptistæ. Secundo quod in die Corporis Christi ubique terrarum, non obstante

quocunque interdicto, januis apertis celebretur. Dedit centum dies de indulgentiis ultra primas. Tertio concessit annum Jubilæum ad XXIV annos. Quarto ecclesiam sanctæ Mariæ Majoris posuit in numero quatuor, quoniam ecclesia prima erat sancti Petri, secunda sancti Pauli, tertia sancti Joannis Lateranensis, quarta est modo sanctæ Mariæ Majoris, scilicet de Nive. Quinto confirmavit privilegia ecclesiarum omnium simpliciter in Urbe, prout in bulla continetur plenius.

CXLI. *Sequuntur rubricæ novæ, et eorum declarationes, quæ defectuose in libris reperiuntur.*

In primis sciendum est quod nulla historia propria vocatur, nisi habeat novem lectiones ad minus, et novem Responsoria.

Item sciendum quod illæ Dominicæ quæ habent tria vel sex Responsoria et reliqua...... (require retro vel ante) non vocantur historiæ propriæ. Et ratio est quoniam mille imperfecta non faciunt perfectum; ideo historia propria vocatur, quando nihil deficit. Idcirco nota quod in talibus Dominicis diebus quæ non habent historiam perfectam, Romana ecclesia consuevit facere de festo duplici currente in talibus Dominicis diebus, non in aliis, nisi pos et transferri in sequentem Dominicam.

Item nota quod omnes quatuor Dominicæ Adventus Domini habent historiam propriam. Ideo non moventur de locis, excepta quarta Dominica, quando festum sancti Thomæ in Dominicam quartam venerit.

CXLII. *De festis in feriis Adventus vel Quadragesimæ, quæ habent Laudes proprias.*

Item de festivitatibus quæ celebrantur in illis feriis Adventus quæ feriæ habent Laudes proprias, scias quod post Orationem diei fit commemoratio de feriis: et completis omnibus de festo, iterum dicuntur Laudes de feria cum quinque Antiphonis et quinque Psalmis, prout mandatum est, absque Capitulo, Hymno, Benedictione et Oratione; sed dicto *Laudate Dominum de cœlis*, cum sua Antiphona, Laudes terminantur. Ita videtur habere illa rubrica quæ incipit: *Sciendum quod Romana Ecclesia non consuevit facere commemorationem de feriis, nisi duntaxat in Adventu et in Quadragesima, dum fit de aliquo festo.*

Dominus Bonifacius Papa VIII.

Anno 1389, die 2 mensis Novembris, reverendus domnus Petrus de Thomacellis, presbyter cardinalis, in papam fuit assumptus in Urbe unanimiter et concorditer: quæ fecit in Reate et in Perusio, quare in Itinerario meo de domino meo papa Gregorio XI, et de ipso.

526 CXLIII. *De papa ægrotante.*

Sciendum est quod iste modus consuevit observari in Romana curia Romano pontifice ægrotante. Medici qui curam ejus habent, dum sciunt appropinquare mortem, et ipsum non posse evadere, tenentur sibi secrete dicere quod ad omnem eventum cogitet de anima, primo de factis suis; et ipsi, quantum poterunt, cogitabunt de sanitate corporis. Deinde tenentur secrete revelare confessori suo, quatenus ipsum dirigat ut cogitet de salute animæ suæ, exhortando et monendo ipsum in generali et in speciali juxta scientiam et discretionem confessoris; maxime quomodo ipse est lumen totius universi, ideo debet dare exemplum omnibus regibus et principibus, laicis et clericis, qui in infirmitatibus ad Deum recurrunt, et ordinant de conscientiis suis, ita ipse debet facere, qui est caput totius christianitatis; et quomodo tenetur confiteri, et recipere corpus Dominicum, et petere indulgentiam in mortis articulo, quam idem confessor sibi dare debet; omnibus indulgere familiaribus, et eis dimittere male ablata et furta usque ad summam centum florenorum, prout sanctitati suæ placebit, sicut dominus Gregorius papa usque ad sexcentos florenos dimisit.

Item debet omnibus familiaribus suis concedere indulgentiam in mortis articulo super sigillo aliocujus prælati de domo sua.

Demum debet idem papa vel camerarius ejus convocare suos cardinales ante mortem suam per duos vel per tres dies, antequam loquelam amittat, et in præsentia ipsorum debet condere testamentum, et eligere sepulcrum.

Item debet protestari quomodo ipse moritur et mori vult in unitate fidei, et quomodo credit unam Ecclesiam catholicam, et omnes articulos fidei, pro quibus paratus est mori.

Item quomodo non bene se gessit in regimine papatus, et quod in nonnullis offendit; et ipsi cardinales parcant sibi, et omnes quos indebite vel injuste, si quos offendit [a].

Item debet eis recommendare omnes suos familiares.

Item debet eis revelare debita per eum contracta pro ecclesia Dei, ut ejus successor illis satisfaciat.

Item etiam qui sunt creditores, et quibus tenentur sibi et Ecclesiæ Romanæ; et ubi sunt thesauri, jocalia, et bona sua, et Ecclesiæ.

Item debet cardinalibus aliquas gratias concedere in foro conscientiæ.

Item debet eis recommendare ecclesiam, et quod provideant de bono pastore in pace et in tranquillitate; et quod si eis videretur bonum, talis vel tales essent boni pro regimine juxta conscientiam suam.

Ultimo dat eis Benedictionem, et quod vadant in pace.

Et dum approximat ad mortem, debent esse parati cubicularii semper ad servitium suum, et debent vocare confessorem suum, et prælatos domus, qui sibi administrent Sacramenta ecclesiastica, quæ debent dari juxta formam **527** quæ est in Polyptycho et in Pontificali Romano; et post fiat recommendatio animæ, prout in dicto Pontificali continetur.

[a] In margine hæc ascripta leguntur: *Fecit papa Nicolaus V, ita quod omnes cardinales exiverunt lacrymantes.*

Ipso vero agonizante, unus prælatus vel sacerdos teneat sibi crucem consistorialem sine cauda vel baculo ante ejus oculos, et frequenter sibi osculari faciat, semper sibi ad memoriam reducendo Passionem Christi. Tunc camerarius sit avisatus, quatenus recolligi faciat omnia bona papæ ad certum locum et securum propter insultum; et omnes officiales ea quæ habent sub custodia sibi tradant et assignent, etiam cubicularii illa quæ erant sub custodia eorum; et etiam sacrista penes se retineat, quoniam officium perpetuum est, et rationem reddet sede vacante tribus prioribus cardinalibus; et iterum ab ipsis tribus prioribus recognoscere, et ab ipsis tenere.

CXLIV. *De papa jam mortuo.*

Papa vero mortuo, vel eo agonizante quod melius est, statim vocantur pœnitentiarii, et legunt ante eum officium mortuorum, septem Psalmos pœnitentiales, et illa quæ in libro ipsorum continentur; et interim cum illis fratribus de Bulla, si fuerint, vel de Pignotta, cum aqua et cum bonis herbis, quam cubicularii parare debent, lavent corpus bene, et barbitonsor radat sibi caput et barbam; et sic loto, apothecarius et dicti fratres de Bulla obturent sibi bene omnia foramina cum bumbasio vel stupa, anum, os, aures, nares, cum myrrha, thure, et aloe, si possit haberi. Lavetur etiam corpus cum vino albo et calefacto cum herbis odoriferis, et cum bona vernagia, quæ cubicularii vel boticularii papæ debent dictis lavatoribus administrare. Guttur vero de aromatibus impletur et speciebus cum bombasio, et etiam nares cum musqueto.

Ultimo etiam vultus fricetur et ungatur cum balsamo bono, et etiam manus. Camerarius vel cubicularii qui custodiunt balsamum, vel sacrista, si habent, tradent. Demum dicti pœnitentiarii induunt ipsum braquam, camisiam, caligas, et tunicam. Tunc quasi sedendo erigant eum dicti pœnitentiarii, et induant ipsum totaliter sacris vestibus rubei coloris: primo sandalia alba, cinctorio, fano, stola, tunicella, manipulo, dalmatica, chirothecis, planeta, pallio de corpore beati Petri sumpto; et plicent fanonem super caput, et circa scapulas circumdent, ac si deberet celebrare, et ponent in capite ejus biretam albam cum mitra alba sine perlis et sine auro.

Item in crucibus pallii sunt tres acus, prout moris est; et semper ardeant ante ipsum ad minus duo magna torticia cum satis de candelis parvis. Item vero sic parato, dicti pœnitentiarii ponunt eum super feretrum novum vel lecticam, in quo debet esse bonum matallascum coopertum de serico rubeo, et desuper debent esse duo panni de auro se tenentes; et circumquaque debent ponere et pendere arma sua et Ecclesiæ, in panno serico nigro vel hyacintino.

Item subtus caput ejus sit pulvinar coopertum de panno aureo, et **528** post pedes ejus in eodem feretro aliud pulvinar consimile cum floccis de serico, et cordonibus de auro, super quod debent stare duo capelli seu pilei papæ. Pulvinaria debent esse latitudinis feretri.

Sciendum quod lectica debet poni in camera papæ, ubi corpus est positum. Post lotionem levat eum in camera secreta, et induitur sacris vestibus, prout est dictum.

Sed notandum quod antequam lavetur et induatur, domini cardinales, unus post alium, vel omnes simul, debent eum visitare, et quilibet absolvit eum prout veniunt, et statim recedant.

Posito super lecticam cum cruce, subdiaconus cappa indutus aut nigra, si habeat, vel alia consistoriali, antecedit et vadit ad capellam.

Dicti pœnitentiarii portant corpus cantando *Subvenite, santi Dei*, cum cantoribus capellæ, cum aqua benedicta, et ad minus XXV tortitia accensa antecedentia, quæ portari deberent per nobiles aut domicellos aut scutiferos dicti defuncti. Quod si non sint, saltem per clientes armorum, et ultimo per cursores, si alii non essent.

Camerarius vero et alii prælati domus, et tota familia domus, vultibus coopertis cum capuciis associent corpus, et in capella sedeant; et tunc per cantores et pœnitentiarios cantantur Vesperæ defunctorum et totum officium, quosque veniant ecclesiæ parochiales, canonici et religiosi quatuor ordinum et aliorum ordinum et monachorum; itaque quælibet ecclesia ad minus cantet unum nocturnum cum una Oratione, scilicet *Deus, qui inter apostolicos*, etc., et aspergant funus aqua benedicta, et incensent. Hac die dicti pœnitentiarii debent comedere in tinello papæ splendide propter labores et vigilias quas sustinuerunt. Nam in illa nocte debent vigilare ante funus sive in camera papæ, sive in capella; medietas ipsorum pœnitentiariorum usque ad mediam noctem, et alia medietas usque ad diem, semper orando pro eo; semper sint parati buticularii et panetarii eis administrare necessaria vitæ abundanter; et magister ceræ provideat de candelis, quantum eis expedit, et tortitiis. Quod si indigeant confectionibus, cubicularii eis abundanter tribuant.

Item notandum quod si camerarius sit cardinalis, dum corpus lavatur et portatur ad capellam, non consuevit associare funus. Quod si non sit cardinalis, debet omnia videre et ordinare, et corpus cum aliis prælatis associare; et sibi portatur cauda, sive sit cardinalis, sive non.

Item notandum quod immediate dum corpus ext a cameram fuerit, camerarius debet recipere omnes claves cubiculariorum cameræ papæ, et debet vocare tres priores cardinales, scilicet episcoporum, presbyterorum et diaconorum; et eis assignare omnia jocalia papæ, et inventaria solum in scriptis; et dare eis copiam, si petierint. Quod si vellent videre omnia oculata fide, eis non contradicat, sed faciant omnia inventaria renovari in præsentia camerarii et clericorum cameræ, ita quod quilibet ipsorum trium habeat copiam, et dictus camerarius aliam, ne fraus possit esse.

529 CXLV. *Quando fiunt exequiæ pro papa.*

Notandum etiam quod dum fiunt exsequiæ in ca-

pella, si aliqui cardinales volunt interesse, sient in banchis sine paramentis, induti cappis laneis non rubei coloris; et sic infra totam novenam alio quam dicto colore utantur; et dictæ banchæ non debent esse coopertæ, nec capella debet esse parata, neque strata pannis.

Item debent esse ante et circumquaque ad minus in capella xxv torticiæ seu brandones, quilibet ad minus de vi lib. ceræ, et fiant multa altaria in palatio, in magna capella et in parva; et dentur cuilibet sacerdoti celebranti v grossi papales pro anima sua per thesaurarium. De thesauro Ecclesiæ nihil datur, et male.

Item dominus camerarius sit avisatus cum thesaurario, quod nigri panni habeantur in magna copia et bona hora, ita quod familiares sint induti, antequam funus exeat de palatio; et in illa Processione semper subdiaconus papæ bajulet crucem ante feretrum, et omnes processionaliter bini et bini post corpus vadant.

Primo ipse camerarius indutus cappa nigra, si non sit cardinalis; et tunc cauda sibi non portatur, nec per totam novenam in exsequiis. Quod si sit cardinalis, non induitur nigro, neque rubeo aut viridi colore, sed in aliis coloribus, neque alii cardinales per totam novenam dictis coloribus debent uti.

Et in die prima sepulturæ ad minus debent esse cc tortitiæ, quælibet de sex libris ceræ; et in castro doloris in quatuor angulis unum de dictis brandonibus, et in medio superius unum aliud, et circumquaque abundantia candelarum, quæ debent accendi antequam Missa incipiatur; et circumquaque debent esse familiares induti de nigro, etiam camerarius, si non sit cardinalis. Quod si esset, staret cum aliis cardinalibus in choro.

Item debent dare cuilibet cardinali unam tortitiam ad minus quatuor librarum de cera in dicta Missa, quam tenere debet ante eos unus scutifer eorum, et hoc idem de prælatis. Sed tortitiæ aliorum prælatorum sunt de tribus libris ceræ; pœnitentiariorum vero et aliorum nobilium de una libra ceræ; sed canonicorum et aliorum presbyterorum de quarta parte libræ, prout placebit dicto camerario.

Advertat tamen, quod omni die ad minus sint xl torticiæ circa feretrum seu castrum doloris; desuper vero non debent esse candelæ nisi prima die; et in novena dictum castrum debet circumdari panno serico cum armis papæ et Ecclesiæ; et subtus debet esse feretrum coopertum duobus pannis de auro nobilissimo etiam cum armis, et in quolibet capite unum pulvinar de eodem panno cooperto, unum ad caput, et aliud ad caudam; et super quolibet debet stare unum pileum pulchrum papæ per totam novenam.

530 CXLVI. *De Missis per totam novenam.*

Item omni die dantur candelæ prælatis indutis de nigro, stantibus circa feretrum, prout in prima die, quas, si volunt, secum reportant, etiam pœnitentiariis et canonicis ecclesiæ in qua fit officium; sed facta absolutione omnia luminaria exstinguantur, et tunc fiat sermo. Nec cardinales induti accedunt ad feretrum, sed exspectant illos quatuor qui absolvunt corpus. Est etiam sciendum quod prima die prior episcoporum cardinalium debet dicere primam Missam, et facere sermonem, vel committere sermonem alicui prælato vel magistro in theologia; Missam vero non debet committere, quia si non posset celebrare, debet eam dicere secundus episcopus cardinalis, vel tertius, et sic deinceps. In hac Missa tantum dicitur una Oratio, scilicet, *Deus, qui inter apostolicos*, etc. Finita vero Missa, dictus cardinalis qui eam celebravit, cum diacono, subdiacono et socio indutis sacris vestibus, veniunt ad locum ubi stant alii cardinales; et tunc fit sermo, nec datur Benedictio prædicanti. Finito vero sermone, omnes cardinales recipiunt amictum, superplicium, pluviale nigrum, et mitram albam de garnello simplicem, et vadunt ad corpus, si non est sepultum; bini et bini secundum ordinem suum accedunt subtus prædictum castrum cum mitris in capitibus. Sed qui fecit officium omnes antecedit, quicunque sit. Et tunc cantores cantant *Subvenite, sancti Dei*. Quo completo, dictus cardinalis, mitra deposita, thurificat, et cum aqua benedicta aspergit feretrum, et dicit prædictam Orationem. Et tunc cantores iterum cantant *Memento mei, Deus;* et alius episcopus cardinalis eodem modo thurificat, et dicit aliam Orationem. Et tertio post aliud responsorium prior presbyterorum dicit aliam Orationem eodem modo; et quarto cantatur *Libera me, Domine*, per universum clerum, secundus presbyter cardinalis dicit ultimam Orationem. Hæc omnia fiunt prout continentur in Pontificali. Quibus expletis, omnes recedunt ad propria depositis paramentis. Sciendum tamen quod omni die debet esse Missa quæ debet dici per cardinales juxta ordinem suum, et sermo per eosdem, nisi committant prælatis vel magistris in theologia, aliis non.

CXLVII. *De panno distribuendo post mortem papæ.*

Item sciendum de pannis distribuendis iste modus consuevit observari. Primo camerarius, si non sit cardinalis, cum duobus capellanis et duobus scutiferis; item thesaurarius, item confessor, si sit prælatus; isti tres domini de eodem panno bono et nobili

Item referendarii de eodem panno; item cubicularii de alio panno minori, et clerici cameræ; item medici cum scutiferis papæ de simili panno cubiculariorum. Item magistri buticulariæ, panetariæ, aquæ falleriæ, ceræ, coquinæ, de alio panno minori; item ostiarii, janitores, **531** clerici capellæ, ceremoniarum, omnes de consimili panno magistrorum buticulariæ, et servientes armorum. Juxta voluntatem domini camerarii omnes induantur, totum stat in sua voluntate.

Item duo coqui papæ de eodem panno officialium. Item de prima porta et secunda, de eodem et consimili panno; item cursores, famuli de palefrenario, de panetaria, de buticularia, de cera et coquina, omnes de uno panno minori, ad minus de quolibet officio

duo; sed palefrenarii secundum numerum ipsorum, et etiam cursores juxta voluntatem domini camerarii.

Item marescalcus curiæ, et advocatus pauperum, et magister sacri palatii, procurator fiscalis, advocatus papæ, omnes de uno panno. Item emptor, guardavessalla, guardia major, id est custos cibariorum, custos sacræ capellæ, qui est sub potestate sacristæ, omnes de eodem panno. Item campanarius, scopator cameræ papæ, et scopator palatii de alio panno.

Item si papa moriatur Romæ, sex banderenses, tres rectores, duo consiliarii consueverunt petere. Item capita regionum et manipularii etiam consueverunt petere vestes nigras, et habuerunt in morte Urbani VI. Omnes isti officiales Urbis. Qui si petierint, sunt sub beneplacito domini camerarii, si eis dare vult, vel non.

Senator Urbis propter officium non utitur nec vestitur, nisi vellet facere per se amore papæ.

Item notandum quod dantur tres cannæ de panno unicuique.

Item prima die comedunt in palatio pœnitentiarii et omnes familiares papæ per totam novenam, et aliquando quousque papa sit creatus, qui recipit et retinet quos sibi placet.

Item statim fiunt magnæ eleemosynæ pro anima papæ per thesaurarium de mandato camerarii, primo quatuor ordinibus mendicantibus æqualiter quinquaginta florenos vel viginti quinque, ad minus decem, panem, vinum, carnes pro una die; deinde hospitalibus et aliis pauperibus juxta voluntatem camerarii, et secundum quod camera est potens.

Post secundam Missam immediate, qui eam dicit, vadit ad feretrum subtus castrum doloris, reposita planeta, indutus pluviali cum suis ministris. Cantores papæ semper cantant officium Missæ et Responsoria in absolutione; et canonici debent eos juvare in responsoriis cantandis; et finita absolutione dictus cardinalis depositis sacris vestibus revertitur ad alios cardinales. Qui audiunt sermonem, et dicto sermone vadunt omnes ad palatium ad ordinandum de conclavi, et ibidem assignantur eis loca per dominum camerarium. Omnes fiunt æquales in spatio assignando ad minus, et spatia ubi debent fabricare cameras suas expensis propriis cujuslibet, si sint divites et antiqui cardinales.

Item omni die post Missam et sermonem debent facere concilium, cogitando et tractando de futuro episcopo seu papa.

Item nunquam in tota novena dicatur nisi una Oratio, scilicet *Deus qui inter apostolicos*, etc. In absolutione possunt mutare si voluerint, et dicere loco illius *Inclina, Domine, aurem tuam.*

532 Item camerarius caveat bene ne ordo in dicendis Missis interrumpatur, quoniam omni die unus cardinalis debet dicere Missam de mortuis, et faciat ibidem sermonem. Quod si nolit facere, det uni prælato vel alicui magistro in theologia, quia si ordo interrumpatur, non posset reintegrari. Non enim licitum et honestum esset quod per prælatum vel episcopum diceretur Missa; sed si aliquis de cardinalibus infirmaretur, vel non posset Missam celebrare, alter cardinalis eam dicet; et sic successive per ordinem usque ad finem.

CXLVIII. *De novena papæ*

In novena autem castrum doloris ornatur candelis sicut in die, et ad minus ponantur ipsa die LXXX vel C brandones.

Item sciendum quod barbitonsor papæ non retinet cassam cum rasoribus, et cum iis quæ intra sunt; item de bacili argenteo. Postea novus papa facit sibi dare X vel XII florenos. Verumtamen bacile semper in camera papæ cum rasoriis et tobaleolis remanet.

Item si panetarii et buticularii petunt tobaleas vel [a] bottas, dentur eis, quia habent esse sua. Quod si non darentur eis, rationem haberent petendi in tobaleis in quibus papa ultimo comedit, et in bottis de quibus ultimo tunc bibebat vinum. Item cubicularii possunt petere cuilibet unam vestem papæ. Si volunt tamen, omnes consueverunt dari amore Dei pro anima ejus.

CXLIX. *Rubrica de Conclavi.*

De conclavi vero dicendum est. Primo ordinatione ac dispositione loci caveat bene camerarius: quod portæ murentur, et omnes fenestræ quæ sunt bassæ prope terram vel solarium ad minus ad quatuor cannas, et omnia foramina quæcunque parva vel modica, expensis cameræ.

Item sit una capella, cujus portæ et fenestræ omnes sint clausæ de bono muro, dempta porta qua itur ad conclave, et fenestris quæ intra conclave respiciunt, quæ apertæ remaneant.

In hac capella omni die cardinales Missam debent audire omnes insimul, non tamen cantando, sed basse. Item si non sit capella, quæ conclave contingat, fiat infra conclave in aliquo angulo, vel pro conclavi unum altare portatile; et ibi audiant omni die Missam; et in eadem capella possunt convenire ad eligendum et faciendum concilium, vel ubi placebit eis melius. Caveant quod scribant omnia. Item in dicta capella semper debet esse corpus Christi cum candela accensa ad omnem eventum, quam solvit camera et omnes alias quæ in dictis Missis consumentur ibidem sede vacante.

Item sciendum quod modernis temporibus domini cardinales debent intrare quilibet ipsorum cum presbytero et uno famulo. Item ipsi domini faciant parari cameras suas cum cortinis suis et lectisterniis **533** sine palea, nisi esset in frigoribus. Item mensam, scamnum, non tamen capsam, nisi esset aperta totaliter desuper. Item vas ad tenendum aquam, vinum, vel cannes [*Al.*, carnes], quæ cadit de manibus, et alia utensilia lignea, veru seu barras, super quibus debent poni cortinæ, et circumquaque solvit camera.

Item sciendum quod domini cardinales tres, prior cum camerario de consilio aliorum, antequam intrent

[a] Id est lagenas, Italis vulgo *botte*.

conclave, debent eligere quatuor solemnes viros, qui habent extra custodire conclave cum gentibus armatis, et caveant bene super hoc quod tales sint idonei. Poterunt esse duo prælati et duo milites, vel unus miles et unus banderensis.

Item dicti custodes caveant sibi bene sub pœna perjurii, quod bene aperiant semper et videant quidquid portatur cardinalibus ad comedendum; et si pastilla eis portarentur, illa aperiant.

Item sub pœna perjurii nullam litteram eis dent, nec permittant illos accipere, nec ab ipsis etiam recipere, quantumcunque necessitas cogeret, sed quidquid voluerint habere ab extra dictis custodibus ore dicant.

Item quod nullus intret ad eos quandiu erunt in dicto concilio, nisi forte aliquis cardinalis ab extra veniret de sua legatione, et ille potest intrare solus cum uno presbytero et uno clerico.

Item omni die mane et sero faciant de domibus eorum portari cibaria cocta et alia vitæ necessaria.

Item capellani ipsorum celebrent in communi loco, in quo omnes conveniunt, prout supra dictum est.

Item in porta conclavis sint ad minus tres claves cum tribus serraturis; quilibet custodientium habeat suam. Item dicta porta sit clausa bene cum barris, et clavelaturis, et catena; et in medio sit foramen per quod detur eis ad comedendum longitudinis unius palmi et semis, et tantum in altitudine, quod etiam cum clavi claudatur.

Item sciendum quod familia camerarii debet dormire in camera semper ad conservandum bona; et ipse camerarius, si non sit cardinalis, item illi prælati qui habent custodiam de conclavi, etiam dormiant ibidem cum aliquibus familiaribus eorum. Item omnes vivere debent expensis cameræ, quousque papa sit creatus, et quandiu faciunt custodiam.

Item in turribus debent esse custodes ad minus ad quatuor partes, et in qualibet turri ad minus tres cursores, et eis vitæ necessaria ministrantur de camera. Debent facere custodiam die noctuque. Item ab extra debent custodire homines deputati per tres priorum cardinalium et per camerarium, quibus ad minus datur panis et vinum extra stipendium; et caveant quod neminem permittant intrare palatium sive cum armis, sive sine armis, nisi de licentia custodientium duntaxat.

Item notandum quod parapectus debet habere ad minus quatuor palmas in latitudine inter murum et lectum cardinalis, et sit de asseribus clausum solum ad altitudinem cortinarum vel x palmarum ad minus. Totum istud fuit factum in morte domini Urbani expensis cameræ apostolicæ, **534** quia cardinales erant nimis pauperes. Longitudo vero quantum cameræ longæ erant. Retro cardinales debent tenere ligna, carbones, et alia vitæ necessaria infra illud spatium.

In conclavi autem unus clericus audientiæ, qui servit capellæ in capella dicens Epistolas, intret et scribat omnia quæ fiunt de die in diem, et ordinet A omni die de Missa dicenda coram cardinalibus, et teneat unam lampadem accensam in capella, et aliam in medio conclavis; et custodiat paramenta, calicem, librum, et chlamydem sancti Petri cum mitra consistoriali.

Item sciendum quod domini cardinales post mortem domini Gregorii papæ XI voluerunt audire in hospitali sancti Spiritus Missam de Spiritu sancto. Sequenti die post novenam fuit quia voluerunt habere consilium cum Romanis, antequam intrarent conclavim, pro conservatione conclavis.

Item post mortem domini Urbani VI domini cardinales post Missam nonam et sermonem voluerunt audire Missam ibidem de Spiritu sancto cum sermone, quam dixit dominus Pisanus. Tali cera fuit B sibi administrata de camera apostolica undecim magnæ candelæ, et duo brandones. Item intrarunt conclave eodem die de sero post Vesperas.

Item fuerunt deputati quatuor prælati ad custodiendum conclave, duo pro parte camerarii, qui portaverunt baculos in manibus, et duo ex parte collegii; et istos camerarius non permisit portare baculos, nec post de suis, nisi unum, qui fuit ille, portavit. Item extra fuerunt ad conservandum conclave destinati duo banderenses cum quatuor famulis quilibet sex......

Nota quod quando papa est creatus, induitur aliis pannis. Vestimenta quibus exuitur debent esse dicti clerici capellæ, secundum quod fuit semper observatum.

C In novena castrum doloris fuit ornatum candelis prout in prima die : brandones fuerunt circumquaque feretrum, prout ante; et in quolibet angulo castri brandonem unum, et in cacumine superius unum valde magnum de cera alba, forsan XXV librarum, quia fuit cereus paschalis. Primus circulus candelarum castri continebat XXIV candelas a quolibet latere; spatium erat de candela ad candelam quasi palmæ unius.

CL. *Qualiter papa Bonifacius IX venit in Vesperis vigiliæ Nativitatis beatæ Mariæ.*

Nota quod die Jovis 7 mensis Septembris, in vigilia Nativitatis beatæ Mariæ virginis, in primis Vesperis dominus Bonifacius papa IX fuit in Vesperis D cum pluviali rubeo et mitra aurifrigiata, et non solemni; et incœpit Vesperas, et dixit Orationem solummodo, nec incœpit Antiphonam. Cardinales incœperunt, nec deposuerunt cappas laneas, totum dixerunt cantores. Auditores, acolythi fuerunt cum superpliciis, et cardinalis Tudertinus de mane fecit officium anno 1391, pontificatus sui anno 2.

535 CLI. *De diebus Mercurii, Jovis, Veneris, et Sabbati hebdomadæ sanctæ.*

Attende quod die Mercurii sancta in Matutinis dominus papa venit cum sola chlamyde rubea et sine mitra. Cathedra est parata; nec diaconi cardinales sedent ante eum, sed in locis suis; nec episcopus vel presbyter qui servit sibi de libro, sedent ante

eum super scabellum, sed omnes in locis suis sedent.

Die Jovis eodem modo per omnia.

Item die Veneris sancta papa venit ad officium cum cappa a medio pectoris inferius aperta, foderata de herminis, cum mitra alba simplici de garnello aut aurifrigiis.

Item de sero in Matutinis venit cum dicta cappa et sola bireta rubea in capite; et in toto officio tenet super caput absque mitra.

. Item in die Sabbati sancti in Missa venit cum pluviali rubeo sine perlis. Item de sero in Matutinis venit cum chlamyde alba et sine perlis.

CLII. *De obviatione cardinalis intrantis in Romanam curiam.*

Nota quod si cardinalis veniat, quod si fuit extra curiam per aliquod tempus pro negotiis suis, vel ratione solatii, non tamen Nuntii vel legati, quando redit et intrat civitatem, ubi Romana curia residet, cardinales alii non debent ei ire obviam, sed mittunt eorum familiares ad sociandum illum.

Item si aliqui cardinales amore vel ex nobilitate aut consanguinitate occurrunt ei obviam, si sit unus qui intrat, et alii qui obviant, plures sint in pari numero; ille qui noviter venit, solus debet præcedere, et alii post eum bini et bini; deinde patriarchæ, deinde protonotarii, et alii juxta ordinem suum.

CLIII. *De canonizatione sanctæ Brigidæ*

Sequitur canonizatio sanctæ Brigidæ. Anno Domini 1391, et die Sabbati, 7 mensis Octobris, pontificatus Domini Bonifacii IX, anno 2, facta fuit canonizatio beatæ Brigidæ in magna capella sacri palatii Romæ prope sanctum Petrum, in qua talis modus fuit observatus.

Primo die Veneris patriarcha Gradensis, confessor et referendarius dicti domini, ex præcepto sanctitatis suæ consistorium generale mandavit, item canonizationem sanctæ Brigidæ, ut omnes deberent venire ad ipsam solemnitatem. Item campanæ omnium ecclesiarum deberent pulsari hora Completorii, et crastina die hora Tertiarum etiam mandavit.

Item parata fuit capella circumquaque de pannis, et sternata de frondibus de verta. Magister folrariæ fecit.

Item circumquaque per totam capellam fuerunt tortitiæ seu brandones, **536** quilibet de undecim libris ceræ, fuerunt in summa LXXXVI. Modum dictarum candelarum et ordinem brandonum inveni.

Item in die Sabbati de mane dominus papa audivit magnam Missam de Spiritu sancto in camera sua.

Item post magnam Missam venit ad magnam capellam, eum comitantibus omnibus cardinalibus et nobilibus Romanis, cum pluviali rubeo consistoriali et mitra de perlis consistoriali; et facta reverentia aliquali ante altare, ascendit ad aliam cathedram longe ab altari paratam; et ibi recepit omnes cardinales et prælatos ad reverentiam cum cappis laneis more solito. Qua reverentia finita, accessit ad aliam cathedram cum scabello paratam ante medium altaris, appodians se ad altare versa facie ad populum; et duo diaconi antiquiores sedebant ante pedes ejus in scabellis, aliis etiam cardinalibus sedentibus in locis suis cum cappis laneis; et facto silentio, et luminaribus accensis, papa sedendo mitram in capite, fecit collationem et sermonem suum sub isto themate, *Viduam ejus benedicam, et florebit super ipsam sanctificatio mea.* Completo sermone et facta admonitione ut omnes deberent Deum rogare, quod non permitteret eum errare; protestatione etiam facta quod ipse non intendebat facere contra sacrosanctam Romanam Ecclesiam, surgens de sede, deposita mitra, incœpit cantando *Veni, creator Spiritus*, et flexis genibus stetit sine mitra usque ad Versiculum tertium, et semper stetit ibidem pedes, tandiu donec cantores cantaverunt dictum Hymnum. Quo finito, sine Versiculo dixit, *Dominus vobiscum*, et Orationem, *Deus qui corda fidelium*, quam finivit *per Christum Dominum nostrum.* Sed reassumpta mitra, ibidem sedendo pronuntiavit beatam Brigidam fore Sanctam, et ascribendam in catalogo sanctorum, ut est in libro secretorum papalium domini Clementis papæ VI. Qua pronuntiata, ore proprio concessit indulgentiam ista die et in sequenti visitantibus ecclesiam sancti Petri et sancti Laurentii in Panisperna, et qui interfuerint in divino officio isto illam indulgentiam jubilæi, et multas alias in terris. Post hoc procuratores dictæ sanctæ petierunt publica instrumenta de hoc, et papa etiam de sua potestate jam dicta..., et tunc omnes cardinales et prælati receperunt paramenta alba, episcopi pluvialia, presbyteri planetas, diaconi tunicellas et dalmaticas; et iterum venerunt ad reverentiam papæ. Post hoc, deposito pluviali rubeo, recepit chirothecas pretiosas et annulum pontificalem, et pluviale album pretiosum cum mitra solemni; et deposita mitra incœpit cantando *Te Deum laudamus*, et tunc data sunt duo magna tortitia de cera alba, quælibet de octo libris ceræ, et cuilibet cardinali ac patriarchæ de septem libris ceræ aliæ non albæ, et omnibus prælatis de duabus libris, et aliis clericis et cantoribus, auditoribus, et nobilibus, et aliis de una libra ceræ; et tunc incœpta fuit Processio, et omnes tenebant faculas suas accensas in manibus, quilibet in ordine suo; et duo patriarchæ ibant cum cardinalibus, item dominus papa subtus pallium, sed milites portabant extra pallium tortitia papæ accensa. Et sic ivimus per totam capellam usque ad aliam capellam, et reversi fuimus **537** processionaliter ad magnam capellam, et dominus summus pontifex ascendit ad cathedram ante medium altaris, ubi fecerat sermonem suum prius; et stando diaconus a dextris dixit cantando *Ora pro nobis, beata Brigida, alleluia;* et papa dixit *Dominus vobiscum*, et aliam Orationem de beata Brigida; et cantato per cantores *Benedicamus Domino*, diaconus a sinistris dixit *Confiteor*, et papa dedit Benedictionem more solito; et prior episcoporum cardinalium pronuntiavit indulgentias; et sic quilibet repatriavit cum candela sua; et omnes alias candelas de altari et tortitia de capella camerarius

fecit recipi pro papa..... per sex cardinales, qui deberent omnes esse sacristæ. Primus erat dominus de Alençonio Philippus; secundus de Anglia dominus Adam; alter Reatinus.

Ista die papa non potuit dicere magnam Missam de sancta, causa infirmitatis, sicut debebat, sed in crastinum celebravit, ubi istum ordinem tenuit.

Dominica ergo die 8 mensis Octobris, bono mane, post parvam Missam, dominus papa, indutus cum pluviali et mitra cum perlis consistoriali, descendit ad ecclesiam sancti Petri cum omnibus cardinalibus, duobus patriarchis, Constantinopolitano scilicet, et cum prælatis, et toto clero; et in porta ecclesiæ venerunt ei obviam omnes canonici sancti Petri cum cruce, pluvialibus, pavilione, et campana processionaliter, cantando *Te Deum laudamus*, duxerunt eum ad majus altare; et facta aliquali Oratione ante altare, recessit ad cathedram, ubi consueverunt Romani præsules induere se, et sedendo cardinales et omnes prælati venerunt ad reverentiam, et ipse voluit quod cantaretur Tertia. Missa fuit de sancta Brigida cum commemoratione de Dominica. Tunc primo ego incœpi de mandato sedere inter cardinales episcopos. Processit Missa ordine suo.

Item post Evangelium diaconus a sinistris dixit *Confiteor*, et dicto *Credo in unum Deum*, et post Offertorium papa sedebat super bassam cathedram cum scabello ante regias ferreas papæ, ubi lectum fuit Evangelium, versa facie ad sedem, in qua fuit indutus. Tunc domini commissarii tres cardinales de canonizatione istius sanctæ exierunt de sacristia sancti Petri cum oblationibus suis.

Primo dominus de Francia cum duobus magnis tortitiis accensis, coopertis de auro, obtulit osculando pedem et manum; secundo dominus Anglicanus cum duobus panibus coopertis, cum tobaleis et armis et scudetis sanctæ Brigidæ, et trium cardinalium commissariorum; et osculatus est pedem et manum papæ; tertio dominus Barensis cum duobus magnis bacilibus de vino et malvatico, quæ vocantur Romæ scyphi deaurati, et cum armis et scudetis dominæ et cardinalium prædictorum; et osculatus est pedem et manum papæ.

Ultimo venerunt quinque procuratores istius sanctæ cum advocato, et quilibet obtulit unam magnam candelam de una libra ceræ albæ, modicum laboratam cum rosis et floribus, viridis, alba et rubea.

Item unum parvum canistrellum, totum depictum de colore viridi, in quo fuerunt duæ columbæ albæ et duæ turtures.

538 Item nota quod canonici in Processione debuerunt habuisse grossas candelas de cera in manibus ab istis executoribus; et quia non habuerunt, papa fuit turbatus.

Item fuerunt in ista Missa super regias ferreas et super columnas lapideas prope regias prædictas circa LXXX tortitiæ accensæ, et VII in elevatione corporis Christi. Poterant esse quælibet de quatuor libris ceræ. Nec papa, nec cardinales, nec aliquis candelam habuit in ista Missa; nec fuit sermo.

Item nota quod, completa Missa, dominus pontifex indutus prout fuerat in Missa, et omnes cardinales et prælati induti sacris vestibus, prout fuerunt in Missa, cum mitris iverunt ad fenestras prope campanile in loco deambulatorio, ubi Romani antistites consueverunt dare populo indulgentiam; et ibi papa dedit de vera indulgentia illa die, sicut in jubilæo ob reverentiam Brigidæ, et in sancto Petro, et in sancto Laurentio in Panisperna, ubi sancta Brigida dicta fuit sepulta; et quicunque visitasset dictas duas ecclesias sancti Petri et sancti Laurentii VII vicibus per totum præsentem mensem haberet indulgentiam jubilæi.

Item nota quod de cera ecclesiæ sancti Petri accensa canonici voluerunt habere; sed camerarius totam recepit, quod papa, nec ipsi, nec acolythi, nec cantores, nec clerici habuerunt.

Item nota quod quilibet cantor habuit tres ducatos ab exsecutoribus.

Item dicti exsecutores miserunt unam pintolam de auro papæ valoris C ducatorum, et unum vitulum, XXIV capones, XXIV pullos, XXIV columbos, II barilia de vino.

Item nota, quod fuerunt Vesperæ præcedentes, nec sequentes.

Item nota, quod ista die, licet fuerit Missa de sancta Brigida, tota die fecimus de Dominica, nec fecimus commemorationem in Vesperis, nec in Matutinis de ipsa sancta.

Item nota quod omnes cardinales induti sacris vestibus associaverunt papam usque ad cameram.

Ista die nullus cardinalis comedit cum papa, nisi solum prælati domus et cantores.

Item nota quod tota capella debet esse intus et extra parata pannis.

Item in altari debent esse VI candelæ, quælibet de una libra cum dimidia; item super cancellum capellæ VI tortitia, quælibet de octo libris ceræ.

Item extra regiam seu capellam ponantur ligna perforata in muro circumquaque ad tenendum tortitia, quantum capella est; et in quolibet ligno erunt VI tortitia, quælibet de quatuor libris ceræ.

Item in fine capellæ ex opposito altaris illud idem.

Item de aliis parvis candelis de uncia vel media, aut pro libra ponantur XX habentia per murum, et distribuantur laicis et clericis.

ADDITIONES.

539 CLIV. *In die Cinerum.*

Additiones vero quæ in die Cinerum Dominus Bonifacius IX in die prædicta descendit ad magnam Missam in magna capella in Perusio cum pluviali et mitra sine perlis, et sic dedit cineres. Quibus datis, deposuit pluviale et mitram, et reassumpta chlamyde, sic stetit per totam Missam absque mitra, quam dixit dominus Neapolitanus. Papa erat alteratus propter frigus anno Domini 1393, pontificatus sui anno 4.

CLV. *De Dominica Rosarum.*

Item in Dominica de Rosa fuit celebrata Missa in magna capella, papa absente, in præsentia omnium cardinalium, et Rosa fuit portata de camera papæ per juniorem clericum cameræ ad capellam, et stetit super altare per totam Missam; et post reportata per eumdem ad cameram papæ; in qua camera paramenti, exeundo papa de alia camera sua, eam portando in manibus suis, in sede sua in camera sua paramenti eam dedit Ilistregio de Faventia anno prædicto.

CLVI. *De Annuntiatione beatæ Virginis.*

Nota quod in Annuntiatione beatæ Mariæ virginis dominus Bonifacius IX, pontificatus sui anno 4, in infirmitate detentus, non interfuit Missæ, quæ fuit celebrata in magna capella Perusii per episcopum Anconitanum; et ille qui debuit facere sermonem in præcedenti Dominica, quia non erat factus, fecit sermonem ista die de prædicta Dominica cum aliis verbis de beata Virgine, quæ fuit dies Martis 1393.

CLVII. *De Dominica in ramis Palmarum.*

Sequenti die Dominica in ramis Palmarum idem dominus Bonifacius dedit ramos in parva capella more solito post magnam Missam celebratam in camera. Quibus datis, domini cardinales induti sacris vestibus iverunt ad magnam capellam, et depositis vestibus audiverunt aliam magnam Missam, in qua non fuit papa, quam dixit Neapolitanus episcopus.

CLVIII. *De die Jovis sancta.*

Item eodem anno, die Jovis sancta, facta magna Missa in camera papæ, et reservato corpore Christi in calice super altare secretæ capellæ, domini cardinales et omnes prælati iverunt ad magnam capellam, et audiverunt ibi aliam magnam Missam more solito, quam dixit dominus patriarcha Constantinopolitanus; et reservato corpore Christi **540** in calice, et incensato more solito, remansit super altare; et cantatis Vesperis, domini cardinales non parati existentes ante altare in modum circuli, et duo patriarchæ inter eos, scilicet Constantinopolitanus prædictus et me Gradensis, de mandato domini nostri papæ pronuntiaverunt Processus generales absente papa, quos legit dominus patriarcha Constantinopolitanus; et candelæ non fuerunt projectæ ex eo quod non habebant, sed solum una de altari accepta.

CLIX. *De eodem die facto prandio.*

Item eodem die post prandium papa non potuit lavare pedes pauperum; sed patriarcha Gradensis confessor de mandato papæ lavit pedes pauperum in parva capella, indutus rochetto, amictu, superplicio, et pluviali cum mitra alba, audivit Evangelium, cantando cum luminaribus, cruce et incenso more solito. Quo cantato cantores inceperunt cantare; et ipse, deposito pluviali, cincto linteo et mitra in capite, incœpit lavare pedes. Quibus finitis, dixit Orationem, et cardinalis camerarius dedit florenos cum carleno, et noluit dare illas petias de tela ad tergendum pedes pauperum nisi duas per totum, sed omnia reportavit secum; et male, dicit glossa.

CLX. *De die Veneris et Sabbati.*

Die Veneris sancta et Sabbato prælati fecerunt officium in magna capella absente papa, cardinalibus omnibus præsentibus.

CLXI. *De die Paschæ, Ascensionis, Pentecostes et Trinitatis.*

In die Paschæ propter communionem cardinalium fecit officium. Item in Ascensione. Nec in Pentecosten, neque in Trinitate, neque in Corporis Christi, non fuerunt Vesperæ papales propter infirmitatem papæ. Missæ fuerunt dictæ per prælatos non cardinales absente papa, omnibus præsentibus cardinalibus, cum sermone.

CLXII. *De sancto Joanne Baptista.*

In die sancti Joannis Baptistæ idem.

CLXIII. *De sanctis apostolis Petro et Paulo.*

Item in die beatorum Petri et Pauli fuerunt Vesperæ absente papa, officium fecit cardinalis Bononiensis. Solum incœpit Vesperas indutus pluviali cum mitra, et Antiphonam ad *Magnificat* incœpit, et dixit Orationem, nec dedit Benedictionem in crastinum in ecclesia beati Petri in Perusio, ubi papa residebat. Tunc dixit Missam absente papa, omnibus cardinalibus præsentibus, cum sermone.

541 CLXIV. *De Purificatione beatæ Mariæ virginis.*

Item vero anno Domini 1392, in die Candelarum in primis Vesperis, Vesperæ non fuerunt mandatæ, quia dominus noster noluit, sed tarde ipse eas audire voluit cum paucis cardinalibus et cortisanis. Dicebant quod non deberent cantari solemniter, quia non habebat vigiliam De mane dedit candelas. Missa fuit dicta in sancto Petro per dominum cardinalem Neapolitanum. Duo diaconi cardinales stabant ante eum, et prior presbyterorum cardinalium etiam ad latus.

CLXV. *Nota de Nativitate Christi bene.*

Anno Domini 1398, in Urbe Dominus Bonifacius papa IX, die Lunæ, in vigilia Nativitatis Christi, incœpit infirmari. Vesperæ fuerunt cantatæ per cantores in magna capella. Dominus Pilcus cardinalis de Ravenna incœpit Vesperas, indutus pluviali et mitra, stans ad latus cornu altaris super cathedram, ubi stant prælati, cum celebrant coram papa. Ipse solum dixit Orationem, nec dedit Benedictionem. Omnes cardinales interfuerunt in media nocte; cardinales in Matutinis neque in Missis non interfuerunt, sed dominus Conradus archiepiscopus Nicosiensis camerarius, et [a] Petrus patriarcha Gradensis interfuerunt in toto officio, cum aliis quatuor prælatis, nec cortisani venerunt. Cantores legebant lectiones, Antiphonas, Psalmos; et dedit Benedictionem hebdomadarius. Dominus camerarius dixit primam et secundam Missam absque intervallo; fecit commemorationem de papa in utraque Missa, nec dedit in fine Missæ Benedictionem, sed nuntiavit indulgentiam ex parte papæ de VII annis et VII quadragenis.

[a] Is est Petrus Ameliı, auctor hujus libri, qui se patriarcham Gradensem dixit supra, cap. 158.

In tertia Missam dixit dominus cardinalis de Ravenna. VII cardinales interfuerunt, nec dedit Benedictionem post Missam, et male, quia debebat.

In prandio dominus camerarius cum auditoribus et pœnitentiariis tenuit tinellum. Non fuerunt secundæ Vesperæ. In die sancti Stephani dominus cardinalis Neapolitanus fecit officium; in die sancti Joannis dominus cardinalis de Bononia.

CLXVI. *De exsequiis cardinalium.*

Nota de exsequiis cardinalium defunctorum. De sero fiunt exsequiæ per religiosos et parochiales ecclesias in tinello præsente funere, et ad minus quatuor brandonibus accensis. Cardinalis vero debet jacere in lectica parata de pannis aureis et fimbriis de nigro cum armis illius, et familiaribus indutis de nigro. Debent circumquaque sedere prope feretrum flendo; cardinalis* vero, si est episcopus, debet esse totaliter indutus de vestibus sacris coloris nigri aut violacei totaliter, ut pontifex, **542** cum mitra alba; chirothecas et sandalia cum annulo pontificali, facie velata cum velo de serico. Item si sit presbyter, eodem modo; si diaconus, eodem modo, sed in habitu diaconi, at non cum planeta, nec cum chirothecis, nec cum annulis pontificalibus, sed cum aliis tunicis et parvis chirothecis, et parvo annulo

Item in exsequiis cardinalium semper unus cardinalis debet dicere Missam. Sermonem facit aliquis magister in theologia, qui debet fieri post Missam et ante absolutionem. Facto sermone, quatuor cardinales presbyteri antiquiores induunt se super alba amictu, albo cinctorio, orarium et pluviale cum annulis, et sine chirothecis et sandaliis. Tunc ille qui dixit Missam antecedit, et alii tres sequuntur: vadunt prope castrum doloris, et cantores cantant *Libera me, Domine.* Quo cantato, qui dixit Missam aspergit corpus, vel feretrum aqua benedicta, et thurificat dicendo *Pater noster*, etc. Et facit primam absolutionem; deinde alii tres eodem modo juxta ordinem suum, prout in libro continetur. Cardinales vero alii et totus clerus remanet in choro. Si factus sermo non sit post Evangelium, prout alicubi fit, quia tamen Romana Ecclesia non consuevit, exspectant cardinales; et facta absolutione fiat sermo. Aliqui tamen consueverunt facere sermonem ante absolutionem; et hoc est quando altare jungitur vel contignatur choro, quoniam ibidem remanet indutus, qui officium fecit. Verumtamen ubicunque, sive prope chorum, sive longe, dicatur Missa. Qui eam dixit, remanet indutus cum clero suo ante altare, quousque sermo sit finitus. Ideo ille qui prædicat debet stare in loco eminenti, quem possit audire etiam qui dixit Missam. In dicto sermone non datur Benedictio nec indulgentia. Item in Missa tenentur omnes cardinales, et omnes prælati in sedibus suis: et quilibet debet habere tortitiam ad minus de quatuor libris, cardinales et patriarchæ; alii vero de libra, aut de duabus libris, sicut placebit executoribus.

Item Missam debet celebrare cardinalis, et sermonem facere post Missam et absolutionem. Item debet facere castrum doloris cum candelis. Item circumquaque debent etiam esse ad minus C tortitiæ, et plus, secundum voluntatem exsecutorum; et totidem quando portatur ad ecclesiam.

Item subtus castrum doloris sedent familiares. Item in feretro debent esse magnum et longum pulvinar subtus caput cardinalis de nigro; item unum aliud ad pedes, super quo stant duo pilei cardinalis. Finita Missa, qui facit officium, deposita planeta cum ministris, cum thuribulo et aqua benedicta accedat prope caput defuncti extra castrum, et absolute incipit mitra deposita *Non intres in*, etc. Oratione facta vel finita, cantores cantant *Subvenite, sancti.* Quo cantato, dicit *Kyrie, eleison*, et thurificat et aspergit funus aqua benedicta, prout in Ordinario continetur. Tunc adsunt quatuor presbyteri cardinales, induti cum pluvialibus et mitris albis et stolis; et cantato *Ne recorderis*, antiquior dicit Orationem, quam sibi placet post *Pater noster*, ut supra, et thurificat, etc. Postea cantatur *Memento mei, Deus.* Quo dicto, alius cardinalis, **543** qui est penultimus, eodem modo thurificat, et dicit aliam Orationem. Consequenter immediate alius cardinalis, qui stat ab alio latere, qui secundo loco dicit Orationem, similiter thurificat, prout alii fecerunt, et dixerunt, et Orationem quam sibi placet. Deinde ultimus cardinalis similiter facit. Quibus finitis, cantatur *Libera me, Domine.* Quo cantato, ille qui facit officium similiter ut prius thurificat, et dicit ultimam Orationem, scilicet *Absolve*, etc. Et tunc quilibet recedit, et fit sermo.

Attende quod anno 1434, in exsequiis domini cardinalis Novariensis celebravit Missam dominus cardinalis sancti Marci; et dicta Missa immediate fuit sermo. Facto sermone, dominus cardinalis de Ursinis, dominus cardinalis sancti Marcelli, dominus Venetiarum, dominus cardinalis sancti Marci, induti pluvialibus venerunt ad feretrum. Et primo antecedebant duo presbyteri cardinales, videlicet dominus sancti Marcelli, et dominus Venetiarum; deinde dominus de Ursinis episcopus cardinalis, et dominus sancti Marci presbyter cardinalis qui celebraverat illo mane; et duo ipsorum steterunt ad unum latus feretri, et duo in altero latere. Primam autem Orationem dixit dominus sancti Marci qui celebraverat, videlicet, *Non intres in judicio;* et cantores, dicta illa Oratione, dixerunt cantando, *Subvenite*, et dicto per eos *Kyrie, eleison*, dominus de Ursinis dixit *Pater noster*, et aspersit aquam benedictam, et incensavit, et dixit secundam Orationem, videlicet, *Deus, cui omnia vivunt.* Et dicta Oratione, cantores dixerunt *Ne recorderis;* et dicto *Kyrie, eleison*, dominus cardinalis sancti Marcelli ab alio latere aspersit et incensavit, et dixit Orationem tertiam, videlicet *Inclina, Domine*, quæ Oratio est in Missali. Et dicta Oratione, cantores dixerunt *Qui Lazarum.* Idem dominus cardinalis sancti Marci, qui celebraverat Missam, qui erat in alio latere, ut supra, loco unius presbyteri cardinalis qui deficiebat, aspersit et incensavit, et dixit Orationem *Fac, quæsumus, Domi-*

ne, hanc cum servo, etc. Qua Oratione dicta, cantores dixerunt *Memento mei, Deus;* et dicto *Kyrie, eleison*, dominus cardinalis Venetiarum dixit *Pater noster*, et aperuit et incensavit, et dixit Orationem *Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui*. Quæ Oratio est in Missali. Qua Oratione dicta, cantores dixerunt *Libera me, Domine, de morte*, etc. Et dicto *Kyrie, eleison*, non fuit incensatum, sed dominus cardinalis sancti Marci in fine dixit Orationem, videlicet, *Absolve*, quæ Oratio est in officio mortuorum.

CLXVII. *Quando dominus Ladislaus rex Neapolitanus Romam intravit.*

Nota quod anno Domini 1393, die Sabbati 18 Aprilis, in vigilia Paschæ, dominus Ladislaus rex Neapolitanus Romam intravit, et in sancto Paulo omnes cardinales sibi obviam iverunt. Romani vero cum pallio in porta prope metam eum cum pallio receperunt, sub quo solus per totam Urbem usque ad gradus sancti Petri equitavit. **544** Duo vero diaconi cardinales, qui eum associabant, ante banderenses equitabant, et illi vexilliferi Romanorum immediate ante regem equitabant; post regem immediate patriarcha Gradensis, et post eum comes Laurentii, et alii milites et prælati.

Die vero sanctæ Paschæ, in Missa, rex semper servivit papæ de aqua, et semper sedebat inter duos primos episcopos cardinales; deinde patriarcha Constantinopolitanus post priorem presbyterum cardinalem, qui erat tertius in illa sede; deinde subprior, deinde patriarcha Gradensis, et sic omnes alii. In prandio vero dictus rex in mensa etiam sedebat inter duos primos episcopos cardinales.

Nota quod anno Domini 1400, pontificatus domini Bonifacii papæ IX anno 12, in secunda Dominica Adventus Domini propter frigus ipse non venit cum pluviali et mitra; et quia non erat indutus more solito, domini cardinales noluerunt sibi facere reverentiam in principio Missæ more consueto, neque diaconi cardinales noluerunt stare ante papam [a].

[a] Sequebantur in Codice Acta concilii Lugdunensis sub Innocentio IV, et alterius sub Gregorio X, quasi consectaria hujus libri; sed cum alibi hæc sint edita, consulto ea prætermisimus, utpote non facientia ad auctoris institutum.

ORDO ROMANUS XVI,

VEL

INDEX SOLEMNIUM COLLECTARUM ET STATIONUM S. R. E.

Ex duobus membraneis Codicibus Vaticanis.

Dominica 1 de Adventu Domini, statio ad sanctam Mariam Majorem.

Dominica 2, statio ad sanctam Crucem.

Dominica 3, statio in basilica beati Petri apostoli. — Feria 4, statio ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 6, ad Apostolos. — Sabbato, ad beatum Petrum.

Dominica 4, ad sanctam Eugeniam. — Missa mane prima ad sanctam Anastasiam.

545 Die Nativitatis Domini, statio in basilica beati Petri apostolorum principis.

In Epiphania Domini, statio in basilica principis Apostolorum.

Dominica in Septuagesima ad sanctum Laurentium foris murum.

Dominica in Sexagesima, ad sanctum Paulum.

Dominica in Quinquagesima, ad beatum Petrum apostolum. — Feria 4 in capite jejunii, Collecta ad sanctam Anastasiam, statio ad sanctam Sabinam. Benedictio cineris. *Omnipotens sempiterne Deus, parce metuentibus*, etc. *Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras*, etc. Alia. *Deus, qui humiliatione flecteris*, etc. Alia Oratio. *Omnipotens sempiterne Deus, qui Ninivitis in cinere*, etc. Interim ponendi sunt cineres super capita singulorum, ita dicendo, *Memento, homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris*. Antiphona ad Collectam. *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est*. Psalm. *Salvum me fac, Deus, quoniam*. Presbyter dicat *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua. Levate*. Oratio ad Collectam. *Concede nobis, Domine, præsidia militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis, ut, contra spirituales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxilio. Per. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo*. Diaconus dicit *Procedamus cum pace*. Resp. *In nomine Christi, amen*. Antiphona per paradisum, *Immutemur habitu. Kyrie, eleis. Kyrie, eleis. Kyrie, eleison. Pater noster. Et ne nos. In memoria. A porta inferi. Requiescant in pace. Domine, exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, cujus miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis et famulabus tuis omnibus hic et ubique in Christo quiescentibus da propitius veniam peccatorum, ut, a cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eumdem*. Dicta Oratione intramus in ecclesiam, cantando *Petre, amas me*, cum Versu, *Simon Joannis*. Finito Responsorio, diaconus incipit litaniam. Nota quod in feria 2 et feria 4 et feria 6 non dicimus *Kyrie, eleison* in Missa, eo quod novem *Kyrie, eleison* dicimus in litania, tres *Kyrie* et *Kyrie* [Forsan, *Christe*] in principio, et tres *Kyrie* in fine. — Feria 5, Collecta ad sanctum Nicolaum in Carcere; statio ad sanctum Georgium. — Feria 6, Collecta ad sanctam Luciam in VII Soliis; statio ad sanctos Joannem et Paulum. — Sabbato, Collecta ad sanctum Laurentium in Lucina; statio ad sanctum Tryphonem.

Dominica 1 in Quadragesima, ad sanctum Joannem Lateran. — Feria 2, Collecta ad sanctos Cosmam et Damianum; statio ad sanctum Petrum in Vinculis. — Antiphona ad Collectam, *Exsurge, Domine, adjuva nos*. Psal. *Deus* **546** *auribus nostris. Gloria Patri*. Vers. *Opus quod operatus. Oremus. Flectamus genua*. Diaconus dicit *Levate. Oremus. Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per. Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo*. Diaconus dicit *Procedamus in pace*. Resp. *In nomine Christi, Amen*. Antiphona per paradisum, *Multa sunt peccata nostra*. Cætera dicantur eo ordine quo retro. *Converte nos, Deus salutaris noster, et ut nobis*, etc. — Feria 3, Collecta ad sanctum Nicolaum de Carcere; statio ad sanctam Anastasiam. — Feria 4, Collecta ad sanctum Petrum ad Vincula; statio ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 5, Collecta ad sanctam Agatham in Monasterio; statio ad sanctum Laurentium Panispernæ. — Feria 6, Collecta ad sanctum Marcum; statio ad sanctos Apostolos. — Sabbato, Collecta ad sanctam Mariam in Transpadina; statio ad beatum Petrum apostolorum principem.

Dominica 2 in Quadragesima, statio ad sanctam Mariam in Dominica. *In alio Codice*. Dominica vacat. Statio ad sanctam Mariam in Dominica. — Feria 2, Collecta ad sanctos Cosmam et Damianum; statio ad sanctum Clementem. — Feria 3, statio ad sanctam Balbinam. *In alio Codice*. Collecta caret, statio ad sanctam Balbinam. — Feria 4, Collecta ad sanctum Georgium; statio ad sanctam Cæciliam in Transtiberim. — Feria 5, Collecta ad sanctum Georgium; statio ad sanctam Mariam Transtiberim. — Feria 6, Collecta ad sanctam Agatham in Monasterio; statio ad sanctum Vitalem. — Sabbato, Collecta ad sanctum Clementem; statio ad sanctos Marcellinum et Petrum.

Dominica 3, statio ad sanctum Laurentium foris murum. — Feria 2, Collecta ad sanctum Adrianum; statio ad sanctum Marcum. — Feria 3, Collecta ad sanctum Sergium; statio ad sanctam Pudentianam. — Feria 4, Collecta ad sanctam Balbinam; statio ad sanctum Xystum. — Feria 5, Collecta ad sanctum Marcum; statio ad sanctos Cosmam et Damianum. — Feria 6, ad Collecta ad sanctam Mariam Rotundam; statio ad sanctum Laurentium in Lucina. — Sabbato, Collecta ad sanctum Vitalem; statio ad sanctam Susannam.

Dominica 4, statio ad sanctam Crucem. — Feria 2, Collecta ad sanctum Stephanum in Cælio monte; statio ad sanctos Quatuor Coronatos. — **547** Feria 3, Collecta ad Monasterium domnæ Rosæ; statio ad sanctum Laurentium in Damaso. — Feria 4, Collecta ad sanctum Mennam; statio ad Paulum apostolum. — Feria 5, Collecta ad sanctum Quiricum; statio ad sanctum Martinum de Montibus. — Feria 6, Collecta ad sanctum Vitum Magellum. *In alio Codice*, in Macello; statio ad sanctum Eusebium. — Sabbato, Collecta ad sanctum Angelum Piscium Venditorem; statio ad sanctum Nicolaum de Carcere.

Dominica 5, *Al.*, de Passione; statio in basilica principis apostolorum. — Feria 2, Collecta ad sanctum Georgium; statio ad sanctum Chrisogonum in Transtiberim. — Feria 3, statio ad sanctum Cyriacum in Thermis. *In alio Codice*, Collecta vacat, statio, etc. — Feria 4, Collecta ad sanctum Marcum; statio ad sanctum Marcellum. — Feria 5, Collecta ad sanctam Mariam in Via Lata; statio ad sanctum Apollinarem. — Feria 6, Collecta ad sanctos Joannem et Paulum; statio ad sanctum Stephanum in Cælio monte. — Sabbato, Collecta ad sanctum Xystum; statio ad sanctum Joannem in Porta Latina. *In alio Codice :* Sabbato ad sanctum Petrum, quando eleemosyna datur; Collecta ad sanctum Xystum, etc.

Dominica in Palmis, dicimus Tertiam in sancta Maria [a] in Turre, ubi palmæ benedicendæ sunt. *In alio Codice :* Statio ad sanctum Joannem in Lateranis. In Processione per paradisum [Vulgo *le Parvis*], Antiph. *Pueri Hebræorum portantes*, etc. *Pueri Hæbræorum vestim*. Antiph. *Occurrunt turbæ. Christus factus est pro nobis obed.*, etc. Hanc Antiphonam cantamus semel tantum, et sine organo. — Feria 2, Collecta ad sanctam Balbinam; statio ad sanctos Nereum et Achillem. — Feria 3, Collecta ad sanctam Mariam de Porticu; statio ad sanctam Priscam. — Feria 4, Collecta ad sanctum Petrum in Vinculis; statio ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 5, in Cœna Domini statio ad sanctum Joannem Lateranensem. — In Parasceve diurnalem cursum separatim cantamus, et hora nona ingredimur ecclesiam cum domino episcopo sive presbytero cardinali; et induti vestimentis nigris absque ullo cantu procedimus ante altare, et lector ascendit pulpitum, etc.

Dominica sanctum Pascha, statio ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 2, post Pascha, statio ad sanctum Petrum. — Feria 3, statio ad sanctum Paulum apostolum. — **548** Feria 4, ad sanctum Laurentium foris murum. — Feria 5, ad sanctos Apostolos. — Feria 6, ad sanctam Mariam Rotundam. — Sabbato ad sanctum Joannem Lateranum.

Dominica octava Paschæ, statio ad sanctum Pancratium.

In litania majore, statio in basilica sancti Petri; ad Collectam in ecclesia sanctæ Mariæ in Turres. *Hæc in alio Codice*.

Die Ascensionis Domini, statio in basilica principis apostolorum.

Die sancto Pentecostes, statio in basilica apostolorum principis. — Feria 2, ad sanctum Petrum in Vinculis. — Feria 3, ad sanctam Anastasiam. —

[a] Hoc oratorium erat ad turres basilicæ Vaticanæ, ut facile ex superioribus intelligitur, quod tamen hic noto propter Baronium, qui ecclesiam beatæ Mariæ in Turribus fuisse Pantheon existimavit ad annum 1087.

Feria 4, ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 5, ... — Feria 6, ad Apostolos. — Sabbato, ad sanctum Petrum.

Dominica 16 post Pentecosten. — Feria 4, statio ad sanctam Mariam Majorem. — Feria 6, ad Apostolos. — Sabbato, apud beatum Petrum.

In Purificatione sanctæ Mariæ, statio ad sanctam Mariam Majorem.

APPENDIX

AD LIBELLOS ORDINIS ROMANI.

I.

EGLOGÆ AMALARII ABBATIS IN ORDINEM ROMANUM.

549 Capitula sequentis opusculi prænotamus, ut si forte quis ignarus exstans de ignobilitate hujus operis, aggrediensque illud quasi dignum, ac postea reperiens vile, ne pœnitentia ductus dicat apud semetipsum, vel apud suos astantes: Si cognovissem rusticitatem hujus operis, nullatenus in eo laborem oculorum meorum impenderem. Videat modo in capite quæ sequuntur usque in finem. Et si lectionis causa in aliquam nauseam incurrerit, non illi qui ordinavit, tantum ingratus existat, sed et sibi qui cognita ignobilitate magis eam elegit rimari usque ad calcem, etc.

De Romano Ordine.

1. Masculi stant ad australem partem, et feminæ ad borealem, ut ostendatur per fortiorem sexum firmiores sanctos semper constitui in majoribus tentationibus æstus hujus mundi, et per infirmiorem fragilioremque sexum infirmiores in aptiore loco, etc.

550 2. Episcopus a læva ingreditur, et transit ad dexteram. Christi enim corpus nos sumus omnes. Ideoque fas est ut episcopus intrans ecclesiam imitetur suum caput Christum ingredientem in mundum; lævam partem tetigit Salvator noster, quia temporalem assumpsit, etc.

3. Intrant cum eo non amplius quam septem diaconi, totidem subdiaconi, totidem acolythi cum thuribulis non amplius, quam ternis. Sæpe scriptum est, et in multis locis apertum, quod septenario numero universitas ecclesiæ designatur, etc. Quamvis tacuissem de septem diaconibus ab apostolis ordinatis; ex hinc decreverunt apostoli vel successores apostolorum, per omnes ecclesias septem diaconos, qui sublimiori gradu essent cæteris, et proximi circa aram quasi columnæ altaris assisterent; septem propter septem viros perfectos, quinque propter quinque libros Moysi, tres propter spem, fidem et charitatem.

4. Quod diaconi sunt, tot candelabra portantur, quia omni ecclesiæ laboranti et imitanti Christum promittitur gaudium æternæ vitæ, et lux perpetua, etc.

5. Portatur et thuribulum, quod Christi corpus significat, sicut scriptum est in eadem Apocalypsi: Alius angelus venit et stetit ante altare, habens thuribulum aureum, etc.

6. Episcopus veniens ante altare, adorat primo Sancta, et postea pacem dat presbyteris et diaconibus, quia illum imitatur, de quo propheta scripsit: Multiplicabitur ejus imperium, et pacis ejus non erit finis. Primo episcopus adorat Sancta, quia primo illius misericordia impertienda est, a quo pax et concordia, et regnum Christi intra nos regnat. Duos sacerdotes osculatur, quia ipse est lapis angularis, qui conjunxit duos in unum parietem altrinsecus venientes, et dedit pacem his qui fuerant longe et his qui prope.

7. Post datam pacem cantor dat sanctæ Trinitati gloriam, quasi dicat: Gloriam referimus Deo Patri et Filio et Spiritui sancto, quia pacem, quam prophetavit per sanctos suos prophetas, nobis in novissimis temporibus dignatus est ostendere. Quando dicit *Sicut erat*, diaconi procedunt ad altare, et iterum revertuntur ad episcopum, et stant erecti. Hoc significat quod ideo morti se tradiderunt, subauditur apostoli, ut Christi corpori adunarentur. In quo versu varietas multiplicium temporum demonstratur; id est, *sicut erat in principio* præteritum, et *nunc* præsens, *et semper* futurum et æternum, *et in sæcula sæculorum*, longitudo magna. Unde Origenes: Quoties *sæcula sæculorum* nominantur, fortasse licet ignotus nobis, tamen a Domino status aliquis terminus indicatur, etc. Quando dicitur prophetalis Versus, episcopus vadit ad altare, et osculatur eum, quia per ora prophetarum Christus venit in mundum, et transivit ad passionem.

8. Diaconi stant primo inclinati ante altare cum episcopo, usque *Sicut erat*, quia chorus martyrum sanctorum ante novissimam tribulationem in convalle lacrymarum manet. Postea martyrio coronati erecti stant liberati, et securi jam ab omni persecutione, quorum Deus oculos abstersit ab omnibus lacrymis, et ab omni dolore, et ab omni esurie; ideoque stant ante Dominum semper.

551 9. Episcopus vero semper stat inclinatus usque ad prophetalem versum, quia Christus non anticipavit tempus quo prænuntiatus est per ora prophetarum. Tempore enim quo prophetæ prædixerunt, venit in mundum ad passionem. Et ideo cum versu prophetali vadit ad altare, quia Christum imitatur, ut ostendat populo omnia quæ prophetæ prædixerant de Christi passione vera esse, et in tempore suo consummata. Sicut aperte legitur in prophetia Danielis, Septuaginta, inquit, hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, etc.

10. Episcopus postquam adoraverit Sancta, pergit ad dexteram altaris, et stat erectus versus ad Orientem: et diaconi retro illum, unus post unum, plures ad dexteram, pauciores ad sinistram. Episcopus ad dexteram altaris stat, quia Christus regnum prædicabat, in quo totum dextrum est, et nihil sinistrum habet; stat et erectus, quia venit regere suos in virga ferrea, id est, in inflexibili justitia; stat versus ad Orientem, quia, ut ipse indicat, non quærebat voluntatem suam facere, sed ejus qui misit illum, sicut scriptum est, quia descendit de cœlo, non ut faciat voluntatem suam, et reliqua. Nunquam retrorsum versus, sed semper faciam Patris intuetur. Unde ipse Dominus in Evangelio: Scio unde veni, et quo vado. Sic namque oportet Christum et regnum prædicare cœleste, et peccata sub pedibus sternere; respicere æterna, et temporalia retro habere. Diaconi retro stant, quia, sicut diximus, bene

martyrum choro aptari possunt, qui et ministrantes sunt in sancto altari; et dalmaticas portant, quas solebat militaris usus portare. Ipsi diaconi præcesserunt ad altare, quia in veteri testamento martyres exstiterunt; et modo retro stant, quia post Nativitatem Domini nihilominus martyrio digne coronantur. Aliqui ex ipsis stant ad dexteram, et aliqui ad sinistram, quia multi de contemplativa vita martyrio coronati sunt, et multi de activa vita ad coronam martyrii procedunt, etc.

11. Candelæ primo illuminantur extra ecclesiam, et per acolythos portantur in ecclesiam. Primo candelæ procedunt, et postquam ventum fuerit ad altare, postponuntur. Utrumque demonstrant et doctores ecclesiæ, id est illuminatores, exstitisse ante nativitatem Domini, et postea. Acolythi namque accensores luminum dicuntur. Portantur manibus, quia quos scientia replent bonis exemplis erigere nullatenus cessare debent. Eædem candelæ usque ad *Kyrie, eleison* acolythorum manibus tenentur, et tunc ponuntur in pavimentum, et stant fixo gradu. Sic oportet doctores ut rudem populum nullatenus de manibus relinquant, antequam populus subjectus sciat dicere: Domine, miserere mei peccatoris. Quod est opere dicere, prout doctus sum a didascalo: Miserum me recognosco, et ideo misericordiam Dei implorare oportet. Stantque tunc per se in ecclesia, et illuminant ecclesiam, quoniam fas est ut qui jam doctus est a doctore doceat ecclesiam pro vice doctoris. Quæ similiter, ut diximus de diaconibus, plura a dextris stant, et pauca a sinistris; de quo idipsum significare velle intelligimus, quod superius diximus de diaconibus. Post primam namque Orationem ponuntur candelæ ante altare, non jam altrinsecus, ut antea, sed mistim per ordinem unaquæque post alteram usque ad novissimam, quia sunt quidam qui omnia relinquunt et sese ad vitam contemplativam constringunt, plerique activam vitam ducunt et habent curam terrenarum rerum; tamen **552** quantum possunt eleemosynas faciendo, vigilias exercendo, satagunt properare ad ecclesiam. Quos utrosque nostra Ecclesia mistim tenet. Quamvis et ideo possit intelligi candelas per ordinem ante altare poni, ut expedite possint ministri ad ambonem currere, et circa altaria ministrare. Evangelium quod portatur propius episcopo ostendit quod ipsum est nobis via eundi ad regnum Dei.

12. *De sessione episcopi*. Quod requiem animarum significet post actam Orationem; et quid significet quod presbyteri cum eo sedent; et de eo quod versus sit ad populum; ostendit datam esse illi potestatem eorum acta scrutari. Episcopus quidem post primam Orationem, quam precationem nominamus, sedet versus ad populum, et presbyteri cum eo. In ipsa vero precatione optationem bonam ecclesiæ intelligimus, quasi dicat populo: Optavi bonum ecclesiæ, et ideo sedeo. Et vos quidem si delectat requiem possidere animarum, quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus, et ad æterna necessaria adjicientur vobis, et post invenietis requiem. Stare namque est adhuc in certamine posito et orare; post victoriam vero sedere ac judicare. Sedent et presbyteri cum eo, quorum ministerium est idipsum enuntiare. De quibus Paulus: Presbyteri duplici honore habeantur, maxime qui laborant in verbo Dei. Post primam orationem stat versus ad populum, ut demonstret populo postquam Deo se manifestavit et sua acta, oravit pro se suisque, et populo bona precatus est, et laudem Deo retulit, habere ministerium opera populorum suorum examinare, quis inter eos dignus habeatur, vel quis indignus.

13. Nam ideo altior locus positus est episcopis, ut ipsi superintendant, et tanquam custodiant populum. Nam et Græce quod dicitur episcopus, hoc Latine superintentor interpretatur, quia supervidet, quia superintendit. Quomodo enim vinitori altior sit locus ad custodiendam vineam, sic episcopis altior locus factus est. Et de isto periculoso loco et alto periculosa ratio redditur, nisi eo corde stemus hic, ut humilitate sub pedibus vestris simus, et pro vobis oremus.

14. Episcopus enim minister fuit qui dixit: Non veni ministrari, sed ministrare. Joannes nempe subminister, qui dixit: Hic erat quem dixi, quia post me venit vir, qui ante me factus est. Qui non ascendit ad superiorem gradum, quem solus solet ascendere qui Evangelium lecturus est, ut ostendat se subministrum esse, quia non est Joannes dignus solvere corrigiam calciamentorum ejus, cujus verba in eo leguntur.

Cantor vero ascendere potest indifferenter. Ascendit superius, quia Christus prælatus est Joanni. Stat in eodem, quia æstimatur Joannes. Stat inferius, quia venit ab eo baptizari. Non ascendit superius qui Responsorium cantat, quam qui lectionem legit, sed stat in eodem loco; et si ascendit superius, secundum superius dictos modos intelligitur. Responsorium ideo dicitur, eo quod uno cantante cæteri respondeant. Cantavit unus Christus, id est vocavit Petrum et cæteros apostolos; illi responderunt, quia Christum imitati sunt. Et ideo Responsorium convocationi apostolorum convenit. Ipse idem solus Versum cantat, quia Christus seorsum pernoctans solus orabat, sicut in Evangelio: Ipse autem erat pernoctans in Oratione.

553 Diaconus cum ascendit ad legendum, petit Benedictionem ab episcopo, et accipit Evangelium ab altari; et præcedunt ante eum duo candelabra, et duo thuribula, sive unum. Illud quid significet, dictum est. Diaconus vero stat versus ad Meridiem, ad quam partem viri solent confluere. Petit prius Benedictionem ab episcopo; episcopus dat illi: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis*. Incensum quod ponitur in thuribulum orationem designat sanctorum. Unde dicit Propheta: Dirigatur Oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Diaconus dicit *Dominus vobiscum*. Et populus se vertit ad Orientem, orat Deum ut possit digne intelligere quæ auditurus est; et signum sanctæ crucis singuli faciunt in frontibus suis, ut per signum sanctæ crucis sint loricati, quatenus nulla phantasia diabolicæ fraudis aditum inveniat introeundi in corda eorum, et auferre possit semen Evangelii de manibus eorum. Post hæc baculi deponuntur e manibus. Judæi namque arundinem in dextera Jesu dabant, et spineam coronam capiti ejus imposuerunt, et salutabant eum, atque genua ponentes adorabant eum illudentes. Nos vero fugientes consensum eorum deponamus baculum, quem illi erexerunt ob superbiam. Neque coronam, neque aliud operimentum super caput eadem hora tenentes. Si intraverit quis subito eadem hora in ecclesiam, non salutamus eum, neque genua ponimus ad Orationem, donec lectum sit evangelium. Aliter baculum possumus intelligere, etc.

15. Diaconus pronuntians verba Evangelii, ad Meridiem stat versus, quoniam illis loquitur, de quibus Paulus dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos. Quando enim sol ad Meridiem vergit, ferventior solet existere, et altior. Significat namque ecclesiam ferventem animo in amore Dei elevatam esse in magno culmine virtutum. Sane quando solemus sedere ad lectionem magistrorum, facies magistri nostri amplius est intenta in eum qui perfectius potest discere, quam in eos qui minus perfecte discunt. Non eo quod illi soli optet suam doctrinam, sed quia illos qui tardiorem sensum habent vult iterum doceri ab illo qui citius veram rationem invenire potest in doctrina magistri. Non dicimus ita ut hi qui post tergum sunt extorres sint a sancto Evangelio, sed ut per doctiores minus eruditi erudiantur, etc.

16. Post lectum Evangelium candelæ exstinguuntur. Per candelas signantur doctores Ecclesiæ. Et quid vult istud, quod post Evangelium exstinguuntur, nisi quod nemo doctorum transcendere potest verba

sancti Evangelii? Aperte etiam monstratur clauso sancto Evangelio exstinctam esse doctrinam doctorum.

17. *De credo in Deum*. Postquam Christus locutus est populo suo, fas est ut dulcius et intentius profiteatur credulitatem suam. Sicque convenit populo post Evangelium, quia Christi verba audivit, intentionem credulitatis suæ præclaro ore proferre. Christiana religio ut salva maneat, corde creditur ad justitiam; oris autem confessio fit ad salutem.

18. Post lectum Evangelium venit subdiaconus ferens in brachio sinistro calicem, **554** in quo recipiantur amulæ populorum, et super calicem corporale. Quod accipiens diaconus, ponit super altare. Similiter calicem post receptas amulas. Dominus Jesus ipse diaconus et subdiaconus, etc.

19. *De oblatione*. Christus Dominus sacerdos est in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui rex Salem, id est pacis rex, obtulit panem et vinum, in præfiguratione vera sacerdotii Christi, qui obtulit domino Patri verum panem, id est corpus immaculatum, et vinum, id est sanguinem suum. In cujus typo hodie nostra Ecclesia panem et vinum offert, in consideratione corporis et sanguinis Domini; et qui dedignantur oblationes offerre, dedignantur, quamvis non viva voce, confiteri se Christi passione esse redemptos; et eamdem passionem memoriæ suæ mandare. Ita tamen si non sit aliqua causa, quæ forte ad tempus impediat. Cum [a] fanonibus offerunt, quoniam legimus in passione Domini sudarium usurpatum esse. Aliter quippe fanones de lino efficiuntur; et linum multis modis sanctæ Scripturæ pro exhortatione passionis ponitur. Atque ideo fanonibus puris oblationes tenent, ut se ostendant religione sancta et catholica accepisse pro fratribus animam ponere, et non solum animas, sed et puras, ut non sint aliqua hæresi pollutæ, sed et charitate mundatæ. Unde dicit Apostolus: Et si tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Novissime omnium sacerdotes offerunt et diaconi, sed solum panem. Solus autem archidiaconus solet implere oblationes priorum, infundens aquam in calicem et amulam pontificis, ut ostendatur Christi corpus unum esse. et quod iste fecit, pro omnibus fecit. Sicut Petrus in Evangelio, Domino discipulos interrogante: Vos quem me esse dicitis? pro universitate discipulorum solus respondit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Hoc quod omnes responderunt animo, viva voce solus Petrus protulit. Quod presbyteri in novissimo loco offerunt, non vacat a mysterio. Quando Joannes in Apocalypsi sua vidit similem Filio hominis in medio septem candelabrorum, et in eo vidit statum omnis Ecclesiæ præsentis qualis esset; et cum hoc descripsisset: Pedes, inquit, ejus similes aurichalco, sicut in camino ardenti. Pedes ignitos novissimi temporis Ecclesiam dicit, quæ eminentius est examinanda et probanda pressuris. Presbyteri ministerium est fortem esse in Ecclesia, ut pro se possit orare et pro populo. Et isti, ideo quia fortiores sunt in Ecclesia, novissime offerunt, ut significent Ecclesiam, quoniam in novissimo tempore erit antichristus, videlicet multo plures injurias sustinere quam præsentem. Sed et si delectet audire cur viri ante feminas offerant, dicatur quia et primitiva Ecclesia in pressura, quando nondum pleniter christiani erant, plures injurias sustinuerunt, **555** quam modo sustineat præsens Ecclesia. Feminæ in medio offerunt, quia sicut liquido patet, silentium est magnum in Ecclesia. Deo enim gratias, christianitas, maxime in istis temporibus, viget præcipue, quoniam sublimis potestas christiana est. Presbyterorum ministerium est et diaconorum in altari et circa altare ministrare. Ideoque ipsi soli accedunt ad altare, quorum ministerium est circa altare.

20. Eo namque tempore quo Missa celebratur diaconi stant retro episcopo, et subdiaconi ante faciem ejus. Notum est enim dixisse Christum discipulis suis: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Qui, sicuti Christus prædixit eadem nocte, relicto eo, fugerunt. Atque hoc modo eadem hora secundi ministri altaris recedunt a facie episcopi, ut significetur ad tempus apostolos absentes fuisse, et tamen retro exspectantes, quoniam post passionem illum secuti sunt. Quid est retro stare? procul dubio sequi anteriorem. Subdiaconi vero post Angelicum Hymnum stant inclinati usquedum dicitur: *Nobis quoque peccatoribus*. Tunc primo se erigunt, et stant in loco ubi ante steterunt, quoniam discipuli et mulieres sequentes erant Dominum, usque ad locum crucifixionis, non solum sequentes, sed etiam plangentes. Conversus autem Jesus dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos et super filios vestros. Mulieres flebant quasi pro peccatore; sed ipse Dominus ostendit, non super illum debere flere, sed super ipsas flere. Et quid vis dicere, quale ministerium habeant subdiaconi, quando stant inclinati, si pro suis peccatis non orant et plorant? Per tropologiam subdiaconi inclinati sunt, quia declinaverunt. Stant erecti per confessionem, et sursum aspiciunt in faciem pontificis, postquam dicit *Nobis quoque peccatoribus*. Et quomodo poterant discipuli et mulieres claudere oculos suos, ut non viderent Dominum pendentem in cruce, quem tantum amabant? Subdiaconi in ipso aspectu perseverant, usquedum fanone calix circumdatur. Tunc demum recedunt ut præparent [b] calices, in quo corpus Domini honorifice servetur. Audiet quandiu supra die steterint ad crucem. Lucas inquit: Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu, et depositum involvit in sindone. Subsecutæ autem mulieres, quæ cum ipso venerant de Galilæa, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus; et revertentes paraverunt aromata et unguenta; et Sabbato quidem siluerunt. Mulieres quidem parant aromata et unguenta, unde condiatur corpus Domini, ne in pulverem redigatur. Subdiaconi quidem postquam vident calicem circumdatum linteo, vadunt ut præparent calicem sive sindones mundas, in quibus recipiant corpus Domini, ne in terra cadat, et in pulverem vertatur. Mulieres Sabbato siluerunt, scilicet, subdiaconi exspectant, usquedum Oratio Dominica compleatur, et id quod pendet ad hanc Orationem. Convenienter quippe Sabbatum coaptatur Orationi Dominicæ, in qua sunt septem petitiones. Etenim per septimam Sabbati septiformis spiritus intelligitur. De Oratione Dominica, **556** quæ Sabbato aptatur, silentium Sabbati requiem mentis designat, quæ datur per septem dona Spiritus sancti; et hæc dona ministri nos petimus in Oratione Dominica: Unde ecclesiæ eadem hora quiescunt. Plane diaconi inclinati permanent usque dum compleatur Oratio Dominica; et subdiaconi erigunt se cum audiant *Nobis quoque peccatoribus*. Per quos designantur illi quibus Christus dixit: Vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto, scilicet apostoli. Sed istorum declinatio perseverans eorum perseverantiam in Oratione designat, ut acciperent promissum Domini. Quibus utique præcepit specialiter exspectare promissum Spiritus sancti in Jerusalem usque ad Pentecosten. Illi stant inclinati usquedum compleantur septem petitiones Orationis Dominicæ, et de quibus superius legitur quod ministrantes ei erant usque ad sepul-

[a] Fanonis varia significatio. Aliquando pro sudario, quod ministri sacri gerebant, alii vocabant mappulas, quibus manipulus successit. Aliquando pro velo, quod super pontificis caput ferebatur instar umbellæ, supra pag. 270, et pag. 281, ubi *mappa super caput* vocatur. Denique aliquando pro panno oblongo ad offerendas recipiendasve oblationes, ut hoc loco.

[b] Imo patenas, quas deferunt subdiaconi ad confractionem Hostiarum

crum; et postea præparantes aromata. Illi qui horum typum tenent recedunt de altari ad ministerium præparandum, quando audiunt *Per omnia sæcula sæculorum. Amen.*

21. *De* Te igitur, *cur secreto cantetur.* Consuetudo namque patrum nostrorum habebat ut qui Orationem facerent laudem Deo referrent. Igitur quod excelsa voce dicimus ante *Te igitur*, ad laudem pertinet Creatoris nostri, ut manifeste omnibus demonstretur, qui hanc valent distinguere; ubi et nos Deo gratias referendas esse refertur, et angelicam creaturam pronuntiat unamquamque in ministerio apto laudare Creatorem suum. Postea namque sequitur *Te igitur*, Oratio, videlicet, specialis sacerdotum, in qua orat, et specialiter pro aliquibus, ut facit pro apostolico. Et postea ubi dicit *Famulorum famularumque tuarum*. Et illico postquam pro propriis Orationem fudit, generaliter se convertit pro omnibus orare, adjungens *Et omnium circum astantium*, et cætera his similia. In eo, videlicet, quo ista Oratio specialiter ad sacerdotem pertinet, solus sacerdos in eadem intrat, secreto eam decantat. Sequitur magistri sui præcepta, qui dicit: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum, et cætera. Iste namque mos apud nostram Ecclesiam usque hodie manet, ut si quis Orationem facit, specialiter faciat. Hanc ita exaltat voce, ut se ipsum admoneat quid in secreto cordis sui postulare debeat. Neque ab re est quare mos iste apud christianos teneatur: procul dubio quia Christus solus orabat. Unde Matthæus: Et dimissa turba ascendit in montem, solus orare.

22. *De crucibus in* Te igitur. Cruces in hac Oratione senario numero perficiuntur, ut sicut Dei opera perfecta sunt, ita et ejusdem Dei et domini nostri Jesu Christi corpus perfectum intelligatur. Senarius enim numerus partibus suis computatus perfectus est; hoc significat quod novissima crux cum oblatione celebratur, quod pro tota Ecclesia venerat is pati, cujus corpus passioni succubuit usque ad tactum crucis.

Quinque etiam ordines crucium, quæ fiunt ante sextum, quando cum oblata tangitur calix, significant quinque ætates mundi ante nativitatem Domini; sextus vero tempus illud quod restat a nativitate Domini usque in finem mundi. Significat enim semel tactus calix oblata semel Dominum ascendisse crucem, **557** ut finem haberet cruciatus qui fiebat per quinque ætates mundi. Per oblatam quæ exaltatur in manu signantur prophetæ, qui in manibus exaltabant verum panem Christum, quando ejus incarnationem aperta voce prophetabant. Unde Isaias: Ecce, inquit, virgo concipiet, et pariet filium. Cum ipsam crucem videt diaconus facere et incipere calicem exaltare, vadit et tenet calicem simul cum episcopo exaltatum usque dum dicit *Per omnia sæcula sæculorum*; et postea ponit calicem in altare, et involvit eum in sudario. Nempe Joseph, accepto corpore Jesu, involvit in sindone munda, et posuit illud in monumento suo. Hunc diaconum præsentem propter conveniens ministerium ponimus in typo Joseph, sive generaliter in typo eorum qui casto corde mysteria Christi suscipiunt. Diaconus siquidem qui tenet calicem exaltatum cum pontifice ponit illum in altare, quia Joseph, deposuit de cruce corpus dominicum, et posuit in monumentum. Diaconus, sicut diximus, involvit cum sudario calicem, quemadmodum Joseph involvit sindone munda. In ipso altari, id est in sepulcro, corporale jacet: per quod intelligitur ipsum linteum majus quo totum corpus tegebatur in sepulcro; et per illud quod aliquam partem calicis tegit, sudarium intelligimus, quod aliquam partem capitis Domini tegebat, et aliquam non tegebat, sicut mos Judæis est facere. Et remanet in altari, id est in sepulcro, hoc opus, usquedum tria capitula compleantur, id est prologus de Oratione sequenti, *Pater noster*, et *Libera nos Domine.* Etenim tres dies in sepulcro Dominus quievit. Postea namque commistum corpus dominicum vino, simulque pace annuntiata aufertur dominicum corpus de altari, quemadmodum in tertia die anima quæ descendit ad inferna ut liberaret justos, ut corporis vivificaret membra, rediit ad corpus, et non est amplius inventum dominicum corpus in sepulcro. Et ideo quia totus homo surrexit, simul fas est ut illico cum oblatione calix Domini auferatur de altari.

23. *De nominibus quatuor Orationum episcoporum sive populi.* Prima Oratio dicitur aliquando Oratio, aliquando Collecta. Manifestum est quod ideo Oratio dicitur, quia precantur bona populo; collecta vero, quia populus inchoatur in unum. Libeat fraternitatem tuam, frater charissime, uti auctoritate sancti Augustini in hoc opusculo. Istud officium namque in quatuor species dividit, id est in precationes, in Orationes, in postulationes, in gratiarum actiones; ita commemorans. Quidquid agitur in officio Missæ, antequam oblata ponantur in altari, precatio nominatur. Et hanc differentiam facit inter precationem, et deprecationem, et imprecationem, quod precatio sit quando bona optat populo; deprecatio, quando orat, ut devitet malum, et desinat a peccatis; imprecatio, quando mala optat, id est maledicit. Prima vero Oratio quam dicit episcopus precatio nominatur, id est optatio bona populo. Diximus namque quod introitus foret ad officium prophetarum, quoniam per ora prophetarum Christus introivit in mundum; et non solum intravit, sed et carnem assumpsit, et homo factus est, **558** ducens originem secundum carnem de sanctis patriarchis; quorum unus valde optat et commendat exspectationem ejus populo dicens: Non auferetur sceptrum de Juda, etc.

24. *De Secreta.* Secreta dicitur, eo quod secretam Orationem dat episcopus super oblationem, ut velit respicere Deus super oblationem propositam, et deputare eam futuræ consecrationi. Notum est enim ideo secretam Orationem facere super oblatam, ut possit ex ea fieri corpus Domini.

25. Fractio oblatarum illam fractionem significat quam Dominus duobus discipulis fecit in Emmaus. Qua de re solent aliqui episcoporum, quando invicem communicant, tres portiones facere de una oblata, in typo horum trium, id est Christi et Cleophæ, et, ut dicunt, Lucæ. Sicut enim multæ Ecclesiæ sunt per universum orbem terrarum, propter diversa loca, et tamen una sancta est catholica, propter unam fidem, sic et multæ oblatæ, propter vota offerentium, unus panis est, propter unitatem Corporis Christi. Si enim requiris quare non integra oblata ponatur in calicem, cum constat integrum corpus Domini resurrexisse: Partim resurrecturum, partim jam vivit, ut ultra non moriatur; partim mortale est, et tamen in cœlo. Unde dicit Apostolus: Nostra autem conversatio in cœlis est.

26. *De pace annuntiata antequam commisceatur corpus et sanguis Domini.* Duobus enim modis potest accipi pax dicta ab episcopo sive presbytero, antequam corpus Domini misceatur in sanguinem: scilicet, et illa pax per istam intelligi potest, quæ justis eodem tempore data est, quando anima Christi descendit ad infernum, et eruit inde omnes fideles, etc. Vel certe ea pax per istam intelligi potest quæ data est Christi corpori, quando anima ad illud rediit, ut sicut neque anima unquam turbata est pro sua morte, ita nec corpus ultra turbetur de sua mutatione; sed ea pace fruantur utraque, ut semper gaudeant de æterna immortalitate. Non enim ab re est si per tactum quo tanguntur labia calicis eodem tempore Scripturam illam accipiamus: Et insufflavit in faciem ejus spiraculum vitæ; ut in eo membro restauratio vitæ intelligatur, cui primo ut viveret, legitur data. Sane et illud rationi congruit, ut quatuor sensus sunt in capite, per quatuor partes mundi labia calicis tangantur, etc. Gentiles quidam, qui nondum erant Dei, quærebant per Philippum, qui erat os lampadis, videre Jesum. In quo significatum est gentiles futuros corpus Domini per fidem; ita et iste panis, quando primum ponitur in altari, datur intel-

ligi futurum de eo fieri corpus Domini. Audiamus quid de jam commemoratis gentilibus respondeat Dominus. Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet. In quo profecto ostenditur, nisi ipse moriatur, gentilitatem non fieri corpus suum. Sic sane ut panis purus corpus suum antea fieri non poterat, nisi ad memoriam reducatur sacerdotis sacramentum passionis Domini, et crucis signaculum pro eo celebretur.

27. *Item de Secreta.* Christus solitudinem quæsivit in Oratione; **559** quanto magis nos oportet quærere, qui undique circumdamur tumultibus vitiorum, et consuetudine sæculari? Utile namque est omnem Orationem specialem sacerdotum secretam esse, ut non cogitemus quomodo placeat vox et compositio oris populo terreno, sed tantummodo cogitemus qualiter mens soli Deo concordet quem orat. Ab illo loco ubi Secretam dicit episcopus, usque ad *Agnus Dei*, totum illud vocat Augustinus Orationes.

28. *De Præfatione.* Præfatio namque dicitur, quasi prælocutio. Hæc namque Oratio quæ Præfatio dicitur, prælocutio est totius secuturæ Orationis quæ inchoatur ante *Te igitur*, pervenitque usque ad *Agnus Dei*. Hanc igitur consuetudinem hæc Oratio tenet, quam habuit Oratio Patrum nostrorum qui solebant laudes Deo referre in Oratione. Ita namque Daniel oravit: Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti, etc.

29. *De Benedictione post communionem.* Postcommunionem hanc Orationem Augustinus postulationem vocat. Postcommunionem namque dicit, quia postquam populus communicat, hæc sequitur; super populum vero, quia tunc benedicitur populus, ut nostro sancto conveniant Evangelio. Post Orationem et communicationem Benedictio sequitur, quoniam postquam Christus in cruce oravit, et coram discipulis manducavit, et reliquias eis dedit, et elevatis manibus suis benedixit eos: Et factum est cum benediceret eos, recessit ab illis, et ferebatur in cœlum. Nostra quippe Benedictio postulatio est apud Deum, ut benedicere dignetur. Episcopus namque, data Benedictione, revertitur ad propria. Postea annuntiat diaconus *Ite, Missa est*. In angelorum typo loquitur populo, qui dixerunt apostolis: Hic Jesus qui assumptus est a vobis in cœlum, et reliqua. Quid est namque *Ite, Missa est*, frater mi? nisi, Ite cum pace ad domos vestras. Legata est pro vobis Oratio ad Dominum, et per angelos, qui nuntii dicuntur, allata est in conspectu divinæ Majestatis. Populus respondet *Deo gratias*. Hanc responsionem Augustinus vocat gratiarum actiones. Hoc agit sancta Ecclesia more apostolico, qui erant adorantes Jesum, et regressi sunt Jerusalem cum gaudio magno. Audi qualiter apostoli Deo gratias referant: Et erant semper in templo laudantes et benedicentes Deum, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Qualiter quædam Orationes et cruces in Te igitur *agendæ sunt*

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas. Hic signat oblationem et calicem tribus vicibus; non tamen sub una cruce, sed separatim singulis singulas faciens cruces. *Hæc* † *dona, hæc* † *munera, hæc* † *sancta sacrificia illibata. In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa nostro ill. Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum.* **560** Hic nomina vivorum nominentur si volueris, sed non Dominica die, nisi certis diebus. *Et omnium circum astantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis atque incolumitatis suæ, tibique reddunt vota sua æterno Deo, vivo et vero. Communicantes et diem venerantes...... Cosmæ et Damiani.* Si fuerit natale sanctorum, hic dicat: *Sed et diem natalitii beati ill., vel beatorum ill., celebrantes, et omnium sanctorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per Christum Dominum nostrum.* Hic inclinat se usque ad altare, dicens: *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ... et in electorum tuorum jubeas grege numerari per Christum Dominum nostrum.* Cætera habes superius, pag. 61.

II.

JOANNIS DIACONI LIBER DE ECCLESIA LATERANENSI

Incipit prologus in libro de Sanctis Sanctorum.

Beatissimo domino et Patri reverentissimo Alexandro divina gratia catholicæ Ecclesiæ atque sedis apostolicæ summo pontifici, Joannes qualiscunque diaconus basilicæ Salvatoris patriarchii Lateranensis canonicus, librum de Sanctis Sanctorum ex archivo renovatum. Cum juxta sapientis viri præconium, gloria regum sit celare verbum, et gloria Dei investigare sermonem, tanto utriusque professoribus probabile est ad utriusque beneplacitum et honorem sollicitum ac devotum præstare obsequium, quanto de utriusque gratiæ plenitudine speratur remuneratione dignum, atque indubitanter creditur affuturum, etc. Hoc itaque considerationis respectu considerans, libellum de Sanctis Sanctorum memoriam continentem, qui in archivo hujus sacrosanctæ basilicæ a prædecessoribus nostris usque ad nostra tempora conservatur, antiquitatis vetustate jam quasi abolitum, quoniam beatitudini vestræ bene placitum est et gratum, erogatum quia pernecessarium, ne tam celebris sacrorum memoria, quæ ab antecessoribus nostris nobis diligenter conservata est et tradita, per nostram negligentiam posteris nostris oblivione deficeret, sanctitatis vestræ auctoritate et præcepto, mandato quoque et voluntate venerabilis prioris Joannis et fratrum ejusdem Ecclesiæ, ad honorem Domini et Salvatoris Jesu Christi renovare curavi posteritati conservandam, ipsorumque devotioni profuturam. Sane quia non solum de mendosis, sed etiam de otiosis ante tribunal Dei viventis, in cujus manus horrendum est incidere, **561** reddituri sumus procul dubio rationem; scire cupio vestræ paternitatis benevolentiam Deo et hominibus meritorum plenitudine et sinceritate reverendam, atque universos qui hujus libelli memoria gaudent, me nullatenus superstitionis causa aliquas novitates præsumptionis inserere, sed simpliciter antiquam seriem scribendo conservans, si qua alia superaddo, illa sunt procul dubio quæ vel ipse jam per quinque lustrorum spatia, in hac sacrosancta basilica in canonicali proposito vivens, oculis propriis vidi, vel ab antecessoribus nostris veridica relatione cognovi, ea scilicet quæ sunt de translatione sanctorum Chrysanthi et Dariæ, seu de inventione sanctarum Rufinæ et Secundæ, atque sanctorum Cypriani et Justinæ, vel etiam quæ de historiis et auctoritatibus sanctorum ad repellendam ambiguitatis opinionem quorumdam de absconsione tabernaculi et arcæ, et his quæ continebantur in ea, vel altaris incensi. Quæ

nimirum ut liquido clarescant, et historiographorum nomina et libros, et tempora, seu doctorum nomina, vel volumina manifestius in sequentibus declarare curavi, etc.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS.

Incipit scriptum de supremæ sanctuario sanctæ Dei Romanæ, id est Lateranensis, Ecclesiæ, compositum de archivis et antiquis pontificum Romanorum gestis, quæ videlicet ecclesia patriarchalis et imperialis privilegio ac prærogativa sanctæ sedis apostolicæ, dono gratiæ Dei Salvatoris Jesu Christi super omnes Ecclesias totius orbis terrarum obtinet dominationem atque principatum, quæ etiam divino nutu apostolici culminis et Romani imperii nomen possidet gloriosum.

Et quoniam totus orbis terrarum huic matri Ecclesiæ debitæ subjectionis exhibere debet obsequium, multi ex diversis regionibus hic conveniunt oratores, quibus nescientibus quantum et quam pretiosissimum in hac prædicta Ecclesia sanctuarium Dei sit reconditum, per istarum insinuationem litterarum volumus esse notatum, saltem quando hic conveniunt ad exorandum Deum Dei Filium Jesum Christum Dominum nostrum Salvatorem sanctorum pro pace sanctæ Ecclesiæ, pro remissione omnium peccatorum, pro acquirenda gloria æternæ visionis Dei, pro societate æternorum civium et sanctarum animarum.

Igitur post beatam ac salutiferam Domini nostri Jesu Christi passionem, et ab inferis gloriosam ipsius resurrectionem, seu in cœlum admirabilem ascensionem, percepta consolatione gloriosissimi adventus Spiritus sancti, in sortem suæ prædicationis apostoli iter suum direxerunt, et dispositione ineffabilis misericordiæ Dei regni cœlestis senatores eximii, Petrus scilicet et Paulus, caput totius orbis, hanc Romanam videlicet civitatem, ingressi sunt, in qua ad honorem Domini nostri Jesu Christi catholicæ fidei fundamentum super Petram, id est Christum, fideliter collocarunt; pro cujus ædificationis incremento usque ad mortem decertarunt, pro cujus amore gloriosum sanguinem suum effuderunt ad denique mortem crucis, et gladii temporalem subeuntes, Regis superni curiam laureati petierunt. Isti sunt viri sancti quorum doctrina fulget Ecclesia, **562** quam antiquus hostis per Neronem primum, deinde per succedentes principes per trecentos annos et eo amplius impugnavit et concussit, sed nullatenus evertere valuit. Cum enim placuit ei qui fideles suos igne passionis permisit examinari, Constantinus Augustus, Constantii et Helenæ filius, culmen imperii subiit, et præcedentium tyrannidem principum in servos Jesu Christi aliquandiu exercuit; sed immensa Dei pietas electorum suorum clamantium ad se dolori et angustiæ compatiens, calamitati et miseriæ tantæ persecutionis finem imponere non distulit. Quid plura? sicut enim in Vita sancti Silvestri legitur, præfatus imperator Constantinus elephantiæ lepra a Deo percutitur; cui pontifices capitolii hoc dederunt consilium, quatenus in piscinam occisorum infantium sanguine plenam nudus descenderet, et a lepra sic mundatus pristinam sanitatem sic reciperet, etc.

Deinde privilegium Romanæ Ecclesiæ pontifici contulit, ut in toto orbe Romano sacerdotes hunc ita caput et principem habeant, sicut omnes judices regem habere consueverant; in quo privilegio ita inter cætera legitur: « Utile judicavimus una cum omnibus satrapis nostris, et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romanæ gloriæ subjacenti, ut sicut beatus Petrus in terris vicarius Filii Dei videtur esse constitutus, etiam et pontifices ipsius principis apostolorum vice principatus potestatem amplius quam terrenæ imperialis nostræ serenitatis mansuetudo habere videtur, obtineant, » etc.

Sicut enim in Gestis beati Silvestri legitur, quæ beatus papa Gelasius in concilio septuaginta episcoporum a catholicis legi commemorat, præfatus imperator Constantinus secunda die processionis suæ promulgavit legem, quæ his verbis concluditur: Sit omnibus notum, nos ita Christi cultores effectos, ut intra palatium nostrum templum hujus nominis construamus, etc. Quam Ecclesiam postea ædificatam et consummatam beatus Silvester publice (quod non fiebat antea) solemniter consecravit quinto Idus Novembris. Et est illa usque hodie celeberrima festivitas in Urbe, in qua prima ecclesia publice consecrata est, et imago Salvatoris infixa parietibus, primum visibilis omni populo Romano apparuit. Inscribitur enim *Dedicatio basilicæ Salvatoris*. Inde est quod quæcunque ecclesia per Urbem atque per orbem Salvatoris vocabulo specialiter intitulatur, in præfata die ipsius celebritatis memoriam recolit et veneratur; cujus dedicationis solemnitatem octo diebus celebrandam apostolica sancivit auctoritas, quoniam decimo die a solemnitate dedicationis istius dedicatæ sunt postea basilicæ sanctorum Petri et Pauli.

Inde est quod Romanus pontifex ipsius Salvatoris Jesu Christi, qui suavis et copiosus est in misericordia omnibus ad se redeuntibus, in dedicatione istius sacrosanctæ basilicæ, quæ misericordiæ sortita est vocabulum, de omnipotentis Dei certa misericordia præsumens salubriter ordinavit, ut omnibus ad hujus festivitatis lætitiam convenientibus magna fieret remissio peccatorum, de quibus tamen digne Deo Ecclesiæque confessi per pœnitentiam fuisse noscuntur, seu qui usque ad octavam diem, cum vera et Deo grata cordis contritione confiterentur. Quæ videlicet emissio apostolica providentia sic tripertita distinguitur, ut Romanis et circum adjacentibus I M. annorum, **563** Thuscis et Lombardis II M. annorum, sed et his qui maria transmeare noscuntur, III M. annorum, maneat remissio peccatorum. Similis eademque institutio remissionis facta probatur in hac prima et sacrosancta basilica quinta feria in Cœna Domini, quando a domno apostolico consecratur sacrum chrisma, quando et hæretici contumaces, et extollentes se adversus hanc sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam, publicæ excommunicationis maledictione apostolica sententia traduntur Satanæ in interitum carnis, ut tandem, miserante Deo, resipiscentibus illis a diaboli laqueis, spiritus eorum salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.

I. *De mysticis appellationibus istius sacrosanctæ basilicæ.*

Hæc, inquam, Ecclesia a sanctis Patribus, sicut in eorum scriptis invenitur, pluribus mysticis est vocabulis insignita. Hæc etenim principaliter vocatur basilica, quia cum Regi regum Salvatori Jesu Christo sit dedicata, ei qui in terra summus rex est et sacerdos, comprobatur esse commissa. Vocatur etiam basilica aurea, vel basilica Constantiniana, a Constantino, ut dicitur, tota aureo musivo depicta. Dicitur etiam templum misericordiæ, quia, ut usque hodie cernitur, cum multos aditus habuerit, nulla die vel nocte claudebatur, nisi tapetibus, ut quasi alterum asylum semper pateret obnoxiis omnibus, quatenus amplius non punirentur a legibus sæcularibus. Legitur quoque apostolica Ecclesia, apostolorum duntaxat doctrinis instructa; sedes apostolica, quia præter apostolicum nullus alius sedere præsumit; sedes prima, quia secunda est Antiochena, tertia Alexandrina; sedes Petri, quia per vicarium suum ipsemet sedet ibi. Vocatur et ab Urbe Romana ecclesia; et a loco Lateranensis Ecclesia, Lateranensis basilica, Lateranense episcopium, Lateranense patriarchium. Dicitur hæc Universalis Ecclesia, quia ejus episcopus de universis habet judicandi potestatem, de illo vero nullus. Et propter hoc appellatur caput Ecclesiarum, mater Ecclesiarum, et magistra Ecclesiarum, quia omnes ab illa accipiunt fomentum et magisterium. Omnibus providet, pro omnibus invigilat, pro cujus utique fide ut aliquando non defi-

ciat, sed fratres suos confirmet, ipse Salvator exerat. His atque aliis omnibus hæc aula Dei nobiliter in divinis paginis decoratur et honoratur.

II. *Quod omnia quæ in templo post destructionem reperta sunt, Helena mater portavit ad filium.*

Hanc itaque sacrosanctam basilicam, omni mundo reverendam, beatissima Helena Constantini mater post perceptum sacri baptismatis sacramentum, incomparabilis sanctuarii thesauro ditavit. Quod videlicet de Hierosolymitanis partibus rogatu ipsius Augusti filii transportavit, quod ab antiquis ante Incarnationem Domini fuerat reconditum, et post destructionem, quæ a Tito et Vespasiano Romanis principibus facta legitur, inibi habebatur residuum. Totidem Deus omnipotens viscera misericordiæ suæ Romanæ huic Ecclesiæ dignata est aperire, cum jam dicta regina sanctuarium, quod Dei nutu de civitate sancta Jerusalem secum attulerit ad filium, in hujus sacrosanctæ basilicæ, **564** quæ sacerdotalis est et regia, transtulit habitaculum. Quod quia nondum proprio designatur ex nomine, licet indignus sim nomen ejus depromere, tamen in honore suæ laudis non differam cum reverentia nominare.

Item anno Dominicæ Incarnationis 1260 Alexander papa quartus in die dedicationis hujus Ecclesiæ sacrosanctæ corroboravit et confirmavit omnes quascunque indulgentias, a quibuscunque summis pontificibus, quocunque tempore concessas; sed et illas principaliter, quas beatus Silvester abunde statuit et donavit, inclinatus justis precibus humilis et christianissimi Constantini, et de speciali misericordia et gratia prorogavit eas usque ad diem dedicationis apostolorum Petri et Pauli.

III. *De arca et sanctis sanctorum, quæ sunt in basilica Salvatoris.*

In hac itaque sacrosancta Lateranensi basilica salvatoris Jesu Christo Deo dicata, quæ caput est mundi, quæ patriarchalis est et imperialis, sedes est apostolicæ cathedræ pontificalis, et in ejusdem Ecclesiæ ara principali est arca fœderis Domini, vel, ut aiunt, arca est inferius, et altare ad mensuram longitudinis, latitudinis et altitudinis arcæ conditum est superius, inter quatuor columnas de rubeo porphyrio suo sub quodam pulchro ciborio. In quo quidem, ut asseruunt, multum est sanctuarium, sed quale sit non agnoscunt, nam nomen ejus nesciunt.

In altari vero quod superius est ligneum de argento coopertum, atque sub eo inferius, est tale sanctuarium, septem candelabra quæ fuerunt in priori tabernaculo. Unde Paulus dicit apostolus : *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta, et aureum thuribulum, et urna aurea habens manna, quod habuit secundum tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum.* Et ibi virga Aaron quæ fronduerat. Et tabulæ testamenti, et virga Moysi, qua percussit bis silicem, et fluxeru t aquæ. Item sunt ibi reliquiæ de cunabulis Domini. De quinque panibus hordeaceis, et duobus piscibus. Item mensa domini. Linteum unde extersit pedes discipulorum suorum. Tunica inconsutilis, quam fecit virgo Maria filio suo domino nostro Jesu Christo, quæ in morte ipsius a militibus sortita est, non scissa ; quam dum Salvator inibi reservaverit, hæresis vel scissura fidei diu non erit in ea. Purpureum vestimentum ejusdem Salvatoris et Redemptoris. De sanguine et aqua lateris Domini ampullæ duæ. Circumcisio Domini. Sudarium quod fuit super caput ejus, quod est unum de quinque linteaminibus, quibus sanctissimum corpus ejusdem Domini nostri fuit involutum. Est ibi de loco Ascensionis Christi in cœlum. De sanguine sancti Joannis Baptistæ. De pulvere et cinere combusti corporis ejusdem præcursoris Christi. Cilicium ejus de pilis camelorum. De manna sepulturæ sancti Joannis evangelistæ ampulla plena. Tunica ejusdem apostoli et evangelistæ, qua supposita corporibus trium juvenum, surrexerunt, mortui enim fuerant propter venenum quod biberant.

565 IV. *Ratio circa eos qui opponunt de absconsione tabernaculi, et arcæ, vel altaris incensi.*

Verum quam plurimi, sacrorum voluminum et historiarum profunda mysteria minus prudenter investigantes, nec intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant, propter hoc quod in secundo libro Machabæorum de absconsione tabernaculi et arcæ, seu etiam altaris incensi reperitur, superflua opinione existimant ipsum tabernaculum, et arcam vel altare, hactenus occultata usque ad tempus futuri judicii latere, et ignorare, etc.

V. *Quod tempore Titi et Vespasiani quæ in templo fuerant Romæ translata fuerunt.*

Quo autem tempore, vel a quibus vasa templi, et utensilia, seu universa donaria Romæ delata fuerunt, vel ubi reposita, præfatus doctor Hieronymus, cui proprium fuit semper nova quærere, et absconsa dilucidare, in expositione Joelis prophetæ, testatur quod Titus et Vespasianus, Romani principes, post ascensionem Domini, destructa civitate Hierosolyma, et templo, ob victoriam et monumentum populi Romani, omnia illa quæ in templo præcipua et speciosa Judæi habuerant, secum asportaverunt, imo ab ipsis Judæis asportari jusserunt, et ædificato Romæ templo Pacis, ibi ea in delubro mirifice condiderunt, quæ Græca et Romana narrat historia. Nec dubium unde tantus vir docuit habendum, quod Græca et Romana historia voluit esse confirmatum. Hoc idem usque hodie liquido perpenditur in triumphali arcu, qui appellatur Septem Lucernarum, qui constructus fuisse probatur ad memoriam prædictorum principum totusque populi Romani juxta ecclesiam sanctæ Mariæ Novæ, in quo candelabra, quæ fuerunt in priori tabernaculo, et arca cum vestibus suis, quæ fuit in secundo intra velum, manifeste ac mirifico opere sculpta fuisse cernuntur.

Hoc etiam manifestioribus documentis eloquentissime doctor Leo papa in sermonibus Dominicæ Passionis, cum de velo scisso in templo sub ipso tempora passionis Christi contra perfidiam Judæorum contestando inveheret, declarare videtur, dum ipsorum cæcitatem Judæorum omnia mundi elementa evidentius arguisse protestaretur in sermone, qui sic incipit, *Cum multis modis Judaica impietas laboraret*, scripsit ita : Quod si ad arguendos vos, nec cœlestia, nec inferna sufficiunt, et crucem Christi magis potuerunt petræ atque monumenta, quam vestra corda sentire, saltem quod in templo actum est, scienter advertite. Velum, cujus objectu intercludebantur sancta sanctorum, a summo usque ad ima diruptum est, et sacrum illud mysticumque secretum, quo solus summus pontifex jussus fuerat intrare, reseratum est, etc.

Sub altari isto sacrosancto, de quo in præsenti loquimur, est quædam imago tota aurea Domino Jesu Christo dedicata, et beatæ Mariæ virginis ; **566** et sancti Joannis Baptistæ, sanctorumque apostolorum Petri et Pauli, sancti Joannis evangelistæ imagines de electro aureæ et argenteæ, necnon aliorum apostolorum penitus argenteæ, quas Constantinus imperator Dei servus, qui easdem ad honorem salvatoris Jesu Christi suorumque discipulorum imaginari studuit, sic in quodam geneceo molitus est recondere, quod nulli artifici per quodcunque ingenium licet accedere.

VI. *Quod quotidie in Matutinis, Missa et Vesperis festive in ea pulsatur.*

In hac Ecclesia, quia typum gerit cœlestis Ecclesiæ, die noctuque in Matutinis et Missa, seu Vesperis quotidie festive pulsatur. Inde est quod in ea non cantatur ad Missas *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem*, quoniam ibi summa pax justorum

ipse Christus erit. ubi perfecta et consummata in electis, nec postulatione opus erit, nec augmento.

VII. *De Oratione Dominica, quæ in omni officio frequentatur.*

Hæc reservans apostolicam institutionem non nisi Dominica in officiis utitur Oratione, quoniam aliæ Orationes postea sunt superadditæ; et congruum est atque conveniens ut prima et summa omnium aliarum Ecclesiarum, primam et summam omnium aliarum Orationem frequentet; et quæ Salvatoris vocabulo consecrata est, Salvatoris Orationem, quam discipulos suos orare docuit, præ cæteris præcipuam semper habeat. Sunt præterea aliæ quædam collectæ ad Matutinas vel Vesperas intitulatæ, quæ ab apostolico, vel ab ejus septem collateralibus episcopis tantum, et non ab aliis penitus in ipsa Ecclesia dici possunt.

VIII. *De episcopis septem hebdomadariis, aliisque officialibus ejusdem Ecclesiæ.*

Ad hoc igitur tam solemne sacrosanctum altare, ubi, sicut diximus, vestimentum habetur sortitum, non scissum, et aliud mu tum et incomparabile sanctuarium, quod totum hic nominare supersedemus, nullus ad sacrificandum audet accedere præter dominum apostolicum, et septem cardinales episcopos ejusdem Ecclesiæ hebdomadarios, qui Missam in hac sacrosancta basilica celebrant per hebdomadas suas, oblationemque, quam in ipsa Missa accipiunt a principio officii usque ad finem, quæcunque est in auro vel argento, vel quibuscunque oblationibus, in ordinationibus etiam et consecrationibus æqualiter dividunt cum canonicis ejusdem Ecclesiæ sibi assistentibus in ministerio altaris, et in officiis, præter oblationem panis et vini, quæ tantum canonicorum sunt. Quorum septem civilia hic describenda sunt nomina. Episcopus Ostiensis, qui debet consecrare et benedicere apostolicum præ omnibus aliis; **567** episcopus Sanctæ Rufinæ secundus; episcopus Portuensis tertius; episcopus Albanensis quartus; episcopus Tusculanensis quintus; episcopus Sabinensis sextus; episcopus Prænestinensis septimus.

In quibusdam vero Dominicis et festivis diebus, sanctorumque præcipuis solemnitatibus, quandoque sacerdos est regalis et imperialis episcopus, imo patriarcha; et idem Apostolicus in supradicto sacratissimo altare Salvatoris hujus Lateranensis basilicæ Missam debet celebrare; et quando celebrat dominus papa sancti Petri vicarius, debent etiam ei assistere vicarii et collaterales sui prædicti, videlicet septem episcopi cum XXVIII cardinalibus totidem in ecclesiis infra muros urbis Romæ præsidentibus, qui potestatem obtinent judicium faciendi super omnes episcopos totius Romani imperii in omnibus conciliis, vel synodis quibuscunque legati, vel præsentes adfuerunt. Debet etiam ibi præsens esse archidiaconus cum sex diaconibus palatinis, qui in palatio legere debent Evangelium, et in basilica Lateranensi; et alii duodecim diacones regionarii, qui solent Evangelium legere in stationibus ecclesiarum Romæ constitutis. Isti decem et octo diaconi totidem ecclesias habent infra muros civitatis. Et tamen omnes sunt canonici patriarchalis basilicæ Lateranensis. Debent etiam ibi esse septem subdiaconi palatini, et scholæ cantorum, scilicet alii septem subdiaconi, qui vocantur regionarii. Isti debent legere lectiones et epistolas in stationibus Romæ constitutis. Alii septem, scilicet schola cantorum, debet canere officium, dum dominus papa celebrat Missam in basilica Lateranensi, et in aliis. Alii vero septem palatini Epistolam debent legere in palatio ad Missam apostolici, et in eadem patriarchali basilica Lateranensi, nec non etiam ad Missas ipsius apostolici. Sunt etiam ibi acolythi præsentes, et capellani, lectores, exorcistæ, et ostiarii, quorum unus uisque nititur adimplere suum officium, sicut a sanctis Patribus inibi est constitutum.

Sunt autem in hac prædicta Lateranensi basilica quorumdam sanctorum altaria, quorum ista sunt nomina. In choro canonicorum est altare sanctæ Mariæ Magdalenæ, in quo reconditum est corpus ejus sine capite per manus domini Honorii tertii papæ, qui ipsum altare consecravit.

Retro sub absida est altare sanctorum Chrysanthi et Dariæ, in quo recondita olim fuerant eorum pretiosa corpora; sed cum a schismaticis fuisset exsecratum, levata sunt iterum inde, et translata in ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ, et sancti Pancratii martyris, quæ est in dextero latere basilicæ, atque recondita sunt in altare ipsius ecclesiæ, quod consecratum est per manus Innocentii papæ II, in quo recondidit pretiosas sanctorum reliquias, sanctorum videlicet Pancratii, Jacobi apostoli, Matthæi apostoli, Thaddæi apostoli, Timothei discipuli Pauli, protomartyris Stephani, sanctorum Innocentium, de linteamine Domini, et de sepulcro ejus, de rubo incombusto, Blasii, Nicomedis, Vitalis, Gervasii et Protasii, Nazarii et Celsi, sancti Felicis et sanctorum XL Martyrum.

In eadem parte sunt sepulturæ apostolicorum, in quibus sanctæ recordationis Lucius papa II. **568** Hic vixit in canonicali proposito longo tempore in Ecclesia ista, atque hinc assumptus presbyter cardinalis ordinatus est in ecclesia sanctæ Crucis in Jerusalem, quam de ruinis a fundamento præclaro et admirando opere renovavit, atque ad normam religionis secundum beati Augustini regulam informatam ante apostolatum multis Processionibus ditavit. Sed et istam ecclesiam, assumptionis suæ memor et pristinæ conversationis, per omnia dilexit, magnisque beneficiis honoravit. Octavo siquidem die consecrationis suæ textum Evangeliorum, laminis aureis opertum, smalto et multis pretiosis lapidibus pulcherrimo opere ornatum, super altare obtulit. Inde non post multum [a] sarantasmum optimum ad altaris ornamentum; ampullas etiam duas magnas, præclaro opere sculptas, argenteas deauratas in ministerio sacrificii pens. libr. IV. Condidit quoque privilegium, in quo donavit huic basilicæ ecclesiam sancti Joannis ante Portam Latinam cum omnibus quæ ad eam pertinent, necnon hospitale juxta portam.

Ibi prope jacet Leo papa V, et Agapitus papa II, juxta sepulcrum ejus. Inde per directum ad dexteram jacet Paschalis papa II, qui salubri providentia et studio renovavit ordinem canonicum in ista Ecclesia; juxta quem jacet Calistus papa II, qui reformavit cum imperatore Henrico pacem. Secus ipsum requiescit Honorius papa II, ad deinde penes istum Cœlestinus papa II. Inde in porticu sepulturæ plurimæ episcoporum istius Ecclesiæ. In eadem quoque porticu jacet Gerbertus Rhemorum archiepiscopus, qui papa effectus Silvester est appellatus; cujus sæpe sepulcrum, etiam in serenissimo aere, cum non sit in humido loco, aquarum guttas (quod satis est hominibus admirandum) visibiliter emanat.

Inde est altare sanctorum XL Martyrum prope hoc altare. In navi Ecclesiæ jacet Innocentius papa II in concha porphyretica, quæ fuit Adriani imperatoris sepultura. Hic renovavit tectum hujus basilicæ, propriis expensis novis trabibus, quas gloriosus et potens Roggerius Siciliæ rex precibus suis eidem Ecclesiæ transmisit, quod videlicet tectum suo tempore cecidit, suoque tempore restauratum est. Turrim etiam ante Ecclesiam, quæ ruinæ vicina videbatur, renovari jussit, atque quam plurima, dum vixit, Ecclesiæ dona ad ornamentum altari obtulit,

[a] Infra, *tarantasmum ad cooperimentum altaris*; paulo inferius, *sarantasmum*, quæ genuina esse lectio videtur.

cycladem videlicet auro textam satis optimam, de qua postea vestis ad ornatum altaris, et casula ad celebrationem Missæ factæ sunt; taramasmum ad cooperimentum altaris; thuribulum argenteum pens. libr. II; libras C Lucensis monetæ pro emendis possessionibus ad sustentationem canonicorum, de quibus postmodum dominus Bernardus, prior istius basilicæ, qui postea factus est cardinalis sancti Clementis, ac deinde episcopus Portuensis, salubri studio et providentia emit possessiones non longe ab Urbe, juxta formas prope ecclesiam sanctæ Helenæ. Item in eadem parte juxta fores Ecclesiæ requiescit quidam papa, qui Sergius ex Petro sic vocitatus erat. Inde penes istum jacet Alexander papa II, **569** qui fuit episcopus Lucensis, qui et condidit optimum privilegium prædictæ basilicæ, et renovavit communem regularium canonicorum vitam in ipsa; in quo privilegio donavit ipsis canonicis medietatem omnium oblationum principalis altaris; domus quæ sunt in circuitu istius basilicæ, multaque alia possessionum prædia diversis in civitatibus et locis consistentia, sicut ipsius privilegii digna memoria nobis referunt testimonia. Est inter duas fores quidam alius papa, qui non habet epitaphium. Et iterum in hac parte juxta fores Ecclesiæ:

Pontificis summi pausant ibi membra Joannis.

Hic eamdem renovavit basilicam. Et iterum inter duas fores Ecclesiæ in ista parte:

Cernitur hic tumulus, qui præsul dicitur esse,
Summi Joannis, sic quoque dictus erat.

Iste Joannes XVII papa. Et ante fores Ecclesiæ quidam præsul requiescit, qui Petrus est vocatus. Super ipsas fores Ecclesiæ scriptum fuit interius:

Sergius ipse pius papa hanc qui cœpit ab imis
Tertius, exemplans istam quam conspicis aulam.

In atrio quoque ipsius basilicæ oratorium est pulchrum, et ibi est altare sancti Thomæ apostoli. In hoc quidem oratorio, quod fecit Joannes papa, qui renovavit Ecclesiam, induit se pontifex vestimenta sacerdotalia et pontificalia, quando debet celebrare Missam in stationibus istius basilicæ. De hoc enim oratorio exiens cum Processione intrat basilicam, et vadit ad sacrosanctum altare dominicum, quod omnium altarium solum habet principatum. Cœlestinus papa III jacet juxta sanctam Mariam de Reposo. Alexander papa III jacet ante pulpitum Ecclesiæ, vel juxta viam quando imus ad curiam. Clemens III papa jacet ante chorum canonicorum.

A sinistro vero latere basilicæ est altare beatæ Mariæ de Reposo. Ibi juxta jacet Anastasius papa IV, qui fuit Sabinus episcopus, in mausoleo porphyretico præclaro opere sculpto, in quo olim jacuit Helena mater Constantini imperatoris: quod videlicet mausoleum de ecclesia quam idem imperator ad honorem ipsius matris extra Urbem fabricaverat idem papa deportari fecerat. Hic unice ac devotissime dilexit præ omnibus istam Ecclesiam antea, dum esset episcopus, atque, in apostolatu sublimatus, postea plurimis beneficiis honoravit. Nam duo privilegia canonicis præfatæ basilicæ solemniter condidit, in quibus, et quæ tunc possidebat confirmavit, et de benignitate et gratia sua plurima supererogavit. In quibus ecclesiam sancti Gregorii in Marcio cum palatio, in quo sita est, et cum omnibus ad eam pertinentibus, nec non et terram cum molendino extra portam in capite, ubi fuit aliquando locus, huic Ecclesiæ donavit. Ad ornamentum etiam sacrosancti Dominici altaris plurima dona obtulit, antea dum esset episcopus; et postmodum sublimatus in sacrosancta sede apostolicus; octavo enim die a consecratione sua cycladem unam altari dominico obtulit. Exinde quinto decimo die casulam unam albam et optimam pretioso auriphrygio circumdatam **570** ad celebrationem Missæ. Post aliquantum temporis intervallum obtulit ad ornamentum altaris candelabra duo optima fusorio opere fabrefacta, et sarantasmum unum præclarum et optimum, et pro fratrum subsidiis argenti libr. LL. In anniversario etiam dedicationis istius sacratissimæ basilicæ calicem satis magnum et admiratione dignum tam pro sui ponderis magnitudine, quam etiam pro admirandi operis varietate. Undique enim ex omni parte sculptorio opere fabrefactum est mirabiliter, atque diversis historiis cum versibus adornatum, pensans libr. XXVIII.

« In nomine Domini amen. Anno Incarnationis 1297 die. . . mensis Februarii consecratum fuit altare Capituli ad honorem Dei et beatæ Mariæ Magdalenæ de mandato domini Bonifacii papæ VIII per dominum Gerardum de Parma episcopum Sabinensem; in quo altari recondidit corpus ipsius beatæ Mariæ Magdalenæ sine capite, et brachium beati Zachariæ, et reliquias multorum aliorum sanctorum. »

Judicum alii sunt Palatini, quos ordinarios vocamus; alii consulares distributi per judicatus; alii pedanei a consulibus creati. In Romano vero imperio et in Romana usque hodie Ecclesia septem judices sunt palatini, qui ordinarii vocantur, qui ordinant imperatorem, et cum Romanis clericis eligunt papam. Quorum nomina hæc sunt. Primus primicerius; secundus qui dicitur secundicerius, qui ab ipsis officiis nomen accipiunt. Illi dextera lævaque vallantes imperatorem, quodammodo cum illo videntur regnare, sine quibus aliquid magnum non potest constituere imperator. Sed in Romana Ecclesia in omnibus Processionibus manuatim ducunt papam, cedentibus episcopis et cæteris magnatibus, et in majoribus festivitatibus octavam super omnes episcopos legunt lectionem. Tertius est Arcarius, qui præest tributis. Quartus Saccellarius, qui stipendia erogat militibus, et Romæ Sabbato scrutiniorum dat eleemosynam, et Romanis episcopis et clericis, et ordinariis largitur presbyteria. Quintus est protoscrinarius, qui præest scrinariis, quos tabelliones vocamus. Sextus primus defensor, qui præest defensoribus, quos advocatos nominamus. Septimus adminiculator, intercedens pro pupillis et viduis, pro afflictis et captivis. Pro criminalibus hi non judicant, nec in quemquam mortiferam dictant sententiam; et Romæ clerici sunt, ad nullos unquam alios ordines promovendi. Alii vero, qui dicuntur consules, judicatus regunt, et reos legibus puniunt, et pro qualitate criminis in noxios dictant sententiam.

XII. *De Oratoriis ad fontes, et de sanctuariis et donis eorum.*

Retro basilicam Salvatoris quatuor sunt oratoria: unum est quod habet absidas duas: sub una est altare sanctarum virginum Rufinæ et Secundæ, sub quo recondita sunt pretiosa earumdem corpora, quæ inventa sunt ab Anastasio papa IV felicis memoriæ, antequam apostolica dignitate sublimaretur, et post ipsarum inventionem fabricato altari **571** ad honorem earumdem propriis manibus consecravit ipsum altare, astantibus nobis omnibus, et præsentibus canonicis basilicæ Salvatoris, et quamplurimis tam de Urbe quam extra Urbem.

Sub alia absida est altare sancti Andreæ apostoli et sanctæ Luciæ virginis, quod et prædictus Anastasius papa consecravit, et in eo recondidit de reliquiis utriusque, videlicet Andreæ apostoli, et Luciæ virginis. In festivitate sancti Cypriani episcopi et martyris, et sanctæ Justinæ virginis, quorum corpora in pilo marmoreo posita locavit, et recondidit sub eodem altare, quæ et invenerat in altare supradictarum virginum Rufinæ et Secundæ, dum pro inveniendis corporibus earum quærere et fodere nobis præcepisset.

Aliud vero est oratorium huic prædicto contiguum, quod unam sub absida tantummodo habet aram, sub qua sunt recondita pretiosa sanctorum corpora, quorum ista sunt nomina, sanctus Venan-

tius, sanctus Domnio, sanctus Anastasius, sanctus Maurus, sanctus Asterius, sanctus Septimius, sanctus Jelius, sanctus Antiochianus, sanctus Paulinianus, sanctus Gaianus.

Tertium vero est oratorium postea, ubi fontes sunt inter duo altaria. Unum est sancti Joannis Baptistæ, aliud est sancti Joannis Evangelistæ. Fontes sunt rotundi, inter columnas porphyreticas positi in medio Ecclesiæ, quæ pulchra est et rotunda, ubi Constantini imperatoris fuit camera. Oratoria vero ipsa, videlicet sancti Joannis Baptistæ et beati Joannis evangelistæ, e regione hinc inde disposita, construxit Hilarius [*Al.*, Hilarus] papa, quæ ornavit omnia ex argento et lapidibus pretiosis. Confessionem sancti Joannis Baptistæ ex argento pensantem libr. c, et crucem auream, et in ambobus oratoriis januas æreas argento clausas. Ante confessionem coronam argenteam pensantem libr. xx, farum cantarum pensantem libr. xxv. Item ad sanctum Joannem intus sanctum fontem lucernam auream cum inoluminum x pensantem libr. v, turrim argenteam cum delphinis pensantem libr. LX, columbam auream pensantem libr. II. Fecit etiam ibidem, prope, sancti Stephani monasterium in baptisterio Lateranensi. Fecit et in eodem loco bibliothecas duas. Hæc autem omnia in basilica Constantiniana ad sanctam Mariam constituta reposuit.

XIII. *De Oratorio sanctæ Crucis, et ornamentis ejus.*

Quartum vero postmodum sanctæ Crucis est oratorium, in quo ejusdem sanctæ Crucis multum est sanctuarium. Ibi, dictante angelo, beatus papa Gregorius Antiphonarium et multa alia scripsit. Hoc oratorium multum est pulcherrimum, in modum crucis factum, de musivo decoratum, quod a prædicto papa Hilario fuit constitutum, in quo pari modo plurima dona obtulit. Confessionem, ubi lignum crucis posuit, cum cruce aurea et gemmis, quæ pensant pondus libr. xx. In confessione januas ex argento pensantes pondus librar. L; supra confessionem arcum aureum pens. lib. IV, quem portant columnæ onychinæ, **572** ubi stat agnus aureus pensans libr. II; coronam auream ante confessionem, farum cum delphinis pens. libr. v; lampadas aureas IV pens. libr. II; nympheum, et triporticum ante oratorium sanctæ Crucis, ubi sunt columnæ exatopentalaicas, et conchas striatas duas cum columnis porphyreticis ragiatis foratis aquam fundentes, et in medio lacum porphyreticum cum concha ansata in medio aquam fundente, circumdata a dextris vel sinistris in medio cancellis æreis, columnis cum fastigiis et epistuliis, undique ornatum ex musivo, et columnis aquitanicis, et tripolitis, et porphyreticis. Est iterum huic oratorio satis proximum aliud sancti papæ Gregorii oratorium, ubi usque hodie [a] lectulus in quo ipse sanctus solebat quiescere, videtur juxta aram permanere.

XIV. *De ecclesia sancti Laurentii in palatio.*

In sacro namque palatio est quoddam sancti Laurentii oratorium, in quo tria sanctissima computantur altaria. Primum in arca cypressina, quam Leo papa III condidit, tres capsæ sunt. In una est crux de auro purissimo adornata gemmis et lapidibus pretiosis, id est hyacinthis, et smaragdis, et prasinis. In media cruce est umbilicus domini nostri Jesu Christi; et desuper est inuncta balsamo, et singulis annis eadem unctio renovatur, quando dominus papa cum cardinalibus facit Processionem in Exaltatione sanctæ Crucis ab ipsa ecclesia sancti Laurentii in basilicam Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana. Et in alia capsa argentea et deaurata cum historiis est crux de smalto depicta, et infra capsam illam est crux Domini nostri Jesu Christi; et in tertia capsa, quæ est argentea, sunt sandalia, id est calciamenta, Domini nostri Jesu Christi. Est iterum ibi alia capsa deaurata, ubi est de ligno illo sanctæ Crucis, quam Eraclius devicto Chosroe secum tulit de Perside, una cum corpore sancti Anastasii martyris, et est in altare, quod ibi est sancti Laurentii de marmore. Ibi est etiam brachium sancti Cæsarii martyris, ossa duo sancti Joannis Baptistæ, et os unum sancti Hieronymi, et spatula sancti Dionysii Areopagitæ, et os de crure sancti Stephani papæ, et sancti Damasii reliquiæ, et sanctorum Primi et Feliciani, et caput sanctæ Praxedis, et Sanctæ Anastasiæ reliquiæ cum aliis multis, et sanctarum Agapæ, Chioniæ, et Ilirenæ, Pistis et Helpis virginum, Nerei et Achillei, Priscæ et Aquilæ. Item sunt ibi reliquiæ de genu sancti Tiburtii filii Cromatii. In hac eadem arca cypressina est panis unus Cœnæ Domini, et tredecim de lenticulis ejusdem Cœnæ, et de arundine, et de spongia cum aceto ad os Domini posita, et lignum de sycomoro, ubi Zachæus ascendit.

Et super hoc altare est imago Salvatoris mirabiliter depicta in quadam tabula, quam Lucas evangelista designavit, sed virtus Domini angelico perfecit officio; **573** sub cujus pedibus in quadam pretiosorum lapidum linea, pignora hujus sanctuarii sunt recondita, quorum ista sunt nomina: Lapis in quo consedit sancta Maria; lapis de sancto Jordane, ubi sedit Dominus dum baptizaretur; lapis de sancta Bethlehem; lapis de monte Oliveti, ubi Dominus oravit ad Patrem; sancta petra in qua sedit angelus ad sepulcrum; de sancta columna, ubi Dominus fuit ligatus et flagellatus; de sepulcro Domini, ubi corpore mortuus requievit; de lancea, qua fuit latus Domini perforatum; de ligno crucis Domini; de loco qui dicitur Lithostrotos; de Calvariæ loco; sancta silex ubi Dominus conditus est; lapis de monte Sion; lapis in quo Dominus transfiguratus est in monte; lignum de sancto præsepe Domini, in quo puer natus fuit positus; lapis de monte Sina, ubi lex fuit data; lapis de sepulcro sanctæ Mariæ.

In alio vero altari ejusdem oratorii sunt capita sanctorum apostolorum Petri et Pauli, et capita sanctarum Agnetis et Eufemiæ virginum.

In tertio vero sunt carbones aspersi de sanguine sancti Laurentii, et de arvina corporis ejus. Sunt etiam in eodem oratorio reliquiæ sanctorum XL Martyrum, multorumque aliorum.

XV. *De ecclesia sanctæ Mariæ Majoris et de sanctuario ejusdem.*

Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, quam Sixtus [b] papa junior ædificavit, quam Paschalis papa renovavit, tot columnas habet in sua positione, quot dies sunt in anni unius revolutione. Hujus ecclesiæ dedicatio Non. Augusti celebratur. Habet insuper hæc venerabilis ecclesia sanctæ Mariæ cardinales septem, qui per suas hebdomadas in ordine vicis suæ ad summum sanctum altare Missas debent celebrare. In ara vero hujus venerabilis ecclesiæ reconditæ sunt reliquiæ de capillis sanctæ Mariæ matris Domini, de lacte ejusdem Virginis, de wimplio sui capitis, de panno sui vestimenti. Cunabulum Domini ibi est, in quo puer jacuit. De præsepio [c] Domini sunt ibi reliquiæ; de Mathia apostolo, qui in loco Judæ apostolis aggregatus Parvus Dei nominatur. Quidam dicunt, quia sub hoc altare beatæ Mariæ Majoris requiescit, alii dicunt

[a] Alium Gregorii lectum memorat Anastasius sub finem vitæ Stephani VI, cum laudat *oratorium beati Gregorii, ubi ejus lectus habetur, juxta ecclesiam Principis apostolorum.* Verum ibi *lecti* nomine tumulus intelligitur.

[b] Id est Sixtus tertius, testante libro Pontificum. Sed ante eum Liberius illam basilicam construxerat, *juxta macellum Libiæ* seu *Liviæ*, ex eodem libro unde et basilica Liviæ primitus appellata.

[c] Sergius secundus *cameram præsepii Domini nostri Jesu Christi argenteis tabulis ac deauratis perornavit*, ex Anastasio.

quia in altare est reconditum. Credunt quidam quia sub ingenti lapide marmoreo requiescit in terram, qui lapis est ante altaris fenestram. Fenestra enim hæc ita est sub altari, sicut arca sub altari sancti Petri, in cujus ecclesia asseverant plurimi corpus esse prædicti sancti Mathiæ apostoli in pariete super majorem arcum, qui continuus est per medium ecclesiæ ab uno pariete usque ad alium. In absida vero sanctæ Mariæ est cathedra pontificalis in medio sub vitrea, quæ quinque sunt in absida. Hæc absida nimis pulchra de musivo est effecta. Nam videntur a pluribus pisces ibi in floribus, et bestiæ cum avibus, inter chorum et altare.

574. XVI. *De episcopis et cardinalibus per patriarchatus dispositis.*

Septem cardinales episcopi primæ sedis, qui ad sacrosanctum altare dominicum in basilica Salvatoris per hebdomadas suas vice apostolici celebrare debent quotidie, ii sunt: episcopus Ostiensis, episcopus Portuensis, episcopus sanctæ Rufinæ, episcopus Albanensis, episcopus Sabinensis, episcopus Tusculanus, episcopus Prænestinensis.

Cardinales sanctæ Mariæ Majoris sunt ii: sanctorum apostolorum, sancti Cyriaci in Thermas, sancti Eusebii, sanctæ Pudentianæ, sancti Vitalis, sanctorum Marcellini et Petri, sancti Clementis.

Cardinales sancti Petri sunt ii: sanctæ Mariæ Transtiberim, sancti Chrysogoni, sanctæ Cæciliæ, sanctæ Anastasiæ, sancti Laurentii in Damaso, sancti Marci, sanctorum Martini et Silvestri.

Cardinales sancti Pauli sunt ii: sanctæ Sabinæ, sanctæ Priscæ, sanctæ Balbinæ, sanctorum Nerei et Achillei, sancti Sixti, sancti Marcelli, sanctæ Susannæ.

Cardinales sancti Laurentii sunt ii: sanctæ Praxedis, sancti Petri ad Vincula, sancti Laurentii in Lucina, sanctæ Crucis in Jerusalem, sancti Stephani in Cœlio monte, sanctorum Joannis et Pauli, sanctorum quatuor Coronatorum.

Diaconiæ sunt XVIII: sanctæ Mariæ in Dominica, ubi est archidiaconus, sanctæ Luciæ in Circo juxta Septem Solia, sanctæ Mariæ Novæ, sanctorum Cosmæ et Damiani, sancti Adriani, sanctorum Sergii et Bacchi, sancti Theodori, sancti Georgii, sanctæ Mariæ in Schola Græca, sanctæ Mariæ in Porticu, sancti Nicolai in Carcere, sancti Angeli, sancti Eustachii, sanctæ Mariæ in Aquiro, sanctæ Mariæ in Via Lata, sanctæ Agathæ in Equo marmoreo, sanctæ Luciæ in capite Suburræ, sancti Quirici.

Abbatiæ sunt istæ: sancti Cæsarii in Palatio, sancti Gregorii in Clivo Scauri, ibi est caput brachii sancti Andreæ apostoli; sanctæ Mariæ in Aventino, ibi est de corpore sancti Savini episcopi; sancti Alexii, ubi est corpus ejus, et sancti Bonifacii martyris; sanctorum Priscæ et Aquilæ, ubi sunt corpora eorum partim; sancti Sabæ Cellæ Novæ, ubi est caput sancti Tiburtii martyris; sancti Pancratii in via Aurelia. Infra urbem Ravennantium Transtiberim, sancti Cosmæ et Damiani in Vico Aureo. Item sancti Silvestri inter duos hortos, quam ædificavit Dionysius papa, qui et ibi requiescit; sanctæ Mariæ in Capitolio, ubi est ara Filii Dei; sancti Basilii juxta palatium Trajani imperatoris; sanctæ Agathæ virginis, quæ est Suburræ monte; sancti Laurentii in Panisperna, ubi fuit positus in craticula; sancti Thomæ juxta formam Claudiam; sancti Blasii inter Tiberim et pontem sancti Petri; sanctæ Trinitatis Scotorum; sancti Valentini juxta pontem; sanctæ Mariæ in Castro Aureo; sanctæ Mariæ in Pallara, ubi fuit sagittatus sanctus Sebastianus; sanctæ Mariæ in monasterio juxta sanctum Petrum ad Vincula.

575 XVII. *De casu et reparatione istius basilicæ, quo tempore fuit facta a Sergio papa III, et donis atque ornamentis, quæ obtulit in ipsa, sicut in epitaciis parietum hinc inde scribitur juxta columnas æneas.*

Anno quo baptizatus est piissimus imperator Constantinus Augustus a beatissimo Silvestro sanctæ apostolicæ sedis pontifice, et a lepra per lavacrum sacri baptismatis mundatus est, ædificavit hanc basilicam in honore Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, et commemoratione sancti Joannis Baptistæ. Permansit enim ab eodem tempore, licet separatio parietum, et tectorum curvatio ejus ruinam ante ostenderent, per aliquot annos usque ad tempus Stephani piæ memoriæ VI. Tempore autem illius ruit, et fuit in ruinis dissipata, et comminuta usque ad tempus quo revocatus est dominus Sergius presbyter, et electus de exsilio, et consecratus est Romanorum tertius præsul. In illis vero temporibus, quibus invasores apostolicam tenebant sedem, tulerunt de hac basilica omnes thesauros, et cuncta ornamenta aurea et argentea, ac universa utensilia, quæ ab initio hic oblata fuerunt; et non celebrabantur divina officia in ea, sed erat in dispersione quasi in thermis virgultorum et vepribus cooperta. Post ordinationem igitur suam dominus Sergius III papa tristabatur nimium super desolationem hujus nobilissimi templi. Non enim erat spes neque solatium mortalis de restauratione illius. Cumque omnibus una esset desperatio de ejus relevatione, et humanum deesset auxilium: ad divinæ pietatis conversus juvamen, in qua semper habuit fiduciam, incipiens ab antiquis laborare fundamentis, fine tenus opus hoc consummavit, et decoravit ornamentis aureis et argenteis, sicut inferius legitur, et plus, quia super ibi addidit, dum vixit, prædictus sanctissimus Sergius tertius papa.

Postquam in honore tui nominis, mundi Salvator, et commemoratione tui, sancte Joannes Baptista, de tuis donis per multa certamina et labores præfatus dominus Sergius tertius papa hanc basilicam in ruinis positam a fundamentis construxit, cum omnia ornamenta aurea et argentea atque ænea ex ea ablata fuissent ab invasoribus, reparare et offerre tibi alia cum devoto animo studuit, quamvis in multis esset perturbationibus constitutus, non omisit tamen tuæ servire Majestati. Fecit autem, et obtulit omnipotentiæ tuæ istam pulcherrimam imaginem, quam quinque libris auri decoravit; ciborium vero miræ pulchritudinis ex argento et auro purissimo cum gemmis, ejus perfectionem CCL *librar. numeros et pondus assumpsit; crucem auream cum Crucifixo; argenteas duas, unam habentem Crucifixum totum de auro, et agnum de auro cum gemmis; coronam de auro, cum crucibus duabus, et alias duas ex mistis metallis; fibulam de auro cum gemmis; duas bursellas de argento deauratas cum gemmis quinque; coronas de argento cum delphinis suis decem; canistra de argento* XXX *et* IX; *gavatas de argento* XXV; *cruces argenteas* IV, *in quibus gavatæ pendent, et unam modicam similiter argenteam; calices argenteos* III, *unum ex his deauratum; patenam de argento; thuribula de argento* III; *imagines de argento tres,* **576** *unam ex his habentem dexteram de auro, et fibulam in pectore cum gemmis; arcus argenteos* VI; *craticulam de argento, columnellas de argento* VI; *mala argentea* XII; *vestes intextas auro duas; coopertorium cum auro, et alium purum; vela serica* LII. *Hæc omnia devotus tibi præparavit, et non cessabit, dum spiritus ejus rexerit artus, præparare et offerre tibi dominus Sergius papa tertius.*

Si quis forte tristando miratur quod hæc ornamenta, et alia quæ superius notata ab imperatore Constantino fuerunt oblata, modo non appareant, legat et scrutetur Gesta Romanorum pontificum, et inveniet, quando et quomodo ab invasoribus hinc fuerint inique sublata.

III.

CONSTITUTIONES LATERANENSES.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Etsi provide et laudabiliter gesta per alios interdum juste censuerimus confirmare, nempe ea quæ ad laudem Dei et divini cultus observantiam per nos, dum eramus in minoribus constituti, sunt utiliter ordinata; postmodum ad apicem summi apostolatus assumpti, eo potius debemus apostolici scripti patrocinio communire, quo de illis sumus certius informati, et quo amplius dedeceret, si minime servarentur. Dudum siquidem nos, tunc Petrus sanctæ Mariæ Novæ diaconus cardinalis ac archipresbyter, administrator et commendatarius Ecclesiæ Lateranensis, pro reverentia Dei, et salubri statu ejusdem Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus cum divina gratia proventuro et perpetuo conservando, certas constitutiones in ipsa ecclesia tam auctoritate apostolica, qua fungebamur in hac parte, quam nostra, edidimus, quas sub pœnis contentis in eis mandavimus perpetuo et inviolabiliter observari. Ut igitur constitutiones ipsæ eo irrefragabilius observentur, quo apostolicæ approbationis et confirmationis munimine fuerint roboratæ, ipsas, quarum tenor de verbo ad verbum inferius est insertus, cum certis correctionibus, modificationibus et ordinationibus nuper per nos factis, et post ipsum tenorem inferius adnotatis, auctoritate apostolica supradicta approbamus, ratificamus, confirmamus, et præsentis scripti privilegio communimus, mandantes sub pœnis in eis contentis eas inviolabiliter observari. Et cum simus certi de facto nostro, hujusmodi approbationem, ratificationem, confirmationem, communitionem et mandatum perinde valere et tenere volumus et decernimus, ac si tenor authentici instrumenti dictarum constitutionum nostri olim cardinalatus sigillo pendentis muniti præsentibus foret insertus, consuetudine contraria Romanæ curiæ non obstante. Tenor autem dictarum constitutionum talis est.

577 Petrus, miseratione divina, sanctæ Mariæ Novæ diaconus cardinalis archipresbyter, administrator et commendatarius Ecclesiæ Lateranensis, dilectis nobis in Christo capitulo et canonicis, beneficiatis, capellanis, et acolythis dictæ ecclesiæ Lateranensis, nec non et aliis quibuscunque servientibus in eadem, salutem in Domino sempiternam. Et si humana natura supernæ manus operatione formata, sic ante lapsum habuimus perlucidum intellectum paulo minus creaturæ angelicæ coæquatum, et superni luminis acie perlustratum, ut humanis statutis, seu legibus nullatenus indigeret; post ruinam tamen sic exstitit infecta nubilo mundanæ caliginis, et tot in tam lethifero casu humanæ propago naturæ corruptionis vulnera protulit, sic antiqui hostis conati charitatem hominum ex lutea materia creatorum disrumpere, bonorum operum dulcedinem, invidiæ felle infixit, et versutiæ infestatur insidiis, quod proclivius ad malum sensualitas humana ab adolescentia sua declinat in vetitum. Propter quod ad regimen salubre atque placidum necessarium fuit præsidentium officium ordinare, qui, exemplo legiferi Moysis, legum copiam concessam sibi cœlitus suis subditis præsentatis per constitutionem, ordinationem, deposita subditorum et per lustra devia oberrantium noxios appositus justitiæ fabricam luce prævia dirigant, tollendo ambigua, auferendo lites, et exstirpando vitia, et inserendo virtutes, et eorum potissime subditorum, qui omnipotenti Deo in illa præcipua domo Domini, videlicet Lateranensi, omniumque Ecclesiarum prima, ac inter cæteras prælationis prærogativa gaudente in divinis officiis famulante, qui suæ perlucidæ conversationis exemplo veluti in capite collocati, debent radiosis affectibus aliis odor existere salutaris. Hæc igitur nos cardinalis prædictus ad debitæ considerationis aciem reducentes, tum auctoritate nobis concessa per vicarium veri Dei, tum ex debito nostri officii, qui eidem præsidentes Ecclesiæ ad id nos recognoscimus obligatos, infra scriptas edidimus constitutiones, reformationem Ecclesiæ, tam spiritualium, quam temporalium, claro eloquio continentes. Ad eas igitur, filii prædilecti, inclinate unanimiter aures vestras, et circa eas adhibete promptitudinis intellectum, collecturi seminum fructus, qui in agro devotionis vestræ providentia paterna conspergit, si ea culturæ studio diligenti (quod speramus) fructificent, et operosi laboris speratas utilitates educant. Eas enim vobis et cuilibet vestrum sub pœnis in eis contentis observari præcipimus et mandamus.

I. *Rubrica de divinis officiis.*

1. Ut membra capiti se conforment, præsente institutione decernimus quam tam nocturnum quam diurnum, in Lateranense Ecclesia, cum nota dicatur juxta rubricam, ordinem sive morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, seu capellæ domini nostri papæ; officium vero beatæ Mariæ virginis sine nota, aperte tamen et spatiose proferatur. In ipsa quoque Ecclesia celebrentur cum nota die quolibet duæ Missæ, quarum prima die Sabbati, et Dominico, et aliis diebus, quibus secundum rubricam Ecclesiæ Romanæ non consuevit Missa pro mortuis decantari, **578** Missa de beata Virgine decantetur; cæteris vero hebdomadæ diebus prima Missa celebrabitur cum præcedentibus vigiliis pro defunctis; secundam vero Missam de occurrentis solemnitate diei volumus celebrari.

Ab his dies excipimus subsequentes, videlicet Nativitatem Domini cum diebus octo sequentibus, Epiphaniam Domini, et a quarta feria majoris hebdomadæ usque ad tertiam feriam Resurrectionis Domini inclusive, festum Ascensionis, Pentecostem cum duobus sequentibus, festum Corporis Christi, Nativitatem beati Joannis Baptistæ, festum apostolorum Petri et Pauli, solemnitatem omnium Sanctorum, et quatuor festivitates beatæ Virginis; in quibus propter solemnitatem dierum, unam tantum Missam teneantur celebrare cum nota; et alios dies, quibus ex ordinatione et observantia in ipsa Ecclesia antiquitus consuetum est duas alias Missas solemniter celebrari, tunc illæ solemnizentur, quas solemnizari hactenus est consuetum.

2. Distinctus ordo solet decorare solemnia officiorum potissime divinorum. Hoc igitur constituto statuimus quod primam Missam, sicut hactenus consuetum est, cum nota, tantum beneficiatus ille qui in illa hebdomada fuerit hebdomadarius, mane statim cantata Prima, debeat celebrare; secundam vero Missam, quæ vulgo magna Missa vocatur, canonicus hebdomadarius cum diacono et subdiacono solemnizet, nisi cardinalis qui archipresbyter Lateranensis pro tempore fuerit, vel eo absente ejus vicarius, ob raritatem clericorum, vel aliam causam, ut loco sui canonicus possit aliquem de beneficiatis ejusdem Ecclesiæ sacerdotibus subrogare duxerit dispensandum. Sed quia pro majori parte canonici non sunt promoti, concedimus quod Missa magna usque ad annum debeat per beneficiatos decantari.

3. Simili modo in mensibus Julii et Augusti, et Septembris, in quibus Romæ aeris intemperies esse solet, ad hæc canonicos volumus non astringi, sed tunc per beneficiatos etiam secundam Missam cum

sua solemnitate cantari jubemus, diebus Dominicis, et festis duplicibus, et per totam Octavam beati Joannis Baptistæ duntaxat exceptis; quibus diebus, uti in cæteris anni mensibus, ad ipsam secundam Missam celebrandam canonici sunt astricti. Canonicus vero sacerdos, qui celebrabit pro tempore in festis duplicibus, denarios decem et octo, et diaconus et subdiaconus denarios novem, quibus ultra ea quæ erant alias habituri, recipiant a camera Ecclesiæ prælibatæ; aliis vero diebus medietatem recipiant de prædictis, dum celebrabunt ibidem.

4. In divini numinis cultum lumina deservire corporea congruum arbitrantes, statuimus quod vicarius et camerarii, qui pro tempore fuerint, provideant diligenter ne circa lumina opportuna Lateranensis Ecclesia defectum aliquem patiatur. Mansionarii quoque aliis horis et Missa campana congrua hora pulsent, et lampades accendant. Quod si non fecerint, pro qualibet hora vel vice in denariis duodecim puniantur. Donec vero pro Missa pulsabitur, ante finem pulsationis hujusmodi sacerdos, diaconus et subdiaconus, qui per hebdomadam celebraturi sunt Missam, **579** se parent et induant cum acolythis, qui eisdem deserviant. Si vero quisque eorum fuerit ita tardus, ut ejus exspectatio fuerit exspectantibus onerosa, fecerit tamen postquam venerit illud quod ipsius ordo requirit, puniatur in duplo ejus quod pro illa Missa ad ipsum perventurum ex distributionibus fuisset. Quod si nullo modo celebraverit seu ministraverit, si canonicus, in solidis quinque; beneficiatus vero in denariis triginta; acolythus in quindecim irremissibiliter puniatur, applicandis illa die celebrantibus et ministrantibus pro eisdem.

5. Cum in festis duplicibus canonicus in Lateranensi Ecclesia celebraturus est Missam, tam in primis, quam in secundis Vesperis, duo; si vero festum fuerit multum solemne, quatuor beneficiati cum ipso pluvialibus sint induti. Qui contra fecerit, canonicus tres solidos, beneficiatus vero duos pro vice perdat, ipsius pœna dimidia cameræ, dimidia vero celebrantibus pro eisdem et ministrantibus applicanda; quibus camerarii de contrafacientium fructibus, vel ipsius capituli, si ipsorum fructus fuerint aliter ad capitulum devoluti, satisfacere teneantur.

6. Ut prælatis honor debitus impendatur, sancimus quod dum aliquis prælatus, et potissime cardinalis in ipsa Ecclesia in pontificalibus celebrabit, nullus sacerdos in eadem cum nota celebrare præsumat, puniendus, si contrafecerit, arbitrio domini vicarii domini cardinalis.

7. Statuimus et ordinamus quod in eadem Ecclesia sint perpetuo quatuor acolythi, qui tam canonicis quam beneficiatis vel aliis ministrantibus, dum Missarum solemnia celebrant, in ipsis officiis, et aliis præparantibus subministrent, prout est hactenus consuetum.

8. Sacrista ex proprio juramento tenetur omni die Sabbati facere tabulam de canonicis et beneficiatis qui debent in futura hebdomada celebrare, et de cantoribus in choro per circuitum; et de his qui debent pluviales tenere, et omnibus aliis qui debebunt in ipsa hebdomada deservire; et quicunque cantor non obedierit, vice qualibet pœnam duorum solidorum incurrat.

9. In choro servari jubemus modum et ordinem subsequentem, videlicet quod ab una parte chori sit medietas canonicorum, beneficiatorum, acolythorum et capellanorum, qui choro servire tenentur; ab alia vero reliqua; ipsumque chorum intret quilibet ante finitam pulsationem ad Missam, vel Horam, vel saltem antequam primus Horæ Psalmus, vel Missæ introitus compleatur. Ubique resideat devote, sine confabulatione aliqua, murmuratione vel rumore; de una parte chori non discurrat; nec ab inde recedere vel exire præsumat ante finitum officium, nisi negotium Ecclesiæ vel corporis necessitas immineret, et tunc ad capitularem locum vel residentiæ domum pergat honeste. Sacerdos vero celebrans, diaconi et subdiaconi, et acolythi qui ministrant, et cantores qui in choro deserviunt, in suis permaneant locis ad divina eis injuncta officia peragenda. Quod si quisquam fecerit adversus ea aliquidve eorum quoad illam Missam vel Horam, pro absente penitus habeatur; et si in consuetudine hæc habuerit, per scriptores fallarum **580** ad vicarium domini cardinalis pro tempore ipsius Ecclesiæ archipresbyteri remittatur, prout ei visum fuerit, correctione debita puniendus.

10. Utrque juri consona meditatione statuimus quod clerici Lateranensis Ecclesiæ, tam in choro, quam in capitulo, quam in aliis congregationibus, stare, sedere, respondere debeant secundum ordinem debiti prioratus, primo presbyteri, secundo diaconi, tertio subdiaconi, ad dignitatem et prioritatem, et non ad potentiam vel ad nobilitatem alicujus prærogativæ habendo respectum. In Processionibus vero etiam secundum ordinem prædictum in honorabilem locum incedant.

11. Nemo est qui nesciat quam refectior sit cibus animæ verbum Dei. Illud utique semen est radicaliter coalescens, mirabiliter excrescens, fœcunde fructificans, et interiorem hominem refectiva informatione restaurans. Et propterea majus peccatum habent, qui prædicationem verbi Dei satagunt impedire, quia nec ipsi fructum percipiunt, nec alios permittunt percipere, dum ipsorum insolentiæ impediunt prædicantes. Quisquis igitur prædicationem verbi Dei, si quam pro tempore in Lateranensi Ecclesia fieri contigerit, per se vel per alium impedierit quoque modo, vice qualibet pœnam decem solidorum incurrat. Possint tamen et valeant clerici dictæ Ecclesiæ, donec prædicatio intra Missarum solemnia fiat, de choro recedere, presbytero, diacono, et subdiacono ministrantibus recessu penitus interdicto, ad illum ante prædicationis finem, vel statim post, omnino reversuri, ne ipsorum exspectatio solemnitatis Missæ continuationem impediat. Ut tamen a facultatibus et aliis otiosis actibus, vel verbis abstineant, sub pœna ipsis interdicimus memorata.

12. Nemo canonicus, beneficiatus, vel *capellanus*, vel alius, sine licentia speciali cardinalis, vel ejus vicarii et capituli, in Lateranensi Ecclesia confessiones audire præsumat; et qui contra fecerit, ipsius vel ipsorum arbitrio puniatur.

13. Ut divinus cultus præcipue gaudeat habitu honestatis, statuimus, quod dum in Lateranensi ecclesia divina officia decantantur, nullus canonicus vel beneficiatus intrare ipsam ecclesiam, vel in ea præsumat incedere sine habitu ordinato: contrafacientes excommunicationis pœnam et solidos decem qualibet vice incurrant ipso facto. Hujusmodi vero excommunicato, donec fuerit absolutus per vicarium cardinalis tantum, camerarii de fructibus et obventionibus aliis nihil debeant ministrare: et si secus fecerint, de ipsorum camerariorum proprio tantumdem cameræ restituere teneantur. Absolvi tamen nequeat, nisi primo cameræ realiter solverit dictam pœnam, et quidquid excommunicationis tempore prædictæ perceperit a camerariis memoratis.

14. Et ne quis in posterum de habitu valeat dubitare, ipsum præsenti constitutione duximus exprimendum, videlicet quod ab hora illa festi omnium Sanctorum, quando incipiunt Vesperæ pro commemoratione fidelium defunctorum, usque ad vigiliam Resurrectionis dominicæ, quilibet canonicus stet indutus cum sajetta, seu roccheto, cappa nigra et almucia de griseis seu de variis; beneficiati vero et capellani, qui servire tenentur in choro, indutas deferant cappas nigras cum superpelliceo seu cotta, **581** et almucias de squallis nigris. Sed si canonici et beneficiati prædicti maluerint capucia nigra parva sine becchis, seu almucias rotundas nigri coloris subtus cappas portare sine aliis almuciis, hoc eis concedimus.

In vigilia Paschæ statim quando *Alleluia*, verbum lætitiæ, decantatur, exuant nigras cappas, luctuosa pœnitentiæ tempora designantes; et superpellicea seu albas cottas induant supernæ vitæ gaudia designantes, usque ad festum Sanctorum omnium illa seu illas deferentes cum almuciis supradictis.

15. Item statuimus quod omnes capellani capellæ sanctorum Petri et Pauli, Jacobi, et alterius capellæ sancti Jacobi, qui nunc sunt, et qui pro tempore erunt in dicta Ecclesia, a die publicationis præsentium usque ad quindecim dies, teneantur in choro dictæ Ecclesiæ in horis diurnis pariter et nocturnis, sicut cæteri beneficiati interesse, distributionesque recipiant a capitulo ultra fructus capellarum eorum, sicut acolythi; et nihilominus in capellis eorum celebrent, prout ex earum fundatione tenentur; et ad hoc cardinalis seu vicarius per ecclesiasticam censuram eos possit astringere per privationem fructuum et ipsarum capellarum, prout ipsorum exegerit contumacia, et ipsi domino cardinali vel vicario videbitur faciendum.

16. Cum nonnulla bona Lateranensis Ecclesiæ legata sint, et legentur quotidie, ut in aliquo altari celebretur certo modo pro legantium animabus; pias igitur deficientium voluntates effectu debito prosequentes, statuimus quod vicarius qui pro tempore fuerit debeat effectualiter ordinare quod ipsi altari per beneficiatos et capellanos, presbyteros et acolythos, serviatur.

Anniversaria quoque diebus statutis per testantes qui ad hoc Ecclesiæ aliquid legaverunt cum vigiliis et Missa similiter volumus celebrari. Si quis vero in his vicario non curaverit obedire, presbyter in solidis quinque, acolythus in duobus pro vice qualibet punietur. Et quia, crescente contumacia, crescere debet et pœna, si quis in tali perseveraverit contumacia, præter præmissam pœnam, cardinalis vel ejus vicarii arbitrio puniatur.

II. *Rubrica de reliquiis, sacris rebus, et aliis mobilibus Lateranensis Ecclesiæ, et earum custodia.*

17. Reliquiæ, nisi statutis temporibus, sine voluntate vicarii et capituli nullatenus ostendantur, nisi alicui cardinali, prælato, vel regali. Nullus autem præsumat de dictis reliquiis concedere, sine licentia domini nostri papæ, vel cardinalis qui pro tempore fuerit archipresbyter Lateranensis Ecclesiæ. Hujusmodi constitutionis [si quis violator exstiterit] in aliquo tempore, ipso facto pœnam excommunicationis incurrat.

18. Res quarum perditio esset magnum præjudicium illatura diligentiori sunt custodia gubernandæ. Et propterea hoc statuto jubemus quod statuta, privilegia, inventaria, sigilla Ecclesiæ et capituli intra claves reliquiarum et cancellorum sacristiæ, ubi est [a] mensa Domini, quæ omnia **582** sub tribus diversis serris et clavibus clausa sint; quarum unam vicarius, aliam camerarius, et aliam antiquior canonicus debeat retinere; et sic per ipsum vicarium, camerarium et antiquiorem canonicum conservetur, et taliter, quod alter, vel alteruter, sine aliis omnibus aperire vel sigillare non possit.

19. Item statuimus quod camerarius vel sacrista pannos, libros, paramenta, vel alia sacra vasa alicui extra Ecclesiam asportanda concedere nullo modo præsumat, sine licentia vicarii, vel camerariorum primitus non obtenta. Et tunc camerarii et scriptores debeant in ipsorum libris ascribere portitores. Alias excommunicationis sententiam incidant eo ipso, a qua absolvi nequeant nisi per dominum cardinalem, vel ejus vicarium, et satisfacto prius de commissis.

20. Inventarium de rebus omnibus in sacristia existentibus per vicarium et capitulum quolibet anno fiat; et privilegia, statuta, vel instrumenta sine licentia domini cardinalis, vel eo absente ejus vicarii et capituli, nullus teneat de loco ubi sunt reposita removere, nisi pro evidenti causa ipsius Ecclesiæ, vel alicujus deservientium in eadem; et tunc in manibus vicarii, seu camerariorum, infra tempus per vicarium et camerarios præfigendum, debeat ad ipsos camerarios reportari. Et contrarium faciens excommunicationis sententia se noverit innodatum, a qua absolvi nequeat, nisi illa reportet primitus ad sacristiæ locum, unde receperat.

III. *Rubrica de canonicis, beneficiatis et acolythis, ipsorumque numero et gradu.*

21. In Ecclesia Lateranensi perpetuo et successive sint decem et octo canonici, et totidem præbendæ, præter præbendam domini cardinalis: quarum præbendarum octo sunt presbyterales, videlicet præbenda Laurentii de Argeleriis, Francisci de Veneriis, Joannis de Viterbio, Oddonis de sancto Eustachio, Francisci de Utriculo, Angeli Picciardelli, Oddonis de Columna, et Romani de Micardis; quinque vero sunt diaconales, scilicet: Marcelli de Columna, Philippi de Philippis, Jacobi de Papaluccis, Thomæ de Monte Nigro, et Stephani Normandis. Quinque vero sunt subdiaconales, videlicet: Joannis Lessi, Matthiæ de sancto Eustachio, Petri de Columna, Camilli Pauli de Columna, et Joannis de Barattis.

22. Et quod quilibet canonicus præbendatus de cætero in ipsa ecclesia recipiendus infra annum a tempore possessionis adeptæ computandum, ad ordinem, quem sua præbenda requirit, se faciat promoveri. Quod si non fecerit, sit suis canonicatu et præbenda privatus ipso facto. Et si post annum prædictum talis sic privatus aliquid perceperit, excommunicationis pœnam confestim incurrat, et ad restitutionem talium fructuum teneatur, ab omnique canonicorum consortio et capituli repellatur. Et ex tunc etiam per camerarios, vel eos quoscunque nihil sibi ministretur; et qui scientes aliquid ei ministraverit contra tenorem constitutionis hujusmodi, tantumdem de suo proprio Ecclesiæ restituere teneatur sub pœna prædicti juramenti.

583 23. Item statuimus et ordinamus quod canonici præbendati, qui sunt in ipsa Ecclesia jam recepti, infra annum a tempore publicationis hujusmodi statutorum se promoveri faciant ad sacros ordines, quos ipsorum præbendæ requirunt; et si non fecerint; ipsorum canonicatibus et præbendis sint ipso facto privati, exceptis illis qui non sunt in ætate ad recipiendos ordines legitima constituti. Tales cum infra annum a tempore quo ætatem ad ordines necessariam compleverint computandam ipsos ordines suscipere teneantur, alioquin eamdem pœnam privationis incurrant.

Interim vero tam illi quam alii qui ex dispensatione apostolica vel alia justa causa promoveri non teneantur, seu qui, licet essent promoti, essent tamen absentes, vel si præsentes essent et nollent secundum tenorem præsentium statutorum eis incumbens officium exercere, defectus suos per alios canonicos suppleri facere teneantur, sic quod injunctis vel injungendis eis officiis nullus in Ecclesia possit esse defectus. Quod si quisque facere recusaverit, camerarii de fructibus præbendæ illius canonici cui officium incumbit triginta solidos pro septimana qualibet detrahere teneantur; de fructibus vero illius ad quem officium diaconi vel subdiaconi pertineret solidos viginti, quos illi vel illis qui pro eo faciunt officium ministrent, vel de distributionibus eorumdem, prout vicario et camerariis videbitur. Quod si nec fructus grossos nec distributiones tales haberent, capitulum ad quod tunc tales fructus pertinebunt sine dilatione aliqua solvat ministrantibus pro eisdem, et ad hoc camerarii teneantur ex proprio juramento.

[a] Id est, ubi Eucharistia asservatur in viaticum; nam Eucharistia tunc temporis servabatur in cophino, ex Cæremoniali Petri Amelii c. 50 et 131.

IV. *Rubrica de numero beneficiatorum, et quæ præbendæ ipsorum sint presbyterales, quæ diaconales, et quæ subdiaconales.*

24. De beneficiatis Lateranensis Ecclesiæ præsenti constitutione duximus ordinandum, quod in ipsa Ecclesia perpetuo sint viginti duo beneficiati, quorum quatuordecim sint presbyteri, videlicet Petrus de Palliano archipresbyter de Utriculo, Laurentius Rusciolus de Pandolphis, Jacobus de Leolis, Joannes de Campo Floris, Joannes de Catino, Nucius [Forsan Mutius] Petri Bertæ, Stephanus de Sublacu, Joannes Serleonis archipresbyter de Arcula, Joannes de Civita, Nucius de sancto Marco, Dominicus de Campanea, Ganfredus de Antissiodoro, et Nucius Amici; ita quod beneficiatus ipsorum perpetuo sint presbyterales. Quatuor vero diaconi, videlicet Nicolaus Procerti, Jacobellus de Campo Florum, Silvester Ricciardelli, et Nucius de Tibure; ita quod ipsorum beneficiatus perpetuo sint diaconales. Quatuor vero beneficiati restantes sint subdiaconi: videlicet Tullius Salmenicli, Angelus de Gallicano, Antonius de Frascato, et Manardus filius D. Antuini; ita quod ipsorum beneficiatus ex nunc et in perpetuum subdiaconales censeantur.

25. Ne igitur Lateranensis Ecclesia in divinis officiis defectum aliquem de cætero patiatur, hoc constituto jubemus quod omnes et singuli beneficiati superius nominati, qui ipsorum beneficiatorum possessionem obtinent de præsenti, infra annum a tempore publicationis hujusmodi statutorum computandum; **584** quilibet vero ad..... alioquin de dictis beneficiatibus sint privati; et si postea sic privati fructus alioquin receperint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, et ab omni beneficiatorum et canonicorum consortio repellantur; neque eis per camerarios aliquid ministretur; et si scienter aliquid ministraverint, ministrantes ipsi tantumdem de eorum proprio cameræ restituere teneantur, sub pœna præstiti juramenti.

IV.

AUGUSTINI PATRICII PICOLOMINEI, EPISCOPI PIENTINI, EPISTOLA * AD INNOCENTIUM VIII.

In librum sacrarum Cæremoniarum, quibus Romani pontifices uti consueverunt.

Sanctissimo domino nostro Innocentio octavo, universalis Ecclesiæ summo pontifici, Augustinus Patricius Picolomineus, indignus episcopus Pientinus, felicitatem. Absoluta nuper satis feliciter divino munere emendatione libri Pontificalis, explicationem ordinationemque sacrarum cæremoniarum quibus Romani pontifices uti consueverunt, tuo jussu, tuisque auspiciis, beatissime Pater, aggressior. Certamen profecto priori laboriosius, longeque difficilius, cum propter incertam ejus rei disciplinam, lateque per multa capita vagantem, tum etiam ob frequentem cæremoniarum additionem, diminutionem, variationem, ac pro tempore multiplicem mutationem. Cogitavit sane circumspectissima beatitudo tua, et recte quidem, plurimum ad divinam clementiam nobis propitiandam pertinere, si puris, castis, congruisque cæremoniis illa colatur; nec minus spectare ad majestatem apostolicam, sacrique senatus auctoritatem venerationemque præservandam atque augendam, si suo ordine, rituque decenti omnia peragantur; si rerum, temporum, personarum ratio habeatur; si cuique reddantur debitus honor, et propria reverentia, quæ quidem omnia hac una disciplina continentur, suggeruntur, administranturque. Quanta fuerit apud omnes gentes, apud omnes populos, apud omnes nationes sacrorum cura, nimis longum esset enarrare. Prætermittam Eleusinæ Cereris vana, atque abdita sacra, furiosa pudendaque Dionysii orgia; Ægyptiorum irridenda et portentuosa numina, et Romanorum superstitiosam religionem; apud quos nulli magistratus legitimi putabantur, nullæ expeditiones sive mari, sive terra suscipiebantur, nihil a senatu, populove statuebant, nisi prius justis cæremoniis superum voluntas explorata esset. **585** Sacra certe Pentateuchi historia tota fere in tradendis divinis ritibus versatur; ita ut nihil magis Moysen, imo ipsum Deum curasse constet, quam ut statutis congruisque cæremoniis divina Majestas ab hominibus coleretur, ubi eodem tenore servari mandantur præcepta, cæremoniæ atque judicia.

Majores vero nostri, duces et doctores christiani populi, ab initio nascentis Ecclesiæ sacros ritus divino afflati numine nobis tradiderunt; quos deinde crescente fidelium multitudine illorum successores Romani pontifices, salva rerum substantia, auxerunt, ornaverunt, atque mirum in modum ampliaverunt, adduntque in dies: mutantur et variantur permulta, quæ non tam priscis institutionibus adversa sunt quam tempori et rebus quæ aguntur accommoda atque decora. Quo fit ut cum propter rei vetustatem pauca admodum ex priorum observantiis reperiantur, et quæ deinde a posteris litteris mandata exstent, tum propter Romanæ curiæ crebras apud exteras gentes peregrinationes, tum etiam propter varias confusasque scribentium sententias, parum usui et utilitati nostris temporibus esse videantur, cæremoniis non tam scriptis quam jam pridem consuetis hactenus magna ex parte usi sumus. Hinc variæ aliquando inter Patres de peragendis sacris opiniones, hinc contentiones indecentes interdum, inter ministros cæremoniarum, cum memoria hominum labilis sit et fluxa, sæpeque aliæ pro aliis succurrant, et quid certi tenendum sit fixa regula ostendi non possit. Hæc igitur, ut reor, provide considerans sanctitas tua, beatissime Pater, cupiensque ut in rebus omnibus, tam divinis quam humanis decus et ordo debite servetur, utque sine tumultu, quiete, tranquille, cum gravitate et dignitate omnia peragantur, injunxit mihi ut tam ex libris majorum quos ex archiviis Romanæ Ecclesiæ complures deprompsi, quam ex quotidiano usu capellæ apostolicæ, in quo annis supra viginti non sine labore assiduo versatus sum, cæremonias omnes, quibus nostro tempore uti consueverunt Romani pontifices, prætermissis superfluis et antiquatis, in ordinem redigerem. Devitassem recusassemque hoc munus perlibenter, et sarcinam humeris meis omnino imparem excussissem, si licuisset pontifici maximo non obtemperare. Sed sciens obedientiam victimis præstantiorem esse, et reum esse mortis, qui summo pontifici non paret, malui rudis atque ignarus judicari quam protervus et inobediens. Erexit, et mirum in modum confirmavit mihi labentem animum, in primis summa tuæ pietatis in omnes benignitas atque clementia, quæ non tam ineptitudinem meam quam optimam mentem et parendi promptitudinem metietur, tum illorum reverendissimorum Patrum, quos hujus nostræ lucubrationis recognitores revisoresque constituisti, prudentia, diligentia, acerrimum, integrumque judicium,

* Vide commentarium, col. 999.

et omnium rerum divinarum, atque humanarum summa doctrina, qui profecto nihil admittent quod gravitati ac dignitati apostolicæ sedis et tanti senatus non conveniat. Quorum exactissimæ censuræ hos libros per multos dies libentissime submisi, **586** ratus, ut si a tantis viris approbarentur, fore ut a nemine merito possent damnari.

Totum opus in tres libros divisimus. Primus et major ea continebit quæ ad summum pontificem et sacrum senatum pertinent extra ordinem divini officii, ut puta electionem, et consecrationem Romani pontificis, Cæsaris coronationem, canonizationes sanctorum, creationes cardinalium, et cætera hujusmodi. Secundus ordinem et ritum celebrandi sacras solemnitates per totum anni circulum complectetur, et quæ ad divinum officium spectant tam in Vesperis quam in Missis et aliis horis. Et in hoc quidem libro secundo, quoniam minutiora multa insunt, quibus si ie continua exercitatione nemo facile meminisse posset, adhibuimus nobis adjutorem Joannem Burcardum Argentinensem, præpositum Haselatensem, et sacrarum cæremoniarum ministrum, cujus solerti opera etiam usi sumus in emendatione libri pontificalis; qui omnia quam diligentissime collegit, et accuratissime annotavit, ut parvo labore in digerendo libro opus fuerit. Tertium librum addidimus generalia quædam, normas atque cujusque officii summarias instructiones continentem, præposuimusque cuique libro capita rerum quæ in eo continentur, ut facilius quid quisque desiderat invenire queat. Admirabuntur fortasse complures diserti et Latinæ linguæ censores quod vim proprietatemque verborum Latinorum non usquequaque servaverimus, quodque plura admiscuerimus nova vocabuli quæ latinius dici potuissent. Quibus ingenue fatebimur ignorantiam nostram. Et tamen multa ibi esse affirmabimus quæ, si aliter dicerentur, non facile ab omnibus intelligerentur. Secuti sumus in his terminos a superioribus harum rerum scriptoribus usurpatos, et qui hodie etiam sunt in usu apud sacrorum ministros, arbitrati sanctitatem tuam, et sacrum senatum non tam verborum lenocinia quam rerum ordinem et explicationem a nobis exacturos. Quibus si satisfecerimus, Deo optimo maximo bonorum omnium largitori, qui unde satisfacere possemus clementissime tribuit, gratias agimus immortales; sin minus, ut imbecillitati ruditatique nostræ ignoscas, et obtemperandi studium benigne suscipias, etiam atque etiam supplices exoramus. Vale. Romæ Kal. Martiis, anno salutis 1488.

V.

EX DIARIO PARIDIS DE GRASSIS.

587 *Contra electum Corcyrensem, qui prædictum Augustini librum sub suo nomine vulgavit.*

Hodie, nempe XI Martii, anno 1517, cum mihi dictum esset librum cæremonialem nostrum, quo respublica nostra ecclesiastica regitur et gubernatur, fuisse Venetiis impressum, et ad Urbem remissum omnibus venalem dolui vehementer; et priusquam aliquid dicerem pontifici, super hoc conquestus fui cum cardinalibus, qui in die creationis annuæ papalis exspectabant pontificem venturum ad Missam. Et aliqui, imo multi ex eis commoti, scandalizati sunt, quod cæremoniæ sacræ et mysteria eorum divulgata fuerant, sic ut cæremoniæ nostræ, quæ erant quid sacrum, fiant quid publicum, etc. Et in fine dixerunt papæ dolentes. Papa autem, prima facie turbatus, dixit se facturum quid cardinalibus placeret. Et quia cardinalis sanctæ Crucis forsan fuerat causa quod imprimeretur liber ille, dixit non malum esse. Tandem papa commisit cardinali de Grassis, protectori officii cæremoniarum, ut simul cum auditore cameræ provideret, ne amplius aliquod volumen venderetur usque ad diem consistorii, quia tunc exquisitis votis omnium cardinalium concluderetur. Et sic factum est.

Deinde cum, collatione facta de illo impresso cum nostro, invenissem multa fuisse ad libitum addita, et plura similiter cassata, retuli papæ præsentibus cardinalibus in consistorio sequenti; ac papa vidit ac magis commotus est. Et vocato iterum auditore cameræ, mandavit ut omnia volumina impressa apud se habeat et sic retineat, donec aliud sibi dixerit.

Sicut supra dixi, 11 Martii scripsi electum Corcyrensem publicasse librum cæremonialem contra jus fasque, et papa mihi commisit ut ipsum librum diligenter viderem ac collationarem cum originali, si quid esset additum vel imminutum, quod illud signarem ac referrem. Itaque eo totaliter viso et signato, feci hanc meam epistolam, quam præmisi quasi invectivam contra ipsum Corcyrensem temeratorem libri sacri, et eam papæ dedi in manibus; et legit et approbavit, mandans mihi ut in primo consistorio recitem causas quibus motus fui, et exaudiret præsente senatu petitiones meas, quæ sunt ut ipsa epistola de verbo ad verbum hic posita, sic videlicet:

Sanctissimo domino nostro Leoni papæ V Paris de Grassis episcopus Pisaurensis, cæremoniarum magister. Inter sacras solemnesque Romanæ Ecclesiæ ceremonias, beatissime pontifex, a juventute mea versatus tuo ac tuorum beneficio prædecessorum, **588** illis jam ad 16 prope annum præfectus, piaculum ingens, et id quidem calumniæ et ignominiæ plenum, facturus videor, si transeam sub silentio, et conniventibus oculis patiar illas per libros sacrorum rituum, nuper sub nomine cujusdam falsi et temerarii auctoris impressos, corrumpi ac in contemptum apostolicæ Sedis divulgari; atque antecessores meos, qui eisdem præfuere cæremoniis, illasque mihi tanquam per manus dedere suis laboribus, suis vigiliis ac studiis, contra jura legesque defraudare æquo animo feram sub felicissimo sanctitatis vestræ pontificatu, cujus ingenii dotes ita longa experientia omnes didicimus, ut jam non dubitemus eam (si qualia hæc sunt intelligat) pro sua erga Deum pietate, pro sanctæ sedis apostolicæ majestate ac innata justitia, non solum non passuram, sed, sicut ego ea pro criminis magnitudine sine hac verborum detestatione præterire non possum, ita illam acriter vindicaturam. Nam quemadmodum justi cujusque principis est curare ne quisquam suo jure fraudetur, ita, si diligenter inspexerimus, ad quempiam alium non magis spectat quam ad Romanum pontificem, ne sacræ suæ cæremoniæ maculentur, neve aliqua in parte alterentur, ac præsertim ne corrumpantur, sed et quod omnium principum est ne prolatæ in vulgus velut prostitutæ pontificalium sacrorum existimationem minuant, flocci faciant, et contemnantur. Quod si in primis tua ac sacrosanctæ sedis apostolicæ res agitur, beatissime pontifex, ne pigeat, obsecro, hæc, qualiacunque sint, quæ temporis angustia cursim collegimus, perlegere. Inveniet profecto in his, non quæ verborum contextu auribus grata et jucunda, sed quæ ad rem tuam maxime pertinentia sint et necessaria. Verum antequam ab eo exordiar quod hæ sacræ cæremoniæ in vulgus minime prodendæ sint, respondebo illorum opinioni qui exi-

stimant religionis christianæ cæremonias ad publicam immortalium utilitatem esse divulgandas, moti forsan vel eo argumento, quod ipsa divini Numinis deductio et cætera Ecclesiæ sacramenta libris Pontificalibus impressa et publicata sunt. Quippe illa ad omnes Ecclesias et singulos quosque sacerdotes pertinent, nec omnino recondi poterant. Hæc ad Romanam Ecclesiam tantum, ejusque summum pontificem, suosque duntaxat ad id operis vocatos ministros. Sed utinam etiam et illa quæ dixi secretiora forent et magis recondita! Non enim ea quotidie, ad profanas manus in sacerdotii contemptum, nec ad alienas sectas in nostræ religionis irrisionem devenire videremus. At quoniam acta reprehendi magis possunt quam corrigi; revertamur ad rem nostram integram adhuc, ne hoc malo exemplo et ipsa labefactetur. Novit jam pridem sanctitas tua omnem Romanorum pontificum auctoritatem, omnem majestatem hujus sacrosanctæ sedis pendere ex animis opinionibusque principum et prælatorum. Dum enim illi summos pontifices non tanquam mortales homines, sed tanquam deos in terris existimant et credunt, illis se sponte sua subjiciunt, illis parent, illos suspiciunt ac venerantur, et etiam adorant, incredibilique quadam afficiuntur admiratione, cum aliquando audiunt aut vident supra humanum opus ab illis per eas de quibus agimus cæremonias **589** in sanctorum numerum quempiam referri, pontifices tanta solemnitate, tantaque observatione eligi atque sanctificari, imperatores coronari, reges inungi, cardinales assumi, patriarchas, archiepiscopos episcoposque consecrari, ac cætera effici quæ tunc rerum magnitudine, tum varietate, divinitatem quamdam præ se ferre videtur. Quod si sacrorum arcana pandantur, et sacræ publicentur cæremoniæ, illico futurum est ut omnis opinio minuatur, ut pontificia auctoritas elanguescat necesse est. Suberit extemplo summus pontifex vel uniuscujusque plebeii hominis censuræ. Alius ritus non recte a majoribus ordinatos redarguet; alius non observatas traditiones objiciet; alius morem cultumque sacrorum perperam interpretabitur; alius gestus deridebit et sub annabit. Et cum antecessores tui consueverint, pro tempore, pro loco, pro necessitate cæremonias quandoque mutare, non erunt summi pontifices sui arbitrii, neque sine vulgi murmuratione id exsequi poterunt, utcunque res familiari cognitione in contemptum adducent. Quod ne fiat, non minus curandum a nobis, qui vero fidei lumine illustramur, quam curatum sit olim a gentilibus in suis superstitionibus, quibus quasi peculiaris mos omnibus arcana cæremoniarum nec velle, nec audere in vulgus edere, asserentibus non licere profanis nosse deorum mysteria, semper fuit; in quibus nulla major quam fides silentii deberetur. Quod ut cætera innumerabilia taceam, quæ circa hæc a Macrobio, Apuleio, Valerio, Plutarcho, ac cæteris antiquis auctoribus referuntur, memoriæ traditum est Tarquinium regem, M. Tullium, quod librum secreta civilium sacrorum continentem cuidam Sabino describendum dedisset, Colso insulam in mare abjici jussisse. Quod si apud eos tanto supplicio libri sola descriptio vindicata est, qua pœna apud nos erit afficiendus qui non solum sacra descripserit, sed etiam descripta corruperit, ac corrupta divulgaverit? Adde quod ille triumvir illis eisdem sacris præerat, licebatque illi eumdem librum legere et attrectare; hic noster ab omnibus cæremoniis alienus ex sacris penetralibus furto librum hunc subripuisse facile credi potest. Nam cum Innocentius VIII summa industria collectas in hunc librum cæremonias, non ignorans quam retinenda et occultanda forent sacrorum arcana, in palatii sacrario ac interiori bibliotheca magna cum diligentia observanda reposuisset, ut inde per illos tantum qui præessent, quando opus esset, incorrupte haurirentur, idque huc usque observatum fuisset, quomodo ad hujus manus pervenerint, non liquet satis. Illud certissimum est, quod hic novus homo, et modo sacris initiatus, unus inventus est, qui quod nemo alius etiam inter sacras cæremonias educatus unquam ausus fuisset, auderet non solum librum hunc in profanas manus edere, sed etiam multa subtrahere, nonnulla addere, et quamplurima immutare et corrumpere. At dicat ipse, obsecro, ubinam istas cæremonias, quas immutabat, didicerat? quo auctore, quo magistro, qua facultate nitebatur? nam si liber ipse cæremonialis a sede apostolica approbatus jus et legem facit, ut in Clementinis, tit. *de jurejurando*, sancitum est, et nulli præterquam principi licet ea quæ juris sunt immutare, **590** qua audacia hunc impulsum dicemus, ut cum secundum constitutiones nomen adhuc suum nesciret (appellavit enim se ubique electum archiepiscopum, cum electum tantum appellare debuisset, nec licebat ante pallii assumptionem quemquam archiepiscopum nominari), hanc juris mutationem sibi licere putaret? Describebat profecto bonus vir quod minime intelligebat. Si enim eadem non ignorasset, neque ambulasset in tenebris, non posuisset *sinistram* pro *dextra*, non *fidelem* pro *filialem*, non particulas negativas aut disjunctivas aliquando omisisset, quæ sensum pervertetent aut depravarent; non prætermisset *fanones*, *vexilla*, *colores*, *collegia;* nec immutasset juramenta, Benedictiones, unctiones, et cætera quæ de substantia sunt et characteres imprimunt, quæ nullo pacto immutari debent aut possunt. Sed quid in his moror? ad mille et supra, beatissime pater, corruptiones enumeravimus in libro hoc suo nuper impresso, dum illum cum exemplari protocollo Pientini præsulis, veri auctoris, contulimus. Nec verbis nostris fidem habeat sanctitas vestra librum ipsum quem protuli intueatur. Signata sunt loca, aut asterisco, aut linea, aut litura. Nulla prorsus pagina errore vacat. Quæ omnia non minus pro pietate tua erga Deum reprobare et repellere debet sanctitas tua quam pro tua justitia curare, ne defuncto eidem præsuli Pientino, viro doctissimo, ac de sede apostolica bene merito, vis et injuria inferatur, suisque vigiliis, suo nomine spolietur, ac suo honore privetur. Is cum plures annos magistratum cæremoniarum egregie et scite exercuisset, ab Innocentio VIII prædecessore et affine tuo ab hujusmodi magistratu vacatione accepta, eisdem tamen stipendiis Senas, tanquam in secessum litteratorium, ad Romanæ Ecclesiæ cæremonias in librum hunc colligendas missus est. Laboravit triennio vir gravis et summæ experientiæ; demum incredibili studio et exacta diligentia absolutum librum ejusdem pontificis nomini antepositis suis epistolis dedicavit, contentus vel eo nomine quod apud posteros non auctor, sed quasi collector aut compilator sacrarum cæremoniarum diceretur. Nec existimavit bonus pater aliquem suo tantum nomini invisurum. Sed o mores hominum! non erubuit sub tuo pontificatu electus ille Corcyrensis ejus Patris, cujus debuisset potius observare memoriam, abradere nomen et epistolas, ac suas ita inserere, ut se libri hujus cæremonialis auctorem credere secutura posteritas crederetur. Quis enim in hoc libro nuper impresso præterquam unus Christophorus Marcellus nominatur? Quodnam Pientini præsulis auctoris, aut alterius cujusvis legitur nomen? Quin etiam subtraxit iste, qui tam impudenter alienos sibi labores vindicat, verba illius optimi Patris, quibus in capite de clericis cæremoniarum imperfectionem suam excusabat, dicentis inter alia: Utinam tam bene officium meum sustinere scivissem, cum in eo fui, quam bene imperfectum meum cognosco. Eat igitur, etsi non dolo, non fraude id fecisse autumet, dicat se suas epistolas ad ornamentum tantum apposuisse, non ut laudes alienas usurparet. Sed interrogetur, obsecro, cujusnam sit illa lucubratio quam adeo efficacissimis verbis a sanctitate tua accipi **591** in prima epistola efflagitat, utrumve intelligat brevis epistolæ suæ, an totius operis lucubrationem;

interrogetur, inquam, a quo absoluta maxima pars operis videri poterat, cum tot et tanta priore libro peregerit, ut ipsa altera epistola ampullatum; vel a quo ultimus absolvitur liber, ut ejus verbis utar. Putabatne simplex vir, dum opus alienum ad verbum transcribebat, futurum ut nunquam in furto deprehenderetur? an id magis ingenium fortasse opinabatur, quam mutum reddere vel fateri per quem profecisset? An existimabat potius tantum opus, paucis admodum immutatis verbis et rubricis, ita suum fieri, ut veri auctoris nomen penitus aboleretur? Primum se omnium hæc ad usum et voluptatem communicasse commemorat. O egregium opus! o laboriosam concinnationem! Exsequias juste emendavit; *albam*, *album*; *genuflexum*, *supplicandum*; *officiales*, *magistratus*; *pileum*, *galerum* concinnavit. Pro *lignis*, *tignis* supposuit; pro *cusino*, *pulvino*; pro *bacili*, *vase*; pro *perfectis*, *peracta*; pro *platea*, *aream*; pro *armis*, *insignia*; pro *rubeo*, *purpureum* inseruit. Hæc et hujusmodi sunt frivola quidem et inania, quæ iste suis sesquipedalibus verbis se concinnasse jactat; ac si pura, nuda, clara et simplicia non magis religio exposceret, quam ista verborum lenocinia. At si concinnaturus erat, cur non omnia concinnavit? cur non eodem ubique modo, pro *papa*, *pontificem*, pro *Processionibus*, *supplicationes* subegerit? Modo easdem dictiones reliquit intactas, tanquam pertæsus etiam longam concinnationem eorum librorum quorum auctor haberi volebat. Quid, quod ubique nomen et excusationem ac epistolas auctoris delevisset? Non delevit etiam: *Hoc juramentum Fredericus III imperator, qui adhuc regnat, dum Senis esset, præstitit.* Quid et illud intactum reliquit? *Cæremonias in coronandis regibus servandas in libro Pontificali, quem nuper emendavimus, plene conscripsimus*, ut in altero scilicet dolus et mendacium appareret, defuncto jam diu imperatore, in altero furtum confiteretur; nisi mallet geminare Pontificalem librum illum, ita ut hos fecit sibi attribuens. Præteriit ultra hæc multa his non minora sive negligentia, sive ut omnia pariter confunderet. Nam et se interfuisse coronationi ejusdem imperatoris, et vidisse cardinales Nicenum et Atrebatensem, ac servisse Pio II per annos plurimos, et suo tempore nullum Romanum pontificem præter Sixtum IV consecratum satis impudenter autumat; ac si dicat nec Pium III, nec te Leonem X nostro tempore fuisse consecratos. Quæ cuncta ut primo auctori apprime conveniebant, ita huic supposititio et ejus libro omnem fidem adimunt. Aut enim illa non erant amovenda, aut hæc quoque cum illis abradenda fuerunt, ut concinnatum undequaque opus videretur. Ast o si ipse Pientinus auctor revertatur, et nunc sua jura reposcat! nonne iste operosus concinuator, tanquam Horatiana cornicula, alienis omnibus pennis deplumatus, cum suis tantum corruptionibus remansurus esset, futurusque omnibus ludibrio? At putabit forte ea sibi licere, si epistolas suas cum a se concinnato opere ad sanctitatem tuam direxisset, ejusque sacratissimo nomine culpam suam pertexisset, eos imitatus qui, ut impune furati sint, 592 furta magistratibus elargiuntur. Sed non vidit ingeniosus in alienis operibus auctor quantum beatitudinem tuam offenderet, dum tanquam inanis gloriæ nimis appetentem eam in locum abrasorum nominum ingerit, suique criminis participatione coinquinare contendit, non solum invidis et malevolis causam contra eam invehendi præbet, sed etiam ejus successoribus abradendi Leonis sanctissimum nomen cum tua ignominia, at cum laude sua auctorum nomina restituendi materiam relinquit. Quod si his quæ maxime sanctitatem tuam movere deberent non moveris, sanctissime pontifex, nec afficit te contemptus apostolicæ sedis, ac pontificiæ dignitatis, qui ex hac arcanorum invulgatione illico irrepturus est, moveat te, quæso, tua erga Deum pietas, nec eam una cum ipsis cæremoniis ab isto insolenti jactatore corrumpi patiaris. Moveant te Pientini episcopi inanes sui labores, suæ vigiliæ jura reposcentes. Moveat te demum Innocentii VIII prædecessoris tui affinisque memoria, cui tu tantum debes, ut fortasse nemo magis. Is enim suum abs te, tum jure affinitatis et gratitudinis, tum æquitatis et justitiæ reponi petit. Is librum suum integrum et incorruptum desiderat, et in arcanis reservari, ut vivens instituit, efflagitat. Obsequere eorum umbris, beatissime Pater, tam justa, tam pia, tam sancta postulantibus; et, quæ tua justitia est, rejecto et exploso etiam sub anathemate isto impudenti usurpatore cum suis corruptionibus, libros suis auctoribus restitue. Futurum est enim ut plus veræ laudis, plus gloriæ adeptura sit sanctitas tua in eorum nominibus reponendis, quam si quodlibet egregium opus a vero auctore sibi dicaretur.

Hanc epistolam cum in manibus papæ dedissem, legissetque libenter et avide, et acceptasset rationes et argumenta in ea per me allegata, versus ad cardinales aliquos, qui sibi forte adhærebant, dixit me rationem habere super petitionibus meis, et librum cæremoniarum nuper impressum omnino comburi simul cum falso auctore, sicut postulassem, aut saltem ipsum auctorem corrigi et castigari omnino debere prout præsentibus videretur. Itaque ad primum consistorium rem et causam differre, ut in ipso consistorio proponerem, prout proposui audientibus omnibus; et tandem papa mandavit tribus cardinalibus, videlicet R. D. Antonio de Monte tit. sanctæ Praxedis, et D. Petro de Accoltis sancti Eusebii Anconitano, et D. Achilli de Grassis sancti Sixti cardinali Bononiensi, protectori officii cæremoniarum, fratri meo, ut petitiones meas ad partes plenius intelligerent, et me, prout juris fuerit ac sibi videretur, expedirent tam super libro comburendo, quam auctore castigando, et ad urbem citando personaliter et comparendo. Itaque quid sequetur hic etiam successive annotabo.

ROMANORUM PONTIFICUM ANTIQUI CATALOGI DUO.

I.

(Ex Corbeiensi manuscripto sæculi sexti.)

Incipiunt Nomina Apostolicorum.

Petrus sedit annos xx mens. ij dies iij.
Linus sed. an. xj mens. iij d. xij.
Clitus sed. an. xij mens. j d. ij.
Climens sed. an. viiij mens. x d. j.
Euvaristus sed. an. viij mens. x d. ij.
Alexander sed. an. xij mens. vij d. ij.
Xistus sed an. x mens. ij d. j.
Thelispher sed. an. xj mens. j d. xxj.
Egenus sed. an. iiij mens. iij d. j.
Osus [a] sed. an. xviij mens. d. j.
Anicitus sed. an. xj mens. iiij d. ij.
Socher sed. an. viiij mens. ij d. xxj.
Eleutherius sed. an. xv mens. iij d. ij.
Victor sed. an. xv mens. iij d. x.
Vepherinus sed. an. xviij mens. vij d. x.
Calistus sed. an. v mens. x d. x.
Urbanus sed. an. viiij mens. j d. ij.
Pontianus sed. an. vij mens. x d. xxij.

[a] Pius.

Anthirus sed. an... mens. j d. xj.
Favianus sed. an. xiiij mens. ij d. x.
Cornilius sed. an. ij mens. iij d...
Lucius sed. an. iiij mens. viij d...
Stefanus sed. an. vj mens. j d...
Sistus sed. an. j mens. j d....
Dionethius sed. an. viij mens. v d...
Felix sed. an. iiij mens. j d. x.
Euthitianus sed. an. j mens. j d...
Gajus sed. an. xj mens. iiij d...
Marcellus sed. an. j mens. iiij d...
Eusebius sed... mens.
Melsiadis sed. an. iiij mens...
Silvester sed an. xxiij mens. x d...
Positio ejus Kalendas Januarias.
Marcus sed. an. ij mens. j d. xx.
Julius sed. an. xv mens. ij d. viij.
Liberius sed. an. vj mens. iv d. viij.
Felix sed... d. j.
Damasus sed. an. xviij mens. iij d. xj.
Siricius sed. an. xv.
Anasthasius sed. an. iij.. d. xxj.
Innocentius sed. an. xv mens. ij d. xxj.
Josemus sed. an. vij mens. ix d. ix *rec. manu* xix.
Bonefatius sed. an. iij mens. viij d. vj.
Celestinus sed. an. ix mens. x d. xvij.
Sistus sed an. vij mens... d. xix.
Leo sed. an. xx mens. j d. xiij.
Helarus sed. an. vj mens. iij d. x.
Simplicius sed. an. xv mens. d. vij.
Item Felix sed. an. viij mens. v d. xvij.
Athelacius [a] sed. an. iv mens. viij d. xviij.
Anastasius sed. an. j mens. xj d. xxiv.
Symmacus sed. an. xv mens. vij d. xvij.
Hormisda sed. an. ix mens... d. xvij.
Johannis sed. an. ij.
Felix sed. an. iij.
Bonefatius sed. an. ij.
Item Johannis sed. an. ij.
Agapitus sed. an. j.
Silverius sed. an. j.
Vigilius sed. an. xiiij.
Ab Apostoleca (sic) sede Petri Apostoli usque ordenatione (sic) sancti Silvestri anni CC L II.

II.

(Ex pervetusto Vaticano codice.)

Petrus sedit annis 25, mensibus 2, diebus 3.
Linus sedit annis 11, mensibus 3, dieb. 12.
Cletus sedit annis 12, mense 1, diebus 11.
Clemens sedit annis 9, mensibus 11, diebus 10
Anacletus sedit an. 12, mens. 10, dieb. 3.
Evaristus sedit an. 9, mens. 10, dieb. 2.
Alexander sedit ann. 10, mens. 6, dieb. 2.
Sixtus sedit ann. 10, mens. 2, die 1.
Telesphorus sedit an. 2, mens. 3, dieb. 21.
Yginus sedit an. 4, mens. 3, dieb. 4.
Pius sedit an. 19, mens. 4, dieb. 3.
Anicius sedit an. 2, mens. 4, dieb. 3.
Sother sedit an. 9, mens. 5, dieb. 21.
Eleutherus sedit ann. 15, mens. 3, d. 2.
Victor sedit an. 10, mens. 2, dieb. 10.
Zepherinus sedit an. 8, mens. 7, dieb. 10.
Calistus sedit an. 7, mens. 2, dieb. 2.
Urbanus sedit an. 3, mens. 10, dieb. 12.
Pontianus sedit ann. 9, mens. 5, dieb. 2.
Antherus sedit an. 12, mens. 1, d. 12.
Fabianus sedit an. 14, mens. 11, d. 2.
Cornelius sedit an. 2, mens. 2, d. 3.
Lucius sedit an. 3, mens. 3, dieb. 3.
Stephanus sedit an. 7, mens. 5, d. 2.
Sixtus sedit an. 1, mens. 10, d. 23.
Dionysius sedit ann. 6, mens. 2, d. 4.
Felix sedit ann. 4, mens. 3, d. 25.
Euticianus sedit ann. 1, mens. 1, d. 1.
Gaius sedit ann. 12, mens. 4, dies 12.
Marcellinus sedit ann. 9, mens. 4, d. 16.
Marcellus sedit ann. 5, mens. 5, d. 21.
Eusebius sedit an. 6, mens. 1, d. 3.
Melchiades sedit an. 4, mens. 7, d. 8.
Silvester sedit ann. 23, mens. 10, d. 11.
Marcus sedit an. 2, mens. 9, d. 20.
Julius sedit an. 15, mens. 2, d. 6.
Liberius sedit an. 6, mens. 3, d. 4.
Felix sedit an. 1, mens. 3, d. 2.
Damasus sedit ann. 18, mens. 3, d. 11.
Siricius sedit annis 15, diebus 25.
Anastasius sedit an. 3, dieb. 10.
Innocentius sedit an. 3, diebus 21.
Zosimus sedit an. 1, mens. 3, dieb. 11.
Bonifacius sedit an. 3, mens. 8, d. 6.
Cœlestinus sedit an. 8, mens. 10, d. 17.
Sixtus sedit an. 8, diebus 19.
Leo sedit an. 21, mens. 1, dieb. 13.
Hilarius sedit ann. 8, mens. 3, dieb. 10.
Simplicius sedit ann. 15, mens. 1, dieb. 7.
Felix sedit an. 7, mens. 11, dieb. 17.
Gelasius sedit ann. 4, mens. 8, dieb. 18.
Anastasius sedit an. 1, mens. 10, dieb. 24.
Simachus sedit an. 15, mens. 6, dieb. 27.
Hormisda sedit ann. 8, dieb. 17.
Johannes sedit ann. 2, mens. 8, dieb. 16.
Felix sedit an. 4, mens. 2, dieb. 13.
Bonifacius sedit an. 2, diebus 26.
Joannes sedit an. 2, mens. 3, dieb. 6.
Agapitus sedit ann. 11, mens. 1, dieb. 18.
Silverius sedit an. 1, mens. 5, dieb. 11.
Vigilius sedit an. 17, mens. 6, dieb. 26.
Pelagius sedit ann. 11, mens. 10 dieb. 28.
Joannes sedit an. 12, mens. 11, dieb. 26.
Benedictus sedit an. 4, mens. 1, dieb. 29.
Pelagius sedit an. 10, mens. 2, d. 10.
Gregorius Magnus sedit annis 13, mens. 6, dieb. 10.

[a] Gelasius.

INDEX

RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, QUÆ IN *LIBRO SACRAMENTORUM*, etc., ET IN NOTIS CONTINENTUR,

Id est a col. hujus voluminis 25 *usque ad* 849.

In hoc indice revocatur lector ad numeros in textu crassiori charactere expressos.

A

Abacus dicitur marmor, *id est* mensa marmorea, 433. Sumitur Abacus pro mensa marmorea calices continente, *ibid*.

Abbatis et abbatissæ ordinandorum ritus, 413, 526. In Ecclesia Græca abbas per impositionem manûs episcopalis creatur, 526. Ibi etiam licet abbati lectorem facere per manus impositionem in proprio monasterio, si ipse sit presbyter, *ibid*. In Ecclesia Latina non adhibetur manus impositio in benedictione abbatis, sed simplex oratio, *ib*.

A, B, C. Hæ tres duntaxat litteræ in dedicatione basilicæ olim depingebantur ab episcopo, 425. Nunc episcopus sua cambuta duo alphabeta integra depingit, alterum Græcum, alterum Latinum, *ibid*.

Abcturium, quid sit, 425.

Abdon (S.) Martyr, 116, 704.

Ablutio scelerum dicitur in pots...

munione, tempore Quadragesimæ; in Missa sancti Augustini legitur, abolitio sce erum, 609. — Ablutio corporis defuncti, juxta antiquam Christianorum consuetudinem, 482. Cur abluantur corpora defunctorum, *ibid.* Tabithæ Joppensis defunctæ corpus ablutum, *ibid.* Hujus lotionis cæterorumque pietatis officiorum erga corpora defunctorum traditio asseritur, *ibid.* Mortuorum lota corpora olim ungi consueta, 483. Cur corpora inter ipsas exsequias uncta, *ibid.*

Abrenuntiare poni solet pro eo quod est spernere, rejicere, contradicere, 367. Baptizandus abrenuntiare se fatetur Satanæ et omnibus pompis ejus, *ibid.* 383. Cur abrenuntiationem hanc confessio sanctæ Trinitatis sequatur, *ibid.* Satanas a fidelibus abrenuntiatur, ut Domino liberius serviatur, *ibid.* Dicuntur baptizati renuntiasse diabolo et angelis ejus; vel renuntiasse sæculo, 383. Renuntiasse diabolo, pompis, spectaculis, et operibus ejus, *ibid.* Vulgo terna fit abrenuntiatio : additur quarta a sancto Cyrillo, *ibid.* In Ecclesia Ambrosiana duæ tantum abrenuntiationes fieri solebant, *ibid.* Renuntians convertebatur ad occidentem, *ibid.* Cur facta abrenuntiatione convertebatur ad orientem, manibus sursum elevatis, *ibid.*

Absolutionis forma, qua pœnitentes reconciliabantur Ecclesiæ feria quinta, in cœna Domini, 458. Qua parte Missæ absolutio dabatur olim pœnitentibus, *ibid.* Pœnitentium reconciliationi orationes tantum adhibentur, 459. Absolutionis formula, in s pulcro reperta, notatu digna, *ibid.* Controversia inter sanctum Thomam et alium doctorem, de forma absolutionis deprecatoria, vel enuntiativa, *ibid.* Utramque indifferenter admittit Alensis, *ibid.* Absolutionis formæ variæ, *ibid.*, 460. Hæc valet : Ego dimitto tibi peccata tua, *ibid.* Græci in absolutione a peccatis utuntur multis formis deprecatoriis, *ibid.* Quibus addunt : Habeo te venia donatum, *ibid.* Olim non solebat dari absolutio, sive ab excommunicatione, sive a peccatis, ante peractam integram satisfactionem, nisi in mortis articulo, *ibid.* Aliquando ad preces martyrum, vel confessorum, episcopi aliquam ejus partem remittebant, *ibid.* Hic erat usus Ecclesiæ Romanæ et Occidentalium, 461. Pœnitentes absolutionem consequebantur in fine quarti gradus pœnitentiæ, qui consistentiæ dicebatur, *ibid.* Absolutio infirmi confessi, 547. Absolutio a fratribus, 519.

Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, etc., non exstat in veteribus Sacramentariis, 508. Accipe Spiritum sanctum, etc., quam formam episcopus pronuntiando imponit manus super capita singulorum presbyterorum, 509. Hic quoque ritus cum sua forma abest a veteribus Sacramentariis et antiquis auctoribus, *ibid.*

Acclamatio Vivat Rex fieri solita in coronatione regis, 594.

Acerra est ara quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur, 428. Sumitur etiam pro thuribulo, *ibid.*, 438.

Achilleus (S.) martyr, 87, 392, 694.

Ἀκόλουθος, acolythus, *id est* qui retro iter facit, seu pedisequus, 493. In usu Ecclesiæ acolythi Græce, ceroferarii Latine dicuntur, a deportandis cereis, *ibid.* Vetus acolythorum mentio in Ecclesia, *ibid.* Quo Missæ loco ordinentur acolythi, 487. Ordinatio acolythi, 221. Ipsorum est luminaria accendere et deportare, *ibid.* Suggerere vinum et aquam in Eucharistiam corporis Christi, 491. Ipsi suggesta pro Eucharistia subdiaconis ministrant, *ibid.*

Ἀκρόασις, *id est* auditio, secundus pœnitentium gradus, 461.

Actio in canone est ipsa consecratio; sicut agenda est Missa, in libris liturgicis, 482.

Adalardus abbas Corbeiensis cum Bernhario episcopo missus a Carolo Magno imperatore ad Leonem III papam, 379. Sacra unctione delibutus, sacro viatico pastus est, 536.

Adalheis (S.) agens in extremis, sacri olei unctione peracta, viaticum humiliter et devote suscepit, 536.

Adauctus (S.) martyr, 127, 709.

Ad Complendum oratio dicitur ultima Missæ; quod sit complementum et conclusio totius Missæ, 295. Nunc dicitur postcommunio, *ibid.*

Admonitio archiepiscopi, 510.

Adoptivus Dei filius non est Christus, sed naturalis, 365, 378. Elipandus episcopus Toletanus, cum Felice Urgelitano Christum esse Filium Dei adoptivum asseruit, *ibid.*

Adoratio crucis fit ad vesperam, feria sexta in Parasceve, 69. Mos antiquus adorandi crucem die magnæ Parasceves, 541. *Vide* Crucis adoratio.

Adrianus imperator diis omnibus commune templum Athenis ædificavit, 393.

Adulterium qua pœna canonica mulctandum, 465.

Adunare, in canone rogatur ut omnium credentium sit cor unum, 284.

Adventus Domini hebdomadæ, seu Dominicæ quinque numerantur, 136, 445. Alibi numerantur quatuor, 186. 445. In Missis Ambrosianis sex sunt Dominicæ de Adventu, 445. Ibi Dominica prima Adventus proxime sequitur festum sancti Martini, *ibid.* Jejunium Adventus Domini olim quadraginta dierum, 445. Varium fuit Adventus jejunium pro diversitate locorum et temporum, *ibid.* Monachi in Gallia de Decembri usque ad Natale Domini, omni die jejunent, 446. Romani olim exordium Adventus et jejun i a Dominica post festum sanctæ Catharinæ virginis, ducebant, *ibid.*

Ædes sacræ ad orientem conversæ, 329.

Ægroto valde debili sanguis Christi solus in viaticum datus, 534. Sacrificium mistum datum, *ibid.* 570.

Ægyptiæ virgines tonsæ, 413. Ægyptii olim, in qua domo canis mortuus fuerat, omnes domestici toto corpore raso, afficiebantur magno luctu, 477. Ægyptiorum ratio in observanda Quadragesima, 315.

Ætas virginis consecrandæ, 411.

Ætheldrytæ et Gertrudis nomina post Anastasiam recitantur in canone, 4, 290.

Æthiopes, quando sublevant corpus Christi in Missa, 566. Æthiopum ritus in benedictione fontium baptismalium, 350; in unctione chrismatis, 561.

Afrorum additio in canone, 283.

Agapetus (S.) papa, 310.

Agapitus (S.) martyr, 118. Quindecimo Kal. Septem.. sancti Agapiti martyris, 123, 705, 707.

Agathe (S.), secundum flexionem Græcam, 290, 508, 665. Nomen ejus in canone, 4, 25.

Agenda, est officium divinum, 482. Dicitur agenda mortuorum, *ibid.* Agenda, in libris liturgicis, idem est ac Missa, *ibid.*

Ἅγια (τὰ) τοῖς ἁγίοις, *id est* Sancta sanctis, 566.

Ἅγιος, 311.

Agne (S.), Agnes, Græcæ declinationis forma retenta, 603. Agna, Agnes, Agnetis, 4, 21, 304. Nomen ejus in canone, 290. Depositio reliquiarum ejus, 304. Natale sanctæ Agnetis de nativitate, vel secundo, quinto Kalend. Februarii, 23, 664.

Agni cerei olim in Sabbato sancto, loco cerei paschalis, Romæ ab archidiacono benedicebantur, populo distribuendi, 346, 565. Quando hic ritus cœperit; quando desierit, 347.

Agnus Dei, etc. Sergius papa primus in Missa cantari jussit a clero et populo, 292. In Missa Sabbati sancti non cantatur Agnus Dei, 388.

Agrippa Vipsanius Pantheon Romæ ædificavit, 392. Cur istud templum Pantheon appellatum, *ibid.* Hoc templum Bonifacius IV papa convertit in ecclesiam sanctæ Mariæ, *ibid.*

Aidanus rex Hiberniæ, in sua coronatione manus impositionem accepit, 595.

Alba talare est vestimentum lineum, quod poderis nomine appellatur, 556.

Albanensis episcopus adest Ostiensi in ritu consecrationis papæ, 517. In consecratione imperatoris, funduntur tres a tribus episcopis orationes, quarum primam episcopus Albanensis fundit, 586.

Albion est Britannia Major, 259, 586. Quis regum Francorum ante annum 986 unctus fuerit in regem Anglorum, 587. Videtur fuisse Ludovicus IV, cognomento Ultramarinus, *ibid.*

Albis educti e fonte baptismali induebantur vestibus, 336. Quid significent albæ vestes renatorum, et angelorum Christi resurrectionem nuntiantium, 369. Dominica in Albis depositis, 390.

Alcuinus philosophus, abbas sancti Martini, anno 804 obiit, 319. Alcuinus de unica Hispanorum in baptismo mersione refutatus, 353.

Alexander (S), papa primus, nominatur in canone, 4, 290.—Alexander (S.) episcopus Alexandrinus, cum pueros a puero Athanasio baptizatos inunxisset, Christi signaculo consummavit, 359. — Alexander, Eventius et Theodulus (SS.), 693. Sancti Juvenalis, Alexander et Eventius, 694.—Alexander Severus imperator querebatur non inquiri de rectoribus provinciarum constituendis, cum id fiat apud Christianos de ordinandis sacerdotibus, 497.

Alleluia non dicitur quando litania agitur, 1. Cur olim hæc vox lætitiæ in officio defunctorum non fuerit prætermissa, 480. Hæc etiam vox lætitiæ a Græcis canitur in liturgia de his qui dormierunt, finita Epistolæ lectione, *ibid.*

Allocutio episcoporum ad populum in ecclesia in coronatione regum, 584. Consensu expresso, Deo agunt gratias, 257, 585. Hæc allocutio facta est in coronatione Caroli Calvi, et Hermintrudis conjugis ejus, et Henrici II, et Henrici IV, Franciæ regum, *ibid.*

Alphabeta duo, alterum Græcum, Latinum alterum, ab episcopo depinguntur integra in pavimento, cum cambuta in dedicatione ecclesiæ, 425. Quidam olim adjiciebant Hebraicum, *ibid.* Alphabeta ex transverso quadrangula ratione describit episcopus, *ibid.*

Altarium nudatio olim fiebat sexta feria Parasceves, 342. Olim etiam in quibusdam locis nudabantur in cœna Domini, *ibid.* Olim altaria, parietes et pavimenta templi, et vasa sacra lotione purificabantur, 343. Cum hyssopo aspergit episcopus ipsum altare ex ca-

dem aqua sep'em vicibus, 427. Ecclesiæ dedicationem sequitur altaris consecratio, 428. Olim altaria cum signo crucis consecrari solebant, 429. Unctionis altarium usus est antiquus, *ibid*. Altare chrismate perungitur juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, *ibid*. Prius oleo, deinde chrismate ungitur, 430. Altaria per invocationem nominis Dei consecrantur et sanctificantur, *ibid*. Altaria lignea olim fuere in usu in Africa; in quibusdam Galliæ Ecclesiis, et in Oriente, tempore sancti Athanasii, 431. Ornatur altare Evangelio dicto. *id est* sternitur linteaminibus et palliis, 249, 574. *Vide* Reliquiæ, Confessio.

Amalarius Fortunatus de ordinatione diaconi refutatus. 498. Habet suæ opinioni faventes aliquot Codices antiquos, qui et episcopi et astantium sacerdotum manus diacono statuunt imponendas, *ibid*.

Amandi (S.) nomen recita'ur in canone Missæ, 283.

Amantii (S.) natale quarto idus Februarii, 310.

Ἄμβων. Ambones dicuntur montani et excelsi loci, 547. Ambo est ecclesiæ pulpitum sive suggestum, *id est* locus in ecclesia excelsus, de quo lectores legebant, et psaltæ canebant, *ibid*.

Ambrosiana forma Extremæ Unctionis, 534. Ambrosianus Adventus habet sex septimanas, 415. Incipit Dominica post festum sancti Martini, *ibid*.

Ambrosius pœnitentes sibi peccata confitentes, suis lacrymis flere compellebat, 470. Hanc orationem : Ante conspectum, etc., sanctus Ambrosius solebat recitare ante Missam, *id est* ante Offertorium, 526. Qua corona, vel mitra sanctus Ambrosius fuerit usus, 557. Sancti episcopi divinam virtutem commendabant eloquentiam, *ibid*. Sancti Ambrosii locus in officio sancti Laurentii restitutus, 500.

Amen olim responsum ad consecrationis verba, 577. Accipiendo communionem, 580. Ad singulas Trinitatis personas in baptismatis forma, 554.

Amittere, *id est* amovere, amandare, ablegare, 531.

Ἀμφιδρόμια dicitur a quibusdam factis circa focum gyris superstitiosis, 550. Amphidromia fiebat die septima a natali, dum nomina infantibus imponebantur, *ibid*.

Ἀμφίθυρον significat velum ad cancellos sacrarii, seu chori appensum, 433.

Ampulla est vas in quo oleum reconditur, 325. In ampullis reconditur oleum, seu chrisma juxta morem antiquum, *ibid*. Ampulla sacro oleo plena e cœlo missa, quo oleo, seu chrismate, Francorum reges ungi solent, 588.

Ἀνάδοχοι, *id est* susceptores et patrini dicuntur, qui baptizatos de sacro fonte suscipiunt, 357.

Ἀνάρρησις est veluti quædam prædicatio ex nomine, 525.

Anastasiæ (S.) nomen recitatur in canone, 4, 290. Missa in mane prima Natalis Domini ad sanctam Anastasiam, 7, 298.

Anatolii patriarchæ Constantinop. suffragium in actione undecima concilii Chalcedonensis de episcopo Ephesi ordinando, 512.

Andreæ (S.) apostoli fit mentio in canone, 3, 4. Festum ejus fit cum vigilia et jejunio, 143, 713. Ejus passionis acta probantur, 145, 425. Ejus officium, 836. Aliud ejusdem officium, forte translationis corporis ejus, 840. Sancti Andreæ basilica Vaticanæ erat proxima, 786.

Angelorum omniumque spirituum cœlestium, more antiquo, fit mentio in præfatione Missæ, 280. Angeli alternis cantibus Deum laudant, 651. Hunc alternandi morem ab angelis accepit sanctus martyr Ignatius, *ibid*.

Angusticlavia dicuntur vestimenta quorum angusti clavi, 325. *Vide* Clavi.

Anima incorporea, 382. Anima in Christo perfecta, *ibid*.

Animal. Coitus cum animalibus pœnæ canonicæ, graves et prolixæ, 467, 474. Hic habetur ratio ætatis; et si uxorem habeat, vel non, *ibid*.

Anniversarium dedicationis basilicæ, 154, 438; nuptiarum, 596; ordinationis papæ et episcopi, 520.

Annotinum Pascha dicitur anniversarium a baptismo, quo die baptizati celebrant sui baptismi memoriam, 390. Hoc Pascha celebratum post Dominicam in Albis fuisse videtur, *ibid*., 791.

Annulus discretionis benedictus datur episcopo in digito, 510. Immittitur annulus in digitum reginæ in sua coronatione, 557, 595. Annulus a sponso sponsæ traditus, quid significet, 598. Hic ritus in Ecclesia antiquissimus, *ibid*.

Annuntiatio archiepiscopi, 510. — Annuntiatio angeli ad Mariam, 31. Annuntiatio sanctæ Mariæ, 663. Sancta annuntiationis dies. Dei matris annuntiatio, 313. Hoc festum octavo die ante Christi Nativitatem celebrari jubetur, 31, 621. — Annuntiatio ad orationem, 321.— Annuntiatio festorum, 439.

Ἄνοιξις, ἀνοίξιον, *id est* apertio, seu ritus aperiendæ Ecclesiæ, in sua dedicatione, usitatus apud Græcos, sicut apud Latinos, 424.

Antelucani cœtus Christianorum in Ecclesia primitiva, ad sacra mysteria celebranda, 324. Inde calumniæ paganorum in Christianos, *ibid*.

Antiochiæ basilica occidenti obversa, 329.

Antiphona interpretatur contrasonans, 651. Apud ecclesiasticos significat alternis vicibus canere, *ibid*. Gregorii Nazian. ætate jam hic frequentabatur in monasteriis canendi modus, 652. Semper psalmus sequitur antiphonam, 275. Unde dicta antiphona, 649. Antiphona quæ in Mi sa præcinitur, dicitur antiphona ad introitum, 275. Duplex in quibusdam Missis, 554. Antiphona in Evangelio, *id est* quæ præmittitur canticis *Magnificat*, vel *Benedictus*, ex Evangelio desumptis, 735. Antiphonæ de apostolis, *id est* ex Epistolis Pauli desumptis, 763.

Antiphonarius, liber ab antiphona dictus, 649. Dicitur quoque Officialis, ab officio, *ibid*. Antiphonarius a sancto Gregorio non institutus, sed ornatus, 652. Sanctus Ambrosius inter Latinos Antiphonorum auctor qui dicitur, *ibid*.

Antonii (S.) confessoris depositio xvi Kal. Febr. notatur, 304. — Antonius episcopus Olbiatis, electus communi omnium, populi, et cleri, suffragio, manuum impositionem a Theophilo Alexandrino requirit, 508, 512.

Ἀπερίγραπτον, *id est* incircumscriptum, incomprehensibilem; loco vocis Ascriptam, in canone, 286.

Apertio basilicæ in dedicatione, 424. Apertio aurium, catechumenis fieri solita, quid significet, 366. Quo ritu fieri debeat, *ibid*., 381. Benedictio in aurium apertione dici consueta, 630. *Vide* Aures.

Ἀποτάσσεσθαι, *id est* renuntiare, abrenuntiare, 383.

Apollinaris (S.) Natale x Kal. Augusti, 407, 116, 704. — Apollinaris hæresis in quo consistebat, 382.

Apologia est excusatio et purgatio qua sacerdos excusat se quod indignus ad tremenda mysteria accedat, 526, 615. Apologia, purgatio, satisfactio, *id est* excusatio, *ibid*. Sacerdos quibus Missæ locis apologias dicebat, *ibid*. Apologia jussu Urbani VIII papæ edita, 530.

Ἀπολογοῦμαι, *id est* excuso me, 526.

Ἀπόλυσις dicitur a Græcis dies octava solemnitatis, *id est* discessio; quod finem festum accipiat, 500.

Ἀποστάτης, *id est* refuga et desertor, 532. Ἀποστάτης legit sanctus Augustinus, non vero ἀποστασία, *id est* discessio, in cap. ii Epist. II ad Thessal. *ibid*.

Apostolus dicitur pro Epistola sancti Pauli, vel apostolorum, 1, 278, 491, 600.

Apuleius (S.) martyr Non. Oct., 418.

Apum prolixæ laudes in benedictione cerei Paschalis, 344. Apum industria et virginitas, 346.

Aqua in Epiphaniæ festo solemniter, sancta cruce in aquam mersa, benedicitur ad baptismum, et usus varios christianorum, 302. Aqua benedicta a populo hausta, 418. Aqua baptismalis, ex veteri Ecclesiæ consuetudine, solemni ritu benedicenda ab episcopo, 348. Hæc consuetudo inter apostolicas traditiones recensetur, *ibid*. Antiqua est Ecclesiæ consuetudo, ut aqua baptismalis per signum crucis benedicatur, 349. Per invocationem Dei, *id est* formam baptismi aqua sanctificatur, et vim accipit sanctificandi, 384. In quodam Lyciæ oppido aqua baptisterii miraculosa, in Epiphania, 399. In baptisterio quoque Ebredoni aqua divinitus oriebatur in natali et in cœna Domini, *ibid*. Aqua de hoc baptisterio ad aliud lavacrum, causa baptismi, solebat deferri, *ibid*. Olim in Meltino Siciliæ oppido fons baptisterii quotannis in die Paschæ divinitus implebatur aqua, *ibid*. — Aquæ benedictæ institutio ad Alexandrum papam primum, vel etiam ad sanctum Matthæum apostolum refertur, 348. Antiquus mos est statuere in ecclesiæ vestibulo vas aquæ benedictæ ad populi ingredientis purificationem, *ibid*. Est antiquus Ecclesiæ mos, ut aqua signo crucis adhibito benedicatur, 533. Aquæ benedictæ aspersio in domo infirmi, 532.— Aquæ benedicendæ ritus in dedicatione Ecclesiæ, 146, 425. Est antiqua consuetudo ut ecclesia aquæ benedictæ aspersione sanctificetur, 425. In hac benedictione aqua sale, cinere, vino, hyssopoque conspergitur, 148, 426.— Aquæ lustralis conficiendæ ratio apud ethnicos, 348. χέρνιβον, est vas aquæ lustralis, *ibid*.— Aquæ pauxillum casu in os influens non impedit communionem, 403. Per sanguinem et aquam quæ de Christi latere fluxerunt, quid significetur, 384. Cur aqua misceatur vino in calice, 373, 382, 551. Quid significet aqua vino mista, 374. De aqua vino miscenda in calice sanctificando scri,sit sanctus Cyprianus, 387. Cur Græci instante communione in sacrum sanguinem aquam ferventem infundant, 575.

Aquamanile est vas abluendis manibus aptum, 495.

Arbitrio voluntatis nostræ libero stante, Deus nos terrore cogit et amore perducit, 173, 444.

Archiepiscopi oratio super electum episcopum, 510. Ejusdem admonitio, *ibid*. Monitio post promissionem, *ibid*. Quomodo archiepiscopus pallium recipiat, 520.

Areæ crematio qua pœna per canones plectatur, 474.

Arianorum processiones, 414.

Ariolus, qui divinus vocari solet, quibus plectendus sit pœnis, secundum canones, 467.

Arma dicuntur ornamenta, vestimenta, 241, 556.

Armeni solo vino in sanguinis Christi mysteriis usi sunt, 387.

Armus victimæ regibus datus, 589. Poni jussus a Samuele ante Saul, *ibid.* Cur armus seu humerus victimæ apud ethnicos visa sit pars honorabilior, *ibid.*—Armi unctio in regibus, 589.

Aromatibus corpora defunctorum condita, 483. *Vide* Defuncti. Exsequiæ.

Arosonis martyris natale III Kal. Decemb., Romæ, 422.

Aruspices quibus, secundum canones, plectendi pœnis, 467.

Arx. Episcopum locari in arce, *id est* in sede seu throno episcopali in ecclesia, 520.

Ascensa Domini ad sanctum Petrum. Dominica post ascensa, 88. Ascensa, *id est* ascensio Domini, 397. Assensa, vel assensio, a verbo assendo, vel ascendo, 615. In vigilia Ascensionis olim jejunari solitum, 695.

Asclas (S.) martyr, 305. Ejus passio x Kal. Febr. memoratur, *ibid.*

Ascodrytæ erant olim hæretici, qui defunctos suos vana quadam superstitione ungebant, 483. Unctos vestibus induebant pretiosis, pro qualitate personæ, *ibid.*

Ascriptam in canone, *id est* in numerum beneplacitorum tuorum receptam, 286.

Ἀσπασμὸς (τὸ) est salutatio quæ cum amplexu, amicitiæ causa, fiat, 526.

Assumptio beatæ Mariæ, 122. Vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ, *ibid.* Die 15 mensis Augusti solemnia de pausatione sanctæ Mariæ, *ibid.* Dormitio sanctissimæ Deiparæ, 411. Gloriosissimæ sanctæ Dei matris emigratio, *ibid.* Hoc festum olim celebratum 18 Januarii, 411. Officium de assumptione sanctæ Mariæ, 817.

Athanasius puer pueros baptizavit, 359. His sanctus Alexander pontifex confirmationis sacramentum contulit, *ibid.*

Athenais dicta conjux Theodosii junioris imperatoris. Nomen Eudociæ in baptismo Atticus episcopus ei imposuit, 332.

Athenis Pantheon, *id est* commune diis omnibus templum Adrianus imperator ædificari jussit, 393.

Audi nos (τὸ) olim non dici solitum ad illud, te rogamus, nisi ad Fili Dei et peccatores, 597.

Audiens, auditor, dicitur catechumenus, 363, 374. Alii dicuntur audientes in secundo pœnitentium gradu, *ibid.*

Auditio erat secundus pœnitentiæ gradus, 461. Pœnitentes hujus gradus intra portam in narthece ecclesiæ divinas Scripturas audiebant, *ibid.*

Audoenus (S.) Rothomagensis episcopus VI Kal. Septemb. 124.

Audomarus (S.) Tarvanensis episcopus, cum sancto Autberto Cameracensi episcopo transtulit corpus sancti Vedasti ad Nobiliacum monasterium, 418.

Augustini (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 3, 285. Describit suum catechumenatum, auditu, signo crucis, et salis susceptione, 377. V Kal. Sept. natalis sancti Augustini, 125, 412, 708. Missa sancti Augustini pro vivis et defunctis, 486. — Augustini (S.) Junioris, episcopi Cantuariensis natalis VII Kal. Junii, 104, 393. Angli per Augustinum sancti Gregorii Magni discipulum fidem receperunt, 485. Ab Augustino didicerunt morem Romanum, quo Eucharistia super pectus episcopi defuncti in sepulcro collocaretur, *ibid.*

Aura levatitia dicitur tempestas a magis immissa, 472.

Aurium unctio in confirmatione apud Græcos, 361. Aures catechumenorum sputo tanguntur, et per vocem Epheta aperiri dicuntur, 366. Juxta antiquum Ecclesiæ Rom. usum, apertio hæc aurium fit in scrutinio, 581. Pronuntiatur benedictio in apertione aurium, 630. Aures intus et foris in summitate, crucis signo unguntur in extrema unctione, 549. Aures ambæ sub duabus formis distinctis unguntur, 555.

Autbertus (S.) Cameracensis episcopus, 418. *Vide* Audomarus (S.).

Aversus voluntarie factus capitali pœna plectitur, 474. Per canones, hujus criminis reus tres annos pœniteat, unum in pane et aqua, 467.

B

Bacchus (S.) martyr, Nonis Octob., 418.

Baculus sacri regiminis seu pastoralis officii datur episcopo, 511.

Balsamum chrismati admixtum, 328, 338.

Balteus proprie est cingulum militare, 242, 556. Dicitur balteum pudicitiæ, 242.

Baptismus per diluvium mundi figuratur, 330. Et per aquam ex latere Christi in cruce dormientis fluentem, 368, 384. Virtus et effectus baptismi, *ibid.* Fons baptismi similitudinem gerit sepulcri, 369. Cur baptismus non iteretur, *ibid.*—Baptismi forma, 352, 353. Ter repetita aliquando apud Græcos, 354. Apud eosdem non est deprecatoria, *ibid.* Baptismi mysterium perfici non potest nisi sub invocatione sanctissimæ Trinitatis, 368. Per formam baptismi, quæ Dei invocatio dicitur, aqua sanctificatur, et vim accipit sanctificandi, 384. — In baptismo fit trina mersio, juxta priscum Ecclesiæ morem, 352. Quandoque unica, *ibid.* Ritus trinæ mersionis refertur inter apostolicas traditiones, 353. Quid significet trina mersio, et emersio, *ibid.* Unicæ mersionis qui fuerint auctores, *ibid.* Unica mersione baptizati jubentur iterum baptizari, *ibid.* Unica mersione et forma legitima baptismus collatus, est validus, *ibid.* Mersio ita fiebat, ut totum corpus et caput ipsum mergeretur, 384. — Baptizabant raro presbyteri et diaconi olim, frequentissime episcopi, 385. Episcopus baptizato statim conferebat confirmationis sacramentum in fronte ungendo neophytum, *ibid.* Tunc neophytus non ungebatur in vertice, *ibid.* Utrum validus sit baptismus, si uno formam proferente, alter mergat, aut aquam infundat, 354. — Baptismus conferebatur in vigiliis Paschæ et Pentecostes, juxta vetus Ecclesiæ institutum, 398. In ipso solis occasu solemnitates istæ olim incipiebant, *id est* vespere Sabbati, 400. Ipsa nocte baptizabatur, et baptisma ipso Sabbato celebrari dicebatur, 398. Quidam baptizaverunt in martyrum solemnitatibus, quod tandem prohibitum est, *ibid.* Alii baptizaverunt in Epiphania, *ibid.*, 730. Hæc consuetudo diutius viguit in Africa, *ibid.* In quibusdam Galliæ partibus baptismi celebritas videtur usitata in Natali Domini, 399. Miraculum circa baptisterium a sancto Marcellino Ebreduni ædificatum quotannis in Natali et Cœna Domini contingere olim solebat, *ibid.* Si mortis periculum accidisset, quolibet die baptizabantur ægroti, *ibid.* Exceptus erat a lege baptizandi in Paschate et Pentecoste infantium baptismus, 400. Hi quocunque die a suo natali baptizabantur, *ibid.*

Baptisterium est baptismi conferendi ratio, 273. Item baptisterium dicitur aqua baptismalis, 73, 349. Item baptisterium est ædificium juxta ecclesiam in quo olim fideles baptizabantur, *ibid.*, 437. Item baptisterium est fons baptismalis, 385. Gradus septem baptisterii, quid significent, 385. Consecratio baptisterii, 437. Forma baptisterii, 385. Artificiosum baptisterium in ecclesia sancti Stephani, *ibid.* Ex consuetudine Ecclesiæ, initio Quadragesimæ, ostia baptisterii manu et annulo pontificali claudebantur, 437. Miracula quotannis in baptisteriis fieri consueta, 399.

Baptizandus apud Latinos ungitur in pectore, scapulis et inter scapulas, 331. Apud Græcos toto corpore ungitur, *ibid.* Si ab episcopo baptizandus, ungebatur ab eo trino signaculo, mox toto corpore a sacerdotibus ungendus, 332. Baptizandi docebantur ab apostolis arcana baptismatis, et cæteras fidei regulas, 363. Cur baptizandi salem in sacramento accipiant, 364. Baptizandi cur tangantur de sputo nares et aures, dicendo Epheta, 366. Baptizandis pœnitentia ante baptismum facienda, 379. Quæ et quanta fuerit illis indicta, *ibid.* Apud Græcos fuit quadraginta dierum, 380. Hi dies videntur initium duxisse paulo ante jejunium Quadragesimale, *ibid.* Non fuit una ubique hujus pœnitentiæ consuetudo, 381. Per hos dies competentes omnia retro acta vitæ peccata confitebantur, *ibid.* Hæc confessio, sicut et pœnitentia non erant sacramentales, *ibid.* Baptizandorum nomina descripta, 351. Interrogationes illis factæ, 352. Eorum ante fontes situs et reverentia, 382.

Baptizati statim chrismate ungebantur in vertice a presbytero, juxta veterem consuetudinem, 353. Quid hæc unctio significet, *ibid.* Baptizati lavacro nudi surgentes, juxta antiquam consuetudinem, a susceptore linteo involvebantur, *ibid.* Baptizati in lecto erant irregulares, 399. *Vide* Clinici. Educti e fonte baptismali induebantur albis vestimentis, 356. Quid significent hæ albæ vestes, *ibid.* Baptizati, etiam infantes, statim post baptismum, sacramentum Eucharistiæ sumebant, 73, 556. Cavebatur ne ullum cibum, ne quidem lac, infantes sumerent ante sacram communionem, *ibid.* Infantes non jejuni communicasse videntur ubi officium Sabbati magni incipiebat hora post meridiem secunda, *ibid.*

Barba. In prima juvenilis barbæ tonsione oratio specialis olim dicebatur, 235, 533.

Barbaræ (S.) nomen recitatur in canone, 290.

Barbaris ducatum qui præbuerit contra Christianos is canonicis plectitur pœnis, 468, 475.

Barbas Arianus, 351.

Barnabæ (S.) fit mentio in canone Missæ, 4. Natalis sancti Barnabæ III Idus Junii, 104.

Bartholomæi (S.) fit memoria in canone Missæ, 3. Natalis sancti Bartholomæi apostoli, et Missa, 124, 412. Sancti Bartholomæi festum et translatio, 412.

Basilicæ benedicendæ ritus, 145, 423. Est antiqua consuetudo, ut ecclesia aquæ exorcizatæ seu benedictæ

aspersione sanctificetur, 425. Multi psalmi in basilicæ dedicatione, ex antiqua consuetudine, cantantur, 427. Olim basilicas signo crucis adhibito dedicatas certum est, 428. Antiquum est institutum Ecclesiæ basilicas reliquiarum sanctarum illatione et appositione dedicari, 431. Olim in basilicis sepeliri vetitum, 486. Postea liberum fuit Christianis infra septa ecclesiarum sepeliri, *ibid. Vide* Dedicatio, Sepultura.

Basilides (S.) martyr, 105, 699.

Basilius (S.) Cæsariensis episcopus moriens panem consecratum in tres partes divisit, quarum unam servavit consepeliendam sibi, 485.

Bassianus episcopus Ephesiorum, contra canones ordinatus, in concilio Chalcedon. depositus fuit, 512.

Bavo (S.) pridie Kal. Octob., 417.

Beatricis (S.) natalis IV Kal. Augusti, 408, 701.

Benedicere idem quod consecrare, 286. Benedictam in canone, idem quod consecratam, *ibid.*

Benedicti (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 3, 285. Etiam in vetustissimis ecclesiarum cathedralium Missalibus, 546. Natale sancti Benedicti colitur XII Kal. Aprilis, 313, 703. Festum ejus celebratur cum vigilia solemni, *ibid.*, 665. Sexto Idus Julii vigilia sancti Benedicti abbatis, 407. Quinto Idus Julii natale sancti Benedicti, *ibid.*, 810. In die translationis reliquiarum dies depositionis olim celebrabatur nulla translationis facta mentione, *ibid.* Inde non infirmatur opinio translationis corporis sancti Benedicti in Floriacense monasterium, *ibid.* Octava sancti Benedicti, *ibid.* Officium hujus festi refertur, 115, 810. Sanctus Benedictus corpus Domini tradidit ponendum super pectus monachi sepulti, 485. Sancti Benedicti basilica sita Parisiis, olim situ dissidebat ab aliis ejusdem urbis ecclesiis, 329.

Benedictio super candelas, 307, 308. Benedictio cerei paschalis, 344. *Vide* Cereus. Benedictio cinerum, 419. Benedictio annuli, 510; baculi, 511; fabæ, frumenti et uvæ, 409, 410. Benedictio in sacris ordinationibus, 489. Benedictio carnis, casei et ovorum, 565. —Benedictio episcopalis, quid sit, quo ritu, quibus verbis, et qua parte Missæ fieri solebat ab episcopo, 295, 296, etc. Formulæ harum benedictionum, cur manuum impositiones dicantur, 296. Hæ benedictiones constant tribus capitulis et conclusione, *ibid.* Alia est benedictio quæ datur in fine Missæ, *ibid.* Utrum hæc benedictio distinguatur ab oratione ad Complendum, 297. Hac a sacerdote data benedictione, diaconus dicebat: Ite, Missa est, 298. Diaconi est monere populum ante communionem, ut se inclinet ad episcopalem benedictionem, 567. Usus benedictionum episcopalium adhuc viget in quibusdam Ecclesiis, *ibid.*—Benedictiones super infirmum, vel ab ipso episcopo, vel, si abfuerit, a singulis presbyteris dicendæ, 551. — Benedictio nuptiarum fit in Missa post orationem Dominicam, 596. Mos iste vetus in Ecclesia nuptias benedicendi, *ibid.* Judith filia Caroli Calvi, Edelulpho nubens, ante præfationem benedicta, *ibid.*

Benedicto papæ VIII Henricus II imperator persuasit ut in Ecclesia Rom. Symbolum juberet decantari in Missa, 562.

Benedictus qui, etc., reperitur in liturgiis Græcis, 282.

Bernardus rex Italiæ, 319.

Bernharius episcopus, a Carolo Magno Romam missus, de processione Spiritus sancti Leonem papam III interrogaturus, 379.

Beta est secunda alphabeti Græci littera, 612. Quidam opinantur pronuntiandum esse Vita, *ibid.* Ratio hujus controversiæ est mutua veterum usurpatio *b* pro *v*, et *v* pro *b*, *ibid.*, 734. Græci, cur exprimant V consonantem Latinæ, per ου, *ibid.* B Græcum habet eamdem vim et pronuntiationem ac B Latinum, et Beth Hebraicum, *ibid.* Recta pronuntiatio secundæ litteræ Græcæ asseritur, 613.

Biæothanati, sive Biothanati, sive Biathanati, sunt qui violenta occubuerunt morte, 611.

Bibentis prope fanum pœna canonica, 467.

Bibliotheca cubiculi erat sacrorum librorum bibliotheca in cubiculo, seu cella juxta ecclesiam sancti Petri posita, 274. Eamdem Nolæ sanctus Paulinus basilicæ apposuit, 275.

Birinus (S.) episcopus Dorcestrensis, 484, 545, 577. Inventa sunt in ejus sepulcro annulus, crux plumbea, calix parvus, etc., 484.

Blachernarum templum, 410.

Βλαττίον, *id est* textile aureum, vel textile purpureum, 592.

Blatta seu blata, est purpureus color, seu genus exquisitissimæ purpuræ, 592. Blattifer senatus, *ibid.*

Bonifacius (S.) papa IV, converso Romano Pantheo in ecclesiam sanctæ Mariæ et omnium Martyrum, instituit festum sanctæ Mariæ ad Martyres, 592.

Brachii unctio in regum coronatione, 589.

Brevis in quo continentur ministeria Ecclesiarum, argentum usuale, et quidquid aliud conscribitur, 433.

Bricii (S.) Officium, 835.

C

Cæciliæ (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 4. X Kal. Decemb. natalis sanctæ Cæciliæ cum vigilia, 140, 715. Officium sanctæ Cæciliæ, 838.

Cæremonia sunt sacrificia, 283.

Cæsarius (S.) martyr, natione Afer, dignitate diaconus, Tarracinæ passus, 419. Kal. Novemb. natalis sancti Cæsarii mart., 138, 419, 712. Quo sub imperatore fuerit passus, *ibid.*

Καὶ τῷ πνεύματί σου, *id est* Et spiritui tuo, pro Et cum spiritu tuo, habetur in liturgiis Apostolorum, 387.

Calandio episcopus Antiochenus, in Trisagio, post Ἀθάνατος, addidit Χριστὲ βασιλεῦ, 282.

Calix offerendus, et admistione Eucharistiæ est consecrandus, 568. Forma ad calicem benedicendum, 151. Ad calicis benedictionem seu consecrationem unctio chrismatis adhibetur in Ordine Rom.; alibi, non, 432. Fit crux de chrismate super ipsum calicem, per latera, *ibid.*—Calix levatur a sacerdote et diacono, cum hostia in patena, calici superposita, post hæc verba, Per ipsum, etc., 582. Quid hæc cæremonia significet, 256, 582, 583. Levatio calicis in Missa, ex more antiquo, 565. Quando et quomodo olim facta, *ibid.* Ritus modernus levandi post consecrationem non est antiquus, *ibid.*

Calixtus (S.) papa uterque, primus et secundus, 532. Pridie Idus Octob. natalis sancti Calixti papæ, 135, 711.

Cambuta, vel Cambutta, est virga pastoralis episcopi, 424. Est baculus flexus et sustentamen pedum, vel quo sustentantur claudi et debiles, *ibid.*

Caminata sumitur a Gallis pro camino, 613.

Campana, signum, nola, seu clocca, 438. Ordo in benedictione campanæ, *ibid.* Campanæ sonentur ipso die cœnæ Domini ad Missam, et ad cæteras horas, sicut mos est diebus festis, 336. Dum cantatur *Gloria in excelsis*, sonat totum classicum, *ibid.* Campanæ non pulsandæ a cœna Domini, usque ad Sabbatum sanctum, *ibid.*

Candelabrum dicitur ceroferarium, et ceroferale, 495. Dicitur etiam gestatorium luminis, 221.

Candelæ duodecim intra ecclesiam dedicandam significant duodecim apostolos, 425. Candelarum benedictio, 307, 308.

Candidus (S.) martyr. *Vide* Mauricius (S.), 416.

Canon Missæ est regula ad venerabilis Eucharistiæ consecrationem ordinata, 609. Cur dicatur secretum, *ibid.* Dicitur quoque sacrificium, *ibid.* Cur actio appelletur, 283, 609. Intra actionem potius quam infra actionem dicendum, 609. Canon est oratio quæ incipit *Te igitur*, etc., a quodam scholastico composita, 282. Cur canon vocetur, 283. Canon Missæ, ab Illyrico editæ, in multis discrepat a communi, 286. Canon vocatur textus canonicæ precis, 572. Canon in quinque partes a quibusdam, ab aliis in quindecim, dividitur, 609. Incipit a Te igitur, etc., et terminatur ad Libera nos, etc., *ibid.*

Canonici cantores qui dicantur, 323. Olim non omnes clerici in ecclesia cantabant, *ibid.*

Cantores seu psaltes locum habent inter gradus clericales, 323. Habent suam assignatam benedictionem, *ibid.* Distincti sunt cantores a lectoribus, *ibid.* Habent libertatem uxorem ducendi, *ibid.* Eis prohibetur, sicut hypodiaconis et lectoribus, vacare aleis et ebrietati, *ibid.* Lector, vel cantor, qui sanctam Quadragesimam, aut feriam quartam, aut Parasceven, non jejunaverit, deponatur, *ibid.* Assumuntur ex subdiaconis et aliis minoribus ordinibus, qui cantorum scholam componunt, *ibid.* Quædam olim ab aliis clericis, atque etiam a laicis cantari solita, ut *Kyrie eleison*, *ibid.* Ritus ordinandi cantorem apud Græcos, 521. Cantor in Missis nihil incipit cantare, nisi ab episcopo jussus, 559.

Cantus ecclesiastici in Ecclesia antiquitas, 649. Duplex canendi modus; vicibus alternis, et choris adunatis, *ibid.* Institutam a sancto Gregorio Magno cantandi methodum, per Occidentem propagarunt ejus alumni, 649; maxime apud Anglos, *ibid.*, 650. Methodus cantandi Gallicana Romanæ conformatur, curante Carolo Magno, *ibid.* Antiphonarii Metensis ad Romanam methodum revocati fama, ad tempora sancti Bernardi viguit, *ibid.* Cura Cisterciensium Patrum erga cantum divini officii authenticum, *ibid.*

Capilli puerorum dum primum tondebantur, oratio, 234, 533. Capillorum tonsura in funeribus ethnicorum, 476. Capilli pœnitentium aliquando promissi, aliquando tonsi, 450, 451.

Capitella sunt quidam versiculi, 480. Sumitur etiam capitellum pro collecta, seu oratione, *ibid.*

Caput jejunii Quadragesimalis, *id est* feria quarta Quinquagesimæ, cœpit in Ecclesia post ætatem sancti Gregorii Magni, 315. Hac feria olim cineres pœnitentibus imponebantur, 316.—Capitis unctio in ordinatione presbyteri, 504. In coronatione regum Francorum, 589. Infirmi, in extrema unctione, quomodo intelligenda capitis unctio, 553.

—Capite operto nullus clericus in ecclesia stat, nisi habeat infirmitatem, 38, 316. Aperto capite orant Christiani, ex antiquo more; Pagani vero orabant operto et velato capite, 317.

Cardinales dicuntur Romæ diaconi et presbyteri a titulis seu ecclesiis ad quas ordinantur atque incardinantur, 496.

Carnes animalium qui manducaverit, quorum mortem nescit, cur canonicis plectatur pœnis, 468. Carnis benedictio, 565.

Carolum Magnum Leo papa III unxit a vertice usque ad pedes, 589. Coronam ei imposuit, ac veste regia eum induit, 591. Oleo sancto inunctus ab episcopis, et viatico sumpto, obiit in pace, 536. Quali veste, ornamentis et armis qualibus indutus fuerit et sepultus, 484.

Carolus Calvus imperator Metis secundo coronatus ab Hincmaro Rhemensi, nono Septembris, 536. In Missa celebrata in ejus coronatione, prima collecta: Quæsumus, pro rege; secunda, de sancto Gorgonio martyre, *ibid.* De chrismate unctus est, 588. Unctus fuit ad dexteram auriculam, et in fronte usque ad sinistram, et in capite, 589. Appellatur rex Christianissimus, 591. Corona capiti ejus ab episcopis imposita est, 592. Hymnus *Te Deum* est in gratiarum actionem solemniter decantatus, 585. In sua coronatione, non ei tradita virga, sed palma cum sceptro, 592. Carolus Calvus jam primo fuerat sacro chrismate unctus in regem Aureliæ a Wenilone Senonensi archiepiscopo, 537.

Carpophorus (S.) martyr, 139, 412, 420. *Vide* Quatuor coronati.

Carthaginensis episcopus, juxta Ecclesiæ catholicæ consuetudinem, ordinabatur ab episcopis vicinioribus, 518.

Casei benedictio, 565.

Cassianus (S.) martyr Fori Sempronii, 410.

Castorius (S.) martyr, 139, 421, 608.

Casula, seu planeta, est vestis sacerdotalis, qua induitur sacerdos in sua ordinatione, 503. Quid significet, 557.

Κατάστασις, est ordinatio, seu constitutio episcopi, plebis suffragiis jam electi, 511.

Catechumenus interpretatur audiens, seu auditor, seu instructus, 363, 374. Catechumenorum duplex olim fuit gradus, 1° incipientium, 2° competentium, 374. Catechumenorum oratio peragitur post sermonem episcopi, et dimittuntur, 278. Fiebant catechumeni per signum crucis, quo in frontibus signabantur, 373, 527. Et in pectore cum certa verborum forma, 376. Et manus eis imponebantur, cum sufflatione in faciem, *ibid.* Sal in os catechumeni immittebatur, *ibid.* Ter insufflabatur Satanas, converso catechumeno ad Occidentalem plagam, *ibid.* Duplex erat exsufflationis modus, alter a catechumeno, alter fiebat a sacerdote, vel clericis, *ibid.* Apud Græcos, sacerdos ter in catechumeni faciem insufflat, 376. Post tertium exorcismum item sacerdos insufflat in os, frontem et pectus catechumeni, *ibid.* Item post abrenuntiationem jubetur catechumenus insufflare et conspuere Satanam, *ibid.* Primum scrutinium catechumenorum feria quarta hebdomadæ tertiæ in Quadragesima celebrabatur, 48. Catechumeni incipientes, seu imperfecti, de quibus erudiebantur, 374; de quibus perfecti, seu competentes erudiebantur, 373, 527. Competentes dicebantur, quod baptismum peterent, *ibid.* Unicum est catechumenorum sacramentum, nempe sal, 377. Catechumenus accedens ad sanctum regenerationis lavacrum ungitur, 331. Apud Latinos ungitur baptizandus in pectore, scapulis et inter scapulas, *ibid.* Græci totum corpus ungunt, *ibid.* Cur unguntur catechumeni, 339, 366, 367. Catechumenus instructus per exsufflationem et exorcizationem, a maligno spiritu erutus, sale accepto habere incipit gustum divini verbi, 364. Catechumeni ante oblationem e Missa abire jubebantur, 606. Catechumenorum pœnitentia quadraginta dierum, 380. Non fuit una ubique hujus pœnitentiæ consuetudo, 381. *Vide* Baptizandi.

Catharinæ Medicææ, Francorum regis Henrici secundi conjugis, coronatio, 595. Unctum est caput ejus oleo, *ibid.*

Cathedra sancti Petri, XIII Kalend. Martii, 29, 665. Ibi non additur Romæ, neque Antiochiæ, *ibid.*, 311. De Cathedra sancti Petri apud veteres agitur, quæ mense Februario celebratur, 311, 604. Olim die 22 Februarii solemnitas utriusque cathedræ colebatur; postea solius Antiochenæ cultus remansit, 312. Cathedræ sancti Petri Romæ festum videtur recentius, 29, 312. Institutum a Paulo IV Cathedræ hujus officium, 604. In Gallia et Hispania, ante Pauli IV decretum, Romanæ Cathedræ festivitas colebatur, 605. Olim Cathedra, seu Episcopatus sancti Petri, mense Januario in Galliis, et Februario Romæ celebrari consuevit, 662. Hinc orta occasio duplicem Cathedræ sancti Petri solemnitatem celebrandi, *ibid.* Paulus IV non tam instituit quam restituit festum 18 Jan. Cathedræ Romanæ, *ibid.*

Centesimus fructus, quid significet, 314. Numerus centesimus, quo computetur signo, *ibid.*

Cerei ardentes impositi crucibus, 435. Cerei ardentes gestati in processione Purificationis, 306. Cerei missi in aquam baptismalem, 349. Cerei ardentes prælati episcopis, 347. — Cerei Paschalis benedictio exstat ante lectiones Sabbati sancti, 344. Ritus cerei hujus benedicendi, sive a Zozimo papa, sive ab alio sit, antiquus est, *ibid.* Mysticæ cerei paschalis significationes, *ibid.* Descriptio varia ritus cerei hujus benedicendi, 345. Particulis cerei paschalis domi servatis Christiani se adversus diabolicos incursus tuebantur, 346. Consuetudo cerei paschalis benedicendi Romæ interrupta, a Theodoro papa videtur instaurata, 347.

Cereostata sunt candelabra, quorum usus est in altaribus, 326, 517. Cereostata, *id est* ceroferarii, 71, 317.

Cernuus dicitur proprie inclinatus, quasi quod terram cernat, 315.

Ceroferarii dicuntur acolythi, a cereis deportandis, 493. Antiquus mos fuit Ecclesiæ ut cerei ardentes præferantur episcopis, 347. Ceroferarium in neutro dicitur candelabrum, 493.

Cervulus. In Cervulo ducere, aut in Vetula (Vicola, aut Vitola, aut Vegula) vadere dicuntur, qui ferarum aut pecudum formis assumptis petulantius discurrerent, 472, 473. Hoc autem fieri solebat Kal. Januarii, *ibid.* Quibus afficiantur pœnis canonicis, qui scelus istud perpetraverint, 467.

Ceturæ ex filiis orti magi adoratores Christi infantis, 302.

Charaxatum, charaxatus, characatus, 613. Characo, *id est* Scribo dictum, a voce character, *ibid.*

Charibertus rex et Guntramnus Clodovei nepotes, ab episcopis suarum provinciarum sacrati fuerunt, 584.

Chartophylax est qui tabulas habet chartaceas ad jura ecclesiastica pertinentes, 523. Judex est omnium causarum ecclesiasticarum, *ibid.* Cognoscit de causis nuptialibus, *ibid.* Defensor est in cæteris clericorum causis, *ibid.* Est veluti manus dextera summi sacerdotis, *ibid.*

Χειρόμακτρον, chiromactron appellatur mantile lineum humeris impositum, quo manus tergebant, 495.

Χειροτονία apud veteres dicitur electio; Χειροτονεῖν, *id est* aliquem eligere in magistratum, 507. Χειροτονεῖν, Act. XIV, est constituere episcopum solemni ritu, impositione manus, 508. Χειροτονία in Patribus, et de rebus ecclesiasticis, significat, non electionem, sed ordinationem, *ibid.*

Χέρνιβον proprie est vas aquæ lustralis, 348.

Χέρνιψ, significat aquam lustralem, *ib.*

Χερνιβόξεστον, est malluvium politum, 348.

Chilperici regis filius Clotarius II in ipso baptismate cur nomen acceperit, 350.

Chorus significat aliquando universum cœtum, seu ecclesiasticum, seu laicum, 277.

Chrismal, vel chrismale, est vas in quo Christi corpus servatur, 452, 468. Sumitur etiam pro corporali, seu palla corporali, *ibid.* Chrismale dicitur etiam ministerium, *ibid.* Dicitur quoque chrismalis Missa, 327.

Chrismatio in fronte, 338. Distincta a manus impositione, 339. Ab apostolis tradita, *ibid.*

Chrismatis benedictio et olei fit inter Missarum solemnia, in cœna Domini, 324, 325. Olim liberum fuit episco, is sacrum chrisma omni die conficere, 325. Postea mos invaluit ut duntaxat in Cœna Domini conficeretur, *ibid.*, 326. Chrisma non est simplex oleum, sed ei balsamum admiscetur, 326. Chrismatis compositio apud Græcos quædam est collectio fragrantium materiarum, *ibid.* Sex et triginta species aromatum per vinum et oleum miscent in chrismate, *ibid.* Antiquus est Ecclesiæ mos sanctum chrisma benedicere et consecrare, 330. Hic ritus ad tempora apostolorum refertur, *ibid.* Ritus solemnis consecrandi chrismatis, et olei catechumenorum, 338. Duodecim presbyteri testes et adjutores ejusdem mysterii, *ibid.* Ampulla cum chrismate, qui significet corpus Domini sumptum de Virgine, 339. In fontem baptismalem infundi chrisma mos est antiquus, 350. Populum haurire aquam benedictam jam chrismate sacro perfusam prohibitum est, *ibid.* Chrisma infunditur in aquam baptismalem in modum crucis, ex more antiquo, *ibid.* Id faciunt tribus vicibus Græci, Orientales atque Æthiopes, *ibid.* Chrismate liniuntur Christiani, quia per baptismum reges et sacerdotes fiunt, 370. Chrismatis unctio quæ fit a presbytero in vertice, non est confundenda cum ea quæ fit in fronte ab episcopo, 385. Illa non est sacramentum, 355, 386. Patres qui ante sanctum Silvestrum papam de chrismatis unctione scripserunt, de ea quæ in fronte sunt intelligendi, 385. Patres Græci de eadem sunt etiam intelligendi, *ibid.* Carent Græci unctione quæ fit in vertice, *ibid.* Patres Latini loquuntur modo de unctione

quæ fit in vertice, modo de ea qua reconciliantur hæretici, *ibid*. Qui intelligatur de qua harum trium loquantur unctionum, *ibid*. Chrismatis unctio perfectiva, 360. Fit in modum crucis, *ibid*.

Christe, eleison, toties dicebatur olim in Missa, quoties *Kyrie, eleison*, 277. A Græcis non dicitur *Christe, eleison*, *ibid*.

Christiani a Christo; Christus a chrismate appellatur, 386. Maxima fuit olim Christianis cura visitandi infirmos, 532. Christianissimi appellatio regum Francorum est propria et antiquissima, 591.

Christophori (S.) martyris natalis, 407.

Christus qui creverit sapientia, ætate et gratia, 17, 303. Christus dicitur flos virginalis uteri, 27. Qui fusus est ex utero Virginis, 308. In beatæ Mariæ virginis utero carnem Christus suscepit, 31. In alvo beatæ Virginis Deum Verbum humanæ naturæ coadunavit, 313. Quæ sint Christi arma; quæ militia, 307. Septem principales virtutes, opera Christi salutaria, Satanæ operibus contraria, *ibid*. Super Christum requievit spiritus Domini, secundum omnem divinitatis plenitudinem, 371. In Christo effectus sunt septem donorum Spiritus sancti, 373. Christus victima sacerdotii sui, et sacerdos suæ victimæ fuit, 389. Christus gratias agens oculos in cœlum sublevare solitus, 288. Cristus non est filius Dei adoptivus, 365, 378. Ejus morte mors nostra destructa, 388.—Christus minister voluit effici legis, 24. Christus, singulari humilitatis exemplo se legi subjecit, 308. Christi nos humanitas colligit, humilitas erigit, traditio absolvit, etc., 61, 320. In divina Christi persona naturarum est compositio, sed non commistio, 382.

Chrodegangus Metensis episcopus floruit temporibus Caroli majoris et Pipini regis, 488. Hic conferebat ordines diebus Sabbatorum quaternis temporibus anni, juxta morem Romanæ Ecclesiæ, *ibid*.

Chrysanti et Dariæ (SS.) martyrum natalis Romæ, tertio Kal. Decemb., 422.

Chrysogoni (S.) martyris fit mentio in canone, 3. Octo Kalend. Decemb. natalis sancti Chrysogoni martyris, 142, 713.

Cilicium vestis est pœnitentium, 450. Cilicium ex pilis hædorum et caprarum contextum; quid significet, *ibid*. Infirmo ungendo imponitur cilicium, 537, 539. Factis unctionibus, et infirmo ante communionem reconciliato, aufertur cilicium, 550.

Cineres imponendi capitibus Christianorum ritus feria quarta in capite jejunii unde ortus sit, 450. Antiquitus collecta populi Romæ fiebat ad sanctam Anastasiam, unde procedebatur ad stationem, apud sanctam Sabinam, 601, 667. Cineres benedicti capitibus pœnitentium impositi, 449.

Cinguli meminit Alcuinus, quo episcopus cingitur super albam, 536.

Circumcisionis festum concurrit cum octava die Natalis Domini, 300. Antiqua Circumcisionis celebritas, *ibid*. Officium Circumcisionis magna ex parte ad beatam Virginem pertinet, 14. Circumcisio octavo die facta, quid præsignet, 300, 301.

Claudiæ reginæ conjugis prioris Francisci primi coronatio, 594. Uncta est oleo in capite, *ibid*.

Claudianus Mamerti Viennensis episcopi frater, 572.

Claudii (S.) martyris natalis sext. Idus Novemb., 139, 421, 608.

Claudius Nero matricida, et Claudius alter, imperatores, 419.

Claves Ecclesiæ qui servare debeant, 489.

Clavus est purpura vesti assuta, seu intexta, 323. Clavi notæ sunt plagulæ quædam ex purpura togis olim senatorum assutæ, *ibid*.

Clementis (S.) episcopi et martyris natalis, non. Kalend. Decemb., 141, 713, 840. Sancti Clementis papæ fit mentio in canone Missæ, 3.

Cleri et populi consensus in coronatione regis, 583.

Clericalis dignitas per comæ tonsuram tribuitur, ex more vetusto Romanæ Ecclesiæ, 213, 418. Idque fit ante ullam ordinum susceptionem, *ibid*. Apud Græcos in lectoris ordinatione tonsura clericalis datur, *ibid*. *Vide* Tonsura.

Clericus nullus in ecclesia stat operto capite, nisi habeat infirmitatem, 38, 316. Clericus olim nullus vagus, *id est* ad certam ecclesiam, seu titulum non destinatus, 496.

Cleti (S.) fit mentio in canone Missæ, 3.

Clinici sunt qui, morbi gravitate coacti, baptismum accipiebant in lecto decumbentes, 377, 399. Hi erant irregulares, nec ad clerum ascribi poterant, *ibid*.

Clocca est signum, nola sive campana, 438.

Clodoaldi nomen recitatur in oratione quæ post Dominicam in Missa dicitur, et incipit Libera nos, etc., 4.

Clodomeris et Ingomeris infantes, filii Clodovei regis, in ipso baptismate cur nomina acceperint, 350.

Clodoveus, primus Francorum rex Christianus baptizatus est ipso Natali Domini, 399. Et a sancto Remigio inauguratus et coronatus, 581. Oleo e cœlo de lapso unctus, 588. Hic dicitur Ludovicus in officio sancti Vedasti, 827.

Clotarius secundus filius Chilperici regis in ipso baptismate nomen accepit, 350.

Cœna Domini. Feria quinta majoris hebdomadæ, cur hora missæ celebrandæ anticipetur, 324. Jejunium tamen non relaxabatur, *ibid*. Olim multi non jejunabant in cœna Domini, secundum Ecclesiæ suæ ritum, *ibid*. Hac die fit benedictio olei et chrismatis, pœnitentium reconciliatio, et lotio pedum, *ibid*., 323. In cœna Domini celebrantur tres Missæ; prima pœnitentium; secunda chrismatis; tertia serotina, 327. In Africa duæ Missæ hac feria celebrantur; prima mane, secunda sero, 327. Tria in cœna Domini ab episcopo sanctificabantur, 332. Ritus qui olim in cœna Domini apud Ecclesiam Rothomagensem, seu Rhemensem servari solebant, 336. Altaria olim, sicut et nunc, nudabantur in cœna Domini, 79, 342. Altaria, parietes et pavimenta templi, et vasa sacra, eadem feria quinta, vel sexta Parasceves lotione purificabantur, 342, 343. Vetus olim fuit Ecclesiæ Romanæ consuetudo reconciliandi pœnitentes, 457. Hæc reconciliatio solebat fieri in Missa proxime post Evangelium, 458. Pris is temporibus absolvebantur pœnitentes proxime ante Orationem Dominicam, *ibid*. Ad mandatum antiphonæ et responsoria, 877.

Cogere nos terrore quomodo Deus dicatur, absque præjudicio liberi nostræ voluntatis arbitrii, 175, 441.

Cogitatio bona in homine nulla est, absque Dei auxilio, 171, 415. Quamobrem bene spiritum cogitandi quæ recta sunt petit Ecclesia, *ibid*.

Collecta significat collectionem eleemosynarum, 308. Collecta significat etiam conventum et synaxim, ad divinum officium peragendum, *ibid*., 316, 397. Oratio ad processionem, seu collectam, 411, 413. Latini non solent dicere collectam in Missa inter Evangelium et offertorium, Græci vero plures dicunt, 582. De collectarum in Missa dicendarum numero et ordine nec Latini cum Græcis, nec Græci inter se conveniebant, 278, etc. Collecta de sancto Leone explicata, 401. Collectæ psalmis interpositæ, 486. Collecta unde dicatur, 604. Collectæ et stationes, qui olim fieri solitæ, *ibid*., 664.

Collyrium, quo sensu dicatur, ex commistione duarum substantiarum in una Filii Dei persona factum, 382.

Columba appensa baptisterii tholo, 585. Columba emissa ex arca quid significet, 330.

Commendatio est oratio pro defunctis, 492. Dicitur etiam commendatio officium pro eisdem defunctis, *ibid*.

Commercia veneranda sacrificii, quo sensu dicantur, 182, 415.

Commistio corporis et sanguinis Domini in calice, qui dicatur consecratio, 568.

Communicantes, etc., dicuntur quia militans Ecclesia cum triumphante communicat, 285. Communicabat olim populus in triduo Paschæ, 333, 342. Antiqua consuetudo, qua celebrans in sancta Parasceve sub unica panis specie communicat, 341. In regula magistri monachos eadem die Parasceves olim communicasse patet, 342. In Hispania, nec Missa, nec communio eadem die celebrabatur, *ibid*. Communio olim in Ecclesiis extra Missarum solemnia non sumebatur, *ibid*. Olim Eucharistiæ sacramentum, cum ipso baptismo sumebatur, 356. Fideles, et clerici, et laici in Missa communicaturi, singuli panem et vinum in suam communionem offerebant, 171, 443, 509, 563. Communicare sine oblatione est assistere Missæ integræ cum fidelibus, sed sine sumptione Eucharistiæ, 474. Episcopus porrigit communionem juxta morem antiquum, 569. Hæc consuetudo non fuit universalis, *ibid*. Diaconi aliquando fidelibus communionem porrigebant, *ibid*. Communio diebus Dominicis fieri consueta, 605. Communio quotidiana, 606. Oratio super populum loco communionis, *ibid*. Soli communicantes divinis mysteriis antiquitus interesse solebant, 606. Catechumeni et pœnitentes non communicaturi, ante oblationem exire jubebantur, *ibid*.

Communio infirmi post extremam unctionem, 539, 542, 550, 553, 554. Communio in suis ædibus Eucharistiæ in Ecclesia receptæ, 578. Communionis dandæ variæ formulæ, 579. Communio data sicco sacrificio, quid sit, 247, 569. Communio data misto sacrificio, *id est* corpore Christi sanguini ejus immisto, *ibid*. Multis decretis prohibetur ne corpus Christi in sacro sanguine tinctum detur, *ibid*. Corpus Domini et sanguis singulatim accipiantur, *ibid*., 256. Species commistæ simul dari possunt, si intervenerit aliqua necessitas, aut cautela, *ibid*., 583. Corpus Domini in sacro sanguine tinctum infirmo omnino debili in cochleari porrigitur, 570. Tempore communionis olim cantabatur psalmus, *ibid*. Episcopus dat corpus Domini presbyteris et diaconis communicaturis in manus, juxta morem Ecclesiæ antiquum, 578.

Subdiaconi ore accipiunt, *ibid*. Priscis Ecclesiæ temporibus omnes fideles corpus Christi acceptum manu ori inferebant, *ibid*. Compositio manuum ad corpus Domini accipiendum, *ibid*. Viri manu nuda, mulieres supposito linteo accipiebant, *ibid*. Corpus Christi, aut statim ori inferebant, aut domum, ibi communicaturi, deferebant, *ibid*. Quando, ubi, et quandiu hic mos viguerit in Ecclesia, 579. Carpuntur communicantes domi ipso die post coitum nocturnum, etiam licitum, *ibid*. Vetus formula apud Patres usitata hæc: porrigens Eucharistiam dicebat: Corpus Christi; accipiens respondebat Amen, 580.

Compages membrorum omnes unctæ in extrema unctione, 541.

Competentes sunt catechumeni secundi gradus, 574. Competentibus Symbolum tradebatur Dominica Palmarum, 578. Traditio Symboli est mysteriorum quæ in eo continentur, expositio, *ibid*. Competentes eadem Dominica nomem suum dabant, et scrutinium subire tenebantur, 379. Quibus ritibus, indictisque laboriosis officiis fieri soleret examen istud, *ibid*. Quid sit competentes creari Dominica Palmarum, 380. Competentes pœnitentiam agebant, alii per dies quadraginta, alii per triginta, *ibid*. Per hos dies competentes omnia retroactæ vitæ peccata confitebantur, 581. *Vide* Catechumeni, Baptizandi, Confessio.

Computum cum cyclo scire debet presbyter ordinandus, 273. Ratio computandi per digitos, 314.

Conclusio orationis fit per Filium, quia Mediator est Dei et hominum, etc., 295.

Confessa appellatur sancta virgo quæ non sit martyr, 440.

Confessio significat locum altaris cavatum, in quo ab episcopo reliquiæ sanctorum recondantur, 435. Confessio in ritu papæ consecrandi, est tabernaculum vario opere exornatum, in quo corpora sanctorum apostolorum quiescunt, 518.—Confessio a competentibus facta suorum peccatorum, non erat sacramentalis, 381. Variæ pœnitentium confessiones multa complectentes peccata, quæ vix in uno homine reperiri queant, 452. Formula confessionis auctore sancto Fulgentio, sive Astigitano, sive Ruspensi, *ibid*., 454. In hanc formulam observationes, 454. Formula confessionis monachorum, 454. Has confessiones peccatorum in specie solebat præcedere alia, secundum numerum et debitas peccatorum circumstantias, 455, 553. Viguit olim in Ecclesia consuetudo confitendi peccata sua singillatim et non confuse, 456, 544, 553. Confessio dicitur celer, *id est* prompta, parata, devota, 461. Non inducatur pœnitens in necessitatem iterum eadem peccata confitendi, 463. Confessio præmissa extremæ unctioni, 540, 547. Confessiones audire non debent, nisi episcopi et presbyteri, sicut nec sacrificium offerre, 463. Si necessitas evenerit, et presbyter defuerit, suscipiat diaconus pœnitentem ad sanctam communionem, *ibid*. Sacerdos, confessionem auditurus pœnitentis, præmittat orationem, *ibid*.

Confessores dicuntur, qui, tormentis pro Christi fide superatis, superstites tranquillam mortem obeunt, 303, 411. Vocat etiam Ecclesia confessores viros pietate, sanctitate et miraculis insignes, tranquilla morte in Christo defunctos, 439. Hoc nomen, confessor, etiam sanctis mulieribus, verbi gratia sanctæ Leocadiæ, fuit tributum, 440.

Confessores dicuntur cantores et psalmistæ, 322. Confiteri est Dei laudes decantare, *ibid*.

Confirma io a pontifice dabatur olim statim post baptismum, 337, 385. Ritus dandi confirmationem, 73, 357. Pontifex non dat Spiritum sanctum, sed orat ut in eos veniat quibus manus imponit, 358. Hujus sacramenti duplex ritus, manus impositio et unctio chrismatis in fronte, 359, 507. Aliquando manus impositio unctioni fuit postposita, *ibid* Hujus sacramenti minister est episcopus, 358, 359. Presbyteris licet ungere baptizatos chrismate ab episcopo consecrato, non tamen ex eodem frontem signare, 358, 361, 371. Chrismatis unctione, et manus impositione apostoli usi sunt ad confirmandos baptizatos, 359. Hic chrismationis et signationis ritus appellatur sacramentum, sicut et ipse baptismus, 360. Unctio chrismatis fit in fronte in modum crucis, ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, *ibid*. Græci olim non solum frontem ungebant, sed etiam aures, nares et pectus, 361. Omnia eorum membra, frontem vero tribus vicibus, *ibid*. Æthiopes omnia membra confirmando ungunt, *ibid*. Hodie Græci ungunt frontem, oculos, nares, os, aures, pectus, manus et pedes, *ibid*. Quæ sit hujus sacramenti forma, vel utrum aliqua olim fuerit, 361, 362. Quæ sit hæc forma apud Græcos, *ibid*. Presbyteris licet baptizatos chrismate ungere, Spiritum autem sanctum per manus impositionem tradere non licet, 370, 371. Hic mos Ecclesiæ traditus ab apostolis, *ibid*. Presbyter non ungebat in vertice baptizatum ab episcopo et confirmatum, 385. Sacramentum confirmationis est hominis Christiani perfectivum, 386. Quanta hujus sacramenti dignitas, utilitas et necessitas, *ibid*. Graviter peccant qui hoc sacramentum, cum possunt, accipere negligunt, *ibid*. Et gravius episcopi qui omnem diligentiam non adhibent, ut sibi commissi hoc sacramentum percipiant, *ibid*. Discrimen inter unctionem quæ fit in fronte, et eam quæ fit in vertice, 386. Forma hujus sacramenti: Confirmo et consigno te signo crucis, in nomine Patris, etc., 646. Cujus frontem sacrosancto chrismate delinivimus, et signo crucis confirmavimus, etc., *ibid*

Conon monachus, provinciam baptizandi obiens, a gravi tentatione, quam patiebatur, divinitus est liberatus, 332.

Consecrationis forma calicis est antiqua et optima, 3, 288. Verba consecrationis olim in quibusdam locis alta et clara voce proferebantur, et ad ea chorus et populus respondebat Amen, 577. Consecratio dicitur commistio corporis et sanguinis Domini in calice, 568. Officium consecrationis sumitur pro officio liturgico, quod perficitur per confractionem, commistionem et communionem, 256, 583. Qui dicenda sit diacono commissa corporis et sanguinis consecratio, 500. An consecratio vel dispensatio apud sanctum Ambrosium sit legenda, *ibid*.

Consilium prohibet esse præcipitem, et ratione animum replet, 372. Consilium utile est cui robur fortitudinis deest, *ibid*.

Consistentia est quartus pœnitentium gradus, qui orationis cum fidelibus, sed non Eucharistiæ erant participes, 461.

Constantinopolis, cantato Trisagio, calamitatibus liberata est, 282. Constantinopoli olim qualis fuerit Quadragesimæ observatio, 316.

Constantinus Magnus baptizatus est die Pentecostes, 398. Ædificavit templum Hierosolymæ, 432. In hujus templi dedicatione episcopi omnia munera a fidelibus oblata in ejus usum consecrarunt, *ibid*. Dies hujus dedicationis anniversaria quotannis per octo dies splendide celebrari solita, 438. Constantini Magni corpus mortuum purpurea veste, et diademate ornatum, in aurea capsa inclusum, sepultum est, 483. — Constantini Porphyrogenetæ lex in quadrigamos, 476.

Constantius imperator Arianus Felicem secundum papam, ob fidem catholicam a sede dejectum, obtruncari jussit, 408.

Constitutionibus apostolicis multa addita fuere, 277.

Contacium significat tomum seu volumen in quo ordinationes continentur, 524. Est etiam contacium quoddam cantici genus, *ibid*. Quidam contacium volunt esse liturgiam quam recitat recens ordinatus presbyter, 522, 524.

Contactus calicis et patenæ in presbyteri ordinatione, sine hostiæ contactu, sufficit, 508. Aliquis acceptat, contactu vasorum, ea quæ in vasis continentur, *ibid*. Contactus narium et aurium, 366, 381.

Contestata dicitur præfatio quæ canoni præmittitur, 294, 417. Dicitur etiam contestatio, et aliquando immolatio, *ibid*.

Contraratio sanctorum dicuntur sortes, seu falsæ sanctorum sortium species, quæ fiunt per sacros codices, 473. Quibus pœnis canonicis plectantur hujus rei sceleris, 467.

Cornelii et Cypriani (SS.) fit mentio in canone Missæ, 3. Ipso die Exaltationis sanctæ Crucis, natalis sanctorum Cornelii et Cypriani pontificum et martyrum, qui dies est eorum passionis, 129, 415, 710. Postea translatum est eorum festum in XVI Kal. Octob., 416. Sex hebdomadæ, quæ sancti Cypriani festum sequuntur ab illo nomen accipiunt, 129. Missa sancti Cypriani propria, 416.

Corona clericalis, 448. *Vide* Clericalis dignitas, Tonsura cleric.

Coronari voluerunt solemni ritu in Ecclesia imperatores et reges Christiani a sacris pontificibus, 583. Quo ritu coronetur imperator Constantinopolitanus, 591. Hic imperator olim coronam ab episcopo benedictam imponebat capiti imperatricis, 593. In Occidente ab episcopo reginæ capiti corona imponitur, *ibid*.

Coronati apostoli, evangelistæ et episcopi usque ad Tertulliani ætatem, 558. Sacerdotes paganorum coronati in sacris, *ibid*.

Coronatorum quatuor Natalis sexto Idus Novemb., 139, 712. Exstat in Urbe ecclesia sanctorum quatuor Coronatorum, 608. Hanc Honorius papa erexit, Leo IV restituit, *ibid*. Nomina quatuor Coronatorum hæc: Severus, Severianus, Victorinus et Carpophorus, *ibid*., 420, 421, 608. Nomina ipsorum diu ignorata, *ibid*. Alii quinque cum ipsis coluntur martyres, *ibid*.

Corporalia, 431. *Vide* Chrismal.

Corpus Christi, quomodo efficimur, 310. Conversio panis et vini in corpus et sanguinem Christi fit vi verborum utriusque formulæ, 287. Christum in veritate nostri corporis natum de matre Virgine confitetur Ecclesia, 290. Corpus Christi sancti Spiritus infusione perficitur, 27. Spiritui sancto veteres attribuunt corporis et sanguinis Christi in Eucharistia productionem, 309. Singuli accipiunt totum cor-

pus Christi per communionem, 27, 510. In singulis hostiæ portionibus totus est Christus, *ibid*. Qui sumendo communionem unum Christi corpus efficiamur, 27, 510. Corpus Christi non consecratur in Parasceve majoris hebdomadæ, 333. Mos est Ecclesiæ Rom. ut presbyteri cum pontifice celebrante simul verbis et manibus conficiant corpus et sanguinem Domini, 337. Corpus Christi presbyteris et diaconis in manus datum, 578; et omnibus Christianis, *ibid*. Corpus Christi sacrum, quod Eucharistiam seu oblatam vocant, aliquando super episcopi pectus in sepulcro poni consuetum, 484. Non hunc morem damnarent concilia, 485. Vetuerunt concilia ne Eucharistia in os defunctorum gratia communionis inferretur, *ibid*. Sanctus Benedictus corpus Domini jussit poni super pectus monachi defuncti gratia reconciliationis, *ibid*. Corpus Christi dicitur a sacerdote tradendo communionem, 580. — Corpora Christianorum mortua aromatibus condita, 483. Elata in sepulcrum cum cantu, 485.

Cosmæ et Damiani natalis v Kal. Octob., 134, 711, 825. Eorum fit mentio in canone Missæ, 3.

Cosroes rex Persarum, inter donaria quæ misit Ecclesiæ sancti Sergii martyris, aureum thuribulum dedit, ob prolem ejus intercessione susceptam, 429. Dedit et Hunnicum velum, ornatum auro, 433.

Creaturæ universæ in præfatione Missæ ad Dei laudem provocantur, 280.

Crescentia (S.), 402.

Crispini et Crispiniani (SS.) officium cum tribus nocturnis, 829.

Crustula rotunda ad Eucharistiam prohibita, 564.

Crux Christi vera miraculis cognita, 391. Sanctæ crucis exaltatio, elevatio, adoratio, 415. Die magnæ Parasceves episcopus crucem Christi veram populo adorandam exhibebat, 341. Semel in anno, cum Pascha Domini agitur, crux Christi vera revelatur, *ibid*. Dominicam crucem prodit resurrectio, 391. Non potuit obliterari Christi triumphus, *id est* crux Christi, *ibid*. Crucis explicantur quatuor dimensiones, *ibid*. Crucis in aquam immersio, 302. — Cruces et cerei in solemni processione dicuntur radiantes, 433. Excogitavit sanctus Joannes Chrysostomus cruces argenteas, quibus lucernæ cereæ imponebantur, *ibid*. Crux plumbea in sepulcro reperta, 459. Crux ex cinere et aqua super pectus infirmi, 539, 544, 553. Cruces ex chrismate in templi parietibus, 430. Cruces in consecratione altaris, *ibid*. — Crucis (S.) Exaltatio, 128, 709. Festum Exaltationis sanctæ crucis initium habuit post illius inventionem, imperante Constantino Magno, 415. *Vide* Inventio sanctæ crucis. — Crucis (S.) adoratio fit ad vesperum, post orationes, 69. Substrato tapete oblongo, instar orarii, crucem adoraturis, 340. Mos antiquus fuit adorandi crucem die magnæ Parasceves, 341. Ritus crucis adorandæ, *ibid*. Olim ipso Exaltationis sanctæ crucis die sub finem Missæ a pontifice crux extollebatur, ut a populo adoraretur, 415. Sub finem Missæ exstat oratio ad crucem salutandam, *ibid*. Crucis latitudo, etc., 392. — Crucis signo benedicuntur oblata, ex veteri Ecclesiæ consuetudine, 287. Basilicæ dedicantur et altaria, *ibid*., 428, 429. Qui fieri debeat benedicendo signum crucis, *ibid*. Antiqua est Ecclesiæ consuetudo, ut aqua baptismalis per signum crucis benedicatur, 319. Extrema unctio, faciendo crucem, ministratur, 548. Signum crucis cum hostia quid significet, 582. Crucis signum adhibitum ad ordinationes, 515. Crucis signo aqua benedicitur, 553.

Cubicularii dicti sunt custodes corporum sanctorum apostolorum Petri et Pauli, 274.

Cubiculum, quid sit, 271.

Cucufas (S.) martyrium passus est Barcinone in Hispania. Cujus festum fit viii Kal. August. 407. Ex prima oratione Missæ patet sanctum martyrem flammarum incendio fuisse excruciatum, 408. Historia martyrii ejus, *ibid*. Ejus corpus postea translatum in monasterium sancti Dionysii juxta Lutetiam, *ibid*.

Cum quo tibi honor, etc., adjectum orationi Dominicæ, 291.

Cutbertus (S.) episcopus Lindisfarnensis, 543. In ejus Missa dicitur martyr, 313. Ejus mors et exsequiæ, 484. Ejus corpus e sepulcro levatum fuit, Oblata, *id est* Eucharistia super sanctum ejus pectus inventa, *ibid*. Vestimento sacerdotali indutum erat, etc., *ibid*.

Cypriani (S.) episcopi et martyris natalis, 129, 415, 710. Ejus mentio fit in canone Missæ, 3. *Vide* Cornelius.

Cyriacus martyr, 4, 118, 705.

Cyrillus (S.) martyr, 392.

Cyrinus (S.) martyr, 103, 700.

D

Dacius episcopus Mediolanensis nullum scripsit chronicon, 586. Hic floruit tempore Justiniani imperatoris, *ibid*.

Daduchi corona myrtea, 558. Daduchus, *id est* lampadem gestans, *ibid*.

Dæmones ex humanis corporibus quantum exorcistarum vi expellantur, 492. Pagani quibusdam incantamentis illusoriis visi sunt aliquando dæmones abigere ex humanis corporibus, *ibid*.

Dalmatica est vestis sacerdotalis candida cum clavis purpureis, 325. Dalmaticæ descriptio, *ibid*. Oratio sacerdotis dalmaticam induentis, *ibid*. Fuit dalmatica indumentum episcoporum et diaconorum, *ibid*.

Damianus (S.). *Vide* Cosmas.

Dapes tumulis apposite, 311.

Daria (S.). *Vide* Chrysantus, 422.

Decimatio anni jejunio Quadragesimali offerri Deo dicebatur, 315.

Decimo die nomen impositum pueris apud Græcos, 350.

Dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ ad Martyres, 694. Romæ dedicatio primæ ecclesiæ a beato Petro apostolo constructæ et consecratæ, 409. Ordo ad dedicandam ecclesiam, 145, 423. Officium nocturnum festi Dedicationis, 145. Circuitus triplex ecclesiæ dedicandæ, cum aspersione aquæ benedictæ, 424. Pontifex imprimit pollice duodecim cruces in interiori circuitu ecclesiæ, quas chrismate perungit, 430. Missa dedicationis, 152, 436. Omnes basilicæ cum Missa dedicandæ, 437. Olim per octo dies dedicationis festum fuit celebratum, 438, 153. Anniversarius dies dedicationis basilicæ, ex veteri consuetudine, per octo dies celebratur, 154, 438. Antiquum est Ecclesiæ institutum, basilicas reliquiarum sanctarum illatione et appositione dedicari, 434. Qui templum sine sanctis reliquiis consecraverit episcopus, deponatur, *ibid*.

Defunctorum corpora lavari solebant, ex antiquo more Christianorum, 482. Et ungebantur, 483. Et linteo candido involvebantur, 484. Episcopi defuncti vestibus induebantur sacerdotalibus, seu pontificalibus, *ibid*. Elatio cadaveris cum cantu, 485. *Vide* Unctio, Ungendus. — Defunctorum officium, 478. Oratio pro fidelibus defunctis in Liturgico Missæ officio Ecclesiæ semper curæ fuit, 289, 577. Qui dicantur animæ fidelium defunctorum dormire in somno pacis, *ibid*. Cur in canone memoriæ fidelium defunctorum addatur : et omnibus in Christo quiescentibus, etc., 290. Missæ pro defunctis, et pro eorum quiete orationes, et exsequiæ, atque eleemosynæ ad eorum refrigerium, 215, 478. Ante Caroli Magni ætatem Missæ pro defunctis erant in usu, 574. *Vide* Missa, Exsequiæ.

Degradati clerici gradum amittunt duntaxat quoad facultatem ministrandi in tali ordine et quoad communionem clericalem, 501. Restituuntur in suos gradus, recipiendo ea quæ acceperant in ordinatione, *ibid*. Episcopi catholici a Donatistis degradati, et honore dejecti, radendo capita eorum, 515.

Delicta externa, *id est* aliena, propriis cujusque opposita, 46, 317.

Dementare hominem est vim ejus imaginativam ita turbare, ut se putet esse brutum, 473. Qui per invocationem dæmonum hominis mentem tollerit, qua pœna canonica plectendus, 467.

Deus. Olim in conclusione collectarum τὸ *Deus* immediate subjungebatur verbo *Regnat*, 293. *Te Trina Dei* as dicitur in officio omnium sanctorum, 832.

Devotæ sunt virgines Deo dicatæ et consecratæ, 442.

Devotio, *id est* propositum et firma Deo perpetuo serviendi voluntas, 441.

Diabolus, qui Adam in fragili carne deviceratt, a Deo carne devictus est assumpta, 27. Diabolus a fidelibus abrenuntiatur, ut Domino liberius serviatur, 367. Cur a baptizandis diaboli operibus abrenuntietur, *ibid*. Quæ sint diaboli arma, quæ militia, *ibid*. Septem principalia vitia quibus diabolus homines infestat, dicuntur opera Satanæ, *ibid*., 384. Cultus diaboli, cui renuntiatur in baptismo, quis sit, 383.

Diacon in recto, ex quo diaconum, *id est* diaconorum. Diaconibus, etc., 564.

Diaconatus honor quantus; et hujus ordinis dignitas quanta, 499. Sacerdotalis in tertio gradu, 519. Ejus munera, 500.

Diaconica sunt versus quidam quos preces vocamus, quæ a diaconis decantantur, 523. In ordinatione episcopi, diaconica dicuntur ab episcopis, *ibid*.

Diaconus quo Missæ loco ordinetur, 487. Diacono, cum ordinatur, cur solus episcopus manus imponat, 225, 498, 500. Veteres aliquot Codices præscribunt ordinando diacono ab episcopo et a stantibus presbyteris manus esse imponendas, *ibid*. Diaconi ordinatio juxta Græcos, 521. Qui dicatur Dominici corporis et sanguinis consecratio commissa diacono, 500. Olim in ordinatione non porrigebatur liber Evangeliorum diacono, *ibid*. Ex veteri consuetudine, diaconi Evangelium legunt in Missa, 591. Hic mos non semper nec ubique viguit in Ecclesia, *ibid*. Diaconus injuste degradatus, amissum gradum recipit per orarium et albam, *ibid*. Olim in Gallia mos inoleverat ut manus diaconis in ordinatione ungerentur chrismate, 501. Diaconus dicitur sacerdos tertii ordinis, 519. Orarium ei imponitur circa humerum sinistrum in sua ordinatione, 521. For-

mula quam tunc pronuntiat episcopus, 223. Flabellum diacono porrigitur, *ibid.* 523. Ætate sancti Justini diaconi sacram communionem porrig bant fidelibus, 569. Diaconos presbyteris communionem porrigere absurdum judicavit Nicænum concilium, *ibid.* Prohibetur diacono Eucharistiam populo erogare præsente presbytero, nisi urgente necessitate, *ibid.* Diaconus non debet in necessitate et in absentia presbyteri pœnitentem suscipere ad confessionem peccatorum, sed ad sanctam communionem, 463, 470, 630. Diaconi apud Græcos in sacris monent populum de oratione, 521. Diaconus olim clamabat : Levate, 521. Diaconi est monere populum ad humiliationem, 567.

Diadema olim dicebatur, nunc stemma appellatur, 592. Quid sit diadema, *ibid.* Stemma non omnino est quod diadema, *ibid.*

Dies quibus virgines velantur, 440. Dies in quo reconciliantur peccatores, 437.

Digami notati ab Ecclesia, 476.

Dignum et justum est. His ex verbis sanctus Augustinus infert quod omnia Deo referre debeamus accepta, 280.

Dignus (τὸ), quo ritu a Græcis cantatur in ordinatione diaconi et presbyteri, 521, 522. Hæc vox etiam proclamatur in coronatione imperatoris, *ibid.*, 591.

Dimitto tibi peccata tua : Vetus forma absolutionis, 459.

Dionysii, Rustici et Eleutherii (SS.) nomina recitantur in canone Missæ, 283. Et in oratione quæ Dominicam sequitur, et incipit Libera nos, etc., 4. Septimo Idus Octob., vigilia sanctorum Dionysii, etc., 711, 827. Et natalis eorumdem, *ibid.*, VII Kal. Novemb. Octava eorumdem, 419.—Dionysii (S.) martyris natale quarto Idus Februarii, 310.

Diploma dicitur litteræ a principe emissæ et complicatæ, 603. Bullæ pontificiæ, et patentes litteræ, quia duplicatæ, diplomata dicuntur et diptycha, *ibid.*

Diptychæ tabulæ sunt quæ duas habent plicas, 289, 601. Diptycha sacra sunt tabellæ in quibus scripta erant vivorum et mortuorum nomina in Missa recitanda, *ibid.* Mos diptychorum in Ecclesia perantiquus, 601. Harum tabularum meminerunt antiqui Patres, 601. Item liturgiæ veteres et concilia, 602.— Diptycha, vel diptychium, erant tabulæ ex quavis materia confectæ, in quibus imagines Patrum in suo catalogo ponebant, 602. Diptychum interpretatur duplicatum, *ibid.* Testæ duplices ostreorum eleganter dicuntur diptychum, 603. Apud veteres erant pentaptycha, triptycha, etc., pugillaria, *ibid.* Duæ Moysis tabulæ lapideæ, diptychium lapideum appellatæ, *ibid.*

Distrahere interdum vendere significat, 327.

Divinationem qui fecerit, quia dæmoniacum est, quinque annos pœniteat, tres in pane et aqua, 467.

Domi olim sumpta communio, 578.

Domus crematio qua pœna per canones animadversa, 467, 474.

Dominica secunda in Quadragesima cur vacare dicatur, 43. Cur hujus Dominicæ non legatur officium, assignentur tamen collecta et aliæ orationes ad Missam pertinentes, 672. Dominicæ XXVII post Pentecosten, 186. Alibi XXIV post Pentecosten. Alibi, 25. Post Octavas Pentec., etc., 185. Dies Dominica dicitur quandoque dies Resurrectionis Dominicæ, 487, 488. Dominicæm 28 post Pent. sequitur 5 ante Nativitatem Domini, 636. Dominica 1 ante Nativit. Domini dicitur quæ immediate præcedit Nativit. Domini, 637. Dominica in Albis, 390. Dominica Palmarum, 60, 518. Dominicarum ante adventum ordo, 186, 445.

Dominus vobiscum, 327.

Domitilla (S.), 392.

Dona. *Hæc dona*, initio canonis Missæ, qui distinguantur a muneribus et sacrificiis, 283. Dona Spiritus sancti, *id est* Spiritus sanctus, 398. Spiritus sancti dona per Sacramentum confirmationis speciali et excellenti modo conferuntur, 386.

Donati (S.) episcopi Missa, 410.

Donatus pseudomartyr et Marculus a Donatistis colebantur, 285.

Donatistæ sacrilegas manus immittebant capitibus episcoporum, radendo ea, ut auferrent Chrisma, 515.

Donum omne optimum a Deo est, 443.

Dormire in somno pacis animas fidelium defunctorum, quid sit, 289.

Dormitio sanctæ Mariæ virginis, 411, 707. *Vide* Assumptio.

Δωδεκαήμερον est spatium duodecim dierum inter Natale Domini et ejus Epiphaniam, 302. Hi dies olim jejunio vacabant, *ibid.*

Druides sacris arcebant profanos, 452.

Dunstani (S.) natalis, 101, 393.

Duodenarius numerus cur dicatur sacratus, 312.

Durandi sententia de porrectione libri Evangeliorum in ordinatione diaconi, 506.

Dux. Forma juramenti a duce, dum constituitur, pronuntianda, 594.

E

Ebbo Rhemensis archiepiscopus restitutus, signis reboantibus, dum hymnus *Te Deum* decantaretur, 585.

Ebreduni miraculum circa baptisterium in Natali Domini, et in Cœna Dominica, quotannis fieri solitum, 399.

Ebrietas sive in laicis, sive in votum sanctitatis habentibus contigerit, canonicis plectitur pœnis, 468.

Ecclesia, qui dicatur in patriarchis fundata, 312, 605. Dicitur etiam in prophetis præparata, et in apostolis condita, 29, 605. Per arcam Noe figurata, 330. Baptismi lavacro Ecclesia vegetatur, 368. Ex latere Christi in cruce dormientis Ecclesia formata, *ibid.*, 384. Decet Ecclesiam, quæ Christi corpus est, regnum esse et sacerdotium, 270. Filios quoque Ecclesiæ, in ea regeneratos, reges esse et sacerdotes, *ibid.* Quæ sint officia regum et sacerdotum, ex quibus constat Ecclesia, *ibid.* Datum est a Deo Ecclesiæ ut viti similis, inter adversa cresceret, 177, 444. Arceantur impii et scelerati Ecclesia, templo, sacris, et communi hominum societate, juxta priscum Ecclesiæ morem, 451. Ecclesia aquæ benedictæ aspersione sanctificata, 425. Fuit hæc Romanorum consuetudo, ut nocturno concubitu, etiam licito, polluti, die sequenti ecclesiam non adirent, 579. Ecclesiæ Orienti obversæ, 329. Ecclesiæ protopapa, 524.

Edelulpho Anglorum regi nupsit Judith filia Caroli Calvi, 590.

Εἰρήνη πᾶσι, *id est* pax omnibus, 526.

Εἰρηνικά, *id est* pacifica, quæ etiam dicuntur diaconica, sunt quidam versus qui a diaconis decantantur, 523.

Εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *id est* in sæcula sæculorum, 294.

Electio episcoporum distinguitur ab eorum ordinatione, 507. Electio a clero et populo olim fieri solita, ordinatio a tribus episcopis, 508. Electiones Siderii, Antonii et Nilammonis episcoporum ab ordinationibus distinctæ, *ibid.* Act. VI, eligere et manus imponere differunt, *ibid.* Electiones episcoporum olim in Gallia suffragiis cleri et populi fiebant, 511. Auctoritas regis requisita, tunc electiones sæpe infirmabat, *ibid.* Electiones per concordata sublatæ, *ibid.* Nominationes episcoporum penes regem, confirmationes per concordata penes summum pontificem., *ibid.* Electiones episcoporum in aliis Ecclesiæ occidentalis regnis, successu temporis, fere eædem quæ in Gallia, factæ sunt, 511. Apud Græcos perseverant electiones ab episcopis comprovincialibus faciendæ, exclusis cleri et populi suffragiis, *ibid.* Hæc disciplina non est a concilio Nicæno primo constituta, *ibid.* Plura exempla electionum per clerum et plebem post illud concilium referuntur, 512. Concilium Laodicenum ab electionibus exclusit solum infimæ plebis suffragia, *ibid.*

Eleemosynam dat Dominus papa Sabbato ante Ramos Palmarum, quod idcirco vacat, 59. Sabbato datur fermentum in consistorio Lateranensi, *ibid.*

Eleonoris reginæ, conjugis secundæ Francisci primi, coronatio, 595. Uncta est oleo in capite, *ibid.*

Eliæ cujusdam baptisma, et absolutio reperta in sepulcro ejus, 459.

Eligii (S.) fit mentio in canone Missæ, 4, 283. Sancti Eligii liber Sacramentorum. *Vide* Præf.

Elipandus episcopus Toletanus, et Felix Urgelitanus, Christum esse filium Dei adoptivum defenderunt contra fidem, 378.

Elisabeth (S.) uxor Ludovici Lantgravii Turingiæ, peracta unctione extr., viaticum corporis Domini ab episcopis percepit, 536.

Eliseus salis immissione sterilitatem aquæ cur. ns, quid significet, 364.

Elpidoforus fidei desertor, 355.

Embolis est id quod interjicitur, seu interponitur, 337.

Emerentiana (S.) sanctæ Agnetis collactanea, 23. Ejus natale decimo Kal. Febr. recensetur, 305.

Energumeni, pro quibus apud Græcos in Missa prima oratio fiebat, 278. *Vide* Exorcistæ.

Enherber, *id est* veneno aliquem necare, 478.

Enim, aliquando sumitur pro vicibus *vero*, seu *autem*, 237, 537.

Eormenihildæ (S.) natale quarto Idus Febr., 310.

Ephestris est vestis exterior, quæ a Græcis φαινόλης, seu Phenolium dicitur, 523.

Epheta dictum ad contactum aurium, 366.

Epimachus (S.), 694.

Ἐπινίκιος ὕμνος, *id est* hymnus Victorialis dicitur *Sanctus, Sanctus*, etc., 281.

Epiphania Heraclii imperatoris filia a Sergio patriarcha Constantinopolitano, in oratorio palatii coronata, 584. —Epiphaniæ festum celebratur mense Januario ex antiquo ritu, 302, 661. Epiphania est Salvatoris nostri Jesu Christi Incarnatio, seu œconomia, *ibid.* Ad fontes solemnis aquæ, per crucis immersionem, benedictio, *ibid.* Consuetudo olim viguit in pluribus locis baptizandi in Epiphania, 398. *Vide* Theophania.

Episcopales benedictiones, 625.

Episcopatus dicitur summum sacer-

dotium, 225, 514. Episcopatus honor, 499.
Ἐπίσκοπος interpretatur inspector, superinspector, speculator, custos, 509. Quamobrem in solio editiore sedet in ecclesia, 254, 340, 581. Episcoporum quorumdam fastus damnatur, more regum in ecclesia sedentium, 340. Antiquus Ecclesiæ mos fuit ut cerei ardentes præferantur episcopis, 347. Solebat olim episcopus baptizare, et baptizatis statim confirmationis sacramentum conferre, 383. Episcopi vocantur summi pontifices, 502. Episcopi in sua ordinatione utriusque genuflexio, 523. Episcopi ordinatio juxta Græcos, 522. Episcopus Dalmatica induitur, 525. Episcopi est porrigere Eucharistiam, 589. Consecrare virgines, 167, 440. Sacrarum virginum dicitur custos, 509. — Ἐπίσκοπος est qui pani cæterisque rebus venalibus præest, 509. Præfectus et custos urbis ai cujus vocabatur episcopus, *ibid.* Apud Christianos episcopus est qui in unaquaque civitate rebus divinis et sacris præest, *ibid.* Forma libelli supplicis a clero et populo ad regem et archiepiscopum pro episcopo electo, 509. Forma promissionis ab electo episcopo faciendæ, 510. Episcopus baculum accipiens monetur ut in ira judicium sine ira teneat, 511. Ritus ordinandi episcopi, *ibid.* Ritus imponendi libri Evangeliorum super caput episcopi, cum ordinatur, est antiquissimus, 512. Quid significet hic ritus, *ibid*, 513. Liber Evangeliorum ab episcopis imponitur, *ibid.* Quot episcopi debeant convenire ad unius ordinationem, 513 Ordinatio episcopi censetur invalida, quæ a tribus episcopis non fuerit facta, *ibid.* Utrum episcopi præsentes manibus suis caput debeant tangere episcopi ordinandi, *ibid.* Unctio capitis in ordinatione episcopi, fit ex more veteri, 515 Aliæ unctiones episcopi, manuum, pollicis dexteræ, et iterata capitis unctio, juxta Codices diversos, 516. Ordinatio episcopi fieri debet die Dominica, 517. Episcopus est sacerdos primi ordinis, 519. Episcopus ordinans dat ordinato oblationem integram, *id est* consecratam hostiam, de qua communicat super altari, 518. De hac reservat ad se communicandum per quadraginta dies sequentes, *ibid.* Quid significet hæc hostia particulatim sumenda ab episcopo ordinato, 519. Fuit olim in usu, ut consecratione perfecta, episcopus in sede episcopali solemniter collocaretur, 520.
Epistolæ lectioni lectio prophetica olim præmissa, 560. Antiqua consuetudo est legendi epistolas apostolorum, præsertim sancti Pauli, in Missa, post orationes, 278. Epistola olim non legebatur, sicut nec Evangelium nunc legitur, nisi ad nutum episcopi, vel presbyteri celebrantis, 561. Epistola olim in Missa a lectoribus legebatur, 491.— Epistolarum liber olim non tradebatur subdiacono in sua ordinatione, 496, neque ad ejus munus pertinebat legere epistolam ad Missam, *ibid.*
Ἐπιτραχήλιον est orarium, *id est* stola quæ datur presbyteris in sua ordinatione, 503. Ἐπιτραχήλιον dicitur, quia circum collum componitur, *ibid.* Sine stola a collo dependente prohibetur presbyter Missam celebrare, aut communicare, *ibid.*
Errantem a via sua reducendum esse, sub pœna excommunicationis, 469, 476.
Et, conjunctio præposita formæ baptismi, 352.
Et cum Spiritu tuo; vox est populi, ex antiquo ritu Ecclesiæ, pontifici sibi bene precanti vicissim respondentis bene precando, 387.
Eteocles et Polynices, cum sacrificarent, OEdippo patri suo armum victimæ, tanquam regi, mittere solebant, 589.
Eucharistiæ consecratio, fit vi verborum utriusque formulæ, 287. Paschale sacramentum corporis et sanguinis Christi, cur dicatur remedium æternum, 317. Olim Eucharistiæ sacramentum, cum ipso baptismo sumebatur, 73, 356, 384. Hæc duo sacramenta significantur per sanguinem et aquam, quæ de Christi latere fluxerunt, 384. Eucharistia olim data infirmo post extremam unctionem, 536, 554. Eucharistiæ consecratio a pontifice et presbyteris simul facta, 537. Eucharistia in manus olim porrecta, 578. Pœnitentes in quarto pœnitentiæ gradu ad Eucharistiæ participationem non admittebantur, 461. Expleto hoc gradu, Eucharistiæ participationi restituebantur, *ibid.* Si per negligentiam sacrificium terra tenus ceciderit, superpositio sit, 468. *Vide* Superpositio. Si ex eadem negligentia perdat illud, et ab aliquo devoretur, quadrag. diebus pœniteat, *ibid.*
Εὐχή, *id est* votum, seu oratio quam facimus ad votum, 284.
Eudocia imperatrix nomen in baptismo accepit, antea dicta Athenais, 552.
Eudocus (S.) invocatur in litaniis ad ungendum infirmum, 545.
Eugenia (S.), 290.
Eugenius (S.), martyr cum Macario relegatus à Juliano Apostata; deinde uterque securi percussus, 305. — Eugenius Carthaginensis episcopus, 348.
Eulalia (S.), martyr, tertio Kal. Decemb. 422.
Eulogiæ offerebantur ad altare, Christianis per diversas parœcias mittendæ in communionis signum, 563.
Eunomius invexit unam in baptismo immersionem, quod sanctam Trinitatem non crederet, 353 Ab Eunomianis baptizatos unica mersione concilium Constantinopolitan. primum jubet iterum baptizari. *ibid.*
Euphemiæ (S.), fit mentio in canone Missæ, 290. Idibus Aprilis natalis sanctæ Euphemiæ, 390. Hæc non est virgo et mart. celebris Chalcedonensis, *ibid.* Ejus festum annotatur, 11 Junii in Menologio Græcorum, quo die passa est, et in Martyrolog. Roman. 16. Septemb. *ibid.*, 130, 710.
Euplius (S.), 121.
Eusebii (S.), presbyteri et confessoris natale, XIX Kal. Septemb. 411, 121, 707. Hic multa passus pro fide orthodoxa, superstes in pace quievit, *ibid.*
Eustachius (S.), seu Eustochius, 134.
Eutychianus papa instituit uvam maturam, fabasque in altari benedicendas, 410.
Eutychius patriarcha Constantinopolitanus Justinum minorem imperatorem coronavit, 583. — Eutychius hæreticus Eunomii sectator unicæ in baptismo mersionis auctor, 353.
Eva dicitur antiqua virgo, quia paradisu, terrenus omni libidinis contagione caruit, 188, 447.
Evagrius Paulino Antiochiæ episcopo, populi suffragiis, subrogatur, 512.
Evangelium ex antiquo ritu legitur in Missa, 1, 279. A quo Evangelium fit legendum in Missa, non una fuit olim omnium Ecclesiarum consuetudo, 491, 500, 501. Evangelium a lectoribus in Missa lectum, 491. Ex more antiquo Evangelium non legitur, nisi ad nutum episcopi, vel presbyteri celebrantis, 561. Ex veteri Ecclesiæ instituto accenduntur luminaria ad lectionem Evangelii in Missa, 582. Evangelium olim de Resurrectione lectum per octavas Paschæ, 561. Evangelium de Resurrectione secundum Matthæum olim lectum in die Paschæ, *ibid.* — Evangeliorum liber olim non porrigebatur diacono in sua ordinatione 500. Liber Evangeliorum ab episcopis imponitur capiti episcopi in ordinatione sua, 512. Capiti papæ consecrandi a diaconis imponitur, 518. Lecto Evangelio, librum osculatur episcopus, et omnes clerici post illum, 561.
Εὐαγγελισμός, *id est* Annuntiatio, 213.
Εὐαπολόγητος, *id est* excusabilis, 286.
Eventius (S.), 693, 694.
Exaltatio sanctæ Crucis, 128, 709. Officium Exaltationis sanctæ Crucis, 823. *Vide* Crucis Exaltat.
Examen baptizandorum, de eorum vita et intentione diligentior inquisitio, 379.
Excarpsatum, quid significet, 614.
Exceptores sunt notarii, dicti a notarum excipiendis compendiis, 343.
Excommunicatis ab Ecclesia, qui ignorans communicaverit, diebus quadraginta pœniteat, 468. Qui reconciliatur Ecclesiæ excommunicatus, morte præoccupatus, antea jam confessus, 469. Arceantur impii, et scelerati Ecclesia, templo, sacris, et communi hominum societate, juxta priscum Ecclesiæ morem, 451.
Exhortatio sacerdotis, quæ alias dicitur præfatio ad circumstantes infirmo ungendo astantes, 547, 553.
Exorcismus Græce, Latine conjuratio, seu sermo increpationis est adversus diabolum ut discedat, 339, 364, 376. Exorcizatur malignus spiritus ut exeat ab eo plasmate, quod per peccatum primi hominis jamdudum possidebat, 364. Exorcismi ante baptismum, 363, 376, 377. Exorcizandi dæmonis vetus forma, 123.
Exorcistæ fuisse leguntur in Actibus apostolorum, 364. Sancta Ecclesia inter gradus ecclesiasticos exorcistarum etiam ministerium habet, *ibid.* Exorcistæ diabolum multis increpationibus lacessunt, 376. Quo Missæ loco fiat exorcistarum ordinatio, 487. Creationem lectoris sequitur ordinatio exorcistæ, juxta antiquum morem, 492. Apud veteres Patres exorcistarum mentio in Ecclesia, *ibid.*, etiam apud gentiles, *ibid.* Proprium munus exorcistarum est energumenis manus imponere, 495. Dicitur exorcista gratiam accipere sanitatum, 221, 495.
Exorcizandus est qui baptismo et saluti fidelium, et omnibus virtutibus ejus contrarius est, 364. Qui exorcizabantur, velata facie audiebant exorcismos, 377. Stabant discincti, ablata veste, sola tunicella induti et nudis pedibus, *ibid.* Ad Occidentem respicientes, *ibid.* In pedes erigebantur, *ibid.*
Expulsio pœnitentis ab ecclesia, 451.
Exsequiarum officium, 478. Olim *Alleluia*, vox lætitiæ, in defunctorum officio, cur prætermissa non fuerit, 480. Aliud officium exsequiarum, *ibid.* Elatio cadaveris cum cantu, 485, Corpore in Ecclesiam delato, antequam terræ mandetur, celebratum Missæ sacrificium, juxta antiquum morem, *ibid.* *Kyrie, eleison* in exsequiis cani-

tur juxta veterem morem, 485. Ad finem cujusque psalmi, qui ante sepulcrum canitur oratio seu collecta interponitur, pro more antiquo, *ibid. Vide* Defuncti.

Exsufflatio fit in facie baptizandi a sacerdote per signum crucis, ut diabolus fugetur, et Christo via præparetur, 363.

Extremæ unctionis ministrandæ ritus tres referuntur, 235, 236, 532, 534, 537. Plures sacerdotes administrabant hoc sacramentum, 237, 534, vel aderant administranti, 543, 553. Imponebant manus super infirmum, *ibid.*, 548. Ab unico sacerdote hoc sacramentum conferri potest, *ibid.*, 534. Unus aliquando infirmum ungebat, alter vero formam proferebat, 236, 534. Olim forma hujus sacramenti fuit indicativa, *ibid.*, 538, 539, 540, 549. Sententiæ veterum et recentiorum scholæ Parisiensis hac de re theologorum, 534, 535. Formula Per istam unctionem, etc., dici solita in unctione sacerdotis, 534. Olim ungebatur infirmus antequam sumeret viaticum corporis et sanguinis Domini, 237, 536, 534. Olim tria sacramenta, pœnitentiæ, extremæ unctionis et Eucharistiæ, simul infirmo conferebantur, 536. Non conferebatur extrema unctio pœnitentibus quibus nullum dabatur sacramentum, 532. Septem diebus continuis, si necessitas fuerit, infirmi extremam unctionem et viaticum olim recipiebant, 237, 537, 543, 551, 554. Hoc sacramentum posset sæpius repeti in eodem morbo, nisi usus præsens Ecclesiæ obstaret, *ibid.* Infirmi in quinque sensibus ungebantur, nulla facta mentione vulgaris formæ, 237, 537. Sacerdos uncturus infirmum facit signum crucis ex cinere cum aqua super ejus pectus, cum cilicii impositione, 537, 539, 544. Sacerdos audiat confessionem infirmi, aut scriptis, aut verbis, *ibid.* Fidei professio quam æger facere debet ante unctionem, 553. Dum unctio capitis præcipitur, tempora tantum sunt ungenda, non vero frons, nec vertex, 548, 553. Unctio pectoris fieri præcipitur in pluribus Codicibus, in aliis prohibetur, a Græcis fieri solet, 553. Unctio quoque inter scapulas fieri, ab aliis non fieri solebat, *ibid.* Non fit mentio in veteribus Codicibus unctionis renum; nec est in usu apud Græcos, 554. Quidam addunt unctiones pectoris, renum et umbilici, *ibid.* Græci ungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex utraque parte, et pedes, *ibid.* Unica unctio in urgenti mortis periculo sufficit, 554. Unctionum conclusio, 549. Ratio ungendi infirmi cum ingravari cœperit, 532. Reconciliatio est brevior ratio unctionis conferendæ infirmo qui est proximus morti, 530, 554. Ratio ungendi infirmi secundum veterem usum Ecclesiæ Suessionensis, 554. In qua forma indicativa, et sola auris sinistra, pectus et scapulæ, cum aliis partibus ungi solitis, unguntur, 555. Coram ægroto post extremam unctionem, officium divinum recitabatur, 542, 554. In Missa pro infirmo graviter ægrotante, et pro eo qui est morti proximus, introitus, gradale, offertorium, etc., sunt duplicia, *ibid. Vide* Visitatio, Unctio.

Exuperius (S.), martyr, 416. *Vide* Mauritius (S.).

F

Fabæ seu favæ maturæ benedicuntur in altari, ex institutione Eutychiani papæ, 234, 410.

Fabiani (S.), martyris natale, 20, 683. Fabiani et Sebastiani Missa unica, cum diversis orationibus, sancti Sebastiani oratione præcedente, 304.

Facie velata exorcizati, 377.

Fatigare idem ac percutere; fatigari, *id est* percuti, 397. Nostris fatigamur offensis, *id est* ob delicta nostra corripimur et percutimur, *ibid.*

Faustini (S.), natale, quarto Kal. Augusti, 408, 704.

Febres typicæ, febres erraticæ, 616. Typus quartanus et quotidianus significat formam, seu regulam, qua febris, quasi sibi præfixa, hominem corripit, *ibid.*

Februario mense Romani in honorem Februi Dei cum cereis ardentibus lustrabant urbem, 306. Unde hic mensis sit denominatus, 307, 308. Februarius a dolore videtur dici, *ibid.*

Februlis, seu februata Juno dicitur a Romanis, 308.

Februs Romanis dolor dicitur, 308. Februare idem est ac purgare, *ibid.*

Februus Deus dicebatur Pluto, 308. Lingua Etrusca Februus dicitur is qui est apud inferos, 308.

Feliciani (S.), martyris natale, 699.

Felicissimi (S.), martyris natale, 118, 705.

Felicitatis (S.), martyris natale, nono Kal. Decemb. 141. *Vide* Perpetuam (S.).

Feliculæ (S.), natale, decimo sexto Kal. Martii, 28, 310.

Felix (S.), papa II Liberio exsulanti subrogatus; deinde a Constantio imperatore Ariano, et ipse ob fidem catholicam sede pulsus, et obtruncatus, 408. Quarto Kal. Aug natale sancti Felicis, 116, 704. — Felicis (S.) Nolæ presbyteri et confessoris natale, decimo nono Kal. Februar. et Missa, 18, 303, 661. Sanctus Felix in Pincis, hic locus est Romæ in quo sancto Felici Ecclesia est ædificata, *ibid.* — Felix et Adauctus (SS.) martyres, tertio Kal. Septemb. 127, 709. — Felix episcopus Urgelitanus cum Elipando Toletano episcopo tuebatur hæresim; nimirum Christum esse Filium Dei adoptivum, 378.

Feminæ separatæ a masculis erant in exorcismis, 382. Mares in parte dextera, feminæ in sinistra collocabantur, *ibid.*

Ferales dies, qui dicantur, 307. Feralia olim incipiebant die vigesimo Februarii, et durabant fere usque ad finem ejusdem mensis, 311. In feralibus manes placabantur, eorum tumulis cibo quo vescerentur apposito, *ibid.*

Feria quarta post Dominicam Quinquagesimæ, non erat caput Quadragesimæ ætate sancti Gregorii Magni, 315. Feria quarta in capite jejunii pœnitentiæ dandæ et accipiendæ dies, 449. — Feria quarta majoris hebdomadæ, dicuntur orationes solemnes sicut in feria sexta, ex more antiquo, 62, 321. — Feria quinta in cœna Domini pœnitentium fit reconciliatio, 457. — Feriæ quintæ officia per totam Quadragesimam, dicuntur fuisse instituta a Gregorio juniore, *id est* a Gregorio II papa, et maxime ex æstivalibus Dominicis collecta, 36, 668. Feria quinta in Octavis Pentecostes deest officium et Missa, et ideo cantatur de Dominica Pentecostes, 400. — Feria sexta majoris hebdomadæ crucis adoratio, 69. In ea non consecratur, 387.

Festi cujuslibet annuntiandi formula antiqua, antequam Martyrologia publice in Ecclesia legerentur, 439. Festa quem in finem celebrari ab Ecclesia præcipiantur, *ibid.* Festa per anni cursum occurentia celebrandi vetus Ecclesiæ Latinæ et Græcæ consuetudo, 571, 572. Varietas fuit olim, sicut nunc est, in horis canonicis pro diversitate solemni atum, et festorum, *ibid.*

Fidei professionem rex facit in sua coronatione; sicut et imperator Constantinopolitanus, 584. Infirmus ante extremam unctionem facit professionem fidei, 553.

Fidiculæ sunt ungulæ ferreæ, quæ dicuntur fidiculæ, quia eis in eculeo rei torquentur, ut fides inveniatur, 477. Fidiculæ tamen dicuntur a verbo findo, fidi, etc., *ibid.*

Firmus in Africa victus, inter cætera manubia, Theodosio imperatori coronam sacerdotalem restituit, 558.

Fiscanenses monachi sanctum Maurilium receperunt in fratrem, 581.

Flabella ex plumis conciunata, et a diaconis mota, dum mysteria celebrantur, quid significent, 523, 524. Flabella dicuntur muscaria, 570. Flabellum diacono in sua ordinatione porrigitur, cujus est illud movere super sacris mysteriis, *ibid.* Cur super mysteria tremenda proposita moveantur flabella, 523. Usus flabelli aliquando fuit Romæ, 524.

Flamineatus pontifex, *id est* sacris vestibus indutus, 558.

Flectamus genua, clamare est diaconi ex veteri ecclesiastica consuetudine, 321. Olim postquam diaconus clamaverat *Flectamus*, etc., populus orabat sub silentio, *ibid.*

Fletus est primus Pœnitentium gradus, qui extra portam ecclesiæ stantes in luctu pœnitentiæ manebant, 461.

Fontium baptismalium dedicatio, 437. Fontis baptismalis septem gradus, 385. Vetus est consuetudo ut aqua fontis baptismalis solemni ritu ab episcopo benedicatur, 348. Hæc benedictio inter traditiones apostolicas recensetur, *ibid.* Hujus benedictionis ritus, 72, 348. Super ipsum fontem baptismalem columba aurea, vel argentea Spiritum sanctum repræsentans, 385. Fons miraculosus in baptisterio Elbredunensi, 399. Ad fontes, seu ad vestem, *id est* ad locum ubi baptizandi vestes deponebant, aut albam vestem induebant, 785. *Vide* Baptisterium, Baptismus.

Fores sacræ sunt fores cancellorum sacrarii, 523. Has custodire est subdiaconorum, *ibid.* Apud Græcos olim erat diaconorum, *ibid.*

Forma baptismi *Ego te baptizo*, etc., utrum ad baptismi valorem sit necessaria, 354. Utrum mersio cum his verbis : *In nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti*, sufficiat, *ibid.* Forma qua utuntur Græci est indicativa, et valet, *ibid.* Græci veteres non addiderunt suæ formæ *servus Dei*, *ibid.* Ad nominationem cujusque personæ sanctissimæ Triadis Græci ex veteri consuetudine addunt *Amen*, 355. *Vide* Baptismus. — Forma chrismationis et reconciliationis hæreticorum apud Græcos, 362. — Formæ confirmationis variæ, 361, 362. *Vide* Confirmatio. — Forma consecrationis calicis non est in Scripturis, 288. *Vide* Eucharistia. — Forma extremæ unctionis est indicativa, 534, 538, 539, 540, 549. Forma Ambrosiana, 534. *Vide* Extrema unctio.

Formata est diploma seu litteræ archiepiscopi, quibus testatur episcopum a se ordinatum esse tali Ecclesiæ,

518. Exemplar formatæ, *ibid*.

Formula exorcizandi dæmonis, 425. Forma coronationis reginæ, 595. Formulæ variæ dandæ communionis, 579.

Fornicationis pœna canonica, pro cujusque conditione et circumstantiis criminis, 465. Episcopus faciens fornicationem degradetur, et exdecim annos pœniteat, 468, 474. Presbyter, aut diaconus, fornicationem naturalem faciens, nulli voto monachatus obnoxius, pœnis plectitur canonicis, *ibid*.

Fortitudo adversa non metuit, et trepidanti menti fiduciam præbet, 372. Fortitudo destruitur, nisi per consilium fulciatur, *ibid*.

Fortunati locus emendatus, 514.

Franci qua die infantibus nomina imponebant, 351. Ritus olim observatus in unctione regum Francorum, 257. Primus eorum Clodoveus a sancto Remigio inauguratus est, et coronatus, 584. In sua coronatione faciunt fidei professionem, *ibid*. Unde jus antiquum regibus Francorum in regnum Angliæ, 587. Chrismate uncti inaugurantur, 587. Sacro oleo e cœlo misso delibuti, 588. In formula coronationis regum Francorum asseritur eis jus in Saxones, Mercios, et Nordanimbros, 587. Sacrum oleum e cœlo missum, quo unguntur, chrisma appellatur, 588. Regum Francorum unguntur vertex, pectus, scapulæ, inter scapulas, brachiorum internodia, et manus, 589. Christianissimi appellatio regum Francorum est propria et antiquissima, 591. In orationibus solemnibus feriæ quartæ et sextæ majoris hebdomadæ *Respice ad Romanorum atque Francorum benignus imperium*, 63, 322.

Franciscum primum Francorum regem inter et Leonem papam decimum concordatis sublatæ sunt a clero et populo episcoporum electiones, 511.

Fratrum septem martyrum natale, 113, 407, 703.

Frigium. *Vide* Phrygium.

Frontis unctio in modum crucis, 360. Tribus vicibus, 361. Frons infirmis cur non ungatur, 553. Frontem ungere chrismate presbyteris non licet, 358, 361, 371. *Vide* Confirmatio.

Frumenti benedictio fit in altari, ex institutione Eutychiani papæ, 410.

Fulbertus Carnotensis episcopus claruit Roberto Francorum rege, 427.

Fulgentii (S.) confessio, 452. Cujus Fulgentii, Ruspensis, vel Astigitani, 454. Sanctus Fulgentius Astigitanus episcopus in Hispania frater sanctorum Leandri et Isidori, *ibid*. — Fulgentius (S.) ex monacho episcopus Ruspensis in Africa, 360, 454. Festum ejus cum sancti Silvestri papæ festo concurrit, 13.

Funeris officium, 478, 479, etc. *Vide* Exsequiæ, Defuncti.

Fures quibus pœnis canonicis plectendi, 466, 472. Furis ministerii Ecclesiæ pœna, 467.

Furtum cibariorum ac vestium in necessitate indulgetur. Canonice tamen jejunetur, 469. Si reddiderit, non obligetur ad jejunandum, *ibid*.

G

Gabrielis archangeli nomen in oblatione incensi, 576.

Galli celebritatis Rogationum auctores, 395.

Gallina, si in puteo mortua fuerit, etc., 469.

Gallus (S.), Alvernæ episcopus, post mortem ablutus et vestitus, in ecclesiam delatus est, 484.

Gaudentius (S.), Brixiensis episcopus, ecclesiam dedicavit, quam concilium Sanctorum appellari jussit, ob multas in eam invectas sanctorum reliquias, 434.

Gazetum est vinum excellens, 565.

Gebhardus (S.), episcopus Constantiensis, 484. Post mortem lotus, et sacerdotalibus, ut moris est, vestibus indutus et feretro impositus est, *ibid*.

Gelasinus (S.) martyr, qui in theatro per jocum baptizatus, ad Christum serio conversus noluit deinceps mimum agere, 356.

Gelasius papa auctor libri Sacram., præf. III.

Gemetic. Codex., præfat. V.

Geminianus (S.). *Vide* Lucia, 130, 710.

Genarum laniatio in funeribus paganorum, 476.

Genesii (S.) natalis, 703.

Genuflexio non fit in oratione pro perfidis Judæis, 322. Genuflexio exorcizatorum, 377. In ordinatione diaconi, 523.

Genus humanum prævaricatione sua in ipsius originis radice damnatum, 27. *Vide* Peccatum originale.

Georgii in canone Missæ fit memoria, 285. Sancti Georgii natale et Missa, IX Kalend. Maii, 84, 689.

Germani (S.), Antissiodorensis episcopi, natale, II Kal. Augusti, 409. Ejus in altaris consecratione miraculum, 429.

Germanorum lex, 452.

Germanus (S.) Parisiensis a Fortunato vocatur pontifex summus, 503, 514. Ejus festum 28 die Maii, 731. — Germanus (S.) pridie Kal. Octob., 417.

Geronti (S.) natale XIV Kal. Feb. 304.

Gertrudis (S.) natal. 4, 290.

Gervasii et Protasii (SS.) nomina in canone Missæ, 292. Eorum festivitas XIII Kal. Julii, cum vigilia celebratur, 108, 700.

Gladii accinctio in coronatione regis, 590.

Gloria in excelsis. A quo hic hymnus fuerit compositus, 277. Telesphorus papa vulgo fertur statuisse ut in Missa caneretur, *ibid*. Olim hic hymnus in laudibus matutinis canebatur, *ibid*. In litania ab hoc hymno abstinetur, 1, 2. Non dicebatur a presbyteris, nisi in Pascha; ab episcopo die Dominica, et diebus festis, 1, 600. Olim loco hymni *Te Deum*, in gratiarum actionibus, canebatur *Gloria in excelsis*, 545. Ex antiquo more hymnus *Gloria in excelsis* incipitur a pontifice, 560. Cantatur in Missa cœnæ Domini, toto classico sonante, 336. Et in Missa Sabbati sancti, 387. Incipitur ab episcopo et presbyteris, eodem toto sonante classico, 336.

Gloria laus, etc. A quo hic hymnus fuerit compositus, 319, 320. Auctor ejus Theodulpho Aurelianensi, et Reino Ido Lingonensi antiquior est, sed ignoratur, *ibid*. Alcuinus, qui obiit anno, 804, hujus hymni et processionis memoratur, 319.

Gordiani et Epimachi (SS.) natale et Missa, 87, 392, 694.

Gorgonii (S.) martyris natale quinto Idus Septemb. 415, 128, 709.

Gothi ad decorem et majestatem, ex more gentis, promissis gaudebant crinibus, 451. Concilium Agathense statuit ut Gothi pœnitentes omnem crinium ornatum a se amoverent, *ibid*. Gothi Sabbato non jejunabant, 314.

Grabatarii dicebantur vel clinici, qui in lecto, seu grabato, per aspersionem, aut perfusionem aquæ, ob mortis periculum baptizabantur, 389.

Gradale idem est quod graduale, 1. 279, 649. Olim graduale erat psalmus integer, 561. Dicebatur responsorium, 649. Antiphonarius gradualis, *ibid*.

Gradus septem erant in baptisterio, tres in descensu, et tres in ascensu, 385. Quid significabant hi gradus, *ibid*. Cur septimus diceretur stabilimentum pedum, et fundamentum aquæ, *ibid*. — Gradus pœnitentium quinque, 461. — Gradus ecclesiasticos qui fugiunt sacris sunt altaribus admovendi, et qui ambiunt repellendi, 221.

Græci non celebrant Missas consecrando, diebus quibus jejunant, 335. Præsanctificatis utuntur per totam Quadragesimam, *ibid*. Dominicis, Sabbatis, et festo Annuntiationis ex more antiquo in Quadragesima non jejunant, et consecrant, *ibid*. Ad hos dies natalitia martyrum transferunt, si quæ in Quadragesima occurrant, *ibid*. Græcorum ordinationes presbyterorum, quæ fiunt sine instrumentorum porrectione, Ecclesia Romana nunquam improbavit, 504. Græci non conferunt ordines minores alios, quam lectoris et psalmistæ, 521. Ritus conferendi ordines apud Græcos solitus, *ibid*. Græci non cantant *Christe, eleison*, 277. Non habent unicam missæ rationem, 572. Unctione verticis carent in baptismo, 383. Quas partes ungunt in extrema unctione, 551. Eorum virgines tonsæ, 443. Eorum forma baptismi indicativa, 354. Eorum forma absolutionis, 460. — Græci pagani habebant templa Occidenti obversa, 350.

Gratia dicitur metonymice redemptio æterna, 317. Dicitur nostræ redemptionis effectus, *ibid*. Gratia præveniens est gratia excitans, 318. Aliquando complectitur omnes gratias, excitantem, adjuvantem, habitualem, prout per eas justi reddimur, *ibid*. 59. Gratia necessaria est, ut Deo supplicemus, 444. — Gratia subsequens dicitur gratia adjuvans, 318. Aliquando etiam omnes per subsequentem intelliguntur gratiam, prout accepta justitia per eas roboratur, augetur, et ad finem usque conservatur, *ibid*. 50.

Gratias agamus Domino, etc. Hæc præfationis verba monitoria sancto Augustino familiaria, sanctus Joannes Chrysostomus Eucharistiam, *id est* gratiarum actionem appellat, 279. Hæc gratiarum actio fit pro omnibus beneficiis a Deo acceptis, 280, 295. — Gratia una actio dicitur oratio post communionem, seu postcommunio, 295.

Gravedo est dolor, tristitia, molestia, 428.

Gregorius Magnus (S.) a Græcis frustra reprehensus, 276. Ei liber Sacramentorum asseritur, 273. *Vide* præfat. Ejus nomen recitatur in canone Missæ, 3, 4, 285. Ejus natalis quarto Idus Martii celebratur, 30, 665. Cur sanctus Grægorius Anglorum apostolus appelletur, 593. Qui sint hymni a sancto Gregorio compositi, 616, 878. Nec Sacramentarii, nec Antiphonarii auctor, sed compilator sanctus Gregorius, 649. Epistola ejus ad sanctum Leandrum vindicata, 333. — Gregorius papa III instituit festum omnium Sanctorum, 420. Hoc festum celebrari cœpit in Gallia sub Ludovico Pio, monente Gregorio papa IV. *Ibid*. Gregorii papæ VII constitutio de jejunio quatuor temporum, 403. — Gregorii (S.) Nazianzeni cidaris capiti imposita, quæ fuerit, 538. — Gregorius (S.), Lingonum episcopus, in sepulcro inventus,

cujus integrum erat vestimentum, in quo fuerat sepultus, 484.

Guillelmus Rhemensis archiepiscopus Philippum Augustum Francorum regem sacravit, et coronavit, 588, 591.

Guntramnus rex Clodovei nepos a provinciarum suarum episcopis sacratus fuit, 584.

H

H. Usus hujus aspirationis apud veteres qualis, 615.

Habemus ad Dominum. Hæc præfationis verba sunt in antiquis liturgiis, et ab antiquis Patribus commendantur, 299.

Hæreticus improprie sumitur pro ethnico, sicut pseudomonachi appellantur hæretici, 303. Hæretici nonnulli Ecclesiæ restituti, ungebantur, 362.

Halitgarius, Cameracensis episcopus vixit temporibus Ludovici Pii, 462. A Carolo Calvo missus est Constantinopolim ad Michaelem imperatorem, *ibid.* Multas sanctorum reliquias inde attulit, quibus Ecclesiam suam ditavit, *ibid.* Halitgarii liber pœnitentialis sextus est pœnitentialis Romanus, *ibid.*

Helenæ (S.) reginæ translatio, 28.

Henricus secundus, Francorum rex, consecratus est liquore cœlesti ab angelo quondam delato, mixto chrismati sacro, 589. Annulum accepit et gladio accinctus est ab episcopo, 590, *ibid.*— Henricus IV, Francorum rex, cognomento magnus, a Nicolao Thuano Carnotensi episcopo, Carnoti in regem unctus est et coronatus, 584. Populum ante de consensu alloquutus est præfatus episcopus, *ibid.* Liquore cœlesti sancto Martino olim cœlitus delato unctus est, 589. Cur non a Senonensi, neque a Bituricensi unctus et coronatus fuerit Henricus IV, 592. Antiquum jus regum Franciæ in regnum Anglorum notatur in coronatione Henrici IV, 587. Annulum accepit, et gladio accinctus est ab episcopo, 590. Eique corona imposita est ab eodem Carnotensi, 592. Rhemos occupantibus factiosis, rex Carnoti est consecratus, *ibid.* — Henricus imperator II persuasit Benedicto papæ octavo ut in Ecclesia Romana Symbolum juberet cantari in Missa, 562.— Henricus (S.), Lubecensis episcopus, in extremis positus, post acceptam extremam unctionem, viaticum Dominici corporis sumpsit, 536.

Heraclius imperator coronatus est a Sergio patriarcha Constantinopolitano, et ab eodem uxor ejus Augusta coronata, 584. Heraclium juniorem qui et Constantinus dictus est, idem patriarcha coronavit, anno imperii sui patris tertio, *ibid.*

Herbarius est veneficus, ob herbas maleficas, et herbarum venena appellatus, 478. Herbarii infantum interfectores, in extremo vitæ pœnitentiam, si cum luctu quæsierint, consequantur, 469.

Hermetis (S.) martyris natale, 123, 413, 708, 822.

Hermintrudis Caroli Calvi conjux coronatur, 585. In ea coronatione episcopi allocuti sunt populum in ecclesia, inquirentes de consensu, *ibid.* Benedictio nuptialis Hermintrudis reginæ, 596.

Hero senex anachoreta, a dæmone deceptus, inter biothanatos reputatus est, 611.

Hiacynthi (S.) natale quarto Idus Februarii, 310.

Hieronymi (S.) memoria fit in canone Missæ, 3, 285. II Kal. Octob. natale sancti Hieronymi, 417. Videtur olim repetita sancti Hieronymi festivitas; aut ejus Octava nonis Octobris celebrata, *ibid.*

Hierophantes et Hierophantides myrtea corona in sacris Cereris olim cingebantur, 538.

Hilarii (S.) memoria fit in canone Missæ, 3, 285. Concurrentia Octavæ Epiphaniæ, et festi sancti Hilarii, 303. Missa de sancto Hilario cum commemoratione et benedictione de Octava, *ibid.* Hilario tribuitur a quibusdam hymnus Angelicus, 277.

Hincmarus Rhemensis archiepiscopus fecit secundam sacri corporis sancti Remigii translationem, 418. Carolum Calvum Metis coronavit imperatorem, 536.

Hippolyti (S.) martyris natale undecimo Kal. Septemb. 121, 412, 706.

Hispanorum unica mersio in baptismo, 353. Quando olim apud eos dabatur episcopalis benedictio in Missa, 296. In qua parte Missæ osculum dabant, 568. Sanctæ Parasceves die nec communicabant, nec celebrabant. 312.

Hiulcus mucro. *Vide* Ungulæ, Fidiculæ.

Homicidæ quanta, et quot annorum injungatur pœnitentia, habita ratione circumstantiarum, 465, 468. Qui defendendo se, aut parentes suos, aut familias suas, occidisset aliquem, non erit reus, nec tenebitur jejunare, quia coactus hoc fecit, 468.

Homo sumitur pro humanitate, quando Patres dicunt Verbum assumpsisse perfectum hominem, 382. Perfectum dicunt contra hæresim Apollinaris, *ibid.*

Honor dicitur de tribus excellentioribus ordinibus, diaconatu, presbyteratu et episcopatu, 499, 502, 514.

Hora octava, id est secunda post meridiem, vel mediam noctem, 70. Veteres observabant horas ad siderum cursus, 489. Etiam ad umbram corporis humani, *ibid.* Hora nona, 3. Olim in semijejuniis Missæ tenebantur hora nona, 293. — Horarum canonicarum varietas pro diversitate festorum olim, sicut hodie, fuit in Ecclesia, 572. Horæ canonicæ coram infirmo recitatæ, 531, 542.

Horologium ad umbram corporis humani, 489. Series horarum sumitur in eo ab ortu solis, *ibid.*

Hostia non simplex panis et vinum, sed Christus, qui sub speciebus est immolandus, 26, 308. Qui opus nostræ redemptionis exerceatur, quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, 175, 444. Quomodo hostia et calix inter se debeant in altari ordinari, 255, 582. Hostiæ, seu panis contactus in ordinatione, non est necessarius, 508. Hostiæ forma rotunda, 564. Hostiæ pars in viaticum seposita, 583. Hostia et sacerdos Christus, 389. Hostia in patena calici superposita a sacerdote cum diacono levatur post hæc verba : *Per ipsum,* etc., 582.

Hostis seu ostis, gallice *ost,* significat exercitum, 428.

Hugonis comitis filia Irmengardis nupsit Lotario Ludovici Pii imperatoris filio, 320. — Hugo (S.) abbas Cluniacensis a sancto Godefredo episcopo Ambianensi unctus oleo sancto viaticum dominici corporis et sanguinis percepit, 526. — Hugo Menardus, præfat. VI, VII.

Humerale non est simile Græcorum Omophorio, 536.

Humeri unguntur, *id est* scapulæ, non in pectore, neque inter scapulas, in extrema unctione, 519.

Humiliatio populi ad benedictionem, 537.

Humilitas Christi se ipsum legi subjicientis, 308. Se inclinantis ad jacentem hominem, eique manum porrigentis, 320. Humilitas pedum, quid sit, 377.

Hyacinthus (S.), 128, 709.

Hydria vas est ad aquam aptum, sive aquarium, 517. Non solum aquæ, sed etiam vini vas hydria erat, *ibid.*

Hydroparastatæ sunt, qui aqua sine vino mysterium sanguinis Christi peragebant, 387.

Hymni a sancto Gregorio Magno conscripti, 878.

Hyppoliti (S.) officium, cum tribus nocturnis, 815.

Hyssopus adhibita aquæ benedictæ, qua altare consecratum aspergitur, 427.

I

Ignatii (S.) episcopi et martyris fit memoria in canone Missæ post consecrationem, 4.

Ignorantes, *id est* peccatores, 47, 317.

Ill. Nota, cum linea transversa loco nominis proprii, solebat poni in Codicibus ante annum salutis millesimum scriptis, 572. Postea littera *N.* scribi consuevit, *ibid.*, 603.

Illiante nomine Elie monachus anno 1071 decessit, et baptismatis sui et absolutionis formulam in cruce incisam secum voluit sepeliri, 459.

Illibata, id est integra, non contaminata, 283.

Immaculata hostia, *id est* immaculata Dei dona, 289.

Immolata diis comedentis pœna canonica, 467.

Imperator Constantinopolitanus feria quinta in cœna Domini duodecim pauperibus solebat lavare pedes, 335. Quo ritu, 336. Cuique pauperum, absoluta pedum lotione, tria aurea numismata dabantur, *ibid.* Antiquo more Imperator Constantinopolitanus sacro Chrismate consecrabatur, 589. Cujus sit ei coronam imponere, 591. Ungebatur in capite in modum crucis, 589. Ejus protopapa, 524. — Imperator Romanus cum ordinatur, tres orationes dicuntur, 586. Albanensis episcopus primam recitat orationem, secundam Portuensis, tertiam Ostiensis, cum ei ungit brachium sinistrum, *ibid.* Hodie imperator Romanus oleo exorcizato, rex vero oleo catechumenorum, inunguntur, 589. Imperator Romanus ungitur in brachio dextro, et inter scapulas duntaxat, *ibid.* Unctio fit in modum crucis, 590.

Imperatrici Constantinopolitanæ a quo imponatur corona, 593.

Impositio manus in confirmatione distinguitur a chrismatione, 359, 386. Quid sit impositio manus, 506. Non est mera electio, 507. *Vide* Confirmatio, Chrismatio, Ordinatio, Electio.

Incendiarii quibus pœnis canonicis plectantur, 467, 474.

Incensum offertur a pontifice in Missæ offertorio, secundum morem antiquum, 245, 564. Episcopus offerat dedicando super altare crucem incensi, 430.

Indemnes, id est nulli reatui peccatorum obnoxii, 52, 182, 317, 445.

Indulgentiarum usus antiquus, 404.

Infantes quomodo efficiuntur catechumeni, 363. Infantibus quo die nomina imposita, 350. Eorum communio statim suscepto baptismo, 357. Baptizati ante sacram communionem non

lactentur, 356. Ubi Sabbati sancti officium incipiebat hora post meridiem secunda, non jejuni communicabant, *ibid.* Infantes baptizati confirmationem et Eucharistiam statim recipiebant, 357. Infantes, cum ad ætatem intelligibilem pervenerint, docendi ea quæ veraciter credant, et cura diligenti custodiant, 365. Pro iis confitentur et loquuntur susceptores, 366. Dignum est ut qui aliorum peccatis obnoxii sunt, aliorum confessione, per baptismum, peccati originalis remissionem percipiant, *ibid.* *Vide* Peccatum originale, Baptismus. Infantes extra præscriptos Paschæ et Pentecostes dies baptizari solebant, 400. Quolibet a suo natali die, *ibid.* Infantes, seu infantuli aliquando dicuntur etiam ii qui ad pueritiam pervenerunt, 490.

Inferiæ mense Februario a paganis celebratæ, 307.

Infidelium conversionis curam gerere spectat ad reginam in regno, 593.

Infirmorum confessio ante extremam unctionem, 510, 517. Infirmorum absolutio, *ibid.* Infirmorum visitatio, 532. Infirmorum unctio sacramentum, *ibid.* Infirmis factæ interrogationes ante unctionem, 537, 539, 544, 553. *Vide* Extrema unctio, Visitatio. Missa pro infirmo, 551, 554. Missa pro infirmo qui proximus est morti, 552, 554. Coram infirmo horæ canonicæ recitandæ, 542, 551. Oratio ad infirmum ungendum, 235.

Ingenuorum venundatio prohibita, 474.

Ingomeris et Clodomeris filii Clodovei regis nomina acceperunt in ipso baptismo, 350.

Innocens (S.), sive Innocentius. *Vide* Mauricius (S.).

Innocentum (SS.) martyrum natale quinto Kal. Januarii et Missa, 12, 659. Quasi præ tristitia dies illa deducitur, *ibid.*

Instrumentorum porrectio confundi non debet cum manuum impositione, 507. Instrumentum aliquando pro libro usurpatur, 397. Instrumenta dicuntur res quæ in ordinationibus porrigi solent ordinandis, 504. De instrumentorum porrectione in presbyteri ordinatione, non fit mentio in antiquis Patrum, conciliorum aut scripturæ libris, *ibid.* Ecclesia Græca hanc ignorat hue usque instrumentorum porrectionem, *ibid.* Christus non ordinavit apostolos in presbyteros per instrumenti porrectionem, *ibid.* Veræ credulitatis instrumentis, *id est* veræ fidei scripturis: libris, *id est* doctrinis, per metonymiam, 397.

Insufflatione in faciem fiebat catechumenus, 376. Ter insufflabatur Satanas a catechumeno ad occidentalem plagam converso, *ibid.* Duplex insufflationis modus, *ibid.* Qui et quot fiant a Græcis insufflationes, *ibid.* *Vide* Catechumenus.

Intellectus est inutilis, si ex sapientia non subsistat, 372.

Intelligere aliud est, aliud sapere, 372.

Interrogationes in baptismo fieri solitæ sunt, juxta priscum Ecclesiæ morem, 352. Interrogationes sacerdotis ad infirmum urgendum, et responsiones infirmi ad sacerdotem, 537, 539, 544.

Introitus est antiphona quæ cantatur dum sacerdos introit ad altare, 275. Introitus ex quibus constet partibus, *ibid.*

Invasores rerum alienarum, malo ordine, canonicis pœnis subjacent, 467.

Inventio sanctæ Crucis, v Nonas Maii, 86, 693. Hoc festo Græci carent, 391.

Invisibilium amore rapiamur, pro: *In Invisibilium amorem rapiamur*, 298.

Invocatio super regem, sunt orationes episcoporum, seu benedictiones in coronatione regis, super eum fusæ, 536.

Irenæi (S.) natale, quarto idus Februarii, 310.

Irmingardis imperatricis mors, 319. — Irmingardis filiæ comitis Hugonis, et Lotarii filii Ludovici Pii imperatoris nuptiæ, 320.

Ite, Missa est apud Latinos pronuntiatur a diacono. Apud Græcos, *Ite in pace*, vel, *Procedamus in pace*, 570.

Ivo Carnotensis, de quo sanctus Petrus Damiani et æqualis, scripsit sermonem de sacramentis Dedicationis, 427. Non vero Fulbertus Carnotensis episcopus, *ibid.*

J

Jacobi utriusque apostoli fit mentio in canone Missæ, 3. Jacobi fratris Domini et Philippi apostolorum natalis cum Missa et vigilia, 85, 693. Jacobi fratris Joannis apostoli festum viii Kal. Augusti, 115.

Januarii Kalendis olim homines superstitionibus paganorum obnoxii, 300. Hac die Missa assignatur ad prohibendum ab idolis. *ibid.* Triduo Kal. Januarii fiebant litaniæ ad calcandam gentilium consuetudinem, 302. Homines pagani variis ferarum et pecudum formis petulantius discurrebant, 472. Hoc dicebatur in cervulo ducere, aut in vetula vadere, *ibid.*

Joannes Baptista (S.) videtur intelligendus in posteriori canonis parte; cum Joanne, Stephano, 290. Ejus festivitas cum vigilia et jejunio celebratur, 108. Tres Missæ cantantur; prima de vigilia, post solis occubitum; secunda de nocte; tertia in die, 404, 701. Quare hæ tres Missæ huic festo assignentur, *ibid.* Laus sancti Joannis Baptistæ, 404. Ejusdem senior gratia quam natura, *ibid.* Sanctus Joannes Baptista a Christo baptizatus dicitur, 128, 413. Natalis sancti Joannis Baptistæ, octavo Kal. Jul, 107, 109, 701, 803. — Joannis et Pauli (SS.) fit mentio in canone Missæ, 3. Natalis eorum et Missa, 110, 701, 805. — Joannis Evangelistæ (S.) fit mentio in canone Missæ, 3. Nativitas sancti Joannis, sexto Kal. Januarii, et Missa, 10. Nativitas ejusdem ante Portam Latinam, 87, 392. Hujus apostoli festo duæ Missæ assignantur; prima, primo mane; secunda, in die, 299, 659. Dominus in cruce vicarium suæ Matri filium Joannem subrogavit, 11, 299. Joannes septem scribens Ecclesiis universæ creditur scripsisse Ecclesiæ, 371. — Joannes (S.) Chrysostomus excogitavit cruces argenteas, quibus lucernæ cereæ imponebantur, 435. Communibus cleri et populi votis, assentiente imperatore, Joannes Chrysostomus electus est episcopus Constantinopolitanus, 512. Sacro chrismate unctus in sua ordinatione, 516. In excelso loco positus, *ibid.* Sacerdos unctus est appellatus, *ibid.* — Joannes Abrincatensis episcopus, et postea Rothomagensis, quando obierit, 581. Ejus vitæ acta compendiario relata, *ibid.* — Joannes Arelatensis, cui Theodulphus Aurelianensis episcopus libellum de ordine baptismi dedicavit, 374. Hic vixit sub Carolo Magno, et Ludovico Pio imperatoribus, *ibid.* Hi duo episcopi a Ludovico Pio mittuntur obviam Stephano papæ IV. Rhemos appropinquanti, *ibid.* — Joanni Chozebitæ abbati, deinde episcopo Cæsareæ in Palæstina Spiritus sancti præsentia visibili signo apparere solebat divina mysteria celebranti, 509. — Joannes Constantinopolitanus patriarcha coronavit Mauricium imperatorem, et uxorem ejus Augustam, 584. — Joannis Monachi Hierosolymitani hæresis circa processionem Spiritus sancti, 379.

Joseph ab Arimathia per diaconum significatus, 542.

Jube, Domine, benedicere, *id est* benedicere velis, et jubere aliquando est velle, 561.

Jubilæus annus, in quo plenaria requies signatur, 371. Septem hebdomadibus, et monade conficitur, *ibid.*, 386.

Judas (S.) apostolus, 137, 712. *Vide* Simon (S.). — Judæ traditori corpus et sanguinem suum in ultima cœna Christus porrexit, 328. Judas Eucharistiam inter discipulos indigne accipiens, non polluit innocentes, *ibid.*

Judæi adorabant ad Occidentem conversi, 329. Cur non dicitur *Flectamus genua*, dum pro perfidis Judæis oratio solemnis dicitur, 322.

Judith filia Caroli Calvi nupsit Edilpho Anglorum regi, 590, et coronata fuit, *ibid.* Benedictio nuptialis Judith reginæ, 596.

Julianæ (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 290. Quartodecimo Kal. Martii natalis sanctæ Julianæ virginis et martyris, 311. Nicomediæ passa est, et paulo post in Campaniam translata, *ibid.*

Julianus (S.) presbyter et martyr, 419. — Julianus Apostata, in festo Epiphaniæ, progressus in Ecclesiam, solemniter Numine adorato, discessit, 302. Juliani sacris magicis operam dantis satelles Christianus sua præsentia, dæmones fugavit, 361.

Juno februata, seu februlis, seu februalis a Romanis dicta, 308. Ejus feriæ lupercalia vocabantur, *ibid.*

Justini minoris imperatoris exsequiæ, et elatio cadaveris ejus cum cantu et pompa, 485. Coronatus fuerat ab Euthychio patriarcha Constantinop., 583.

Justinianus imperator quali veste ornatus, sepultus fuerit, 483. Justiniani imperatoris mensa ex omnibus pretiosis facta, 288.

Juvenalis (S.) 694.

Jejunare tetradas, sive Parascevas, *id est* feriam hebdomadæ, sive quartam, sive sextam, 463, 470. Christiani, præsertim orientales, ex antiquo more, solent jejunare feria quarta et sexta cujusque hebdomadæ, 470. Cum jejunant homines, spirituali cibo sunt recreandi, 168, 314, 441. Mos vetus non jejunandi a Paschate ad Pentecosten, 595. Jejunare non valenti quæ pœnitentia imponenda, 464.

Jejunium Quadragesimale dicitur paschale; et paschalis observantia, 315. Jejunium Quadragesimæ olim varium, *ibid.*, 316. Ut dapibus et poculis corpora, sic jejuniis et virtutibus animæ saginantur, 59. *Vide* Quadragesima. — Jejunium primum quatuor temporum olim non semper occurrebat prima hebdomada Quadragesimæ, 317. Nec jejunium quarti mensis olim cadebat semper in hebdomadam Pentecostes, 400. Denuntiatio jejuniorum primi, quarti, septimi et decimi mensis, 105, 402. Denuntiatio illa jejuniorum olim fiebat in Missa post illa verba: *Pax Domini sit semper vobiscum*, 402. Jejunium primi mensis olim cadebat in hebdomadam primam mensis

Martii, 403. Jejunium mensis quarti in hebdomadam secundam mensis Junii, *ibid*. Feria quarta, sexta et Sabbato jejunetur usque ad horam nonam, *ibid*. Gregorius VII, et Urbanus II, restituerunt hæc jejunia in hebdomadam primam Quadragesimæ, et in hebdomadam Pentecostes, *ibid*. Jejunium indictum in triduo Rogationum, 395. Dives pœnitens jejunium septem hebdomadarum, si jejunare non possit, redimat viginti solidis, in eleemosynis, 464. Si non potest tantum dare, det decem; si autem multum pauper, det solidos tres, *ibid*. Jejunium olim a quibusdam non observatum in cœna Domini, 327.

K

Kalendarium Rom., 7, in notis. Illud edidit Joannes Fronto, præfat. IV.

Kyrie, eleison, juxta usum veterem, in exsequiis defunctorum canitur, 485. — *Kyrie, eleison* canitur in Missis et in cæteris divinis officiis, ex veteri more Ecclesiæ Romanæ, 276. Et in officio defunctorum, 185. Toties dicebatur olim *Christe, eleison* quoties *Kyrie*, 277. *Kyrie eleison*, apud Græcos simul omnes canunt, et *Christe* non canitur, *ibid*.

Κυρίου δεηθῶμεν. *Oremus Dominum* a diacono dicitur, 321.

L

Labia, in Extrema unctione ungantur, et exterius crucem super mentum et guttur faciendo, 519.

Lac benedicitur et mel in Missa Sabbati sancti, propter recens baptizatos, 588. Cur baptizati lac et mel gustare juberentur post sacrum lavacrum, *ibid*.

Lactari infantes recens baptizatos permissum ante sumptionem Eucharistiæ; alibi fuit prohibitum, 556.

Laminæ aureæ quas in fronte gestabant sancti Joannes et Jacobus, quæ fuerint, 558.

Λαμπαδάριος, *id est* gestator lampadis ante pontificem, 348.

Lardarium, quid sit, 615.

Largus (S.) martyr, 410.

Laticlavium, seu latus clavus, 525. Vestis senatoria dicitur laticlavium, *ibid*.

Laudant angeli, etc. Mos est Ecclesiæ antiquus, in Missæ præfatione mentionem facere cœlestium spirituum qui sine intermissione Deum laudant in cœlis, 280.

Laudes matutinæ et vespertinæ infirmis debent decantari per singulos dies et noctes, 542, 551.

Laurentii (S.) fit mentio in canone Missæ, 3. Ejus festum celebratur cum vigilia, 119. Duæ Missæ celebrantur; prima de nocte, *id est* primo mane; secunda, de die, *ibid*., 410, 706. Officium sancti Laurentii Martyris, 812. Octava sancti Laurentii, 411, 707. Depositio reliquiarum sancti Laurentii, 504. — Laurentius presbyter sepulcri violator, 472.

Lectiones duodecim in jejuniis quatuor temporum, 42. Sex eadem bis dicuntur, *id est* semel Græce et semel Latine, *ibid*. Lectio prophetica præmissa lectioni Epistolæ, 560. Lecturi Epistolam veniam petebant, 561.

Lectores locum habent inter gradus clericales, 325. Lectores distincti sunt a cantoribus, *ibid*. Datur lectoribus libertas uxorem ducendi, *ibid*. Lectores prohibentur vacare aleis, et ebrietati, *ibid*. Lectores qui Quadragesimam, feriam quartam, vel parascevem non jejunaverint, deponantur, *ibid*. Lectores aliquando psaltarum funguntur officio, *ibid*. Apud Græcos lectoratus ex minoribus ordinibus solus confertur, 418. Ordinatio lectorum apud Græcos, *ibid*. Quo Missæ loco fiat lectorum ordinatio, 487. Lectorum vetus mentio in Ecclesia, 490. Lectores olim non solum maturioris ætatis, sed etiam puerilis fuere, cum visum fuit Ecclesiæ, *ibid*. Priscis Ecclesiæ temporibus lectores in Missa legebant Evangelium et Epistolam, 491, 561. Munus fuit lectorum sacros Codices servare, 491. Lectores apud Græcos ordinantur per manus impositionem, juxta constitutiones apostolicas, 521, 523. Synodus septima improbabat pueros tonsuratos in Ecclesia legentes, qui manus impositionem ab episcopo nondum acceperant, *ibid*.

Legitimum dicitur id quod in ipsis sacris sancitum est faciendum, 326.

Leocadia (S.), quæ non tormentis, sed carceris squalore et fame obiit, confessor appellatur, 503, 440.

Leodegarii (S.) episcopi natale, VI Non. Octobris, 418.

Leonis papæ X et Francisci I Francorum regis concordata, 511. His electiones episcoporum sublatæ sunt a clero et populo, *ibid*.—Leo (S.) papa I constituit ut intra actionem sacrificii diceretur *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*, 3. Ejus decretum de Missæ unius celebratione in die, 405. Tertio idus Aprilis natale sancti Leonis papæ I, 590.—Leonis (S.) papæ II natale IV Kal. Julii, 111, 401. Translatio sancti Leonis papæ, 112. Collecta ejus explicatur, 401.—Leo III papa coronam imposuit Carolo Magno, cum imperator creatus est, 591 —Leo philosophus imperator, quod quadrigamus esset, ecclesia ejectus, 476.

Lessus est carmen funebre, quod alias Nænia dicitur, 477.

Levate olim clamabat diaconus, oratione completa, 322. Hodie τὸ *Levate* dicitur a subdiacono, *ibid*. Secundum Ordinem Rom. *Levate* dicitur a diacono in fine orationis, ante Per Dominum, etc., *ibid*.

Λήκυθος est ampulla, seu vas in quo oleum reconditur, 325.

Liber officialis est Antiphonarius, 387 Libri Pœnitentiales diversi, 462. Libri Pontificales, 505. Liber Sacramentorum quid sit, præfat. III, 273. Cur sic dicatur, 274. Liber Sacramentorum distinguitur a Sacramentario, *ibid*., 540. *Vide* præfat. Libri sacri Romæ servabantur in bibliotheca Cubiculi, 274.

Libido, postquam Christus virgo de Mariæ virgine prodiit, Virginis partu victa est, 439.

Ligaturas qui fecerit, quod detestabile est, tres annos pœniteat, unum in pane et aqua, 467.

Lini (S.) fit mentio in canone Missæ, 3.

Linteaminum altaris antiquus est in Ecclesia usus, 430. Lintea altaris ab episcopo benedicuntur cum aqua sancta, et incenso, *ibid*.

Linteis involuti a susceptoribus recens baptizati, 355.

Litania ad luctum pertinet, 2. Litania septena, *id est* quæ fit a septem choris Sabbato sancto ad fontes cantatur, 71, 347. Litania major; Missa in litania dicenda, 391, 689, 695. Litania major est Rogationum, quæ in triduo ante Ascensionem celebrandæ sunt, 593. Earum auctor est sanctus Mamertus Viennensis episcopus, *ibid*. Quæ fuerit causa has Rogationes instituendi, *ibid*. Ante sanctum Mamertum fuere litaniæ rogationes, processiones, sed non certo die stabiles, 394. Quo ritu celebrandæ erant Rogationes a sancto Mamerto quotannis institutæ, *ibid*. Vetus litaniæ majoris formula, 395. Quædam litania falso ascripta sancto Gregorio Magno, 397. Litania unctionis infirmorum, 544. Litaniarum quæ ante extremam unctionem dicuntur, post septem psalmos recitatos super infirmum, antiquitas, 553. Litania a clero dicenda in dedicatione ecclesiæ, prostratis sacerdotibus et levitis cum pontifice ante altare, 145. Litania brevior in ordinatione clericorum dicenda, 497. Litaniæ non semper sumuntur pro publicis, quæ pro edendo fiunt, Rogationibus; sed aliquando pro precibus, qualus sunt in capite nono regulæ sancti Benedicti, 414.

Litare est sacrificare, 443. Λιτή, *id est* oratio, *ibid*. Litatio abstinentiæ dicitur, 634.

Lotarii filii Ludovici Pii, et Irmingardis filiæ Hugonis comitis, nuptiæ, 320.

Lotio pedum in cœna Domini fieri solita, 335. In lotione pedum preces decantandæ, 334, 877. Quo ritu, et qua hora pedum lotio soleret fieri, 335. Constantinopoli imperator duodecim pauperibus hac feria solebat lavare pedes, *ibid*. — Lotio defunctorum ab apostolis ad nos manavit, 482.

Lavat manus pontifex, oblatione facta, divina facturus mysteria, ex more antiquo, 563. Lavant quoque assistentes ei presbyteri apud Græcos, *ibid*. Quid illa lotio manuum significet, *ibid*.

Lucæ Evangelistæ (S.) natalis XV Kal. Nov., 135.

Luciæ et Geminiani (SS.) martyrum natale, XVI Kal. Octob., 130, 710. — Luciæ (S.) virginis et martyris nomen recitatur in canone Missæ, 4, 290. Natalis sanctæ Luciæ idibus Decemb., 144, 654, 655. Officium sanctæ Luciæ virginis et martyris, 842.

Ludovicus Pius imperator conjuratos cum Bernardo Italiæ rege, nepote suo, diversis pœnis affecit, 319. Omnibus deinde reis injuriam condonavit, 320. In Britanniam minorem, ut compesceret Mormanum, profectus est, 319. Inter Missarum celebrationem septem archiepiscopi orationes septem reconciliationis ecclesiasticæ super eum cecinerunt, 458. In Ecclesia sancti Dionysii ab episcopis voluit reconciliari, et per manus episcoporum armis accingi, 590. — Ludovici II Francorum regis coronatio habetur inter Capitula Caroli Calvi, 584. Sacro oleo fuit in sua coronatione unctus, 587. — Ludovicus IV, cognomento Ultramarinus, videtur fuisse in regem Angliæ et Franciæ unctus, 5 7. Artholdus archiepiscopus Rhemensis, Ludovicum et Gerbergam conjugem ejus sacro chrismate unxit, 588.

Luminaria in Ecclesia, cur accendantur dum sol lucet, 493, 582. Lumina accensa ad Evangelium, 582. Luminaria prælata sanctis reliquiis, 434 et episcopis, 347. *Vide* Cerei.

Lupercalia fiebant mense Februario, 307. Lupercalia a Gelasio papa sublata, *ibid*. Februarius nominatur a sacris februis Lupercorum, 308. Feriæ Junonis februatæ sunt lupercalia, *ibid*. Mulieres februabantur a lupercis, amiculo Junonis, *id est* pelle caprina, *ibid*.

Lupicinus (S.), celebratis Missis, cum summo honore gaudioque sepultus est, 485.

Lustrici dies a lustrandis pueris appellabantur, 350. Sunt dies lustrici a nativitate marium nonus, feminarum octavus, *ibid*.

M

Macarius et Emerentiana (SS.) martyres, 22.—Macarius et Eugenius (SS.) martyres, a Juliano Apostata in Oasim relegati, et securi ibidem percussi, 305.

Machabæorum (SS.) natale Kalend. Augusti, 409. Hac ipsa die Missæ duæ: prior sancti Petri, altera sanctorum Machabæorum, *ibid.*

Magi apud Persas sunt sapientiæ studiosi, et Dei amatores, 502. Magus dicitur Theologus, *ibid.* Magi orti dicuntur ex filiis Ceturæ, quibus Abraham dedit munera, *ibid.* A Chaldæis de stella Salvatorem natum in carne nuntiatura, edocti fuerunt magi, *ibid.*

Magodia Arabiæ regio, 502. Magodia magorum patria. *ibid.*

Magni (S.) episcopi et martyris natalis XIV Kalend. Septemb., qui in persecutione Decii necatus est, 411. — Magni (S.), seu Andreæ martyris, natale cum sociis suis, 411.

Maleficium, quibus pœnis canonicis plectatur pro circumstantiis, vel personæ, vel criminis, 466. Quis dicatur pro amore maleficus, 472.

Mallosi (S.) martyris inventio, et in Basilicam translatio 585.

Maltha est calx aqua subacta, cum pice liquida et axungia, Gallice *ciment*, 426, vel est pix cum cera mista, *ibid.*

Mamercus (S.), seu Mamertus Viennensis episcopus, non instaurator, sed auctor Rogationum, 395.

Manes placati cibo eorum tumulis apposito, 311.

Manicæ, *id est* chirothecæ episcopi celebrantis, 537, 563.

Manichæi hæresis Christo corpus phantasticum tribuens, proscribitur, 299.

Manipulus, alias Mappula et Phanon, 537.

Manus impositio ad faciendum catechumenum, 376. Impositio manuum fit baptizando, dum Symbolum reddit; vel post trinam professionem, *id est* Symboli recitationem, 584. *Vide* Catechumenus. Pœnitentibus substratis in annis a pontifice imponebantur, 461. Hæc impositio manuum non erat absolutio, sed quædam precatio et benedictio, *ibid.* Cur oratio dicatur impositionis manuum in Pœnitentiali libro, 471. Sine impositione manuum et cilicio super caput pœnitentia non dabatur, *ibid.* *Vide* Pœnitentia. Manus impositio sola est materia essentialis diaconatus, presbyteratus et episcopatus, 504, 505. Manus impositio est positio manus super caput alicujus, 506. Instrumentorum porrectio non habetur manuum impositio, 507. Christus lunaticum, Marc. VII, contactu linguæ et aurium, non manuum impositione curavit, *ibid.* Impositio manuum ab electione realiter distinguitur, 508. Electio a clero et populo, ordinatio per manuum impositionem ab episcopis fieri solita, *ibid.* Lectores et subdiaconi apud Græcos ordinantur per manus impositionem, 521, 523. *Vide* Ordinatio. In abbatis ordinatione apud Græcos impositio manus episcopalis adhibetur, 526. Benedictio episcopalis fiebat olim per manuum impositionem, 216. In confirmatione manus impositio adhibetur, 359. Distincta est a chrismatione, *ibid.*, 507. In coronatione regis et reginæ fit impositio manuum, 595 — Manus unctæ diaconis in ordinatione, 501 Presbyteris, 503. Episcopis, 516. Manus super et infra unguntur in extrema unctione, 519. Si presbyter fuerit, ejus manus non unguntur infra, *ibid.* — Manus justitiæ est virga, cui palma manus præfixa est, quæ traditur regi in sua coronatione, 592. Id significat quod per formulam traditioni adjunctam exprimitur, *ibid.*

Manutergium est mantile tergendis manibus idoneum, 495.

Mappula est manipulus quem immittit episcopus in brachium sinistrum cuilibet subdiacono, 496. Gestabatur olim mappula ad oculorum et narium pituitam detergendam, *ibid.*

Marcellianus (S.) martyr, 105, 700.

Marcellinus (S.) papa, 4. Sancti Marcellini martyris natale IV Non. Julii, 104, 693. — Marcellini (S.) Ebredunensis episcopi baptisterium anniversario miraculo percelebre, 399.

Marcellus (S.) Parisiensis episcopus, cum esset subdiaconus sancto Prudentio Missam celebranti ministravit, 503. Hausta ab ipso aqua e fluvio Sequanæ in vinum est conversa, *ibid.* Hoc vinum sanctus Prudentius jussit in calicem sacrum fundi, ex quo Missa celebrata, omnes communicaverunt, *ibid.*

Marcelli (S.) martyris natale, Non. Oct, 418. — Marcelli (S.) papæ et martyris festum, XVII Kal. Februarii assignatur, 19, 661, 662.

Marci Evangelistæ (S.) natalis, VII Kal. Maii, 84, 390. Sanctus Marcus pro Christi nomine glorioso martyrio coronatus, 84, 391. — Marcus (S.), ad quem statio feriæ secundæ in hebdomada tertia Quadragesimæ, est summus pontifex, qui die septimo Octobris colitur, 48, 711. Natalis sancti Marci nonis Octob., 135. 418. — Marci (S.) martyris natale, XIV Kal. Julii, 105, 700. — Marci Aurelii imperatoris dictum: *Omnia desursum*, 443.

Marculus et Donatus pseudomartyres apud Donatistas, 285. Horum nomina Donatistæ recitabant in suis sacrificiis, *ibid.*

Mariæ (S.) virginis nativitas, VI Idus Sept., 127, 709, 821. Dicitur beata Virgo innupta, *id est* intacta, 819. Sanctæ Mariæ Assumptio, 411, 707. Sanctæ Mariæ virginitate libido victa est, 430. Sancta Maria in Octava Domini, 660. Maria interpretatur domina, sive luminatrix, 366. — Mariæ (S.) ad Martyres dedicatio, 392. Hoc festum olim instituit Bonifacius IV papa, converso Romano Pantheo in ecclesiam sanctæ Mariæ, et omnium Martyrum, 392. — Mariæ et Marthæ (SS.) sororum Lazari festum assignatur XIV Kal. Februarii, 504.

Marii et Marthæ (SS.) conjugum et martyrum natale, XIII Kal. Februarii, 504.

Martini (S.) Turonensis episcopi nomen recitatur in canone Missæ, 3, 4, 285. Ejus humilitas commendatur, sedentis in humili sella in Ecclesia, 340. Quarto Nonas Julii Translatio sancti Martini, et ordinatio, et dedicatio Basilicæ ipsius, 406. Ecclesia hæc est quam Perpetuus episcopus ædificavit super sepulcrum sancti Martini, *ibid.* Translationem corporis sancti Martini fecit idem Perpetuus ex ejus sepulcro in absidem majoris Ecclesiæ, *ibid.* Tertio idus Novemb. natalis sancti Martini, cum vigilia, 140, 422, 715. Officium sancti Martini, 833. Sanctus Martinus oleo cœlesti sanatus, 589. Dividit chlamydem pauperi, 422. Flagellatur ab Arianis, *ibid.*

Martinianus (S.), 114, 705.

Martyres uncti et confirmationis sacramento roborati divinitus ad patiendum, 331. Vigesimo secundo mensis Junii natale sanctorum MCCCCLXXX martyrum, quorum vigilia cum silentio et jejunio celebranda, 404.

Martyrologii lectio ante ætatem Ludovici Pii vix fuit in usu, 439. Jubentur legi in capitulo Martyrologium, regula, aut homilia, *ibid.* Antiqua formula festi alicujus annuntiandi, antequam Martyrologia publice legerentur in Ecclesia, *ibid.*

Masculi separati a feminis in exorcismis, 382. Masculi erant in parte dextera collocati, *ibid.*

Mathematicus dicitur magus, qui hora nativitatis inspecta, cuique ventura perscrutatur, 473. Dicitur Genethliacus, *ibid.* Mathematicus qui per invocationem dæmonum aliquem dementaverit, qua pœna juxta canones plectendus, 467.

Matrimonium qui inierit cum vidua sui patris, aut sui fratris, separentur prius, deinde judicentur, 468. Casus quidam circa impedimenta matrimonii, 469. Et circa indissolubile vinculum ejusdem, *ibid.* Lex nova ad perfectiorem statum vincula matrimonii adduxit, 597.

Matrinæ et patrini dicuntur sponsores et susceptores, 557.

Mattathias interpretatur Donatus a Domino, vel Donum Domini, 601. Matthias idem ac Mattathias, syllaba per syncopen detracta, *ibid.*

Matthæus interpretatur Donatus, 601. Matthæi apostoli et evangelistæ festum undecimo Kalend. Octob. cum vigilia, 131, 710. Nomen sancti Matthæi recitatur in canone Missæ, 3.

Matthiæ (S.) apostoli nomen recitatur in canone Missæ post consecrationem, 4. Sexto Kal. Martii natalis sancti Matthiæ, 29.

Matthias Illyricus, Lutheranæ sectæ vir, Missam antiquam ex bibliotheca Palatina edidit, 570. Hujus Missæ antiquitas, et momenta expenduntur, 571.

Mauricius episcopus Parisiensis interrogatus ab episcopo Claromontano, de forma quadam baptismi, 551. Ejus responsum sententiæ Stephani Tornacensis de eadem forma, contrarium, *ibid.* — Mauricii (S.) et sociorum ejus martyrum natale decimo Kal. Octob., 416. Socii ejus sunt Exuperius, Candidus, Victor, Innocens, Vitalis et alii, *ibid.* Sancti Mauricii natale, 710. Ejus et sociorum officium, 824. — Mauricius imperator, et uxor ejus Augusta, a Joanne patriarcha Constantinopolitano coronati die nuptiarum, 584. A Mauricio Joannes idem rogatus, ejus benedixit nuptias in palatio, 596.

Maurilius Rothomagensis archiepiscopus, quo anno obierit, 281. Acta vitæ ejus compendiosa, *ibid.*

Maurus (S.), et alii septuaginta duo martyres tertio Kal. Decemb., 422 — Mauri (S.) abbatis natale decimo octavo Kal. Februar. assignatur, 504.

Maximi (S.) martyris natale et Missa, 83.

Medardi (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 4, 285. Sancti Medardi festum et officium, sexto idus Junii, 800.

Mel et lac, quæ benedicta a recens baptizatis gustantur, quid significent, 388.

Meltinus est possessio in Sicilia, in qua fons baptismi miraculo celebris, 591.

Membrorum omnium unctio in confirmatione, 361. Membrum sibi truncantis pœna canonica, 467. Per membra corporis in sacro eloquio, plerumque animæ virtutes intelliguntur, 366, 382.

Memoria habetur sanctorum litur-

giis omnibus juxta antiquum morem, 285. Sacrificium non potest offerri nisi in communione sanctorum, quorum memoriæ communicamus, *ibid.* Post consecrationem fit memoria vivorum et mortuorum simul in Græcorum liturgiis, 567.

Menas patriarcha Constantinopolitanus, quibus ritibus encænia oratorii celebraverit, 434.

Mennæ (S.) martyris natale, 140, 713.

Mensa Justiniani imperatoris ex omnibus pretiosis rebus facta, 288.

Mercii sunt Angliæ populi, 587.

Meriti æstimator, *id est* demeriti, seu peccati, 180, 290, 414.

Merolilanus (S.) Scotus, episcopus regionarius, *id est* sine titulo consecratus, 484. Corpus ejus integrum, sacerdotalibus infulis redimitum, est in sepulcro inventum, *ibid.*

Mersio trina in baptismo fit, juxta priscum Ecclesiæ morem, 332. Quandoque unica, *ibid.* Ritus trinæ mersionis refertur inter apostolicas traditiones, 333. Quid significet trina mersio et emersio, *ibid.* Unicæ mersionis qui fuerint auctores, *ibid.* Unica mersione baptizati jubentur iterum baptizari, quia forma illegitima baptizati, *ibid.* Unica mersione, et forma legitima baptismus collatus est validus, *ibid.* Sub trina mersione forma semel proferebatur, *ibid.* Apud Græcos aliquando fuit in usu, ut ter ipsa forma cum trina mersione pronuntiaretur, 334. Mersio ita fiebat, ut totum corpus et caput ipsum mergeretur, 384.

Μέθεξις, *id est* participatio, quintus pœnitentium gradus, qui, expleta pœnitentia, Eucharistiæ participes erant, 461.

Metropolitani est imponere coronam regi, 591. Cur metropolitanus Henricum IV Francorum regem non coronaverit, 592.

Michaelis (S.) archangeli Ecclesiæ dedicatio, tertio Kal. Octob., 134. Missa in honore sancti Michaelis, *ibid.*, 711. officium sancti Michaelis, 825.

Micrologus frustra dixit hæc verba, et omnibus orthodoxis, non esse de canone Missæ, 284.

Minister dicitur aliquis minoribus ordinibus initiatus, 241, 536.

Ministerium sumitur pro vase, 432. Sacri pompa ministerii, *id est* vasa aurea et argentea Ecclesiæ, 433, 467, 474. Ministerium dicitur abacus, *id est* mensa marmorea calices continens, *ibid.* Usurpatur etiam ministerium pro tapetibus, palliis et similibus Ecclesiæ ornamentis, *ibid.* Qui fraudaverit aut neglexerit de ministerio Ecclesiæ, canonicis plectitur pœnis, 467, 474.

Minutæ causæ, quæ sint, 438.

Miracula de Eucharistia, 563, 570.

Missarum celebratio, sacramentorum nomine appellata, 274. Missa in singulari pro sacrificio corporis et sanguinis Christi liturgico, usurpata a sancto Ambrosio, 275. Hoc vocabulum solet in plurali a sanctis Patribus accipi, *ibid.* Missa olim ducebat initium a psalmodia, præmissa altaris et chori suffitione, *ibid.* Ante Cœlestinum papam Missa incipiebat a lectionibus, 276. Non unus fuit omnium Ecclesiarum, de initio Missæ usus, *ibid.* Antiqua Ecclesiæ consuetudo orandi pro fidelibus defunctis in liturgico Missæ sacrificio, 289. Olim Missæ tenebantur hora nona in semijejuniis, 293. In jejuniis hora vespertina, 324. Aliis diebus hora tertia, *ibid.* Primitivæ Ecclesiæ temporibus, Missarum solemnia de nocte celebrabantur, *ibid.* Pontifex aliquando duas Missas, aliquando unam pro devotione faciebat, 405. Olim uni sacerdoti plures Missas canere licebat, *ibid.* Papa in festo apostolorum Petri et Pauli duas Missas faciebat, alteram apud sanctum Petrum, alteram apud sanctum Paulum, *ibid.* Sanctus Leo Missarum celebrationem eodem die iterari ab eodem prohibuit, *ibid.* Si tamen ob angustias Ecclesiæ omnis populus sacrificio interesse non possit, permittitur iterari, *ibid.* Quando apostolicus duos Missas celebrat una die, inter eas non lavatos, nisi post officium, 111, 405. Missæ tres in festo sancti Joannis Baptistæ, qui intelligantur celebrandæ, 404. Missa unica olim in una Ecclesia per diem celebranda, 405. Missæ sancti Augustini pro vivis vel defunctis, 486. Missa ad prohibendum ab idolis, 300. Quæ fuerit hujus instituendæ Missæ ratio, *ibid.* Missa chrismalis in feria quinta cœnæ Domini, 327. Missa unica simul a pontifice et presbyteris dicta, 336, 337. Missæ tres in cœna Domini, 327. Aliquando Missæ duntaxat duæ, *ibid.* Missa præsanctificatorum apud Græcos, 333. Missa offerri pro malis rebus vetatur, 468. — Missæ defectus, vel circa Eucharistiam accidentes, quibus pœnis canonicis plectantur, 468. Missa proprie incipit ab offertorio, 526. In Missa pro infirmo, introitus, gradale, offertorium et communio sunt duplicia, 534. Oratio in Missa dicitur ante præfationem, ex more antiquo, 564. Oratio ante offerendam a Græcis recitatur, non a Latinis, 562. Oratio mystica ante consecrationem olim clara voce recitata, 577. Oratio olim unica in Missa ante Evangelium, 278. Quinque orationes apud Græcos ante pacem, *ibid.* Tres secundum sanctum Joannem Chrysostomum, *ibid.* Oratio ad Complendum non est benedictio, 297. Oratio pro regibus et imperatoribus in canone Missæ, 284. Missa Mozarabum habet duplicem hostiæ elevationem: primam statim post consecrationem, 565. Juxta antiquum morem archidiaconus, dictis a pontifice: *Per ipsum, et cum ipso*, levabat calicem, et tenebat per ansas elevatum coram pontifice, *ibid.* Hostiæ et calicis elevatio statim post consecrationem, non est ritus antiquus, *ibid.* Græci attollunt corpus Christi post Orationem Dominicam, immediate ante communionem, *ibid.* Pontifex attollens sanctum panem, dicebat: *Sancta sanctis;* et fiebat communio, 566. Sacerdos cum hostia elevata ter faciebat signum crucis, 567. Quid significet hostiæ elevatio cum triplici crucis signo, *ibid.* Commistio corporis et sanguinis Domini, qui dicatur consecratio, 568. Missas olim fuisse de sanctis, et festis, contra errorem Illyrici asseritur, 570, 571. Ordo precum dicitur ratio celebrandæ Missæ, 572. Canon appellatur textus canonicæ precis, *ibid.* Totum fere Missæ sacrum est gratiarum actio, 609. Missa pro defunctis desiderantibus pœnitentiam, et minime consequentibus, qui debeat intelligi, 610. — Missa de sancto Cypriano, 416. De dedicatione Ecclesiæ, 437. Per octo dies celebrata, 438. Missa de defunctis, 481, 572. De sancto Hieronymo, 417. De sancto Martino, 406. De sancto Mauricio et sociis ejus, 416. De sancto Remigio, 417. De sancto Vedasto, 418. Missa pro infirmo, 531. Pro infirmo, qui morti est proximus, 532. Pro regibus, 556. Missa ab Illyrico edita, 570. Missæ celebrandæ non fuit olim unica ratio, *ibid.*

Misto sacrificio communicare, quid sit, 569. Olim prohibitum, *ibid.* Quo in casu permissum, *ibid.* Sicco sacrificio communicare, *id est* Corpore Christi separatim a sanguine, dato, *ibid.*

Mithra, *id est* diabolus, divinorum simia mysteriorum, signat in frontibus milites suos, 361.

Mitra erat ex lana, auro et purpura contexta, 441. Præter velum solebant mitra seu mitella virgines ornare caput, *ibid.* Ut repudiatis sæculi viris se Christo nupsisse indicarent, 442. Mitra est pileum phrygium caput protegens, *ibid.* Antiquorum mitra erat corona ex fasciis et orariis comparta, 558. Mitræ usus antiquis episcopis ignotus, 557. Quando ejus usus in Ecclesia cœpit, *ibid.* Per abusionem omnis corona appellatur mitra, 558. Mitræ hodiernæ pontificum a veteribus dispares, *ibid.*

Modestus (S.), 402.

Monachi communicantes in sanctæ Parasceves solemnitate, 342. Monachi non debent comedere extra horam regula præstitutam, 453. Nihil debent accipere sine licentia, *ibid.*

Monophysitarum ab hæresi Theodulphus Aurelianensis episcopus longo discedit, 382.

Mormanus Brito a Ludovico Pio imperatore rebellis compescitur, 319.

Mors nostra Christi more destructa, 388. Si moribundus, petita pœnitentia, statim privetur usu linguæ et rationis, sacerdos adveniens, quid facere debeat, 609.

Morticinum et suffocatum qui comederit, pœnis canonicis subditur, 461, 478.

Mulier prægnans jejunare, si velit, potest, 461.

Munera (τὰ) in canone Missæ, qui distinguatur a τὰ dona et sacrificia, 283. Munera seu donaria a fidelibus in Ecclesiæ dedicatione oblata, in usum ejus ab episcopis consecrabantur, 432.

Musæo Massiliensi presbytero quidam tribuunt orationem canonis: *Te igitur*, 283. Musæus composuit sacramentorum volumen egregium, 571.

Mutilatio sui ipsius, quibus pœnis canonicis prohibita, 467, 474.

Myrtea corona sacrificulæ cereris cingebantur in sacris, 558.

N

N. Littera, quæ vulgo ponitur loco nominis proprii, quando cœperit, 572. Antea poni solebat nota *ill.* cum transversa linea, *ibid.*

Naboris (S.) martyris natale, 105, 700.

Nares sputo illitæ in scrutinio catechumenorum, 331. Narium unctio in confirmatione apud Græcos, 361. In extrema unctione nares unguntur, 538, 541, 549, 535. Nares in summitate, et subtus unguntur, crucis modo, 549.

Natale alicujus sancti, in die translationis ejus, sæpius celebratum, 407, 418.

Nazarii (S.) martyris natale, 105, 700.

Νεφοδιῶκται Latine tempestarii, *id est* tempestatum immissores, 472. Quibus pœnis canonicis sint plectendi, *ibid.* Canonibus plectuntur asserentes magos posse immittere tempestates, *ibid.*

Nerei, Achillei et Pancratii (SS.), martyrum natale, 87, 392, 694.

Nicasii (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 4, 116, 285.

Nicænum concilium non sustulit canone quarto electiones episcoporum, per clerum et populum fieri solitas, 511.

Nicolaus Thuanus Carnotensis episcopus consecravit Carnot. Henricum IV, Francorum regem, 592. Composuit librum de coronatione Henrici IV, 584. Unxit regem liquore cœlesti, quem olim Angelus sancto Martino attulerat, 589.

Nicomedis (S.) natale 17 Kal. Octobris, 129,710. Kalendis Junii Romæ dedicatio basilicæ sancti Nicomedis presbyteri et martyris, 103, 402, 699.

Nicostrati (S.) natalis sexto Idus Novembris, 139, 421, 608.

Nigræ virginum vestes, 440.

Nilammon in episcopum electus est a civibus urbis Geras, 598, 512. Suæ electioni non acquiescentem Theophilus Alexandrinus hortatur ut ordinationem a se requirat, *ibid.*

Nobiliacum monasterium Atrebatense, in quod facta est sancti Vedasti translatio, 418.

Nobis quoque peccatoribus, sæpius in Missa olim repertum, 577.

Nomina non in ipso baptismo, sed ante illum olim infantibus et pueris vulgo fuerunt imposita, 350. Infantibus qui octavo, vel prius, sui natalis die baptizabantur, in ipso baptismo nomina videntur fuisse imposita, *ibid.* Olim apud Romanos, nono ab ipso natali die maribus, et octavo feminis nomina imponebantur, *ibid.* Græci nomina infantibus decimo a natali die imponebant, *ibid.* Franci nono die nomina imponebant, 351. Nomina jam imposita, aliquando in baptismo mutabantur, 352. Nomina viventium in Missa post consecrationem recitat, 567. Nominum descriptio fiebat baptizandorum, 351. Nominis Dei invocatione altari dedicata, 450.

Nona *Vide* Hora.

Nordanimbri sunt Angliæ populi, 587.

Nos tibi semper, etc. Ab his verbis præfationis, incipit gratiarum actio pro omnibus acceptis a Deo beneficiis, 280.

Nota *ill.* cum linea transversa, loco nominis proprii, in Codicibus scribi solita, 572. Notæ sunt signa, seu compendia verborum a veloce scriba linguæ celeritatem præcedente, 313. Antiqua scribendi notis consuetudo, 613.

Notarii sunt scribæ episcopi, qui ex lectorum collegio ut plurimum, assumebantur, 70, 313. Exceptores dicuntur notarii ab excipiendis notarum compendiis, *ibid.* Notarum, *id est* signorum compendio scriptor, seu scriba velox, notarius appellatur, *ibid.* 613.

Novatus hæreticus cum suis Eucharistiam porrigeret, ab eis exigebat per sacramentum, quod nunquam ad partes Cornelii transirent, 590.

Nubentes, cur post benedictionem vitæ vinculo copulentur, 598. Quid vitta colore candido et purpureo mista, significet, *ibid.*

Nudi in sola tunicella exorcizati, 377.

Numerus senarius, quid designet, 301. Quid septenarius, *ibid.* 311, 385; quid octavus, 300, 301; duodenarius, 312; sexagenarius, 314. Ratio numerandi, *ibid.*

νῦν αἱ δυνάμεις, quando cœptum est psalli a populo apud Græcos, 535.

Nundina Romanorum dea a novo die nascentium nuncupata, 350.

Nuptiarum celebritas ex more veteri fit inter Missarum solemnia, 595. Veteres tricesimum et anniversarium diem nuptiarum devote celebrabant, 596, in quo hanc celebritatem ponebant, *ibid.* Nuptiæ et nubere a nubibus dicuntur. 598. Obnubere est caput operire, et nuptiæ dicuntur a capitis opertione, *ibid.* Hic mos civilis a Romanis ad Christianos traductus, *ibid.* Benedictio nuptiarum fit in Missa post Orationem Dominicam, 596. Mos iste nuptias benedicendi vetus in Ecclesia, *ibid.* Nuptiarum conditio, 597, necessitas, *ibid.*

O

Oblata modica in altari consecranda, secundum ecclesiasticam consuetudinem, 564; rotunda et formæ circularis, *ibid.* Panis rotulæ, quæ oblatæ dicuntur *ibid.* Oblata crucis signo benedicta, 287.

Oblationem suam, *id est* panem et vinum olim fideles, tum clerici, tum laici in Missa communicaturi, ad altare ad sui communionem offerebant, 174, 443, 509, 563. Sine oblatione communicare est communicare in oratione et precibus, assistendo Missæ integræ cum fidelibus, sine Eucharistiæ sumptione, 474. Episcopus ordinans tradit ordinato episcopo oblationem integram, *id est* hostiam consecratam, de qua communicat, 518. Idem facit episcopus presbytero a se ordinato, 519. Oblationes erant duplicis generis; aliæ in corpus Domini consecrandæ, aliæ ad usus pauperum benedicendæ, 564. Oblato in altari consecranda debet esse panis integer, et nitidus studioque præparatus, *ibid.* Orationes dicendæ ab offerentibus suas oblationes, et a ministris eas accipientibus, 574. Rex in Missa coronatus, offert panem et vinum ad se communicandum, 594.

Obnubere idem est quod operire, 598.

Octava designat supremum resurrectionis diem, et felicitatem æternam, 300. Unus dicitur idem octavus dies, 301. Octava dicitur a Græcis, ἀπόλυσις, *id est* discessio, 300. Octavas, pro Octava, indeclinabile juxta usum veterem, 389, 401. Octava Nativitatis Christi, 300. S. nati Benedicti, 407. Pentecostes, 401. Concurrit cum festo sanctissimæ Trinitatis, *ibid.* Controversia de utrius celebrando festo, *ibid.*

Octavii (S) natale Thessalonicæ, Kal. Junii, 402.

Oculi septem in uno lapide apud Zachariam prophetam, quid significent, 372. Oculi in extrema unctione in superciliis et subciliis juxta angulos ungendi, 549.

OE lippus diras filiis suis cur fuerit imprecatus, 590.

Offertorium seu offerenda est antiphona, 582. Sic dicta, quia dum canebatur, populus sua dona in altari offerebat, 279. Cur non canatur offertorium in Missa Sabbati sancti, 388. In Africa, tempore sancti Augustini, canebatur psalmus ante offertorium, 562.

Officium in cœna Domini, qua hora olim inceptum, 324. Officium feriæ quintæ in cœna Domini, 336. Ea, ex quibus divinum constat officium ex antiquo usu instituta et hucusque retenta, 730. Officium divinum devote ac humiliter persolvendum, 489. Recitari solebat coram ægroto post unctionem extremam, 554. Codex continens officium divinum dicitur officialis, 730. Officium divinum dicitur cursus, *ibid.*

Oleum infirmorum consecratur proxime ante illa verba canonis. *Per quem hæc omnia*, etc., 328, 337. Oleum ad ungendos tam infirmos quam energumenos benedicendum ab episcopo, et omnibus presbyteris, ex traditione apostolica, 337. Consecratur in ipso officio consecrationis corporis et sanguinis Domini, *ibid.* Oleum catechumenorum benedicitur juxta antiquum morem, 331. Ritus consecrandi olei catechumenorum, 339. Oleum a Patribus sæpe sumitur pro unguento, seu chrismate. 385, Oleum sanctificationis est oleum sanctificatum, 537. Oleo sacro unguntur reges, 589. Oleo sacro e cœlo misso uncti Francorum reges, 588. Oleum e cœlo missum chrismati mistum, *ibid.*

Olivæ ramus cum quo reversa columba ad arcam est, quid significet, 330, 331.

Omittere idem significat quod dimittere, 389, 551.

ὁμολογία, *id est* professio virginum, 441.

ὠμοφόριον, a Græcis dicitur pallium, 520. Non eadem plane est omophorii forma et pallii. *ibid.* Omophorium seu humerale est commune omnibus episcopis ornamentum, cujusvis gradus sint, oblongis sudariis simile. 525. Quid significet in patriarchis, et archiepiscopis, *ibid.* Quid in episcopis, *ibid.* Quid significent cruces quas habet omophorium, *ibid.* Episcopi humerale ex lana, non ex lino, significat pellem ovis errantis, quam Dominus humeris suis sustulit, *ibid.*

Optimum significat bonum, secundum phrasim Græcam, 443. Omne bonum in quocunque gradu Dei est, et a Deo, *ibid.*

Orantes Christiani capite nudo, 317. Pagani operto, *ibid.* Orantes ad Orientem conversi, 328. Oraria sunt textilia quædam oblonga, 558. Orarium est oblongus tapes, instar orarii, qui substernitur crucem adoraturis, 340, 607. Orarium est quod vulgo stolam dicimus, 503, 607. Non licet sacerdoti absque orario ab utroque humero dependenti Missam celebrare, aut ad communionem accedere, *ibid.* Orarium imponitur diacono circa humerum sinistrum in sua ordinatione, 521.

Oratio Dominica recitatur super Christi corpus, ex veteri et apostolica consuetudine, 231. Ex antiquo more post commemorationem defunctorum in omnibus liturgiis, sequitur Oratio Dominica, *ibid.* Quæ olim sacerdos Orationi Dominicæ subjungebat, *ibid.* In Oratione Dominica precum continetur integritas, 363, et quidquid ad præsentis et futuræ vitæ pertinet dispensationem, *ibid.* Cur Oratio Dominica dicatur periculosa, 468, 476. Quanta reverentia olim a sacerdotibus recitabatur Oratio Dominica in Missa, *ibid.* —Orationes solemnes feriæ quartæ et sextæ majoris hebdomadæ solebant olim dici aliquo intervallo ante Missam, 323, 606. Hora octava, *id est* post meridiem secunda, ingrediuntur ad Missam, 61, 323. In oratione solemni episcopus nominat apostolicum, Presbyteri episcopum suum, 69. Supplicandi seu orandi affectus a Deo tribuitur. 179, 444. Sine Dei gratia supplicare potest nemo, *ibid.* Oratio dicitur in Missa ante præfationem, ex more antiquo, 564.—Oratio Missalis ea est quæ hymnum Angelicum in Missa sequitur, 571. Ordo precum est ratio celebrandæ Missæ, 572. Oratio ante offerendam a Græcis recitatur, a Latinis non, 562. Oratio mystica ante consecrationem, olim clara voce recitata, 577. Oratio impositionis manus, 464. Oratio sacerdotis antequam suscipiat pœnitentem, 463. Oratio olim unica in Missa ante Evangelium, 278. Orationes quinque apud Græcos ante pacem, *ibid.* Tres secundum sanctum Joannem Chrysostomum, *ibid.* Oratio ad Complendum non est benedictio, 297. Oratio pro regibus et imperatoribus in canone, 284. Oratio pro Romanorum et Francorum imperio, 322. Orationes ad dandam pœnitentiam 461. Orationes septem reconciliationis pœnitentium, 458. Orationis conclusio, 293. Oratio dicenda antequam detur extrema unctio, 548. Oratio inter ipsas unctiones media, 553 Orationes completis

unctionibus dicendæ, 556. Oratio in consummationem, post viaticum datum dicenda, 551.

Ordo ad sacros ordines benedicendos, 219. Qui ordinentur ministri Ecclesiæ apud Latinos, Græcos, Maronitas, etc., *ibid*. Cur omnes ordines, tam minores, quam majores vocentur sacri, 487. Usus diuturnus obtinuit ut alii sacri dicantur ordines, alii non sacri, *ibid*. Majores gradus ante Evangelium, minores post communionem olim dabantur, 219. Hodie minores priori loco dantur, posteriori majores, 487. Minores olim Dominicis diebus dari poterant, sec hic mos jam pridem antiquatus, *ibid*. Majores in Sabbatis quatuor temporum, *id est* ineunte vespere Sabbati, quo dies Dominicus incipit, juxta veterem Ecclesiæ consuetudinem, *ibid*., ac etiam Dominico die mane, continuato Sabbati jejunio, *ibid*. Jejunis a jejunantibus sacra ordinatio conferatur, *ibid*. Cur Dominica mane continuato jejunio Sabbati, sint conferendi ordines sacri, 488. Usus hodiernus, quo ordines majores et minores simul in Sabbatis quatuor temporum conferuntur, est antiquus, *ibid*. Ordinum conferendorum ritus juxta Græcos, 521.—Ordines sacri non iterantur, cum degradati recipiunt instrumentorum restitutionem, 501. Materia essentialis sacrorum ordinum diaconatus, presbyteratus et episcopatus est sola manuum impositio, 501, 505. Instrumentorum porrectio est accessoria, 506. Hæc est moderna Parisiensis scholæ communis sententia, *ibid*. Huic non repugnat Eugenii IV, papæ in decreto ad Armenos sententia, *ibid*. Romana Ecclesia sacras Græcorum ordinationes, quæ per solam fiunt manuum impositionem, nunquam improbavit, 501. Irritantur ordinationes quædam, in quibus episcopus imposuerat manus, presbyter benedictionem, *id est* formam pronuntiaverat, 505. Sacris ministris ordinandis signum crucis a consecrante pontifice imprimitur, 515. — Ordinandorum mores diligenter olim examinabantur, 497. De ingenio et capacitate eorum inquirebatur, *ibid*., coram populo ordinantur, *ibid*. Non sine titulo ordinabantur, 496. Ordinis primi sacerdos est episcopus; secundi presbyter, tertii diaconus, 519. — Ordo Romanus, qui nunc exstat, est antiquus, 453. In eo tamen quædam detracta, quædam fuere immutata et addita, *ibid*. — Ordo precum, 571.

Oremus Dominum, apud Græcos dici solet, 321. A diacono, non a sacerdote cantatur, *ibid*. Feria quarta et sexta majoris hebdomadæ sacerdos non solum *Oremus* dicit, sed etiam pro quibus orandum sit monet, *ibid*.

Orientalium ratio in observanda Quadragesima, 315, 316. Antiquus mos Ecclesiæ ab apostolis deductus, ut orantes Christiani faciem habeant ad Orientem conversam, 328. Cur ad Orientem conversi orent Christiani, 329. Sacræ Ædes ut plurimum, Orientem spectant, *ibid*.

Orthographia antiqua Latinorum quorumdam nominum, Græcam linguam imitantium, et aliorum, 612, 613, 614, 615, 616.

Osanna in excelsis, 2, 282.

Osculum, aliud simplex, aliud illecebrosum; aliud sine inquinamento, aliud cum inquinamento, 468. Pœna osculi illecebrosi canonica, quæ sit, *ibid*. Non licet Eucharistiam nec osculum mortuis tradere, 485. Pontifex statim communicaturus dat pacis osculum, juxta ritum Ecclesiæ Latinæ, 567. Græci dant osculum pacis ante præfationem, *ibid*. Olim quo loco Missæ Hispani osculum pacis dederint, *ibid*. Regem unctum osculatur metropolitanus, 594. Henricus IV, osculatus est pontificem et pares Franciæ, *ibid*. Pontifex osculatur omnes, vel salem presbyteros et diaconos sibi circumdatos in introitu Missæ, 560. Presbyteri et diaconi osculantur manus pontificis, *ibid*.

Ostiarii, quo Missæ loco ordinentur, 487. Ritus ordinandi ostiarii, 219. Ostiariorum mentio in Patribus antiquis, 488. Officia ostiarii, 489.

Ostiensis episcopus ex more antiquo consecrat summum pontificem, 517, ut propinquior Romanæ sedi, juxta consuetudinem, *ibid*. Tertiam fundit orationem Ostiensis episcopus in consecratione imperatoris, 586. Ungit sinistrum ejus brachium et inter scapulas, *ibid*.

Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, etc., adjectum Orationi Dominicæ, 291.

Otto Bambergensis archiepiscopus in extremis positus, tria hoc ordine suscepit sacramenta, pœnitentiam, extremam unctionem, et prostremo viaticum corporis Domini, 536.

Ovorum benedictio, 565.

P

Pacificare, in canone Missæ. Deprecamur Deum pro communi Ecclesiarum pace, 283.

Pactiones quæ cum Deo fiunt in baptismo, tam a baptizatis quam a baptizandis præ oculis semper habendæ, 568. Qui fiant irritæ, *ibid*. Pactiones istæ sunt duæ, *ibid*. Quomodo custodiantur, *ibid*.

Pallæ corporales, seu corporalia, erant olim ita amplæ, ut involverent Christi corpus et calicem ipsum, 431. *Vide* Chrismal s Pallæ quæ sunt in substratorio sunt mappæ, seu pallæ altaris, 495. Pallæ aliæ sunt corporales, aliæ altaris, *ibid*. Substratorium sunt grossiores telæ in altari, quæ pallis altaris substernuntur, *ibid*. Pallæ corporales a quibus et quo in vase sint abluendæ, 222, 495. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum aliud linteamen abluatur, *ibid*.

Palli descriptio, 520. Dicitur a Græcis ὠμοφόριον, *ibid*. Non plane eadem est forma pallii et omophorii, *ibid*. Olim in pallio non inerant cruces, *ibid*.

Palmarum festum, 318. Dominica in ramis Palmarum, 60. Antiquissima est solemnitas palmarum, in qua fit processio cum ramis arborum benedictis, 318. Palma arbor est symbolum victoriæ, 505. Palma manus, quid significet, 592.

Pamelius edidit lib. Sacrament., præf. t. m. et Liturgico, *ibid*., et vi.

Pancratii martyris Missa, 87, 592, 694.

Panis benedictio, 251, 533. Panis in calice tinctus, datus populo in communionem, 533. Panis et calicis sublevatio in Missa, 565; in modum crucis, 567. Panis ad Eucharistiam, qualis esse debeat, 564.

Pantaleon (S.), 116.

Pantheon Romæ a Bonifacio papa IV, conversum in ecclesiam sanctæ Mariæ et omnium Martyrum, 392. Hoc Pantheon ædificatum fuerat a Marco Vipsanio Agrippa, *ibid*. Cur hoc nomine appellatum, *ibid*. Olim in pago Bethelia prope Gazam Palestinæ, fuit templum hoc quoque nomine nuncupatum, 393. Fuit olim Athenis templum ab Adriano imperatore diis omnibus commune, *ibid*.

Papæ ordinandi ritus, 517. Ab episcopo Ostiensi, ut propinquiore, juxta Ecclesiæ Romanæ consuetudinem, ordinatur papa, 518. Phrygium est tiara papæ, 442. Papa est primas omnium qui in orbe terrarum sunt sacerdotum, 226, 518. Natalis papæ est dies quo in pontificatum est promotus. 520. Hunc diem summi pontifices et episcopi quotannis solemniter celebrare solebant, *ibid*. Nomen papæ recitari jubetur et solet in canone Missæ, 577. Quando papa duas uno die celebret Missas, 403.

Papyrus ad lucernas adhiberi solita, quid sit, 316. Papyrus in cereis, *ibid*.

Paradisus terrestris in Oriente, 329.

Parasceve est feria sexta cujusque hebdomadæ, 470.

Parietum templi lotio, 342.

Parmenas (S.) diaconus, 505.

Parthenonis Calensi Codex, præfat. iv.

Participes dicuntur apostoli, 598.

Pascha annotinum, *id est* anniversarium dicitur, quo die anni sequentis a baptismo, cum oblationibus baptismi memoria solemniter celebratur, 390. Hoc Pascha post Dominicam in albis celebratum fuisse videtur, *ibid*.

Paschalis observantia est jejunium Quadragesimæ, 315. Jejunia, cur dicantur Paschalia, *ibid*. 316. Jejunare Pascha, *id est* Quadragesimam, *ibid*. Paschale sacramentum corporis et sanguinis Christi, dicitur remedium æternum, 317. Qui paschale mysterium possimus habere perpetuum, 91, 393. In ipso solis occubitu solemnitas Paschalis olim incipiebat, *id est* vespere Sabbati, 398.

Passionis legendæ in Ecclesia in majore hebdomada, usus est antiquus, 521.

Patenæ consecrationis formula, 151. Signo crucis de oleo sancto vel chrismate patena consecratur, *ibid*.

Patrini ad interrogationes respondent pro infantibus, usum rationis nondum adeptis, 552. Adulti baptizati pedem ponunt super pedem patrini sui, 557. Patrini sunt qui offerunt baptizandos, eosque baptizatos de sacro fonte suscipiunt, *ibid*. Dicuntur susceptores et sponsores, *ibid*. Ad quid teneantur erga filiolos, *ibid*.

Pauli (S.) apostoli nomen recitatur in canone Missæ, 3, 4. Ejus Conversio et Missa, 22. Mutatum dicitur sancto Paulo nomen, die Conversionis suæ, 306. Sanctus Paulus universum mundum sua prædicatione docuit, 305. In vincula septies conjectus... patientiæ præmium reportavit, *ibid*. Fulgur illud a Jerusalem... usque ad terminos terræ luxit, *ibid*. Pridie Kalend. Julii natale sancti Pauli, 113, 702, 808. Cum utraque olim solemnitas Petri et Pauli apostolorum simul ageretur, sanctus Gregorius Pauli dicitur fecisse Translationem, 403. — Paulus (S). martyr. *Vide* Joannes. — Paulus (S)., Constantinopolitanus patriarcha, prius lector et notarius fuit ejusdem Ecclesiæ, 343. Paulus Samosatenus, quod excelsum thronum sibi in ecclesia statuisset, ab episcopis est vanitatis reprehensus, 340.

Pax vobis. Formula est qua utitur pontifex ad salutandum, maxime in sacris, 526. Aliquando *pax vobiscum*, aliquando *Pax omnibus*, quæ formula dicitur legitima, *ibid*. Illæ Latinorum formulæ, hæc ultima Græcorum est, 327. Hispani hac formula salutant, *Dominus sit vobiscum*, olim utebantur, *ibid*. Pax vobiscum episcopus dicit t ntum diebus festis, *ibid*. Episcopo salutanti: *Pax vobis*, populus respondet: *Et spiritui tuo*, 387.—Pacis osculum dat pontifex statim communicaturus, juxta ritum Ecclesiæ Latinæ, 567. Græci dant osculum pacis ante præfationem, preces mysticas et consecrationem, *ibid*. 568. Antiqua Hispaniæ Ecclesia secuta est ritum Græcorum, 563. Per osculum pacis designatur nostræ utilitas fidei, 258

Peccare, aliud est desidiose, aliud malitiose, aliud scienter, aliud ignoranter, aliud negligenter, aliud arroganter, 367.
Peccatum omne cur superbia dici possit, 367. Qui post peccatum pœnitere contemnit, in magnum superbiæ baratrum se immergit. *ibid.* Quid deleantur peccata post baptismum commissa, 369. — Peccatum orignale dicitur culpa tradux, *id est* quæ a protoparente manavit ad posteros, 426.
Pectoris tunsio solita fieri, audito verbo : *Confiteor*, 559. Pectoris unctio in catechumenis, 331. in extrema unctione, 553. In confirmatione apud Græcos, 361.
Pedes super et sub plantis ungantur in extrema unctione, signum crucis faciendo, 549.
Pelagiani ex libro Sacramentorum, refutati, præfat. VI.
Pelagii II, decretum de præfat., 294.
Pentecostes dicitur festum in Quinquagesimo, 400. Juxta vetus institutum Ecclesiæ, baptismus conferebatur in vigiliis Paschæ et Pentecostes, 398. Dies Pentecostes sicut et Paschæ incipiebat olim celebrari post vesperam Sabbati, 400. De die octava Pentecostes celebranda olim fuit controversia in Gallia. 401. In vigilia Pentecostes litania, Deinde, *Confitemini*, etc. 698.
Per omnia sæcula sæculorum. Antiqua hæc orati nis formula apud Christianos, 291.
Percussoris pœnæ variæ, pro personæ circumstantiis, 467, 474. Qui per iram, aut rixam percusserit, ictu debilem, vel deformem fecerit hominem, præter damna et impensas medici, canonicis pœnis subjaceat, *ibid.*
Perdonari, *id est* concedi, 257, 581.
Perennare active, idem ac perpetuare, *id est* efficere ut aliquid perpetuum duret, 531. Alias sumitur intransitive, *ibid.*
Peripsema, seu peripsima, *id est* limatura metalli, purgamenta pomi, quisquiliæ domus, et rasura cujusque rei, seu quod omnium pedibus conculcatur, 527, 615.
Peristeria, femina clarissima Alexandriæ, pecunias in subsidium pauperum et incensum quod Deo offerretur dedit, 429.
Perjuris pœna canonibus indicta, 466.
Permittere, *id est* emittere, 148, 426.
Perpetuæ et Felicitatis (SS.) fit memoria in canone Missæ post consecrationem, 4. Nonis Martii natalis earumdem, 310, 312.
Perpetuus (S.) Turonensis episcopus ædificavit ecclesiam super sepulcrum sancti Martini, 406.
Pertinere, *id est* pertingere, 174, 414.
Petræ erant agrorum termini, quas sub nomine Dei termini olim celebant, 311. Arguuntur ii qui ad nescio quas petras agunt quæ ad Ecclesiam non pertinent, *ibid.* — Πέτρος apud Græcos Petram etiam significat, 405. τὸ Petrus Latinum recte a Græco deflexum, *ibid.* —Petri (S.) nomen recitatur in canone Missæ, 3, 4. In vigilia sanctorum Petri et Pauli duæ Missæ assignantur, una de sancto Leone, altera de vigilia, 405, 702. In festo ipso papa duas etiam Missas faciebat, alteram apud sanctum Petrum, alteram apud sanctum Paulum, *ibid.* Officium festi apostolorum Petri et Pauli, 806. Kal. Augusti ad sanctum Petrum ad Vincula, 703. Et catenæ ejus osculantur ipso die, 409. Cathedra sancti Petri, 29, 668. *Vide* Cathedra. Corona sancti Petri, 449. Petro Deus principatum in Romani, nominis arce tribuit 603. Animas ligandi atque solvendi pontificium Deus Petro tradidit, *ibid.* Petrus inter ipsos fidei principes sortitus principatum 637. Sancti Petri ad Vincula ecclesiæ dedicatio, 409.—Petrus Alexandrinus in locum sancti Athanasii a clero et populo eligitur episcopus, 512 —Petri (S). martyris natale, 104, 690. — Petrus Claromontanus episcopus de validitate cujusdam formæ baptismi consulit Mauricium Parisiensem, et Stephanum Tornacensem episcopos, 354.—Petrus Knapheus hæreticus Trisagio adjecit : *Qui crucifixus est pro nob.s*, 282. Quartam in sanctissimæ Triadis mysterio inducebat personam, vel Trinitatem pro nobis crucifixam, *ibid.*, vel etiam Spiritum sanctum fuisse crucifixum, cum Manichæis asserebat, *ibid.*
φαινόλης, seu φελόνης. Phænolium est genus pallii, penula seu vestis exterior, quæ stichario, *id est* tunicæ strictæ superinduitur, 523. Phænolium patriarchæ album erat, et multis crucibus sparsum, unde et πολυσταύριον dicebatur, *ibid.*
Philippi apostoli nomen recitatur in canone Missæ, 3. Officium sancti Philippi, in quo hic apostolus cum Philippo diacono videtur confundi, 793.—Philippus Augustus Francorum rex a Guillelmo Rhemorum archiepiscopo chrismate sacratus, 591. Regis capiti coronam auream metropolitanus inc imposuit, *ibid.*
Philo episcopus Cyrenensis non legitime ordinavit Siderium episcopum Palæbiscæ, 508.
Philtra sunt incantationes, quibus trahitur amor mulierum ac puerorum, 472.
Phrygium appellatur mitra, seu tiara summi pontificis, 442. Dicitur phrygium ornamentum imperiale, instar galeæ, circulo aureo circumcinctum, *ibid.*
Phylacteria, seu amuleta et ligaturæ, quæ in brachiis, cruribus et collo gestantur, 473.
Pietas misericordiæ operibus eum, quem repleverit, exuberare concedit, 372. Inutilis est pietas, si scientiæ discretione caruerit, *ibid.*
Pippinus Francorum rex coronatus, et sacra unctione perfusus a sancto Bonifacio episcopo et martyre, 587. Pippinus appellatur Christianissimus, 591. Pippinus et duo filii ejus a Stephano papa III reges uncti sunt Francorum, *ibid.*
Piscem mortuum in flumine inventum comedere olim nefas, 478.
Πισσόκηρον est resina ceræ mista, 426.
Planeta. *Vide* Casula.
Plato rerum Hebraicarum non ignarus, 301.
Plenitudo sacri muneris est gratia, quam Eucharistia plene et abundanter confert, 3[illegible], 514.
Pluto Februus deus appellatus, 326.
Podium, seu Pogium est lectrum, analectrum in Ecclesia, ad quod gradibus ascendi ur, 785.
Pœnitentes qualiter suscipi debeant ab episcopis et presbyteris, 452. Pœnitentium fit oratio, dimissis catechumenis, post Evangelium, manum impositione accepta, et ipsi excedunt, 278. Cineres immitti in capita pœnitentium, eosque aqua benedicta lustrari, fit ex more antiquo, 450. Pœnitentes cilicio induuntur, *ibid.* Cilicium pœnitentium vestis, *ibid.* Pœnitentes capillos et barbam promittebant, *ibid.* Apud Gothos, cur contrarius ritus pœnitentibus, in concilio fuerit indictus, 451. Eliminantur Ecclesia pœnitentes, canentibus clericis responsorium : *In sudore*, etc., juxta consuetudinem antiquam, *ibid.* — Pœnitentes, quo ritu feria quinta in cœna Domini reconcilientur, 457. In qua parte Missæ absolutio pœnitentibus olim dabatur, 458 Episcopi vel presbyteri pœnitentibus lacrymantibus, collacrymari solebant, 463, 470. Jejunia pœnitentibus imponenda in satisfactionem, 463. Ipsi indictis sibi alia debent addere jejunia, sive tetradas, sive parascevas, *id est* feriam quartam, vel sextam, *ibid.* Pœnitentes tota hebdomada jejunantes, non jejunant Dominica Romæ, neque Sabbato apud Græcos, 464, 471. Qui non pœnitet et in ægritudine velit communicare, detur ei sancta communio, et mandetur ei, ut si recuperet sanitatem, omnia confessus, sic pœniteat, 469. Pœnitentes a clero excluduntur, 491. Si necessitas coegerit, inter ostiarios vel lectores, ita ut nec Apostolum legant, nec Evangelium, admittantur, *ibid.* Extrema unctio olim non conferebatur pœnitentibus, quibus nullum dabatur sacramentum, 552. Hic usus postea mutatus est, *ibid.* Episcopi et presbyteri, quibus claves regni cœlestis traditæ sunt, judicia pœnitentium debent soli suscipere, 629. Si necessitas evenerit absente presbytero diaconus suscipiat pœnitentem ad sanctam Communionem, 638.
Pœnitentiæ dandæ ratio, 464. Pœnitentiæ ordo, 463. Pœnitentia, qualis fuerit, et quanta competentibus catechumenis indicta, 369. Apud Græcos fuit quadraginta dierum, 380. Hi dies videntur initium dedisse paulo ante jejunium Quadragesimale, *ibid.* Per hos dies competentes omnia retro actæ vitæ peccata confitebantur, 381. Confessio hæc non erat sacramentalis, *ibid.* Alia erat catechumenorum pœnitentia, si forte tempore catechumenatus capitale crimen admisissent, *ibid.* Ratio assumendæ pœnitentiæ publicæ, 449. Hæc assumptio pœnitentiæ fit per manuum impositionem feria quarta mane in capite Quadragesimæ, *ibid.* Plures ordines ad dandam pœnitentiam et pœnitentes reconciliandos, 214. Quatuor pœnitentiæ celebres gradus, fletus, auditio, substratio, consistentia, 461. Cujusque eorum officia graduum, *ibid.* Unctio infirmorum publicæ pœnitentiæ sacramentum erat, ætate Ivonis Carnotensis, 552. Venia pœnitentiæ per veram contritionem impetranda, 610. Hinc neque Esau, neque Antiochus sunt consecuti, *ibid.*
Pœnitentialis Halitgarii, 462. Magna fuit olim librorum pœnitentialium copia, 213. His confessionis et absolutionis, sacerdotalis ritus docebatur *ibid.* Pœnitentiales Romani duo erant, 462. Theodori Anglorum episcopi et Bedæ Pœnitentiales libri, *ibid.* Ab episcopo doceatur inter multos Pœnitentiales libros qui sit sequendus, *ibid.*
Pogium est locus cancellorum, quibus sanctuarium, a choro dirimitur, *ibid.* Pogium dicitur quod per gradus sensim assurgeret, *ibid.*
Pollicis unctio fit in episcopi consecr. 517.
Πολυσταύριον dicitur vestis crucibus multis sparsa, quale erat phænolium patriarchæ, 523.
Polygamia permittitur, Polygami tamen irregularitate notantur, 476. Illis imponuntur jejunia in pœnitentiam, 469, 476. Romæ vir superstes viginti uxoribus duxit uxorem superstitem viginti duobus maritis, eique vir supervixit, *ibid.*
Polynices et Eteocles ab Œdippo patre, cur diris devoti, 590.
Pompis Satanæ abrenuntiat bapti-

randus, 367. Qui pompæ diaboli ab ejus operibus distinguantur, *ibid*. Pompæ diaboli sunt ambitio, arrogantia, etc., quæ de superbia procedunt vitia, *ibid*. 384. Pompæ diaboli interpretantur spectacula, *id est* theatri lascivia, amphitheatri crudelitas, clamores et insania circi, 383.

Pons Milvius nomine Pontis Olbi, seu Molbi intelligi debet, 391.

Pontifex pro se non orat in orationibus solemnibus feriæ quartæ et sextæ majoris hebdomadæ, 321. Ornamenta pontificis, quæ et quot sint, 573. Dum paratur pontifex suis ornamentis, clerici circumstantes, vel etiam ipse, psalmos : *Quam dilecta*, etc., cantent, *ibid*. Pontifices summi olim appellabantur episcopi, 502.

Pontificium est potestas, seu auctoritas, 312, 405.

Populus (τὸ) aliquando sumitur pro universo cœtu, sive ecclesiastico, sive laico, 277. Populus orabat olim dicto *Flectamus genua*, 321. Populi jus in electione episcoporum, 511. Populi communio, qualis, 583. Populi e Missa discessio non ante benedictionem, 277.

Portuensis episcopus in consecratione summi pontificis dat Orationem secundam, 517. Et in coronatione imper. secundam quoque fundit orat. 588.

Postcommunio, seu postcommunionem, seu etiam oratio ad Complendum, et ad collectam dicitur, 601, 606. Est instar orationis quæ super populum dicitur, *ibid*. Hæc oratio dicitur postcommunio, quia pro solis communicantibus dici solet, 606.

Potentianæ (S.) virg. natale, 88, 695.

Præceptis salutaribus moniti, etc. Hujus formulæ ad Orationem Dominicam præambulæ antiquitas, 290.

Prædicatores sancti dicuntur cœli, qui enarrant gloriam Dei, 372.

Præfatio est oratio seu gratiarum actio, quæ canoni præmittitur, 294. Dicitur etiam contestatio, et contestada, et immolatio, *ibid*. Pelagius papa II, ex multis præfationibus, novem recepit, quibus postea duæ accesserunt, *ibid*. Præfatio bifariam usurpatur : prima, quæ canoni Missæ præmitti solet; secunda, pro invitatione ad orandum, a presbytero pronuntiata, 480. Præfatio de sancta Trinitate, 401; de sancto Augustino, 412.

Præficæ mulieres dicebantur olim quæ funeri adhiberi solebant, ut flerent, etc., 476. Præficæ principes planctus, *ibid*. Hæc insania Romanis legibus prohibita, 477.

Præjectus (S.), episcopus, Arvernæ trucidatus, cum abbate Amarino a loci proceribus, 306. Festum ejus et Missa concurrunt cum Conversione et Missa sancti Pauli, 25. Festum ejus duplex in Gallia, *ibid*.

Præsanctificatis sacerdos utitur in Parasceve majoris hebdomadæ, tum pro se, tum pro omni populo communicando, 333. Græci per totam Quadragesimam, exceptis Dominicis, Sabbatis, et festo Annuntiationis, præsanctificatis utuntur, *ibid*. Natalitia Martyrum in Quadragesima occurrentia ad dies istos transferre solent, *ibid*. Inter liturgias Græcorum exstat liturgia Præsanctificatorum, *ibid*. Quo ritu præsanctificata dona inferantur ad altare, *ibid*.

Præsidium dicitur substantia quam quis in bonis mobilibus possidet, 466, 472. Præsidium utriusque sexus, *id est* servi et ancillæ, 472.

Praxedis (S.) natale, XII Kal. Augusti, 116, 407, 704. In prima Missæ oratione martyr appellatur, 407.

Presbyter, quæ scire teneatur, antequam ordinetur, 273. Presbyteri sollicitudo et charitas erga peccatores pœnitentes, 465. Audita pœnitentis confessione, injungat statim ei pœnitentiam, 463. Ordinatio presbyterorum fit immediate ante Epistolam, 487. Nulli olim presbyteri vagi, *id est* ad certam ecclesiam non destinati, ordinabantur, 496. Ritus presbyteri ordinandi, 224, 502. Sine stola a collo dependente prohibetur presbyter Missam celebrare, aut communicare, 503. Hanc stolam, quæ orarium dicitur, accipit in sua ordinatione, *ibid*. Induitur planeta, seu casula, in sua ordinatione, 503. Presbyteri in sua ordinatione unguntur manus chrismate sancto, *ibid*. Hæc unctio olim fiebat in modum crucis, *ibid*. In quibusdam locis ungebatur et caput presbyteri, 504. Ordinatur presbyter per manus impositionem, *ibid*., 522. In aliquibus Codicibus traditio patenæ cum hostia superposita, et calicis cum vino et aqua, cum hac forma : *Accipe*, etc., fieri jubetur, *ibid*. De hac instrumentorum porrectione nulla mentio in sanctis Patribus, conciliis, Scripturis et veteribus Codicibus, *ibid*. Ecclesia Orientalis usque nunc ignorat instrumentorum porrectionem, *ibid*. Presbyteri consummantur oratione, 509. Ordo in presbyteri ordinatione apud Græcos, 521. — Presbyter, olim quomodo annuntiabat orationem, 321. Presbytero, quomodo pedes et manus unguntur in extrema unctione, 519. Presbyteratus honor, 499. Plures presbyteri adhibiti in conferendo extremæ unctionis sacramento, 540.

Primi et Feliciani (SS.) martyrum natale, V Idus Junii, 104, 699.

Princeps ungitur in brachio dextro, et inter scapulas, 589.

Priscæ (S.) virginis natale, XV Kal. Febr., 20, 662.

Prisci (S.) martyris natale, Kal. Septembris, 413. Hic sanctus Priscus martyr unus fuit ex LXXII discipulis Christi, qui passus est Capuæ, via Aquaria, *ibid*.

Pro quibus tibi offerimus (τὸ) non est de antiquo canone, 284. Usus obtinuit, ut in Missalibus legatur *Pro quibus.... vel qui tibi offerunt*, *ibid*.

Probabilis, idem est ac bonus, 493.

Procedere est ad ecclesiam convenire, juxta antiquam loquendi formulam, 414. Procedendi causæ apud veteres Christianos, *ibid*.

Processio est cœtus clericorum ipsum pontificem ad altare concomitantium, eique assistentium, 539, 543. Processio idem significat ac collecta, *id est* procedentium cœtus, cum ad Ecclesiam pervenerint, 508, 345. Ad processionem, *id est* ad collectam, synaxim, cœtum, 413. Processiones, seu solemnes deambulationes, lustrationes, vulgo supplicationes, rogationesve, non erant in usu primis Ecclesiæ sæculis, 414. Cœperunt Constantinopoli, tempore sancti Chrysostomi, *ibid*. Processio cum palmis, 318.

Processus (S.), 114, 703.

Proclus, patriarcha Constantinopolitanus, non fuit auctor, ut hymnus victorialis *Sanctus, Sanctus*, etc., in sacra liturgia caneretur, 281. Idem Proclus coronavit Theodosium Juniorem imperatorem, 583.

Professio virginis, quæ Græce ὁμολογία dicitur, quo ætatis anno olim fiebat, 441. Susceptio veli a professione distincta, *ibid*.

Profuturus Barcinonensis episcopus. *Vide* Præfat.

Projectus (S.) *V*. Præjectus.

Promissio episcopi, 510.

Pronuntiatio quorumdam nominum Latinorum, Græcam linguam imitantium, et aliorum, 612, 613, 614.

Prophetarum unctionis fit mentio in Scriptura sacra, 331.

Prophetica lectio, præmissa lectioni Epistolæ, 561.

Πρόῤῥησις, *id est* præfatio, seu contestada, 294.

Πρόσκλαυσις, *id est* fletus, primus pœnitentium gradus, 461.

Protasii et Gervasii festivitas, XIII Kal. Julii celebratur, 108, 405, 700. Protasii nomen Gervasii nomini aliquando præpositum, 405.

Proti et Hyacinthi (SS.) natale, III Idus Septemb., 128, 415, 709.

Protopapa quas agit partes, dum imperator Constantinopolitanus lavat pedes pauperibus duodecim in cœna Domini, 336. Protopapa est defensor, et primus altaris, et secundas a summo sacerdote obtinens, 524. Imperator suum etiam habebat protopapam, *ibid*. Interdum unus protopapa utrique clero præsidebat, *ibid*.

Prudentio (S.) episcopo Missam celebrante, facta est divinitus aquæ in vinum conversio, 563.

Psalmi multi in ecclesiæ dedicatione cantantur, ex antiqua consuetudine, 427. Officium nocturnum dedicationis constat duodecim psalmis, cum singulis antiphonis, ex præscripto regulæ sancti Benedicti, 145. Hi psalmi non sunt de feria, sed ex diversis feriis delecti, *ibid*. Ex quo patet sensus capitis 14 ejusdem regulæ : *Excepto quod psalmi*, etc., *ibid*., 744. In fine cujusque psalmi, qui canitur ante sepulcrum in exsequiis, oratio seu collecta interponitur, juxta priscam consuetudinem, 486. Psalmus cantatus pro gradali, 561. Cantatus ante oblationem, 562. Cantatus tempore communionis, 570.

Psalmistæ ordinatio juxta Græcos, 521.

Psalmodia olim Missam inchoabat, 275. Psalmus integer olim in introitu Missæ cantatus, *ibid*. Psalmorum usus ante oblationem, Carthagine quando inceperit, 276.

Pudentianæ (S.) virginis natale, 88.

Puer raptus in Cœlum detulit Trisagium, 282. Pueri soli sermocinantes de fornicatione cinædica, et transgredientes instituta seniorum, tribus superpositionibus emendentur, 468, 475. Bonæ indolis pueri jugo ecclesiastico per tonsuram subdentur, 490.

Pugillaria, seu pugillares, sunt tabellæ ceræ, vel ligneæ, in quibus stylo scribitur, 602. Aliæ dicuntur quintuplices, vel pentatycha; aliæ triplices vel triptycha, etc., *ibid*. Pugillar bipatens diptychum dicitur, *ibid*.

Pulpitum ecclesiæ, sive suggestum, locus excelsus, de quo legebant lectores, et psaltæ canebant, 547.

Pura hostia in canone Missæ, 289.

Purificatio beatæ Mariæ virginis, quæ a Græcis ὑπαπάντη, seu ὑπαντή, *id est* occursus appellatur, 24, 306, 664. Dicitur etiam festum Simeonis, *ibid*. Ex antiquo more, cur fiant in hoc festo cum cereis ardentibus rogationes seu processiones, *ibid*., 307. Quando Purificatio cœperit celebrari Bizantii, *ibid*. Quando in Ecclesia fuerit instituta, *ibid*. Hoc festum non ex occasione lupercalium natum est, *ibid*. Institutum est ex occasione lustrationis urbis, quæ Romæ agebatur, *ibid*. In hoc festo ex usu veteri canitur R. *Gaude Maria*, etc., 730.

Purpura regia induitur rex a pontifice, 593. Leo papa III Carolum Magnum induit purpura, *ibid*.

Q

Quadragesimæ jejunium integrum jubetur, 314. Quidam jejunium Sabbati in Quadragesima non servabant, *ibid*. Hi in supplementum Sabbatorum, et Dominicarum a sexagesima jejunia inchoabant, *ibid*. Quadragesima constabat triginta duntaxat et sex diebus jejunii servandi, ætate sancti Gregorii magni, 315. Quatuor dies postea ab Ecclesia fuere additi jejunio quadragesimali, *ibid*. Quadragesimam tamen jejunare semper in Ecclesia dicti sunt Christiani. Apud Orientales, qui Dominicis et Sabbatis non jejunabant, septem hebdomadas observabant, et Quadragesimam jejunare dicebantur, *ibid*. Qui apud Græcos quadraginta dies integros jejunabant, per octo hebdomadas Quadragesimam protelabant, 316. Non una fuit olim jejunii Quadragesimalis ratio apud Catholicos, nec apud hæreticos, *ibid*. Quomodo Constantinopoli Quadragesima jejunabatur, tempore sancti Chrysostomi, *ibid*. Jejunium Quadragesimæ dicitur observantia Paschalis, et jejunare Pascha, *id est* Quadragesimam, 315, 316. Quadragesima ante Natale Domini, 443. Quadragesima catechumenorum, 560. Tres Quadragesimæ quæ dicuntur tria legitima jejunia, in anno indicta, 443. Græci recentiores admiserunt Quadragesimam ante Nativitatem Domini, 446. *Vide* Adventus.

Quadrifida peccatorum moles sunt quatuor præcipua peccata, 53, 317.

Quadrigami canonibus notati, ab omni cœtu Ecclesiastico et templi ingressu arcentur, 476.

Quatuor coronati (SS.) sunt Severus, Severianus, Victorinus, et Carpophorus, 139, 420, 421.

Quinquagenarius num. mysticus, 386.

Quinquagesimæ diebus exceptis, *id est* a Paschate ad Pentecosten, superpositionem facere licet, *id est* jejunio jejunium addere, 475. Cur prohibeantur presbyteri indicere sexagesimam, et quinquagesimam, 314.

Quinti Pauli (S.) natalis, XIV Kal. Februarii, 304.

Quintinus (S.), 4, 831.

R

Radulphus comes Bajocensium, cujus filius fuit Joannes Arbrincatensis episcopus, 581. Radulphus frater uterinus Richardi senioris Norman. ducis *ibid*.

Ratam (τὸ) in canone Missæ, *id est* immobili firmitate perpetuam, 286.

Rationabilem (τὸ) in canone Missæ, *id est* plenam rationis et mysterii, 287.

Rationale est ornamentum quoddam pectorale episcopi, simile illi quo utebantur olim legales sacerdotes, 557.

Reconciliatio pœnitentium fit feria quinta in cœna Domini, 324, 325. Reconciliatio est brevior ratio extremæ unctionis conferendæ infirmo, qui proximus est mortis, 550, 551. Orationes quæ sunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem a pluribus sacerdotibus dicendæ, 518. Reconciliatio infirmi post extrem. unct. ante communionem, 550.

Rectum est rectitudo regni, 584.

Redemptionis nostræ opus toties exercetur, quoties hostiæ divinæ commemoratio in Missa celebratur, 175, 144.

Redemptus sancti Isidori Hispalensis episcopi clericus, suam confessionem litteris consignavit, quam morte impendente, palam fecit, nihil particulatim exprimentem, 452.

Reformare idem significat quod restituere, 457.

Refugæ virtutes sunt apostatæ angeli, seu dæmones, 332.

Reges unctione constituebantur apud Israelitas, 331. Vulgo reges non chrismate, sed sacro oleo inunguntur, 589. Unguntur in vertice, *ibid*. In modum crucis, *ibid*. Regis coronati a metropolitanis, 591. Reges Francorum unguntur chrismate et liquore cœlesti, 588. Oratio pro regibus, imperatoribus et principibus exstat in omnibus liturgiis juxta morem antiquum, 284. De susceptione regum antiphonæ et responsoria, 852. Regiæ auctoritas in electionibus episcoporum, 511.

Regia significat Januam, 304.

Reginæ Sueciæ Codex libri Sacram., præfat. III et IV. — Reginæ caput non ungitur in coronatione, sed brachium dextrum, 593. Claudiæ, Eleonoris et Catharinæ Mediceæ reginæ in capite fuerunt unctæ, *ibid*. Quæ sint partes reginæ in regno, 595. Regina a quo debeat coronari, *ibid*.

Reginaldus de Beaune archiepiscopus Bituricensis, et ad Senonensem sedem a rege nominatus, cur cesserit episcopo Carnotensi jus sacrandi Henricum IV, 592.

Regni cœlestis augmentum, *id est* honoris et cultus Dei, per quem Deus in anima fideli regnat, 416.

Regulus (S.) episcopus, 83.

Reinaldus, episcopus Lingonensis, non est auctor hym., *Gloria laus*, 320.

Reliquiarum inferendarum in novam basilicam ritus, 434. Episcopus cum clericis agit vigilias in Ecclesia veteri coram reliquiis in dedicanda collocandis, 423. Reliquiæ solemni processione in novam transferuntur, *ibid*., 152, 434. Antiquum est Ecclesiæ institutum basilicas reliquiarum sanctarum illatione et appositione dedicare, 434. Reliquiarum præsentia basilica sanctificatur, *ibid*. Qui templum sine sanctis reliquiis consecravit, deponatur episcopus tanquam traditionum ecclesiasticarum transgressor, *ibid*. Reliquias sanctorum in ipso altari recondere mos est antiquus, 435. Locus in quo reconduntur confessio vocatur, *ibid*. Hic locus intus ex chrismate cruce signatur in quatuor angulis, 436. Græci sacras reliquias sacro perfundunt chrismate, eas recondentes, cum tribus portionibus corporis Domini, et tribus de incenso, *ibid*.

Remigii (S.), Rhemensis archiepiscopi nomen recitatur in canone Missæ, 285. Ejus vigilia pridie Kal. Octob. 417. Remegius, Remigius, et Remedius dicitur; *ibid*. Kalen. Octob. natalis sancti Remigii, *ibid*. 827. Hic dies non est natalis, seu obitus, sed translationis, 418. Kal. Octob. Sanctus Remigius bis translatus est, sed non eodem anno, *ibid*. Obitus ejus dies idibus Januarii celebratur, 418.

Renum unctio in extrema unctione, 554. *Vide* Extrema unctio.

Renuntiatio diabolo facienda a catechumeno, 382, 383, etc. *Vide* Catechumenus.

Responsalis Codex dicitur in quo continentur responsoria, per anni circulum, in officio divino dicenda, 735. *Vide* præfat. VI.

Resurrectio Dominica secundum omnes evangelistas, per septem dies Octavarum Paschæ, legitur in Ecclesia, 324, 561. Ipsa die Paschæ Evangelium resurrectionis secundum Matthæum olim legebatur in Africa, 561. Altera Evangelium secundum Marcum, die tertia sec. Lucam, etc., *ibid*.

Revocatus (S.) Non. Mart. colitur, 312.

Rhemensis Ecclesiæ historia auctore Flodoardo, præfat. V.

Richardus senior dux Normannorum, frater uterinus Radulphi comitis Bajocensium, 581.

Riculphus, Suessionensis episcopus statuit infirmos post confessionem ungendos, ac deinde communicandos, 556. *Vide* Extrema unctio.

Roberti Galliæ regis ætate, quæ fuerit formula dandæ communionis, 580.

Robertus Cenomanensis episcopus, morti proximus, confessionem suam, nullum speciale crimen exprimentem, misit per epistolam ad episcopos absentes, 452.

Rocca (Angelus). *Vide* ejus scholia in lib. Sacram., 599. Ipsum edidit præf. III.

Rodradus presbyter. *Vide* præf.

Rogationes fuerunt institutæ a sancto Mamerto Viennensi episcopo, 393. Quæ fuerit causa et necessitas instituendi has cum litania rogationes, *ibid*. Tres Missæ pro triduo Rogationum, alibi unica instituta, *ibid*. Hoc eodem Rogationum triduo indictum jejunium, contra veterem morem non jejunandi a Paschate ad Pentecosten, 393. Rogationes non fuerunt in Ecclesia ætate sanctorum Ambrosii et Augustini, 394, 395. *Vide* Litania.

Rogerius episcopus Elloronensis ædificavit altare ligneum, argento obductum cum inscriptione insigni, 309.

Romæ lustratio mense Februario, veteri superstitione, fieri solita, 306, 307. Romæ dedicatio primæ ecclesiæ a beato Petro apostolo constructæ et consecratæ, 409.

Romani acceperunt usum Rogationum a Gallis, 393. Romanæ Ecclesiæ mos Eucharistiæ consecrandæ in cœna Domini, a presbyteris simul et pontifice, 337. Romanæ virgines capillatæ, 442. Romani quo die polluti fuerant, non intrabant ecclesiam, 579. Romani pontificis phrygium seu tiara, 442.

Romanus Pontificalis liber, 462.

Rotaldus, abbas Corb. *Vide* præf.

Rufi (S.) martyris apud Capuam natalis, sexto Kal. Septemb., 124, 442. Hic fuit discipulus sancti Apollinaris discipuli sancti Petri apostoli, *ibid*.

Rufina et Secunda (SS.) sorores adduntur filiis sanctæ Felicitatis, 407.

Ruth Moabitidi, cum nuberet Booz, bene precatum a senioribus, 597.

S

Sabanum est linteum villosum, 555.

Sabbatini jejunii in Quadragesima, cur præceptum renovetur, 314. Sabbato sancto ante Gallicinium Dominicæ, jejunium solvere apud Orientales nefas erat, 315. Solemnitas Sabbati sancti describitur, 70. Hæc incipit hora octava, *id est* secunda post meridiem, *ibid*. Officium Sabbati sancti ad noctem dominicæ resurrectionis respicit, 387. In Parasceve et Sabbato sancto non celebratur corporis et sanguinis Christi sacramentum, *ibid*. Sabbatum sanctum non habet vesperas, 388. Post benedictionem episcopalem, dum populus communicat, inchoat cantor *Alleluia*, *Laudate*, etc., *ibid*. Sabbati vespere ordines collati, 487. Sabbatum quatuor temporum, cur dicatur, 12. Lectionum, licet sex tantum Lectiones tunc legerentur, 606.

S. Sabinæ Virginis et Martyris natale, 126, 708.

Sacerdotes veteris legis unctione consecrabantur, 331. Sacerdos primi ordinis est episcopus; secundi, presbyter; tertii, diaconus, 519. Sacerdotes plures olim ungebant infirmum, 237, 534, 543, 553. Sacerdotis oratio antequam audiat confessionem, 463. *Vide* Presbyter.

Sacerdotes paganorum coronati, 578.

Sacramenta dicuntur multis modis,

1, 273, 274, 426. Sacramentum aliquando dicitur solemne festum, quo aliquod Christi mysterium repræsentatur, 62, 298, 316, 320. Sacramentum dicitur gratia sacramentalis metonymice, 316, 317, 389. Sacramentum dicitur mysterium arcanum, sub cujus involucro aliquid mysticum latet, 316. Duo præcipua sanctæ Ecclesiæ sacramenta, sanguine et aqua signata, fluxere ex latere Christi in cruce dormientis, 368, 384. Sacramentum vocatur sal, dari solitum catechumenis, 377. Sacramentum istud sumitur pro eo quod mysticum est, 378. Sacramenta olim vocabantur non solum septem sacramenta a Christo instituta, sed omnis ritus quomodocunque spectans ad sanctificationem, 425. Sacramenta, *id est* Missarum solemnia, 431; et orationes Missarum, 599. Sacramenta tria infirmis olim simul data, 536. Nullum pœnitentibus olim dabatur sacramentum, 532.

Sacramentalia sunt ritus, aut res ad aliqualem sanctificationem spectantes, 425.

Sacramentarii et libri sacramentorum distinctio, 274, 340. *Vide* præfat. Liber Sacramentorum, Sacramentarium, et Sacramentarius liber, sunt nomina synonyma, 599. Codex sancti Gregorii rectius Sacramentarius inscribitur, *ibid.* A Gelasio papa primum editus, a sancto Gregorio magno reformatus et auctus, 600. *Vide* præfat. Librum Sacramentorum sancti Gregorii Adrianus papa misit Carolo magno, 617. Codices vet. libri Sacramentorum. *Vide* præf. IV, V. Lib. Sacram. utilitas contra hæreses, præf. V, VI.

Sacrificia, *id est* sacra facta, qui distinguantur a donis et muneribus quæ in eadem canonis Missæ oratione præcedunt, 283. Sacrificium non potest offerri, nisi in communione sanctorum, quorum memoriæ communicamus, 285. Sacrificium pro fidelibus defunctis offerendum, ex traditione asseritur, 280. Sacrificium salutare figuratum per Melchisedech, qui in typo corporis et sanguinis Domini obtulit, 375. Hanc figuram Christus adimplevit, *ibid.* Hoc idem suis discipulis in sui commemorationem fieri præcepit, *ibid.* Sacrificia veteris legis suam dignitatem accipiunt ab eucharistico novæ legis sacrificio, 174, 443. Varii circa sacrificium defectus, quibus emendentur pœnis canonicis, 468. Sacrificium offerre non debent, nisi episcopi et presbyteri, 629. Sacrificio misto communicare, quid sit, 569. Olim prohibitum. In quo casu permissum, *ibid.*

Sacrilegium intelligitur genus variorum cum dæmone commerciorum, 467. 472. Quibus pœnis canonicis afficiantur pro diversis hujus sacrilegii speciebus, *ibid.*

Sagiensis Ecclesiæ seu Salariensis in Normannia cod. lib. Sacram. *Vid.* præf.

Salem sapientiæ baptizandi cur accipiant, 364. Sal vocatur sacramentum catechumenorum, 377. Salis exorcismus ad aquam benedicendam pro dedicatione Ecclesiæ, 147. Salis benedictio, *ibid.* Exorcizatur sal, ut aquæ benedictæ immisceatur, 533.

Salomonis templum occidenti obversum, 329.

Salutatio chrismatis recens confecti, 338; et olei catechumenorum, 339. Salutationis crebra mentio fit in ritu ordinandi apud Græcos, 526. Hæc salutatio est, quæ cum amplexu et amicitiæ gratia fiat, *ibid.* Ejusmodi salutatione significatur sacra communio, amabilisque lætitia mentium inter se bene convenientium, *ibid.*

Sancire, *id est* sanctificare, 174, 443.

Sancta sanctis a sacerdote dicitur post Orationem Dominicam, panem consecratum attollente, 566.

Sanctificare, *id est* ex terrena substantia sanctam facere, 290.

Sanctorum omnium festum cum vigilia præcedente, 138, 712. Kal Novemb. Festum omnium sanctorum, 138, 832. Hoc festum a Gregorio IV papa institutum, 420. In Galliis sub Ludovico Pio celebratum, *ibid.* Sub Carolo Magno in aliquibus Galliæ locis jam celebratum, *ibid.* Sanctorum memoria in canone Missæ, 285. Et sancti cujus festivitas celebratur, *ibid.* Et aliorum qui toto orbe celebrantur, *ibid.* Injuriam facit sanctis qui pro eis orat, 607. Qui intelligenda oratio, qua petitur ut prosit oblatio tali sancto ad gloriam, *ibid.* 608. Omnium sanctorum ornatus Spiritus sancti inspiratione substat, 372. Sanctos quosvis nominare post τό Andrea in oratione quæ in Missa Orationem Dominicam sequitur, fuit olim licitum, 292.

Sanctus, sanctus, etc., dicitur hymnus victorialis, 281. Antiquus hujus hymni usus in sacris mysteriis post præfationem, 281. Dicitur seraphica Theologia, *ibid.* Hic hymnus a Trisagio distinctus, *ibid.* Qui appelletur Trisagium a sancto Damasceno, et in liturgia Ambrosiana, *ibid.*

Sandaliorum meminit Alcuinus et Leo Ostiensis, 556.

Sanguis Christi solus datus ægroto valde debili, 554. Sanguis Christi olim a diaconis ministratus, 500, 569. Sanguis Christi poculum salutis; antiqua formula communionis, 580. Cui respondetur *Amen* a communicante, *ibid.* Per sanguinem et aquam, quæ de Christi latere fluxèrunt quid significetur, 384. — Sanguinis comestio cujuscunque animalis prohibita fuit aliquando in Ecclesia occidentali, pro more orientalis, 494. Hic mos non fuit universalis in occidente, *ibid.* Quidam Act. XV locum interpretantur de homicidio et humani sanguinis effusione, *ibid.*

Sapere est aliud quam intelligere, 372.

Sapientia minor est, si intellectu careat, 372.

Satisfactio sumitur pro excusatione et purgatione, 526. Hæ uno nomine Apologia dicuntur, *ibid.* Pœnitens, qui satisfactionem sibi a sacerdote indictam ob ægritudinem adimplere nequit, quid faciat, 469. Sacerdos suscipiat eum ad sanctam communionem, cum onere satisfaciendi, si recuperet sanitatem, *ibid.*

Saturnini (S.) martyris memoria colitur nonis Martii, 312. Saturninus alter martyr Romæ passus tertio kalend. Decemb. 422. Tertio Kal. Decemb. Tolosæ natalis sancti Saturnini episcopi et martyris, 142, 423.

Saxones Angliæ populi, 587.

Scapularum unctio in catechumenis, 331. In principibus unctio fit inter scapulas, 589. Et in extrema unctione, 533.

Scelerati et impii, juxta priscum Ecclesiæ morem, arceantur Ecclesia, templo, sacris, et communi hominum societate, 451. Id quoque apud ethnicos in usu fuit positum, *ibid.* Hic etiam mos viguit apud Gallos ex Druidum institutione, 452. Hæc erat apud eos pœna gravissima, *ibid.* Viguit quoque in Germania, *ibid.*

Sceptrum dicitur regiæ majestatis insigne, 261. Traditio virgæ a sceptri porrectione distinguitur, *ibid.*, 592. Sceptri traditio, 593.

Schola est collegium Cantorum, 325, et cantorum chorus, 785.

Scholastica (S.) virgo, IV Idus Februarii, 28.

Scientia fugat ignorantiam, et lumine suo eum quem repleverit illustrat, 372. Scientia nulla est, si utilitatem pietatis non habet, *ibid.*

Scripturæ sacræ olim servatæ a lectoribus, 491.

Scrutinii primi Electorum, sive catechumenorum denuntiatio fiebat feria secunda in hebdomada tertia Quadragesimæ, 48. Catechumeni ætatis intelligibilis, de quibus sint scrutandi, 366, 379. Hunc morem scrutandi in Paschate baptizandos Ecclesia cur servaverit, *ibid.* Competentes Dominica Palmarum nomen suum dabant, et scrutinium subibant, 379. Scrutinium fieri solebat, tangendo saliva nares et aures competentium, 781, vel sine saliva, juxta alium usum, *ibid.* Hunc ritum Græci non observabant, *ibid.* Præter hunc ritum, insufflatio, exorcizatio, abrenuntiatio, et unctio scapularum et pectoris erant scrutinii ritus, *ibid.* Erant septem scrutinia, *ibid.* Quo ordine fieri solebant, *ibid.* In ipsis scrutiniis separabantur mares a feminis, 382.

Sebastiani (S.) martyris Missa, distincta a Missa sancti Fabiani, 20. *Vide* Fabianus (S.).

Secreta oratio in Missa, unde dicatur secreta, 203. Dicitur etiam oratio super oblata, *ibid.*, 294. Secreta quoque vocatur oratio mystica *Te igitur*, etc. 252, 577. Secreta Missæ persequuntur pontif. et presbyt. simul, 337.

Secretarium, *i. e.* sacrarium, 241, 556.

Secunda et Rufina (SS.) sorores, 407.

Secundoli (S.) memoria colitur Nonis Martii, hic in carcere quievit, 312.

Sedes episcopi in ecclesia aliis excelsior, 540. Fuit olim in usu ut episcopus, consecratione perfecta, in sede episcopali solemniter collocaretur, 520. Sancti Martini in humili sella sedentis in ecclesia humilitas commendatur, 540. Vanitas Pauli Samosateni in excelso throno sedentis in ecclesia ab episcopis arguitur, *ibid.*

Semijejunia, 293. Olim in semijej. Missæ tenebantur hora nona, *ibid.*

Sennes (S.) in nominandi casu, seu nomen pro cujusque arbitrio, vel declinabile, vel indeclinabile, 409. Ejus festum III Kal. Augusti celebratur, 116, 409, 704.

Sensibus nostris, *id est* nostris opinionibus plerumque fallacibus ne relinquamur, in oratione petimus, 177, 444. Et ut non noster sensus in nobis, *id est* nos non præveniat, seu non ducamur nostris cupiditatibus, *ibid.*

Sepeliri in basilicis olim vetitum, 486. Postea permissum, *ibid.*

Septem fratrum martyrum, filiorum sanctæ Felicitatis, natale sexto Idus Julii, 115, 407.

Septima dies, quid significet, 301.

Septenarius numerus sacer et mysticus, *ibid.*, 371, 383, 386. In eo summa perfectio intelligitur, 371. Vel universitas, vel septiformis gratiæ Spiritus septenario numero in Scriptura sacra signatur, *ibid.* Septimo die a nativitate nomen imponitum infantibus apud Græcos, secundum Aristotelem, 350.

Septuagesima olim erat initium jejunii hominum ecclesiasticorum, 314.

Sepulcrorum violatores, quibus pœnis leges et civiles et canonicæ afficiant, 472. Mos erat olim thesauros mortuis consepeliendi, *ibid.*, 484. Cur tot leges in sepulcr. violatores, *ibid.*

Sepulturæ officium, 480. Officium vetus sepulturæ, 478. *Vide* Exsequiæ. Quibus personis datum fuerit olim se-

peliri intra ecclesiam, 488. Ætate sancti Augustini liberum fuit Christianis infra septa ecclesiarum sepeliri, *ibid*.
Serapion senex, ab ecclesia ejectus, et pœnitens, in mortis articulo, per Euchar. particulam sibi a presbyt. missam reconciliatus, in pace obiit, 470.
Sergii (S.) martyris natale, Nonis Octobris, 418.
Sermo episcopi ad pœnitentes, lecto Evang. *Ante diem festum Paschæ*, 457.
Servi alieni et ingenui hominis venundatio, pœnis canonicis plectitur, 467, 474.
Severus et Severianus (SS.) *Vide* Quatuor Coronati.
Sexagesimam indicere, cur presbyteri prohibeantur, 314.
Sexagesimus numerus sacer, 314.
Sexages. fructus, quid significet, *ibid*.
Σημεῖα sunt plagulæ quædam ex purpura, togis senator. olim assutæ, 325.
Sidonius episcopus Palebiscæ, non legitime creatus a Philone Cyrenensi episcopo, 508, 513. Quia nec Alexandriæ, nec a tribus episc. ordinatus, *ibid*.
Sigismundus (S.) martyr, et Burgundiæ rex, cujus intercessio invocatur pro febricitantibus, 615.
Signaculum Domini dicitur confirmationis sacramentum, 359.
Signatio oblatæ et calicis, 292. Oblatæ solius, *ibid*. Calicis solius, *ibid*.
Signi, seu campanæ benedictio, 453.
Silvestri (S.) papæ natalis et Missa, 13. 660. *Vide* Sylvester.
Simeonis (S.) natalis, 664. Purificationis festum appellatur sancti Simeonis, 506. Simeonis Thessalonicensis, de ministro extremæ unctionis, repudiata sententia, 554.
Simonis et Judæ (SS.) apostolorum vigilia sexto Kal. Nov. 137; et quinto Kal. Festum eorumd., *ibid*., 711, 712. Fit eorum memoria in can. Missæ, 3.
Simplicii (S.) natale, quarto Kal. Aug. 408, 704. Alter sanctus Simplicius martyr, 139, 421, 608.
Sindone munda corpora defunctorum involuta, 484.
Sisinnius (S.) diaconus martyr, Romæ passus sub Maximiano imperatore, 423.
Sixti (S.) papæ nomen recitatur in canone Missæ, 3. VIII Idus Augusti sancti Sixti, vel Xisti papæ natale, 117, 409, 705. Non fuit hic Xystus Pythagoricus homo et ethnicus, 409.
Smaragdus (S.), 410.
Σωλέας, vel τὸ σωλίον, vel σωλέα, est pavimentum ecclesiæ, quod est ante fores sacrarii, inter chorum et sacrarium, in quo est altare, 524.
Solidus apud veteres Romanos est nummus aureus, sex millia denariorum, 471. Solidus Francicus olim quadraginta denariorum erat, *ibid*.; ad valorem duodecim denariorum tandem redactus est, *ibid*. Octo denarii, qui faciunt solidos ducentos, 472.
Solium regis, 593. Dum rex in solio collocatur, quæ formula pronuntietur, *ibid*.
Sotheris (S.) virginis natale, quarto Idus Februarii, 510.
Species faciem significat, 400. A specie ad speciem, *id est* ad fruitionem, seu claram Dei visionem pervenire, *ibid*.
Spiritus sanctus omni eo quod attigerit, hoc sanctificatur, et transmutatur, 309. Panis et vinum transformantur in corpus et sanguinem Christi per illapsum Spiritus sancti, *ibid*. Sicut Verbum Dei per ejusdem Spiritus sancti infusionem incarnatum est, *ibid*. Spiritus sancti præsentia, sub visibili signo apparere dignatus est sanctis viris sacra mysteria conficientibus, *ib*. Presbyter in Cilicia non prius Missam inchoabat, quam videret Spiritum sanctum altari obumbrantem, *ibid*. Spiritus sanctus cum Patre et Filio unius substantiæ, 370. Spiritus sanctus a Patre et Filio procedit, utrique consubstantialis, 355, 372, 379. Unus atque idem Spiritus cunctarum est fons virtutum, atque principium, *ibid*.
Spirituum cœlestium mentio fit in Missæ præfatione, 280.
Sponsæ velatæ, 598. *Vide* Nuptiæ. Velatio.
Sponsores in baptismo, 357. *Vide* Patrini.
Sputum in scrutiniis adhibitum, 366. *Vide* Aures, Catechumenus, Baptizandus, Scrutinium.
Statio, quid fuerit apud Veteres, 33. Collectæ et stationes, qui olim fieri solitæ, 604, 664.
Σταυροφάνεια, *i. e.* crucis manifestatio, 415.
Stella magis visa, non una fuit e multis; vel certe cursum præter cæterarum consuetudinem, tenuit, 302.
Stemma nunc dicitur quod olim diadema dicebatur, 592. Quid sit diadema, *ibid*. Stemma non est omnino quod diadema, *ibid*.
Stephanus (S.), cur sancti Matthiæ præponatur in posteriori parte canonis Missæ, 4, 290. Sanctus Stephanus additur sancto Andreæ in oratione *Libera nos*, etc., quæ sequitur Orationem Dominicam in Missa, 4. Nativitas sancti Stephani, et Missa ejus, 9, 391. Depositio reliquiarum sancti Stephani, 304. — Stephani (S.) episcopi et martyris natale, IV Nonas Augusti, 117, 705. Duæ Missæ assignantur, 705. — Stephanus papa Rhemis a Ludovico Pio imperatore receptus, variis Ecclesiæ ordinibus *Te Deum* canentibus, 583. — Stephani Tornacensis episcopi responsum, et opinio de forma baptismi, 354.
Sticarium est stricta tunica, 521.
Stola dicitur orarium, quo sacerdos ordinatur, Missam celebrat, ad communionem accedit, 503. Stolæ reductio in humerum dextrum presbyteri, 502.
Strabo. Ejus sententia de auctore libri Sacramentor., præfat. III.
Stramenta sunt tapetes qui substernuntur, 424. Cap. 55 reg. S. Benedicti, stramenta dicuntur lectorum, *ibid*.
Subdiaconi, quo Missæ loco ordinentur, 487. Distinctus olim subdiaconi habitus a diaconi, 525. Subdiaconus induitur tunica, diaconus dalmatica, *ibid*. Subdiaconus bigamus rejicitur inter ostiarios, aut lectores, ita ut Apostolum, aut Evangelium non legat, 491. Vetus mentio subdiaconorum fit in Ecclesia, 494. Ὑπηρέται, *id est* Ministri dicuntur subdiaconi, *ibid*. Subdiaconatus habebat olim locum inter minores ordines, *ibid*. Subdiaconatus non erat ordo sacer, *ibid*. Prohibebantur subdiaconi tangere vasa sacra, *ibid*. Subdiaconus non ordinatur per impositionem manuum, 221. 505. Ordinatur per porrectionem calicis vacui, et vacuæ patenæ, *ibid*. Olim non tradebatur subdiacono in sua ordinatione liber Epistolarum, 496. Non pertinebat ad eum legere in Missa, *ibid*. Subdiaconus injuste degradatus restituitur in gradum suum per patenam et calicem, 501. Subdiaconi apud Græcos ordinantur per manus impositionem, juxta constitutiones apostolicas, 521. 523. Est subdiaconi sacras fores, *id est* fores cancellorum sacrarii custodire, 523.
Subjacere biennio, significat esse in tertio pœnitentium gradu, in quo substernunt se episcopis manus sibi imponentibus, 473.
Sublevatio imperatoris in clypeo, 583.
Subsequens gratia dicitur gratia adjuvans, 318. *Vide* Gratia.
Substratio est tertius gradus pœnitentium, qui substernebant se, et capita supponebant episc. manibus, 461.
Substratorium est id quod alicui substernitur, 495. Telæ grossiores quæ substernuntur pallis altaris, dicuntur substratorium, seu substratoria, *ibid*.
Suessionensis Ecclesiæ ratio ungendi infirmi, 554. Suessionensis monasterii beatæ Mariæ Codex. Præfat. V.
Sufflatio ad faciendum catechumenum, 376. Triplex sufflatio episcopi, seu sacerdotis in benedictione aquæ baptismalis quid significet, 349.
Σύναξις, *id est* Collecta, Cœtus, Processio, Conventus, sunt voces synonymæ, 413.
Συντάσσεσθαι, *id est* profiteri se Christo serviturum et adhæsurum, 383.
Super oblata, cur dicatur oratio, et secreta, 294.
Superbia hominis duplex contra Deum, 368.
Superhumerale Græci dicunt ὠμοφόριον, 556. Sed hoc superhumerale, ut ex rationali quod ei infra annectitur, non est simile omophorio, *ibid*. *Vide* Omophorion.
Superpositio est abstinentia a cibo, die integra, 475. *Vide* Yperthesis.
Superstitio paganica in mortuorum sepultura, ubi crines sibi incidebant, genas laniabant, aut mulieres, quæ ista facerent, mercede conducebant, 469, 476.
Sursum corda : hæc verba præfationis Missæ sunt antiquæ institutionis, et apud Patres celeberrima, 279.
Susanna (S.), 121, 410.
Suscipere, *i. e.* colere, venerari, 416.
Σύστασις *id est* consistentia, quartus pœnitentium gradus, 461.
Suxurium, *id est* sessorium, 51, 69.
Sylvester (S.) papa instituit ut presbyter liniat chrismate levatum de aqua, 383. Patres, qui ante Sylvestrum locuti sunt de unctione chrismatis, de ea quæ fit in fronte ab episcopo sunt intelligendi, *ibid*. *Vide* Silvester.
Symbolum interpretatur indicium, vel signum, vel collatio, 364. Symbolum est veræ fidei integra et inconvulsa confessio, *ibid*. Quando et cur Symbolum tradatur catechumeno, *ibid*. Apostoli singuli proprias sententias conferentes, Symbolum, *id est* totius fidei collationem cur ediderint, *ibid*. In duodecim verbis duodecim apostolorum doctrina continetur, 365. Enarratio Symboli, *ibid*. Symbolum explicatum, et a baptizandis tenendum et intelligendum, *ibid*. Symbolum datur in Dominica Palmarum catechumenis competentibus, 378. Traditio symboli est mysteriorum quæ in eo continentur expositio, *ibid*. Symbolum dicitur ab apostolis compositum, *ibid*. Factis abrenuntiationibus baptizandus recitat Symbolum, secundum antiquam consuetudinem, 384. Dicitur Symbolum professio sanctæ Trinitatis, *ibid*. Recitatur Symbolum ante unctionem infirmi, 548. Symbolum Nicænum in Ecclesia Romana ante annum 1014 non cantabatur in Missa, 562. Fuit usus contrarius in Ecclesiis Græcorum veterum, *ibid*. Quæ fuerit hujus causa diversitatis, *ibid*. Hispani illud cantare cœperunt Recaredo regnante, *ibid*. In Missa Illyrici Symb. Nicænum, seu Constantin. cantatur post incensum offertorii, 574.
Symphorianus (S.) [seu Symphonianus, Symphronianus, Sympronianus], martyr, 139, 421, 608. Ejus officium, 819. *Vide* Timotheus (S.)
Synaxis. *Vide* Σύναξις.
Syriæ virgines tonsæ erant, 415.

T

Ταχυγράφος, *id est* velociter scribens, seu notarum compendiis scribens, 343.

Taddæi, seu Taduæi, seu Tatthæi, apost., fit mentio in canone Missæ, 3, 285. Thathæus per apheresim, quasi Mattathæus, vel Mattathias, formatur, 601. Taddæus Latine interpretatur laudans, seu confitens, *ibid.*

Tarvanæ urbis episcopus sanctus Audomarus, et sanctus Autbertus Camerac. Vedasti corpus transtulerunt, 418.

Te Deum laudamus, ex antiquo more cantatur in publicis gratiarum actionibus, 585. Illius meutio nulla ante sanctum Benedictum et Teridium sancti Cæsarii Arel. discipulum, 586.

Te igitur, etc. Hæc oratio mystica vocatur et secreta, 252, 577. Hæc oratio, cum verbis consecratoriis, olim in quibusdam locis, alta et clara voce proferebatur, 577.

Telesphorus papa vulgo fertur instituisse ut *Gloria in excelsis* in missa caneretur, 277.

Tempestatum immissores, qua pœna canonica mulctentur, 467. Hi a Latinis dicuntur tempestarii, et a Græcis Nephodioctæ, 472.

Templa Orientem ut plurimum spectant, 329. Judæi ad Occidentis regionem conversi, orant, 330. Templa paganorum ad Occidentem ut plurimum, erant Orienti obversa, 329. Priscorum Græcorum templa ad occidentem vergebant, 330. Templum chrismate perunctum in dedicatione, 430. *Vide* Dedicatio, Ecclesia, Basilica.

Tempora unguntur in extr. unct., 555.

Temporum quatuor jejunium primum olim non semper occurrebat prima hebdomada Quadragesimæ, 317. Nec jejunium quarti mensis cadebat semper in hebdomadam Pentecostes, 400. Denuntiatio jejuniorum quatuor temporum, 105. 402. Jejunium primi mensis olim cadebat in hebdomadam primam mensis Martii, 403. Jejunium quoque mensis quarti cadebat in hebdomadam secundam mensis Junii, *ibid.* A Gregorio VII et Urbano II hæc jejunia quatuor temporum fuerunt, ut nunc sunt, fixa, *ibid.* Feria quarta, sexta et Sabbato jejunetur usque ad horam nonam, *ibid.* *Vide* Jejunium.

Terminalia pagani olim vocabant festum Petræ, *id est* agrorum termini. Sub nomine dei Termini colebantur, 311.

Terræ motibus ineunte anno 1703. Roma et Italiæ pars maxima afflicta est, 211. Orationes a sanctissimo domino nostro Clemente papa XI compositæ contra istos terræ motus, *ibid.*

Terrenarum rerum fit mentio in canone Missæ, 281.

Tetras, *id est* quarta feria cujusque hebdomadæ, 470.

Theodericenses Codices, *præf.* IV.

Theodori (S.) mart. natale, 139, 712.

Theodorici regis edictum, in violatores sepulcrorum, 472.

Theodorus papa restituit consuetudinem cerei Paschalis benedicendi, 347. — Theodorus Judæus primo arena baptizatus, deinde aqua, circa annum sexcentesimum, 555.

Theodosius junior primus imperatorum Constantinop., solemni ritu a Proclo patriarcha coronatus est, 585.

Theodulphus Aurelianensis episcopus non composuit hymnum *Gloria laus*, etc., 319. Conjurationis in Ludovicum Pium imperatorem accusatus et condemnatus fuit, *ibid.* Huic et cæteris ejusdem criminis reis apud Theodonis Villam imperator pepercit, 320. Theodulphi ejusdem libellus de ordine baptismi, 362. Theodulphus longe abest ab hæresi Monophysitarum, 582.

Theodulus (S.), 693.

Theophania, *id est* Dei apparitio, 301. Theophaniorum sacri dies, *ibid.* Vigilia Theophaniæ jejunio caret, 302. *Vide* Epiphania.

Theophilus Alexandrinus patriarcha statuit de moribus et capacitate clericorum ordinandorum diligenter inquirendum esse, 497. Ejus facultas requiritur ad ordinationem Siderii Palebiscæ episcopi, 508. Ejus manus impositio necessaria ad ordinationem episcopi Olbiatis, *ibid.*

Theophronius Cappadox sectator Eunomii, 553. Auctor ipse, cum Eutychio, unicæ in baptismo mersionis, *ibid.*

Thesauri olim mortuis consepeliebantur, 472. *Vide* Sepulcr. violatores.

Thessalorum severior disciplina circa tempus baptismi, non probata, 399.

Thomas (S.) apostolus, 144. Ejus fit memoria in canone Missæ, 3. Officium ejus, 812.

Thomasius Gelasianum Codicem publicavit, præfat. III.

Thurificationis usus in Ecclesia est antiquus, 428.

Thymiama ad ingressum domus infirmi incensum, 543.

Tiberius imperator fuit coronatus ab Eutychio patriarcha Constantinop., 584.

Tiburtii (S.) natalis XVIII Kal. Maii. 85, 689. — Tiburtii (S.) martyris natale, III Idus Augusti, 121, 706, 815.

Tilius (Joannes) et Tiliana Bibliotheca. *Vide* Præfat.

Τιμή episcopatus, etc., *id est* honor, quo nomine Græci nuncupant tres præcipuos ordines, diaconatum, etc., 499.

Timor dum premit mentem, ne de præsentibus superbiat, de futuris illam spei refectione confortat, 372. Timor solus, sine aliis virtutibus, ad bonam actionem inutilis, *ibid.*

Timotheus Ælurus, Alexandriæ episcopus, in exsilium pulsus, 512. — Timotheus alter, civium Alexandrinorum calculis, in locum Æluri sufficitur, 512. — Timothei (S.) natalis, cujus festi duæ sunt Missæ, prior sancti Timothei, altera sancti Symphoriani, 412, 708.

Tinnibulum est vasculum ad invitandos filios Ecclesiæ præparatum, 146.

Tintinnabula in tunica pontificis, ad similitudinem sacerdotis Aaronici, 537.

Tituli dicuntur Ecclesiæ ad quas ordinantur clerici, 496. Dicuntur tituli cardinales Romæ, ad quos diaconi et presbyteri ordinantur, et quasi incardinantur, *id est* fixi statuuntur, *ibid.* Mos olim inoleverat ut nulli clerici ordinarentur, nisi ad certam Ecclesiam, martyrium, vel monasterium *ibid.*

Tonsura clericalis datur apud Græcos in ordinatione lectoris, 448. Mos est vetus Ecclesiæ Romanæ ut clericalis dignitas per comæ tonsuram tribuatur, *ibid.* Idque ante ullam ordinum susceptionem, *ibid.* Mos ille Græcorum non fuit universalis, quia pueri allecti sunt in clerum, qui lectores non erant, *ibid.* Tonsuræ ecclesiasticæ auctor fuit sanctus Petrus Apostolus, *ibid.* Quid significet tonsura clericalis, *ibid.* Hæc non est duplex, sed unica tonsura, 449. Antiqua sancti Petri et priscorum clericorum corona repræsentat coronam Christi spineam, *ibid.* *Vide* Clericalis dignitas, Corona cleric. — Tonsura comæ in morte parentum prohibetur, 469. Hæc erat paganorum, inter alias in funeribus superstitiones, fieri solita, 476. In lege duodecim tabularum hæc insania prohibetur, 477. Hæc capillorum rasura, luctus causa etiam apud Græcos fuit in usu, *ibid* *Vide* Ægypti. Ad capillaturam puerorum primo tondendam oratio specialis olim dicebatur, 231, 553. — Tondebantur virgines lapsæ pœnitentiam acturæ, 443. Virgo Romæ professa, cum venisset Bethlehem, ut morem gentis servaret, tonsa est, *ibid.* Si mulier, ob vitam monachicam tondeat comam, excommunicetur, *ibid.* In partibus Ægypti et Syriæ sanctimoniales tondebantur, *ibid.*

Torre ex ara rapto, in aquam immerso, pagani lustralem eam faciebant, 518.

Translationis sanctorum die, non ipsa translatio, sed dies depositionis olim celebrata est, 407, 418.

Trigami notati ab Ecclesia, et pœnis canonicis subditi, 476.

Trigesimus fructus, quid significet, 314. Nuptiarum dies trigesimus, a veteribus devote celebrabatur, 596. Numerus trigesimus sacer, 314.

Triginta (τὰ) refertur ad nuptias, sicut sexaginta ad viduas, 314.

Trinam baptizandus facit professionem, *id est* recitat Symbolum, 384. Trina immersio in baptismo, 552. In trino vocabulo unicam credimus Majestatem; ubi personæ non excluduntur, 6, 295.

Trinitatis (S.) professio dicitur Symbolum quod reddunt, *id est* recitant baptizandi, 384. De festo sanctissimæ Trinitatis celebrando olim fuit controversia, 401. Trinitatis præfatio, *ibid.* Dominici dies honori sanctissimæ Trinitatis deputati sunt, *ibid.* Cur consuerit olim Romana sedes nullum diem specialiter ascribendum solemnitati sanctæ Trinitatis, nec sanctæ Unitatis, *ibid.* Officium sanctissimæ Trinitatis ab Albino et Stephano Leodiensi compositum, 725. A sede apostolica fuit repudiatum, 401. Festum sanctissimæ Trinitatis olim celebratum postea intermissum, ac tandem a Romanis pontificibus instauratum, *ibid.*

Trisagium, quid sit; et qui distinguatur ab hymno victoriali et seraphico, 281. Trisagium non primum a Proclo Constantinopolitano institutum ut in sacra liturgia caneretur, *ibid.* Puer sub omnium conspectu in cœlum raptus, audivit ab angelis in cœlo hunc hymnum cantari, 282. Huic hymno Petrus Knapheus adjecit : *Qui crucifixus est pro nobis*, quartam inducens in Trinitate personam, *ibid.* Quædam Trisagio catholice addita verba a Calandione Antiocheno, *ibid.* Quæ non a multis Europæ provinciis, *ibid.*

Triumphus Christi crucem significat. 311.

Τροπάριον, *id est* versiculus, 570. Quando hunc Græci psallant : *Impleatur os meum laude*, *ibid.*

Tunica induuntur subdiaconi a pontifice dicente : *Stola jucunditatis*, etc., 496. Tunica quam alii dalmaticam appellant, induitur pontifex, 537. Hæc tunica gyris in tintinnabulis referta, 243.

Tunsio pectoris fieri solita ad vocem, Confiteor, 559. Tundere pectus est arguere quod latet pectore, *ibid.* Qui tundit pectus et non corrigitur, solidat peccata, non tollit, 560.

Turris usus erat ad sacrum ministerium deferendum, 151. Ipsum Christi corpus in turre gestari olim erat solitum, 152.

Tutoare, *id est* titubare, 476.

Typus quartanus et quotidianus significat formam seu regulam, qua febris quasi sibi præfixa hominem corripit, 616. Febres typicæ, febres erraticæ, *ibid.*

U

Umbilici unctio in extr. unct., 554.

Unctio sacerdotum, regum, et prophetarum in Veteri Testamento, 331, 515. Martyres uncti et confirmationis sacramento roborati, 331. Fuit vetus consuetudo, ut baptizati statim chrismate ungerentur in vertice a presbytero, 355. Quid hæc unctio significet, *ibid*. Unctio chrismatis in vertice non est confundenda cum unctione chrismatis in fronte, ab episcopo facienda, 385. Prima dicitur a Sylvestro papa instituta, *ibid*. Patres omnes qui ante Sylvestri papæ ætatem de unctione chrismatis scripserunt, de ea quæ fit in fronte sunt intelligendi. *ibid*. Patres Græci unctione quæ fit in vertice carentes, de ea quæ fit in fronte semper debent intelligi, *ibid*. Latini Patres aliquando de ea quæ fit in fronte, aliquando de ea quæ fit in vertice, aliquando etiam loquuntur de ea qua hæretici quidam reconciliantur, 385. Unctio in vertice non fiebat a presbytero, quando chrismatio in fronte præcesserat, *ibid*. Hoc fiebat ita quoties episcopus ipse baptizabat, quod frequentissime accidebat, *ibid*. Discrimen inter duas illas unctiones, frontis et verticis, 386. Hæc est cæremonia baptismi, illa est sacramentum a baptismo distinctum, 429. — Unctio duplex capitis in ordinatione episcopi, 516. Unctio quoque pollicis, *ibid*. Unguntur manus episcoporum in ordinatione, 515, 516. Unguntur manus presbyteri in ordinatione, 503. Ungitur etiam caput ejusdem presbyteri, *ibid*. Manus diaconorum olim in Gallia chrismate ungebantur in ordinatione, 501. In ordinationibus episcopi et presbyteri unctione carent Græci, 526. In his ordinationibus sanctus Dionysius nullam unctionis fecit mentionem, *ibid*. Unctio tamen in usu fuisse olim apud Græcos videtur, *ibid*. — Unctio Regum, 589. Reginarum, 593. Principum, *ibid* Unctio altaris, 429. Unctione chrismatis cruces perfunduntur in Dedicatione Ecclesiæ, 430. Unctio reliquiarum, quæ reconduntur in altari, apud Græcos, 436. Confessio etiam, *id est* locus in quo reliquiæ reconduntur, ex chrismate cruce signatur in quatuor angulis, *ibid*. Unctio extrema. *Vid*. Extrema unctio. Unctionis extremæ ritus ex Codice Ratoldi, 537. Ex Codice Tiliano, 540. Ex Codice monasterii sancti Remigii Rhemensis, 543. Ex Codice Ecclesiæ Suessionensis, 554.

Ungenda defunctorum corpora, more apud multos olim usitato, 483. Fuit alia defunctorum unctio inter ipsas exsequias, cum divinis hymnis decantatis, *ibid*. Cur hæc secunda unctio fieret, *ibid*. *Vide* Defuncti. Exsequiæ.

Unguenti alabastrum, quid significet, 366. Unguentum Græcorum ad confirmationem, 326.

Unguere, seu ungere pedes Jesu, quid sit, 366.

Ungulæ sunt instrumenta ferrea præcurva et acuta in modum unguis lacerandæ carni idonea, 477. Ungues, seu ungulæ, quarum est usus in torturis, seu quæstionibus, *ibid*. His martyres torquebantur a carnificibus, *ibid*. Dicuntur fidiculæ, quod findant, *ibid*. Erant bisulcæ seu bifidæ, *id est* duos mucrones habebant incurvos, *ibid*.

Urbani (S.) papæ et martyris natale, octavo Kal. Junii, 88, 393, 696. — Urbani papæ VIII jussu Apologia edita, 550. *Vide* Apologia.

Urceoli vacui porrectione ordinantur Acolythi, 494.

Usurarii quibus pœnis canonicis plectantur, 467, 474.

Uvæ maturæ benedicuntur, ex institutione Eutychiani papæ, 254, 410. Constantinopoli offeruntur uvæ in altari Ecclesiæ Blachernarum a patriarcha in die dormitionis sanctæ Mariæ, *ibid*.

V

Valentini hæresis, qui cœleste corpus Christo tribuebat, proscribitur, 299. — Valentini (S.) martyris natale, XVI Kal. Martii, 28, 310, 663.

Valeriæ (S.) natalis concurrit cum sancto Vitali; et Missa de pluribus martyribus, 391.

Valeriani (S.) martyris natale et Missa, 8, 689.

Vasa Ecclesiæ non licet, nisi pro redemptione captivorum frangere, 433. Vasa altaris servari solent in sacrario, seu secretario, *ibid*. In alio vase debent lavari pallæ altaris, in alio pallæ corporales, seu corporalia, 222, 495. Vas aquæ benedictæ ad fores Ecclesiæ, 348. Vasorum contactus in ordinationibus est necessarius, 509. Utrum et qualis esse debeat, *ibid*.

Vedasti (S.) natale, Kal. Octobris Atrebate, 418. Hic dies est translationis ejus, *ibid*. Hæc translatio facta est ex æde sanctæ Mariæ ad Nobiliacum monasterium, *ibid*. In Missa, non translationis, sed dies natalis celebratur, *ibid*. Sancti Vedasti natale VIII Idus Februarii, 309. Missa habetur de sancto Vedasto, VIII Idus Februarii, 418. Officium sancti Vedasti, 827. Translatio sancti Vedasti facta a sancto Autberto Cameraci episcopo et S. Audomaro Tervanensi episc., 418.

Vel, particula disjunctiva sæpe sumitur pro copulativa, etc., 284, 512, 427, 486.

Velamen, quo renatorum capita teguntur, quid significet, 370, 386.

Velata facie exorcizati, 377.

Velatio virginum solemnis, 441. Quid significet velatio virginis, *ibid*. Qua fiat virginis ætate, *ibid*. Qui velatio differat a virginis professione, *ibid*. Cur sponsæ in nuptiis velentur, 598. *Vide* Nuptiæ.

Velum olim ad cancellos chori, in quo stabant clerici, erat appensum, 435. Velum mysticum, 436.

Verbum abbreviatum per Isaiam prophetatum in Symbolo et Oratione Dominica plerique intelligi volunt, 365. Verbo divino assumente humanitatem, non est facta naturarum confusio in tertia, 382. Verbum assumpsisse hominem, qui intelligatur, *ibid*.

Versus τοῦ κοινωνικοῦ, quando a Græcis cantari solitus, 570. Versus post offerendam, quare dicantur, 582. Versi declinatorii, qui sint, 730. Cur ita vocentur, *ibid*.

Vertex, cur non ungatur infirmis, 553. In vertice presbyter baptizatum ungebat chrismate, 358, 361, 371. Hæc unctio omittebatur, cum episcopus baptizaverat, 385. Unctio in vertice instituta erat ob defectum episcopi, qui statim ungebat in fronte neophytum, quem baptizaverat, *ibid*.

Vesperæ feriæ quintæ in cœna Domini, quales, 333. In ipso choro genibus flexis omnes clerici, vel monachi privatim sub silentio vesperas recitant, 343. Sabbatum sanctum non habet vesperas, 388. In Codice Ratoldi, tales sunt hujus diei vesperæ, quales nunc in Breviario Romano, 339. Vespertina synaxis inclusa in Missa in cœna Domini et in Sabbato sancto, 334.

Vestiarium est locus vestimentis recondendis idoneus, 581. Sed proprie in quo custodiuntur regis, vel imperatoris vestimenta, *ibid*. Vestiarium Ecclesiæ est sacrarium, seu secretarium, in quo vasa sacra et sacræ Ecclesiæ vestes reconduntur, *ibid*.

Vestis honor non commendat pontificalem gloriam, 514. Vestis virginum nigra, 167, 440. Vestes apud Romanos sunt indumenta, 581. Basilica sancti Joannis Romæ, cur dicatur sanctus Joannes ad Vestem, 730, 731. Vestibus pretiosis induta corpora defunctorum, 483. Vestes sacræ, 311, 556. Ad vestem, *id est* ad locum in quo baptizandi vestem deponebant, aut baptizati vestem albam induebant, 785.

Vetula aut cervolo facere non licet, kal. Januarii, 472. In vetula vadere, quid sit. *Vide* Cervulus.

Viaticum olim dabatur infirmis post extremam unctionem, 257, 536. Tria sacramenta, pœnitentiæ, extremæ unctionis et Eucharistiæ infirmis simul conferebantur, 536. Præter formulam confessionis ab infirmo dicendam, præmittebat infirmus secretam omnium, et cum circumstantiis in particulari peccatorum, 553. Ob imminens periculum mortis corpus sanguini intinctum ægroto porrigebatur, 554. Qui corpus Christi deglutire non valebant, solo sanguinis haustu, communicabant, *ib*. Tertia pars hostiæ consecratæ reservatur ad viaticum pro ægrotis periclitantibus, 583.

Victor (S.), 416. *Vide* Mauricius (S).

Victorinus (S.), martyr, 139, 420. *Vide* Quatuor Coronati.

Viduæ, pro quibus solemniter oratur in Parasceve, sunt viduitatem solemni ritu professæ, 63, 322. Ritus professionis viduæ, et induendi eam, 440.

Viennæ calamitates, propter quas S. Mamertus Rogationes instituit, 395.

Vigilia alia dicitur ad nonam, *id est* pervigilium, alia vigilia nocturna, 293. Vigilia duplex in festo sanctorum apostolorum Petri et Pauli, prima in initio noctis, secunda in maturitate, *id est* media nocte, 405. Vigilia festi sanctorum Gervasii et Protasii, 108, 760. Vigilia sancti Remigii, 417. Vigiliæ nocturnæ in veteri basilica ante novam dedicationem, 423.

Vincentii (S.) martyris natale, et Missa, XI Kal. Februarii, 21, 663.

Vincentius Victor arguitur, quod membra corporea asserendo tropice de Deo, animæ hominis proprie tribuebat, corpoream eam asserendo, 382.

Vinum in calice non consecratum, qui sanctificetur per species panis consecrati, admistas, 341. Vinum de Græco, de pactis, de procantu, de procoma, quid sit, 786.

Vir superstes viginti uxoribus, ducit uxorem mulierem viginti duo viris superstitem, 476.

Virgæ traditio a sceptri porrectione distinguitur in coronatione regum Francorum, 592. Virga est quæ dicitur manus justitiæ, *ibid*. *Vide* Manus justitiæ.

Virgines, pro quibus solemniter oratur in Parasceve, sunt devotæ Deo, seu professæ virginitatem, 63, 322. Postquam virgo Christus de Maria virgine prodiit, jam Virginis partu victa est libido, 439. Virgines Deo sacrari, antiquus mos est Christianorum, 440. Episcopi est virgines consecrare, *ibid*., 167. Presbyter, inconsulto episcopo, virgines non consecret, *ibid*. Quibus diebus virgines consecrari jubeantur, *ibid*. Olim virgines Deo sacratæ pulla veste induebantur, *ibid*., 167. Velatio virginis, qua ætate fiat, 441. Professio virginitatis, quo fiat anno ætatis, *ibid*. Olim virgines Deo sacræ solemni ritu velabantur, *ibid*., 168. Velatio virginis est consecratio ejus, et strictissima cum Christo sponso conjunctio, *ibid*. Votum virginitatis et veli susceptio

distinguuntur, *ibid*. Mitram quasi coronam virginalis gloriæ præferat in vertice, 412. Mitra est pileum phrygium caput protegens, quale est ornamentum capitis devotarum, *ibid*. Virginum crines sparsi, et soluti erant instar sponsarum, *ibid*. Virgini lapsæ injungitur in pœnitentiam crinium tonsio, juxta priscum morem, 443. Virgo Romæ professa, cum venisset Bethlehem, tonsa est, ut morem gentis servaret, *ibid*. In partibus Ægypti et Syriæ olim sanctimoniales, seu virgines, seu viduæ tondebantur, *ibid*. Postea apud Latinos et Græcos tonsio sanctimonialium venit in usum, *ibid*.

Visitatio seu unctio infirmorum, quæ extrema unctio dicitur, est ultimum Christianæ legis sacramentum, 532. Ejus effectus, *ibid*. Maxima fuit olim Christianorum cura visitandi infirmos, *ibid*. Ritus visitationis infirmorum, 232, 532. Orationes dici olim solitæ in visitatione infirmorum, 235, 533. Quantam olim sacerdotes curam gererent circa infirmos, 536, 537. *Vide* Infirmi, Extrema unctio.

Vitalis (S.) martyris natale, IV Kal. Martii, 85, 391, 693. Decimo sexto Kal. Martii natalis sancti Vitalis, 28, 310. — Vitalis (S.) unus ex sociis sancti Mauricii, 416, 417. *Vide* Mauricius (S.).

Viti (S.) natalis XVII Kal. Julii, 402.

Vitta nubentium, quid signif., 598.

Vivat rex! Hæc acclamatio fieri solita in coronatione regis, 591. In sublimatione Salomonis in regnum Judæorum facta est, *ibid*. In coronatione Justini minoris, Philippi Augusti, et aliorum legitur facta, *ibid*.

Vivificas (τὸ) in canone, *id est* panem inanimatum convertis in corpus Christi vivum, 290.

Voconium Castellani Mauritaniæ oppidi episcopum quidam faciunt auctorem orationis a qua canon Missæ incipit: Te igitur, etc., 283.

Vota sua, quid in canone significent, 284. Vota sunt sacræ preces, etiam apud ethnicos, 285. Votum, *id est* desiderium et voluntas, 167, 441. Votum, oratio sacra et divina, 231, 531.

Votiva dona dicuntur, sacramenta corporis et sanguinis Christi, 12, 300, 317. Votiva martyria, *id est* devota, Deo oblata et consecrata, 410. Devotus, *id est* promptus, et alacris ad Dei cultum, dicitur votivus, 439.

Walafridus Strabo. *Vide* Strabo.

X

Xistus Pythagoricus. *Vide* Sixtus.

Y

Ὑπαπαντή, seu Ὑπαντή, *id est* occursus, quo nomine appellatur Purificatio beatæ Mariæ Virginis, 306.

Ὑπηρέται, *id est* ministri, qui dicuntur subdiaconi, 494.

Ὑπέρθεσις, *id est* superpositio, est abstinentia a cibo die solido et integro, 475. Est etiam superpositio jejunii, superadditio, et dilatatio, *ibid*.

Ὑπερτιθέναι, *id est* superponere, et jejunium jejunio superaddere, 475.

Ὑπόπτωσις *id est* substratio, tertius pœnitentium gradus, 461.

Z

Zenonis ((S.) natale, XVI Kal. Martii, 28, 310.

Zosimo papæ tribuitur præconium Paschale in benedictione cerei solitum cantari, 344, 347.

Zotici (S.) natale, quarto idus Februarii, 310.

INDEX

IN COMMENTARIUM PRÆVIUM ANTE ORDINES ROMANOS HABITUM.

Numeri respondent his qui litteris expressi et uncinis inclusi reperiuntur in textu a col. 851 *hujus vol. usque ad* 936.

Abundantius acolythus regionis quartæ tit. Vestinæ, XVIII.

Acolythorum ordinatio, CIV, CV, CVI. Acolythorum quot genera Romæ, XVIII, XIX; ad titulum ordinati, *ibid*. Acolythus ne baptizet cum diacono, sed subdiaconus, C. Acolythi sacramentorum portitores, XXXIX. Acolythi sacculos oblatis consecratis plenos deferentes, LIV, LV.

Adoratio Eucharistiæ ante Berengarium, LXVI. Ador. hostiæ in Missa, XLIX.

Adriani papæ responsio ad monachos Corbeienses, CII. Adrianus primus legendarum Romæ martyrum passionum auctor, CXXVIII.

Agnus Dei in Missa, post communionem cantatus, LIV; in communione, *ibid*. *et seq*. Agni oblatio cum corpore Christi, XCIX.

Agobardus in Amalarium, III, IV.

Alexandri Alensis locus de communione sub unica specie, LXI.

Alexandrinus episcopus solus populum docet, XLIII; ad Evangelium non assurgit, *ibid*.

Alleluia quando in Missa dicendum, XLI, XLII. *Alleluia* solemne in Sabbato Paschæ, XCVII, XCVIII. in Quadragesima et Missis defunctorum, *ibid*.

Altare Lateranensis ecclesiæ cavum, LXVII, LXVIII. Ad cornu altaris communicantes confirmati, LVIII. Altaria septem Romæ celebrata Sabbato Paschæ, C.

Amalarius Lugdunensis chorepiscopus et abbas, III, *et seqq*. Ejus libri vindicantur, *ibid*. Amalarii loco insignes explicantur, LXXXI, LXXXII, etc.

Ambones veteres, ab odeis hodiernis diversi, XXI; eorum forma, *ibid*., numerus, XXV.

Ambrosianus cantus in Ecclesia Casinensi quando desierit, CXXVIII.

Amulæ vini a diaconis receptæ in Missa, XLIV, XLV.

Antiphonarius liber, III, IV.

Arausicanus canon explicatus, CXXXIX.

Archipresbyter, ordinatione primus inter presbyteros, XVI.

Arnoldus ex comite monachus Ratisponæ, XX.

Atrebatensis Ecclesiæ ordo, CXLV.

Augustini Picolominei episcopi Pientini opus de sacris cæremoniis, VI, X.

Baptismi ritus, XCV, *et seqq*. XCIX, Baptismi ministri etiam diaconi, XCVI.

Baptizatorum susceptores, XCVI.

Basilicarum Romæ numerus sæculo tertio, XII, XIII.

Bedæ locus de cereo paschali, CI.

Benedictio episcopalis in Missa ante *Agnus Dei*, LII. Benedictionale male assutum novæ Gregorii papæ Editioni, LII. Additionis hujus auctor Grimoldus abbas, CXLVII.

Benedictus basilicæ sancti Petri canonicus et cæremoniarius, IX, XXXII, etc.

Bernardi abbatis sententia de vino per contactum corporis Dominici sacro, non consecrato, XC.

Brandea, panni apostolorum Petri et Pauli sepulcro immissi, CXXXIII.

Bulla cardinali celebraturo ad altare sancti Petri necessaria, CXXXVII.

Calices majores et ministeriales seu scyphi in Missa, XLV, LVII. Calix ansatus, XLIX, campanulis instructus, L. Calix sanctificatur ex contactu particulæ consecratæ, LXXVI *et seqq*. Calicis duplex refusio ad populi communionem, LVIII, LIX. Calix communionis, traditionis tessera, LXI.

Cambuta seu baculo pastorali non utuntur Romani pontifices, nec episcopi cardinales Romæ, CXXIV.

Cameracensis ecclesiæ ordo, CXLV.

Campanæ pulsatæ in consecratione hostiæ, XLIX, L.

Candelabrum lapideum operis tessellati ambonibus adjunctum, XXV.

Canon Missæ quando incœptus, XLIV, XLVIII. dictus submissa voce, *ibid*.

Capsa vas Eucharistiæ portatile, CXXXIX. Turris dicta, CXL.

Cardinali ad altare sancti Petri sacra facturo necessaria bulla, CXXXVII, ad cancellos appensa, *ibid*. Cardinalium in episcopos imperium, X, XI. Cardinales ad solos devoluta pontificis creatio, CXV.

Carolo Magno concessa facultas eligendi pontificem, et ordinandi apostolicam sedem, CXIII. Caroli V imperatoris communio coram papa, LXIII.

Carthusianorum prostratio in Missa, L.

Cassander Ordinis Romani Editor, V.

Catabarbara patricia, seu sancti Stephani minoris Romæ monast., XXVIII.

Catafarfara, seu Catagalla patricia et sancti Stephani majoris Romæ monasterium, XXVIII.

Cataractæ seu fenestella duplex in confessione sancti Petri, CXXXIII.

Cencii de Sabellis cardinalis liber Rituum, III, IX, X.

Cerei paschalis benedictio duplex, CI. Cereo paschali inscriptus annus passionis, CI.

Christophori Marcelli archiepiscopi Corcyrensis rituum libri vexati, V *et seqq*.

Chrysogoni (S.) ecclesiæ abbas et monachi, XXVII.

Ciborium altaris dictum propitiatorium et umbraculum, XXII.

Clementis (S.) ecclesiæ Romanæ ichnographia, XXIV *et seqq*.

Clericorum Romæ collegia fere nulla ante sæculum nonum, XXVII.

Cœmeteria, ecclesiæ supra martyrum corpora erectæ, XVI.

Collecta ad stationes ineundas, XXXI, XXXII. Unde sic dictæ orationes, *ibid*. et XXXIII.

Communionis in Missa ritus, LI *et seqq*. Communio ab episcopis stantibus, a genuflexis presbyteris percepta, LVIII. Communio laicorum non ex puro sanguine, LXI, LXII. Communio ad cancellos, CXXXVIII. Communio paschalis absque licentia episcopi de manu papæ, CXXIX. Communio percepta cum osculo et pace, LVI. Communio absque sanguine Domini die Parasceves, LXIX, cum sanguine seu vino consecrato, LXXIV, LXXV. Communio sub utraque specie data imperatori et regi, LXII; principibus, *ibid*.; non tamen Frederico imperatori, LXIII. Communio laicorum sub utraque specie quando desiit, LXI *et seqq*., XC, XCI, CXXIX. Communio infantium, XCVIII. Communio parvulorum ex solo haustu sanguinis, C. Communio dicta antiphona, cum fideles communic., CXLV.

Confessio sub altari, XXI, XXV. Confessio sancti Petri Romæ, CXXXI, CXXXII. Martyrium apud Græcos, *ibid*. Unde sic dicta apud Romanos, *ibid*. *et seqq*. Descriptio ejus, CXXXII.

Confirmari, Dominicum sanguinem accipere, LVI, LXX *et seqq*.

Confirmationis sacramentum post baptismum, non ut baptismi appendix, XCVI, XCVII.

Consecrare, simul sacrare, LV.
Consecratio vini fitne per contactum hostiæ jam consecratæ, LXXVI *et seqq.*
Continentiæ votum diacono præscriptum, CVI.
Convivatori cum pontifice, invitati et descripti in Missa, LIV.
Cornelii papæ ad Fabium epist., XII.
Corpora fidelium a paganorum cadaveribus discreti in locis posita, CXXX.
Crux et vasa sacra in supplicationibus delata, XXXIII, XXXIV. Crucis adoratio in Parasceve, LXXI, LXXII.
Curules duæ pontificæ, CXXXII, CXXXIII.
Cypriani locus insignis de Romani pontificis electione, CXI. de fidelium sepulcris, CXXX.

Decanicæ ecclesiæ Romæ quid, XII.
Diaconi ordinatio, CVI. Ne cantorum exerceat officium, *ibid.* Diaconi antiquitus ministri baptismi, XCVI, C. Diaconorum munus calicem præbere communicaturis. LVII, LVIII, LIX. Diaconorum in presbyteros officia, tum superbia XLII. Diaconi, non suscepto presbyterio Romani pontifices, CXIX. CXX. Alii in episcopos electi per saltum ordinati, CVII, CVIII. Diaconi in Parasceve corpus dominicum portabant, LXXI. Diaconi Romæ septem regionarii nec plures tempore Sozomeni, XVI, XVII, XVIII. Eorum subscriptionis ordo, *ibid.* Diaconi palatini Romæ, XVIII. Diaconi cardinales sub utraque specie communicati ab Urbano II, LVII. Diaconus ad austrum conversus canit Evang., CXLII, CXLIV.
Diaconiæ, ecclesiæ Romæ, XII, XVI *et seqq.* Diaconiæ pater, XVII.
Dionysianis diacono et subdiacono permissa communio sub utraque specie, LVIII, LXIV.
Dominica oratio sola in officiis ecclesiæ Lateranensis adhibita, CXXIX. Dominica mediana quæ, CXXVI, CXXVII.
Dominicis diebus Missa mane dicta, CXLV.
Dominicum corpus, *corpus et sanguis Domini* dictum, LXXI.
Domni denominatio papæ data, CXXIV.

Ecclesiæ arcani ritus an proferendi in lucem, VI, VII. Ecclesia rituum varietate decoratur, CXLI, CXLII. Ecclesia publica civitatis a *titulis* distincta, CXLVI. Ecclesiarum Romanarum veterum forma, XXI *et seqq.* Ecclesiarum ruralium ad principem ecclesiam accessus, XXXI.
Egistus imperialis a secretis, XXIX.
Eleemosyna solemniter a Pontifice data Sabbato ante Palmas, LXIV, LXV.
Elevatio corporis et calicis in Missa quando cœpta, XLIX.
Episcoporum ordinationes, CVII ; per saltum, *ibid.* et CVIII; an ab uno Romano pontifice seclusis aliis episcopis, *ibid.* Episcopi stantes, presbyteri genuflexi communionem accipiunt, LVIII. Episcopi papæ suffraganei, hebdomadarii in Lateranensi ecclesia, XXIX, XXX. Episcoporum in cardinales vilia servitia, X, XI. Episcopus in Romanum pontificem ieligi non potest, CXIX.
Ernulfi Roffensis episc. locus, XCIV.
Eucharistia, dicitur *Sancta* in plurali, XXXVII. Initio missæ ex priore sacrificio allata, *ibid.* Eucharistia sumpta solo haustu sanguinis, C. Eucharistia reservata in conditorio, XXXVI. Duplex ejus particula in calicem missa, XXXVI, XXXVII, LI, LV, dicta fermentum, XXXVIII. Quomodo asservata apud Romanos, CXXXIX. Eucharistia in capsa initio Missæ ad altare delata, CXL, CXLII; delata in processione Palmarum, LXVI; aliis diebus, LXVII. Eucharistia in Italia nusquam suspensa, CXL. A presbyteris et diaconis manu, a subdiaconis ore percepta, LVIII; olim omnibus in manu tradita, LIX; in sacculis delata ab acolythis, XXXIX, CV. Eucharistiæ intinctio, XCIV; non probatur, LXII. Eucharistiæ vas fixum conditorium, cophinum et armarium; portatile capsa dictum, CXXXIX. Turris, CXL.
Evangelia super caput electi pontificis a quo teneri solita, CXVII. Evangelium in feretro delatum Dominica Palmarum, LXVI. Evangelium diaconus canit ad Austrum conversus, CXLIV. Evangelium dum dicitur, curvi stent sacerdotes, XLII.

Februario mense vel in Quadragesima factæ ordinationes, CIII.
Fenestella duplex in tumulo sancti Petri, CXXXII, CXXXIII.
Fermentum ab Innocentio memoratum est Eucharistia, VIII, XVI, XXXVII, XXXVIII; quando mitti desuetum, XL. Fermentum in consistorio Lateranensi datum quid? LXV.
Fistula seu calamo haustus Christi sanguis, LXX, CXXIX.
Flabellum ad muscas abigendas in Missa, XLVII.
Flaviæ filiæ Xanthippi donatio, XXIX.
Flavius Annius Fularius Epiphanius præfectus Urbis, XXIII.
Flori dicta adversus Amalarium discutiuntur, III, IV, V.

Galliarum universalis Ecclesia, XLIII.
Gallicanarum Ecclesiarum sententiæ variæ de consecratione vini per hostiæ consecratæ permistionem, LXXXV, LXXXVI.
Gloria in excelsis a solis episcopis. non preshyt. decantatum in Missa, XLI,
Goffridus abbas Vindocinensis, IX.
Græcorum sententia de vino per corporis Dominici contactum sanctificato, LXXXIX.
Gregorii papæ I loci insignes, XVI, XIX, XX, XXVIII, XXXII, XLI, XLIII, XLVIII, L, LI, LII, etc.
Gregorius (S.) stationum ordinator, XXXII. Gregorii sept. et Gelasii secundi consecratio, CXX. Gregorii decimi Cæremoniale, IX. Gregorii Turonensis locus de confessione sancti Petri Romæ, CXXXII. de analogio, XXI. Gregorius Optius numeri militum, XXIX.
Guillelmi de Campellis locus de communione sub utraque specie, LXI. Guillelmus de Linwode officialis Cantuar., LVIII. Guillel. Durandi locus insignis, XCI.

Helmodus abbas, LXXXIX.
Henrici Valesii observatio de Romanarum basilicarum numero, XII.
Hittorpius Ordinis Rom. Editor, V, IX.
Honorii monasterium prope Lateranum, XXVIII.
Hostiæ elevatio in Missa quando facta, XLIX; adoratio, *ib.*; cum prostratione, L.
Hymni in Ecclesia Romana an illi antiquitus, CXXVII. Hymnus angelicus a pontifice ad populum converso cantatus, CXLIV, CXLVI.

Illyrici Missa non adeo antiqua, CXLVI. Romana est variis orationibus interpolata, CXLVI.
Imagines ex regularibus pendentes, CXXXVIII.
Imperatoris ensis de corpore sancti Petri sumptus, CXXXIV.
Inclinati tempore canonis episcopi, presbyteri, etc., XLIX.
Infantium a pontifice baptizari solitorum numerus, XCV.
Innocentii papæ primi sententia de pace in missa danda, XLVII.
Intinctio eucharistiæ, XCIV.
Irenæ ducæ typicum, XLVI.

Jacobi a Vitriaco locus insignis, XC.
Jacobus cardinalis auctor Vitæ Cœlestini V, CXXIII.—Jacobus cardinalis sancti Clementis Bonifacii IX nepos, XXIV. — Jacobi Gaietani Cæremoniale, IX, loci, XXXVII *et seqq.*
Jejunium ad vesperam Sabbati vel mane diei sequentis ad ordinationes requisitum, CIII, CIV.
Joannis et Pauli (SS.) Romæ monasterium, XXVIII. Joannis diaconi locus de oblatione, XCVIII; alius de VII altarium celebratione, C. — Joannis diaconi historia Lateranensis, IX.—Joannis Beleti locus insignis, XCI. Joanni Normanniæ duci et ejus uxori concessa communio sub utraque specie, LXII.
Joseph Maria Thomasius, IV, IX *et seqq.*

Kyrie, eleison multoties repetitum in Missa, XLI ; item in supplicationibus absque sanctorum invocationibus, XXXIV.

Lac et mel in calicem missa et cum vino oblata, XCVIII, XCIX. Eorum benedictio, *ibid.*
Lanfranci statutornm locus, LXVI.
Lateranensis ecclesia ex apostolica institutione sola Oratione Dominica utitur in officiis, CXXIX. Antiquum solat tenet officium, *ibid.* Lateranensis ecclesiæ altare cavum, LXVII, LXVIII. Lateranensis ecclesiæ septem episcopi hebdomadarii, XXIX. Lateranensis ecclesiæ diaconi palatini septem, XVIII. Lateranensis ecclesiæ abbates et monachi. XXVIII.
Laudes ad auroram semper inceptæ XXX.
Laurentii (S.) extra muros monasterium, XXIX.
Lectiones ad nutum præsidentium in vigiliis protractæ, CXXVIII.
Leo papa primus sermonem in Missa primus pontificum an habuit, XLIII, XLIV. Leonis X inthronizatio, CXXIII.
Libri sancti, dicti Codices sacramentorum, L.
Litaniæ dictæ processiones, XXXIV. *Kyrie, eleison, ibid.* Litania septena, CXV, XCVII.
Loti pauperum pedes Sabbato ante palmas, LXV.

Mansionarii seu custodes ecclesiarum, XXVII.
Marcellus papa an titulorum in Urbe constitutor, XVI.
Mariæ (S.) Majoris ecclesia et monasterium, XXIX.
Martyria, seu basilicæ martyrum, titulis accensita, XVI.
Matuta, aurora, XXX.
Mediana hebdomada Quadragesimæ, CIV, CXXVI, CXXVII.
Meniana, cancelli, CXXXVII. Meniatus chorus, CXXVIII.
Micrologus de ordine Romano, III, V; an Joannes et episcopus, *ibid.*—Micrologi locus de intinctione corporis Domini, etc., LXXXIV, LXXXV. Alii XXXII, XXXIII, etc.
Missæ pontificiæ ritus singulares, XXXV *et seqq.* Missam celebrans pontifex confirmatur a diacono. LVI. Missæ in titularibus et aliis Ecclesiis dici solitæ, XVI. Missæ plures in ejusdem basilicæ diversis altaribus uno die celebratæ, XLVI. Missæ plures eodem die eodem in loco celebratæ, LX. An ab eodem sacerdote, *ibid.* Missa præsanctificatorum an antiqua, LXXIV *et seqq.* Missa Illyriciana, CXLVI.
Momentana seu statera cur ponderati panni ad sepulcrum sancti Petri, CXXXIII; item ad sancti Martini, CXXXIV.
Monachi in ecclesia Lateranensi divina pendunt officia, XXVIII; item in Vaticana quaterni eorum chori, *ibid.*
Mortuorum illustrium corpora in locis sublimibus posita, CXXX.
Mozarabum Missalis verba de consecratione vini per commistionem corporis Domini, LXXXVII, LXXXVIII.

Mysteria consulto tecta a pontif., XLVII.
Nicolaus abbas Panormitanus, LVIII.
Nomenculatorum officium, LIV.
Notarii S. R. E. stationum, prædicatores, XXXIII.
Nudis pedibus instituta processio, LXXIII.

Oblata episcopo et presbytero in ordinatione data in multos dies, XXXIX.
Oblationes ab omnibus factæ in Missa, XLIV, XLV.
Oderisius monachus diaconus ecclesiæ Lateranensis, XX.
Officialis libellus, III, IV.
Onufrius Panvin. in Rituales lib., II, III.
Optati locus insignis de Macrobio Donatista. CXXXII.
Optius seu Optio, militum præf., XXIX.
Oraria ordinandorum ex tumulo sancti Petri sumpta, CXXXIII.
Oratio Dominica in Missa, L. Ab omni populo apud Græcos, a solio sacerdote apud Latinos dicta, LI. Oratione Dominica an consecratur corpus et sanguis Domini, LXXXII, LXXXIII. Oratio post communionem a sacerdote ad altare converso cantata, CXLVI, CXLVI.
Oratoria Romæ duplicis generis, XIX; dedicatorum conditiones, *ibid*. Oratorii presbyter cardinalis, *ibid*.
Ordinationum sacrarum in Ecclesia Romana ritus, CII *et seqq*. Ordinationes per saltum, CVIII *et seqq*.
Ordinis Romani dignitas, II. Antiquitas, VIII *et seqq*.
Osculum in porrectione Eucharistiæ datum, LVI.
Ostiensis episcopus an seclusis aliis Romanum pontificem ordinarit, CXVIII.

Pallia pro archiepiscopis de corpore sancti Petri sumpta CXXXIII.
Palliolum sepulcro sancti Petri immissum cur et quo ritu, CXXXI, CXXXIII.
Pammachii titulus sanctorum Joannis et Pauli dictus, XV.
Pandulfi loci insignes, CXX, CXXII.
Panni, sanctuaria et brandea apostolorum Petri et Pauli, CXXXIII.
Panum in Missa oblatorum forma, XLIV, XLV; confectio, *ibid*.
Papæ electio varia et ordinatio, CIX et *seqq*. Papa e calceatus in processione Parasceves, LXXIII. Papæ lintea sedes, XXII. Papæ rubra cappa, CXXII. *Vide* Pontifex.
Parasceves ritus, LXXI *et seqq*.
Paratorium, theca vasorum, LIX.
Paridis de Crassis diarium, CXXIII, CXXIV; adversus electum Corcyrensem expostulatio, V *et seqq*. Paris de Crassis notatus, CXLIII.
Parochiæ distinctæ titulis, XXXVIII; ecclesiæ rurales seu suburbanæ, *ibid*.
Parochiani clerici, XIX.
Paschalis II papæ creatio, CXXII.
Patenæ communic. amplissimæ, LV.
Patriarchales eccl. Rom. quinque, XII.
Pauli (S.) Romæ basilica et monasterium, XXVIII, XXIV.
Pax quando danda in Missa, XLVII, LII, LIII. — Pax et osculum data communicantibus, LVI.
Peccatorum expiatio per sacramentum pœnitentiæ ad confessionem sancti Petri, CXXXIV.
Pectoralia et pogium dicti cancelli, CXXXVII.
Peregrini ad confessionem sancti Petri non admissi ante fidei suæ professionem, CXXXI.
Petri (S.) Romæ confessio, CXXXI *et seqq*. — Petri Amelii episcopi Senogalliensis liber Cæremoniarum, IX. — Petri Damiani locus insignis de sacramento pœnitentiæ super tumulum sancti Petri, CXXXIV. — Petri Mallii de Vaticana ecclesia liber, X.
Pictavensis Ecclesia post orationem Dominicam nullas addit in officiis collectas, CXXIX.
Pileus de Prato card. et archiep. Ravenn., CXXIII.
Planeta et orario vestitur ordinandus acolythus, CV. Planetis ornati sacerdotes in collectis, XXXIII.
Pœnitentes reconciliati in Cœna Domini, LXX, LXXIV.
Pogium et pectoralia dicti cancelli, CXXXVII. Pogium, ambon, CXXXVII.
Polycarpo Romæ data facultas ab Aniceto sacra faciendi, CXXXII.
Pontifex sacris operans a diacono confirmatur, LVI. Pontificis incensatio, CXXVIII, CXXIX, Pontificis communio ad altare, sæpius ad sedem, LVII, LVIII. *Vide* Papa.
Precis nomen Missæ canoni tributum, XLVII, XLVIII.
Presbyter cardinis, parochus, XX.
Presbyteri *Gloria in excelsis* hymnum solo die Paschatis dicant in Missa, XLI. Presbyteri simul cum episcopo verbis et manu immolationem conficiunt, LIII. Presbyteri Romæ titulares qui Romanæ synodo anni 499 subscripserunt, XIII *et seqq*. Plures eodem titulo donati, *ibid*.
Presbyteria, munera in senatum et populum erogata, XXXIV, CXVII.
Procancellarii, eleemosynarum erogatores, LXV.
Processus generales seu excommunicationes in Cœna Domini, LXX.
Prostratio in elevatione corp. Do., L.
Pulpitum, tribunal ecclesiæ, pogia seu ambones et lectoria, XXI.

Quadragesimali tempore quinta feria festiva, XXXII.

Rainerius abbas Abelensis, LXI.
Regiæ portæ, imo et valvæ et cancelli, XXI, CXXXVI, CXXXVII.
Regionarii diaconi, XVII.
Regiones ecclesiasticæ Romanæ urbis, XI *et seqq*., XVIII.
Regulares, quibus imposita vela, quid, CXXXVI, CXXXVIII.
Ritus antiqui novisne præferendi semper, CXLI. Eorum diversitas unitati Ecclesiæ non officit, *ibid*., CXLII.
Rivensis Missalis locus insignis, C.
Roberti Pulli cardin. locus de communione sub unica specie, LXI, LXII.
Romanæ Ecclesiæ officium divinum, XXVII, XXX.—Romanæ Ecclesiæ pontificis an privilegium est episcopos absque sociis episcopis ordinandi, CVII, CVIII. — Romanæ Ecclesiæ diaconi cæteris honorabiliores, cur, XLII. Romanarum ecclesiarum veterum typus, XXI *et seqq*. — Romanæ urbis septem regiones ecclesiasticæ, XI *et seqq*.; ecclesiæ, *ibid*. Romani pontifi. varia creatio, CIX *et seqq*.; consecratio, CXVI *et seqq*.
Rugæ quid, XXI, CXXXV *et seqq*. Rugæ majores et minores, *ibid*.; portæ et porticellæ, *ibid*.

Sabbati sancti ritus, XCV *et seqq*. Sabbati jejunium apud Romanos, CXXV; an prætermissa ab illis hac die mysteria, *ibid*., CXXVI Sabbato ante palmas eleemosyna data, LXIV, LXV.
Sabbatina forma pauperum, LXV.
Saccellarius, thesaurarius, LIV.
Sacculi oblatis consecratis pleni ab acolythis delati, LIV, LV. Sacculus acolytho traditus in ordinatione, XXXIX. Pro e cipiendis oblationibus, et deferenda Eucharistia, CV.
Sacerdotes curvi stent ad Evangelium, XLII.
Sacramenta dicta consecratio corporis et sanguinis Domini dicl, L *et* LI.
Salmasii meditata lucubr. de ritib., II.
Salutatio pontificis post Missam, LVIII. — Salutatio geminata initio et fine concionis episcopalis, XLIV. Angelica initio præmissa quando incœpit, *ibid*.
Sancta in plurali pro Eucharistia, XXXVI *et seqq*.; ex priore sacrificio partim reservata et pontifici initio Missæ oblata, *ibid*. *et seqq*., LII, LIII, LXVIII, LXIX.
Sancti Romanis e cœmeteriis educti baptizati, CXXXI.
Sanctificari, idemne ac consecrari, LXXX.
Sanctorum et fidelium ingens numerus Romæ, CXXX. Corpora Roma precibus exterorum delata, CXXXI. — Sanctorum passiones et gesta quando et ubi Romæ legi cœpta, CXXVII.
Sanctuaria apostolorum Petri et Pauli, ad secundam cataractam deposita, panni, CXXXIII.
Sanguinis dominici aliquid refusum in calicem seu scyphum pro communione populi, LVII. Sanguis Domini auctus vino infuso, LVIII. Sanguini Dominico vinum cur adjunctum in laicorum communione, XCIII, XCIV. Sanguis Christi dictus etiam post admistum vinum, LVII.
Schola cantorum, chorus, XXI.
Secreta Canon dictus, XLVIII.
Secretarium ecclesiæ, XXII; ibi coacta concilia, *ibid*. Secretarium amplissimi senatus, XXIII.
Sedes stercoraria Roman. pontific., CXVIII *et seqq*. Aliæ, CXXI, CXXIII.
Senatorium in ecclesia, locus ubi principes sedebant, XXII, XLIV, LIX.
Septima, quina ac terna litan., XCVII.
Sigonii sententia de Romani pontificis consecratione rejecta, CXVIII.
Simplicius papa mutat ordinationum tempus, CIII.
Socratis loci duo discutiuntur, CXXV *s*.
Sozomeni locus explicatur, XCVII.
Species unica dicta *corpus et sanguis Domini*, LXXI.
Statio quid, XXXI. Romani cleri stationes, *ibid*. *et seqq*. Statio post communionem pontificis annuntiata, LVII.
Stephani (S.) majoris, aliud minoris Romæ monasteria, XXVIII
Stercoraria sedes Roman. pontific., CXVIII *et seqq*. Aliæ, CXXI, CXXIII.
Subdiaconatus non semper inter ordines sacros, CXI; a minoribus ordinibus distinctus, *ibid*.
Subdiaconus recipit osculum in communione a diacono, LVI.
Subdiacon. Romæ tres ordines, XVIII.
Susceptores baptizat., XCVI, XCVII.
Symbolum in Missa quando dici cœptum in Romana Ecclesia, XLII, XLIII. Symbolum publice recitatum memoriter ante baptismum, CXXXII.
Syrnæ ante ecclesiam sancti Silvestri sitæ, CXXII.

Tabernacula in Italia pro Eucharistia, CXL.
Taxea, scyphus, XLVI.
Tetravila, quadrupl. altaris vela, XXII.
Tharsicius acolythus martyr, XL.
Theodatus ex duce primicerius sanctæ sedis apostolicæ, XVII.
Theodorus adorator numeri Theosiæ, XXIX.
Thomasius laudatus, IV, IX *et seqq*.
Tituli, parœciales Ecclesiæ Romæ, XII, XIII, XIV, unus pluribus, simul presbyteris. *ibid*. Eorum institutionis ratio, XV. Tituli minores oratoriorum, XIX. Titulorum a cœmeteriis distinctio, XVI. Tituli majores et minores, *ibid*. Nulli primo extra Urbem, *ibid*.
Todinus monachus Casinas, Lateranensis patriarchii levita, XX.
Triduum post mortem Papæ, pro successor. electione exspectatum, CXII.
Trivultiorum sep. Mediolani, CXXX.

Turris, vas Eucharistiæ, CXL.
Unctio manuum diac. apud Anglos, CVI.
Ustathius dux, XVII.
Vasa sacra Rom. pretiosa, XLVI s.
Vaticanæ Ecclesiæ conjuncta quatuor monasteria, XXVIII.
Vela ex regul. pendentia, CXXXVIII.
Veneni periculum in oblatione panis et vini in Missa ut vitatur, XLVI.
Vesperæ Sab. S. nulla Rom., XCIX, C.
Vestinatitulus, S. Gervasiiet Protasii seu sancti Vitalis postea dictus, XVIII.
Vicedominus, œconomus, LIV.
Vigilii papæ loci duo insignes, XLVII, XLVIII.
Vini oblatio in amulis facta, XLIV, LXV. Vinum an mutatur in Christi sanguinem ex contactu hostiæ consecratæ, LXXVI *et seqq.* Vini ex commistione sanguinis dominici sanctificatio, XCII *et seqq.* Duplex ejus modus, XCIII. Vinum Dominico sanguini admistum, ubi communicando populo sanguis non sufficiebat, LVII, LVIII. Sanctificatur, LIX. Vinum post sanguinis sumptionem a communicatis haustum, CXXX.
Viri a feminis sejuncti in eccles., XXI.
Vivorum et mortuorum, in Missa commemoratio, L.
Willelmus de Barges, LXL.

INDEX LIBELLORUM ORDINIS ROMANI.

Numeri respondent his crassioribus qui videntur in textu a col. 936 *hujus voluminis usque ad* 1406.

Abbacyri (S.) ecclesia Romæ, 143.
Abbas mitratus coram Rom. pont. 169.
Abbates coram papa quando prædicare cœperunt, 482.
Abbatiæ urbis Romæ, 574.
Absolutionis solemnis modus, 517.
Abstinentia pridie consecrationis episcopi indicta, 88. Abstinentia a carnibus Romæ in festo Innocentium, 130.
Acolythi ordinatio, 85 *et seqq.*
Adam de Anglia cardinalis, 537.
Adextratores papæ, 195, 196.
Adminiculator, pupillorum et miserorum advocatus, unus ex judicibus palatinis, 570.
Adriani institutum ut flecteretur pro Carolo rege, 17.
Advocatores ecclesiæ, 6.
Advocatus pauperum inter ministros papæ, 531.
Æmilius S. Nicolai card., 249, 250.
Agapitus de Columna cardinalis, 515.
Agathæ (S.) in monte Suburræ abbatia, 574.
Agnus Dei tertium cur in Lateranensi ecclesia non cantatur, 566. — Agnus Dei non nisi singulis septenniis a papa confecti, 480. Eorum confectio, benedictio, usus, distributio, virtus, 24, 31, 138, 144, 145, 163, 202, 203, 375, 376, 377, 508, 509, 510. — Agnus assus benedictus et datus a pontifice in convivio paschali, 142. — A juniori cardinale benedictus, 187.
Agrippina porticus Pantheon, 143.
Aguliæ vel Auguliæ domus, 122.
Alba dicta linea dalmatica, 54.—Alba Romana, 221; camisia, 456.
Albanensis episcopi hospitium in palatio majori, 97.
Albiensis vel Dalbia cardinalis, 435.
Alençonius cardinalis, 515.
Alexander II regularis communis vitæ in Lateranensi ecclesia renovator, 569. — Alexandri papæ IV ordinatio de suffragiis, 381.
Alexii (S.) Romæ abbatia, 574.
Almutia ad collum, 137.
Alphonsus rex Neapolis, 469.
Altare portatile, 289. — Altari sancti Petri nullius præter Romanum pontificem consecratio fiat, 124.—Altaria Lateranensis ecclesiæ, 567, 568, 569, 570, 571, 572.
Amæ seu amulæ, 5, 10.
Amalarius, 9 *et seqq.* Ejus eglogæ in Ordinem Romanum, 549 *et seqq.*
Ambolagium seu anagolagium amictus sive humerale, 51, 64.
Amen dictum cum strepitu accepta benedictione pontificis, 92.
Amictus seu anabolaium super albam et cingulum, 7.
Ammantare, pallium imponere, 211.
Ampulla chrismatis a nemine nuda videatur, 21 *et seqq.*
Anagolai vel anagolagi, 64 *et seqq.*
Anagolaium seu Anabolaium, id est amictus, 7.
Anagologium grande, 91
Anastasius papa IV Helenæ mausoleo illatus, 569; dona ejus, *ibid. et seqq.*
Andreæ (S.) ad crucem eccles., 58.
Anniversarium consecrat. papæ, 380.
Annotinum chrisma, 138.
Annuli dati cardinalibus a papa, 450, 456.—Ann. episcopaliter aptatus, 295.
Anticamera, 361, 480.
Antistes Urbis, papa, 456, 466.
Antonini theatrum, 126.
Appodiare, sustentare, 536.
Aqua non adhibita in ablutione Missæ, 286, 287.—Aqua Falleria, 330.
Aquamanus, seu aquamanile, 5.
Aquaricia, 162 *et seqq.*—Aquaricia clareti, 162, 201 *et seqq.*
Ara et altare diversa, 163.—Ara Cœli dicta eccl., ubi olim ara Filii Dei, 574.
Arca fœderis Domini in ara eccles æ Lateran., 561.
Arcarius, judicib. ex palat. unus, 570.
Archidiaconi benedictio prima, 89. —Archidiaconus, vicarius pontificis, 3.
Archiparaphonista, 7 *et seqq.* Quartus scholæ, 53.
Archius ordo, præcipuus, 10.
Arcus septem lucernarum seu Titi, 144, 565.
Ardea civitas Rutulorum, 166.
Argentea porta sancti Petri, 398.
Arnaldus sanct e Mariæ Novæ cardinalis, 250.— Arnaldus S. Priscæ card., 247, 249.—Arnaldus Sabin. episc., 250.
Arsenochita, 86.
Atrabatensis cardinalis, 435.
Auditor contradictarum, 344.
Augustini locus illustratus, 537.— Augustini Patricii Picolominei, episcopi Pientini, epist. ad Innocentium VIII de cæremoniis Rom. pontif., 584 *et seqq.*
Aureæ arcus, 132, 143.
Ave, Maria seu Salutatio Angelica initio concionis, 469.
Aversanus cardinalis, 515.
Avisatus, monitus, 526, 529.

Bacilia, 198.
Baculi in manibus orantium, 46; e manibus orantium depositi dum Evangelium legitur, 553.
Bajulus, 3.
Balsamo crux uncta singulis an., 572.
Banca, sedile, 417, 427.
Baucalea, scamna, 466.
Bandalarii, vexilla ferentes, 268.
Banderenses, 531, 533, 551; excommunicati a papa, quod senatorem ab eo dictum recipere noluissent, 517.
Bandonarii cacabarii, 195, 199.
Bandora, vexilla, 128, 171.
Bandularii, 185.
Baptismales Ecclesiæ Romæ plures, 138. — Baptismalis fontis bened., 36.
Baptismi ritus, 21, 27, 77 *et seqq.* Baptismus a diacono collatus, 83; per immersionem, 106. Baptismus puerorum per juniorem diac. Sab sancto, 184.
Barensis cardinalis, 537.
Barile uter, 202, 289, 538.
Basilii (S.) juxta palatium Trajani abbatia, 574.
Benedicta de Pagano, civ. Rom., 190.
Benedictio, canticum trium puerorum, 91.—Benedictio, aqua benedicta, 83.—Benedictio in Missa post communionem, 559.—Benedictio prima data ab archidiacono, 89.
Benedictus episcopus Portuensis, 157.—Benedictus archidiaconus Romanæ ecclesiæ, 157.—Benedictus canonicus sancti Petri, 8.—Benedicti canonici S. Petri Ordo Rom., 118 *et seqq.*
Berengarius Tusc. ep., 247, 248, 249.
Bernardus de Deucio archiepiscopus Ebredunensis cardinalis sancti Marci, 432, 437, 440. — Bernardus Lateran. eccl. prior card. et episc. Portuens., 568.
Bertrandus de Poeto, card. leg., 435.
Bireta in femin. genere, 450, 534.
Blasii (S.) Romæ abbatia, 574.
Boium, aut poium, seu podium, sive ambo, 91.
Bonaventura de Padua Augustinensis cardinalis, 517, 461.
Bonifacius papa IX, 349, 534, 535 *et seqq.*, 539, 541.
Bononiensis card., 435, 437, 440, 467, 518, 540, 541; archiep. Lugd., *ibid.*
Boso episcopus Tiburtinus bibliothecarius sedis apostolicæ, 157.
Boticularii papæ, 527.
Bottæ, lagenæ, 532.
Bracalia cerata, 184.
Bracheola, 358, 362.
Branderarii, vexilla ferentes, 275.
Brandonarii Colosæi, 195, 199. — Brandonarius, vexillifer, 228.
Brandones, seu tortitiæ, 529, 532.
Breve recordationis, 217 *et seqq.*
Brigidæ (S.) canonizatio, 535 *et seqq.*
Brodarii papæ, 200.
Bulla data cardinali, ut possit sacrafacere super aram beati Petri, 342, 455, 456.
Bumbasium, 529.
Buretrum pro bireto, 248.
Busta porcorum, 125; missa ad curiam in Cœna Domini, *ibid.*

Cadafalcum, pulpitum ligneum, 267.
Cæremoniale Romanum Gregorii X jussu editum, 221 *et seqq.*
Cæsarii (S.) in palatio Romæ abbatia, 574.
Calamus ad hauriendum Dominicum sanguinem, 286, 313.
Calderarii papæ, 195.
Calices tres in communione generali, 329.—Calix tersus digitis in Natali Domini, 325.—Calix fanone circumdatus, 555.
Cambuta seu baculo pastorali non utuntur summi pontifices, 288.
Camera paramenti, 489.
Camerarius S. R. E., 528.
Camisia seu alba Romana, 451, 456. —Camisia albæ et pannis superposita, 255 *et seqq.*, 288.—Camisia linea papæ supra laneas vestes, etiamsi religiosus sit, 292.

Camisum, acolythi vestis linea, 127.
Camisus, 163.
Campagi, 64, 65.
Campana consistorialis Romæ, 503.
—Campanæ sileant post incœpta solemnia diei Cœnæ Domini, 97.
Campobi pro compagis, 88.
Candela vitrea plena incenso, 159.
—Candelæ de vinetis vivis, 199; an idem ac vinci, 164.—Candelarum distributio, quando transfertur Purificationis festum, an pariter transferenda, 515.—Candel. gestatio et positio, 531. Accensæ dum legitur Evang., 553.
Canna fundendo sacrificii vino adhibita, 67.
Cannæ pannorum pro ulnis, 531.
Canon tacite recit. in Missa, 48, 556.
Canonizatio sancti, 412, 418 *et seqq.* —Canoniz. sanctæ Brigidæ, 535 *et seqq.*
Canonicorum Lateranensium habitus, 580, 581; numerus, 582, 583.
Cantare sub silentio, 115.
Cantatorium, 5, 9.
Cantoris sedes, 551.
Capella papæ sternata de frondibus de verta, 535.—Capella conclavis cardinalium, 532.
Capellani honoris, 455.
Capita regionum, duces, 551.—Capita, monetæ, 159.
Capite nudo audienda Evangelii lectio, 553.
Capitulare epistolarum et Evangeliorum, 19, 33.
Capitulum, conventus fratrum, 70.
Capiturgium subtile in modum scuti, 226; *al.*, Caputergium, 280.
Capsa thuris, 126, 127.—Capsæ cum sanctis apertæ, 8, 10.
Capsis adornatus, in quo servatum nocte Cœnæ corpus Dominicum, 102.
Capsulæ corporalium inclusum Domini corpus die Cœnæ, 137.
Capuceum papæ, 480; laicorum, 517. — Capuc. papæ de scarleto albo, 504. Capuc. baronum et militum, 506.
Capucium papæ replicatum super caput, 523.—Capucia nigra canonicorum sine becchis, 581.
Caput, monetæ genus, 219.
Caputergium. *Vide* Capiturgium.
Cardinalium ordinatio, 391; vestis, *ibid.*—Cardinales simpliciter dicti fratres, 518.—Cardinales omnibus episcopis prælati, 567.—Cardinalium sæcularium habitus a religiosorum habitu distinctus colore, 487. Eorum mantelli forma, *ibid.*—Cardinalium sæcularium, et prælatorum mantellus de brunetto rosaceo; regularium, coloris suæ religionis, 360.—Cardinales nec in conciliis, nec in Missis congregari debent sine licentia papæ, 514.—Cardinales mitrati, 204.—Cardinalium planetæ curtæ, 176.—Cardinalibus os apertum in consistorio, 428, 430.—Cardinales per patriarchias dispositi, 160.—Cardinales sanctæ Mariæ majoris, 573; alii, 574.—Cardinalium conclave, 531 *et seqq.*; obviam itio, 535.—Cardinalium novorum creationis ritus, 414.—Cardinalium exsequiæ, 541 *et seqq.*—Cardinales intra novenam exsequiarum papæ non rubeo, non viridi vel nigro, sed alio colore usi, 529.—Cardinalis de Francia, 537.—Cardin. sancti Marcelli, 543.—Cardin. sancti Marci, 543.
Carlenus, monetæ genus, 540.
Carnisprivii insolentiæ, 382.
Carolo Magno pro rege ut flecterentur genua, papæ Adriani constitutum, 17.—Carolus I rex Siciliæ papæ mensæ inservit, 360, 488.
Carpeta, 197 *et seqq.*
Castrum doloris, lectica funebris, 529, 533 *et seqq.* Feretrum subtus castrum doloris, 531.
Cathedra sancti Petri Romæ, 135.
Cencii de Sabellis cardinalis Ordo Romanus, 165 *et seqq.*—Cencii Muscæ in Punga palatium, 188.
Cerei non accensi dantur in Purificatione, 344, 457.—Cerei projecti in excommunicatione, 481.
Cereostata, 5 *et seqq.*
Chrisma in feminino, 26.—Chrismatis consecratio, 34, 97, 100, 481 *et seqq.*—Chrisma singulis septenniis a papa duntaxat confectum, 480.—Chrisma delatum ante pontificem, 4.
Chrismarium, locus dando chrismati destinatus, 106.
Christi corpus in die Cœnæ reservatum in crastinum, 101; a juniore presbyterorum cardinalium deferatur ad locum præparatum, *ibid.*—Christi corpus die Parasceve a juniore presbytero cardinali deportatum, 366. — Christi sanguis lapidi pretioso inclusis die Cœnæ revelatur, 536.—Christi sang. miraculosus asservatus in basil. Later., 99.
Christophorus Marcellus electus Corcyrensis reprehenditur, 587 *et seqq.*
Chromatii palatium, 126, 143.
Chrysanthi et Dariæ martyrum corpora in ecclesia Lateranensi, 577.
Ciceronis templum, 125.
Cilicii benedictio pro moribun., 114.
Cimbrum, Marii templum, 141.
Cimorum aut Crimorum porticus templo Ciceronis proxima, 115.
Cineris benedictio pro moribundo, 114.—Cineres quo ritu papa recipit, 175.—Cinis sanctus vitis, 111.
Cinturæ altaris et imaginum, 219.
Circumcisio Domini, hoc est præputium, in Later. bas. servatum, 152, 584.
Cisterciensis cardinalis, 515.
Clareti aquaritiæ, 162, 201 *et seqq.* —Claretum a vino distinctum, 210.
Clementis VI statutum in extravagante, 514.
Clerici Romanæ fraternitatis, 95.—Clerici Romæ judices, ad nullos unquam Ordines provehendi, 570.
Cocullus papæ, 480.
Cœna paschalis, qualis, 145.
Cœnaria, vel cœnatica, 221.
Colatorium, seu colum, ad Missam, 5, 54, 73.
Collectæ solemnes S. R. E., 544 *s.*
Colligendæ, oblatæ, 29.
Colores niger, violaceus et Indius pro uno in ecclesia Romana recepti, 462.—Color niger a Septuagesima ad Quadragesimam in usu papæ, 235 — Coloris nigri usus in processionibus quas papa pedes celebrat, 291; in processione Cinerum, 317.
Columnæ CCCLXVI in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, 573. — Columnæ exatopentalaicas, 572; ragiatæ foratæ, aquam fundentes, *ibid.* Aquitanicæ, Tripolitæ, *ibid.*
Comessatio, prandium, 229.
Communionis ritus, 49, 50, 59, 68.—Communio, perceptio solius corporis dominici; sanguinis vero confirmatio dicta, 69.—Communio puerorum, 28. Pontificis in die Cœnæ Domini, 33.—Communio papæ non ad altare, sed ad sedem, 226 *et passim.*—Communio pontificis ad sedem, 103. Ad altare in die Parasceves, *ibid.*, 336, 337.—Communio a presbyteris manu, ore percepta a subdiaconis, 75.
Compromissi formula, 246, 251 *s.*
Concilii generalis celebrandi ordo, 393 *et seqq.*
Conclave cardinalium, 531, 532 *s.*
Condiri quando debet ecclesia, 217 *s.*
Confessio argentea sancti Joannis Baptistæ, 571.—Confessio sancti Petri Romæ, 135. Qui empta, 162.—Confessioni, seu tumulo sancti Petri, imposita oraria ordinandis postridie conferenda, 90, 94.—Confessionis formula in Missa, 529.
Confirmare, sacrum calicem communicatis præbere, 20, 138.—Confirmare, dominicum sanguinem porrigere cum pugillari, 50.
Confirmationis ordo, 106.—Confirmationis sacramenti ritus, 27.—Confirmatio recens baptizatorum, quasi baptismi complementum, 83.
Conradus archiep. Nicos., card., 541.
Consecrationes primum in Decembrio, tum in Februario, 84.—Consecratio chrismatis, 34.
Consistoria quando a papa tenentur, 382 *et seqq.*
Constantini lepra, 562; dona Lateranensi facta ecclesiæ, 566.
Constantiniana basilica, 563.
Constantinopolitani imperatoris locus in mensa papæ, 188.
Constitutiones Lateranenses, 576 *s.*
Contestata, seu contestatio, Missæ Præfatio, 92.
Cophinum, ubi stat corpus Christi, 473, 522.
Coppa, 129, 142.
Corcyrensis electus cæremoniarum vulgator reprehenditur, 587 *et seqq.*
Cordones mitræ, 503.
Coronæ festum, 126.—Coronæ amobiles orantium capitibus impositæ, 46. —Corona seu regnum papæ, 258.
Coronatio papæ in diebus solemnibus, 120 *et seqq.*, 153, 158.
Corporale totum altare capiat, 73.—Corporali coopert. calix in altari, 302.
Corpus dominicum in patena delatum a subdiacono, 23. Corpus Domini conservatum in capsula corporalium die Cœnæ, 137. *Vide* Eucharistia.
Corsiensis cardinalis, 515.
Cortesiani, curiales, 200.
Cortina, platea S. Petri, 204, 298.
Cortisani, 541.
Cosmæ et Damiani (SS.) Romæ abbatia in vico Aureo, 574.
Cosmas card. Bononiensis, 512, 514.
Cotta superpell., 64, 288, 309, 387.
Craticulæ templum, 125.
Cretulus hostiæ, 500.
Cruces plures super altare, 332, 340.—Crucem papalem in processione fert subdiaconus, 102. — Cruci datum osculum ab omnibus, 116.—Crucis (S.) quæ est Jerusalem, ecclesia Romæ, 102. — Crucium in Missa ratio, 553.— Crux a papa et cardinalibus nudis pedibus adorata, 369. — Crux singulis annis inuncta balsamo, 572; crux de smalto, *ibid.* Crux stationalis, 124, 131.
Cryptæ ferratæ Græci monachi adhibiti in Missa solemni papæ, 279.
Crystallo sive lapide expressus ignis Sabbato sancto, 371.
Cubicellus Rigodes, 40.
Cubicularius tonsuratus, 6.
Cuculla super caput papæ, 571.
Cunabulum Domini in ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, 573.
Cuppa, scyphus, 201.
Curialiter, officiose, 261.
Custodia deaurata, vasculum communionis, 505.
Dedicatio basilicæ Salvatoris, 562, 564. Altarium, 567, 570, 571.
Defensor, qui præest defensoribus, id est advocatus, unus ex palatinis judicibus, 570. Defensores, 6. Defensorum primicerius, 7, 57. Defensores regionarii, 4 *et seqq.*
Denarii de senatu, 174.
Depticii, sacr. diptychis inscripti, 61.
Diaconi ordinatio, 85, 86. Diaconus jubente episcopo baptismi collator, 85. Ita tamen ut chrismato fiat a presbytero, 83. Diaconus junior Romæ Sab

bato sancto baptizat pueros cum aliis, 184. Diaconus versus Meridiem legit Evangelium, 10. Diaconi munus est pontificem *confirmare*, hoc est dominicum sanguinem ei porrigere, 20. Diaconi ante episcopum cur septem, 550. Cur post episcopum, 551. Ad Meridiem versi legendo Evangelio, 553, 555. — Diaconi in Missa quandiu inclinati, 556. Diaconi palatini, 567. Regionarii, *ibid*. Diaconi coram papa nunquam prædicant, 482.

Diaconiæ pater seu rector, 6.

Diaconissæ et presbyterissæ fe inæ ordinatæ, 91. Diaconissarum consecrationes Romæ sæculo XI, 156.

Digiti post consecrationem an disjungendi a sacerdote, 304.

Dimissoria episcopi pro ordinando in alia ecclesia, 87.

Dionysii papæ tumulus, 574.

Drungarii seu Delungarii, præfecti navales, 128, 129, 140.

Discalceati omnes in die Parasceves, 102. Discalceati cleri processiones, 134 *et seqq*.

Discreciatus papa, 453.

Domicellus, 270. Domic. papæ, 426.

Dominici corporis recipiendi ritus, 49, 50, 59.

Dominica de carne levario, 159.— Dominica 4 Quadragesimæ dicta de Rosis, 147. De Rosa, 148, 470, 516. 539. — Dominica mediana, 18.

Dominico die peracta episcopi consecratio, 88.

Dominus de Francia cardinalis, 499.

Dorsale, pannus sericus, 289.

Draconarii milites, 128, 129.

Ecclesiæ interdiu noctuque apertæ ut asylum nocentibus præbeant, 563. Ecclesiæ in urbe Roma, 161, 165. Ecclia a Constantino in Helenæ matris honorem erecta, 569. Ecclesiarum patriarchalium Romæ cardinales, 574.

Eglogæ Amalarii abbatis in Ordinem Romanum, 549 *et seqq*.

Electi, Baptismum percepturi, 77.

Embolis Oration. Domin. in Missa, 48.

Episcopi ordinatio, 86 *et seqq*. Episcopi omni tempore benedicti, 91. Mos aliquando ut nocturno tempore benedicerentur, *ibid*. Episcopus in Romanum pontificem non eligatur, 92. Episcopi cardinalibus præpositi, 167, 172, 178, 180, 203. Episcopi VII cardinales hebdomadarii Lateranensis ecclesiæ, 2, 57, 60, 566. Episcopi Romanæ Ecclesiæ, suffraganei papæ in suburbanis, 23, 180. Episcopus cur a læva ecclesiam ingreditur, 550. Adorat sancta, *ibid*. Pergit ad dextram altaris, 551; sedet, 552. Episcopi pluvialibus induti, presbyteri planetis, 98.

Epistolæ duæ, Latina et Græca, in solemnibus sacris cantari solitæ, 168 *et seqq*. Ep. Lat. Græc. præposita, 453.

Epistulia columnarum, 572.

Eques in plurali, 270, 278, 280, 448.

Errare timens papa, fidelium poscit orationes, 536.

Escarius, annonæ provisor, 108.

Esonus Lornarius, civis Rom., 190.

Evangeliorum liber super cervicem consecrandi episcopi, 273. — Evangelium canit diaconus ad meridiem conversus, 553. A stantibus auditur, *ibid*.

Excommunicationum certis diebus ratio, 237.

Exsequiæ cardinalium, 511 *et seqq*.

Facistorium pro faldistorio, 138.

Facultates, levitates, 580.

Falconcellorum domus Romæ, 189.

Fallarum scriptores, vulgo *les piqueurs*, hoc est absentium vel peccantium observatores, 579.

Fanì capita, 459.

Fanonis varia significatio, 554. Fanon in capite, 270. Mappa super caput papæ, 281. Fanon cum mitra super caput, 357, 487, 557. Super caput plicatus, 527. Fanon sive orale, 487. Oblatio cum fanonibus, 554. Calix fanone circumdatus, 555.

Fascius mortulæ, 210.

Februarius papæ, 466.

Felix Cantelorius archivii Vaticani custos, 166, 170.

Feminæ in diaconissas et presbyterissas ordinatæ Sabbato IV temporum post ordinatos viros, 91.

Fermentum pro Eucharistia, 1.

Ferrarii columnæ et sancti Angeli, 195, 199.

Ferulæ gestatæ ab archidiacono et priore subdiac. in processionibus, 203.

Fila sive acies, 257.

Fiolarii papæ, 195, 199.

Fistula sacrificio adhibita, 75.

Flamineus arcus, 125.

Floreni cum Carlino dati pauperibus in mandato Cœnæ, 485.

Folcarius, seu Fulcarius, officialis papæ, 461, 492.

Foirariæ papalis magister, 535.

Fonsistorium seu cathedra, 168.

Fontis benedictio, 104 *et seqq*.— Fontes Lateran. ecclesiæ rotundi, 571.

Formata et sacra oblatio in dies VIII aut etiam XL reservata, 89.

Fraipanorum de Cartularia, familia Romana, 190.

Franciscus sanctæ Mariæ in Cosmedin. cardinalis, 250.

Fratres simpliciter dicti cardinales, 518.— Fratres de Bulla, 526. — Fratres de Prognota vel Pignotta, 558, 468, 526.

Fregium in mitra, 415.

G. archidiaconus, G. primicerius S. R. E., 140.

Galiatorum porticus ante templum Sibyllæ, 125.

Garnellum, panni genus, 456, *etc*.

Gausape, toalea, sudariolum, 171.

Gavatæ de argento, 575.

Gemelliones, vasis sacri genus, 5.

Genua VII facit papa ante imaginem beatæ Mariæ, 151.

Geraldus de Parma Sabin. ep., 507.

Gerberti seu Silvestri II e sepulcro aquarum guttæ cur emanant, 568.

Gloria in excelsis incipit pontifex conversus ad populum, 9. A presbytero non dicitur nisi in Pascha, 17, 18; quando ab episcopis, *ibid*., 155.

Gonzius civis Romanus, 189.

Gradalis seu Gradualis, 9.

Gradensis ex ord. Min. card, 461, 515.

Græce et Latine dictæ orationes Romæ Sabbato sancto, 104.

Græcum vinum, 38.

Gregorii (S.) in Clivo Scauri abbatia, 574. — Gregorii papæ Antiphonarium et alia scripta in oratorio sanctæ crucis, 571. Lectulus et oratorium, 572. — Gregorii X papæ Cæremoniale Romanum, 221. — Gregorii papæ XI confirmatio constitutionum Lateranensium, 576, *et seqq*. — Gregorius notarius S. R. E. cardinalis, 157.—Gregorius de Benedicta, civis Romanus, 190.

Grossi, moneta pauper. distrib, 485.

Guardavessalla papæ, 531.

Guardia major, cibarior. custos, 531.

Guido de Castello, Cœlestinus papa II, 118.

Guidonum scholæ, 198, 207.

Guillelmus Albus IV cardinalis Conatorum, 432, 437.—Guillelmus Curti de Divano abbas Montis Olivi cardinalis, 432, 436.—Guillelmi de Stoutavilla cardin. Cæremoniale, 324 *et seqq*., 242.

Helenæ dona Lateranensi facta ecclesiæ, 563. — Helenæ porphyretico mausoleo inclusum corpus Anastasii papæ IV, 569.

Hilarus papa oratoriorum utriusque sancti Joannis auctor, 571.

Holomitreum Romæ, 126.

Honorius III papa, 165.

Horæ Romæ tempore Cencii de Sabellis cardinalis numeratæ Gallicano more, 178, 181.

Hostiarum et vini probatio contra venenum, 500. *Vide Commentar*.

Hostregius de Faventia, 539.

Hyacinthus subdiaconus Romæ, 140.

Icones Petri et Pauli per mare Romam venerunt nullo ductore, 212, 261.

Ignis excussus de lapide, 21, 31; de crystallo excussus Sabbato sancto, 103.

Imago Salvatoris a sancto Luca delineata, tum perfecta ab angelo, 572, 573. Imago Jesu Christi quo ritu delata in processione, 151. Imaginis Salvatoris pedes in die Paschæ osculatur papa, 184. Alii, 185.—Imaginis sanctæ Mariæ papa facit VII genua, 151. — Imagines super altare, 532. Imagines depictæ initio canonis a pontifice in Missa osculandæ, 304. Imagines in processionibus delatæ, 134, 173.

Immunitas ecclesiæ, 563.

Imperatoris ordinatio, 397 *et seqq*. Imperator a canonicis sancti Petri receptus in fratrem, 398.—Imperator vel rex quo ritu lectionem legere, et ensem vibrare debet, 325, 326. Imperator et rex cereos post priorem cardinalium recipiunt, 314, 315. Patriarchæ, *ibid*., 457, 464. Imperator papa equum insidente stapedium teneat et frenum, 404. Item rex, 410. Imperatore mortuo extra curiam Romanam, nullus in ejus exsequiis sermo præsente papa vel cardinalibus, 523.

Incisoria papæ et cardinalibus a filiis Regum delata, 271. — Incisoria de pane, frustra incisa, 280.

Indius color, 502.

Indulgentia populo data a pontifice, 98, 330, 365, 366, 368, 469, 471. Indulgentia pontificis nomine in Missa promulgata, 284. Post sermonem annuntiatur, 339. Indulgentiæ centenæ et quadragenæ, 465. Indulgentiæ datæ die Cœnæ Domini, 258. Indulgentia jubilæi concessa iis qui officio divino in canonizatione interfuerint, 536, 538. Indulgentiæ in Dedicationis festo concessæ, 362, 565.

Infantes dicti recens baptizati etiam adulti, 83.

Innocentium festo Romæ abstinentia a carnibus, 150.

Innocentius II pont., 127, 128, 141.

Interdicti cujusvis tempore per Octavam Corporis Christi officia divina publice celebrentur, 525.

Interpausatio inter Missas Natalis Domini, 328.

Ispanus cardinalis, legatus in Lombardia, 435.

Jacobus Gaietanus cardinalis Cæremonialis Romani auctor, 241 *et seqq*., 357.—Jacobus cardinalis sancti Gregorii, 218.

Jejunium in vigilia Ascensionis, 239.— Jejunii die cœna facta meridie, 234, 239. Jejunii die sumpta cœna, post vesperas potus sumitur, 323, 326

Jesu Christi umbilicus in ecclesia Lateranensi, 572.

Joannis (S.) ad Vestem ecclesia, 37, 38. — Joannes XVII Lateranensis ecclesiæ renovator, 569. — Joannis XIX diploma pro episcopo Silvæ Candidæ, 154. — Joannis papæ XXII additio rubricis, 380. — Joannes sancti Callisti Transtiberim cardinalis, 157.

— Joannes Cavarsal cardinalis, 455. — Joannes cardinalis sancti Chrysogoni, 157. — Joannes cardinalis sanctæ Susannæ, 409. — Joannes canonicus Lateranensis, 356.— Joannes de Anagnia civis Romanus, 189.—Joannes Adulterinus, civis Romanus, 190. — Joannes Brucciardus diarii pontificatus Alexandri VI auctor, 409.—Joannes de Benedicto, civis Romanus, 190.—Joannes de Cæsario, civis Romanus, 189.—Joannis diaconi junioris liber de Ecclesia Lateranensi, 560 *et seqq.*—Joannes prior Lateranensis, 560.— Joannes de Gregorio, civis Romanus, 190. — Joannes Machinus, civis Romanus, 190.—Joannes de Roberto, civis Romanus, 189.— Joannes de Tinto, civis Romanus, 190. — Joannes Wigarelli, civis Rom., 190. — Joannes de Zorcolis, civ. Rom., 189.
Jocalia data a legatis vel nuntiis Romam redeuntibus, 442.
Jovis basilica, 123.
Jubilæum ab Urbano VI ad XXIV annos reductum, 525.
Judæorum causa factæ orationi cur non præmissa genuflexio, 368.
Judices palatini vel ordinarii, 570. Consulares et pedanei, *ibid.* — Judicum palatinorum series et ordo, 570.
Jupo, vestis genus, 517.
Juramentum a subdiaconis exactum coram Evangeliis de IV capitulis secundum canones, 83. — Juramentum Urbis Romæ senatorum, 215.
Jusum, deorsum, 127, 141, 151.

Lacus porphyreticus cum concha ansata, labrum ingens, 572.
Ladislaus rex Neapolitanus Romæ anno 1393, 543.
Lateranensis ecclesia suprema omnium mater, patriachalis et imperialis, 561. Varia ejus nomina, 563. Ejus reliquiæ, 564, 567. Lateranensis ecclesiæ casus, et erectio per Sergium papam III, 575. Lateranenses constitutiones, 567 *et seqq.* Lateranenses episcopi hebdomadarii, 2. Lateranense patriarchium, 4 *et seqq.* Lateranensium canonicorum et beneficiatorum habitus, 580, 581; numerus, 582, 583. Lateranensis palatii comes, 598.
Latho, locus Romæ, 151.
Laudes papæ, 227, 230, 263 *et seqq.*
Laumæ de merlis, aa saumæ, 220.
Laurentii (S.) basilica ad Lateranum dicta Sancta Sanctorum, 101, 573. — Laurentii (S.) in Panisperna abbatia, 574.— Laurentii comes, 544.
Lavina vini, an salma, 202.
Lectio v in vigil. Natalis ab imper. vel rege lecta, 432. Quo habitu, *ibid.*
Lectionarium sancti Hieronymi, liber Comitis, 167.
Lectorium sancti Petri, 159.
Legatorum cardinalium vel nuntiorum creatio, 438 *et seqq.*; reditus, 441; cappæ rubeæ de sarleto, *ibid.*; item biretum, *ibid.* — Legatis et cardinalibus largitum in die Cœnæ presbyterium, 358. Legium, legatum, 569.
Lemovicensis cardinalis, 455.
Leo papa III, 93. — Leonis IV papæ constitutum, 151, 161. — Leoniana civitas Romæ, 151 *et seqq.*— Leoniana basilica Romæ, 142, 144. — Leoniana basilica magna, dicta Casa Major, 186.
Lignum sanctæ Crucis inventum a Sergio papa I, 209.
Linea cum cottis, 64.
Linteus villosus cui insidetur, 89.
Litania septena, quina et trina, 104. Litania prima, septena, etc., 27. Litania septiformis, quinqueformis, triformis et simplex, 146, 147.
Lotionis manuum in Missa ratio, 74.
Lucenses solidi, 147.
Lucius II Lateranensi ex canonico, papa, 568. Lunanum vel Eumanum Romæ macellum, 141.
Lustra aurea, 483.

Majorentes schola Stimulati, 128, 140, 198.
Majus monasterium, eccl. Romæ, 54.
Malachinus, monetæ genus, 328.
Mamertini privata, 143.
Mancia, vulg. nomen a manu, 129.
Mandare, mittere, 129, 341. Mandare matutinas, 325. Mandari, significari, 418.
Mandatarii papæ, 197.
Mandatum in Cœna Domini, 101; XII subdiaconis præstitum a pontifice, *ibid.* Mandatum subdiaconorum, 557, 558. Diaconorum, 362. Mandatum pauperum in die Cœnæ, 485, 486.
Manipularii regionum, 531.
Mansionarius primus, 5; alii, 6 *et seqq.* Mansionarii Lateranensis ecclesiæ, 578.
Mantum ad collum pontificis, 98.
Manus Carneæ arcus, 143.— Manus, presbyterium duplex, 129, 142, 180 *s.*
Mappula extensa super caput pontificis, 191 *et alibi.*
Mappulariorum schola Romæ, 173.
Mappularii papæ, 193, 197, 374.
Mappulæ subdiaconorum, 70; in sinistra manu ferendæ, *ibid.*
Marabotinus, monetæ genus, 169 *s.*
Mareschalchus major papæ, 454.
Mariæ (sanctæ) in Aquiro ecclesia, 143. — Sanctæ Mariæ in Aventino abbatia, 574. — Sanctæ Mariæ in Capitolio abbatia, ubi nunc minores Aræ Cœli, 574. — Sanctæ Mariæ in Castro Aureo Romæ abbatia, 574. — Sanctæ Mariæ Majoris ecclesia Romæ, 573, 574. — Sanctæ Mariæ in monasterio juxta sanctum Petrum ad Vincula abbatia, 574. — Sanctæ Mariæ in Pallara abbatia, 574. — Sancta Maria Scholæ Græcorum, 466. — Sancta Maria in Virgari in fine cortinæ Romæ, 147. — Mariæ Magdalenæ corpus, excepto capite, in Lateranensi ecclesia, 567. — Maria regina mater Roberti Siciliæ regis, 410. — Maria de Mancino, civis Romana, 190.
Marii templum, Cimbrum, 141.
Marina virgo patrona Ardeæ Rutulorum, 166.
Masculi Romæ in ecclesia ad australem partem, feminæ ad borealem, 549, 553.
Massarius, fundi procurator, 108.
Matallascum, 527.
Mathias (S.) apostolus, Parvus Dei dictus, 573. Sancti Mathiæ apostoli corpus in ecclesia sancti Petri, 161.
Matthæus Sanctæ Mariæ in Portu cardinalis, 248.
Mauricii (S.) altare in ecclesia sancti Petri Romæ, 400.
Mediana Dominica, 18.
Melequinus, monetæ genus, 169 *s.*
Mensa Domini, locus ubi Eucharistia in viaticum asservata, 587. — Mensa de altari levata apud Lateranum in Cœna Domini, 99, 100.
Merolanæ in monte Exquilino, 4, 140, 141, 373.
Mesquinus ex ord. Prædicatorum, card., 515.
Met pro ipsemet, 361, 459, 468, 491.
Meta sudans, 144.
Milicena, draconariorum insula, 126.
Milites draconarii, 128.
Missæ confessio præmissa qualis, 329.— Missa pro defunctis nunquam a papa celebrari solita, 417. — Missæ a cardinale coram papa dictæ, item Missæ coram cardinale dictæ ritus, 314, 315, 413 *et seqq.*
Mistum pro vino, 201.
Mitræ tres papæ cur, 232, 345. — Mitra clericalis imperatori imposita, 401. — Mitra de vernello, 344. — Mitra consistorialis, 410.
Mitrale, 280.
Mitrati cardinales, 204. — Mitratus abbas coram Romano pontifice, 169.
Modestia in choro servanda, 579.
Monachi Laterani et ad sanctum Petrum Romæ, 51.
Monasteria prope Vaticanum, 154, 160. — Monast. sanctæ Agathæ Romæ, 191, 206. — Monast. sancti Alexii Romæ, 160, 206. — Monast. sancti Anastasii Romæ, 161. — Monast. Ardeæ civitatis Rutulorum, 166. — Monast. Augusta Romæ, 154. — Monast. sancti Basilii Romæ, 206. — Monast. Biberaticæ Romæ, 206. — Monast. sanctæ Bibianæ Romæ, 206. — Monast. duplex sancti Cæsarii Romæ, 206. — Monast. sancti Cæsarii in palatio Romæ, 160. — Monast. Campi Martis, 206. — Monast. in Capitolio Romæ, 206. — Monast. Clivi Scauri, 206. — Monst. sancti Cosmæ Transtiberim, 206. — Monast. sanctorum Cosmæ et Damiani in Vico Aureo, 160. — Monast. sanctæ Crucis Romæ, 206. — Monast. sancti Cyriaci Romæ, 206. — Monast. sancti Gregorii in Clivo Scauri, 160. — Monast. sancti Joannis de Insula Romæ, 205. — Monast. sancti Joannis Portæ Latinæ, 206. Monast. Juliæ Romæ, 206. — Monast. sancti Laurentii in Clausura Romæ, 157. — Monast. sancti Leonis Romæ, 206. — Monast. sanctæ Mariæ in Aventino, 160. — Monast. sanctæ Mariæ Romæ, 191, 193. — Monast. sanctæ Mariæ in Monasterio Romæ, 206. — Monast. sanctæ Mariæ in Pallara Romæ, 161, 206. Monast. sancti Martini Romæ sub tegna basilicæ sancti Petri, 91. — Monast. Maximæ Romæ, 206. — Monast. Mirandæ Romæ, 206. — Monast. Palladii Romæ, 191. — Monast. sancti Pancratii in via Aurelia, 160, 191. — Monast. Panispernæ Romæ, 206. — Monast. sancti Pauli in via Ostiensi, 161. — Monast. sancti Petri ad Vincula Romæ. 161. — Monast. dominæ Rosæ Romæ, 191, 206. — Monast. sanctæ Sabæ Romæ, 206. Monast. sanctæ Sabæ Romæ, vel Cella Nova, 160. — Monast. sancti Silvestri in Capite, 206. — Monast. sancti Silvestri inter duos hortos, 160.— Monast. Tempoli Romæ, 206.—Monast. sancti Thomæ de Formis Romæ, 206. — Monast. sanctæ Trinitatis Romæ, 206. — Monast. sancti Valentini in via Flaminia, 161. — Monast. de Villa Romæ, 191. — Monast. alia Romæ *Vide in nominibus propriis.*
Moneta aurea per papam immissa in os præenuntiantis sibi antiphon., 233.
Mons Malus prope Romam, 231.
Mortui sepulcrum a singulis presbyteris benedictum, 96.
Mortulæ sacima, 208.
Mosibum seu musivum, 161.
Mulier, etiam imperatrix et regina, nunquam comedere debet cum papa, 361, 489.

Naccus scarlattæ palafredo papæ adhibitus, 183. Nacta scarleti, 311.
Natalis Domini vigilia extra IV tempora non celebrata, 93.
Neapoleo sancti Adriani cardinalis, 247, 248, 249, 250.
Neapolitanus cardinalis, 315, 541.
Neronis obeliscus, 126, 143.
Nervæ seu Nerviæ deæ arcus, 132; templum, 143.
Nicenii (S.) ecclesia Romæ, 268.
Nicolai V pia mors, 526.
Nicolaus sancti Eusebii cardin., 249.
Nicolaus episc. Ostiensis cardinalis, 247, 248, 249.

Nicolaus Ferri, civis Romanus, 189.
Nicaulaus Gazzi, civis Roman., 189.
Nomenculator Romanæ Ecclesiæ, 4 a.
Nomina infantibus ante baptismum data, 77, 106.
Nonnata Francis, ancilla Dei sacrata 86.
Notarii regionarii, 4 *et seqq.*
Notariorum primicerius, 57.
Novariensis cardinalis, 443, 513.
Nucerimus cardinalis, 515.
Nudis pedibus a papa et cardinalibus adorata crux, 369.
Nympheum ante oratorium, 572.

Obla'æ virorum et feminarum, 46. Oblatæ tres a presbyteris cardinalibus in Missa pontificia consecratæ, 29. Oblatæ integræ novitiis presbyteris datæ, 91. Oblatarum fractio, 558.
Oblatio in Missa cum fanonibus, 554.
Oblationes in Missa factæ a viris et eminis, 67, 74. Oblationes cui immolatæ, 74.
Octavæ diei translatio ob aliud festum concurrens, 513.
Odhones, 61, 65.
Oleum exorcizatum et oleum infirmorum, 99, 555.
Olibani libra, 163, 218 *et seqq.*
Onufrii Panvinii epistola, 163.
Orarium, 54, 61. Orarium ad modum presbyteri, 221. More diaconorum, 222. Orarium in manu, 85. Orarium breve, 91. Oraria confessioni et altari imposita ante ordination., 90, 94.
Oratio nulla præter Dominicam in Lateranensi ecclesia, 566. Oratio Lateranensis, 570 *et seqq.* — Oratio post communionem dicta Postulatio, 559.
Orationes Missæ, 557. — Orationes fidelium adhibitæ ne papa erret, 536.
Oratorium pro faldistorio, 8.
Ordinationis ritus, 90 *et seqq.* — Ordinationis papæ ritus, 210 *et seqq.*
Ordines minores, 497.
Ordo Romanus multiplex, 1 *et seqq.* Ejus antiquitas et integritas, 2. — Ordo ad visitandum et ungendum infirmum, 111 *et seqq.* 114. — Ordo celebrandi concilii, 393 *et seqq.* — Ordo consecrationis papæ, 271 *et seqq.* — Ordo ad benedicendum imperatorem, 215 *et seqq.*, 397.
Ore percepta a subdiaconis communio, 75.
Orphei domus, 132, 151.
Ostiarii papæ, 195, 196.
Ostiensis episcopus papæ consecrator, 272.

P. de Columna domus Romæ, 268.
P. de Roblayo Franciæ cancellarius, cardinalis, 435.
Pactisi vina, 38.
Paduanus, ex ord. Augustin. cardinalis, 515.
Palafredus papæ, 176.
Palatini diaconi, 567.
Palatium Cintæ Musca in Punga Romæ, 275.
Palefrenarium papæ, 531.
Pampanianus episc. Parmensis, 248.
Pancratii (S.) via Aurelia abbatia, 574. — Pancratii (S.) capella ad Lateranum, 99. Panni post mortem papæ distributi, 530, 531.
Papæ electio, etc., 210 *et seqq.* Coronatio, 235. Papæ electi, necdum consecrati, litterarum forma, 223. Papæ coronatio in sacris dierum aliquot solemnium, 120 *et seqq.* Papa sancti Petri vicarius, 567. Papa ne erret, et ne contra Romanam Ecclesiam faciat, fidelium orationes exposcit, 536. Papa Missam ut audit, 413 *et seqq.* Papæ communio non ad altare, sed ad sedem, 266 *et passim.* Papa nudis pedibus in processionibus, 173, 176, 203, 210, 235. Papæ cappa de veluto cremosino, foderata de ermelinis, auctore Bonifacio IX, 450. Papæ cappa clausa de scarleto rubeo, foderata de herminis, 371. Papæ cambuta seu baculo non utuntur, 288. Papam equitantem reges adextrant, 270. Ei ministrant in mensa, 271. Papæ comestio solemnis in Cœna Domini, 486, 487. Papa mensæ nullas admittit feminas, 489. Papæ capuceum et cocullus, 480. Caputium replicatum super caput, 523. Papa ægrotante quid agendum, 526. Papæ exsequiæ, 529 *et seqq.*
Papalis crucis delator subdiac., 101.
Papiensium denarior. solidi, 122, 147.
Papilio cum fistula et tribus punctis, 500.
Papyrus pro ellychnio, 134. Servata ad mortem pontificis, *ibid.*
Paradisus, atrium eccles., 162, 547.
Parapectus, 533.
Paratorium, locus in quo vasa sacra, 50.
Paridis de Crassis adversus electum Corcyrensem, cæremoniarum vulgatorem, expostulatio, 9, 587 *et seqq.*
Parion Romæ, 149.
Parvus Dei, dictus S. Mathias ap., 573.
Pascha annotina, 148.
Paschalis II ordinem canonicum in Lateranensi ecclesia renovavit, 568.
Patena in canone gesta ab acolythis, tum a subdiaconis, 58, 59. Patenæ duæ in Missa, 68.
Patriarchalium Romæ basilicarum ordo definitus ab Urbano VI, 526.
Patriarcharum locus inter duos cardinales, 457, 464.
Patrini et patrinæ, 78, 79.
Patrinus Ital. Sanctulus dictus, 116.
Patris spiritualis testimonium de defuncto, 116.
Pauli (S.) e tumulo rapti carbones et incensum pro febricitantibus, 150. — Paulus papa I, 160.
Pauperes multi reficiendi in morte papæ et cardinalium, 381 *et* 382.
Pax a pontifice data in Missa, 2, 505. Cur annuntiata ante commistionem corporis et sang. dominici, 558.
Pectoralia ante altare, cancelli, 123, 161, 403.
Pedes, pro pedites, 426. — Pedibus nudis papa in processionibus, 173, 176, 203, 210, 235.
Pellis ad collum, seu almutium, 137.
Pentecost. festum caret octava, 241.
Peregrinorum in gratiam data indulgentia, 479.
Peregrinus archiep. Coloniens, 157.
Perfusorium, linteum ad tergendum calicem, 537.
Perlæ, gemmæ, 253.
Pellæ de tela, 540.
Petra argentea sancti Petri Romæ, 62. — Petra papalis, 185. — Petra Malius cardinalis, 515.
Petragoricensis cardinalis, 437.
Petri et Pauli icones per mare Romam venerunt nullo ductore, 212, 261. — Petri (S.) Vaticana ecclesia, aliarum magistra, 153. — Petri (S.) miles effectus rex, 408. — Petri Amelii, Galli Electensis, Senogalliensis episcopi, etc., liber Cæremoniarum, 443 *et seqq.* Gradensis patriarcha, confessor papæ, 540, 541, 544. — Petrus sancti Damasi cardinalis, 157. — Petrus Oloycensis episcopus, 441, 506. — Petri diaconi cardinalis, postea Gregorii XI constitutiones Lateranenses, 577 *et seqq.* — Petrus Joannes de Pampano, 162. — Petrus de Mantino, civis Romanus, 190. — Petri Mallii canonici sancti Petri Romæ liber, 158, — Petrus sanctæ Mariæ novæ cardinalis, 576. — Petrus Ostiensis episcopus, 157. — Petrus de Paulo civis Romanus, 190. — Petrus de Pratis cardinalis, archiepiscopus Aquensis, 435. — Petrus episcopus Silvæ Candidæ, 154. — Petrus de Thomacellis eligitur in papam Gregorii XI nomine, 526.
Philippus de Alençonio cardin., 537.
Phocas Manieti, civis Romanus, 190.
Pileus cardinalis de Ravenna, 541.
Pinea Romæ juxta palatium, 143.
Pintola de auro, 538.
Piper datur in festo sancti Stephani in collatione commensalium papæ, 455.
Pisanus cardinalis, 531.
Planelli, calceorum genus, 175.
Planetæ plicatæ unde dictæ, 510.
Planeta quomodo plicatur, 464.
Planetæ curtæ cardinalium, 176.
Planeta et orarium ordinandi acolythi vestes, 85.
Pœnitentiæ sacramentalis ordo et forma, 107 *et seq.* Pœnitentiæ publicæ habitus, 517.
Pœnitentium in die Cœnæ absol., 551.
Pogium, 57.
Politicus seu Polyptychus liber, 452.
Polyptychus liber cameræ, 558.
Pontifex ubi communicat, 62.
Porcaster, 197 *et seqq.*
Prædicare coram papa non debent diaconi, nec doctores decretorum, nec abbates, at solummodo prælati et magistri in theologia, 555.
Præfatio Missæ, 559.
Præfectus Romæ calceatus zanca una aurea, altera rubea, 170. — Præfectus naval. Romæ dictus Sangari, 170.
Prælatorum institutio, 390.
Præputium Domini servatum in ecclesia Lateranensi, 564.
Præsepe Domini partim in ecclesia sanctæ Mariæ majoris, 573.
Præsul, id est papa, 466.
Pesbyteri ordinatio, 86. Presbyteri juxta episcopum, 551. Presbyteri in Missa ultimi omnium oblationes offerunt, 554. Presbyter chrismate linit verticem baptizati a diacono, 85. Presbyterorum in conciliis suffragia, 395.
Presbyterium, erogatio pecuniæ, 120, 143, 146, 169 *et seqq.*
Primicerius, 4 *et seqq.* Primicerius defensorum, 7. — Primicerius, judicum pelatinorum princeps, 570. Aliorum ordo, *ibid.*
Priscæ (S.) et Aquilæ Rom. abbatia, 574.
Proba, probatio, 500.
Processionis ordo, 70.
Processus generales seu excommunicationes, 362 *et seqq.*, 481. — Processus generales die Cœnæ Domini, 378, 582. In Ascensione, 583.
Procomea vina, 38.
Prostratio in Missa ab elevatione ad *Pax Domini*, etc., 235.
Protoscrinarius, unus ex judicibus palatinis, 570.
Provesini solidi, 188 *et pas.*, 212, 220.
Psalmus ad Introitum Missæ cantatus, 71. — Psalmus *Lætatus sum* olim in Missa dictus ante communionem, 448, 451.
Pugillaris, fistula ad hauriendum dominicum sanguinem, 5, 50.
Pugillata denariorum, 211.
Pulsatio signorum in Lateranensi ecclesia cur semper solemnis, 566.
Purificationi digitorum in Missa vinum ab aqua discretum adhibetur, tum aqua, 307, 308.

Quadragenæ de indulgentiis, 550, 565, 566, 568.

Radiatæ foratæ columnæ, 572.
Raiuncius de Corella, civis Romanus, 190. — Raiuncius de Franco, ci-

vis Romanus, 190
Rasoribus, novaculis, 532.
Ravennantium urbs Romæ Transtiberim, 160, 574.
Reatinus cardinalis, 515, 537.
Recipere, inchoare, 441.
Regiæ cancelli, 348, 509, 455, 456, 480. Regia secretarii, 7. Regiarum porta, 492, 496.
Reginæ coronatio, 404 *et seqq.* Unctio, 410. Communio, 411.
Regionarii diaconi, 567.
Regiones septem ordinis ecclesiastici Romæ, 3. Diac. et subdiac. region., *ibid.*
Regis unctio et coronatio, 407 *et seqq.*—Reges equitantem papam adextrant, 270. Ei in mensa ministrant, 271. — Regum filii papæ mensæ inserviunt, 271, 360.
Regnum seu corona papæ, 258, 540, 451. Capiti quando impositum, 168, 171 *et seqq.*
Religiosa vestimenta, id est ecclesiastica, 93.
Reliquiæ Lateranensis ecclesiæ, 564, 567, 570, 571, 572, 573, 581 *et seqq.*
Remissa quid, 5.
Retia seu pharus, candelabrum orbiculare, 151, 161.
Robacianus Romanus de Rainutio, civis Romanus, 190.
Robertus rex Siciliæ Avenione cum uxore coronatus, 406.
Rodulfus abbas sancti Laurentii in Clausura, 157.
Roggerius Siciliæ rex, 568.
Romæ porta Collina juxta castellum Crescentii, 397.
Romanæ urbis loca et ecclesiæ, 189 *s.*
Romanorum pontificum sepulturæ in ecclesia Lateranensi, 567, 568.
Romanus pontifex eligatur unus e cardinalibus diaconus aut presbyter, non episcopus, 92. — Romanus de Bonella, civis Romanus, 190. — Romanus et O'o Crassus cives Romani, 190. — Romanus de Petro Ocilenda, civis Romanus, 190.
Romuli memoria, 126 Sepulcr., 143.
Rosa aurea papæ cum musco et balsamo, 133, 176, 236, 471.
Rotulus de cereis Græcis, 218.
Rufinæ et Secundæ martyrum corpora in ecclesia Lateranensi, 570. — Rufinæ (S.) episcop., 154 *et seqq.*, 163.
Rugæ altaris, 85, 86
Rutheneusis cardinalis, 435, 437. Ad regem Aragonum legatus, 442.

Sabæ (S.) seu Cellæ Novæ abb., 574.
Sabbati die Missæ defunctorum dici non solitæ in eccl. Romana, 577, 578.
Sacima mortulæ, 208.
Sacellarius R. E, 4 *et seqq.*
Saccellarius, ex pelatinis judicibus unus, 570.
Sacco domini papæ, 208, 210.
Sacculi portati ab acolythis ad recipiendas oblationes, 49. — Sacculus ad recipiendam et deferendam Eucharistiam acolythis datus, 85.
Sacramentarium, lib. oration., 123.
Saiso Matellarius, civ. Rom., 190.
Saita, 387.
Salvatoris imago a sancto Luca delineata, tum ab angelo perfecta, 572, 573. Salvatoris imaginem osculatur papa, 573.
Samitum, panni genus, 342. Samitum fulratum de pellibus, 440.
Sancta sanctorum in ecclesia Lateranensi, 261. Sancta sanctorum, Lateranensia archiva, 569.
Sancti canonizatio, 412, 418 *et seqq.* — Sancti, cujus fit celebritas, nomen in confessione Missæ expressum, 416.
Sanctuaria, reliquiæ, 152.
Sanctulus apud Italos, patrinus, 116.
Sandalia Jesu Christi Romæ servata, 152.
Sandialarii, 162.
Sangari, præfectus naval. Romæ, 170.
Sangrus cardinalis, 515.
Sanguis et aqua Christi, 179.—Sanguis Christi sine calamo sumptus in prima Missa Natalis Domini, 451.
Sanson Manchinus, civis Rom., 190.— Sanson de Olianta, civis Rom., 190.
Saraceni, monetæ genus, 200.
Sarantasmum, an tarantasmum, pallii seu vestis genus, 533, 570.
Scala ad ecclesiam Lateran., 209.
Scarleto rubro confecta infula, 263. Vestes de scarleto albo, *ibid.* Scarlatum in faleris equi papalis, 171.
Scholæ seu societates variæ Romæ, 195 *et seqq.* — Schola cantorum chorus, 7 *et seqq.*, 567. — Scholæ Crucis Romæ, 169, 180, 182. Schola mappulariorum, 173. Schola laicorum, 177, 204. — Schola stimulati, majorentes, 128, 140. — Schola virgarum Romæ, 205, 207.
Scopalatii papæ, 195, 200.
Scrinarius, seu scriniarius, 168 *et seqq.*
Scrutinii ordo, 77 *et seqq.* — Scrutinii in electione pontificis formula, 247 *et seqq.*
Scudela, scuta, 537.
Scuta capellanorum papæ, vestis, 563.
Secreta Missæ, 558, 559.
Secundicerius, 6 *et seqq.*, 570.
Sedere aptum esse, 7 *et seqq.*
Sedes papæ in ecclesia sancti Petri post altare, 213. Sedes S. Silvestri, 214.
Sellaris Pontificis, 6, 42.
Senator Urbis nigro colore non utitur in morte papæ, 531. — Senator Urbis officium, 261 juramentum, 215.
Senatorium, locus primorum in ecclesia, 10, 50, 57, 60.
Senescalcus major papæ, 201.
Sepeliendi clericos Romanæ fraternitatis ordo, 115 *et seqq.*
Sepulturæ ordo, 115 *et seqq.*
Sergii papæ jussu ordinata processio, 151. — Sergii papæ III dona et beneficia in Lateranensem ecclesiam, 575, 576.
Seriosius, prolixius, 487.
Sermo in Missis defunct. nunquam habetur presente curia Romana, 523.
Servientes armorum, 476.
Sessorianum palatium, 155, *al.*, Susurrianum, 121.
Sestace, studarium, 64, 65.
Severianus porticus, 125.
Silex ubi cecidit Simon Magus, 144.
Silvæ Candidæ episcopi prærogativæ, 154 *et seqq.* 163.
Silvestri papæ gesta, 562. Privilegium, *ibid.* Indulgentiæ, 564. Sedes, 214. — Silvestri (S.) inter duos hortos abbatia, 574.
Simonis et Judæ (SS.) corpora in basilica Vaticana sepulta ad Crucifixos, 122. — Simonis Magi silex, 144.
Siricum pro serico, 492 *et seqq.*
Sixtus III, an auctor ecclesiæ sanctæ Mariæ majoris, 573.
Soleclum, 280.
Solidi provesinorum, 212, 220.
Species, dulciamina, 234.
Squalæ nigræ, 581.
Stalilia, 222.
Statio ad communicandum ab archidiacono annuntiata, 50.
Stationalis crux, 124, 151.
Stationarius, 4.
Stationes solemnes S. R. E., 554 *s.*
Stephani (S.) monasterium in baptisterio Lateranensi, 571. — Stephanus papa II, auctor monasterii sancti Silvestri, 160. — Stephanus sanctæ Ceciliæ cardinalis, 157. — Stephanus de Girone, civis Romanus, 189. — Stephanus *Nizol*, civis Romanus, 189. — Stephani Serpetri turris in capite Parionis, 188. — Stephanus Theobaldus, civis Romanus, 189. — Stercoraria sedes papæ unde dicta, 211, 213, 214, 230, 231, aliæ, *ibid.*
Sternata, strata, 535.
Sticcha, 200.
Subdiaconi ordinatio, 85. In alia quam publica ordinatione, 89. Subdiaconi vest s propriæ, 70. Subdiaconi quandiu in Missa inclinati, 555. Subdiaconus corpus Domini cum patena portat, 23. Subdiaconis xii lavati pedes a papa in die Cœnæ mane, 180. Pauperibus xii post comestionem, 181, 357. Subdiaconi palatini, 567.
Subtulares, 65.
Suburæ mons Romæ, 161.
Suburbana Romæ, ubi episcopi suffraganei papæ, 23.
Sucellensis cardinalis, 435.
Sudarium Christi, quod vocatur Veronica, 122.
Supercoqui papæ, 199.
Supplementarius, 5.
Susurrianum palatium, 121, *al.*, Sessorianum, 135.
Symbolum in Missa recitatum, 46, 65, 67, 73.

Tarantasmum, an sarantasmum, pallii, seu veli genus, 568.
Taxea, scyphus, 501, 506.
Teatinus, cardinalis, 515.
Temporius, ocius, 79.
Theobaldus Velitrensis episc., 157.
Theodori basilica panetaria, 137. — Theodorus S. R. E. archidiaconus, 21.
Thomæ (S.) ecclesia Lateranensi proxima, 98. — Thomæ (S.) juxta formam Claudiam abbatia, 574.
Thonitia, 262.
Tiberianæ militiæ, 145.
Tiberinus ex ord. Prædicatorum cardinalis, 515.
Tinellum aula, 476, 487, 528. Tinellum tenere, 511.
Tituli a papa dati cardinalibus, 430.
Toalea, 198, 202, 205.
Tobalea, mantile, 262. *Vide* Tualea.
Tobaleolæ, 532.
Tobaliæ frisatæ et opertæ, 162.
Torticii accensi a papa, et cardinalibus in processu vel excommunicatione projecti, 364.
Tortitiæ seu brandones, 529.
Tribunal ecclesiæ, 5[illegible].
Trinitatis (S.) Scotorum Romæ abbatia, 574.
Triphonis (S.) ecclesia Romæ, 113.
Triporticum ante oratorium, 572.
Trissadorium sive teloneum, 487.
Tualea super altare expansa in die Parasceves, 102. *Vide* Tobalea.
Tu autem a diacono præcentum pro fine lectionum, 123.
Turcici imperatoris orator in Missa toleratus ad præfationem, 409.
Tudertinus cardinalis, 534.
Tusculani tenimentum, 215.
Tutare, exstinguere, 22, 31.

Umbella seu baldachinum papæ in processionibus, 476.
Umbilicus Jesu Christi Domini nostri in ecclesia Lateranensi, 572.
Unctionis extremæ forma, 111 *et seqq.*
Urbanus papa, 215. — Urbani papæ VI constitutum seu decreta, 525.
Ursinus cardinalis, 545.

Valentini (S.) juxta pontem abbatia, 574.
Vastararii papæ, 172, 195, 199.
Venantii (S.) porticus et ecclesia Romæ, 13, 8.
Venetiarum cardinalis, 543.

Verialia verba, an curialia, 251.
Vernagia bona, 527.
Veronica dicta sudarium Christi, 122. — Veronica in ecclesia sancti Petri, 161.
Vestararius Romanæ Ecclesiæ, 4.
Via sacra seu papæ, Romæ, 259.
Vicedominus Ecclesiæ Romanæ, 4 *et seqq*.
Vigiliæ a Matutino distinctæ, 125, 149.
Vigiliis datum vinum ante vigiliam, 219.
Vinaterium et taxeæ, 501.
Vinci, quid, 164. An candelæ ex vinetis vivis, 189.
Vinum Dominici corporis intinctione sanctificatum, 60, 114, 370, 492. *Vide Commentar.* — Vinum purum in calice certis in locis ponitur in Parasceve, 370. — Vinum perfusionis in Missa, 414. — Vinum in calicem consecrationis infusum pro communicantibus, 312. — Vina Græca, de Pactis aut Pactisi, de Procoma, 38.

Wimplium capitis Virginis Deiparæ, 573.

Zachariæ papæ basilica, 128. — Zachariæ papæ palatium seu Casa Major,
Zaucha, calcei pontificalis genus, 128, 170.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

Editoris Patrologiæ monitum. 9
Præfationes in librum Sacramentorum. *Ibid.*
LIBER SACRAMENTORUM. 25
Notæ et observationes in librum Sacramentorum. 263
Scholia Angeli Roccæ in eumdem librum. 583
Benedictiones quæ in libro Sacramentorum desiderantur. 601
Benedictionum episcopalium aliud supplementum. 603
Benedictionale S. Gregorio vindicatum. 627
Ad Antiphonarium S. Gregorii præfationes. 637
LIBER ANTIPHONARIUS ordinatus per circulum anni. 641
Appendix ex manuscripto Compendiensi. 723
Observationes præviæ in Librum responsalem. *Ibid.*
LIBER RESPONSALIS. 725
Hymni a S. Gregorio conscripti. 849
APPENDIX ad S. Gregorii opera liturgica. 851
COMMENTARIUS PRÆVIUS in Ordinem Romanum. *Ibid.*
I. — Rituum Romanorum cognitio necessaria. Amalarii in eos commentarii vexati. Prima Romani Ritualis editio improbata. Electi Corcyrensis plagium detectum. *Ibid.*
II. — De Ordine Romano, deque variis auctoribus ac libris qui de ritibus S. R. E. agunt. 855
III. — De antiquis basilicis ac titulis Urbis, de diaconiis, et de septem regionibus ecclesiasticis, ubi de forma veterum basilicarum 857
IV. — De clero Romano, et de prisco ritu celebrandi officia divina in Ecclesia Romana. 861
V. — De collectis, stationibus, deque litaniis Romanis. 866
VI. — Singulares ritus Missæ pontificalis secundum Ordinem Romanum; et primo ab initio ad Canonem. 869
VII. — Continuatio rituum in Missa pontificali singularium a Canone ad Communionem. 876
VIII. — Singularia sacræ communionis in Missa pontificali. 879
IX. — Quando et quomodo desierit communio sub utraque specie in Ecclesia Romana. 884
X. — Ritus peculiares in Sabbato ante Palmas, et in ipsa Dominica Palmarum. 886
XI. — Singulares ritus in triduo ante Pascha, et primo quidem in Cœna Domini et in Parasceve. 888
XII. — De sanctificatione calicis non consecrati ex contactu particulæ consecratæ. 893
XIII. — Quid de hac commistione aliæ Ecclesiæ senserint, aliique auctores. 898
XIV. — De sanctificatione calicis ex commistione sanguinis consecrati. 903
XV. — De nonnullis ritibus Sabbati sancti. 904
XVI. — De ordinationibus sacris Ecclesiæ Romanæ. 909
XVII. — De varia creatione Romani pontificis. 913
XVIII. — Ritus in consecratione pontificis olim servati. 917
XIX. — Expenditur locus Socratis scholastici de prætermissis mysteriis sacris in Sabbatis apud Romanos, ubi de hebdomada et Dominica mediana, atque de variis ritibus qui strictim exponuntur. 923
XX. — De confessione beati Petri in basilica Vaticana. Quid *rugæ*, quid *regiæ*, et *regulares* apud scriptores ecclesiasticos? De variis modis asservandi Eucharistiam apud Romanos. Quid capsa in concilio Arausicano? Quid turris Gregorio et Venantio Fortunato? 926
XXI. — An antiqui ritus semper novis præferendi? An omnes ad unum modum revocandi? Recentiores cæremoniarum arbitri notati. Quid censendum de Missa Illyricana? 932
Primus Ordo Romanus : qualiter Missa pontificalis celebretur. 837
Secundus Ordo Romanus : de Missa pontificali. 969
Tertius Ordo Romanus : qualiter celebrandum sit officium Missæ. 977
Quartus Ordo Romanus : de Missa pontificali. 983
Quintus Ordo Romanus : de Missa episcopali primus. 985
Sextus Ordo Romanus : de Missa episcopali secundus. 989
Septimus Ordo Romanus : qualiter scrutinium fieri debeat. 993
Octavus Ordo Romanus : de ordinatione episcopi et acolytorum. 999
Nonus Ordo Romanus : de gradibus Romanæ Ecclesiæ. 1003
Decimus Ordo Romanus : qualiter agendum sit quinta feria in Cœna Domini, sexta feria Parasceve et Sabbato sancto; ordo ad dandam pœnitentiam, ad ungendum et communicandum infirmum. 1009
Undecimus Ordo Romanus, auctore Benedicto B. Petri canonico. 1025
Duodecimus Ordo Romanus : de consuetudinibus et observantiis Ecclesiæ Romanæ in præcipuis solemnitatibus. 1063
Tredecimus Ordo Romanus, vel Ceremoniale Romanum. 1105
Quatuordecimus Ordo Romanus, vel Ordinarium. 1121
Quindecimus Ordo Romanus : de ceremoniis Romanæ Ecclesiæ. 1273
Sexdecimus Ordo Romanus, vel index solemnium collectarum et stationum Romanæ Ecclesiæ. 1367
Appendix ad libellos Ordinis Romani. 1371

FINIS TOMI SEPTUAGESIMI OCTAVI.

Ex typis MIGNE, au Petit-Montrouge.